PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS, ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS, FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, AC QUINQUE-VIGINTI CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXXXV.


S. BERNARDUS ABBAS CLARÆ-VALLENSIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGÒ *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1860

BIBLIOTHECA ARCHIEPISCOPALIS MEDIOLANENSIS

Digitized by Google



Specimen chartæ qua S. Bernardus dissensionem Ninovensem inter et Jettensem abbatem exortam componit.

(Ex originali in archivo Gandavensi asservato. — Vide hujus voluminis col. 1826.





Digitized by Google

SÆCULUM XII, ANNUS 1153.

S. BERNARDI,

ABBATIS PRIMI CLARÆ-VALLENSIS,

OPERA OMNIA

SEX TOMIS IN QUADRUPLICI VOLUMINE COMPREHENSA

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, AUCTA ET IN MELIOREM DIGESTA ORDINEM, NECNON NOVIS PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET OBSERVATIONIBUS INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS LOCUPLETATA

TERTIIS CURIS

D. JOANNIS MABILLON,

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI;

EDITIO NOVA,

ACCESSERE APPENDICES AMPLISSIMÆ VITAM SANCTI DOCTORIS ET EJUS ÆTATEM ILLUSTRANTES.

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

VOLUMEN QUARTUM

S. BERNARDI OPERUM TOMUM VI COMPLECTENS.

VENEUNT 4 VOLUMINA 28 FRANCIS GALLICIS.

BIBLIOTHECA BODLEI

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'*AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'*ENFER* NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1860

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXXV CONTINENTUR.

S. BERNARDUS ABBAS CLARÆVALLENSIS

OPERUM TOMUS VI. — *Aliena, et variorum de S. Bernardi vita et rebus gestis elucubrationes.*

Guerrici abbatis Igniacensis Sermones. 9

Guigonis Majoris Carthusiæ prioris quinti epistolæ. 219

S. Bernardi vita et res gestæ libris septem comprehensæ. 222

Acta S. Bernardi Bollandiana. 648

Varia ad libros de vita et rebus gestis S. Bernardi addimenta. 993

S. Bernardi genus illustre assertum. — Odonis de Diogilo, Joannis Eremitæ, Herberti Turritani aliorumque aliquot scriptorum opuscula duodecimi post Christum sæculi historiam illustrantia. 1199

S. Bernardi gloria posthuma amplificata. 1543

Monumenta sacræ Claræ-vallensis abbatiæ. 1549

Richardi monachi de Grandi-Silva carmen de laude Clarævallis. 1563

Iter Cisterciense Meglingeri. 1565

Description des tombeaux et sépultures qui existaient autrefois dans l'abbaye de Cîteaux. 1621

Note sur Fontaine-lez-Dijon, patrie de saint Bernard. 1635

Lettre à M. le comte de Montalembert sur les reliques de saint Bernard et de saint Malachie, et sur le premier emplacement de Clairvaux, par M. Ph. Guignard, bibliothécaire de la ville de Dijon. 1661

Documents sur le séjour de saint Bernard en Flandre et le culte de Notre-Dame d'Afflighem, par le R. P. Pitra, de l'ordre de Saint-Benoît. 1797

Etudes sur l'histoire du XIII^e^ siècle. — Recherches sur la part que l'ordre de Cîteaux et le comte de Flandre prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe le Bel ; par M. Kervyn de Lettenhove. 1838

Parisiis. — Ex typis L. MIGNE.

Digitized by Google

SANCTI BERNARDI

ABBATIS-CLARÆ-VALLENSIS

OPERUM TOMUS SEXTUS

COMPLECTENS

Sermones Guerrici abbatis Igniacensis, S. Bernardi discipuli; GUIGONIS, *Carthusiæ Majoris prioris quinti, epistolas, nec non varios auctores qui de sancti Bernardi vita et rebus gestis scripserunt Accessere Documenta quædam historica.*

DE BEATO GUERRICO

ABBATE IGNIACENSI (1).

(D. TISSIER, *Bibliotheca Patrum Cisterc.*, t. I, in Exordio Magno Cisterciensi, dist. 3, capp. 7, 8.)

907-908 *Sanctæ recordationis dominus Guerricus, quondam abbas Igniaci, dum adhuc sub disciplina beati Bernardi monachus esset in Clara-Valle, et regalibus sacræ doctrinæ uberibus lactaretur, haud de genere se tanti Patris filium moribus et vita probabat. Tanto siquidem sublimius arcem virtutis conscendere didicerat, quanto secretius magno Dei munere de incorruptionis titulo testimonio conscientiæ gloriabatur. Sicut enim hi quibus secreta tanti viri nosse datum fuerat, astruebant, immaculatam incorruptionis tunicam duce gratia usque ad exitum vitæ conservavit. Porro quantæ puritatis et integritatis fuerit vita et conversatio ejus, quamque purissimum devotionis thymiama quotidie Deo in ara cordis incenderat, Dominus gloriosis et manifestis indiciis declarare dignatus est. Succedente vero tempore venerabilis Guerricus factus abbas Igniaci, qualem se exhibuerit, quam strenue officium sibi commissum adimpleverit, non est nostræ parvitatis edicere. In hoc tamen nimis contristabatur, et se ipsum valde humiliabat, quod pene continue conventum fratrum deserere, et in infirmitorio jacere causa debilitatis suæ cogebatur; nec poterat ita fratribus suis exemplum quotidiani laboris præbere. Verum quidquid minus habebat de exercitio corporali, totum sinceræ pietatis affectus, et ardens in Deum devotio supplebat. Conqueritur ipse debilitatem et insufficientiam suam in quodam sermone, ita dicens : « Amici venerunt ad me de via : sed non habeo quod ponam ante illos. » Plane quam sanæ verbis doctrinæ fuerit, luculentissimi atque disertissimi et vere spirituales Sermones ejus, quos in solemnitatibus præcipuis in conventibus fratrum fecit, et a cantore ejusdem ecclesiæ excepti sunt, manifeste declarant.*

Cum autem fidelis servus Domini Guerricus, fidelissima distributione conservis suis annona Domini sui dispertita, plenus dierum et virtutum transiturus esset de hoc mundo ad Patrem, tactus ægritudine, ipsiusque ægritudinis molestia ingravescente, ad extrema deductus est. Curiosius vero cunctos angulos conscientiæ suæ eo discutiente, ne quid forte esset quod perperam gestum et inemendatum districtum sibi Judicem offensum redderet, et malignis spiritibus occasionem calumniandi præberet, recordatus est libelli Sermonum, quem fecerat : simulque memoriæ occurrit, Patres statuisse, nullum absque generalis capituli licentia libros facere debere; et graviter ingemiscens convocatis fratribus dixit : « En, fratres, dum vestris profectibus invigilare, vestræque petitioni parere studui, crimen inobedientiæ, quod, testante sancto Samuele, quasi scelus idololatriæ est, incurri. Libellum nempe Sermonum, quem rogatu vestro dictavi, temerarie nimis absque capituli generalis licentia edere præsumpsi. Quapropter quantocius illum afferentes igne cremate, ne pro culpa inobedientiæ ultricibus gehennæ flammis tradar consumendus. » Dei vero providentia accidit ut jam in aliis quaternulis transcriptus esset liber, Deo aliquid melius pro nobis et in hoc aisponente : ne videlicet sancta Ecclesia ipsius, et præcipue Cisterciensis ordo tantæ eruditionis gratia privaretur. Mirabili namque temperamento ita litteralis scientiæ lepos in volumine illo tumet, et Christianæ simplicitatis humilitas sic in eo resplendet, ut non modo minime onerosus, verum etiam gratiosus valde sit legentibus. Porro ignitum eloquium Domini vehementer quod in Sermonibus illis invenitur, ita movet, afficit et accendit legentem, ut durissimus corde sit, qui non ex eorum lectione compunctus ad meliora proficere studeat.

(1) Hunc Belgam fuisse existimant, et quidem ex magistro scholæ Tornacensis canonicum, quem Bernardus anno 1131 ad se traxit. Factus est abbas Igniaci, in diœcesi Remensi, post Humbertum, virum eximiæ pietatis, de quo in Epistolis et in Sermonibus sancti Bernardi. Manricus Guerrici obitum circiter annum 1157 reponit. Ejus Sermones pari fere, qua Bernardi, reverentia legi merentur.

Digitized by Google

GUERRICI ABBATIS IGNIACENSIS
DISCIPULI S. BERNARDI
SERMONES PER ANNUM.

DE ADVENTU DOMINI.

909 SERMO I.

De divinorum promissorum exspectatione.

1. *Salvatorem exspectamus* (*Tit.* II, 13). Vere exspectatio justorum lætitia, exspectantium beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. *Et nunc quæ est exspectatio mea*, inquit justus, *nonne Dominus?* (*Psal.* XXXVIII, 8.) Et conversus ad Dominum : Scio, inquit, quia non confundes me ab exspectatione mea (*Psal.* CXVIII, 116) ; quia jam substantia mea apud te est (*Psal.* XXXVIII, 8), quia natura nostra de nobis sumpta, et pro nobis oblata, apud te glorificata est : spem nobis tribuens, quia ad te omnis caro veniet (*Psal.* LXIV, 3) ; caputque membra sequentur, ut holocaustum compleatur. Pleniore tamen fiducia, quia tutiore conscientia, Dominum exspectare potest, cui dicere datum est : Substantia possessiunculæ meæ, o Domine, apud te est ; quia facultates meas, vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in cœlis thesaurizavi, et ad pedes tuos omnia mea deposui, sciens quia potens es depositum meum non modo servare, sed etiam in centuplum restituere, et vitam æternam adjicere. Quam beati vos, pauperes spiritu, quia juxta consilium admirabilis Consiliarii thesaurizastis vobis thesauros in cœlo ; ne si in terra thesauri vestri remanerent, corda vestra pariter putrescerent! *Ubi enim*, inquit, *thesaurus tuus, ibi et cor tuum* (*Matth.* VI, 21). Eant igitur, eant corda post thesauros suos ; sursum affixa sit cogitatio, et ad Dominum suspensa exspectatio, ut et vobis competat dicere cum Apostolo : *Nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem exspectamus* (*Philipp.* III, 20). O exspectatio gentium! universi qui te exspectant non confundentur. Te expectaverunt patres nostri, omnes justi ab origine mundi in te speraverunt, et non sunt confusi (*Psal.* XXI, 5, 6). Jam enim suscepta misericordia tua in medio templi tui, chorus lætantium et laudantium concinit : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 9). *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi* (*Psal.* XXXIX, 2). Et in humilitate carnis agnoscentes majestatem divinitatis : *Ecce*, inquiunt, *Dominus noster iste ; expectavimus eum, et salvabit nos : iste Dominus, sustinuimus eum ;* A *exsultabimus et lætabimur in salutari ejus* (*Isa.* XXV, 9).

2. Sicut autem Ecclesia in antiquis justis exspectavit adventum primum ; sic in novis reexspectat secundum : sicut in primo certa de pretio redemptionis ; sic in secundo, de præmio remunerationis : atque hujus exspectatione spei suspensa a terrenis, tam feliciter quam ardenter inhiat æternis. Cum igitur alii festinantes præsentibus beari, nec sustinentes consilium Domini, currunt ad diripiendam prædam hujus mundi ; beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas (*Psal.* XXXIX, 5). Qui abstinet se a vitiis eorum, tanquam ab immunditiis, sciens melius esse humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis (*Prov.* XVI, 19). Loquensque secum consoB latur se, et ait : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei* (*Thren.* III, 24-26). *Defecit* quidem *anima mea in salutare tuum*, o Domine, sed *in verbum tuum superesperavi* (*Psal.* CXVIII, 81). *Spes* quidem *quæ differtur*, scriptum est, *affligit animam* (*Prov.* XIII, 12) : sed, licet lassa sit ex desiderii dilatione, secura est tamen ex promissione. In ipsum solum sperans, sed et supersperans adjiciam spem : sicut assidue adjicitur tribulatio super tribulationem, dilatio super dilationem. Certus sum enim quia *apparebit in finem, et non mentietur*.

910 Ideoque, etsi moram fecerit, exspectabo eum, *quia veniens veniet, et non tardabit* (*Habac.* II, 3), C ultra præstitutum tempus vel opportunum. Quod opportunum? Cum impletus fuerit numerus fratrum nostrorum, et consummatum fuerit tempus misericordiæ ad pœnitentiam indultum. Audi Isaiam ad superna sæpius admissum consilia, quo videlicet consilio Dominus judicium differat. *Propterea*, inquit, *Dominus exspectat ut misereatur vestri ; et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus. Beati omnes qui exspectant eum* (*Isai* XXX, 18).

3. Propterea, si sapis, prospicies tibi quomodo dilationis hujus induciis utaris : utique si peccator es, ad pœnitentiam, non ad negligentiam ; si sanctus, ut proficias in sanctitate, non ut deficias a fide. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram*

Digitized by Google

facit Dominus meus venire; et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis: veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XXIV, 48-51). Hujus servi nequam et infidelis videtur esse vox illa tædii et desperationis, quæ apud Isaiam legitur: quia videlicet moram faciente Domino, frequentibus nuntiis ejus increduli et illusores insultare videntur: *Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi.* Sed quæ pœna sequatur miseros, propheta non tacuit, cum post pauca subintulit: *Et erit eis*, inquit, *verbum Domini*, quod videlicet subsannant, dicentes prophetis: *Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi*: *ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur* (*Isai.* XXVIII, 13). Vadunt retrorsum per apostasiam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera delectatione, vel quadam inextricabili peccandi necessitate, ut nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improvisa morte, conteruntur æterna damnatione. *Nescit* enim *finem suum homo: sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo; sic homines*, inquit Salomon, *capiuntur tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* (*Eccle.* IX, 12). Propterea videlicet, ne pro dilatione spei fides nostra tepescat, aut æstuet patientia, et incipiamus esse de illis *qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc.* VIII, 13): clamat nobis de cœlo qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat, inquiens: *Qui crediderit, non festinet* (*Isai.* XXVIII, 16), scilicet videre quod credit. Si enim quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus. Sponsæ quoque suæ, quam sibi desponsavit in fide, mandat Deus per Osee, dicens: *Dies multos exspectabis me: non fornicaberis, et non eris viro* (*Osee* III, 3). Hoc nempe est Dominum veraciter exspectare, si fidem ei servemus: ut licet careamus consolatione præsentiæ ejus, adulterum tamen non sequamur; sed pendeamus ad reditum ejus. Sic namque Dominus ait in eodem propheta: *Pendebit populus meus ad reditum meum* (*Id.* XI, 7). Pulchre omnino et proprie, *pendebit*, tanquam inter cœlum et terram: licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ: propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur servire, quamdiu creatura vanitati subjecta est, non volens (*Rom.* VIII, 12). Vulgo dicitur: Male exspectat, qui pendet. Ego autem dico; Feliciter exspectat, qui sic pendet. Quamobrem elegit suspendium anima mea, et in ipso suspendio mortem ossa mea: ut perseveranter in cruce ista pendere merear, donec immoriar.

911 4. O Domine Jesu, cum animam potestate *positurus* esses, et quo genere mortis id facere velles, *tuo subesset* arbitrio; suspendium elegit anima *tua*, *ut exaltatus* a terra, nos quoque ad te traheres, et a terrenis suspenderes. Sed nec ante mortem deponi passus es, ut et nos usque ad mortem in cruce perseveremus, et de ipsa tanquam de sublimi gradu facilior sit in cœlum conscensus. Gratias tibi, Domine Jesu! ibi sumus, ibi te exspectamus, non Eliam, qui ad deponendum nos veniat; sed Eli, id est, Dominum nostrum, qui nos suscipiat. Modicum ibi, modicum ibi, si mandas atque remandas. Ego quidem mandatis tuis semel credidi; sed adjuva incredulitatem meam, ut immobilis ibi te exspectem, reexspectem, donec quod credo videam: credo enim videre bona Domini in terra viventium. Credis et tu: igitur exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum! (*Psal.* XXVI, 13, 14.) Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et diverterunt in vias pravas. Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus? Qui tamen longanimiter se mandat exspectari, alibi se cito venturum esse promittit: in altero nimirum sustinentiam informans; in altero pusillanimes confortans, imparatos terrens, et pigros excitans. *Ecce*, inquit, *venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua* (*Apoc.* XXII, 12): et ad Jerusalem: *Cito veniet salus tua: quare mœrore consumeris?* (*Mich.* IV, 9.) Et revera tempus breve est, maxime uniuscujusque nostrum; licet longum videatur æstuanti, seu præ labore, seu præ amore. Ideoque utrumque necesse est: ut timeamus Judicem qui prope est, et forsitan mihi, forsitan tibi in januis est; et longanimiter exspectemus, si moram fecerit. Veniens veniet ille Dominus, timor et desiderium nostrum, requies et merces laborantium, dulcedo et amplexus amantium, beatitudo omnium, salvator noster Jesus Christus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

SERMO II.

Quomodo Christo advenienti occurrendum.

1. Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro. Salomon pulchre ait: *Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua* (*Prov.* XXV, 25). Bonus itaque nuntius, qui adventum Salvatoris nuntiat, reconciliationem mundi, bona superventuri sæculi. Quam pulchri pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona! (*Isa.* LII, 7.) Multi siquidem, non unus. Multi, inquam, sed in uno spiritu longa serie ab initio sæculi nobis supervenere nuntii, et omnium vox una, simul una sententia: *Venit, ecce venit* (*Ezech.* XXXIX, 8). Et unde, inquis, isti venere nuntii? Ut scriptum est, *de terra longinqua* (*Isa.* XXXIX, 3); quia de terra viventium, quæ magno interstitio separata est ab hac terra morientium: nam inter nos et illos adhuc chaos magnum firmatum est. Inde tamen prophetæ nobis, sicut et angeli missi sunt: quia si corpore hic versabantur, spiritu illuc assumebantur, quando mittendi erant; ut illic audirent et viderent, quod hic nuntiarent. Hujusmodi nuntii aqua refrigerii, potusque sapientiæ sunt salutaris animæ Deum sitienti: cui nimirum qui nuntiat adventum vel alia

Digitized by Google

mysteria Salvatoris, haurit ei, et propinat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, ut etiam nuntianti sibi, sive Isaiæ, sive cuilibet ex prophetis, eadem anima respondere videatur verbis Elizabeth, quia eodem potata spiritu quo Elizabeth: Et unde mihi hoc, ut veniat Dominus meus ad me? (*Luc.* I, 34, 43.) Ecce enim, ut facta est vox annuntiationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio spiritus in corde meo, gestiens occurrere Deo Salvatori suo.

2. Et revera, fratres, exsultatione spiritus Christo venienti occurrendum est. Et jam nunc a longe salutandus, vel certe resalutandus, qui mandat salutes Jácob. *Amicum salutare non confundar* (*Eccli.* XXII, 31), inquit Sapiens; quanto magis resalutare? O salutare vultus mei, et Deus meus! quanta dignatio fuit quod servos salutasti? sed quanto major, quod salvasti? Nec enim integra nobis salus esset, si salutes mandares, et non dares. Dedisti autem, non modo, quos salutaveras verbis pacificis, postmodum salutando in osculo pacis, videlicet per unionem carnis; sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exsurgat **912** igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque obviam Salvatori suo, et jam a longe venientem adoret et salutet, acclamans ei et dicens: *O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare! Benedictus qui venturus es in nomine Domini* (*Psal.* CXVII, 25, 26). Salve, qui venis salvare nos; benedictus, qui venis benedicere nos. Igitur, o Domine, bene prosperare, qui tam prosper et salutaris advenis generi humano. Intende, prospere procede et regna. Prosperum iter faciet tibi Pater, Deus salutarium nostrorum. *Prosperabitur*, inquit Pater, *in his ad quæ misi illum* (*Isa.* LV, 11): non pro votis carnalium, non pro voluntate Petri, qui abhorrebat illum pati. *Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur* (*Psal.* I, 3): non ad præproperam hominum voluntatem, sed ad veram eorum salutem. *Vana* quidem *salus hominis* (*Psal.* CVII, 13): sed *Domini est salus* (*Psal.* III, 9), qui operatus est salutem de sanguine suo, fundens illum in pretium, et propinans in potum. Veni ergo, o Domine, *salvum me fac, et salvus ero* (*Jerem.* XVII, 14). Veni et *ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX. 4, 8, 20). *Te enim exspectavimus: esto brachium nostrum, salus nostra in tempore tribulationis* (*Isai.* XXXIII, 2). Sic Prophetæ et justi desiderio et affectu tanto ante Christo venturo occurrebant, desiderantes, si fieri posset, oculis videre quod spiritu prævidebant. Unde Dominus discipulis dicebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ, et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Luc.* X, 23, 24). Abraham quoque pater noster exsultavit, ut videret diem Christi: vidit, sed apud inferos, et gavisus est. In quo utique tepor et duritia cordis nostri suggillatur, si non videt eum gaudio spirituali.

3. Christi nascentis diem anniversarium exspectamus; qui nobis in proximo videndus, Domino annuente, promittitur. Hoc sane gaudium nostrum tale videtur exigere Scriptura, ut spiritus noster levans se super se, Christo venienti quodammodo occurrere gestiat: et desiderio se extendens in anteriora, impatiensque morarum, jam videre contendat futura. Ego namque non solum ad secundum adventum, sed etiam ad primum arbitror pertinere, quod tot locis Scripturarum ei monemur occurrere. Quomodo, inquis? Quia videlicet sicut secundo adventui occurremus motu et exsultatione corporis: sic et primo occurrendum est affectu et exsultatione cordis. Scitis enim quia resumptis in resurrectione corporibus novis, secundum doctrinam Apostoli, *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV, 16). Sic nec modo desunt nubes, quæ spiritus nostros, si nimis non fuerint pigri terræque affixi, sublevabunt ad altiora; et sic cum Domino erimus, vel hora dimidia. Agnoscit, ni fallor, experientia vestra quod loquor, cum aliquando vocem dederunt nubes, id est, sonuerunt in Ecclesia prophetarum, vel apostolorum voces, ad quam sublimia sensus vestri, quasi vehiculo nubis, fuerint subvecti; et eo usque nonnunquam excesserint, ut gloriam Domini quantulumcunque mererentur speculari. Tunc, ni fallor, vobis innotuit veritas illius sermonis, quem Dominus de illa nube pluit, quam quotidie ponit ascensum vobis: *Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX, 23). Ita ergo sit, ut ante adventum suum Dominus veniat ad vos, et antequam mundo generaliter adveniat, familiariter invisat vos. *Non vos*, inquit, *relinquam orphanos: vado, et veniam ad vos* (*Joan.* XIV, 18). Et quidem pro merito cujusque, vel studio, creber est ad unumquemque iste Domini adventus, hoc tempore medio inter adventum primum et novissimum, conformans nos adventui primo, et præparans novissimo. Ad hoc nempe venit modo in nos, ne primo adventu frustra venerit ad nos, vel ne in novissimo veniat iratus adversus nos. Hoc siquidem adventu satagit reformare sensum superbiæ nostræ, configuratum sensui humilitatis suæ, quam primo veniens exhibuit; ut perinde reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, quam denuo rediens exhibebit. Prorsus optandus omnibus votis, et expetendus studiis adventus iste familiaris, qui nobis gratiam impertiat adventus primi, et gloriam promittat novissimi. Quia enim misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal.* LXXXIII, 12); per misericordiam prærogans gratiam, per veritatem reddens gloriam.

913 4. Porro sicut dispositione temporis, sic etiam proportione similitudinis melius est adventus iste spiritualis inter adventum utrumque corporalem, et velut quidam mediator, participat cum utroque. Primus siquidem adventus, occultus et humilis; ultimus, manifestus et admirabilis: iste autem occultus quidem, sed mirabilis. Occultum sane dixerim, non quod ignoretur ab eo cui venit, sed quia secretus ei advenit. Unde glorians illa gloriosa anima se-

Digitized by Google

cum dixit : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16). Sed nec ab ipso cui advenit, potest ante videri, quam teneri, juxta illud beati Job de se confitentis : *Si venerit ad me, non videbo eum ; si abierit, non intelligam* (*Job* IX, 11). Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur, qui solummodo, dum præsens est, lumen est animæ et intellectus, quo invisibilis videtur, et incogitabilis intelligitur. Cæterum quam admirabilis sit, licet occultus sit iste adventus Domini, quam suavi et felici stupore in admirationem sui suspendat et expendat animam contemplantis, quomodo omnia ossa interioris hominis sociament ei, *Domine, quis similis tui* (*Psal.* XXXIV, 10) ? norunt quidem experti ; sed utinam satis desiderent experiri non experti : ita duntaxat, ut non temeraria curiositas faciat scrutari majestatem opprimendos a gloria, sed pia charitas suspirare dilectum suscipiendos a gratia. Suscipiens enim mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram (*Psal.* CXLVI, 6), superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). Cum igitur primus adventus sit gratiæ ; novissimus, gloriæ : iste nimirum, gratiæ pariter et gloriæ ; in quo videlicet per congruentem gratiam futuram nobis utcunque datur prælibare gloriam. Cum igitur in primo Deus majestatis visus sit contemptibilis, in novissimo autem videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis et amabilis : ut nec propter dignationem gratiæ, qua se præbet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi ; nec propter magnificentiam gloriæ, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat Videns : *Vidimus eum, et non erat ei species, neque decor : unde nec reputavimus eum* (*Isa.* LIII, 2, 3). De ultimo expavescit etiam justus, dicens : *Et quis stabit ad videndum eum ?* (*Malach.* III, 2.) De isto autem dicit Apostolus : *Gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III, 18). Mirabile prorsus, et amabile, cum Deus amor amantis sensibus illabitur : cum sponsam Sponsus in unitate Spiritus amplectitur, et in eamdem cum illa imaginem transformatur ; per quam, velut per speculum, Domini gloriam speculatur. Quam beati, quorum ardens charitas hanc prærogativam jam meruit obtinere ! sed et illi beati, quorum sancta simplicitas idem quandoque potest sperare ! Et illi quidem jam de fructu amoris, sui capiunt solatium laboris : isti autem tanto fortasse majore merito, quanto interim minore solatio, portantes pondus diei et æstus, exspectant adventum remunerationis. Nos igitur, fratres, quos nondum consolatur tam sublimis experientia, ut patientes simus usque ad adventum Domini, consoletur interim certa fides et pura conscientia, quæ tam feliciter quam fideliter cum Paulo dicat : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem* (*II Tim.* I, 12) : in adventum scilicet gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quod homo debeat semper esse paratus Domino advenienti.

1. *Paratus est Israel in occursum Domini, quoniam venit* (*Amos* IV, 12). Et vos, fratres, estote parati ; quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet (*Luc.* XII, 40). Nihil certius quam quod veniat, sed nihil incertius quam quando veniat. Usque adeo siquidem non est nostrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (*Act.* I, 7), ut nec angelis qui assistunt ei, de die illa vel hora scire datum sit. Dies quoque noster ultimus, certissimus nobis quod veniat : incertissimus est quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat ; nisi quod, ut ante nos dictum est, senibus est in januis, qui juvenibus est in insidiis. Et utinam vel illi se observarent, qui mortem tam paratam intrare, imo 914 jam intrantem vident. An non ex parte jam intravit, quæ aliquas partes corporis jam permortuas occupavit ? In pluribus tamen semimortuis videre est adhuc viventem concupiscentiam mundi : frigescunt membra, et fervet avaritia : vita finitur, et ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quoque quibus fortassis ætas, aut salus aliquid longius promittere videtur, quanto minus mors in conspectu est, tanto magis utique, si sapimus, suspecta est : ne videlicet dies illa, sicut fur in nocte, incautos et imparatos nos comprehendat ; quæ in insidiis posita, quominus videri aut caveri potest, eo magis timenda est. Una igitur securitas est, nunquam esse securum : quatenus timor se observans reddat semper paratum ; donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Observabo me*, inquit sapiens, *ab iniquitate mea* (*Psal.* XVII, 24), quandoquidem non possum a morte mea ; sciens quia *justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*Sap.* V, 7) : imo in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita. Quam pulchrum, fratres, quam beatum, in morte non modo securum, sed et gloriosum triumphare ; ex auctoritate conscientiæ, spiritu et voce Martini cruentam bestiam, si astare præsumpserit, increpare ; Judici venienti et pulsanti gratanter aperire ! Tum vero videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere : oleum conscientiæ lamentis pœnitentiæ velle emere, nec tempus sufficere : larvales illas facies declinare velle, nec posse : a facie iræ tonantis velle in corpore delitescere, et cogi exire ! Exibit spiritus ejus, et revertetur peccator in terram suam, unde sumptus est. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Scio quidem, quia conditionis humanæ est, sub discrimine exitus conturbari, cum etiam perfecti nolunt exspoliari, sed supervestiri : et qui nihil sibi sunt conscii, quia tamen non in hoc sunt justificati, necesse habent judicium, quod ignorant, vereri. Sed, sive conditionis affectu, sive sanctitatis defectu, sive judicii metu conturbata fuerit anima mea, inquit justus : *Tu, Domine, misericordiæ memor eris, mittesque misericordiam tuam et veritatem tuam, et eripies animam meam de medio catulorum leonum* (*Psal.*

Digitized by Google

LVI, 4, 5): et qui prius conturbatus eram, postmodum in pace *in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV. 9). Vocavit Deus terram, et audivit eum in tremore. Cum enim auditum fecit de cœlo judicium, auditu solo terra tremuit, et terrore purgata quievit. Beati qui nunc eatenus excoquunt in se omnem scoriam peccati, ut tunc solo sufficiat timore purgari. Mecum siquidem servo inutili et negligenti bene agitur, si vel per ignem salvus fiam; si, crematis lignis, feno, stipula, quæ mihi coarcervavi, vel semiustus evadam. Et quidem comparatione mali, bonum vel per ignem salvari; sed indubitanter longe melius, sola purgatione metus consummari: optimum autem et felicissimum, nec metu turbari.

2. Idcirco paratus esto, o verus Israel, in occursum Domini: non solum, ut cum venerit et pulsaverit, aperias ei; sed etiam adhuc illo longe agente, alacer et gratulabundus occurras ei; et tanquam fiduciam habens in die judicii, regnum ejus advenire pleno preceris affectu. Si ergo vis tunc paratus inveniri: *Ante judicium para justitiam tibi* (*Eccli.* XVIII, 19), juxta consilium Sapientis; paratus sis ad omne opus bonum faciendum; paratus sis nihilominus ad omne malum patiendum: ut sine reprehensione cordis cantet os tuum, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Paratum quidem, ut te cooperante faciam digna; paratum, ut patiar indigna. Et ideo paratum ad utrumque, quod *cantabo et psallam in gloria mea:* id est, laudabo et gloriabor pro utroque. Et statim in hoc ipsum se justus excitat, *Exsurge*, inquiens, *psalterium et cithara* (*Psal.* LVI, 8, 9); id est, cor meum et caro mea, ad exsultandum in Deum vivum: cor scilicet, propter speciales actiones; caro, propter suas passiones. Cor namque sapiens quæ sursum sunt, psalterium est sonans de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt, cithara sonans ab inferiori. Sic et alibi devotionem suam David offerens Deo, *Paratus sum*, inquit, *ut custodiam mandata tua:* et tam paratus, quod *non sum turbatus* (*Psal.* CXVIII, 6), cum tentatio irrueret, et persecutio grassaretur. Cum persequeretur æmulus, malediceret servus, animam quæreret filius (*II Reg.* XV-XVIII); non sum tamen 915 turbatus, quominus custodirem mandata perfectionis evangelicæ: retribuentibus mala pro bonis, retribuens bona pro malis; sollicitus de persecutorum salute, mœstus de morte; sustinens a servo exprobrari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante Evangelium evangelica perfectio, charitas scilicet patiens et benigna, etiam erga malignos, quos tolerat. Quia igitur tam paratus erat, fiducialiter Domino nimirum occurrebat: *Sine iniquitate*, inquit, *cucurri, et direxi* distortos, quantum in me fuit. *Tu exsurge* igitur *in occursum meum*, occurrentis tibi: et quia nec sic pertingere possum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens operi manuum tuarum porrigas dexteram: *Exsurge in occursum meum* (*Psal.* LVIII, 5, 6), *et vide si via iniquitatis in me est:* et si inveneris nescio quam viam iniquitatis, amove a me: et de lege tua misertus mei, *deduc me in via æterna* (*Psal.* CXXXVIII, 24), id est, Christo, qui via est per quam itur, et æternitas ad quam pervenitur; via immaculata, mansio beata.

3. Puto tamen quia et ante mansionem illam beatam, si paraveris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sæpius in via ponere gressus suos, dilatabitque subtus te gressus tuos, ut dilatato corde curras viam mandatorum, cujus angustum forte causabaris initium. *Sapientia* namque, ut ipsa perhibet, *in viis justitiæ ambulat* (*Prov.* VIII, 20): et: *Qui continens est justitiæ apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata. Dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis ostendit se illis* (*Eccli.* XV, 1, 2, *et Sap.* VI, 17). Si minus aut nunquam tibi eam occurrere conquereris, vide ne forte viam tuam corruperis. Sic enim scriptum habes: *Insipientia viri corrumpit viam suam; Deus autem causabitur in corde suo.* Ipse siquidem stat ad ostium et pulsat: ut si quis aperuerit ei, cœnet cum eo cœlestis mensæ delicias. Loquitur sponsa: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea sponsa* (*Cantic.* V, 2). Aperi mihi cor tuum, et cibabo illud. Aperi mihi os tuum, et implebo illud. *Os meum*, inquit David, *aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131). Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, non modo invitandus, sed et attrahendus quadam violentia precis, vehementiaque fervoris in hospitium cordis: sicut de duobus discipulis in typum hujus rei historia refert Evangelii (*Luc.* XXIV, 28, 29). Et ipse siquidem non ob aliud, nisi ut probet devotionem charitatis tuæ, aliquando se fingit longius ire: sicut et duo angeli, Loth adorante et obsecrante ut intrarent, dissimulabant tamen dicentes, *Minime, sed manebimus in platea.* Sed quid dicit Scriptura? *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum* (*Gen.* XIX, 2, 3). Pia violentia, qua regnum cœleste rapitur: laudabilis importunitas, quæ Christum hospitem, aut angelos promeretur. Sed quid est, inquis, quod Jesus fingit se longius ire? Quid, nisi illud quod Ecclesiastes confitetur de se? *Dixi, sapiens efficiar; et ipsa longius recessit a me* (*Eccle.* VII, 24). Hoc autem sponsa manifestius exponit, nostram utique quotidianam exprimens querimoniam, ubi ait: *Surrexi aperire dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Quæsivi illum, et non inveni* (*Cantic.* V, 5, 6): vocavi, et non respondit mihi, sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum sapientiæ invocabas, spiritum gratiæ quærebas in oratione: si tibi videtur longius recedere, ne desperes, sed importunus insiste; donec respondeatur tibi, *Magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti* (*Matth.* XV, 28).

4. Cum tamen invitas Jesum, vide ne Deum majestatis ad sordidum et indignum invites hospitium; ubi nec te ipsum patiatur habitare quietum uxor litigiosa, seu fumus, aut stillicidium. Non enim nisi in pace fit locus ejus: nec aliud quam justitia et judicium præparatio sedis ejus. Nunc autem *me*, inquit, *de die in diem quærunt, et scire vias meas*

Digitized by Google

volunt, *quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium* A *Dei sui non dereliquerit* (*Isa.* LVIII, 2). *Justitia*, inquit, *et judicium præparatio sedis ejus* (*Psal.* LXXXVIII, 15). Noli causari quasi sumptuosum [*fort.* præsumptuosum] sit, viresque tuæ excedat paupertatis, tam magnifico, tamque potenti præparare domum hospiti: habes ad manum unde id possis. Humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ, vel magis angustiam mentis tuæ. Confitere perfecte de præterito: bonam voluntatem habe de cætero; pax enim hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14), et hoc judicio et justitia sedem Altissimo præparasti. Vis manifestius audire de confessione, quod eam oporteat fieri in præparatione adventus Domini? *Justus*, ait Scriptura, **916** *in initio sermonis accusator est sui.* Et quid sequitur? *Venit amicus ejus* B (*Prov.* XVIII, 17), qui modo ante confessionem inimicus assistebat longius. Cum enim dixit, *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI, 5); et ipse remisit: *Venit*, inquam, *et investigabit eum.* Prorsus investigabit, tanquam potio valida, scrutans corda et renes; pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, exhauriens noxia de medullis animæ, mentisque visceribus, purgans affectus ut fructum plus afferat: de cujus primitivo fructu confessionis jam gaudet pater agricola. Ipse tamen qui post confessionem nonnunquam et antequam invocetur, adest, nonnunquam exspectat ut tu prior eum invites: et ut meritum tibi augeat, sæpe diutius dissimulat; ut tu attentius psallendo, C instantius orando, dulciter violentus intrare compellas: alioquin planget propheta quod civitates austri clausæ sint, nullo introeunte (*Jerem.* XIII, 19). Cum ergo dicere potueris, *Paratum cor meum, Deus*, quia vacuatum a malis; *paratum cor meum*, quia sanctis plenum desideriis: tunc sedulus fac quod sequitur, *Cantabo et psalmum dicam* (*Psal.* LXVI, 8). Et quicunque sit sonus cantantis vel psallentis, hæc sit intentio mentis: Exsurge, gloria mea, exsurge in occursum mei; quia, quantum potui, occurri tibi. O benigne Jesu, quam alacer et promptus, quam lætus et festivus occurris hujusmodi devotioni! quam hilarem te ostendis in viis istis! *Occurristi*, inquit Isaias, *lætanti et faciendi justitiam: in viis tuis recordabuntur tui* (*Isa.* D LXIV, 5). Si enim psallas sapienter, in via immaculata veniet; veniet qui et illuminabit abscondita tua, ut quæ nescis intelligas mysteria Scripturarum, eritque ut dicas: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando veniet ad me* (*Psal.* C, 1, 2). *Excita, Domine, potentiam tuam*, quæ excitet pigritiam nostram in occursum tui: *et veni, ut salvos nos facias* (*Psal.* LXXIX, 3), Salvator mundi; qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De vita solitaria, et de via Domino paranda.

1. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini* (*Isa.* XL, 3). Primo omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi; quæ ab initio gratiæ, quieti sanctorum meruit consecrari. Consecravit nobis plane habitationem deserti vox clamantis in deserto, Joannes prædicans et tribuens baptismum pœnitentiæ in deserto; quanquam et ante ipsum quibusque sanctissimis prophetarum, velut auditorium Spiritus, amica semper fuerit solitudo. Longe tamen excellentior atque divinio ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cum Jesus Joanni successit: qui etiam, antequam prædicare pœnitentibus inciperet, locum pœnitentibus præparandum putavit; atque per dies quadraginta, dum versatur in deserto, velut purificans locum, novumque novæ vitæ dedicans locum, tyrannum qui incubabat, omnemque malitiam et subtilitatem ejus, non tam sibi, quam illis qui accolæ eremi futuri erant, superavit. Si ergo elongasti fugiens et manens in solitudine, ibi permane, ibi exspecta eum qui te salvum faciet a pusillanimitate spiritus, et tempestate. Quantalibet ingruat tibi tempestas bellorum, quantacunque patiaris in deserto, penuriam etiam victualium, noli pusillanimitate spiritus redire mente in Ægyptum. Felicius te pascet eremus manna, id est pane angelorum, quam Ægyptus ollis carnium. Ipse Jesus quidem in eremo jejunavit; sed multitudinem sequentium se in deserto, sæpe et mirabiliter pavit. Sæpius autem et mirabilius te satiabit, qui tanto gratiore merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in deserto. Cum enim diutius eum tui oblitum putaveris, ipse suæ non immemor bonitatis, consolabitur te, et dicet tibi: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto* (*Jerem.* II, 2). Tunc plane ponet desertum tuum quasi delicias paradisi: et ipse confiteberis quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron* (*Isa.* XXXV, 2). Sicut enim in multis hodie locis, etiam juxta litteram illud propheticum videmus impleri, *Pinguescent speciosa deserti* (*Psal.* LXIV, 13); et, *Deserta in ubertatem versa advenæ comedent* (*Isa.* V, 17): sic quilibet Scripturæ locus, qui ante **917** tibi sterilis videbatur et aridus, repente ad benedictionem Dei mira replebitur ubertate, ac pinguedine spiritus; ut de saturitate mentis eructes hymnum laudis, *Confiteantur*, inquiens, *Domino, misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum: quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis* (*Psal.* CVI, 8, 9.

2. Illud sane mirabili gratia provisum est divinæ dispensationis, ut in his desertis nostris quietem habeamus solitudinis, nec tamen consolatione careamus gratiæ et sanctæ societatis. Licet cuique sedere solitarium, et tacere, eo quod neminem patiatur interpellantem: nec tamen væ soli, eo quod non habeat confoventem: aut, si ceciderit, sublevantem (*Eccle.* IV, 10). In frequentia hominum sumus, et sine turba sumus; velut in urbe versamur, nullum tamen tumultum patimur, quominus vox clamantis in deserto a nobis audiatur: si modo in-

Digitized by Google

terius, sicut exterius silentium habeamus. *Verba* namque *sapientium*, ait Salomon, *audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos* (*Eccle.* IX, 17). Et nunc quoque si medium silentium teneant omnia interiora tua, omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Felix igitur, qui sic elongavit fugiens tumultum mundi: qui tam procul recessit in secretum et solitudinem quietæ mentis, ut non modo vocem Verbi, sed et Verbum ipsum; non Joannem, sed Jesum mereatur audire! Interim tamen quid vox Verbi nobis clamet audiamus, ut quandoque de voce ad Verbum proficiamus. *Parate*, inquit, *viam Domino: rectas facite semitas ejus* (*Isa.* XL, 3). Parat viam, qui corrigit vitam: rectam facit semitam, qui per arctiorem se dirigit viam. Plane vita correcta, via est recta, per quam Dominus veniat ad nos, qui in hoc ipsum prævenit nos. A Domino siquidem gressus hominis dirigentur, et viam sic ejus volet, ut gratanter per eam veniens ad hominem, cum eo jugiter ambulet. Nisi erim suum ad nos adventum ipse præveniat, qui est via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6); non potest via nostra corrigi secundum regulam veritatis, ac per hoc nec dirigi ad vitam æternitatis. In quo vero corrigit adolescentior viam suam, nisi in custodiendo sermones ejus, nisi in sequendo vestigia ejus, qui viam fecit se ipsum, qua veniamus ad ipsum? Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas, o Domine, vias tuas (*Psal.* CXVIII, 5); ut propter verba labiorum tuorum custodiam etiam vias duras: quæ etsi duræ videantur carni, quia infirma est, suaves et pulchræ videbuntur spiritui, si promptus est! *Viæ*, inquit, *ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ* (*Prov.* III, 17). Non solum pacatæ, sed et pacificæ sunt viæ sapientiæ: quia, *cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem* (*Id.* XVI, 7). *Israel, si in viis meis*, inquit, *ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam* (*Psal.* LXXX, 14, 15). Quare enim contritio et infelicitas in viis eorum, nisi quia viam pacis non cognoverunt (*Psal.* XIII, 3)? Eapropter, si quando vidi hominem inquietum, contumacem, litigiosum, gravissima tentatione vexari, vel tribulatione flagellari, recordabar illius proverbii: *Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum* (*Prov.* XVII, 11), cui traditur forsitan in afflictionem carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Si tamen aliquando prosperatur via impiorum, noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias (*Psal.* XXXVI, 7): quia hæc via eorum scandalum ipsis; ut tanto liberius in mortem currant, quanto minus sepitur eis via qua ambulant. De istis Sapiens loquitur: *Via peccantium complanata lapidibus: sed in fine illorum, inferi, tenebræ et pœnæ* (*Eccli.* XXI, 11): et, *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto descendunt ad inferos* (*Job* XXI, 13). Beati igitur immaculati in via, qui ambulant in via Domini! quia, etsi de torrente in via bibunt, propterea exaltabunt caput; quia caput suum, quod sequuntur per viam passionis, consequentur in fine mansionis.

3. Quidquid igitur occurrerit vobis in via Domini, læto ac dilatato corde currite viam mandatorum Dei: quia etsi pusillanimis arcta videtur via, tamen recta; et si dura videtur, immaculata est. Plane beati immaculati in via! qui sic immaculato calle transeunt viam mundi, ut non inquinent vestimenta sua: aut certe, si inquinaverint, secundum beatitudinis non amittunt locum; sed lavant vestimenta sua baptismo pœnitentiæ, quo Joannes baptizat **918** in eremo, viam parans Domino. Via utique immaculata, castitas; via grata, per quam Dominus gratiæ dignanter veniat: cui propheta cantat, *Deus meus, impolluta via ejus.* Impolluta castitas Virginis, qua venit in uterum illius: impolluta necesse est sit castitas hominis, qua veniat in animam illius. Felix conscientia, cui convenit vox illa: *Deus præcinxit me virtute* continentiæ, *et posuit immaculatam viam meam* (*Psal.* XVII, 31, 33)! Verumtamen, ne de castitate sine virtutibus aliis glorieris, quasi jam viam immaculatam Domino paraveris: scito quia nihilominus necesse est ut via hæc etiam recta sit, plana sit, ut etiam tenebrosa vel lubrica non sit. Nam via impiorum tenebræ et lubricum; et angelus Domini persequens eos (*Psal.* XXXIV, 6). Et via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant (*Prov.* IV, 19). Putamusne, fratres, in aliquo nostrum inveniatur adhuc pravum aliquid in voluntatibus, asperum in moribus, tenebrosum per ignorantiam sensus, lubricum per inconstantiam actus? Quomodo autem scripturam de via paranda implebimus, nisi, sicut scriptum est, faciamus: *Ut sint prava, in directa; et aspera, in vias planas* (*Isa.* XL, 4, *et Luc.* III, 5)?

4. Primo itaque necesse est ut, si qua est in nobis prava et distorta voluntas, corrigatur, et ad regulam divinæ voluntatis dirigatur. Aliter videbimur dicere, sicut impii dicunt: *Non est recta via Domini.* Sed statim refellit nos irrefragabilis veritas, et increpat terribilis severitas: *Nunquid non viæ meæ rectæ sunt, et non magis viæ vestræ pravæ sunt* (*Ezech.* XVIII, 29)? Qui igitur viam Domino parare festinas primo omnium bona sit voluntas; quoniam in malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I, 4). Cum autem hoc modo posueris prava in directa, scito quia non minus necesse est ut aspera sint in vias planas: ut scilicet omnem morum complanes asperitatem, et in quamdam vitæ socialis sternas æqualitatem, ne mitis et suavis ille viator offensus asperitate viæ resiliat. Quidni resiliret ille mitis et humilis corde, qui non nisi super mansuetum requiescit et humilem; cum etiam humanus omnis sensus refugiat et horreat hominem iracundum, et intractabilem? Sed, et si eatenus profecisti in via Domini, ut et propositum rectitudinis, et disciplinam mansuetudinis assecutus sis; profecisti quidem, sed non perfecisti, nisi lucerna

Digitized by Google

sit pedibus tuis verbum Dei, et lumen semitis tuis. *In via enim qua ambulabam*, ait, *absconderunt laqueum mihi* (*Psal.* CXLI, 4). Et sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, novissimum autem earum ducit in profundum inferni. *Via* enim *impiorum tenebrosa*, ut Salomon ait : *nesciunt ubi corruant* (*Prov.* IV, 19). Hoc et Dominus ait : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* (*Joan.* XII, 35). At vero *mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ* (*Prov.* VI, 23). Qui enim increpationes reliquit, errat. Si igitur sapis, in via qua numquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, sed aurem magistris inclinabis, et increpationibus eorum acquiesces, et consiliis ; et operam scientiæ et lectioni dabis, ne sero pœnitens dicas : *Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum ; nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ, et synagogæ* (*Prov.* V, 12-14). Quod enim scientia legis liberet a laqueis, audi confitentem David : *Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed de mandatis tuis non erravi.* Quomodo id potuisti? Quia *hæreditate acquisivi testimonia tua. Et in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me :* sed per hoc evasi, quia *testimonia tua intellexi* (*Psal.* CXVIII, 110, 111, 94, 95). *Lex Dei*, inquit, *in corde justi, et* per hoc *non supplantabuntur gressus ejus* (*Psal.* XXXVI, 31). Hinc et filius ejus Salomon ait : *Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia* (*Prov.* XI, 9).

5. Sed utinam hæc via, qua salutem vel Salvatorem suscipere debemus, sicut jam non est tenebrosa per ignorantiam veri, sic nec lubrica sit per inconstantiam operis. Sed, sicut Balaam cadens apertos habebat oculos (*Num.* XXII, 27, 31), sic et nos : et videmus apertis oculis per scientiam, et cadimus per negligentiam. Volentes et scientes peccamus, et libentes lubricamus : nec tam lubricum viæ causari possumus, quam propositum mentis, id est, pedem cui innitimur. Quis enim non ambulat in lubrico, dum in mundo, dum in corpore vivit luteo? Non igitur tam via quam **919** pes in culpa est, qui in via Dei minus firmus est. Sed nunquid, qui cadit, non adjiciet ut resurgat? Septies cadit justus in die, et septies resurgit (*Prov.* XXIV, 16). Dominus enim erigit elisos, Dominus dirigit justos (*Psal.* CXLV, 8). Nam, *si dicebam : Motus est pes meus ; misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII, 18). Quando igitur aliter non potes cadens, surgens viam ambula, clamans tamen semper ei, quem sequi et consequi desideras, *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI, 5) : et, *si via iniquitatis in me est* (ut est humana fragilitas), *deduc me in via æterna* (*Psal.* CXXXVIII, 24); quatenus per te, qui es *via et veritas*, perveniam ad te, qui es veritas, et *vita æterna* : tibi gloria per æterna sæcula. Amen.

SERMO V.

Quomodo proficiendum in paranda via Domino.

1. *Parate viam Domino* (*Isa.* XL, 3). Via Domini, fratres, quam parare jubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licet multum profeceritis in ea, semper tamen vobis restat paranda : ut de his in quæ pervenistis, tendatis et extendatis vos in ulteriora ; quatenus per singulos profectus Dominus, cujus adventui via paratur, quasi novus, ac seipso semper major occurrat. Ideo bene justus orat : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper* (*Psal.* CXVIII, 33). Ideo forsitan vita æterna dicta est ; quia licet providentia semitam cujusque investigaverit, terminumque constituerit quousque proficiat ; terminum tamen non habet illius, in quam proficitis, bonitatis natura. Itaque sapiens impigerque viator cum consummatus fuerit, tunc incipiet ; ita scilicet obliviscens quæ retro sunt, ut quotidie dicat sibi, *Nunc cœpi* (*Psal.* LXXVI, 11). Exsultat ut gigas, quem nil terreat ad currendam viam mandatorum Dei : Idithumque factus, pigros qui in via resident, facile transilit in impetu cursus sui. Et licet novissima diei hora venerit, consummatus in brevi explet tempora multa ; ut repente de novissimo primus, inter primos coronam accipiat.

2. Sed nos qui de profectu viæ ejus loquimur, utinam vel initium ejus apprehenderimus! Meo namque sensu atque judicio non parum in ea proficit qui cœpit ; si tamen vere cœpit, si viam civitatis habitaculi invenit. *Quam pauci sunt*, ait Veritas, *qui inveniunt eam!* (*Matth.* VII, 14.) Quam multi sunt qui in solitudine errant! prorsus omnes solitarii, id est omnes superbi, qui se solos reputant. Nullus eorum adhuc dicere potest : *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Non enim est illis commutatio, ut desinant esse quod erant, quia non timuerunt Deum (*Psal.* LIV, 20), cum initium sapientiæ sit timor Domini (*Psal.* CX, 10). Si initium sapientiæ, nimirum et viæ bonæ. Ipse nempe timor Domini, ipse est qui statim illud sapiens consilium generat in corde viri, ut dicere possit : *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua* (*Psal.* CXVIII, 59). Ipse confessionem persuadet, quam Psalmista initium boni operis esse docet : *Incipite*, inquit, *Domino in confessione* (*Psal.* CXLVI, 7). Ipse ad pœnitentiam superbum inclinat, ut vocem clamantis in deserto viamque parari jubentis, et unde incipiendum sit ostendentis, audiat : *Pœnitentiam agite ; appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Huic sententiæ consonat Salomonis, qui manifesta definitione rudes instruit, dicens : *Initium viæ bonæ, facere justa* (*Prov.* XVI, 5). Quid est enim justa facere, nisi pœnitentiam agere? nisi de nobisipsis quod Deo debemus exigere, et quod rapuimus exsolvere? Hæc est justitia quæ ante Dominum ambulat, viamque ei placitam parat, sicut scriptum est : *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos* (*Psal.*

Digitized by Google

LXXXIV, 14). Sicut enim Joannes Jesum, sic pœnitentia gratiam præcedit; illam scilicet gratiam, qua post satisfactionem reconciliati, suscipimur in osculo pacis. In hac siquidem pœnitentiæ via, grato atque hilari occursu obviant sibi, seseque osculantur justitia et pax; justitia scilicet hominis se punientis, et pax Dei ignoscentis : lætumque ac jucundum celebrant in osculo sancto fœdus reconciliationis. Denique ne parvi æstimetur meriti hæc justitia hominis de semetipso facientis judicium et justitiam, neve oratiunculæ, et vota pigrorum se laboribus pœnitentium comparare præsumant; quid de ipsa Salomon sentiat, audiant : *Initium*, inquit, *viæ* **920** *bonæ, facere justa : accepta autem Deo magis, quam immolare hostias* (*Prov.* XVI, 5). Si ergo videris hominem huic pœnitentiæ professum, regularibus ac sanctis laboribus, quorum debitor est, singulares oratiunculas præferentem; ingere ei hanc Sapientis sententiam : *Initium viæ bonæ, facere justa : accepta autem magis Deo quam immolare hostias.* Similiter, si videris hominem, adversus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum, seu sacramentorum, ad altare offerentem; repete ei nihilominus eumdem sermonem : *Initium viæ bonæ, facere justa*, ut fratri reconcilieris : *accepta autem Deo magis quam immolare hostias.* Nam et illo etiam spectat hæc sententia, ut daturus eleemosynam, prius, si quem defraudavit, vel simplum restituat. Sic et tu quoque voluntaria oris tui beneplacita nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quæ in psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris; si propterea canonem psalmorum ex Regula constitutum negligentius exsolveris. Nonne, si recte offeras, et non recte dividas peccasti? (*Gen.* III, *sec.* LXX.) *Rectas*, inquit, *facite semitas ejus* (*Matth.* III, 3, *et Isa.* XL, 3), vos qui paratis viam Domini.

3. O Domine, tu parasti directiones nobis, si modo nos recte ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis, viam justificationum tuarum, per illum scilicet, quem hujus sanctæ institutionis Legislatorem dedisti : *Hæc via*, inquiens, *ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram* (*Isai.* XXX, 21). Hæc via plane, sicut propheta promiserat : *Via directa nobis, ita ut stulti non errent per eam* (*Isa.* XXXV, 8). Junior fui, etenim senui; et non vidi, si bene memini, stultum errantem per viam : cum vix aliquem sapientem viderim, qui rectitudinem ejus tenere potuerit. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Isa.* V, 21)! quos sapientia vestra devios abducit a via salutis, nec sinit stultitiam sequi Salvatoris. Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid hæc sapientia terrena, animalis, diabolica mali faciat, qui dicebat : *Si quis sapiens esse videtur in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens apud Deum* (*I Cor.* III, 18). Optabilis stultitia, quæ divino judicio reputatur sapientia, quæ hominem non sinit errare de via. Hæc stultitia, nisi fallor, est illa desursum sapientia, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens (*Jacob.* III, 17) : a quibus omnibus quam procul abhorreat sapiens in oculis suis, utinam nunquam experientia ipsa probasset in oculis nostris. Si contristat vos arrogantia, seu pervicacia hujusmodi sapientium, consolatur abundantius nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tanto suadibiliores bonis consentiunt. Tales itaque stulti non errant facile de via Dei, sed juxta verbum prophetæ semper audiunt *vocem post tergum monentis : Hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram* (*Isai.* XXX, 21) : ne scilicet per fervorem excedentes modum, aut per teporem subsistentes citra modum, legem præscriptam, viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est ad sinistram; et hæc sibi colluctantia semper sibi adversantur, ut non quæcunque vult, sive ista, sive ille, faciamus : ne, si plus justo sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexteram; aut, si plus justo carni indulgemus, deviemus ad sinistram.

4. Hanc denique viam justificationum Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude prædicet Isaias, delectat me cum charitate vestra recordari. *Et erit*, inquit, *ibi*, id est, in antiquis cubilibus draconum, in terra utique deserta et invia, *semita et via*, sicut hodie cernere est : quia in feris et incultis hominibus, qui sine lege vivebant, in ipsis invenitur ordo vitæ, et disciplina. *Et hæc via*, inquit, *sancta vocabitur :* quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta vero virtute ac reverentia sanctitatis præemineat, inde probat propheta, quia *non transibit*, inquit, *pollutus per eam* (*Isa.* XXXV, 8). O mi Isaia, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imo potius huc omnes, huc veniant, hac incedant. Immundis enim præcipue Christus hanc viam stravit, qui venit quærere et salvum facere quod perierat in viis sæculi. Quid igitur? transibit pollutus per viam sanctam? Absit! Veniat quantumlibet pollutus ad eam, non tamen transibit pollutus per eam : quia cum transierit, jam pollutus non **921** erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum; quia diluit omne commissum, tanquam vere baptismus alter pœnitentium. Hic plane, hic baptizat, non Joannes, sed Jesus baptismo pœnitentiæ : hic patet fons domus David in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit : quia via arcta est, et quasi foramen illud angustum est, quo serpens innovandus cum exuviis suæ vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest; sed novum suaque nuditate melius vestitum, transitus angustia trajicit, extricans omnem, quem attulerat, squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur, qui nec aliter in novari possumus, nisi per angustum coarctemur.

5. Sane quod illius antiqui serpentis insidias evadamus, si per hanc arctam viam hujus novi serpentis exemplum sequamur, Isaias promittit, qui

Digitized by Google

de eadem via subdit : *Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi* (*Isa.* xxxv, 9). Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille, qui circuit quærens quem devoret, juxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere : sed persistentes in via lædere non potest; quippe cui via ipsa terror et supplicium est. Fortitudo nempe simplicis, via Domini, et pavor his qui operantur malum (*Prov.* x, 29). Si ergo in via es, hoc solum time, ne devies, ne Dominum offendas, qui te per viam ducit, ut dimittat te vagum in via cordis tui : præter eum ne timeas alienum. Quod si nimis arctam viam causaris, prospice finem, quo te via ducit. Si enim omnis consummationis videris finem, continuo dices : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* cxviii, 96). Si minus videre potes, crede videnti Isaiæ, qui oculus tui corporis est. Ipse utcunque videbat, cum id quod sequitur dicebat : *Et ecce ambulabunt* hac via *qui liberati fuerint, et redempti a Domino : et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super capita eorum Gaudium* quoque *et lætitiam obtinebunt, fugiet dolor et gemitus* (*Isai.* xxxv, 9, 10). Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solum viam dilatat sibi; sed etiam pennas, ut jam non ambulet, sed volet, assumit sibi. Semper ergo, fratres, cogitate finem præmiorum, et cum omni facultate et alacritate curretis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat et perducat ipse, qui est via currentium, et bravium pervenientium, Christus Jesus; cui honor et gloria per omnia sæcula sæculorum.

DE NATIVITATE DOMINI.

SERMO I.

Qualia nos doceat Deus puer.

1. *Puer natus est nobis* (*Isai.* ix, 6). Puer antiquus dierum. Puer forma corporis et ætate : antiquus dierum, incomprehensibili Verbi æternitate. Quanquam et in ipsa sua dierum antiquitate etsi puer non sit, novus tamen semper sit; imo non tam novus sit, quam ipsa novitas in se semper manens et innovans omnia, a quo quæque res prout recedit, inveteratur; prout reaccedit, renovatur. Et novo quodam modo unde antiquus, inde novus : quoniam quidem æternitas ipsius sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est et antiqua novitas, et nova antiquitas ipsius. Alia tamen est novitas hujus temporalis nativitatis, quia puer natus est nobis innovandis, qui ab æterno Deus natus est angelis beatificandis. Illa quidem nativitas amplioris gloriæ, sed ista profusioris misericordiæ. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circumdatus eram, et miseria quam expiare non poteram. Ostende nobis misericordiam tuam (*Psal.* lxxxiv, 8), qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam : appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, ut per hanc digni efficiamur et idonei, quibus appareat majestas et divinitas Creatoris nostri Dei. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, nostra indutam miseria, et novo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiæ beatitudinem Dei, et miseriam hominis in unitate Mediatoris temperavit; ut operante sacramento unitatis, per virtutem resurrectionis beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita deglutiat; et 922 totus homo glorificatus in divinæ consortium naturæ transeat. Usque adeo autem universitas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana subjacet natura, absque culpa videlicet, dignatio suscepit divina; ut nec infantiæ recusaret injurias, nec alia, quam communis habet conditio, sortiri vellet exordia : excepto sane, quod per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emundabat, atque secundæ nativitatis nobis sacramenta dedicabat.

2. Itaque *parvulus natus est nobis* (*Isa.* ix, 6), et Deus majestatis exinaniens semetipsum, non solum terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configuravit ætati. O beata infantia, cujus infirmum et stultum fortius et sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus, et Dei sapientia sua in nostris, divina operatur in humanis! Hujus siquidem infantis infirmitas principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captivat, et captivitatem nostram absolvit et liberat. Hujus infantis muta, ut videtur, et elinguis simplicitas linguas infantium facit disertas; linguis hominum loqui facit et angelorum, linguas dividens igneas : inscius iste, ut videtur, ipse est qui docet hominem scientiam et angelum, tanquam vere Deus scientiarum, Sapientia Dei, et Verbum. O sacra et dulcis infantia, quæ veram humanis innocentiam refudisti, per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam; tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, et pietate morum. Prorsus vos filii Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, et in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis; nisi conversi fueritis, et effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* xviii, 4). *Ego sum ostium* (*Joan.* x, 9) regni, ait parvulus iste : nisi incurvetur alti tudo virorum, non eos admittet humilitatis janua. Ideo nimirum conquassabit capita in terra multorum (*Psal.* cix, 6); et qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? adhuc tu superbis, terra et cinis, postquam Deus factu

Digitized by Google

est humilis ? adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanivit ut pene videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: et tu in immensum inflaris et extolleris, existimans te aliquid esse, cum vere sis nihil ! ipse te seducis (*Galat.* VI, 3), clamat tibi Apostolus; cum, etsi aliquid esses, si magnum aliquid esses, tanto magis humiliari te oporteret. *Quanto*, inquit Sapiens, *magnus est, humilia te in omnibus : et invenies gratiam coram Deo* (*Eccli.* III, 20), qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi.* IV, 6 *et I Petr.* V, 5); qui et ipse, ut tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus omnium et minimus. Parum erat ei, ut fieret minor angelis conditione mortalis naturæ, nisi et hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius et humilis, et glorietur, videat impius et superbus, et confundatur. Videat, inquam, Deum immensum, parvulum factum, et infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, judicium impiorum, ruinam superborum. O venerandum ac tremendum mysterium ! Quam sanctum et terribile est nomen tuum, fons misericordiarum, et abyssus judiciorum ! Quis de hoc fonte bibit, et non amavit? quis hanc abyssum consideravit, et non expavit ? Qui non amavit, nequam et impius est: sicut qui non expavit, vecors et insensatus est. Nihil tamen est cur judicium expavescas, si non adversus misericordiam insolescas. Et ipse, siquidem mallet amari, quam serviliter timeri : magisque probat quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metus servulorum. Ideo et nunc cum primo se manifestavit mortalibus, puerum se maluit exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere : ut, quia salvare veniebat, et non judicare; præferret interim unde provocaret amorem, differret unde incutere posset timorem.

3. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ ejus, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ ejus. Nihil hic terroris, nihil severitatis quam metuas; sed omnimoda benignitas atque mansuetudo, de qua præsumas. Et si potestas et terror apud ipsum est, **923** totum tamen interim dissimulat, donec pœnitenti parcat, confitentem recipiat. Ne sit tibi scrupulo, quod graviter deliquisti : nescit puer Jesus irasci; aut, si irascitur, facile potest placari. Vere nihil placabilius animo hujus pueri, qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque prævenit, priorque legatos de pace mittit : ut qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, et vere perfecteque velis; non modo veniam indulgebit, sed et gratiam cumulabit : quinimo lucrum non mediocre deputans, ovem recuperasse perditam, diem festum aget cum angelis. Congruebat ergo cum divina mansuetudine ætas innocentis ac facilis infantiæ, satisque convenienter et commode salutem peccatorum ab hac exorditus est ætate; ut quos reatus propriæ terrebat conscientiæ, suos consolaretur non difficilis indulgentiæ.

4. O puer dulcissime, Jesu bone, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, et perficies sperantibus in te, qui tantam exhibuisti necdum scientibus te ! Prorsus dulcedo incomparabilis, et pietas ineffabilis; ut Deum qui creavit me, videam puerum creatum propter me : Deusque majestatis et gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, et velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Vere tu puer Deus, salutare vultus mei, et Deus meus, cum totus sis dulcedo, et desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus et affectibus parvulorum, qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus et sapidum, cogitare puerum Deum : quin etiam efficax et operatorium ad medendum, ac dulcorandum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, ubi sensus et memoria fuerit hujus divinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inveniri : sed omnis indignatio, et amaritudo cum omni malitia tolletur a nobis. Ita fiet ut quasi modo geniti infantes, modo genitum infantem Dominum digne laudemus, et in consonantia morum et vocum, ex ore infantium et lactentium perficiatur laus infantis, et lactentis Domini Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto laus et jubilatio, per æterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II

Quale donum, contemnente Synagoga, susceptit Ecclesia.

1. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai.* IX, 6). Inde probatur quod natus est nobis, quia scilicet datus est nobis. Illis enim recte dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidem gratia nativitatis hujus oblata est, sed non ab omnibus suscepta est. Non enim omnium est fides. In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). Inutiliter autem natus esset nisi et datus esset: frustraque factus esset filius hominis, si non recepissent eum filii hominum, quibus daret potestatem filios Dei fieri. Væ igitur, Judæa incredula, ingrata et impia : ablatum est a te regnum Dei, et datum est genti facienti fructus ejus. Ejectus Jesus est de Synagoga, sed susceptus est ab Ecclesia. Ejectus est de contradictionibus Judæorum, constitutus est in caput Gentium. Ecce populus, quem non cognovit, servivit illi, auditu auris obedivit ei; cum de vobis filiis alienis, filiis sceleratis et parricidis, sit pii patris illa querela terribilis : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* I, 2). Sed, qui spernit, nunquid non et ipse spernetur ? *Quia repulistis verbum Dei*, inquiunt apostoli, *et indignos vos judicastis vitæ æternæ*, ecce

Digitized by Google

convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). O felix gentilitas! ecce affertur tibi Jesus : curre obviis manibus, extende manus, expande sinus, devotionem tuam probet tam actus quam effectus; filium qui tibi offertur, suscipe fide, amplexare affectu; semperque inter ubera tua commoretur. Et ecce videor mihi audire vocem exsultationis et confessionis de cunctis partibus orbis; a finibus terræ laudes audio, gloriam justi. Est autem sonus ut multitudinis, ut sonus castrorum Dei, vox una laudantium et dicentium : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX, 6). Ipsa 924 est, ni fallor, Ecclesia lætabunda, et laudans, toto orbe terrarum ; pro eo quod sibi natum, sibi datum amplexatur filium, quem oblatum, sed ablatum merito videt perfidiæ Judæorum. *Lauda, sterilis, quæ non pariebas, decanta laudem et jubila, quæ non parturiebas : quia* per hunc filium qui datus est tibi, *multi erunt filii desertæ, magis quam ejus, quæ* vinculo legis Deo *maritata* (*Isa.* LIV, 1), ei videbatur adhærere. *Tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum* (*Isa.* LX, 5). *Tunc dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos ? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva : et istos quis enutrivit ? Ego destituta et sola, et isti ubi hic erant ?* (*Isa.* XLIX, 21.) O mater incorrupta, virgo fecunda, filius, qui datus est tibi, hos tibi dedit. Est enim Filius Altissimi, cui Pater istos adoptavit, ut sint omnes conformes imaginis ejus, et sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Dilata*, inquit, *itaque locum tentorii tui* ab ortu ad occasum, et a mari ad mare, quia *ad dexteram et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit* (*Isa.* LIV, 2, 3). Iste namque unigenitus Mariæ, primogenitus est omni creaturæ, cui dicitur a Patre : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8).

2. Sicut autem, suscepto Dei Filio, Ecclesia sterilis peperit plurimos, et roborata est : ita ipso ejecto, æmula ejus Synagoga, quæ multos filios habebat, infirmata est. Ideo enim hodie Ecclesia gratulabunda de dato sibi filio gratiarum actione et voce laudis replet cœlos : illa muta sedet in tenebris, aut certe ejulatu fatigat inferos. Misera et cæca, cur non advertit quam manifeste Deus ejus ad nos transierit; quam evidenter ipsa repudiata, solumque retinente libellum repudii, litteram dico legis, quæ adulteria ipsius, coarguit, universam dotem ipsius ad novam Sponsus nuptam transtulerit ? Ecce in manibus nostris tabulæ matrimonii, in duobus Testamentis ; ecce sacramenta unctionum, dignitas regum, ordo sacerdotum, ministeria levitarum, cultus templi et vasorum, sacrificiorum veritas, omnis denique ipsorum gloria, transhita ad ipsis, collata est nobis, quia causa et veritas omnium, *Filius datus est nobis*. Ipse calicem legis, quæ in manu est Mediatoris, ex hoc Judæo in hunc Christianum inclinavit. Et omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfudit : fæx sola, quæ non est exinanita, apud Judæos remansit; ipsam bibunt, ipsa pars calicis eorum.

3. Sed quid verbis moror ? Numquid enim potest enarrari, quæ et quanta sunt data nobis, cum iste Filius datus est nobis ? Nonne omne datum optimum, et omne donum perfectum ab ipso, et cum ipso, pariter ad nos descendit ? nonne universas opes cœli, omnes thesauros Dei, secum nobis advexit ? qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen jam et magna, et quasi donativum pugnaturis erogavit; sed nihil omnia ad ea quæ victoribus reservavit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, nostrorum scilicet varietatem armorum, subsidia Sacramentorum, fercula Scripturarum, gradus et ordines ministrorum ; in omni ætate, sexu, et conditione, nationе et lingua, tot martyrum trophæa, confessorum insignia, virginum coronas ? si miraris, inquit Ecclesia, unde repente mihi pauperculæ hæc multitudo divitiarum, et magnitudo gloriæ : inde nimirum, quia Filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, et Rex gloriæ. Imo magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua, cum etiam ipse sit omnia bona. *Inquirentes*, inquit, *Dominum, non minuentur omni bono* (*Psal.* XXXIII, 11) ; quanto magis suscipientes ? Si enim mirabilia ista nobis per Filium data, ego (ut plus mireris) adjiciam omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim Filium, per quem et in quo omnia subsistunt, Pater nobis donavit, quomodo non omnia nobis cum illo donavit ? (*Rom.* VIII, 32.) Omnia nostra sunt, ait Apostolus, quia noster est auctor omnium et Dominus ; ut, etsi videamur tanquam nihil habentes, inveniamur tamen omnia possidentes. Vides igitur quantum, et quale datum sit Filius ; quamque probabile sit quod de Sapientia, quæ ipse est, legitur : *Venerunt mihi omnia bona cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius* (*Sap.* VII, 11). Quare autem hoc ita inculco, fratres mei ? Quare, nisi ut discatis 925 gloriari, quia *filius datus est nobis ;* et quidquid mundus potest dare, aut promittere vobis, non modo vile et indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis ? Non quomodo mundus dat, dat ille vobis : tantum grati estote, quia datus est vobis, et satagite ut amplius et perfectius detur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, et certis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu Sacramenti sui, sæpius et in certis horis datur devotis, in gustu spiritus sui. Primum, ad redemptionem ; secundum, ad sanctificationem ; tertium etiam ad consolationem. Primum exigit ut fides sit recta ; secundum, ut conscientia pura ; tertium, ut devotio prompta. Hæc mentem elevat, ut gratiæ occurrat ; cor aperit, ut excipiat ; affectum dilatat, ut plurimum ipsius capiat. Non solum autem istam, sed et omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ, Filius, qui datus est vobis, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO III.

De admirabili Dei cum homine commercio.

1. *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX, 6). Nobis prorsus; non enim sibi, non angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, et perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto perfectus Deus natus erat. Angelis natus non est; quia nec angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat; nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat. Ideo nusquam angelos apprehendit, sed semen apprehendit Abrahæ (*Hebr.* II, 16); et qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis : se quodammodo relinquens, et angelos transiliens, ut ad nos usque deveniens unus fieret e nobis; et exinanitus a semetipso, minoratur ab angelis, ut æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi et angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio; quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ nativitatis præjudicio. Quam felix, quam amabilis nativitas tua, puer Jesu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci! Quotquot autem receperunt eum, dedisti eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). Gratias agimus gratuitæ atque gratiosæ nativitati tuæ, Deus fili hominis, per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei (*Rom.* V, 2). Prorsus admirabile commercium, ut sumens carnem, largiaris deitatem! commercium, inquam, charitate, non cupiditate contractum; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omnino lucrosum. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit: licet pariter misericordia et veritas in te obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV, 11). Vere, inquam, tu misericors puer, natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæsisti, quia ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tui proveheres, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti: tu enim omnem tuæ plenitudinem divinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confudisti. Transfusum tamen Deum in hominem non dicerem, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem: si de omni sua plenitudine penes Deum aliquid recedisset, quod non in hominem, cui unitus est, effudisset.

2. Merito igitur oleum effusum nomen (*Cantic.* I, 2) Dei hominis, vel certe unguentum exinanitum; cum ita funditus Dei in hominem effusus sit, ut eum semetipsum exinanisse (*Phil.* II, 7) confiteatur fides Apostoli. Quamquam sic utique se exinanivit, ut in se ipso nihil prorsus minuerit, aut mutaverit; nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis et vacua est, assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, ut splendor gloriæ et figura paternæ substantiæ, nonnisi formam præferat servilem, et in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, **926** si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuavit, sapientiam infatuavit, infirmavit virtutem, minuit magnitudinem; ut et in nativitate minimum, et in passione se exhiberet novissimum virorum: unde nec reputaverunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum a semetipso? vide jacentem in præsepio. *Ecce Deus noster* (*Isa.* XXV, 9), Isaias ait, qui de tam longinquo vidit, et cognovit præsepe Domini sui, imo Deum in præsepi. *Ecce*, inquit, *Deus noster*. Ubi, quæso? In præsepio, inquit. Infantulum quidem ibi invenio. Hunccine tu dicis illum esse, qui dicit, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24): imo cujus majestati angusta est omnis cœli latitudo? Pannis involutum video. Hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam et decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine sicut vestimento? Vagientem audio. Hiccine est qui in cœlis tonat, sub cujus vocis tonitruo potestates angelicæ submittunt alas suas? Sic est, inquit alius propheta satisfaciens pro Isaia, omnino sic est: *Hic est Deus noster*, sed exinanitus est, ut te repleat, et a se quodammodo deficere voluit, ut te reficiat. Conclamat omnis chorus prophetarum uno spiritu, eademque sententia, etsi aliqui voce diversa, sic est: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius præter eum* (*Baruch.* III, 36); neque enim est alius præter eum. Sed scio, inquid David, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio prava et adultera Judæorum; enarrate vos, apostoli, in progenie altera Gentium. Quid? Quoniam hic quem Judæus jacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit; cum miro modo nascitur, non videt; cum mira operatur, invidet; cum dira patitur, irridet: *Hic*, inquam, *hic est Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula* (*Psal.* XLVII, 15).

3. Et ecce jam prædicantibus apostolis, testificantibus prophetis, etsi vellus siccatum est, sed areæ latitudo infusa est (*Judic.* VI, 39, 40): etsi cucurbita aruit, Ninive salvata est (*Jonæ* III *et* IV); et amissio Judæorum, divitiæ facta est mundi, et salus gentium. Adorant omnes reges terræ parvulum qui natus est nobis, omnes gentes serviunt ei: quia si qui sunt qui non serviant, vel non sint servituri, quasi non sint, sic sunt coram eo (*Isa.* XL, 17); gens etiam et regnum, quod non servierit ei, peribit. Jam tamen videmus et gaudemus impletum, quod per Isaiam fuerat a Patre promissum: *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teque deprecabuntur.* Et merito, inquit, quia *in te tantum est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (*Isa.* XLV, 14, 15). Si unquam

Digitized by Google

manifestius, si expressius potuit dici Jesus Deus, nunquam credat Judæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de Jesu, ostendat alium in quo sit Deus, et qui sit Deus, nec præter eum Deus; quandoquidem nec personarum Trinitatem fatetur, ut assignare possit Deum, in quo sit Deus, ita ut alius Deus præter eum non sit. Sed te, perfide, scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat; quod scilicet Deus absconditus, et homo oculis adhibitus est, tanquam lutum ex sputo, quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis abscondita est fortitudo Dei, et in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei; quod inglorius inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: unde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum; cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrum (*Isa.* LIII, 4, 5). Nam et tuam quoque suscepisset, si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu, miser, non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem; super sanguinem prophetarum, sanguinem Filii Dei et Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone jugum iniquitatum tuarum, tibi et filiis tuis: mihi enim regnum Christi portare magis decet, ut meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligavit, pannisque involutum in præsepi reposuit.

4. Vos igitur, fratres mei, qui cognovistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israel non cognovit: vos, inquam, quibus Salvator ideo non viluit, **927** quia misericors esse voluit; sed eo vobis tenerior in affectu, quo minor est in aspectu: cantate, et exsultate et psallite, *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* De Judæis quidem est natus, sed nobis est natus; quia illis ablatus, nobis est datus. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum* (*Psal.* XCVII, 1-3); adeo ut et asinus de Gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum, fenum sibi factum, quia omnis caro fenum (*Isa.* XL, 6). *In conspectu namque Gentium revelavit justitiam suam* (*Psal.* XCVII, 2): quam Judæus ignorat, velum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: unde nec velum videt, sed invidet quod *puer natus est nobis, filius datus est nobis.* Nec invidet, quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat perire et mihi et sibi. Mallet æmula et mala meretrix infantem necari, quam vivum mihi dari. Sed judicium nostri Salomonis, cujus sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda et renes, in invelenda matre non erravit: *Date*, inquit, Ecclesiæ *infantem vivum: hæc est enim mater ejus* (*III Reg.* III, 26, 27). *Quicunque enim fecerit voluntatem ejus, ipse mater, et frater, et soror ejus est* (*Matth.* XII, 50). O Domine Salomon, tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I, 38). Et quidem matrem amore et sollicitudine me præstabo, quantum potero: sed conditionis meæ semper memor ero.

5. O fratres, hoc nomen matris non est singulare prælatis, quamvis specialis eis incumbat cura maternæ sollicitudinis et pietatis: commune est et vobis, qui facitis voluntatem Domini. Utique et vos matres estis pueri qui datus est vobis, et in vobis, ex quo videlicet a timore Domini concepistis, et parturistis spiritum salutis. Vigila igitur, o mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus, qui natus est tibi: quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi exstinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila, inquam, super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit negligentia et inertia. Hujusmodi homines, cum religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam et nomen. Inde contentiones carnalium adversus spirituales, etiam in capitulis, ubi verus Salomon invisibiliter judex præsidet. Filius meus, inquiunt carnales, vivit, et tuus mortuus est: ego spiritum Dei habeo, tu non habes; in me vivit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cujus spirituales habent veritatem; ut subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et revera quidem mater vult æmulæ dari vivum et integrum infantem, non invidens ei gloriam, dummodo habeat et virtutem, sed illa, *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur* (*III Reg.* III, 26); quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, et aliis relinquere laborem. Sed non errat qui judicat, etsi aliquandiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem invenit, cui adjudicat indivisum, sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem imperandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto, custodite eam, pascite, nutrite, tanquam parvulum Jesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis; qui non solum nascendo, sed vivendo et moriendo, formam cui conformemur tradidit nobis: memor quippe semper, quod non nisi nobis natus fuit, nec nisi nobis vivere voluit, nec mori nisi pro nobis, qui pro se non habuit; ut et nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viveremus; in ipso moreremur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De plenitudine temporis a Christo allata.

1. *Ecce jam venit plenitudo temporis* (*Galat.* IV, 4). Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimpletionem præcedentis prophetiæ **928**, seu propter pleniorem ætatem fidei adultæ. De singulis

Digitized by Google

videamus. Omnium plenitudo] bonorum Christus Dominus est : quippe qui omnibus thesauris sapientiæ et scientiæ Dei, totiusque gratiæ plenus est; imo in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter (*Coloss.* II, 9). Viderunt apostoli plenum gratiæ et veritatis, et de plenitudine ejus omnes acceperunt : adeo ut novissimus eorum et abortivus Paulus, vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret ubique plenitudinem gratiæ et veritatis, clamans et dicens : *Ecce jam venit plenitudo temporis* (*Galat.* IV, 4). Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum cœli rorarent desuper, et nubes pluerent Justum, Salvatorem terra germinaret, tanta supernæ benedictionis ubertas quidni fecunditatem terris omnibus præstaret? Benedixisti, Domine, terram tuam, dedisti benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 2, 13); videlicet de uno grano frumenti, quod germinavit alvus Virginis, ubique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum; non in proventu agrorum, sed cœlorum. Si cœli rorant desuper, et nubes pluunt Justum; si terra germinat Salvatorem, et justitia oritur simul; si denique oritur in diebus Domini non solum justitia, sed et abundantia pacis : feliciora tempora ne quæsieris, quando et regnum Dei nihil aliud est quam justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (*Rom.* XIV, 17), quod de illis procedit. Nam et nostrorum temporum ille status judicatur optimus, atque pulcherrimus, cum et justitia moribus imponit disciplinam, et abundantia cum pace quietem vitæ præstat et lætitiam. Denique misericordia Domini plena est terra (*Psal.* CXVIII, 64) : benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ, et campi ejus repleti sunt ubertate (*Psal.* LXIV, 12), totius gratiæ spiritualis. Et quis, nisi ingratus, plenitudinem neget esse temporis? Quæ unquam aurea ætas simile aliquid habuit hujus plenitudini temporis, quando panis angelorum, omnem habens saporem suavitatis et omne delectamentum, apponitur etiam jumentis; et non solum homines, sed et jumenta, cibo pascuntur cœlesti? Homines enim et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus (*Psal.* XXXV, 7, 8). Infinite multiplex hæc tua, Deus, misericordia, ut qui panis angelorum, non solum hominum dites ac beatifices mensas, sed etiam fenum factus, jumentorum repleas præsepia. Confiteris, o Domine sapientia misericors, quia sapientibus et insipientibus debitor es, ut qui utrosque fecisti, utrisque necessariam alimoniam procures; et tam homines quam jumenta, tam spirituales quam animales, suo quemque gradu et ordine salves. Confiteantur igitur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum (*Psal.* CVI, 15) : quia misit Verbum suum carnem factum, medicinam et escam omnium; ut etiam incapaces Verbi, sanentur tamen et satientur carne Verbi. Edant itaque pauperes et saturentur, et confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem; quando et in præsepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem inveniunt cœlestem. Numquid ergo mugiet bos, cum ante præsepe sic plenum steterit? (*Job* VI, 5.) Mugiat, sed præ gaudio spiritus in jubilo cordis; quia præsepe Domini sui, imo Dominum in præsepi suo cognovit.

2. Libet autem adhuc manifestius videre, Christus veniens e cœlis quantam plenitudinem temporis advexerit, quam facili et exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreverit. Duobus minutis, seu calice aquæ frigidæ, aut certe sola bona voluntate, jam a diebus ejus emitur regnum cœlorum, quanquam etiam nunc vix inveniat emptorem in tanta multitudine divitum. Proh pudor! etiam nos ipsi, qui jam emere cœpimus, jam tabulas emptionis conscripsimus, jam pignus hæreditatis accepimus; etiam nos, inquam, toties a pacto resilimus, ac pene complaciti pœnitemus, querimur, murmuramus, quasi in negotio simus circumventi; quasi magnum sit illud prope nihil, quod exigitur a nobis. Bene de nobis prophetavit Scriptura : *Malum est; malum est, dicit omnis emptor, et cum recesserit, gloriabitur* (*Prov.* XX, 14). An non merito poterit gloriari, qui immensum illud et æternum **929** pondus gloriæ, hoc levi et momentaneo tribulationis suæ comparaverit, qui sic pro nihilo salvus factus fuerit? At nunc quotidianas hinc inde querelas et molesta murmura audias : Malum hoc, malum illud; grave hoc, importabile illud; quis tanta ac talia ferat? Ita nemo fere est qui digne pro merito sui rem æstimans dicat : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18), nisi tunc demum cum cœperit revelari. Tunc plane gloriabitur, qui modo detrahit, ac de pretio se gravari gemit; cum scilicet de foro, id est, de mundo hoc, ubi contractus celebratur hujus commercii, recesserit et in domum æternitatis suæ, secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo plane secundum cor Dei erat ille, homo simplex sine querela, qui ab hac arte, imo inertia et infidelitate emptorum alienus erat; Davidem dico, qui dicebat : *Quoniam non cognovi litteraturam, Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX, 15, 16). Justitiæ meæ nullatenus memorabor, ut labores meos exaggerem, merita magnificem; potius *memorabor justitiæ tuæ solius*, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me, in justitia tua, et non intres in judicium cum servo tuo* (*Psal.* CXLII, 1, 2) : qui, si voluero me justificare, os meum condemnabit me. Per hoc enim, inquit, *introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX, 16); quia scilicet justitias meas non statuam : per hoc potentem me faciet, et nunc in prælio, et tunc in regno; quia semper infirmitates meas confitebor. Cum enim infirmor, tunc potens sum (*II Cor.* XII, 10). Sicut ergo prudenter

Digitized by Google

apud Deum causam agit, qui justitiæ suæ immemor totum misericordiæ committit ; sic prudenter emit, qui omnem fictionem, atque avaritiam negotiationis scire renuit ; qui inventa illa pretiosa margarita, non solum omnia sua, sed et seipsum ultro ac desideranter impendit. At nos tepidi, ficti, ingrati, indevoti, voluptatum amatores magis quam Dei, vix ab illa voce infidelis et nequissimi murmuris, *Malum est, malum est* (*Prov.* xx, 14), valemus compesci ; etiam postquam gustavimus, et vidimus, sicut de muliere forti scriptum est, quoniam bona est negotiatio nostra.

3. Adhuc ferebat me quidam implacabilis zelus adversus ingratitudinem et infidelitatem hujus temporis nostri ; sed revocat me, de qua sermonem instituì, sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pascendi estis. Conjunctim tamen currunt, pariterque feruntur hæc duo tempora tam diversa, tamque adversa, tempus scilicet gratiæ, et tempus malitiæ ; cum tamen nonnisi unum tempus inveniatur utriusque. Si enim modo non esset tempus gratiæ, non diceret Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* vi, 2). Et iterum, si modo non esset tempus malitiæ, non diceret idem apostolus : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v, 16). Confligunt igitur in tempore uno gratia et ingratitudo, velut in stadio uno. Jam olim siquidem sapientia pugnat adversus malitiam, propter quod et nunc in hujus mundi descendit aream. Pugnat, inquam, nolens vinci a malo, sed volens vincere in bono malum. Abundabat iniquitas, et licet humana congelata esset, divina tamen non frigescebat charitas. Magnus ille ardor charitatis, et revera, sicut scriptum est, aquis multis inexstinguibilis (*Cantic.* viii, 7) ; quod cum extremum jam judicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen Filium suum misit, non ut judicaret mundum, sed ut salvaretur per ipsum (*Joan.* iii, 17). Cum igitur jam pene consummata mundi malitia finem indicaret temporis, Redemptoris adventus novam et inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cum enim mundus consenuisset, atque prope interitum esset temporis ætate, subito ad adventum Conditoris sui, nova et insperata renovatus est virtutis juventute, fideique quodam juvenili calore. Fides siquidem, cujus primævum tempus, velut quædam puericia, fuit in Patriarchis, qui exorti sunt primo mane Ecclesiæ nascentis ; adolescentia vero in Prophetis ; ad plenitudinem demum juvenilis excrevit roboris in Apostolis, quando et calorem suæ virtutis mundo spectabilem præbuit in tam præclaris, atque fortissimis innumerabilium martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam ætatem fidei vocat Apostolus plenitudinem temporis, quando scilicet hi qui sub pædagogo 930 legis erant, nihilque a servo differebant, dum erant parvuli, jam adulti libertatem filiorum receperunt per Unigenitum Patris (*Galat.* iv, 1-9). Qui nimirum, ut nulla plenitudo suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit, quatenus et per gratiam impleri faceret legis mandata, et per veritatem impleret ipse promissa ; adeo ut quidquid etiam universis retro sæculis mystice gestum aut dictum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam et hic ipse dies tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in brevi hodie exhibuit, ut de eo vere dici possit : *Consummatus in brevi, explevit tempora multa* (*Sap.* iv, 13).

4. Cum ergo tot modis constet quia venit beata plenitudo temporis, recte querelas insipientium Salomon compescuit, dicens : *Ne dicas, Quid, putas, causæ est quod meliora fuere tempora priora quam nunc sunt ? Stulte est*, inquit, *hujusmodi interrogatio* (*Eccle.* vii, 11), cum manifeste felicissima tempora fecerit hominibus gratia Dei ; ingratitudo autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tam beatum, tam auspicatum initium dedit dies iste, quo natus conditor æternus temporis, æternitatem mortalibus nuntiavit ! O vere dies salutis dies iste, quo nata salus mundi se ipsam poculum salutare miscuit ægrotis ! O fratres, de die isto loquebatur, ni fallor, Sapiens filio suo : *Non defrauderis a die bono*. Et exponens quid sit non defraudari : *Particula*, inquit, *boni doni non te prætereat* (*Eccli.* xiv, 14). Diem quippe bonum pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumque perfectum, descendens a Patre luminum ; quod quale sit nemo scit, nisi qui accepit. At vos, fratres, spiritum qui ex Deo est accepistis, ut sciatis quæ a Deo donata sunt vobis, qui ex sententia cordium cantatis : *Filius datus est nobis* (*Isai.* ix, 6). Filius iste, panis est filiorum, qui de seipso hodie beatum ac solemne universæ familiæ Patris exhibet epulum.

5. Gratias tibi, Pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendum omne animal benedictione, ut ipsa etiam benedictione plenum inveniatur eorum præsepe. Quam miserum, quam brutum ac stolidum, imo quam sibi nequam et invidum illud animal, quod sese isto die bono defraudat, ut eum particula doni boni prætereat, ut scilicet expers gratiæ cœlestis, quæ ei proposita est, fiat, diemque totius refectionis et gaudii tristi ac jejuno corde prætereat ; quasi necdum venerit copiosissima plenitudo temporis, nec præsepia simplicium et humilium panis impleverit cœlestis ! Hujusmodi hominem sibi nequam et invidum, Deo ingratum et injuriosum, notat Sapientia, cum ait : *Oculus malus ad mala opera, et non saturabitur pane, indigens et in tristitia erit super mensam suam*. Ideo, inquit, non saturabitur bonis anima ipsius, quia oculus ejus ad mala, nec revertetur oculus ejus, ut videat bona, ut cum pietate et fide consideret quæ ei apposita sunt in magna divitis mensa. *Nequam est* enim, inquit, *oculus lividi, avertens faciem suam et despiciens animam suam* (*Eccli.* xiv, 10, 8). Pro-

Digitized by Google

cui dubio, fratres, si faciem non avertimus a consideratione illius qui jacet in præsepi, ipso intuitu possumus felicissime pasci, dicemusque : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit* (*Psal.* XXII, 1, 2). Tunc plane sciemus quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum, per quem tanta jam replemur plenitudine bonorum : ipsi benedictio et gratiarum actio, et nunc, et per infinita sæcula sæculorum.

SERMO V.

De mira Dei providentia in nativitate Christi.

1. Convenistis, fratres, ad audiendum verbum Dei. Deus autem aliquid melius providit nobis, ut non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit Verbum Dei, si modo *transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod fecit Dominus, et ostendit nobis* (*Luc.* II, 15). Noverat hominum sensus invisibilium incapaces, cœlestium indocibiles, ad fidem quoque difficiles, nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus convincendis ingeratur. Nam etsi fides est ex auditu, multo tamen proclivius **931** ac promptius ex visu : sicut illius exemplo docemur, cui dicitur, *Quia vidisti me, credidisti* (*Joan.* XX, 29) ; qui scilicet dum audiebas incredulus fuisti. Quia enim difficilius audita, quam visa creduntur, ideo merito fides illorum qui non viderunt, a Domino beata prædicatur ; quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam experientiæ proprii sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, Verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiam visibile, imo et tractabile ; ut et quidam ex nobis potuerint dicere : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ* (*Joan.* I, 1). Fuit ab initio illius, quæ sine initio est, æternitatis ; audivimus promissum ab initio temporis ; vidimus et contrectavimus exhibitum in fine temporis. Alias autem invenies quod non solum visibile et tractabile, sed etiam gustabile et odorabile nobis Verbum Dei factum sit, quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit, quatenus sicut per sensus mors intraverat, sic per eosdem rediret et vita. Quod ergo Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), nobis qui toti sumus caro, factum est ; ut qui antea Verbum Dei tantum poteramus audire, jam carnem factum et videre possimus et gustare, omnesque sensus in testimonium auditus convocare ; quatenus omnes nostri sensus consensu uno, et voce una confiteantur, *Sicut audivimus, sic vidimus* (*Psal.* XLVII, 9). Incomparabiliter tamen amplius tunc concessum est visui, quam unquam fuerat auditui, cum modo videatur Verbum, quod Deus est, et antea magnum haberetur audire verbum quodcunque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est, vidi aliquando, fratres, cum tædio audiri ; sed Verbum quod Deus est, nunquid poterit nisi cum gaudio videri ? In me primum sententiam feram : quia Verbum, quod Deus est, cum se hodie mihi videndum præbeat in eo quod sum, si me non lætificat, impius sum ; si non ædificat, reprobus sum

2. Si quis ergo, fratres, acediosus invenitur inter nos, nolo diutius ut fatigentur aures ejus sermone nostro contemptibili ; transeat usque Bethlehem, et illud in quod desiderant Angeli prospicere, prospiciat ibi, Verbum scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis ; imaginetur animo, Sermo Dei vivus et efficax qualis ibi jaceat [*al.* qualiter ibi taceat] in præsepi. Si tantum pietas oculum illuminet intuentis, quid tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari ? Quid æque mores ædificat, spem roborat, charitatem inflammat ? Omnino fidelis sermo, et omni acceptione dignus, omnipotens Sermo tuus, Domine ; qui tam alto silentio a regalibus Patris sedibus animalium illapsus præsepibus (*Sap.* XVIII, 15), melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui habet aures audiendi, audiat quid nobis hoc pium et mysticum æterni Verbi loquatur silentium ; quoniam, nisi me fallit auditus, inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reverentia ipsius et exemplum religiosum imposuit silentium, et rectissime quidem imposuit. Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentii, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut Sermo Dei silens in medio hominum ? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens Sermo, dum Matri subditus est ; et nos qua dementia dicemus, *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est ?* (*Psal.* XI, 5.) Liberet mihi, si liceret, obmutescere et humiliari, et silere etiam a bonis, ut attentius et diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis, sacrisque sensibus hujus divini silentii, et vel tanto tempore sub silentio discere in schola Verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris.

3. O fratres, si pie ac diligenter intendamus huic Verbo quod Dominus fecit hodie, et ostendit nobis, quanta, quamque facile possemus ab ipso perdoceri ? Verbum siquidem breviatum est, ita tamen ut in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans et abbrevians in æquitate ipsum est. Et hæc *consummatio abbreviata inundavit justitiam* (*Isa.* X, 23), sicut promissum meministis per Isaiam ; quia de sua plenitudine **932** in participes suos redundavit justitiam, ut abundet justitia ipsorum, plus quam et Pharisæorum et Scribarum ; licet illi per tam multiplices se exercitent justificationes legis, isti autem brevi ac simplici contenti sint verbo fidei. Sed quid mirum si omnia verba sua nobis Verbum Dei breviavit, quando et se ipsum breviari, et quodammodo minui voluit, adeo ut de incomprehensibili immensitate sui ad augustias uteri quodammodo se contraxerit, et, continens mundum, in

Digitized by Google

præsepi se passum sit contineri? In cœlo Verbum istud horribili altitudine sua virtutes angelicas stupefacit; in præsepi simplices et hebetes pascit : ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, Verbum ejus factum est caro, ut non solum audire, sed et videre posset omnis caro quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognovit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili eadem Sapientia Dei se stultitiam fecit, ut quamlibet idiotis vel hebetibus se discibilem præberet, et per stultitiam prædicationis salvos faceret credentes. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia sapientiam tuam abscondisti a sapientibus et prudentibus, et revelasti eam parvulis. Ita, Pater, sic fuit placitum ante te (*Matth.* XI, 25, 26), ut parvulis daretur parvulus qui natus est nobis, quandoquidem altitudo superborum nimis abhorret ab hujus humilitate parvuli, et quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum; qui, cum veraciter altus sit, parvulus factus est pro nobis. Cum solis nimirum parvulis concordat iste parvulus, in solis requiescit humilibus et quietis. Sicut igitur parvuli gloriantes de eo, cantant, *Parvulus natus est nobis* (*Isa.* IX, 6), sic et ipse gloriatur de eis : *Ecce ego, inquiens, et pueri mei, quos mihi donavit Dominus* (*Id.* V, 18). Ut enim parvulo Filio suo Pater sodales daret de cœtaneis suis, statim primo omnium ab innocentia parvulorum cœpit gloria martyrii; hoc significante Spiritu sancto, quia nonnisi talium esset regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 14).

4. Si tales effici volumus, fratres, iterum atque iterum transeamus usque Bethlehem, et diligentius intueamur hoc Verbum quod caro factum est per Deum immensum, qui parvulus factus est, ut in hoc visibili et breviato Verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est. In hanc quippe virtutem illa omnimoda virtus se interim totam contulit. Nihil aliud illa summa Sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cujus se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem, quod nimirum in suggillationem mei ipsius loquor, iste, inquam, digne et juste magister docendæ humilitatis effectus est; qui, licet eam sibi non ignoraret et originalem a Matre, et naturalem a Patre, nihilominus tamen ab ipso Matris utero didicit eam ex his quæ passus est. In diversorio viatorum natus est, ut hospites et peregrinos super terram, ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi quoque novissimum eligens locum, in præsepio positus est, ut et nos illud Davidicum : *Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11), opere disceremus. Pannis involutus est, ut habentes tantum quibus tegamur, his contenti simus; per omnia paupertate materna contentus, Matrique per omnia subditus, ut totius religionis forma jam in ejus nativitate nata videretur. Beata sane simplicium fides pastorum, quæ, cum invenisset infantem pannis involutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem, ut minora de eo sentiret, sed ædificata potius ad pietatem, ut tantæ dignationi gratior fieret! Quanto namque se pro ipsis profundius humiliatam ac funditus eximanitam illa exhibuit majestas, tanto facilius et plenius, si digne de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit et vindicavit charitas.

5. Fratres, et vos invenietis hodie infantem pannis involutum, et positum in præsepio altaris; videte vilitas tegminis ne offendat aut turbet obtutum vestræ fidei, veritatem reverendi corporis sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria quibusdam assumentis pannorum involvit infantem, sic mater gratia dispensatoriis speciebus rerum ejusdem sacri corporis **933** nobis obtegit veritatem; sic etiam mater sapientia ænigmatibus et figuris arcanam divini Verbi contegit majestatem; quatenus et ibi simplicitas fidei, et hic exercitium studii, meritum sibi cumulet ad salutem. Nam ego, fratres, cum vobis veritatem, quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quam Christum pannis satis vilibus involvo? Beatus tamen, cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus plane est, quem vobis tradere cupio, qualisbuscunque sermonibus nostris, ut, juxta sermonem Petri apostoli, sanctificetis eum in cordibus vestris. (*I Petr.* III, 15.) Suscipite in mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas vestras (*Jacobi* I, 21). Et verbum Christi abundanter habitet in vobis, amor scilicet et memoria Verbi incarnati, quatenus tam feliciter quam fideliter decantetis : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Tota igitur pietate cogitemus Christum in pannis, quibus Mater eum operuit, ut æterna felicitate videamus gloriam et decorem quem ei Pater induit, gloriam quasi Unigeniti a Patre, cum quo et cum Spiritu sancto honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

SERMO I.

De donis Domino afferendis.

1. *Afferte Domino, filii Dei, afferte* (*Psal.* XXVIII, 1). Satis est ei afferre, quam sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cujus duæ filiæ, voluptas et vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes : *Affer, affer.* (*Prov.* XXX, 15). Quid igitur afferemus Domino? *Afferte Domino gloriam* auri, *et honorem*

Digitized by Google

thuris : *afferte Domino gloriam nomini ejus, myrrham* (*Psal.* XXVIII, 1, 2) sepulturæ ejus. Sed dicit mihi discipulus Christi, filius Petri : *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* III, 6). Nec sacculi peregrinarum mercium myrrhæ et thuris. Ergone vacuus apparebis in conspectu Domini, et cunabula novi Regis nullis honorabis xeniis? O dives paupertas, o locuples nuditas, si tamen Christiana et voluntaria! Quibus enim divitiis non abundas, non solum auri, sed etiam auri primi, auri igniti; non solum myrrhæ et thuris, sed etiam universi pulveris pigmentarii? Imo qui sunt alii qui possint abundare divitiis hujusmodi, nisi pauperes Christi? *In viis*, inquit, *justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam*. Nec deest ei unde id possit : *Mecum sunt*, inquit, *divitiæ et gloria, opes superbæ, et justitia* (*Prov.* VIII, 20, 21, 18). Bonæ opes prorsus divitiæ salutis, in quibus ita superbitur, ut justitia non deseratur. Fratres, superbia ista est gloria exsultantium in Domino, et insultantium mundo, quod nihil habeat tam pretiosum, ut paupertati valeat comparari sanctorum. O qui pusillo animo estis, cur non superbitis mecum in opibus istis? Superbiam istam non damnat, sed remunerat Magister humilitatis, si videlicet ita magnanimus sis in contemptu mundi, ut omnem gloriam ejus quasi de sublimi despicias, et nihili pendas præ amore et gloria tuæ nuditatis. Omnino dives es, si in paupertate gloriaris, et de te quoque gratias aget congratulatio Apostoli : *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et sanctitate, ut nihil vobis desit in ulla gloria* (*I Cor.* I, 4, 5, 7). Longe aliter illum alloquitur Dominus, qui sibi applaudebat de affluentia mundi hujus : *Tu*, inquit, *dicis Quia dives sum, et nullius egeo ; et tu miser es, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus* (*Apoc.* III, 17).

2. Sane inter divitias hujusmodi, pro quibus Paulus congratulabatur discipulis, non dubitaverim aurum, thus, et myrrham posse reperiri, quæ digne et grate Christo nato queant offerri. At ego, inquies, non sum mihi conscius tale quid accepisse, nec aliquid tam pretiosum, ut est aurum, thus et myrrha, penes me posse inveniri. Ego enim, videns paupertatem meam, vix mendicabo stipem quotidianam, pauperem exigens vitam. Putas, inquit, te nihil tale accepisse? vide magis ne acceptam a Patre substantiam dissipaveris vivendo luxuriose. Sed omitto istud ; non enim improperandum est, ut Sapiens ait, homini avertenti se a peccato (*Eccli.* VIII, 6). Vellem magis ut non pigeret te tentare et quærere si forte vel minimum **934** aliquid paternæ substantiæ resedisset apud te, unde initium recuperandi posses capere. Vellem foderes intra te ; solent namque pretiosi latere thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere (*Matth.* XIII, 14). In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem viri Israelitæ, et per hoc gladium evaserunt homicidæ (*Jerem.* XLI, 8). O quanti thesauri bonorum operum, quantæ divitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis, et quanto plures in abdito cordis, si modo sit qui exerceat et fodiat! Neque illud Platonicum dico, quod anima ante corpus artes didicerit, quæ oblivione et mole corporis obrutæ, disciplina et industria refodiendæ sint ; sed quod ratio hominis et ingenium, juvante gratia, omnium sit virtutum seminarium. Si ergo ad cor redeas, et corpus exerceas, non diffidas te inventurum thesauros desiderabiles : et si non auri statim in initio, aut thuris, certe vel myrrhæ non inutilis. Inutilem aut vilem tu ne dixeris, quam Christus acceptat in munere, qua sui corporis sepultura non solum præsignari, cum ei offerretur, sed etiam consummari voluit, cum ex ea perungeretur.

3. Si ergo manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est, myrrha in corpore tuo labor est, si tamen iste vel ille pœnitentialis est. Myrrham siquidem utrumque esse non solum probat etymologia nominis, aut qualitas saporis, sed etiam medicinalis operatio virtutis. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit, effectu autem, præter alias sui utilitates, corruptioni resistit. Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quam dolor quo peccator ad pœnitentiam contristatur? Recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dicens Deo, *Noli me condemnare* (*Job* X, 2) ; sed omnis hæc amaritudo nihil aliud quam myrrha est, vindicans a corruptione tam luxuriarum, in quibus computruit, quam vermium immortalium, quos meruit. Quid vero labor corporis? Non tam myrrha est, quam fasciculus myrrhæ, si crederè volumus his qui de sæculo nuper venere ; quibus regula jejuniorum et vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium, et omnia pene amara, quia insolita, velut in unum colligata fasciculum, imposita sunt ad ferendum. Et quidem amarissime portarent hunc myrrhæ fasciculum, nisi quia, etsi nondum gaudent communicare passionibus Dilecti, ut dicant, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* (*Cantic.* I, 12), dulce tamen nimium habent amaritudinem cordis amaritudine mitigare exteriori, tanquam choleram stomachi potu absinthii. Sicut enim stomachus, immoderato usu dulcium corruptus, potione purgatur amara, sic eorum qui suaviter vixerunt in amaricata conscientia, nunquam melius quam contrario, id est, vita et consuetudine curantur austera. Maxime autem, si sæpius detur eis bibere vinum myrrhatum Dominicæ passionis, id est potentur vino compunctionis, quod quanto amarius est ex recordatione peccati, tanto salubrius est peccatori. Ideo Jesus noluit bibere (*Matth.* XXVII, 48), quia peccatum non fecerat, quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat; qui de genimine vitis veræ, vinum novum cum amicis in regno Patris habebat bibere.

Digitized by Google

4. Cæterum, quanquam perfectis, qualis Timotheus erat, exercitatio corporalis ad modicum utilis sit comparatione pietatis (*I Tim.* IV, 5); quantum tamen rudibus et imperfectis, quales nos sumus, utilis sit, vos ipsi, fratres, vobis testes estis; quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parcimoniæ et laboris. Ipsi etenim scitis quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. An non vermis luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. An non vermis acedia et tristitia? *Sicut tinea,* inquit *vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi* (*Prov.* XXV, 20). Quid omnia desideria mala? an non vermes et ipsa? At in desideriis est omnis otiosus, et desideria occidunt pigrum (*Id.* XXI, 26, 25). Beatus igitur cui ad mortificandos vermes hujuscemodi, manus propriæ distillant myrrham 935 per universum sui, jamque prævenit ungere corpus suum in sepulturam. Sed suum dicam, an Jesu? Imo et Jesu. Corpus enim illius, membrum est Jesu. Quisquis ille est qui sic unctus est, non est quod timeat vermem qui non moritur; quia jam mortuus est ei vermis unde illi moritur.

5. Myrrham itaque, et myrrham electam atque probatissimam Domino cum regibus rex et ipse obtulisti, si interim, dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ aut thus devotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti. Existimo enim, sine præjudicio tamen melioris intellectus, myrrham esse primam oblationem incipientium, deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum; atque idcirco cum simul ab Evangelista nominata sunt, pretiosiora quæque et digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum. Alias namque secundum ordinem profectuum myrrham thuri præpositam invenis, ut est illud, *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris* (*Cantic.* III, 6). Et, *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris* (*Id.* IV, 6). Non parvus siquidem profectus est, cum de myrrha ad thus proficitur; cum de ista, quæ ad usus est infirmitatis humanæ, ad illud quod divinis et festivis deputatum est sacrificiis, pervenitur; ut qui sacrificium spiritus contribulati, corporisque humiliati offerebat non sine myrrha amaritudinis, jam sacrificium laudis offerat cum thure devotionis, et, juxta promissionem Domini, tanta consolatio immittatur lugentibus Sion, ut det *eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (*Isai.* LXI, 3). Tunc cantat qui lugebat: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum,* spiritum mœroris; *et circumdedisti me lætitia,* pallio scilicet laudis, *ut cantet tibi gloria mea, et non compungar* (*Psal.* XXIX, 12, 13). *Gaudens enim gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me* (*Isa.* LXI, 10).

6. O fratres, quibus minus sufficiunt vestimenta vestræ paupertatis in hac asperitate hiemis, qui dicitis, Ante faciem frigoris hujus quis sustinebit? cur non induimini, quæso, hoc vestimento lætitiæ et salutis, hoc pallio laudis? Si Dominum laudatis, in Domino laudabitur anima vestra, et pallio laudis quo opertus est laudabilis nimis, vos quoque operiet et confovebit, quemadmodum gallina pullos suos sub alis, si modo velitis. Ah quoties voluit, et noluistis! Nunquid enim hoc pallium breve est, ut utrumque operire non possit? *Non angustiamini,* inquit, *in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Dilatamini et vos* (*II Cor.* VI, 12, 13), et pallium dilatabit se usque ad vos. Non est abbreviata manus ejus, ut salvare nequeat; nec grande est ei ut consoletur nos, nisi pravitas nostra prohibeat. O qui algetis, pallium hoc calidum est; quia calor est, qui non modo interius, sed exterius calefacere potest. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum terra tua perflata fuerit austro (*Job* XXXVII, 17); imo ignis missus in ossibus, ac vehementer accensus (*Thren.* I, 13)? Hoc igne thus illud adole, quod ubi cum regibus obtuleris, dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Domini: et cum de sacrificio tuo odoratus fuerit odorem suavitatis, dicat tibi, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cantic.* IV, 11).

7. Jam vero de auro sapientiæ (quæ oblatio, ut diximus, perfectorum est) loquatur vobis qui illud assecutus est, quia nec novit illud nisi qui accipit. Qui ergo sapientiam didicit, sapientiam loquatur inter perfectos; et de auro quod possidet, murenulas aureas auribus vestris fabricet. Ego enim non arbitror comprehendisse me; sequor autem si quo modo comprehendam (*Philipp.* III, 13, 12). Magnus prorsus ac beatus qui invenit sapientiam, et affluit prudentia: sapientiam, in contemplatione æternorum; prudentiam, in administratione temporalium: vel, ut moderatius sapientem definiam, qui novit se ipsum regere et alium. Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus, etiam thure et myrrha; et omnia quæ desiderantur in virtutibus vel gratiis, huic non valent comparari. Denique sapiens, tanquam vir virtutum, dives in omnibus, et si prævalet aurum offerre in sublimi contemplatione vel prudenti administratione, non tamen negligit offerre thus in devotione 936 divini operis, myrrham in mortificatione sui. Nos igitur, fratres, quod habemus offeramus in gloriam novi Regis: quod minus habemus, ab ipso petamus cui offerre cupimus. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* (*Jac.* I, 6). Munera mea, data mea, ait Pater luminum, a quo omne donum perfectum, et omne datum optimum; ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO II

De variis modis quibus nos Deus illuminat.

1. *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum* (*Isa.* LX, 1). Hodiernum diem luminum illuminavit nobis et consecravit lumen de lumine, quod hodie cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo revelare. Hodie namque se revelavit Chaldæis novi sideris indicio, cum eorum primitiis omnium fidem gentium dedicavit. Hodie se revelavit Judæis, non solum Joannis, sed et Patris et Spiritus sancti testimonio, ubi in Jordane baptizatus, baptisma omnium consecravit. Hodie manifestavit gloriam suam coram discipulis suis, quando mutatione aquæ in vinum, illud ineffabile præostendit mysterium, in quo, verbo ipsius, substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitionibus prævidens Spiritus illuminandam Ecclesiæ fidem, alloquitur eam sub typo et nomine Jerusalem, dicens : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Venerat quidem lumen; in mundo erat, et mundus per ipsum factus erat; sed mundus ipsum non cognoscebat. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Ait ergo propheta : O Jerusalem nova, civitas magna novi regis, *mons Sion, latera aquilonis* (*Psal.* XLVII, 3), id est, de utroque ædificanda pariete circumcisionis et præputii; *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum*. Surgite, qui sedetis in tenebris; intendite lumini, quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur a tenebris. *Accédite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6), et in lumine ejus videbitis lumen, diceturque vobis, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Intendite lumini æterno quod se vestris aspectibus temperavit, ut, qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque et lippientibus oculis posset accedi. Advertite lumen in lucerna testæ, solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ.

2. Latet quidem majestas in humanitate, virtus in humilitate; sed signa virtutum erumpentia, unde hæc prodeant, non sinunt ambigere. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me* (*Joan.* X, 25). Magnum quidem testimonium Joannis, qui venit ut testimonium perhiberet, lucerna de lumine; at enim multo majus illud testimonium cœleste, quod Pater et Spiritus sanctus Filio perhibuere (*Luc.* III, 16, 21, 22), Pater, in voce, Spiritus, in specie, cum in ore duorum testium stet omne verbum. Sed et hoc ipsum si minus accipitur : *Opera*, inquit, innumerabilia et irrefragabilia, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me* (*Joan.* X, 25). Plane incorruptus et irrevincibilis testis, cum creatura insensibilis sensum quemdam accipit in confessionem Creatoris, voluntatem ejus exaudiens, ac nutui incunctanter obediens. Quid enim divinius poterat exhiberi sensibus mortalium, quam hodiernæ novitatis signum, quod etiam ante signorum suorum præmisit Jesus initium? Vagit puer novus in terris, et sidus novum creat in supernis, ut lumen testetur de lumine, stella de sole, et reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æternum splendorem, ab oriente ad verum Orientem, id est, virum cui nomen *Oriens* (*Zach.* VI, 12), stella perducat; non quasi stella, sed quasi rationale animal in via præcedens, in fine viæ consistens, ac velut digito ipsum qui quærebatur ostendens. Sed esto, calumnietur infidelis hanc stellam non esse opus Christi, dummodo confiteatur opus esse Patris in testimonium Filii. Attamen obruet eum multitudo infinita ac magnitudo mirabilium plane divinorum, quæ absque contradictione Jesus noster operatus est in carne, sed non ex carne.

937 3. Sed operiant tenebræ terram, et caligo populos, qui, cum lux venit in mundum, dilexerunt magis tenebras quam lucem (*Joan.* III, 19); dummodo tu illumineris, Jerusalem, civitas cœlestis, quæ in omni terra et populo, Deo paritura es filios lucis, quos de potestate tenebrarum transferet in regnum claritatis suæ, lumen verum. Gratias tibi, Pater luminum, qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuum (*I Petr.* II, 9). Gratias tibi, qui dixisti de tenebris lumen splendescere, et illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in facie Christi Jesu (*II Cor.* IV, 6). Hæc siquidem est lux vera, imo vita æterna, ut cognoscamus te unum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Cognoscimus te, quia cognoscimus Jesum, quoniam Pater et Filius unum (*Joan.* XVII, 23, 11). Cognoscimus quidem per fidem, ipsam tenentes arrham fidelem, quia cognoscemus te per speciem. Interim tamen auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem, a claritate in claritatem, tanquam a tuo Spiritu, ut de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, charitas ferventior fiat et diffusior, donec per fidem perducamur ad faciem. tanquam per stellam præducem ad nostrum Bethlehemiticum ducem, qui egressus de Bethlehem regit Israelem, et regnat in Jerusalem; non ista quæ occidit prophetas, ipsumque Dominum prophetarum, sed illa in qua coronat occisos idem Dominus, causa, virtus, et gloria martyrum

4. O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Jerusalem regnantem, quem in Bethlehem adoraverunt vagientem! Hic visus est in diversorio pauperum, ibi in palatio videtur Angelorum; hic in pannis parvulorum, ibi in splendoribus sanctorum; hic in gremio Matris, ibi in solio Patris. Plane digna beatorum fides Magorum, ut tam felici visione remuneretur; quæ cum in eo nihil nisi infirmum et contemptibile videret; non tamen scandalizari potuit, quominus Deum in homine, et hominem in Deo veneraretur. Procul dubio stella ex Jacob illuxerat in cordibus eorum; stella, inquam, matutina, lucifer qui nescit occasum, qui etiam foris stellam, matutini ortus sui indicem, ac-

Digitized by Google

cenderat in cordibus eorum. De his omnino convenienter intelligi potest quod apud Salomonem scriptum est : *Justorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV, 18). Primo namque semitam justitiæ ingressi sunt ad lucem splendentis sideris, cujus ductu profecerunt ad videndum novum ortum matutinæ, lucis sicque demum pervenerunt ad contemplandam faciem meridiani Solis, in die virtutis suæ rutilantis.

5. Pulchre igitur signanterque in his Gentium primitiis, in his nascentis Ecclesiæ primordiis, præostensus est fidei profectus in singulis : unde scilicet incipiat, quomodo proficiat, et quo demum perveniat ; ut facile ipsorum qui patres sunt, in filiis agnoscantur vestigia. Sicut illi cœperunt a visione sideris, profecerunt ad visionem pueri, pervenerunt ad visionem Dei, sic in nobis fides nascitur supernorum prædicatione luminarium ; roboratur visione quarumdam imaginum, per speculum et in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium ; consummabitur, cum præsens et nuda videbitur veritas rerum facie ad faciem contemplantibus quod vix tenuiter et raptim in ænigmate nunc attingitur ; cum et ipsa fides transibit in cognitionem, spes in possessionem, desiderium in fruitionem. Lucent namque et nobis stellæ, non una, sed multæ ; nisi quia multæ una, quarum scilicet cor unum est, et anima una, fides eadem, prædicatio consona, similisque vita. Quæ sint hæ stellæ, si dubitas, Danielem interroga : *Qui ad justitiam*, inquit, *erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3). Paulus etiam *luminaria* vocat eos, qui lucent *in medio nationis pravæ et perversæ* (*Philipp.* II, 15), continentque verbum vitæ, tanquam splendorem mutuatum ab æterna luce, quo et noctem hujus mundi jussi sunt illuminare. Ideo Dominus fons et origo lucis, cum ordinaret lunam et stellas in potestatem noctis, dicebat illis, *Vos estis lux mundi* : et iterum, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 14, 16). Lucent itaque verbo, lucent exemplo, et utroque lucis 938 radio ortum æternæ lucis annuntiant, dum cœlestem, quem voce prædicant, etiam cœlestis vitæ similitudine commendant.

6. Suspicite, fratres, in cœlum ; in cœlo siquidem est conversatio eorum ; suspicite, et intendite mentis oculos, si necdum potestis in rotam solis, saltem in fulgorem siderum ; admiramini splendorem sanctorum, imitamini fidem, æmulamini sanctitatem. Stellæ istæ sicut flamma coruscant, et lumen luminum ortum demonstrant ; ducunt ad cunabula novi Regis, ad cubiculum Virginis matris, quod est inviolabile fidei mysterium ; imo perducent in templum Regis, in sanctuarium Dei Patris ; quod est incogitabile fidei præmium. Interim autem, dum idonei non sumus, sapientiam Dei, quæ in mysterio abscondita est, scrutari, vel majestatem quæ in præmium reposita est, contemplari ; contenti simus sanctorum claritatem mirari, sanctitatem imitari. *Fili*, inquit, *concupisti sapientiam ? serva mandata ; et Dominus præbebit tibi illam* (*Eccli.* I, 33). *Altiora autem te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcipit Dominus tibi, ipsa conserva semper* (*Eccli.* III, 22). Præceptum namque Domini lucidum, illuminans oculos (*Psal.* XVIII, 9), quibus postmodum ipsum corpus luminis valeas intueri ; cum in luce radiorum, id est, in opere mandatorum, versari consueveris. *Dulce* quidem *lumen*, ut ait Salomon, *et delectabile oculis videre solem* (*Eccle.* XI, 7). Dulce prorsus et delectabile, sed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fovet, infirmos torquet. Et quis est tam sano et acuto visu, ut in aspectu illius invisibilis Solis non cæcutiat ? quis ille scrutator majestatis, qui non opprimatur a gloria ? Mirabilis facta est, o Domine, claritas tua, tum ex se, tum etiam ex me ; quia confortata est adversum me, dum acies mea infirmata est in me, et jam non potero ad eam, sicut poteram in Adam. Potero forsitan ad claritatem siderum, qui non possum ad solem ipsum, et per hanc quandoque confortabor ad illum.

7. Eia, surge, illuminare, anima mea, quæ sedebas in tenebris : suspice luminaria cœli, leva oculos tuos in montes unde veniet auxilium tibi, si veneris ad illum qui habitat in cœlis, id est, in montibus ipsis. A montibus, inquam, veniet auxilium tibi, quia lux tibi inaccessibilis illuminat mirabiliter a montibus æternis. Susceperunt montes lucem populo, a quibus ad valles camposque descendat subjectos. Hoc itaque, dico, fratres, optimum est, nostræque infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inveniendi Jesum, si præcedentium patrum sequamur lumen prævium. Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum (*Isa.* XXVI, 7). Qui justum sequitur, non ambulat in tenebris ; non modo videbit, sed habebit lumen vitæ. Videbit ad consolationem præsentis vitæ : habebit in possessionem hæreditatis æternæ Pietas nempe promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ. Exerceamur ad pietatem, et neutro nos fraudabit qui se ultro nobis fecit debitorem (*I Tim.* IV, 8, 7, 9). Exerceamur in operibus lucis, et qui abscondit lucem in manibus suis, annuntians de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere (*Job.* XXXVI, 32, 33), nunc aliquando in solatium operis eam nobis demonstrabit, et postmodum in præmium dabit, ipse lux nostra Jesus Christus qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quibus gradibus ad sapientiæ lumen perveniatur.

1. *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum* (*Isa.* LX, 1). Benedictum lumen quod venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis ;

Digitized by Google

de cujus munere etiam dies iste, dies sanctificatus de illuminatione Ecclesiæ illuxit nobis. Gratias tibi, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ ad hoc ipsum venisti homo in hunc mundum. Illuminata est Jerusalem mater nostra, mater omnium qui illuminari meruerunt : adeo ut jam luceat omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi, lux vera, quæ lucerna es facta, ut Jerusalem illuminares, et lucerna pedibus meis Verbum Dei fieret. Gratias, inquam, tibi, quoniam ipsa Jerusalem illuminata 939 facta est lucerna, ut luceat omnibus qui sunt in domo magni patris familias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata, et super candelabrum illud totum aureum sita est ; civitas super montem montium, illa quondam derelicta et odio habita, posita est in superbiam sæculorum, ut tam longe lateque fulgeat ejus Evangelium, quam longe lateque mundi vigebat imperium. Et si opertum est ejus Evangelium, in his qui pereunt opertum est (*II Cor.* IV, 3), in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis gloria Ecclesiæ Christi. Quibus tamen non fulget ut videant, fulget ut invideant, et Ecclesiæ torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verum Ecclesia nec propter gloriam qua floret, superbiens, nec gratiam qua pollet, invidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine ; Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Mei forsitan sunt, quia prædestinati ; sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati aut justificati. Voca et ipsos in admirabile lumen tuum, et prædicabunt mecum admirabile nomen tuum. Quanquam justus quisque ac sanctus in Ecclesia ita se illuminatum gaudeat, ut adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat et doleat ; et ideo necessario, cum illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quanto namque amplius lucerna ejus illuminata fuerit, tanto verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaveris, quod in Evangelio Veritas ait : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI, 22 et *Luc.* XI, 34). Non enim, quia ex oculo sinceræ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideo consequens est ut statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostræ, ut in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, et scire quid desit sibi. Inde est quod et apud sapientes hujus mundi, qui magis sobrie disputarunt de scientia, primus numeratur gradus scientiæ, scire quod nescias.

2. Fratres, omnes vos filii lucis estis, et filii Dei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. Nox enim præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 12). Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes* V, 8). Verumtamen si, quoniam non sumus tenebræ nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, et tenebras mortis, quæ illuminari non mereantur, nobis induc mus. Quid enim, ait Lux mundi, quæ in judicium venit in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant ? *Quia*, inquit, *dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet* (*Joan* IX, 41). Video quantulumcunque, *quoniam tu illuminas lucernam meam, o Domine*, sed, quia parum est quod video, *Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Videmus ut multum per speculum et in ænigmate ; sed multum longe est hoc ipsum a claritate vera claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideo forsitan cæcus, quem apud Marcum Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat (*Marc.* VIII, 22-24), quia videlicet non nisi per speculum et in ænigmate videbat ; sed secundo imponens manum restituit eum, ita ut videret clare omnia ; quod in nobis fiet, cum nos reficiet, et sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quam cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta

3. Sed hoc ipsum per speculum et in ænigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest contingere ? Quam misericorditer mecum ageretur, quam feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere : *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, et non potui ut viderem !* (*Psal.* XXXIX, 13.) Nam delicta quis intelligit (*Psal.* XVIII, 13), quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi vere angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis ? Magnus utique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit et voluit ; nam neque et dolosus potuit, et noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal.* XXXV, 4). Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur : Ecce veniet Dominus, et illuminabit oculos servorum suorum. Ecce venisti, o lumen meum, illumina oculos meos, ne unquam 940 obdormiam in morte, ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, et ad consensum illiciat, aut, velut Isboseth, dormientem inveniens transfodiat (II *Reg.* IV, 7). Venisti, o lumen fidelium omnium, et ecce hodie de illuminatione veræ fidei, id est, lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere ; da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen veræ fidei, da et lumen veræ justitiæ, da lumen divinæ scientiæ, da etiam et divinæ sapientiæ.

4. His profecto gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, o anima fidelis, quo, fallacis mundi hujus tenebris exuta, pervenias ad patriam claritatis æternæ, ubi tenebræ tuæ erunt sicut clara meridies, et nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, tunc videbis et affluës, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum (*Isa.* LX, 5), quando replebitur divina majestate incircumscripti luminis omnis terra, et gloria ejus in te videbitur. Domus Jacob, venite, ambulemus in lumine Domini (*Id.* II,

Digitized by Google

5) : ut veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tanquam prælucente Domini Spiritu, ut per singulos gradus virtutum regnum claritatis ulterius invadamus. Qui igitur jam per fidem sumus in lumine, ex ea et per eam in amplius et serenius lumen progrediamur, primo justitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per justitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte hujus sæculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, et, de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit, *Non exstinguetur*, inquit, *in nocte lucerna ejus* (*Prov.* XXXI, 18), id est, non deficiet in tentatione fides ejus. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed exstinguitur cum fiunt. Qui enim male agit, odit lucem (*Joan* III, 20). Ideoque exstinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei; non est timor Dei ante oculos ejus, et de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumque absentia blanditur sibi, dicens : *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius* (*Eccli.* XXIII, 26, 27). Bona vero opera, etsi aliquando propter vanitatem declinandam in absconcito fiunt, ad lucem tamen internam et æternam, id est sub judicio fidei et testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt ; lucernæ utique ardentes in manibus operantium, et exspectantium adventum sponsi, qui educet quasi lumen justitiam tuam ad conspectum hominum et angelorum, et, sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, ut Deum in te, et te in Deo clarificent omnium judicia.

5. Quanta vero claritate justitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam justi, familiarius et suavius conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpe autem et fides radiat, et justitia coruscat, et adhuc tamen intellectus caligat, ut mysterium fidei, quod velut involutum tenens veneratur, explicare nesciat; signatus sit ei liber Scripturæ, quasi litteras nesciat; sed nec ad discretionem boni et mali, veri et falsi sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans justitia, scientia fere nulla. Quod tamen ad lumen justitiæ accedere oporteat lumen scientiæ, docet sermo prophetæ, qui, cum præmisisset : *Seminate vobis ad justitiam*, ut ostenderet quas interim primitias colligamus de hoc semine, subjunxit : *Illuminate vobis lumen scientiæ* (*Osee.* X, 12). Sic et Apostolus ait : *Fructificantes in opere bono, et crescentes in scientia Dei* (*Coloss.* I, 10). Tu quoque, David, sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, quomodo super omnes intellexisti? *Quia mandata*, inquit, *quæsivi*. A mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorem Domini. Nam et unctio docens de omnibus, sciens nimirum quo ordine quidque apud eam discendum sit, prius docet *bonitatem et disciplinam*, et postmodum *scientiam* : si tamen qui docendus est, primo omnium crediderit, **941** id est, elementa exordii sermonum justitiæ didicerit. Ideo ille discipulus unctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat : *Bonitatem*, inquit, *et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi* (*Psal.* CXVIII, 100, 66) Ac si diceret : Didici prima elementa, id est, fidem non fictam ; jam, quod sequitur, doce justitiam, id est bonitatem et disciplinam, ut sic demum provehat ad sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, jam justifica per bonitatem amoris, et disciplinam casti timoris, ut post magnifices munere scientiæ spiritualis. *Quos autem vocavit, hos et justificavit ; et quos justificavit illos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 30).

6. Sciendum sane quod, cum sit hæc scientia sanctorum, non tamen omnes sancti docentur eam, sed illi duntaxat in quibus nec industria gratiam, nec gratia destituit industriam; sed utrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, ut et docibilis sit homo discipulus, et spiritus adsit doctor sedulus. Cum autem varia charismata contineat hæc scientia, Spiritus tamen moderator non in unum facile confert omnia, sed dividit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum, alii illam, quæ pernecessaria est, velut in gustu dignoscentiam, atque dijudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit, *et non occident in universo sancto monte meo ; quia revleta est terra scientia Domini* (*Isai.* XI, 9).

7. Jam vero si quis post hæc et per hæc tria, fidem, justitiam atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem et gustum æternorum, ut possit vacare et videre, videndoque gustare quam suavis Dominus ; et quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, ei per Spiritum reveletur : hunc omnino dixerim illuminatum magnifice et gloriose, tanquam qui gloriam Domini revelata facie speculetur, et super quem gloria Domini sæpius oriatur. Huic utique dicere habet non propheta, sed prophetarum Spiritus : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* (*Id.* LX, 1). Fratres, non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit : sed qui non cupit, utique teporis arguitur. Qui autem cupit, noverit quia hoc lumen sapientiæ fervens accendit oratio, sicut et lumen scientiæ frequens lectio; si tamen cum legis, lucernam ardentem adhibueris, id est justitiam operum, piorumque experientiam sensuum. Tu autem, Domine, Pater luminum, qui lumen de te lumine unicum tuum mi-

Digitized by Google

sisti illuminare tenebras mortalium; da nobis per viam luminum pervenire ad lumen æternum, ut placeamus coram te in lumine viventium, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De nova nostra nativitate et vita

1. Secunda nobis hodie, fratres, nativitas celebratur, quæ de illa prima nativitate, tanquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem, quam usque hodie celebravimus, nativitas Christi est ; ista, quam hodie celebramus, nativitas nostra est. In illa namque Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quæ nos faciunt christianos, fides, Baptismus, et altaris participatio, hodierna dies fidem nobis initiavit, Baptisma consecravit, ac mensæ cœlestis miracula præformavit. Quomodo sane prima gentium illuminatio fidem nobis initiaverit, quomodo Christus baptizatus Baptisma nostrum consecraverit, qualiter illa conversio aquæ in vinum, mutationem rerum in convivio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam jam opus est ut doceamus ; sed illud arbitror operæ pretium, ut nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis a suis degeneret initiis, ne vacuetur in nobis gratia Baptismatis, ne cedat nobis in judicium participatio calicis Christi

2. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis, primis videlicet auctoribus suis, nobis hodie tradita sit; qualiter 942 maximum fidei sacramentum mysticis insinuaverint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri, ut ex ea parte nullus jam alius labor quam in labores eorum introire nobis resederit. Sed neque magnopere postulat status, imo ruina temporis hujus, ut de mysterio fidei disputetur sed ut magis id modis omnibus elaboretur ut, sicut Apostolus ait, in conscientia pura idem fidei mysterium habeatur (*I Tim.* III, 9). Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes fere invenies christianissimos; si conscientias discutias, paucos admodum invenies vere christianos. Totus fere mundus confitetur verbis se nosse Deum. factis autem negat (*Tit.* I, 16); adeo ut et qui speciem pietatis videntur habere, virtutem ejus sæpius inveniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem, fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam sæculi ambulant, intelligitis, quid illi vel de sola præferunt pietatis specie, qui nomine solo christiani, atque in vacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ huic inimica sunt nomini; qui omni specie conversationis et modo vitæ, se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus, habitus et incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, et omnis illa vitæ contumelia, quæ publice et gloriabunde, velut in faciem pietati irrogatur? Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est et dicere (*Ephes.* V, 12). Fodiat parietem eorum qui ad ipsos missus est prophetare, ut adhuc majores abominationes videat, quas non erubescunt aut verentur coram illa tremenda majestate perpetrare. Quid enim mihi, qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt judicare? Utinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset judicare. Ad me ipsum namque cónturbata est anima mea, dum scilicet vereor ne hæc ipsa species pietatis, quam utcunque vobiscum gero, gravius me incipiat accusare, si pietatem ipsa me convicerit abnegasse.

3. Omnino, fratres, verendum est mihi, an vero et vobis ipsis, vos videritis, ne ad nos præcipue spectet ille sermo qui per Apostolum prophetatus est de temporibus novissimis; ubi, cum malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifeste legi potest in vita et moribus eorum, longum tandem sic conclusit malorum catalogum : *Habentes*, inquit, *speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III, 5). Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ et habitus, parcimonia cibi et potus, labor fere continuus, et ordinatissimus per omnia vivendi modus? Cæterum de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quam prope nihil in me meique similibus valeat inveniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro, fratres, relinquimus judicio ; de me siquidem ingenue confiteor, quia nomina quidem earum scio, saporem adhuc ignoro. Merito itaque pudorem mihi pariter et timorem incutit habitus quem gero religionis, cui fere nullum suffragatur testimonium virtutis. Numquid enim tuto mihi possum usurpare monachi nomen et honorem, cujus non habeo meritum et virtutem ; cum, sicut ante nos dictum est, simulata sanctitas, duplicata sit iniquitas (Aug. *in psal.* LXIII); et lupus sub ovina pelle deprehensus graviore sit sententia percellendus? Propterea vos quoque, fratres, ut tuto gloriari possitis, in hac, qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute ejus; ut species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant tam angelis quam hominibus, sitque, sicut scriptum est : *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos quia isti sunt semen cui benedixit Dominus* (*Isa.* LXI, 9).

4. Hæc est, fratres, christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Ut enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendaverunt Magorum munera, fideliter et digne conservaremus immaculatum in conscientia pura, hodie itidem 943 Christus baptizatus, non sibi sed nobis, *Aspersit*, sicut Apostolus ait, *corda a conscientia mala, et abluit corpora aqua munda* (*Hebr.* X. 22) Quam felix, o fratres, anima illa,

Digitized by Google

quæ sic lota in salutem, mox evestigio secuta est Salvatorem, ut deinceps adhærens ei cum Apostolis, illam meruit audire vocem : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus!* (Joan. XIII, 10.) Cæterum qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? (*Eccli.* XXXIV, 30.) Ego postquam Baptismo lotus fui, non unum mortuum, sed tot mortuos quot opera mortis, tetigi; et, juxta Petrum apostolum, contigit mihi illud veri proverbii, *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* (*II Petr.* II, 4). Quid igitur faciam? quibus ulterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut una fides, sic unum Baptisma est, nec secundo Baptismati locus est, quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur; qui sicut semel mortuus est, sic et semel baptizatus est, ut et nobis unici modum et formam Baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan ulterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Elisei, etiamsi totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit, *et lavare septies in Jordane, et mundaberis.* Si dixisset, Lavare ter, mundaberis, continuo intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, diceremque totum illud miraculum gratiam prophetare Baptismatis, ut jam tunc Jordanis de virtute Dominici Baptismi cœpisset ad salutem gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, *lavare septies in Jordane*, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Jordanis ille? Jordanis, ut aiunt, interpretatur *Descensus eorum.* Quorum? Illorum utique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quanto profundius descendunt per gradus humilitatis, tanto se penitius mergunt et plenius abluunt spiritualis alveo Jordanis.

5. Ad meipsum, o Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum; propterea memor ero tui de terra Jordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis mundaveris Naaman leprosum. *Descendit*, inquit, *et lavit septies in Jordane, juxta sermonem viri Dei, et mundatus est.* Descende et tu, o anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Jordanis, qui de fonte domus David, toto jam profluit orbe in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ, de domo pariter et exemplo profluens Christi, toto jam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos, Naaman Syri : non enim unus, sed innumeri : o, inquam, divites, sed leprosi; superbi, sed ærumnosi; quare tam vehementer abhorretis lavari his medicinalibus aquis? cur vobis ita viluit noster iste Jordanis præ fluviis Damasci? Dicitis enim, si forte quærentibus aliquando consilium salutis imitanda prædicetur humilitas et paupertas Christi : *Nunquid non meliores sunt fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis, et munder?* (*IV Reg.* V, 10, 14, 12.) Nunquid non est A melius, et ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quam semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi, Naaman. Fluvium Damascenum absorbebit Leviathan, et non mirabitur; nam de Jordane si habeat fiduciam quod influat in os ejus (*Job* XL, 18), spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem christianam, virtutibus affluas : cum etiam pauperes Christi devorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secundum nomen suum, *Civitas sanguinis* est, et aquæ ejus sanguine mistæ sunt; quia opera etiam bona carnalium et sæcularium, vix a quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem B mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est, curabit? At Jordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

6. Audi saltem, o Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naaman recedebat indignans adversum virum Dei, quem consulerat; at illi, *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis et 944 sapientiæ plenum; quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit adversus hominem ipsum. *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.* Non C credere namque Prophetæ, Dei est injuria : non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius et invidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, ubi salus est in promisso? Quanto magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Jesu quia mitis est et humilis corde, cum in eo pariter inveniatur et requies animæ, et præsens medela spiritualis lepræ, pignusque salutis æternæ? Tandem vix ægreque obtinetur a superbo peccatore ut descendat in Jordanem et lavet; si tamen septies lavat, totumque se plenius et sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed, proh dolor! quanta est hujus nostri miseria temporis! quia non solum divites, sed D etiam pauperes leprosi, ita inveniuntur delicati, ut vix usque ad talos salubribus intingi patiantur aquis : aut si semel laverint, mox sibi plenissime videantur mundati.

7. Et Elisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, *Septies lavare, et mundaberis.* Sciebat nimirum humilitatem Christi, quæ nobis imitanda est, si perfecte volumus mundari, septemplicis esse virtutis. Prima virtus, quod, cum dives esset, pauper factus est. Secunda, quod paupertati extremitatem adjiciens, in præsepi positus est. Tertia, quod Matri subditus. Quarta, quod servi manibus hodie inclinavit caput. Quinta, quod discipulum furem tulit et proditorem. Sexta, quod sic fuit mansuetus ante iniquum judicem. Septima, quod

Digitized by Google

crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis a longe, gigantem sequeris, si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem eligis, si monasterii subditus es disciplinæ, si minorem tibi pateris præesse, si falsos fratres æquanimiter tuleris, si mansuetudine vincas cum judicaris, si charitatem rependas illis a quibus injuste pateris. Hæc humilitas plane sine injuria unici Baptismi rebaptizat : quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem et sepulturam criminum instaurat; et quod in illo Baptismo gestum est specie, hic rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit, spiritum adoptionis restituit : Pater agnoscit filium, quippe in innocentia et puritate pueri regenerati reformatum. Unde bene de Naaman Scriptura meminit quia *restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli* (*IV Reg.* v, 13, 10, 14) : significans, ut arbitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solum corda recuperant innocentiam parvulorum; sed etiam corpora secundum quemdam modum puerilem sibi vindicant puritatem mortificatione membrorum. Sic enim de quodam sanctorum legitur, quia in membris defuncti, septennis quodammodo pueri gratia videbatur (*De S. Martino dictum apud Sulpicium*). Ecce, fratres, qui primi gratiam Baptismatis tantis voluptatum sordibus amisimus, ecce verum Jordanem, descensum scilicet humilium, ubi die rebaptizari licet, invenimus. Hoc tantum est, ut non parcamus nobis de die in diem descendere profundius, et plenius mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cujus humilitas et formam Baptismi hodie dedicavit credentibus, et gratiam non disparem reservavit pœnitentibus. Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SERMO I.

De cæremonia luminum hoc festo usitata.

1. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc*, XXII, 35). *Sint lumbi nostri præcincti*, ut Purificationem Mariæ æmulemur ; *sint lucernæ ardentes in manibus*, ut gaudium Simeonis, lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, et mundi corde; et Purificationem Mariæ expressimus : simus ardentes devotione, et lucentes opere; et cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quam mysterium Purificationis commendavit, implendo legalem, 945 significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit, imo quæ ipso conceptu plane purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuisset [*alias* habuit]? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine (*Job*. XIV, 4), qui fontem quo immundus purificetur edidit, fontem domus David, qui hodieque patet indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, et menstruatæ? (*Zach*. XIII, 1.) Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul et obedientissimæ humilitatis virtutem, et evangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Ubi nunc ille, qui tam fallaciter quam contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit ; nunquid sicut sanctarum Sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Utinam, fratres mei, utinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam vere habuerunt sancti in virtutibus suis. Sed omittamus nunc istud, ut quod cœpimus prosequamur. Ac primo quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria, offerens pro se et pro Filio par turturum aut duos pullos columbarum, nobis commendavit, prosequeremur, nisi quod patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt; et quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatem mentis pertineat, diligenter discurrerunt; nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de uno turture vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc unum tamen adjicimus, quod quanto notiora nobis sunt mysteria, tanto districtius et justius eorum a nobis exiguntur opera ; quia scienti bonum et non facienti, peccatum est illi (*Jac*. IV, 17); et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis (*Luc*. XII, 47).

2. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum, etiamsi nunquam sit auditum. Quis enim hodie, cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui, hodie Jesum accipiens in ulnas suas, Verbum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat? Erat profecto et ipse lucerna ardens et lucens, testimonium perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, ut, suscipiens misericordiam tuam, Deus, in medio templi tui prædicaret ipsam esse misericordiam, et lumen populi tui. Vere tu, senex serene, lumen portabas non modo manibus, sed et sensibus ; qui sic eras illuminatus, ut, cum tanto ante futuram illuminationem gentium tam clare videres, etiam nunc inter tenebras Judaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei

Digitized by Google

nostræ tibi coruscaret. Lætare jam, senior juste, vide jam quod prævidebas : discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius quod occultum in sinu fovebas, imo quo sensus tuos refovebas. O fomes amoris, ipse amor suavis et dulcis ad refocillandam animam! Prorsus suavis et dulcis, etiam cum crucias et affligis ; cruciatus feliciter delectans, sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste, fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit ; imo illum ignem exstinguit, qui, in sinu celatus, non modo vestimentum adurit, sed et quod vestitum est, depascit, id est, corpus et animam pariter consumit. *Deus*, inquit, *noster ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24), sed ignem consumentem ; nam animam refovet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparatque pereuntem. Hujus ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fota illius calefaciebat. Quanto salubrius et suavius ignis iste senem nostrum calefecit, quam regem David Abisag Sunamitis? (*III Reg.* I, 17) Nisi forte Abisag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet, cujus amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reviviscunt mortui.

5. Amplectere igitur, o beate senex, sapientiam Dei **946**, et recalescant atque recanescant quasi de novo sensus tui ; astringe uberibus tuis misericordiam. Dei, et erit senectus tua in misericordia uberi. *Inter ubera*, inquit, *mea commorabitur* (*Cantic.* I, 12), etiam cum reddam illum Matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna ubera continebitur, nihilominus inter ubera mea commorabitur, et ubera quoque mea inebriabit misericordia uberi; etsi non quantum ubera Matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet ubera uberis misericordiæ. Gratulor et gratificor tibi, gratia plena, quæ misericordiam genuisti quam suscepi; cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini; dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia, fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis, accendite et vos cereos vestros de illius mutuatione luminis, lucernas dico quas Dominus jubet esse in manibus vestris (*Luc.* XII, 35). Accedite ad eum, et illuminamini, ut non tam lucernas feratis quam ipsi lucernæ sitis, lucentes intus et foris, vobis et proximis. Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat vobis : lucerna in manu vel ore luceat proximis Lucerna in corde, est pietas fidei ; lucerna in manu, exemplum operis ; lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solum autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem et sermonem, sed et coram angelis, per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram angelis est pura devotio, cum in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter : lucerna coram Deo, simplex intentio, ut soli placeamus, cui nos probavimus.

4. Et ne putemur, in his quæ dicimus, sensus nostri somnia secuti fuisse; probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis Scripturæ. Quod enim fides lucerna sit, testatur Salamon loquens de muliere forti, *Non extinguetur in nocte lucerna ejus* (*Prov.* XXXI, 18) ; quod utique intelligimus, Non deficiet in tentatione fides ejus. Nam et de charitate, quæ nihil aliud est quam fides operans per dilectionem, apud eumdem legimus Salomonem : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (*Cantic.* VIII, 6, 7). Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cum ait, *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35) : et, *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (*Matth.* V, 16). Quod sermo ædificationis lucerna sit, David dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). Et Petrus apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis*, inquit, *intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco* (*II Petr.* I, 19). *Declaratio* quoque *sermonum* Dei *illuminat, et intellectum dat parvulis* (*Psal.* CXVIII, 130), sive cum sermones evangelici declarant umbram legis, sive cum ipsi sermones tam Evangelii quam legis declarantur expositionibus discretis, qui non intelligentibus parvulis videbantur obscuri ; et in lumine dicimus quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cujuslibet ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eo quod de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, fratres mei, quidquid spiritus ejus digna tione sua loquitur in vobis ; omnem utique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in provocationem charitatis. Si quis ergo vestrum loquitur, quasi sermones Dei (*I Petr.* IV, 11) ; ut etiam in privatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed si quis est ad ædificationem fidei, ut gratiam det audienti ; ut qui audierit, dicat gratias agens tibi, Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). De oratione autem quod et ipsa lucerna sit, maxime si divinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait : *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (*Prov.* XX, 27). Lumen namque quod nobis orantibus vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suaviter respiramus. Hujus lucernæ videtur Job recordari, cum in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ consolationis, ait : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos, secundum* **947** *dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris?* (*Job* XXIX, 2, 3.) Cæterum quod lucerna hæc dicitur investigare omnia secreta ventris, id est

Digitized by Google

mentis; non illud esse putandum est, quod Dominus comminatur se scrutaturum in lucernis (*Sophon.* I, 12): cùm istud gratiæ sit illuminantis, illud judicii exquirentis. Nam et aliter investigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnifici. Jam vero de intentione, quod et ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat, si tamen evangelicum illud intelligat: *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Matth.* VI, 22, et *Luc.* XI, 34).

5. Ut igitur tot lucernas vobis, fratres, illuminetis, accedite ad fontem luminis, et illuminamini, Jesum dico, qui lucet in manibus Simeonis, ut scilicet fidem illuminet, opus illustret, sermonem homini subministret, orationem inflammet, intentionem purget; ut sive opere, sive sermone vel oratione quæratis placere coram eo in lumine viventium, qui scrutari habet Jerusalem in lucernis suis (*Sophon.* I, 12), et examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis, o fili lucis, jam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit sententia maledicti, *Qui maledixerit patri, vel matri, exstinguetur lucerna ejus in tenebris* (*Prov.* XX, 20), id est, deficiet consolatio hujus lucis, irruentibus undique hinc exterioribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim, cui tot interius ardent lucernæ, cum exstincta fuerit lucerna hujus vitæ, orietur lux inexstinguibilis vitæ, et quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperum: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies (*Job.* XI, 17, 18, et *Isai.* LVIII, 10). Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te; sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam; quia Agnus lucerna est novæ Jerusalem cui benedictio et claritas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Quanto sit affectu occurrendum Jesu adventi.

1. Sicut ad diem nativitatis, id est adventus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio et vox laudis, *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et ad diem apparitionis, id est, nostræ illuminationis, illud quod sequitur: *Deus Dominus et illuxit nobis*, sic etiam quod subsequitur, *Constituite diem solemnem in confrequentationibus* [Vulg. *in condensis*] *usque ad cornu altaris;* non absurde, ut arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis utique celebrem, frequentia solemni, diem scilicet Dominicæ Præsentationis, quando a Matre solemniter ad altare præsentatus est Patri. Nam et in eo quod adjungitur, *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te; confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem* (*Psal.* CXVII, 26-28), quid tam convenienter accipimus quam fidem et confessionem Simeonis et Annæ, *quæ et ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant consolationem Israel.* (*Luc.* II, 38)? Bene ergo citharista noster monebat lætari Jerusalem et conventum facere in die tam solemni: *Constituite*, inquiens, *diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris* (*Psal.* CXVII, 27). Non mediocris aut parum solemnis illa frequentia fuit, cum inde venit Jesus et Maria cum turba parentum inducentium puerum, *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo* (*Luc.* II, 27); inde occurrit Simeon et Anna cum turba exspectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo.

2. Non crediderim ego de hac solemnitate quæ tam pium, tam lætum conventum habuit, illam fuisse prophetæ querelam lacrymabilem, *Viæ Sion lugent, quia non est qui veniat ad solemnitatem* (*Thren.* I, 4): nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Judæa et Jerusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, et de ipsis paucis paucissimi, ut arbitror, eum receperunt, cum præsentem viderent diu exspectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat repromissum: *Ecce*, inquit, *veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis* (*Malach.* III, 1). O Judæi, adest, ecce, Dominator quem vos quæritis; 948 cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis et non quæritis. Sed si quæritis, quærite: convertimini et venite (*Isai.* XXI, 12). Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de servitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captivitate vitiorum. Si vere utique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui salvum faciat populum suum a pecatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam, ut ait Daniel: *Humillimum hominem constituet Deus super omne regnum* (*Dan.* IV, 14). Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem justitiæ, quia justitia firmabitur thronus ejus (*Prov.* XXV, 5), et justitia et judicium præparatio sedis ejus (*Psal.* LXXXVIII, 15). Quia enim perfecte non quæritis, ideo nec præsentem invenitis, sicut de vobis ipse prædixit: Quærent me mali, et non invenient me, quia oderunt me (*Joan.* VII, 34-36). Quærent absentem, nec invenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cum sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inveniri. Simeon namque, quia pio et fideli quærebat desiderio, quæsitum invenit, et inventum agnovit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas (*I Joan.* V, 6); virtus utique quæ de ipso procedit, unctio docens de omnibus, quæ de illo, singulariter secundum nomen suum uncto, multipliciter profluit.

3. Quid autem putamus, fratres mei, unctus iste, qui ungit etiam quos non tangit, quomodo candidum et sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in ulnas suas, astringeret eum uberibus suis, et gestiret includere, si posset, in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suavis et mitis, qualem

Digitized by Google

insinuabat serpens castissimo sinu pii senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem et salubrem, imo quam omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat unctus in unctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem; ut nimirum doceret unctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Unguentum*, inquit, *exinanitum* [Vulg. *effusum*] *nomen tuum* (*Cantic.* I, 2). Hoc siquidem unguentum exinanitur, cum a quadam duritia sui resolvitur, non ut pereffluat substantia illius, sed ut fluant aromata illius, ut quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima senis liquescebat in amplexu hujus uncti, vel unguenti, ut diceret: *Anima mea liquefacta est*, ut dilectus meus infusus est mihi. Infusio itaque unctionis, testimonium est uncti. Hæc seni testabatur de puero, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis et charitatis, veritate docens, charitate urgens et accendens, et omnia interiora gelidi senis ponens, quasi cum unguenta bulliunt. Motus bullientium unguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, jubilus affectuum pariter dicentium (si tamen aliquid exprimere valentium), *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te* (*Isa.* XXV, 1). *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (*Luc.* II, 32), annuntians te. Confitebor, inquam, tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lacrymis dicentem, *Quando consolaberis me?* (*Psal.* CXVIII, 82.) Exaudisti me, et nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me; quia factus es mihi in salutem (*Psal.* CXVII, 28). Jesus mihi factus ex semine David secundum carnem, qui David et omnia fecisti secundum deitatem, omnibus quidem generaliter factus es in Salvatorem; sed mihi specialiter factus es in salutem, pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, et oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum, o Domine, Pater Domini mei Jesu Christi, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?* (*Psal.* CXVIII, 82.) Factus eram sicut uter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, et totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperavi, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speravi jam video, quod desideravi teneo, quod concupivi complector. Video Deum Salvatorem meum in carne mea, et salva facta est anima mea. Viderunt oculi mei salutare Dei, et illuminati sunt interiores 949 oculi mei, qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum hujus pueri, hujus hominis novi, renovata est ut aquilæ juventus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar. Introibo ad altare Dei, ubi Maria Jesum offert Patri, ad Deum qui lætificat senectutem meam, imo renovabit juventutem meam (*Psal.* XLII, 4).

4. Nec minore fortassis gaudio exsultabat cor Annæ in Domino; quæ, ut arbitror, tanto majoris fuit meriti, quanto altioris propositi et sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis: cum illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro; hæc quomodo Deo: illa de thoro viri quæreret sobolem; hæc de sinu Patris peteret Salvatorem. Hæc igitur, quodam presagio gratiæ excellentis quæ in vita ejus efflоruit, qua etiam gratiam Redemptoris agnoscere et prædicare meruit, gratiæ nomen accepit; exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, et vivum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem Legis et initium Evangelii sentiens propinquare, ritus Judaicos christiana jam cœperat pietate mutare, jejuniis potius et orationibus serviens nocte ac die, quam cibis et potibus et variis baptismatibus, justitiis carnis, non animæ. Inde erat quod benedictione filiorum, quæ in Lege magni habebatur, contempta, nomen melius a filiis et filiabus elegerat, et jam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum lignoque insidere arido, tanquam turtur amissa semel conjuge, gaudebat.

5. Ecce habes par turturum, senem justum, et viduam anum, utrumque castum, utrumque desiderio Redemptoris gemebundum; qui utique semetipsos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, Domino et pro Domino obtulerunt. Par turturum sane dico, non conjugum, sed conjunctorum, non copula matrimonii, sed sacratioris mysterii; pares nimirum fide, æquales castitate, similes devotione, consortes prædicatione gratiæ, ambos provectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Evangelium, evangelicæ puritatis ac pietatis in utroque sexu primitias dedicaverunt. Hi duo vario decore virtutem adornaverunt thalamum tuum, Sion, ad suscipiendum Christum Regem; non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui, secreta cubiculi, ubi adorare Patrem in spiritu et veritate jubemur (*Joan.* IV, 23), ubi et suscipitur qui in manufactis se nequaquam habitare testatur (*Act.* VII, 48). In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens et lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix habet ubi reclinet caput suum, et secundum Isaiam, *Aporiatus est, et non est qui occurrat* (*Isa.* LXIX, 16). Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solemnitatem et lætitiam, eo quod consummatio abbreviata inundet justitiam, et consummata atque abundans justitia paucorum facile compenset infidelitatem multorum.

6. Mihi omnino celebris est iste conventus, mihi solemnis ista processio, omnique festiva gaudio, ubi hinc advenit puer et puerpera, Jesus et Maria; inde occurrit senex et vidua, Simeon et Anna; hinc Dominus et Domina, inde servus et ancilla; hinc Mediator et Mediatrix, inde tam fideles tamque devoti ipsorum testes et ministri. In hoc denique conventu misericordia et veritas obviaverunt sibi, misericordia scilicet redemptionis in Jesu,

Digitized by Google

veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, justitia et pax osculatæ sunt; dum justitia piorum senum, et pax reconciliantis mundum invicem in osculo affectuum et gaudio Spiritus consociatæ sunt. Recte ergo quod hac nocte cantavimus, ad lætitiam hujus diei pertinere credimus, salvo duntaxat alio profundiore intellectu: *Lætare, Jerusalem; et diem festum agite, omnes qui diligitis eam* (*Id.* LXVI, 10). Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethlehem de nativitate: lætare et tu, Jerusalem, de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, et in Bethlehem natus est, in Jerusalem est susceptus et prædicatus. *Et diem*, inquit, *festum agite*, sive conventum facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Jerusalem, id est, Festiva devotione convenite in templum, ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

7. Jam vero, fratres, si moraliter, sicut mos vester **950** est, ædificari vestra quærit Sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione considerent personas; quarum vita, non solum ecclesias illustrat, sed et cœlos adornat: Jesum loquor et Mariam, Simeonem et Annam. Et, ut ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo, in Anna, quæ jejuniis et obsecrationibus serviebat nocte ac die, jejunium nobis commendatur et oratio; in Simeone, qui tanto Jesum amplectitur gaudio, pietas et devotio; in Maria, quæ cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis legem nihilominus implevit, humilitas et obedientia; in Domino autem Jesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, charitas et misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cujus laus, ut comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter; cum in senibus fuerit labore continentiæ; in puella, munere gratiæ; in puero, jure et proprietate naturæ, non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solum hujus virtutis, sed etiam omnium origo et perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conservatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus, tam virginis Mariæ, quam Simeonis et Annæ meritis suffragantibus, ut quod minus habemus virtutis largiatur, quod largius fuerit tueatur; ut depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, qui vivit et regnat per omnia sæcula seculorum. Amen.

SERMO III.

Quomodo Simeon imitandus.

1. Senex puerum portabat, senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum a Deo impleverat Deus senem istum, ut ostenderet ei salutare suum in vultu nostro; sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, ut ostenderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum; quod videlicet dies suos super dies regis adjiceret puer ille, juventutemque ejus renovaret ut aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur plenus dierum, libentius accipiam plenum virtutum quam temporum: cum tempora statum nullum habeant, quoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quam adimpleant. Sed neque magnum est, imo magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus; cum puer centum annorum moriturus sit, et peccator centum annorum maledicendus (*Isai.* LXV, 20). Ideo, *Si annis multis vixerit homo*, ut ait Salomon, *et in omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui eum venerint, vanitatis arguentur præterita* (*Eccle.* XI, 8). Cæterum e contrario, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8, 9). Si hac utique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic namque scriptum est: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperitur* (*Prov.* XVI, 31). Et quæ est illa senectus, *quæ est in viis justitiæ reperitur*, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? ipse namque merito justorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit justis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, ut sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, sive sapientiam senum factam puerum, in viis justitiæ, cum scilicet in spiritu venit in templum, reperit, et comperit in veritate; quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, Verbum in carne. O infantia, o senectus! quam bene vobis pariter convenit in hujus pueri sensibus et moribus; quo utique nihil innocentius, sed nihil sapientius, nihil jucundius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil justius!

951 2. Vobis, o filii hominum, vobis jam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei Sermo, ut videlicet malitia sitis parvuli, sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui; alii sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, et, prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum et gratum utrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, et de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus, aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, et puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est Verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus.

Digitized by Google

ipsum utique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis et ordinem vitæ grata et salubri suavitate temperabit. Non solum autem mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens et devotus orator venias in templum, ut dicas quotidie Deo : *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo* (*Psal.* v, 8). Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo utique præsentiorem et suaviorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione : quanquam hoc ipsum diverso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, sive pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facile videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum et in ænigmate eam intueri datur : quiddam tamen ipsius, cum Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, et cantare lætabundi : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui* (*Psal.* XLVII, 10). Beatus qui ut dignius et crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat.

3. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa majestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit : Et ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentiæ et gloriæ tanti Regis congruus ornatus? Frustra, inquit David, paupertatem quispiam causetur : *In pace factus est locus ejus* (*Psal.* LXXV, 3); et : *Justitia et judicium præparatio sedis ejus* (*Psal.* LXXXVIII, 15). Simeon utique quia hujusmodi palliis thalamum adornavit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace invenerat locum Domino, quia sedem præparaverat ei in justitia et judicio? *Homo*, inquit, *erat in Jerusalem, cui nomen Simeon; et homo iste justus et timoratus* (*Luc.* II, 25). In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Jerusalem, id est, in visione et amore pacis; de qua scilicet Jerusalem audierat David promittentem : *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem* (*Psal.* CXXIV, 1, 2). Et, ut noveris quia pacis habitator et amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis et æternæ Jerusalem præ omnibus requirebat; cum pacem Dei et hominum Jesum, qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit, hæc prima vox de pectore senis jamdudum pacem meditantis erupit : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace* (*Luc.* II, 29). Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens utraque unum, non solum Judæum et Gentilem, sed etiam Deum et hominem, et in homine spiritum et carnem : jam hoc solum superest desideriis servi tui, ut *in pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV, 9); et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, me totum in illius summæ et simplicis unitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui : requiescat in pace qui pacem quæsivit, et quæ pacis sunt sectari semper studuit. Sic quippe Isaias ait : *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulavit in directione sua* (*Isai.* LVII, 2). In pace utique Simeon straverat cubile suum, **952** qui omnibus aliis curis ejectis solum in corde meditabatur Jesum, ubi et reclinavit susceptum. In directione quoque sua ambulaverat, qui justus et timoratus erat, et exspectans consolationem Israel, adventanti quotidie desideriis occurrebat.

4. In eo igitur quod justus dicitur et timoratus, justitiam et judicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et justitia quidem suo nomine demonstratur : judicium vero timoris nomine, vel timor nomine judicii ideo recte accipi posse putatur, quia scilicet timor non solum nascitur de futuri consideratione judicii, sed etiam operatur nunc in nobis quamdam illius formam et exsecutionem judicii. Qui enim prohibemur judicare ante tempus de proximis (*I Cor.* IV, 5), jubemur de nobis ut, dum nosmetipsos dijudicamus, a Domino non judicemur (*I Cor.* XI, 31, 32). Porro timor iste sanctior est, cum justitiam sequitur, quam cum præcedit : quia qui præcedens ad justitiam initiat, sequens eamdem consummat et conservat; dum scilicet de justitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, ut post judicium sui adhuc de subtiliore judicio suspectus sit, dicatque sibi : *Qui judicat me Dominus est* (*I Cor.* IV, 4), qui cum acceperit tempus, etiam justitias judicabit. Qui sine timore isto est, non poterit justificari (*Eccli.* I, 28), ut Scriptura testatur; quia quantumcunque se justis exercitet operibus, alieni comedunt robur ejus, dum suam volens justitiam constituere, justitiæ Dei non est subjectus.

5. Vigilanter itaque Evangelium perfectam commendans Simeonis justitiam, non ait : Timoratus et justus, ne timorem, qui est initium justitiæ, intelligeremus : sed ait, *justus et timoratus*, ut timorem, qui justitiæ per omnes gradus comes individuus ipsam promovet et tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putaverim otiosum, quod non timentem dixit, sed timoratum : non novum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum; sed qui utique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia et gravitate sermonem ornaret et vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris et exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resolvebat, qui consolationem Israel exspectabat. Quod et ipsum ad suæ cumulum adje-

Digitized by Google

cerat justitiæ, ut sollicitus non pro sua tantum, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret exspectatione.

6 Denique, ut manifestius audias quam pretioso ac vero nitore virtutum, non fuco colorum adornaverat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo*. Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est templi sui, ambitione et gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon : cum ille sapientiam, qua florebat, in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamen, o infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quod cum satis tibi prædictum esset : *Ecce veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis* (*Malach.* III, 1) ; adorna thalamum tuum, Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ, civitas Sancti* (*Isai.* LII, 1) : tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in adventu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios psalmos, aut cantica ; omnino inhonoratum, insalutatum remittis, qui te salvare venerat. Ideo utique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur ; imo non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Tibi enim, Domine, templum augustius, amplius et perfectius, scilicet Ecclesiam magnam a solis ortu usque ad occasum fides ædificabit gentium, et secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ ; unde etiam hodie laudes audivimus, gloriam justi, voces scilicet laudantium et dicentium : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal.* XLVII, 11, 10), id est, in communione sancti populi tui. O fratres, suscepistis misericordiam Dei et vos, imo abundantius vos : videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo **953** vestra devotio : quem Simeon hodie portavit in sinu suo, vos omni die glorificate et portate in corpore vestro Jesum Christum Dominum nostrum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De quatuor purificationis nostræ generibus.

1. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ* (*Luc.* II, 21). Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, ut significet quæ moraliter a nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recensetur, manifeste de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moveat auctoritas exempli, cum videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis; quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit? Quare ergo, tanquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis quæ muliebri provisa est infirmitati, quæris remedia? *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III, 15), ut quæ summæ mater electa sum justitiæ, speculum quoque sim totius et exemplar justitiæ. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, ut vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla. Mater prævaricationis peccavit et excusavit procaciter : mater redemptionis non peccet, et satisfaciat humiliter ; ut filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.

2. O filii hominum, tempus purgationis advenit, quando Mater summæ puritatis, de cujus purgatione dies festus est nobis, pariter et fontem edidit, et exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, o fratres, et suavius fonte purgari quam igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint : quando scilicet Judex ipse, *quasi ignis conflans, sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi* (*Malach.* III, 4, 5). Nunc Christus aqua diluens; tunc ignis consumens. Modo fons patens in ablutionem peccatoris et menstruatæ, tunc flamma sæviens et ignis vorans usque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu ejus, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit* (*Psal.* XVII, 19). Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorii : qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui prophetæ labia purgavit (*Isai.* VI, 5-7). An vero et illi carbones hujusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur : *Ecce dati sunt tibi carbones, et sedebis super eos ; hi erunt tibi in adjutorium* : vobis relinquo dijudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille, quem Dominus Jesus misit in terram (*Luc.* XII, 49), si vehementer (sicut est voluntas mittentis) in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in judicio purgabit filios Levi, non ligna, non fenum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Uterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat ungendo, ille urendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus judicii et spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem lavabit de medio ejus.

3. Est quidem et in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion : sed longe clementius et mitius purificata est illa, quam beatam prædicant filiæ Sion, cui scilicet dictum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ; non ista, quæ quadam mystica dispensatione tantum specie tenus hodie celebrata

Digitized by Google

est. Hæc plane fuit tota ac vera sanctificatio 954 A Matris et Filii, sicut et angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit, *et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Antea namque purificanda erat natura mortalis, ut Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cum concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, et ea quæ Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filiæ Sion quæ mollius et dissolutius vivunt, et ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu judicii et spiritu ardoris; Virgo perpetua ac singularis, quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ et refrigerio roris Omnium sane purgationum, quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio Virginis mitissima B atque felicissima fuit: nam illa filiarum Sion quæ purgatorio fiet igne judicii, sicut novissima, sic et severissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possimus aspirare, et in illam, si sapimus, semper formidamus incidere. Omnino si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quam strepitu verborum: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI, 2).

4. Necessarie igitur nobis et misericorditer inter utrumque genus purgationis, illud summum ad quod non attingimus, et illud ultimum quod metuimus, alia purgationum genera pietas providit divina, sicut tempus et locum pœnitentiæ, sic plu- C rima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendi; ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportune et commode his diebus purgationis nostræ purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis et fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor invenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: aquam scilicet et sanguinem, spiritum et ignem. *Hic est*, inquit Joannes, *qui venit per aquam et sanguinem. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto* D *et igni* (*I Joan.* V, 6, 8). Aqua baptizavit, pedesque discipulorum lavit, dedicans baptismum quoque lacrymarum, quæ de contritione profluunt cordis. Sanguinem fudit; ut et nos mortificatione corporis participantes ejus passioni, lavemus stolas nostras in sanguine Agni. Spiritum dedit; ut charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ, si minus perfecta est, ut tot et tanta non sufficiat operire, admovet ignem conflator ille, qui purgat filios Levi; et quidquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, ut tandem decantare possint: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psal* LXV, 12). Sic nempe et mundus iste prius baptizatus aqua diluvii, postea purgatus igne judicii, in novum transibit statum incorruptionis.

5. Denique, ut teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lacrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem; numquid et illud excusabunt, quod Salomon commendat: *Per misericordiam*, inquiens, *et fidem purgantur peccata?* (*Prov.* XV, 27; XVI, 6.) Quid misericordia suavius? quid fide jucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc ungit affectus, illa sensus illuminat, dirigitque gressus: ut ad lumen ejus ambules in tenebris, ut invisibilia contempleris, et futuram tuam beatitudinem jam animo præsumptam mediteris. Bene autem dicitur, *per misericordiam et fidem* purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit propheta: *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum* (*Dan.* IV, 24); et Dominus prophetarum: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). De fide autem ait Apostolus: *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9); et Dominus apostolorum: *Vade*, inquit, *fides tua te salvum fecit* (*Marc.* X, 52). Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo et hominibus servamus; ut quod hic dicitur: *Per misericordiam* 955 *et fidem purgantur peccata* (*Prov.* XV, 27), et paulo post: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas* (*Prov.* XVI, 6), eadem sit in diversitate verborum repetita sententia. Recte igitur misericordia et veritas seu fides sociata sunt: cum in omnibus viis nostris nisi misericordia et veritas obvient sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. Ut enim de aliis actionibus interim taceam, et de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis hujus postulat necessitas: quid in ipsis etiam, quibus peccata purganda sunt, peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

6. Audiant ergo quibus dispensatio credita est; audiant quibus credita non est: isti scilicet, ne sic velint esse fideles, ut misericordiam deserant; illi, ne sic velint esse misericordes, ut fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oportet; et sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quam eis liceat. Qui ergo contra fidem indebitam usurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: *Multi homines misericordes vocantur; fidelem autem virum quis inveniet?* (*Proverb.* XX, 6.) Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quam Salomonem dicentem: *Quod superest date eleemosynam* (*Luc.* XI, 41); ut saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ et pusillæ nostræ fidei, qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ ne-

Digitized by Google

cessitati, jussit eleemosynam eis impertiri. Ut enim taceamus de jure naturæ, quæ quidquid parens omnium terra generat, omnibus commune terrigenis adjudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, et communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit usus panis, quem Pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud jus ordinatæ charitatis, quod moderatio Evangelii suas cuique necessitates primum excepit: quis ille est qui recte metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium et superfluum æquo judicio discernat? Attendamus nobis, fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus judicari, si superflue retinemus aut insumimus nobis unde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maxime nostram constare puritatem noverimus, si quidquid superfluum est nobis amputemus: ut non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem Matrem pauperis Christi, cui regnum et imperium, et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V (2).

De mundanda et adornanda Christo anima.

1. « Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adoravit (3). » Ad nos, fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte levamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, et suscipiamus regem Christum. Ecce, fratres, Christus in propria veniens, et a suis repulsus, non habet ubi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: « Adorna thalamum tuum, Sion. » Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; et sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur et gaudet. Quæ sunt, ait forsitan aliquis vestrum, quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos ejus offendit, sicut superbia, **956** quæ angelum de cœlo, et hominem expulit de paradiso: quæ est initium omnis peccati: quam hortatur nos Spiritus sanctus vitare, dicens: *Quid superbis, terra et cinis?* (*Eccli.* x, 9); et alibi: *Omnis caro fenum; exsiccatum est fenum, et flos ejus decidit* (*Isai.* xl, 6, 7; *Eccli.* xiv, 18). Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cœlo, et hominem expulit de paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit quæ pulcherrimum opus ejus in cœlo et in paradiso fœdavit; quæ fecit de angelo diabolum, et de homine nuper creato justo perfidum. Quæ sicut est peccatorum primum et maximum, sic est omnium regina et mater vitiorum.

2. Videndum est igitur et sollicite considerandum, ut eam mens nostra cum tota prole sua excludat, ut thalamus noster emundatus et ornatus Christum regem qui foris [*al.* fores] pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Hæ sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intraverint, fetidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas, exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis et pœnitentiæ enecavimus. Nihil igitur in nobis ultra possit superbia, quæ de archangelo diabolum, et de primo homine fecit impium et Creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui a die conversionis nostræ, in cruce Domini nostri Jesu Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo!* (*Galat.* vi, 14.) Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, et testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ, de qua Apostolus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i, 12). In qua conscientia gloriari, de donis Dei est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus, dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* i, 31; *Jer.* ix, 24; *II Cor.* x, 17): id est, in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. *Non enim qui se ipsum commendat*, etc. Cæterum qui in se gloriatur, et qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius exspectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris ungit caput suum, auditque prophetam sibi dicentem: *Maledictus homo qui ponit spem suam in homine* (*Jerem.* xvii, 6). Et in die judicii cum dixerint: *Domine, Domine, aperi nobis*, ait: *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* xxv, 11, 12). Hæc vana gloria filia est superbiæ; quæ in quocunque fuerit, inobedientem facit.

3. Rursum, post conversionem, nihil ultra in nobis habeat invidia, per quam mors intravit in orbem terrarum. Diabolus enim invidit homini ascensum unde corruerat, et propter hoc tentavit, et in anima occidit. Hæc est illa, quæ non magnos, sed parvos semper torquet (*Sap.* ii, 24, 25), dicente sancto Job: *Parvulum occidit invidia* (*Job* v, 2). In eo enim quod aliquis alicui invidet, minorem se ostendit ei cui invidet. Sic diabolus invidit primo homini, sic Esau Jacob, et Cain Abel. Hæc invidia parvulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono

(2) De hoc sermone dubitat Horstius an sit Guerrici: tum quod desideretur in manuscripto Coloniensi, qui ipsius sermones continet; tum quod Guerrici stylus pressior et nervosior videatur. Porro licet hactenus Bernardi operibus insertus sit, minus tanto dignus est auctore.

(3) Ita canit Ecclesia in officio hujus diei.

Digitized by Google

alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Unde si qua desiderat, illi invidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc parvulum occidit invidia, quia dum non potest adipisci quod alii invidet, in odium, invidiæ filiam, cadit.

4. Rursum, fratres, post conversionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, ut ait Dominus in Evangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit, Racha*, hoc est, vocem indignationis per iram emiserit, *reus erit concilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit, Fatue*, hoc est, tale quid fecerit aut verbo aut verbere, ut inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22), nisi resipuerit. Hæc est ira, quæ stultorum oculos exstinguit, sapientium oculos nonnunquam turbat, dicente Psalmista: *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* vi, 8). Et de ira stulti Job ait: *Virum stultum interficit iracundia* (*Job* v, 2). Ecce duas iras videmus; quarum altera nonnunquam **957** turbat oculum, altera semper exstinguit. Altera venit ex impatientia; altera, ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio; altera, ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait: *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* iv, 5; *Ephes.* iv, 26). Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne et vos tentemini. De altera, quæ venit ex vitio, ait Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv, 26): id est, Christus, qui est sol justitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Ira, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus; et post, erratibus proximorum: quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus corrigitur proximus (*Eccle.* vii, 4). Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in ultione peccati tempus et modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat: ira per vitium stultos occidit, dum in rixas et in contumeliam linguam relaxat.

5. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat; illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ pravas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, et tenentem aratrum Dei cum uxore Loth retro respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamus: et intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, et de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (*Psal.* cxix, 5, 6). Hæc est tristitia, quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (*II Cor.* vi, 10). Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* xvi, 20). Altera parit mortem, parit animi rancorem.

6. Rursum, fratres, post conversionem muniamus thalamum nostrum, ne avaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab unius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* iii, 5). Ecce avaritiam idololatriæ comparat, et merito: quia sicut uni Deo idololatra nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen Deitatis; ita avarus in Dei res se extendit, ut solus usurpet quæ Deus omnipotens in usum plurimorum fecit. Utraque Deo inimica, quia negat Deo quæ sunt ejus. Est et avaritia non solum amor congregandæ pecuniæ aut conservandæ, sed ambitio prælationis, cum nititur homo homini præesse. Hæc, ut verum dicam, etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) in tantum vexat, ut contra jus et fas, et propositum suum, non tantum velint, sed etiam studeant fratribus et conservis præesse. Quod si abbas aut prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquuntur, eosque aut invidos, aut sibi malevolos (qui se non provehunt) clamant. Hæc est avaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psalmista Domino: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (*Psal.* cxviii, 36): quæ proditionis est mater, quæ Judam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei oblivionem, de oblivione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.

7. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ et Adam innocentiæ veste, et Esau privavit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, et dicere: *Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus allia, cepe, et pepones* (*Exod.* xvi, 3; *Num.* xi, 5, 6; xiv, 3.) Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istam, cum dicebant: *Comedamus et bibamus; cras enim moriemur* (*Isa.* xxii, 13; *II Cor.* xv, 32), id est, in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus; nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem **958** cum homine perituram pronuntiat Apostolus, dicens: *Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc et hanc destruet* (*I Cor.* vi, 13). Hæc pestis tripartita est: quia aut ante horam canonicam, aut aliud quam licet, aut plus quam necesse est facit comedere, et carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: *Sedit populus manducare et bibere,*

Digitized by Google

e surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII, 6; *I Cor.* X, 7).

8. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniamus thalamum cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inveniat: quæ pestilentia rediens est pejor quam ante fuerat. Nunquam enim sola redit; sed sicut Dominus ait in Evangelio: *Assumit septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* XII, 45). Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, unum corpus fit cum illa persona, et fit membrum diaboli: cujus et illa membrum est per conjunctionem malorum operum. Hæc est illa pestis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, ut vegetum sit et robustum ad libidinem explendam: et quæ igni illi inexstinguibili materiam semper apponit, et vires ministrat, ut de suo semper habeat unde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ et gehennæ habemus auctoritatem Scripturæ. De igne luxuriæ ait: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente* (*Osee* VII, 4). De igne gehennæ ait: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, hoc est, judicii, ut intus ardeant (sicut clibanus accensus) in conscientia. *Dominus in ira sua conturbabit eos* (*Psal.* XX, 10), dicens: *Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27; *Psal.* VI, 9; *Matth.* VII, 23). Et devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt propter luxuriæ fœda opera. Sit ergo, fratres, summa cura et summum studium his, qui in talibus sunt, de talibus evadere et fugere

9. Nobis vero qui per gratiam Dei evasimus, et veterem exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studium thalamum nostrum munire et adornare, et Christum regem suscipere, sicut hæc scriptura præcipit quam recitavimus: « Adorna thalamum tuum, Sion. » Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus et pavimentum et parietes quasi cortinis, et floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri, qui sumus Sion, sit timor, qui est initium sapientiæ, id est, primus gradus per quem ascenditur ad sapientiam. De quo timore ait Scriptura: *Beatus homo qui semper pavidus* (*Prov.* XXVIII, 14). Et Psalmista ait: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11): ut timor auferat securitatem noxiam, et exultatio mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est pretiosissimus ornatus thalami Sion, quæ magis placuit Christo cum in thalamum virgineum ingrederetur, dicente beata Maria: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* I, 48). Hæc, inquam, humilitas est ornatus Sion, id est, pauperum Christi, de quibus ipse dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3; *Luc.* VI, 20). Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, et primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatem scilicet, et voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamum tuum, Sion, timore Domini.

10. Secundus ornatus thalami Sion, et secundus gradus ad sapientiam, est pietas, de qua dicit Scriptura: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24); et alibi: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* (*Isa.* LXVI, 2). Hæc miseretur in se peccantibus, fraterna onera portat; magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profecto pietas aliud nihil est nisi Deum colere, et per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino: *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 4; *Psal.* XXXVI, 11). Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion et secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum, Sion, pietate.

11. Tertius ornatus thalami Sion et tertius gradus ascensionis **959** est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, ut scilicet homo, neque minus neque plus quam debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem; alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona torpentem. Ad hanc scientiam Spiritus sanctus invitat Ecclesiam in Canticis: *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum*, scilicet hæreticorum: *et pasce hædos tuos* (*Cantic.* I, 7), hoc est, carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem, dicente Domino in Evangelio: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX, 22), per Dei scilicet gratiam, et liberum arbitrium. Videmus jam quomodo scientia tertius ornatus thalami Sion, et tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctum, qui consolationem a Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem et luctum peregrinationis, ut videndo mala exsilii quæ patimur, cum luctu desideremus patriam a qua peregrinamur, audiamusque a Domino nobis dici: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 6; *Isa.* LXI, 2).

12. Quartus ornatus thalami Sion, est fortitudo, quæ convenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, ut non extollatur prosperis, non frangatur adversis: quæ linguam increpantem et blandientem his verbis confundit, dicens: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX, 2). Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem et sitim justitiæ in thalamo Sion accendit, facitque eam audire a Domino: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igitur thalamum tuum, Sion, fortitudine. Quintus ornatus thalami Sion est consilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse et suum non posse investigat; et ex sua infirmitate alios

Digitized by Google

considerat, aliis parcit et miseretur, sicut et vult Deum sibi misereri; aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti a Deo : mereturque audire a Domino : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 4, 7). Adorna igitur thalamum tuum, Sion, consilio. Sextus ornatus thalami Sion, est intellectus; qui mentem hominis super hæc infirma rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, volensque ultra progredi, et propius accedere audit a Domino : *Ne appropinques huc* (*Exod.* III, 5) : *non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Hic intellectus convenit iis qui a Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Adorna igitur thalamum tuum, Sion, intellectu.

13. Septimus ornatus thalami Sion, est sapientia, quæ convenit iis qui intellectualibus oculis æterna contemplantur; quorum conversatio in cœlis est, qui cupiunt dissolvi, et esse cum Christo : in quorum persona dicebat Apostolus : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Quasi diceret : Ut Christum magnificem, Christo vivere volo tantum, et Christus est præmium mortis. Et post pauca : *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo melius : manere autem in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 21, 23, 24). Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subjugat, ut nullam ultra pugnam in carne sentiat : pro infirmis fratribus (ut eis Christum nuntiet) exsilium libenter patitur; probra non audit, damna non sentit, auferenti tunicam dimittit et pallium, percutienti unam maxillam præbet et alteram, auditque a Domino : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9). Hi ornatus thalami Sion : istis nos adornemus qui sumus Sion, et regem Christum suscipiamus, quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentavit.

14. In lege namque scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deferens hostias secum pro peccato, agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum, sive duos pullos columbæ offerret (*Levit.* XII, 2, 4, 6, 8). Hæc omnia beata Virgo non ex necessitate, sed ex humilitate implevit. Abstinuit ab 960 introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni delectatione, salvo virginitatis sigillo, de Spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate : ostendens etiam in hoc quod Filius Dei Jesus Christus non solvere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Simeon grandævus, qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, et eum susciperet quem exspectabat, accepit eum in ulnas suas, hoc A est, inter brachia sua amplexatus est; illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens : *Nunc dimittis, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.* Cupio dissolvi, et ejus adventum cum patriarchis et prophetis in inferno exspectare, qui inter te et humanum genus facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum,* Filium tuum, quem desideravi, de quo responsum a Spiritu sancto accepi. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (*Luc.* II, 29, 30, 32). De quo ait Isaias : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX, 2) : quia, cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25, 26).

B 15. Audite, fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit : Unigenitum Dei, Deo Patri consubstantialem et coæterum, Verbum in principio. Et, ut utilitatem et consolationem nostram audiamus, illum offert Virgo, quem Deus Abrahæ promisit, dicens : *In semine tuo,* hoc est, in Christo, *benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18; XII, 3, et XVIII, 18); et quem David promisit, dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Hic est quem Virgo offert, patriarcharum gaudium, desiderium prophetarum, Gentium exspectatio, Judæorum qui eum receperunt salvatio, ruinæ angelorum reparatio. Talis est quem Virgo offert Deo, imo multo major quam lingua, aut hominum, aut angelorum possit dicere. Et cum sit C tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se novit, non sufficit Virgini ipsum solum offerre; sed hostiam, quam lex præceperat, pro eo obtulit : ob humilitatis scilicet exemplum, ut nos doceret quomodo et nos eum debeamus offerre. Duos turtures, aut duos pullos columbæ pro eo obtulit. Columba, fratres, simplex est animal, fello caret, rostro non lædit, in cavernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, juxta fluenta manet, ut visa umbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, fratres, cum ante altare steterimus, ut Dei Filium Deo offeramus, cum eo et pro eo *par turturum,* castitatem corporis et animæ offeramus : et *duos pullos columbarum,* pro cantu gementes, compunctionem geminam pro desiderio patriæ cœlestis, et de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret : et nos ira careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in unam maxillam, aliam præbeamus. In cavernis petrarum nidificemus; in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus; de filiis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Juxta flumina maneamus : id est, juxta hunc mortalitatis fluxum sedentes, umbram accipitris, hoc est, peccata quæ sunt umbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab ejus ungulis fugiamus. Meliora grana eligamus : id est, meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus :

Digitized by Google

unum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis Novi et Veteris Testamenti contra inimicos Dei nos defendamus ; vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet amore et proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis.

16. Fratres charissimi, tales oportet nos esse cum corpus Christi consecramus, cum consecratum manducantes sacrificamus, cum vobis idem corpus in salutem corporis et animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cum sacrum sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes, quod qui corpus Christi indigne accipit, et sanguinem ejus indigne bibit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* xi, 29). Verum, quia raro invenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet, quod in se non habet : **961** et in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim credere debemus quod soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret et sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat (4). Nec solus ligni faber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, etc., comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut et sacerdos, fidem firmam, orationem puram, devotionem piam. Sciendumque quod sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras vero virtutes, quas supra diximus, etsi omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inveniunt, et in illo habeant quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Joanne virginitatis habet meritum : sic Joannes in Petro martyrii habet præmium.

17. Sciendum quoque, quod corpori Christi, quem Maria hodie præsentavit in templo, quem Simeon in ulnis suis suscepit, tria debemus : dignitatem, reverentiam et fructum. Dignitatem, ut eum Dei Filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, judicem vivorum et mortuorum credamus. Dignitatem, ut credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo, sicut a judice, percepturos sicut gessimus, sive bonum, sive malum. Ille namque quem Maria in templo præsentavit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum levamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum ; ille familiaris noster, judex erit noster. Caveamus ergo ab eo separari per judicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde, cum eum tractamus ; dicamus cum eum consecramus : Domine, ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal judicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quod a nobis tractaris, consecraris, manducaris, noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua ; quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus et familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

18. Debemus ei et reverentiam, investigare scilicet nosmetipsos : et si invenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab ejus contactu, ut ab igne, et nos et alios arceamus. Ignis enim consumens est (*Deut.* iv, 24.), ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, et in reprobum sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moyses præcepit, qui nocturno pollutus est somno (*Deut.* xxiii, 10), hoc est, qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota ut somnus pertransit) pervenit usque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est, dum in illo statu est, judicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lavetque vestimenta sua per sanctam confessionem ; et post solis occasum, hoc est, post tentationis calorem et ardorem jam mortuum, lætus redeat, et cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reverentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentavit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

19. Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus, si eum digne comedimus. Audite, fratres, non me, sed Apostolum dicentem : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quamdam communionem cum Christo. *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* (*I Cor.* x, 16.) Ac si dicat : Panis, quem frangimus, facit nos unum corpus sub Christo capite : quoniam, sicut unus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi et per fidem, et per sancta verba, quæ Christus suos docuit, convertitur : sic diversi participantes hoc corpore in unitate fidei, spei et charitatis, unum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, et cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi : quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo in templo hodierna

(4) Solum sacerdotem esse proprium et sufficientem ministrum Eucharistiæ consecrandæ de fide est, ut patet ex can. 4 conc. Nic. ubi Patres dum diaconos reprehendunt, quod quibusdam in locis administrent Eucharistiam presbyteris, idque de cætero fieri prohibent, hanc ejusce decreti reddunt rationem : *Hoc*, inquiunt, *neque regula, neque consuetudo tradidit ut qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant.* Idem statuit conc. Lateran. sub Innoc. III, et refertur cap. *Firmiter* extra de sum. Trin. Nam veritate sacramenti explicata, ita subjungit : *Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas concessit apostolis eorumque successoribus Jesus Christus.* Ita fere Isambertus, in 3 q. 82, art. 1. Quanquam dici potest, astantes etiam suo modo sacrificium offerre et conficere per sacerdotem et cum sacerdote qui populi mediator et minister est. Unde in canone missæ olim ita legebatur : *Et omnium circumstantium, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, quibus verbis hæc inserta sunt : *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, etc.

Digitized by Google

die præsentavit, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

962 SERMO VI.

De perficienda nostri purificatione, ut Domino sisti possimus.

1. *Postquam impleti sunt dies purgationis, tulerunt Jesum in Jerusalem.* O quam felix est, de quo dici potest : *Impleti sunt dies purgationis ejus :* ut jam nihil aliud ei supersit, nisi ut ferant eum in Jerusalem supernam, et sistant eum Domino (*Luc.* II, 22). Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis quam plenus desideriis, cujus cum jam olim, ut arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies exspectationis : ut jam, secundum verbum Domini, nihil aliud ei restaret, postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei et hominum, nisi ut dimitteretur in pace, et dormiret in pace in idipsum; hoc est, ut ferrent eum in Jerusalem pacis æternæ, et sisterent eum ad contemplandam pacem quæ exsuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renovata est ut aquilæ juventus tua. Introisti jam ad altare Dei illud supernum, æternum, totum aureum, ad Deum qui lætificat juventutem tuam æterna visione sui, cujus lætificavit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud invisibile jam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile Filium hodie præsentasti. Ibi Filium ipsum, quem hodie tuo sinu gestasti, æterno jam et indissolubili tibi conseris amplexu.

2. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cujus tota erat exspectatio et desiderium, Exspectatio gentium et Desideratus earum. Renovata est ut aquilæ juventus ejus, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis ejus. Alioquin nequaquam illius capax novitatis esse posset, nisi sedulo vetustatem his diebus expurgasset. Fratres, expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum; ut cum impleti fuerint dies vestræ purgationis, inveniamini et vos capaces illius gaudii, quo plena est jam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus : sed væ nobis si dies implentur, et purgatio minime impletur; ut postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni : qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, ut gloriari possit castum se habere cor, ut dicere possit : *Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* (*Prov.* XX, 9.) Pauci quidem sunt electi; sed inter illos paucos paucissimi sunt, ut arbitror, ita perfecti, ut purgationem illam impleverint, de qua Sapiens dicit : *De negligentia purga te cum paucis* (*Eccli.* VII, 34). Omnino, si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed et maxima negligimus, longe a paucis de terra divisi sumus, et de nobis dicit ille, qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium : *Inter multos erant mecum* (*Psal.* LIV, 19).

3. Et quid hodie tam proprium simul et commune his quos religionis fovet umbra, sicut negligentia? et, ut de meipso loquar, quoties derident hostes Sabbata mea? quoties dormitat anima mea præ tædio, diemque fere totum, ac si tempus revocabile esset, inertia consumo? Et utinam sic dormitaret anima mea, ut apertis et vigilantibus oculis, ipse mihi misero non fingerem somnia vana et illusoria! At nunc in perversum mutata sententia, ego vigilo, et cor meum dormit, somnoque tam gravi, ut vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis : *Usquequo, piger, dormis? quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias; et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus* (*Prov.* VI, 8-11 ; XXIV, 33, 34). Illud sane miserrimum est, quod hodie non putatur jactura, sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant et pereant negligendo. Gentilis, aiunt, cum sederet ad mensam, 963 venissetque in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo; cum gemitu gravi et dolore mensam repulit, exclamans : « O amici, diem perdidi (5.) » Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus fere est qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se quantum valeat ad comparandam æternitatem dies una. Putasne est aliquis in nobis, qui quotidianam dierum suorum a semetipso rationem exigat; qui cujusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat : ut si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum, ac de cætero cautius agat? Beatus ille servus, quem, cum venerit dies extremus, invenerit ita facientem.

4. Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si recte et utiliter implerentur dies purgationis, ut aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. Alioquin, quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, sancivit æterna justitia (sicut scriptum est in lege Moysi) ut omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, *donec impleantur dies purgationis ejus* (*Levit.* XII, 4). Viderint ergo qua fronte ingrediantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent et sumant Sanctum sanctorum; qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. Annon audiunt protestantem et dicentem : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt?* (*Isai.* I, 15.) Quid enim, si mundus sum a sanguine alieno, et conculcari me

(5) Titus imp., apud Sueton. iisdem pene verbis queritur Seneca, epist. 1.

Digitized by Google

Dominus videt in sanguine proprio (*Ezech.* XVI, 6), sicut de Jerusalem loquitur per Ezechielem? Quid, inquam, mihi proderit, si veloces non sunt pedes mei ad effundendum sanguinem proximorum; et veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni et sanguini, de quibus dicit Apostolus : *Quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt?* (*I Cor.* XV, 50.) *Maledictus*, inquit Jeremias, *qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII, 10) : id est, qui vitia carnis et sanguinis sibi parcit abscindere. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ (*Psal.* L, 16), ne cum sanguine purificationis meæ sanctuarium ingrediens, aut sancta contingens, reus inveniar corporis et sanguinis tui, indigne manducans et bibens. Verumtamen gratias tibi, Deus, Deus salutis meæ, qui in hoc ipsum pretiosum tuum fudisti sanguinem, ut immunditiam nostri purificares sanguinis, tactumque peccatricis sanguinem fluentis, sed salutem desiderantis non abhorreres : sciens nimirum quod nullus potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es; nec sanis, sed male habentibus, melius tamen habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaque Sanctum sanctorum, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari, judicium est mortis : sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, juxta prophetiam Simeonis, Quia *hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum* (*Luc* II, 34).

5. Fratres, et vos quidem in sanguine fuistis, sed abluti estis, sed purificati estis : nisi quia, sicut justus confitetur : *Si loti fueritis velut aquis nivis, sordibus vos statim intingit* (*Job* IX, 30, 31), non solum conditio corrupta, sed etiam voluntas infirma; ut semper novis sordibus opus sit purificatione nova. Illa vero mirabilis et miserabilis est in hominibus sui negligentia, ut, cum nemo sit qui se purificatione non indigere præsumat, vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum, quasi purgatissimus sit, non negligat. Fratres, breves dies hominis sunt (*ibid.*, 25), sed tamen valde pretiosi sunt; imo quo breviores, eo pretiosiores; quia dies sunt purificationis, cum statim postmodum futuri sint dies retributionis. Beati qui in diebus istis lavant stolas suas, et candidas eas faciunt in sanguine Agni; ne postea vestimentum eorum, si mistum fuerit sanguine, sit in combustionem et cibus ignis (*Isai.* IX, 5). Nec solum timor urget supplicii, sed etiam spes invitat præmii, ut omni cura et instantia nostræ modo studeamus purificationi; ut quod hodie figurare voluit in seipso Filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamus in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies purgationis, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino* (*Luc.* II, 23). Et nos utique, si tempora 964 purgationis legitime fuerint a nobis impleta, tollent in supernam Jerusalem ministeria angelorum, ut illic assistentes vultui Dei, oblatio ejus simus accepta et immaculata. Ibi demum purificabimur ex toto; sicut a peccato, sic etiam a pœna peccati. Ibi nostræ purificationis ipsa erit consummatio, quæ et remuneratio; cum scilicet divinus ignis totos nos absumet in holocaustum Domino.

6. Porro hunc ipsum beatissimæ purificationis inexplicabilem modum nec modo quidem cessat æmulari devotio sanctorum, quantum tamen corruptela corporum, et sollicitudo terrenæ inhabitationis permittunt : dum scilicet mente excedentes in illam Jerusalem, verum orationis locum, illic in conspectu Domini quasi turturem et columbam pro seipsis ac de seipsis offerunt; corde videlicet et carne exsultantes in Deum vivum, quia scilicet columba invenit sibi domum, et turtur nidum, altaria tua, Domine virtutum (*Psal.* LXXXIII, 4). Ego tamen arbitror quod ad meritum non sit inferius, et fortassis ad purgationem efficacius, si illud quod per speculum et in ænigmate raro et raris experiri datur, id est, ut in Jerusalem sistantur Domino, nos per fidem jugiter actitemus : proponentes scilicet Dominum in conspectu nostro semper, et oculos ejus et judicia super nos pervigili fide, irremissoque semper timore cogitantes. Fides ista, fratres, sit in vobis, et eritis de paucis : timor iste sit in vobis, et de negligentia purgabitis vos cum paucis; quia timor iste nihil facile negligit. Denique ab initio hujus pertransibitis, sicut sponsus sponsæ pollicetur, euntes de virtute in virtutem, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (*II Cor.* III, 18) : proficientes de visione quæ est per fidem, ad illam quæ est per speculum et imaginem, ac postremo, de illa, quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei, seu facie veritatis. Si enim jugiter præsentiam Domini, licet velatam, intendatis per fidem; aliquando etiam revelata facie gloriam ejus speculabimini, licet per speculum et imaginem. Cum autem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis Domino in Jerusalem, habitantes cum vultu ejus, ac sine fine contuentes eum facie ad faciem, cui benedictio, et claritas in sæcula sæculorum. Amen

IN QUADRAGESIMA.

SERMO I.

De tribulatione et consolatione.

1. *Benedictus Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I, 3, 4). *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal.* XXXIII, 20). Duplex autem genus tribulationum patimur, quia non solum duplici

Digitized by Google

natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate vivimus; partim scilicet carnaliter, partim spiritualiter. In mundo eramus toti carnales; in cœlo erimus toti spirituales: nunc autem ex parte carnales, ex parte spirituales. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spirituales et minus carnales, aut magis remanemus carnales et minus spirituales. Propterea duplex modo consurgit tribulatio; quia, quod in nobis carnale est, contristat adversitas; quod spirituale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret, imo nulla esset adversitas: si nihil spirituale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas, sicut de quibusdam dicitur: *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Illa ergo nostra de adversitate tristitia, carnalis et secundum sæculum est: hæc autem de iniquitate, spiritualis et secundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: hæc salutem operatur, si non desit consolatio. Multum tamen interest in adversitate exteriori, cujusmodi sit consolatio tristium; quia consolationi divitum comminatio divina *væ* intentat æternum (*Luc.* VI, 24). Quia nimirum plerumque qui humiliari poterant ex adversitate, gravius superbiunt de prosperitate, proditque ex adipe iniquitas eorum: imo et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.

2. Nos autem et cum abundat illa consolatio temporalis, oportet esse gratiores et humiliores: et cum **965** deficit, de æterna redemptione certiores et lætiores. Cum tamen suppetit sive salus corporum, sive tranquillitas temporum aut copia rerum; ea moderatione utenda ac dispensanda est, ut sit non occasio peccati, sed adjutorium virtutis, ac potius de bonis bona faciamus quam de bonis mali hamus. Illa namque consolatione, qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea (*Hebr.* XII, 5); magisque eligat cum Moyse et viris Israeliticis affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Sive autem consolemur exterius, sive tribulemur, benedictus Deus, qui consolationem internam et æternam dedit in cordibus nostris, id est, gaudium spei, quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris, pollicens, *quia si compatimur, et conregnabimus* (*II Tim.* II, 12). Illam sane tribulationem, quam interius de iniquitate nostra patimur, tanto molestiorem portamus, quanto periculosiorem experimur; quia nimirum quotidie de vita periclitamur, ut veraciter confiteamur: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* Gratias tibi, Domine Jesu, quia si gravia sunt pericula, facilia sunt remedia; quia, *si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII, 17, 18). Et quod semel in Petro figurasti corporaliter (*Matth.* XIV, 29-31), in filiis Petri quotidie adimples spiritualiter. Jussisti nos venire ad te *super* aquas, id est, hoc mare magnum et spatiosum manibus: ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro gravamur, et plerumque irruente spiritu procellarum impellimur, ut etiam mergi incipiamus, id est, pene jam jamque tentatori consentiamus. Sed, si celeriter confiteamur pedem motum, id est, titubasse animum, et fideliter invocemus auxilium, tu misericorditer porrigis manum, firmasque et dirigis gressum.

3. Super hoc quotidie justus decantat: *Impulsus sum, ut caderem*, sed non cecidi, *quia Dominus suscepit me* (*Psal.* CXVII, 13). Sed, cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam (*Psal.* XXXVI, 24): id est, cum peccaverit, non condemnabitur, quia advocatum habet Jesum, eo quod etsi septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur jacere ubi cadit, et in luto volutari; sed ocius exsurgens excutit se de pulvere, et sordes diluit satisfactione. Per hoc namque justus fit, quod semper in initio sermonis accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17), memor consilii divini, quo dictum est ei: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, sec. LXX). Ita fit ut, dum seipsum judicat, et Deum de se vindicat, illum quem judicem metuebat justum, reus advocatum habeat. Justus enim Dominus, et justitias dilexit (*Psal.* X, 8); nec potest injustas causas suscipere aut tueri, qui, cum acceperit tempus, etiam justitias judicabit. Et tamen qui judicem se minatur futurum superbe de justitia præsumentium, advocatum se pollicetur humiliter peccata confitentium; quoniam apud illum, in cujus conspectu non justificabitur omnis homo, nullatenus causam testificari nostram melius possumus, quam si nosmetipsos accusantes et punientes, justitiam ipsius in nos transferamus, et partes judicis adversus reos exsequamur.

4. Sed etsi in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimur, vel per infirmitatem vincimur, ut Jebusæum nostrum nequaquam exterminare prævaleamus, sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum habitare patiamur; in hac quoque imperfectione nostra consolatur nos sermo propheticus, qui nos in se transfigurans ait: *In ipsis fuimus semper et salvabimur* (*Isai.* LXIV, 5). *Imperfectum meum*, inquit corpus Christi, *viderunt* misericordes *oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psal.* CXXXVIII, 16); id est, scripti invenientur tam perfecti quam imperfecti. Pollicetur siquidem Dominus se perfecturum imperfectionem nostram, loquens per Joelem prophetam: *Et mundabo*, inquit, *sanguinem eorum quem non mundaverunt* (*Joel* III, 21). Hinc Isaias, cum præmisisset de perfectione futuræ cœlestis Jerusalem: *Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem:* quod in infirmis nonnisi purgatione divina perficienda sit sanctitas illa, subjunxit, dicens: *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem laverit de medio Jerusalem.* Consolatur quidem me lavatio quæ promittitur; sed terret modus qui subditur: *Spiritu*, **966** inquit, *judicii, et*

Digitized by Google

spiritu ardoris (*Isai.* III, 4). *Ignis* enim *opus cujusque probabit. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus fiet* merito fundamenti; *sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III, 13, 15).

5. Quanto melius nunc arderemus delectabili amore, quam tunc illo pœnali ardore? quanto suavius nunc igne amoris purgaremur, ut mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inveniretur, sed, sicut tribus pueris ventus roris fieret nobis fornax Babylonis? (*Dan.* III, 49, 50.) Alioquin, si tepide et negligenter viventes, ligna, fenum, stipulam nobis coacervamus, et tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus; cum examen illius purgatorii tales intraverimus, quis poterit de nobis habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis, quando omne etiam vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis? (*Isai.* IX, 5.) Scio quidem quia, si satis arderem igne charitatis, de me quoque diceretur: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Nunc autem, si purgari non mereor igne dilectionis, utinam vel purgarer alicujus igne passionis, fieretque mihi quod propheta imprecatur sibi: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis* (*Habac.* III, 16). *Utinam qui cœpit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me: et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Verumtamen nosti, Domine, infirmitatem figmenti mei. *Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est* (*Job* VI, 9-12). Hoc primum quidem peto, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me (*Psal.* VI, 2). Sed, quoniam audio abs te: *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19); et: *Beatus homo qui corripitur a Domino* (*Job* V, 17): corripe me, Domine, in misericordia, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me (*Jerem.* X, 24), et dicatur de me: *Detraxisti eum ab emundatione* (*Psal.* LXXXVIII, 45). Intuere infirmitatem meam, et secundum illam manum tuam moderare, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis; sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed væ mihi, si quotidie uror, et non emundor, ut et de me dici contingat: *Multo labore sudatum est, et non exivit de anima rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua exsecrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te* (*Ezech.* XXIV, 12, 13).

6. Quam vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ, velut quodam purgatorio igne, quotidie coquimur, et nunquam ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur! et forsitan non mundabimur, donec sedeat Judex ipse quasi ignis conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi (*Malach.* III, 2, 3). Verumtamen, quantulumcunque proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hunc adhiberi, A quam ad illum penitus differri. Nam, si ad invicem comparentur, iste quidem medicina est misericordis, ille ultio irati. Ita sentiebat, qui dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI, 2). Scio quidem quia tunc etiam, cum conturbata fuerit anima mea, Domine, in ira misericordiæ memor eris. Scio quia etiam in luctu et pœnis consolarer me spe meliori: et inimicæ potestati, cui emendandus ad tempus traditus essem, verbis prophetæ responderem, dicens: *Ne lætetis, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris; Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec judicet causam meam. Educet me in lucem, videbo justitiam ejus: et aspiciet me inimica mea, et operietur confusione* (*Mich.* VII, 8-10). B Et dicam in illa die: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me* (*Isai.* XII, 1). Verumtamen cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, et diem malam præcaveo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Cur non audiam modo consilium Sapientis: *Quodcunque potest manus tua instanter operare: quia non est consilium, nec ratio, nec sapientia apud inferos quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10); et illud Apostoli: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes?* (*Galat.* VI, 10.) Cœperamus quidem a consolationibus, sed 967 ad terrores devenimus; quia tunc nimirum consolatio utilis erit, si terrori mista fuerit; tunc ingrediemur in veritate tua (*Hebr.* IV, 3), Domine, si ita lætatur cor C nostrum, ut timeat nomen tuum. Alioquin, si omnino vos securos faceremus, diceretur et de nobis: *Populus meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et vestigia gressuum tuorum dissipant* (*Isai.* III, 12). Tunc autem vere beati erimus, si miseriam nostram recte agnoscamus et pie doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pavidi suspectique vivamus.

SERMO II.

SABBATO HEBDOMADÆ QUADRAGESIMÆ.

De parabola filii prodigi. (*Luc.* XV, 11-32.)

1. O Felix humilitas pœnitentium! o beata spes confitentium! quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam cito tremendum judicem convertis in piissimum patrem! Prodi- D gus iste filius, cujus hodie in magnam ædificationem nostram audivimus peregrinationem ærumnosam, pœnitentiam lacrymosam, susceptionem gloriosam: prodigus, inquam, iste tam graviter reus, nondum confessus erat, sed tantum confiteri deliberaverat; nondum satisfecerat, sed tantum ad satisfaciendum animum inclinaverat: et de solo fere proposito conceptæ humilitatis veniam statim obtinuit, quæ tanto tempore tantis expetitur votis, imploratur lacrymis, ambitur obsequiis. Latronem in cruce sola confessio absolvit; istum, sola voluntas confitendi. *Dixi*, inquit, *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5): ubique misericordia prævenit. Prævenerat voluntatem confessionis, ipsam inspirando: præve-

Digitized by Google

nit et vocem confessionis, quod confitendum erat indulgendo. *Cum adhuc*, inquit, *longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est; et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.* Quantum hæc verba sonare videntur, tardius videbatur patri filio veniam dedisse, quam illi accepisse. Sic festinabat absolvere reum a tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui. Neque hoc dicimus quo in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed ut in amorem illius summæ bonitatis affectus noster dulcescat; dum ipsam plus nos amare, quam ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana.

2. Vide autem quomodo ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Reus vix poterat sperare veniam; Judex, imo non jam judex, sed advocatus, accumulat gratiam. *Cito*, inquit, *proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes; et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, et revixit.* Verum ut hæc omnia prætereamus, scilicet stolam primam, id est sanctificationem spiritus, qua baptizatus induitur, et pœnitens reinduitur; annulum fidei, quo subarrhatur; calceamenta, quibus ad calcanda serpentum venena munitur, vel ad evangelizandum præparatur; vitulum saginatum, qui ei in altari immolatur; festiva illa gaudia, quæ, pro recepto indicta filio, toto celebrantur cœlo: ut hæc, inquam, omnia taceamus, et doctioribus tractanda servemus; amplexus ille et osculum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ et dulcedinis? quid non felicissimi gaudii? quid non sanctissimæ voluptatis? *Cecidit*, inquit, *super collum ejus, et osculatus est eum.* Cum sic super eum affectabat, quid agebat amplectens et osculans, nisi illum sibi vel se ipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, ut, adhærendo sibi, unus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus unum cum eis corpus fuerat effectus? Parum erat illi summæ misericordiæ viscera suæ miserationis non claudere miseris; in ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris. Non poterat nos sibi arctius astringere, non poterat nos magis intimos habere, quam ut incorporaret sibi, et, sicut charitate, sic virtute ineffabili, non solum assumpto corpori, sed etiam ipsi conuiret 968 spiritui. Quod si tanta est gratia pœnitentium, quæ erit gloria regnantium? si ista sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beatorum? et qui hoc prærogat in via, quid servat in patria? Utique quod in cor hominis non ascendit; ut ei similes simus, et sit Deus omnia in omnibus.

3. Jam vero tu, beate peccator (sed licet non ideo beatus quia peccator, sed quia pœnitens de peccato), quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris et oscula, cum prope desperatum refovebat, cum cor mundum tibi innovans, lætitiam salutaris sui tibi refundebat? Et quomodo, inquit, sermo explicabit quod mens non capit? Inenarrabiles gemitus, et inexplicabiles sunt affectus, quos de incomprehensibili velut imprægnatus parturit animus. Angustum est eis cor humanum: unde et scissum effundit se ipsum; et ardorem quem concipit, sed non capit, quibus potest modis, lacrymis, gemitibus, suspiriis, evaporat ac digerit. Norunt hæc melius, qui gustaverunt sæpius et uberius. Nunc quoque, inquam, cum dimissus post illos amplexus et oscula, te et te ipsum recogitas, cum causam tuam qualis fuerit, qualiterve ab eo judicata sit retractas, et illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi, obsecro, parit cogitatio tua? Quidni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis, illinc dolore et pudore, hinc gaudio et amore? Non me hominem putarem, sed lapidem, si ita duri cordis existerem, ut me ipsum non dolerem vel erubescerem, vel ita nequam et ingratus, ut non totus in gaudium vel amorem illius Patris liquefierem.

4. Custodi igitur, o felix peccator, custodi sollicite ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc justissimum humilitatis ac pietatis affectum; quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo majus in donis Spiritus sancti, nihil pretiosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramenta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus et vocis, qua Patri confiteris, et dicis: *Pater, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Nihil ita Patrem promeretur, sicut hujus vocis affectus; nec melius te filium facies dignum, quam si semper confitearis indignum. Hæc humilitas non solum peccatores justificat, sed etiam justos consummat, justitiamque eis accumulat, si videlicet se servos fateantur inutiles, etiam cum quæ præcepta sunt, fecerint omnia. Peccatum tuum coram te sit semper, et, juxta consilium Sapientis, etiam *de propitiato peccato noli esse absque metu* (*Eccli.* v, 5). Incerta et occulta sunt judicia Dei; non temere præsumendum est de illis, cum nil inde certius teneamus, quam quod in conspectu Dei non justificabitur omnis vivens, nisi in quantum se judicat peccatorem. Alioquin quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isai.* XLIV, 6). Blande te misericordia suscepit, pie refovit; time judicium, ne gratia, quæ data est humili, auferatur superbienti. Elegisti abjectus esse in domo patris tui; contentus eras fieri quasi unus ex mercenariis; sta in sententia, ut, etiamsi promotus es, adhuc ad majora proveharis. Extremum locum semper occupa, aut certe desidera; servitutem tibi mercenarii, non libertatem filii tibi vindica. Devotione quidem filii Patrem cole, conscius quid ipse de te meruerit; sed humilitate et labore mercenarii contentus esto, conscius quid ipse merueris. Nunquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, et sine qua displicere

Digitized by Google

incipies, quantiscunque pollere virtutibus, quantumcunque patri officiosus deservire videaris. Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, et seminarium, et fomes, et incentivum, et ipsa cumulus et fastigium, custodia et disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conservantur. Cumque omnibus ut virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

IN FESTO SANCTI BENEDICTI.

SERMO I.

De mansione in sapientia.

1. *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei!* (*Eccli.* XIV, 22.) Quam congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facile quivis vestrum intelligit, cui tamen vita et doctrina ipsius non ignota sit. Quam commode vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit, quæ scilicet illa quibus nihil est utilius in vita, sapientiam, justitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir qui in sapientia morabitur*. Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, ut perseveranter eam teneas: non enim statim qui invenerit, sed qui tenuerit eam, beatus. Dicit quidem Scriptura: *Beatus qui invenit sapientiam*. Sed non ibi quievit, imo addidit, *et qui affluit sapientia* (*Prov.* III, 13); ne videlicet solum invenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi, cum inveneris, cum ea et in ea demoreris, et contubernio atque convictu ipsius delecteris; nec discedas a magisterio ejus, donec meditando justitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possit. Nam et Salomon sapientiam invenit; sed, quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumspexit, dum videlicet non caute sibi providit a mulieribus alienis, non modo sapientiam perdidit, sed usque ad ultimam idololatriæ insipientiam proruit (*III Reg.* XI). Sapientes quoque hujus mundi, qui invisibilia Dei, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam invenisse visi sunt; sed, quia nec ipsi prudentia affluxerunt, et, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, stulti et ipsi facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum usque ad reprobum sensum, et ignominiam turpitudinum (*Rom.* I, 21-32).

2. Alios itaque, sicut istorum exemplo liquet, repellit a sapientia quam invenerant, superbia cordis; alios, sicut in Salomone patet, abstrahit illecebra carnis; alii autem levitate et inconstantia mentis, levi perturbatione offensi eam relinquunt, qui scilicet ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur? (*Luc.* VIII, 13, 14.) Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ unquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic justus plantatus in domo Domini, nec radicari nec fundari in charitate poterit, nisi mora et stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat, afferre poterit; et, si florere visus fuerit alicujus spei initio, dicetur de illo: *Ante messem totus floruit, et immatura perfectio germinavit* (*Isai.* XVIII, 5); et secundum alium prophetam: *Si fecerit fructum, alieni comedent eum* (*Osee*, VIII, 7). Vis autem scire quam sit necessaria stabilitas loci ut in sapientia moreris, ut radicari et fructificare possis mora temporis? Interroga Patrem tuum Benedictum, et annuntiabit tibi quia claustrum monasterii, et stabilitas in congregatione, locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogum (*Reg. S. Bened.* cap. 4). Quid enim de instabili Salomon ait? *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum* (*Prov.* XXVII, 8). Invenerat turtur nidum ubi poneret pullos suos, cœperat eum calefacere et ab eo calefieri, venerant usque ad partum pulli, et ecce avolat, opusque cœptum imperfectum relinquit. Quare, unde, vel quo avolet, ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur, compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit. Ego enim non putarem esse consilii, pro spe incerta, certa subire dispendia; etsi profectus quorumdam me jubeat interim a præcipitatione cohibere sententiam.

3. Enimvero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, et eorum de quibus loqui cœperam, qui levi et frivola permoti causa a sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, ut discat sapientiam; sic *qui facile perdunt sustinentiam, non demorabuntur*, ut scriptum est, *projicere* 970 *illam*. Quid autem eos offendat, præmisit Scriptura, cum ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis* (*Eccli.* VI, 22). Offenderunt in lapidem offensionis et petram scandali, cujus probata virtus corripiebat et erudiebat insipientes, probabatque mentes; cum ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duraque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est*, inquiunt, *hic sermo* (*Joan.* VI, 61). Esto, sermo durus est; numquid non verus est? Lapis durus est; nunquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quam vanitas mendacii vel oleum adulationis placeret. *Durus*

Digitized by Google

est, aiebant, *hic sermo*, quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ; ideoque non sunt demorati eam projicere, et retro abire. Nec ob aliud pretiosum et electum a Deo lapidem reprobaverunt, nisi quia durum putaverunt. Et erat quidem petra Christus, sed virtute, non duritia. Erat petra, sed quæ converti posset, imo et conversa est in stagna vel fontes aquarum, ubi mollia et humilia, quibus influeret, invenit corda fidelium. Nam et isti, qui tam cito offensi quadam specie duritiæ retro abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan et ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ vivæ de petra percussa in cruce fluentis largissime, ita ut hodieque bibat populus et jumenta; imo suxissent etiam mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

4. Prorsus tu beatus es, Simon Bar-Jona, tibi jam revelabat Pater pietatem mysterii, latentem, ut videbatur, sub duritia sermonis, qui, interrogatis duodecim, an et ipsi vellent abire, constanter respondisti: *Domine, verba vitæ æternæ habes; ad quem ibimus?* (*Joan.* VI, 69.) Plane beatus, qui cum sapientia morari, et cum domesticis ejus ad mensam ipsius pane interim Sacramenti nutriri delegisti; donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ et intellectus te cibaret, et aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati et vos, fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, et christianæ scholam philosophiæ nomina dedistis, sed, si perseveranter in sapientia moremini; ut cum durior sermo ipsius visus fuerit, duriora scilicet præcipientis aut durius corripientis, non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes; ad quem ibimus?* Fingis quidem laborem in præcepto (*Psal.* XCIII, 20), duritiam in sermone; sed scimus quia magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX, 20), perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiamsi occideris me. Imo tunc amplius sperabo, cum flagellaveris, secueris, usseris, occideris quidquid vivebat in me; ut non ego, sed Christus vivat in me. Omnino non discedimus a te, quia vivificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Vere beatus qui cum sapientia moratur, ac constantia et fide longanimiter patiens et fideliter obediens usque ad mortem, nec deserens locum suum, quotiescunque spiritus potestatem habentis ascenderit super eum, sciens quia curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata (*Eccle.* X, 4).

5. Sane ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illud præcipue pertinere arbitror, ut inquietudo vel quælibet levis molestia non facile quodcunque opus sapientiæ nobis excutiat, verbi gratia, solemnem psalmodiam, orationem, lectionem divinam, pensum operis diurni, aut silentii disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur: *Gaudebunt*, ait sanctus, *labia mea, cum cantavero tibi* (*Psal* LXX, 23), dum etiam ad litteram, *exitus matutini et vespere delectabis* (*Psal.* LXIV, 9). De oratione quoque certum et ipsi quotidie capitis experimentum, quod melior est finis orationis quam principium; ut fidele probetis dominicum illud toties inculcatum, tot exemplis commendatum de orationis perseverantia consilium. Jam legere et negligere, vel, antequam ceperis librum, de manibus projicere, quem fructum, putas, tibi poterit parere? Si Scripturæ immoratus non fueris, ut assiduitate studii ei fias familiaris, quando, putas, se tibi revelabit? *Qui habet*, inquit, amorem verbi, *dabitur* ei intellectus, *et abundabit; qui vero non habet, et quod habet* per naturam, *auferetur ab* 971 *eo* (*Matth.* XIII, 12; XXV, 29) propter negligentiam. De opere autem manuum, nonne et de isto satis comperistis quia sicut denarius operariis, sic consolatio sæpius servatur in fine operis? De silentio quippe nota est promissio prophetica, quia *in silentio et spe erit*, inquit, *fortitudo vestra* (*Isai.* XXX, 15). Si enim colas justitiam in silentio, et, sicut Jeremias bonum esse ait, præstoleris cum silentio salutare Domini; in medio silentio secretus tibi illabetur a regalibus sedibus omnipotens sermo, et aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, convallem quieti ac placidi pectoris grato rigabunt profluvio. Hoc non semel, sed sæpius experieris, si modo silentium tuum cultus justitiæ sit (*Isai.* XXXII, 17), id est, si in justitia mediteris, ut perseveres in Scriptura quam proposui, et in sensu cogites circumspectionem Dei.

6. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus fiat. Si enim iniquitatem mediteris in cubili tuo, malitias scilicet quas malignus immittit, aut phantasias quas cor tuum parturit, aut inanes philosophias, seu fallaces theorias, quæ sunt velut ægri somnia; nonne magis injustitiæ quam justitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in justitia meditari. *Concupisti*, inquit, *sapientiam? conserva justitiam, et Dominus præbebit illam tibi* (*Eccli.* I, 33). Si autem quasi violente irruunt cogitationes noxiæ, pone tibi virilem et fidelem custodiam, quæ omni custodia servet cor tuum. Dico autem timorem Dei, qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam angelum lucis: *Noster es, an adversariorum?* (*Josue* V, 13.) Undique enim sibi circumspicit, tanquam omni hora cogitans circumspectionem Dei, quem sine intermissione intueri ac judicare corda filiorum hominum attendit. Pulchre autem dictum est: *In sensu cogitabit* (*Eccli.* XIV, 22); quia prorsus sine sensu est et a corde excessit qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ majestatis ac judicii sibi incumbentis non sentit. Signanter quoque circumspicere Deus dicitur, quia omnia tam præterita quam futura habet præsentia, ut nec ista respiciat, nec illa prospiciat, sed similiter, quia simpliciter, cuncta circumspiciat; sitque illa æternitas velut punctum, omnium media temporalium, cujus immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus et rota tempo-

Digitized by Google

rum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem et judicantem omnia, semper cogitat, suaque se cogitatione sollicitat timor Domini, qui revocat a malis non solum operibus, sed et cogitationibus; erudiens nos, ut justitiam potius meditemur; continens, ut cum sapientia moremur. Ita enim sensim fit ut qui primo coercetur timore judicii et pœnæ, postea pascatur amore ac meditatione justitiæ, demumque requiescat ac delectetur in convictu et amplexu sapientiæ. Hæc non modo foras mittit timorem, diffundendo charitatem; sed etiam pellit ab animo tædium et langorem, infundendo suavitatem, sicut quidam, contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium* (*Sap.* VIII, 16). Horum participes nos faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Jesus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De fiducia in Deum.

1. *Benedictus vir qui confidit in Domino* (*Jerem.* XVII, 7). Sanctus Pater noster gratia Benedictus et nomine, cujus memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut in Domino confideret, jam benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solum in cœlestibus benedictionem omnium angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Ubi enim gentium non benedicetur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane benedictio Domini super caput justi (*Prov.* X, 6), quem tot benedictionibus cœli et terræ gratia Dei cumulavit. Non tamen, sicut Esau, in pinguedine terræ et in rore cœli benedictio 972 ejus (*Gen.* XXVII, 28); sed in pinguedine spiritus et in rore cœli, qui per prophetam loquitur: *Ero quasi ros* (*Osee* XIV, 6), et cui dicitur: *Ros lucis, ros tuus* (*Isai.* XXVI, 19). In Christo utique benedictio Patris, cui Pater imprecatus est: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (*Gen.* XXVII, 29). Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo se ipsum figit. Ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radices misit, qui, ut verbis utar Benedicti magistri, spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis et gratiæ bibit (*Reg. S. Bened.* cap. 4).

2. Per hanc nempe piam et fidelem fiduciam remittuntur peccata; sanitatum corporalium, sed magis spiritualium, obtinentur remedia; propulsantur pericula; terrores contemnuntur; vincitur A mundus; omnia denique possibilia credenti reduntur. Illi quippe qui in peccatis erat: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum: *Secundum fidem tuam fiat tibi*; et: *Fides tua te salvum fecit* (*Matth.* IX, 2, 29, 22). Illis, qui periculo terrebantur naufragandi: *Habete*, inquit, *fidem Dei* (*Marc.* XI, 22); et: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* (*Matth.* VIII, 26.) Illis quos armabat adversus sævitiam mundi furoresque diaboli: *Confidite*, ait; *ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Et utique hæc est victoria quæ vincit mundum, *fides nostra* (*I Joan.* V, 4), si modo non sit tepida, non trepida; sed sit fiducia, id est fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autem mundus per eam vincitur, sed et cœlum B possidetur, super æternitatem homo stabilitur, et in Deo ipso per charitatem radicatur et fundatur. Qui enim confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion; non commovebitur in æternum, qui fundatus est super Æternum (*Psal.* CXXIV, 1). Tam enim perire non potest, quam nec ille cui adhærens unus cum ipso spiritus est. Quis enim speravit in Domino, et confusus est. permansit in mandatis illius, et derelictus est? (*Eccli.* II, 11, 12.) Si dixerit infidelis, Ille derelictus erat qui in cruce clamabat: *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* (*Matth.* XXVII, 46.) puto quia non usquequaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio, sic desolari; quanta dilectio, C sic derelinqui, ut Unico Patris unice dilecto merearis vel in passionibus consociari!

3. Aperi, Domine, oculos hujus pueri, rudem loquor et novitium, cui, cum tribulatur, putat se derelictum. Novum hoc omnino et insolitum, si justum quempiam viderem derelictum, cum Ecclesia dicat: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum* (*Psal.* XXXVI, 25). Aperi, inquam, o Domine, oculos pueri tui, ut videat quia plures nobiscum sunt quam cum adversariis. Siquidem Dominus virtutum nobiscum, et cum eo omnis virtus et militia cœli, imo favor omnis creaturæ, servientis nutui et arbitrio Creatoris sui. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? (*Rom.* VIII, 31.) et quis est qui nobis noceat, si boni D æmulatores fuerimus? (*I Petr.* III, 13.) Poterit invidus ille sævire; sed hoc erit servire. Poterit urere; tundere, dissecare; sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te, Domine, fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, et illuditur ab angelis tuis, in ministerium nostrum missis, antiqui draconis astutia, ut, volens nocere, prosit. Diligam te, Domine, propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum projicio omnem sollicitudinem meam, cujus nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec benevolentia potest fatigari, quominus expleat omnem indigentiam meam. Quam satius, quam securius est ipsum esse sollicitum, quam me ipsum pro me! quam bonum est confidere

Digitized by Google

in Domino, quam in homine! quam jure maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, et recedit a Domino cor ejus! (*Jerem.* XVII, 5.) et quidem egenus et pauper ego sum; sed si Dominus sollicitus est mei, dives sum, beatus sum; cui nimirum omnia cooperantur in bonum. Sperent igitur in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te, Domine (*Psal.* IX, 11); sedeatque populus tuus, sicut scriptum est, *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, in securitate sempiterna* (*Isai.* XXXII, 18, 17). Omnino pulchra pax et securitas sempiterna, habitare in adjutorio Altissimi, in protectione 973 Dei cœli commorari. Prorsus requies opulenta, sedere feriatum sub vite vera, ficu et oliva; et post saturitatem variorum fructuum, se ipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: *Sub umbra illius quam desiderabam* [Vulg. *quem desideraveram*] *sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo?* (*Cant.* II, 5.) Plane dulcis gutturi fructus de cujus gustu tam dulcis erumpit ructus.

4. Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Israel habitat confidenter, pascit et cubat, et non est qui exterreat; et, sicut Sapientia promittit, *Requiescet absque terrore, abundantia perfruetur, malorum timore sublato* (*Prov.* I, 33). Et bene *timore malorum sublato*, non timore Domini; ne fiducia ista et securitate, quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quam in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe, dum cavet offensam, custodit gratiam; locumque servat fiduciæ, quandiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit ut nonnisi caste timeas eum; præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciam istam præsumit, suadet corda nostra esse in conspectu Judicis æterni. Quis enim bene sibi de illo promittat, a quo se minime diligi intelligat? Qui autem diligit, nunquam diffidit, sciens quia is quem corda non fallunt, diligentes se diligit, etiam cum arguit et corripit. Siquidem eruditis corde in sapientia non aufert, sed auget fiduciam Patris disciplina, scientes scriptum, *Beatus qui corripitur a Domino* (*Job* V, 17), et: *Ego quos amo arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19; *Prov.* III, 12). Cum igitur exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo (*Psal.* II, 13), quos scilicet amoris propriæ conscientia consolatur, quia, cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur; et, cum dixerint: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, statim subsequuntur: *Conversus est furor tuus, et consolatus es me* (*Isa.* XII, 1), eo quod nonnisi in brevi exarserit ira ejus, quam tam cito placaverit confessio reatus.

5. Merito igitur benedictum virum qui confidit in Domino ligno comparat Jeremias quod transplantatur super aquas: quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cum venerit æstus iræ et tribulationis; sed et in tempore A siccitatis, cum multo tempore cœlum clausum fuerit, nec ros nec pluvia gratiæ super eum descenderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum projecerit (*Jerem.* XVII, 7, 8). Sentit quippe se plantatum fide, radicatum charitate super aquas vitæ, quæ, secundum Ezechielem, de sanctuario egredientes vivificant omnia, et habent in utraque ripa omne lignum pomiferum, cujus folium non defluit, nec fructus deficit (*Ezech.* XLVII, 3-12). Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viva, id est Spiritus sancti gratia, vitalem in occulto succum spei et charitatis subministrare non desinit; unde et folium sit viride, id est Verbum plenum gratiæ et veritatis; et ipsum non desinat B aliquando facere fructum quodcunque opus pietatis? Et grata quidem illa verna temperies, pacis et lætitiæ; desiderabilis illa pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ; sed, si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcunque prophetavit Jeremias de sermonibus siccitatis spiritualis; non tamen timebit, quem fiducia Domini radicavit super aquam refectionis (*Jerem.* XVII, 6, 8), id est gratiam Spiritus sancti; quæ etsi manifeste non pluat, ut sensibiliter influat, occulte tamen interius vivificat et fecundat; quandiu videlicet fidem propositi conservat, ad perseverandum confortat, verbumque irreprehensibile et opus stabile subministrat.

6. In hujusmodi vestra, fratres, sit consolatio, C quoties alias consolationes non modo carnales, sed et spirituales subtraxerit vobis non negligentia vestra, sed dispensatio divina. Et fortasse quidem illa, quam diximus, occulta gratia Spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta, nisi adjiciatur ei et irriguum superius (*Josue* XV, 19); ut scilicet de excelso effundatur Spiritus, rorent cœli desuper, et nubes angelicæ pluant justum, justificans Dei verbum, loquens ad cor Jerusalem. Et bene illud irriguum inferius, quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem; hoc autem superius, quod sese desuper effundens, spe et exsultatione attollit mentem. Si ergo et vos, fratres, ad illud suspiratis superius irriguum, 974 laudabile quidem desi- D derium; si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non prævalet capere lætitiam contemplativæ, meditetur justitiam vitæ activæ. Inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemque vitæ statum informet, quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est verbum leviter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum. Benedictum lignum, cujus folium ad medicinam, fructus ad vitam; id est, cujus sermo gratiam parit audienti, et opus vitam facienti.

7. Ad hoc profecto vos, fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo sæcularis plantaverat in terra inaquosa, in terra salsuginis, divina generatio vel mutatio dexteræ Excelsi transplantavit super

Digitized by Google

aquas refectionis; ut quibus prius propter sterilitatem parabatur securis et ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, floreatis, et fructum faciatis, et fructus vester maneat. An non aquæ refectionis Scripturæ Spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? an non aquæ refectionis, lacrymæ compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? an non aquæ refectionis, Sacramenta et subsidia nostræ salutis, quibus pascimur et potamur in altari? In his siquidem omnibus, quasi quibusdam rivulis, fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi, derivatur foris, et in plateis aquas suas dividit. *Ego*, inquit Sapientia, *quasi aquæductus exivi de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum* (*Eccli.* XXIV, 41, 42). Ecce, ut colligere potestis ex ipsius ore Sapientiæ parientis et plantantis, hortus plantationum est congregatio filiorum. *Numquid* enim *ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* (*Isai.* LXVI, 9.) Ipse parit, cum ingenerat voluntatem bonam; plantat, cum instituit vitam; rigat, cum sensibus infundit gratiam; colit, cum moribus adhibet disciplinam. *Audite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate* (*Eccli.* XXXIX, 17). Mittite radices ad humorem vitæ, id est ad amorem terræ viventium, non hujus in qua omnia senescunt et putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cœlestibus radicem figat, ut quæ sursum sunt, non quæ super terram, quærat et sapiat. Quod enim physici dicunt hominem esse arborem inversam, eo quod nervi corporis radicem et initium in vertice habeant, ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris et desiderii figere debeat in cœlo, in summo vertice rerum capite nostro Jesu Christo. Qui illuc radices miserit, et de illo fonte æterno succum vitæ et gratiæ jugiter biberit, non timebit cum venerit æstus judicii; sed afferens et offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet ut floreat in æternum ante Dominum, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De amicitia Dei præ omnibus quærenda.

1. *Dilectus a Deo et hominibus* (*Eccli.* XLV, 1). Paucis expressit bonum ac beatum virum, qualem nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis, inquam, comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ et virtutis, simulque beatitudinem vitæ perennis, et consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternam felicitatem illi qui a Deo diligitur? quid ad præsentem consolationem, illi qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui a Deo diligitur, etsi aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi ut nihil ei desit, et suo, ut putatur, defectu perfectior sit. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Paule, ait Dominus, *sufficit tibi gratia mea* (*II Cor.* XII, 9). Cui gratia Dei sufficit, sine damno gravi, imo cum lucro non mediocri aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus et infirmitas virtutem perficit; et imminutio cujusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei et stabiliorem efficit. Longe fac, Domine, a servis tuis gratiam illam, quæcunque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit; unde videlicet aliquis, gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis **975** tuis. Non est illa gratia, sed ira, illis plane quibus iratus es dari digna; quibus propter dolos posuisti talia, dejiciens eos dum allevantur, et elidens valide, dum super ventum ponuntur. Ut igitur illa sola gratia, sine qua nullus a te diligitur, salva nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certe gratiam utendi simul conferat; quatenus habentes gratiam, per quam serviamus placentes cum metu et reverentia, de gratia muneris gratiam promereamur remuneratoris; et quanto quis fuerit gratiosior, tanto tibi fiat gratior.

2. Sane mirabili arte, sed mirabiliori charitate, prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ, ut, cum cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos aut securos esse sinat; nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se abscondat, nisi ut, dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta (*Eccli.* IX, 1, 2). Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum et operum, ut ex quibusdam quæ concedit, consolationem quod digni sint amore tribuat; ex quibusdam quæ subtrahit, suspicionem ac metum quod odio digni sint injiciat. Consolatur, cum diluculo visitat; terret, cum subito probat. Nunc mortificat, nunc vivificat; nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit et ditat, nunc humiliat et sublevat (*I Reg.* II, 6, 7). Et in tanta vicissitudinum varietate tanto certius salutem nostram operatur, quanto nos incertiores de ea, cum majore metu ac tremore ei cooperamur. Ait quidem Paulus: *Certus sum quia nihil me separabit a charitate Dei* (*Rom.* VIII, 38, 39). Sed vere Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum servari expedit incerta. Paulus, inquam, hic erat qui hoc dicebat, cui nimirum et illud dicere competebat: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20), qui scilicet ita totus in quemdam divinum conversus erat affectum, ut adhærens Domino unus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum, qui ita modo certus erat, alias trepidum ac sollicitum, et castigantem corpus suum, ne forte, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur (*I Cor.* IX, 27): vide etiam colaphizari a Satana (*II Cor.* XII, 7), ne forte extollatur. In ipso itaque Paulo jam tibi est videre quomodo omnis certitudo quæ ad horam confortatur et convalescit de spiritus consolatione, item infirmatur et evanescit superveniente tentatione. Ego igitur miser et ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam,

Digitized by Google

cui omnia et interiora et exteriora manifestum odium denuntiant; cujus vita, non tentatio, non militia est adversus peccatum, sed ultronea servitus peccati; qui tam mente quam carne servio legi peccati; qui cum prudentia carnis et amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor, plane fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum cum inferno non stabit* (*Isai.* XXVIII, 18); quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, et non mortem aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad ultionem inimicorum zelus armabit. Quam beatus in die illo quicunque erit ille dilectus a Deo! quam laudabiles quibus tunc laus erit a Deo, quibus dicet evidenti rerum argumento: *Vos amici mei estis, eo quod feceritis quæ præcepi vobis!* (*Joan.* XV, 14). Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitia promereri; quo propitio poterit homini aliquis inimicari, sed nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei (*Psal.* LXXXVIII, 23).

3. Jam vero si post hanc et per hanc summam omnium causamque bonorum, gratiam etiam illam promererearis, ut, dilectus a Deo, etiam dilectus sis ab hominibus, quæ consolatio est illa in miseriis hujus vitæ, quæ requies, quod gaudium, quæ deliciæ; præsertim si didiceris favore gratiæ humanæ non evanescere, sed exardescere ad diligendum Deum amplius, propter quem diligaris ab hominibus? Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel alio referatur, quid est favor humanus, nisi ventus urens, **976** aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro? Vir quippe vanus erigitur in superbiam, et vanitate sensus sui, velut equo præcipiti, fertur in ruinam. Hujusmodi nimirum serpens vulnerat et subvertit vestigia, dum, veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus, nisi fallor, contingit homini qui, antequam diligere sciat, diligi nimie affectat, et, antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit; facit divitias non cum judicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens, cum omnes amici ejus spreverint eum, pro quibus sprevit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scriptus est: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 6).

4. Primo itaque omnium illa, quæ prima et finis est omnium, quærenda est dilectio Dei, cujus merito digni simus etiam ab hominibus diligi; et cujus studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat uti. Cum autem rem in tuto locaveris; ita scilicet firmato affectu mentis, ut nonnisi in Deo et propter Deum diligi velis: tunc omnino volo ut A dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendet conscientiam hominum, ut ultro rapias affectus omnium, testimonio prædiceris omnium; quatenus ipsa religio, quæ te commendat, justa vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptivo, Unigeniti complebitur oratio: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1); dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt Patrem tuum. Neque id dicimus, quod inter dilectionem Dei et dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamvis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio et illam oportet observare, et istam non negligere; quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere potest diligi; B quamvis ordinata affectio ignorare non possit quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam et modum præscribere, finemque præfigere. Sed hoc dicimus, quod aliud est amari, aliud amari studere. Quod profecto studium sicut periculose assumitur ab illis qui plus vanitate quam charitate blandi sunt, sic periculose negligitur ab his qui plus superbia quam sapientia austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter utrumque vitium, illius scilicet vanæ amicabilitatis, et superbæ severitatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis; id est ut, vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per tumorem dedignetur.

C 5. Illa tamen est vis et natura veri amoris, ut, etiam cum non affectat, tamen efficiat se reamari: quoniam veritas, etiam sine alieno, suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistre interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum quidam proprium donum habent ex Deo; qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quam dicta ipsorum gratificans in oculis omnium; cum multi qui forsitan non minus, imo et amplius amant, non facile eamdem gratiam inveniant. Ad omnes autem pertinet ut, providentes bona non solum coram Deo sed etiam coram hominibus (*Rom.* XII, 17 et *II Cor.* D VII, 21), nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ. Nam et de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres; imo, nisi te fratrem inter fratres in omni conversatione tua demonstres? Putas enim satis esse, si non scandalizas? Imo scandalizas, si non ædificas; si non, testimonium habens bonum intus et foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum ubique glorificas. Sane malis, quibus non placet nisi malum, quibus justus gravis est etiam ad videndum, si illis placere te non sinit, non tua negligentia (cum omnes etiam inimicos diligas), sed ipsorum nequitia, qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua; consolatur te qui ait, *Beati eritis cum vos oderint homines* (*Luc.*

Digitized by Google

vi, 22), et ille qui ait quia, talibus si placeret, Christi servus non esset (*Galat.* i, 10).

977 6. Verum illud miserabile est malum, omnique lacrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpius experiuntur non modo prælati, sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione; quod scilicet et boni, licet non ex ea parte qua sunt boni, bonos inveniuntur odisse. Oderunt corripientem in porta (*Amos* v, 10), et inimici hominis domestici ejus (*Mich.* vii, 6), ita ut etiam Paulus ingemiscat quod filiis et amicis inimicus factus sit, vera dicens (*Galat.* iv, 16). Ergo et ipse expertus est quod comicus ait, « Veritas odium parit (6); » imo et illud quod sponsa memorat : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cantic.* i, 5), cum ego pugnarem pro eorem salute. O victrix regina, o triumphatrix magnifica, pugna, ne cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (*Rom.* xii, 21). Sapientia vincit malitiam (*Sap.* vii, 30); quanto magis infirmitatem aut imprudentiam? Neque contradictionem carnalium, malitiam interpretari potest charitas spiritualium; sed magis ignorantiam, aut infirmitatem qua præventi sunt. Quanquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit quod mali a Domino sunt appellati. Quare autem hæc ita loquor, fratres mei, dilecti Deo et mihi ? Numquid quia malum hujusmodi suspicer in aliquo vestrum, contra quod mihil vel fratribus meis sit pugnandum? Numquid enim aliquis invenitur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus et intractabilis? Loquor hæc non quia ita in vobis sit, sed ne aliquando sit; ne forte aliquando cuipiam aliqua infirmitas subrepat, ut quamcunque correptionem charitatis, nisi cum charitate suscipiat. Sic flet ut tam is qui corripit, quam ille qui corripitur, dilectus sit a Deo et hominibus, et memoria utriusque in benedictione sit; quod meritis beati Benedicti patris nostri præstare dignetur ille singulariter benedictus Dei Patris Jesus Christus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

A B C

SERMO IV.

De lenitate et fide.

1. *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum* (*Eccli.* xlv, 4). Hæc quidem de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongrue, quantum arbitror, aptata sunt. Qui, cum omnino plenus fuerit Spiritu sanctorum, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit, et posuit super omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerii sunt asciti (*Num.* xi, 24-27), quanto magis super istum qui plenitudinem totius ministerii tanto verius quanto spiritualius implevit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto; iste, renuntiantium sæculo : legislator ille, legislator et iste : ille tantum minister litteræ occidentis; iste, spiritus vivificantis : ille ad duritiam cordis Judæorum dedit eis justificationes non bonas, præter pauca mora-

(6) Terent. *Andr.* I, i, 41.

lia; iste solam puritatem evangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam : ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israel, quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit; dux noster recta via, orientis tramite, tanquam signifer exercitus monachorum hodie præcessit nos in regnum cœlorum. Itaque non erit absurdum si credatur illius adæquasse meritum, cujus invenitur etiam superasse ministerium. Nec incongrue videbitur ad ipsum esse translatum quod de illo scriptum legitur : *In fide et lenitate ipsius sanctum illum Dominus;* præsertim cum harum præcipue virtutum, fidei scilicet et lenitatis, nobis ipse magister sit, qui nequaquam aliter vixit quam docuit.

2. Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum sibi arridentem irridens, tam mundi quam corporis sui florem quasi jam aridum calcavit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quam in eo temporaliter prosperari? Quid similius illi fidei Moysi, quam Apostolus commendans ait : *Fide Moyses grandis factus negavit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem* (*Hebr.* xi, 24, 25)? Quid autem sanctius lenitate Patris nostri, qui nec malitia falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, et pro vino **978** venenum propinantium, potuit exasperari? Moysen quidem Scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra (*Num.* xii, 13); nunquid tamen exacerbatum spiritum ejus negat? nunquid non iratum et valde iratum adversus æmulos memorat (*Id.* xvi, 15)? Hujus autem magistri nostri mansuetudinem, non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quanquam nec in ipso, sicut nec in Moyse, præconio sanctæ lenitatis præjudicet, si justus zelo contra peccantes fervet, sine quo lenitas tepor aut timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Heli, qui alius sanctus erat, damnata est? (*I Reg.* ii). Fratres, *habete pacem inter vos*, mandat ille Magister pacificus et benis; prius tamen præmittit : *habete salem in vobis* (*Marc.* ix, 49); sciens nimirum pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi prius asperitas zeli mordacem eis insperserit salem; sicut et carnes vermescere facit clementia temporis, nisi desiccaverit eas fervor salis. Habete itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ; sectamini lenitatem, sed quæ ferveat fide.

D

3. In fide et lenitate vos quoque sancti eritis; nec jam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit: tantum fides non ficta, sed vera sit; fides non mortua, sed viva et vivida sit. Non modo viva vel vivida, sed et constans et intrepida fides erat Moysi,

Digitized by Google

de quo Paulus scribit : *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis.* Animosi sunt reges, sed animosior est fides, quippe quæ potentiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura, quasi superior, irridet ; promptior et fortior ad perferendum, quam illorum furor ad persequendum. Duo sane commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti patris nostri Benedicti : scilicet quod idem Moyses, qui fidei exemplum factus est, hujus mundi contempsit prospera, nec timuit adversa. Prospera contempsit, *majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi :* adversa non timuit, *non veritus* scilicet *animositatem regis.* Ad utrumque vero causam Apostolus subjunxit, unde scilicet id potuerit, ut discamus unde fides nostra infirmetur in nobis. *Majores divitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim*, inquit, *in remunerationem. Non est veritus animositatem regis : invisibilem enim*, inquit, *tanquam videns sustinuit* (*Hebr.* xi, 27, 26) ? Nimirum inde fit ut nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna ; inde fit ut facile potestas contemnatur humana, si tanquam semper imminens potestas timeatur divina. Utrumque vero sola fides agit, cujus tam vividi, tam perspicaces sunt oculi, ut et in ea quæ futura sunt prospectum vivaciter porrigat, et in ea quæ, licet præsentia sint, occulta tamen, intuitum perspicaciter figat. Fidei siquidem, quam æternus Spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præjudicare potest quin et tempus præcedat, præsumendo quod futurum est, et corpus excedat, intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem est fidei virtus, contemplantis non ea quæ videntur, sed quæ non videntur ; sicut gemina est ratio eorum quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur quia præsentia non sunt, aut ideo quia, etsi præsentia sunt, spiritualia sunt. Præsentia non sunt bona futura quæ promittuntur ; præsens est, sed occultus est, quia spiritus est, Deus ipse qui promittit vel minatur. Porro fides, quia est substantia sperandarum rerum, bona futura, quæ sperat, quasi præsentia præsumit, et jam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est argumentum non apparentium (*Ibid.* 1), Deum, etsi non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat et convincit. Illi qui dicebat : *Qui conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo* (*Ephes.* ii, 6), fides erat substantia rerum sperandarum ; illi qui invisibilem tanquam videns sustinebat (*Hebr.* xi, 27), argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat : *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* viii, 24), nonne quod sperabat et per patientiam exspectabat, jam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat ? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper, nonne persuasum 979 tenebat, argumento fidei, eum præsentem esse, qui non apparebat (*Psal.* xv, 8) ?

4. Huic fidei prorsus aptissime congruit quod Scriptura dicit : *Justus ex fide vivit* (*Habac.* ii, 4, et *Rom.* i, 17). Hæc enim justum facit, justumque custodit, et, ut vivat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid enim sic hominem a peccato revocat et servat sicut fides, quæ invisibilem tanquam videns sustinet et observat ? quid ita spe gaudentem facit sicut fides, quæ semper in remunerationem aspicit ? Nos enim, fratres, quare negligentes sumus, nisi quia præsentiam Judicis nostri minus vigilanter intendimus ? aut quare tristitia pene absorbemur, nisi quia remunerationem promissam minus fideliter cogitamus ? Hæc siquidem duo mala sunt, negligentia scilicet et tristitia, quibus miserabiliter infidelitas nostra laborat ; quia videlicet aut negligimus mandata, aut, si necessitate timoris a negligentia coercemur, nequaquam hilariter operamur, nec, sicut fides postulat, spe remunerationis in labore consolamur. *Credere*, inquit, *oportet accedentes ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator est* (*Hebr.* xi, 6). Si non dissimulemus *quia est*, habemus custodiam timoris ; si non dissimulemus quia *inquirentibus se remunerator est*, habemus consolationem spei. Ubi custodia timoris, nullus locus negligentiæ ; ubi consolatio spei, nullus locus tristitiæ. Sicut autem de fide, qua Deus esse creditur, timor salutis nascitur, ita cum minime creditur, aut dissimulatur, omnibus malis frena laxantur. Quare enim *corrupti et abominabiles facti sunt in iniquitatibus*, nisi quia *dixit* ille generalis *insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* lii, 2, 1) ? aut certe si nescire Deum non permittitur, *non est timor Dei ante oculos ejus*, sed *dolose* agit *in conspectu ejus*, dissimulans quod novit invitus, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium* (*Psal.* xxxv, 2, 3). Merito prorsus dolosus ad odium, qui ignorantiam Dei non habet, sed odium. Quomodo enim non odit Deum, cujus declinat aspectum, contemnit imperium, vellet non esse judicium ? Ignorans quidem ignorabitur, odiens autem et odietur. Ille reprobabitur veritate judicii, in istum vindicabitur severitate odii.

5. Adeo, fratres, periculosior est fides ficta, fides dolosa, quæ se ipsam dissimulat, quam fides nulla. Fides nulla, per insipientiam dicit in corde suo : *Non est Deus ;* fides ficta per nequitiam *dolose* agit *in conspectu ejus*, et se scire Deum vel sciri a Deo dissimulat ; dum sciens et prudens, imo imprudens et impudens sub oculis ejus peccat. Nescio tamen quomodo possit dici fides, quæ fictos et dolosos potius facit quam fideles. Scio quidem quia confessione fidei plena est terra, sed tamen audio prophetam plangentem, quia *periit fides de terra* (*Jerem.* vii, 28). Putas enim, Filius hominis si nunc veniret, inveniret fidem super terram (*Luc.* xviii, 8) ? Nunquid fidem reputaret hanc fidem fictam negligentium et contemnentium, qua levius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem judicat credulitatem dæmonum ? Dæmones credunt et contremiscunt (*Ja-*

Digitized by Google

cob. II, 19); homines credunt nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur; homines dum quem credunt, nec timent nec verentur, gravius de contemptu judicantur. Non fallamur ergo, fratres, generali nomine fidei, quasi quæcunque fides ad justitiam debeat reputari; sed meminerimus Doctor gentium in fide et veritate, qualem definierit fidem, qua Deo est placendum : *Fides*, inquiens, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Hæc est fides quæ per dilectionem operatur; ut, suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subjectum et fundamentum, cui superædificentur bona æterna, quæ speranda sunt. *Sine* ista *fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 1, 6), et cum ista impossibile est displicere Deo. *Oculi tui, Domine, respiciunt fidem* (*Jerem.* V, 3), dixit ille qui jugiter in conspectu tuo stabat per fidem. Omnino juste et merito. Prorsus debita vicissitudo, ut oculi tui, Domine, respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fidelem.

6. Nos autem, fratres, si tanquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, ut, dissimulantes timorem ejus, in vanitates potius respiciamus, quo merito nos respiciendos putamus? Imo respiciemur, sed quo vultu? Vultus Domini super facientes mala (*Psal.* XXXIII, 17); sed quam iratus, 980 quam terribilis, quam importabilis tunc demum scietur, quando fugient qui oderunt eum a facie ejus. Et a facie tua, Domine, quo fugient, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos et abyssum ignis et caliginis? *Tunc* enim *dicent montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos* (*Luc.* XXIII, 30), levius æstimantes absorberi voragine inferni, quam sustinere faciem Dei irati. Enimvero tunc stabunt justi in magna constantia; tunc fides, quæ modo sollicita stat in conspectu Domini ad videndam voluntatem ipsius, secura stabit ad videndam gloriam ejus. Vigilate, fratres, state in fide (*I Cor.* XVI, 13). Quem fides timore sollicitat, non potest dormitare per negligentiam; quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidentiam. Omnia autem vestra in charitate fiant, ut fidei lenitas jungatur, quatenus de unoquoque vestrum dicatur, *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus* (*Eccli.* XLV, 4); quod ipse præstet Sanctus sanctorum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA.

SERMO I.

De gaudio hujus diei et de laudibus Virginis matris.

1. Opportune nobis in his diebus Quadragesimalis observantiæ solemnitas intervenit Dominicæ Annuntiationis, ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali; et quos humiliavit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sic quippe scriptum habes : *Mœror in corde viri humiliabit eum; et sermone bono lætificabitur* (*Prov.* XII, 25). Prorsus sermo bonus, sermo fidelis et omni acceptione dignus, Evangelium nostræ salutis; quod angelus missus a Deo, hodierna die Mariæ evangelizavit, ac lætum de Incarnatione Verbi, dies diei, angelus Virgini verbum eructavit. Sermo ille, dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captivis, adapertionem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille, dum Filii regnum prædicat, justorum quoque gloriam annuntiat; terret inferos, lætificat cœlos; et, sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua, quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David, *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc* enim *me consolata est in humilitate mea* (*Psal.* CXVIII, 49, 50). Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

2. Si ergo David sola spe salutis hujus, quæ nobis servabatur, animum pascebat, quod gaudium, quæ deliciæ, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O felicitas temporum istorum! o infelicitas temporum istorum! An non felicitas temporum in quibus tanta plenitudo gratiæ et omnium bonorum? an non infelicitas temporum in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suum, ut fiat Filius hominis, hominumque Salvator; et ecce magnitudo temporis, ut Salvatorem suum fastidiat homo peccator. Annuntiatur salus perditis, et contemnunt; promittitur vita desperatis, et negligunt; venit Deus ad homines, et non assurgunt. Assurgit, qui aliqua devotione se erigit ut det gloriam gratiæ Dei; assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem, scio quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille procul dubio quem prius humiliavit pius mœror in corde suo : mœror de peregrinatione et exsilio, mœror de vinculis mortis et periculis inferni; qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupaverint eum laquei mortis, et pericula inferni invenerint. Huic nimirum jucundus advenit hodiernus ille nuntius de cœlo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio; huic, inquam, lugenti et mœrenti quod tantis sit malis præventus et circumventus, non sine gaudio liberator annuntiatur; qui oleum gaudii daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; qui videlicet finem dabit miseriis, et sine fine

Digitized by Google

beatitudinem dabit miseris. Beati ergo qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati **981** quos humiliavit pius mœror in corde suo, quoniam lætificabuntur sermone bono. Bonus plane sermo et consolatorius omnipotens Sermo tuus, Domine, qui hodie a regalibus sedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam sedem sibi regalem exstruxit; in qua cum etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris.

3. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, et venientem a regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe et ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX, 1), in ipsa et ex ipsa paravit sibi thronum, cum in ea et ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum et congruum, ut et domus ei sit ad quiescendum, et thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, et cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David patris ejus (*Luc.* I, 70), quam ei dandam promittit angelus; non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta et fabricata sit. Et certe, si sedes David non est, tamen sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ipsa est. Si solium David non est, certe solium excelsum et elevatum super omnem creaturam ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem, quem *rex Salomon sibi fecit de ebore*, corpus ipsum interpretetur, quod Pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum a vero videbitur abhorrere; quandoquidem et illud quod sequitur, *et vestivit eum auro fulvo nimis* (*III Reg.* X, 18), eidem satis corpori congruit; quod jam Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. *Vestivit*, inquit, *eum auro fulvo*. Prorsus, si interroges oculos Apostolorum qui transfiguratum in monte viderunt (*Matth.* XVII, 1, 2), confitebuntur aurum nimis esse fulvum, id est, fulgorem corporis esse nimium, quem ferre nequiverunt, quamvis *nimis* pro Valde ponere consuetudinis sit Scripturarum. Cætera namque quæ prosequitur Scriptura de illius throni magnificentia (*III Reg.* X, 18-20), accommodatius, nisi fallor, si quis tractare voluerit, accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia.

4. Mihi sane magis mirari modo libet illud ebur tam pretiosum, imo et impretiabile, virginalis castimoniæ, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubim: *Hæc*, inquiens, *requies mea in sæculum sæculi; hic sedebo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 14). Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque divitis Regis placuit, in cujus diebus argentum nullius est pretii! quam frigidum, quod nec a conceptu incaluit! quam solidum, quod nec partus violavit! quam candidum simul et rubicundum, quod candor lucis æternæ ignisque Spiritus sancti, universa sui plenitudine replevit! Maria siquidem et ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo; cui scilicet incomparabilem et castitas candorem, et charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam et suam ipsius animam pertransivit gladius, ut mater summi Virginis et Martyris esset et virgo ipsa et martyr, candida et rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus et rubicundus (*Cantic.* V, 10). Denique, sicut Salomon in omnibus thesauris suis et opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriæ suæ judicaret ebori præferendum, sic Maria singularem præ omnibus electis Angelorum et hominum invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet et pareret Filium, atque ex ebore corporis ejus thronum sibi virtus Altissimi sine manibus exciderit gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet quia *non est factum tale opus in universis regnis* (*III Reg.* X, 20), quod facile testimoniis probaretur Angelorum, qui semper et insatiabiliter in gloriam et decorem Dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis regnis non est tale opus factum, quidquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ majestatis, thronusque **982** potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! *Quotquot*, inquit, *tangebant eum, sanabantur a languoribus suis* (*Marc.* VI, 56): nam *virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (*Luc.* VI, 19).

5. Beatus igitur venter, qui te, Domine Jesu, portavit! felix castitas uteri virginalis, quæ hujus operi materiam ministravit! Felix prorsus, fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis; si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus (*Id.* I, 48). Proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem prædicaret virginis, seu sponsæ, videlicet seu sponsi (quia quorum spiritus unus et caro una, in plerisque etiam laus una), ut castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait: *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris* (*Cantic.* V, 14). Ut autem noveris quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu unguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut David in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, *Canticum pro dilecto*, de Sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha*, inquit, *et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo* (*Psal.* XLIV, 9, 10). Corpora

Digitized by Google

siquidem eburnea sanctorum, domus Christi sunt; vestimentum Christi sunt; membra Christi sunt; templum Spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum et charismatum, ex quibus delectant et honorant Regem regum filiæ Apostolorum et Prophetarum. Probastis et ipsi, fratres mei, ex quo cœpistis possidere unusquisque vas suum in sanctificatione et honore, non passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum (*I Thess.* IV, 4, 5), quid unguentorum, quid odoramentorum divina largitate sit infusum; quo modo corpus, quod erat sentina sordium, nunc Spiritus sancti sit venerabile sacrarium; et quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum.

6. *Myrrha*, inquit, *et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis.* Inhabitamus quidem domos luteas, sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ; ex quibus si myrrha prima spirare cœperit per mortificationem voluptatum, consequentur et aliæ species aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabiliter, tanquam de vestimentis suis; spirabunt etiam longe lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim ut sensit Isaac: *Ecce*, inquit, *odor filii mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Sed et Sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus et vestimentum ipsius est, loquitur dicens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* (*Cant.* IV, 11). Quem nimirum odorem thuris Sponso gratissimum, pietas, o fratres, vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans et devota fuerit ut dirigatur oratio vestra sicut incensum in conspectu Altissimi, et ascendat coram eo *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris* (*Id.* III, 6). Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris; fragrat utique et mihi: utinam ita et thus fragret de cordibus vestris, quatenus Sponsus probans vos sicut castos, sic etiam devotos, frequentius vos sua visitatione dignetur, et dicat: *Ibo mihi ad montem myrrhæ, et ad collem thuris* (*Id.* IV, 6). Videtur tamen sermo iste, prophetia hujus esse diei, per Salomonem olim prædicta, per Jesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrrhæ et thuris, sed et omnium aromatum; dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue, nisi fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, et thus pietatis. Odor, iste, fratres mei, super omnia aromata; odor iste Dominum majestatis de excelsis attrahit et invitat, ut inclinet cœlos et descendat, sicut probat dies hæc, cum Altissimus, angelo misso de cœlis, ipse quoque descendit in uterum Matris, qui semper manet in sinu Patris, cum quo vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen

(7) Scilicet Gennadius.

983 SERMO II.

De verbi incarnatione in Maria et in anima fideli.

1. Hodie Verbum caro factum est, et habitare cœpit in nobis, secundum regulam scilicet sanæ fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum definitio tradidit nobis (7). Firmissime namque tenet, et nullatenus dubitat Ecclesia, carnem Christi non prius conceptam quam a Verbo susceptam; sed ipsum Verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, et ad ædificandam unitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit; dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob, quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra (*Psal.* LXXXIV, 10). Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, et rorantibus cœlis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere prævaricatoris, quæ etiam exercitata spinas et tribulos germinat hæredibus maledictionis (*Gen.* III, 17, 18). At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit universis, et filiis Adæ præjudicium originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Salvatorem germinat, et mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaque terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta; videbatur esse eremus solitudinis, sed erat paradisus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei, eremus cujus campi germinaverunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo Agnum dominatorem terræ Pater emisit. *Emitte*, inquit, *Agnum, Domine, de petra deserti* (*Isai.* XVI, 1), id est, abscinde Petram de Petra, Sanctum et inviolabilem sancta et inviolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni, dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti; et cujus corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui, et corpus sibi excidit de petra, et corpori locum in petra; sic integritatem petræ, cum de ea emitteretur, non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cum de ea egrederetur, aperiens.

2. Si ergo *petra Christus* (*I Cor.* X, 4), ut ait Apostolus, non degenerat a Matre Filius, quando et ipsa petræ nomine censetur. An non recte vocatur petra, quæ et in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat et lapidea?

Digitized by Google

an non recte petra virginalis integritas, quæ et nihil parit per naturam sui ; et cum parit, roris virtute divini, nec admittens conceptum, nec emittens partum, novit aperiri ? Sed *aperiatur terra*, inquit Isaias, *aperiatur, et germinet Salvatorem* (*Isai.* XLV, 8). O sancte Isaia, qui dicis *aperiatur*, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur : *Porta hæc clausa erit, et non aperietur* (*Ezech.* XLIV, 2) ? An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fecundandæ Matris, et clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis ? Absit ! inquit ; nemo magis quam ego conscius hujus secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prædixi : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isai.* VII, 14) ? Quæris igitur quomodo dicamus, ego, *aperiatur ;* ille, *non aperietur* ? Non aperietur viro, aperietur Domino ; sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem : *Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Aperietur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia, sicut Ezechiel post prædicta subdidit : *Hæc clausa erit ipsi etiam principi* (*Ezech.* XLIV, 2, 3), sed aperietur auris et porta cordis ; quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, et exivit per clausam portam corporis incarnatum. 984 Omnipotens namque Verbum Dei, etsi infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quominus contra naturam carnis, et supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset et integra trajicere, sicut etiam [ad] discipulos ingrediens januis clausis, oculis probavit, quod ratio non capit.

3. Secura igitur, o Virgo intemerata, o porta sanctuarii perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi jam dudum clamat : *Aperi mihi, soror mea, amica mea* (*Cantic.* V, 2). Non est quod timeas integritati tuæ : Deus non novit integra violare, sed violata consolidare. Si Verbo Dei apta es, tum demum non modo clausa, sed et signata es. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (*Id.* VIII, 6). Jesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum plane et munimentum est inviolabile castitatis sponsæ suæ, et eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo, o Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum et mens tua ad credendum : aure percipe verbum angeli, et corde suscipe Verbum Altissimi, et corpore concipe Filium Dei. Dic et tu, o beata, tam humilis quam fidelis, dic *Dominus aperuit mihi aurem ; ego autem non contradico, retrorsum non abii* (*Isai.* L, 5). *Ecce ancilla Domini :* præsto sum ejus voluntati ; quinimo juvabo votis si possum, *fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, et spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra, ut, quem rorabant cœli desuper, susciperet torem, et germinaret Salvatorem. Nobile germen, A germen justum, germen odoris, germen Domini, quod jam est in magnificentia et gloria, cum idem fructus terræ sublimis est super omnia, id est, exaltatus est super cœlos Deus, et super omnem terram gloria ejus. Nihil enim interest sive germen, sive fructum aut florem dixeris, cum hæc omnia, imo infinita alia unus Christus sit, res una, sed multiformis gratia, et virtutis unius operatio multifaria ; cui si infinita nomina paupertas humani sensus et sermonis pro similitudine commodaverit, rei tamen implere significationem non poterit. Bene autem simul vocatur germen, et flos, et fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute et gratia in se ipso exstitit perfectus. In nobis enim primum ipse *germen* est, cum fides in B confessionem prorumpit vel opus manifestum : postmodum *flos*, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum ; demum autem *fructus*, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sane ac vigilantissime non solum mysteria, sed et mysteriorum præsagia dispensatio præordinavit divina, ut locus in quo terra germinavit Salvatorem germen justum, et flos de virga et radice Jesse ascendit, Nazareth, id est *sanctitas*, germen, flos, virgultum vocaretur ; ut videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque et nomen loci rem gerendam pronuntiaret, et res gesta causam nominis indicaret.

C 4. Ignoscite mihi, fratres mei, quia, qui morum vestrorum servire debueram instructioni, plus forsitan quam necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione et præconio mysterii. Quid enim mirum si miror quod stupent Angeli, si prædicare gestio, quam cœli enarrant, gloriam Dei ? quid mirum si me delectat quod beatos spiritus lætificat, quod peccatores justificat, justosque glorificat ? Nescio tamen si ulla esse possit efficacior ac suavior morum ædificatio, quam hujus mysterii, id est Verbi incarnati, fidelis et pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens hominem amor Dei tam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri ? Quid autem ita nutrit amorem proximi, D quam similitudo et natura proximi in humanitate Dei ? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse majus aliquod existimo, quam exinanitionem Dei in formam servi, et servitutem plus quam servi. Castitatem porro quid æque commendat, sicut quod ipsa castitas Salvatorem germinat ? Aut 985 fidei virtutem ac meritum quid evidentius ostendit, quam quod Virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa divinitus impleri promeruerit ? *Beata*, inquit, *quæ credidit, quoniam perficientur quæ dicta sunt ei a Domino* (*ibid.* 45). Et ut plenius noveris conceptum Virginis non solum esse mysticum, sed et moralem ; quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem ; ut manifeste evacues in te gratiam sacramenti, si

Digitized by Google

non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum A fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit, quod videlicet si verbum ex ore nuntii cœlestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis et ipse concipere. Concipere autem corde, imo et corpore, licet non corporali opere aut specie, tamen plane corpore tuo; quandoquidem jubemur ab Apostolo glorificare et portare Deum in corpore nostro (*I Cor.* VI, 20). Attende itaque, ut scriptum est, diligenter auditui tuo, nam *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei* (*Rom.* X, 17); quod tibi absque dubio evangelizat angelus Dei, cum de timore aut amore ejus tecum agit prædicator fidelis, quem angelum Domini exercituum dici et esse non est tibi fas ambigere (*Malach.* II, 16, 17). Quam beati qui dicere B possunt: *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isa.* XXVI, 17, 18)! qui nimirum non est alius quam spiritus Salvatoris, quam veritas Jesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incomprehensibilis mysterii: qui creavit te, creatur in te; et, quasi parum esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicumque*, inquit, *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus et frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII, 50). O fidelis anima, expande sinus, dilata affectus; ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi Verbo Dei aurem audiendi: hæc est ad uterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre C prægnantis.

5. Gratias tibi, sancte Spiritus, qui ubi vis spiras. Video munere tuo non unam, sed innumeras fidelium animas illo generoso germine gravidas; custodi opera tua, ne aliqua illarum abortiat, conceptumque divinæ sobolis informem aut mortuum excutiat. Vos quoque, o matres beatæ tam gloriosæ prolis, attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis (*Galat.* IV, 19); attendite, ne qua foris offensa gravior fetum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventri, id est menti, quod spiritum quem concepistis exstinguat. Parcite, si non vobis, certe Filio Dei in vobis; parcite, inquam, non solum ab operibus et sermonibus malis, sed etiam a cogita- D tionibus noxiis et delectationibus mortiferis, quæ plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia servate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet, cum scilicet maturus se partus absolvet, et vita Christi, quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit, tristitiam habet* (*Joan.* XVI, 21) laboris; cum autem pepererit puerum, jam non memor erit pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo Christus in mundum exteriorem corporis nostri, quod et minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiritui charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ, in qua vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMON III.

De hujus mysterii signis.

1. *Audite, domus David: ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet* (*Isai.* VII, 13, 14). Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris. Hodie namque illud ineffabile conceptus virginalis miraculum, sicut audieratis promissum, sic audistis impletum: Virgo hodie concepit. Et hoc signum, prioribus retro sæculis inauditum, nostris sæculis Dominus dedit. Et sicut Jeremias eodem spiritu et eodem sensu prædixit: *Creabit Dominus novum super terram, quia femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI, 22). 986 Quid est enim, *creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*, quod ait Jeremias, nisi quod ait Isaias: *Dabit Dominus signum, Virgo concipiet filium* (*Isai.* VII, 13, 14)? Hoc nempe est, *circumdabit*. Non de consortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam concipiet, et solius materni corporis involucro vestiet. Alioquin dicant, si possunt Judæi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, ut ipsi falso interpretantur, concepit; aut quid novum Dominus creavit, si femina masculum de masculo susceptum circumdedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi; sed in multitudine virtutis tuæ, o Domine, mentientur tibi inimici tui, ut virtutem tuam dum negat pravitas et paucitas Judæorum, glosiosius et copiosius confiteatur fides omnium populorum. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes*, quia *terra dedit fructum suum*, Virgo germinavit Jesum (*Psal.* LXVI, 6). Velint, nolint Judæi, creavit Dominus novitatem hujus miraculi, in signum eorum incredulatis; utique in signum cui contradicunt usque hodie, plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quam ignorantia miserabili.

2. Non alienum tamen ab origine et consuetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est, qui ab initio in patre et rege suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. *Locutus est* enim *Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum. Non petam*, inquit, *et non tentabo Dominum* (*Isai.* VII, 10-12). O religio profana! o pietas exsecranda! o humilitas dolosa! Ne tentes, ut ais, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non graviter tentas, quem manifesto contemptu irritas? Novimus utique, novimus dolum et invidiam Judaicæ radicis, quæ et antequam Christus nasceretur, invidere cœpit gloriæ illius. Nam et iste Achaz, quantum ex vita et moribus ipsius intelligi datur (nam cultor idolorum erat), non alia religione aut metu signum recusavit petere cum juberetur, nisi ideo scilicet ne Dominus glorifica-

Digitized by Google

retur. Sane mira et plane digna ira Dei et hominum, tam dira perversitas Judæorum, qui, cum jubentur signa quærere, renuunt, non, ut fingunt, ne tentent, sed ne glorificent Dominum (*Matth.* XVI, 4); cum non jubentur, tentant et quærunt. Nam velut natura et usu Judæi signa quærunt, et, si dantur, calumniantur et inficiari contendunt, ut manifeste confiteantur quia tentantes quærebant, non ut crederent facienti, sed ut insultarent non facienti. O gens peccatrix, *semen nequam, filii scelerati*] (*Isai.* I, 4)! ait Isaias, *Numquid parum est vobis molestos esse hominibus*, mihi et aliis prophetis, imo universo generi hominum, *quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* (*Isa.* VII, 13, 14). Quia enim vos in perversum adversum eum inceditis, et ipse, ut ait, perversus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi; et ipse propter hoc dabit, ut ipse glorificetur, et vos confundamini. Fac, Domine, *fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur* (*Psal.* LXXXV, 17), ait de Judæis ad Patrem Filius.

3. Primum autem signum quod Pater et Filius operati sunt in confusionem infidelium et gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis et opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse Virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, *dabit Dominus signum*, quasi quærentibus quod signum, intulit contextus Prophetæ, verbis tamen Evangelistæ, *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (*Isai.* VII, 14, et *Luc.* I, 31); ut plane aut consequentia vel veritate contextus careat, aut (quod est probabilius) mendacium Judæorum latebram non habeat. Merito proinde cum jam generatio prava et adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Jonæ (*Matth.* XVI, 4); ut videlicet qui ob perversitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scilicet sepulturæ et mortis. Nam verbum crucis et mortis Judæis, qui pereunt, scandalum est; his autem qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est (*I Cor.* I, 18); nec minor aut infirmior nobis est Filius hominis in corde terræ, quam in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusaverunt, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione devota suscipimus, agnoscentes Filium quem concipit **987** Virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis et veniæ; in excelsum supra, signum et spem exsultationis et gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ, ut in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo non est aqua, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Ephes.* IV, 9, 10). Jam levavit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni, et exaltavit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei a populo Judæorum, et quotidie a quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signum. O Radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem jam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Judæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculato conceptus tui contradicunt, et nec angelo Gabrieli credunt dicenti quia non est impossibile apud te omne verbum (*Luc.* I, 30, 31). Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, et, cum quæsisset quomodo Filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quam de prole securam deinceps effecit.

4. Quidquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat et pariat Virgo Filium; nos quippe signum habemus in bonum, etiam Matrem et Filium. Nobis plane Mater tota miraculum est, quæ singulariter et sine exemplo mater est et virgo; nobis Filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est et homo. Mater, virgo concipiens et pariens, signum nobis est quia Deus est homo iste qui concipitur et paritur; Filius, divina faciens, et humana patiens, signum nobis est quia in Deum transferet hominem, pro quo concipitur et paritur, etiam et patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel injuriarum quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit? aut quando ita penitus a semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: quando et moriens glorificat latronem, et exspirans inspirat Centurionem; quando horarius dolor passionis ei non solum compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero autem sic est quasi non sit, sic omnipotens virtus vacat quasi nihil possit, et Verbum æternum sub silentio se premit.

5. Vobis tamen, fratres, vobis illud silentium verbi loquitur, vobis clamat; vobis utique disciplinam silentii commendat. *In silentio* enim *et spe erit fortitudo vestra* (*Isai.* XXX, 15), sicut Isaias promittit, qui cultum justitiæ silentium definivit (*Id.* XXXII, 17). Sicut namque puer ille conceptus in utero ad maturitatem partus sub alto et diuturno profecit silentio, sic et spiritum hominis disciplina silentii nutrit, format et roborat, et quanto occultius, tanto tutius et salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis, qui non percipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, et quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis (*Eccle.* XI, 5); sed *non occultatum os meum a te*, ait sanctus Deo, *quod fecisti* mihi *in occulto* (*Psal.* CXXXVIII, 15) mentis, sub secreto silentii. Sed nec a vobis

Digitized by Google

occultatum est hoc mysterium, fratres mei, quorum experientia et confessio testis mihi est quomodo quietus et modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat et floreat; quomodo e contrario per verba, velut quadam paralysi, dissolvatur et defluat; quomodo macrescat, et marcescat, et aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* (*Prov.* XXV, 28). Cæterum, si quæris quo negotio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, comede panem tuum, sicut et ipse Dominus conceptus suo tibi commonstrat exemplo. Quid enim propheta de eo dixit, cum loqueretur de porta orientali semper clausa in domo 988 Domini, quæ tamen Deum Israel admisit et emisit? *Princeps ipse*, inquit, *sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino* (*Ezech.* XLIV, 3). *Sedebit*, inquit, *in ea*, quoniam requiescet in ea, de qua et ipse loquitur : *Hæc requies mea* (*Psal.* XXXI, 14); sedebit in ea tanquam in throno grandi, quem, sicut alias dixi, *Salomon rex sibi de ebore fecit* (*III Reg.* X, 18). Si attendas angustias uteri, locus prorsus angustus est, si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam uterus tantæ majestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit et panem comedit; quia *si quis*, inquit, *aperuerit mihi, intrabo ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum* (*Apoc.* III, 20).

6. Non est hæc cœna sine pane, quando et ipse qui cœnat panis est vitæ, panis qui hodie descendit de cœlo et dat vitam mundo. Sed res mira, si idem est qui cœnat, et quod cœnatur; et qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Revera res mira, sed res vera; quia Christus non alio pane quam se ipso pascitur. Ipse namque totus est panis, Verbum propter se, caro propter unionem Verbi. Alioquin caro non prodest quidquam, cum spiritus sit qui vivificat (*Joan.* VI, 64), nec in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth.* IV, 4). Omne verbum procedens de ore Dei unum et unigenitum est Verbum Patris, quod, cum simplex sit, in se tamen continet rationem et formam omnis verbi divini. Verbum itaque pascitur de Verbo, Filius vivit de se ipso; quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*Joan.* V, 26). Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine, Verbo pascebatur anima illa, Verbo ipsi in persona conjuncta; et incomparabili felicitate princeps ille sedens in porta virginalis uteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis tu quoque, si sapis, in silentio tuo actitabis, ut panem verbi divini comedas coram Domino, conservans, sicut Maria, quæ de Christo dicuntur, et conferens in corde tuo. Hunc panem tecum Christus manducare delectabitur; et qui te pascit, ipse in te pascetur (*Luc.* XXII, 15, 19); et panis ipse quo plus editur, plus abundabit edendus : quia gratia non minuitur usu, sed augetur.

7. In hoc propterea tibi sit exemplo Jesus conceptus et gestatus in utero, ut, sicut onus illud leve ac suave, etsi gravidavit, non tamen gravavit uterum Mariæ, sic te non sentiat gravem aut molestum uterus Ecclesiæ. Gravida est, o fratres, Ecclesia, non, sicut Maria, solo Jesu, sed, sicut Rebecca, Jacob et Esau, non solum scilicet bonis et modestis, sed etiam dyscolis et indisciplinatis; quos tamen et ipsos, propter nomen Jesu, vel forsitan aliquod initium substantiæ ejus, Ecclesiæ viscera suscipiunt et amplectuntur. Sed cum sese colliderent parvuli discordes in utero Rebeccæ, quæ prius oraverat ut conciperet, dolensque ventrem suum a tribulatione malorum et dolore, pene pœnitebat quod concepisset : *Si sic*, inquit, *futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* (*Gen.* XXV, 22.). Si de aliquo nostrum, fratres, sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset sibi conceptus non fuisset homo ille; nisi quod nec de talibus sinit nos desperare, qui etiam de lapidibus suscitat filios Abrahæ (*Luc.* III, 8). Ipse in eis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris; ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos, qualescunque sint, portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus, perfectus homo vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

SERMO I.

Quomodo Christus omnia homini factus.

1. *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset* (*Philipp.* II, 5, 6), etc. Audiat servus nequam et fugitivus, hominem dico, qui, cum esset in natura et conditione servili et necessitate serviendi, servire detrectans, arripere sibi conatus est libertatem et æqualitatem Domini sui. Christus cum in forma Dei esset, non rapina, sed natura æqualis, quia coomnipotens, coæternus et consubstantialis, exinaniens semetipsum, non solum formam servi accepit, in similitudinem hominum factus; sed etiam ministerium servi implevit, 989 humilians semetipsum, et obediens factus Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Ibid.* 8). Sed parum tibi videatur quod, cum esset filius et coæqualis, tanquam servus servivit Patri, si non et servo suo plus quam servus servivit. Factus quidem erat homo, ut serviret Creatori. Et quid justius quam ut servias illi a quo creatus es, sine

Digitized by Google

quo nec esse potes? et quid beatius aut sublimius quam servire illi cui servire regnare est? Non serviam, inquit homo Creatori. Ego igitur serviam tibi, inquit Creator, homini. Tu recumbe; ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce; ego languores tuos feram, infirmitates portabo. Utere me, ut libet, in omni necessitate tua, non modo ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo, ut peculio tuo. Si fatigatus aut oneratus es, ego te et onus tuum feram, ut legem meam primus impleam. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Si esuris, aut sitis, et ad manum forte nihil melius habes, nec alter tibi vitulus æque saginatus præsto est, ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas, et sanguinem bibas. Nec verearis ex morte servi damna servitii ejus pati; etiam comestus et bibitus, manebo tibi integer et vivus, serviamque ut prius. Si in captivitatem ductus aut venumdatus es, ecce vende me, teque pretio mei, vel me ipso pretio redime. Vile quidem mancipium videor; sed etsi noctu et clanculo distrahar quasi res furtiva, etsi ab avarissimis Judæorum sacerdotibus emar; attamen saltem triginta argenteos appretiari potero; hoc pretio mei poterit emi sepultura peregrinorum, me pretio vita sepultorum. Si infirmaris, et mori times, ego moriar pro te, ut de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ.

2. Euge, serve bone et fidelis, servisti revera, servisti in omni fide et veritate, servisti in omni patientia et longanimitate. Non tepide, qui exsultasti ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XXIII, 6) obedientiæ; non ficte, qui etiam animam post tot et tantos labores superimpendisti; non murmurose, qui, innocens flagellatus, nec os aperuisti. Scriptum est, et justum est: *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47, 48). Sed iste servus, obsecro, quid non dignum fecit? quid debuit facere et non fecit? *Bene omnia fecit*, clamant qui facta ejus observabant, *et surdos fecit audire et mutos loqui* (*Marc.* VII, 37). Omnia fecit digna, et quomodo sic omnia passus est indigna? Dorsum posuit ad flagella, plagis vapulavit non paucis nec parvis; indicio sunt sanguinis rivuli qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia et tormento interrogatus fuit, veluti servus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorqueatur criminis. O detestabilem superbiam hominis servire contemnentis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi servitute et tali servitute Domini sui! et utinam vel sic posset! utinam vel nunc habeat et referat gratiam tantæ humilitati ac bonitati! Sed, ut mihi videtur, adhuc audio eumdem Dominum apud Isaiam conquerentem de ingratitudine nequam servi, ubi scilicet ait: *Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Verumtamen me servire fecisti in peccatis tuis, laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis* (*Isai.* XLIII, 23, 24). Et quem laborem? Usque ad defaugationem, esuriem et sitim; sed usque ad sudorem, sudorem autem sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII, 44); sed usque ad mortem, mortem autem crucis: ne omnia modo replicem, quod alapis cæsus, sputis illitus, coronatus spinis, confixus clavis, lancea perforatus, aceto et felle potatus. Hoc *torcular*, inquit, *calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isai.* LXIII, 3). Vos ergo, qui statis tota die otiosi, attendite et videte si est labor sicut labor meus.

3. Utique valde laborasti, Domine mi, in serviendo mihi; justum profecto et æquum esset ut saltem de cætero tu quiesceres, tuusque tibi servus vel ordine vicis suæ, quia ad ipsum ventum est, serviret. Quam magno, Domine mi, inutile tibi meum redemisti servitium, qui nec ministeriis indiges Angelorum! Quam suavi et benigna arte pietatis recuperasti tibi et subdidisti contumacem servum, vincens in bono malum, humilitate 960 confundens superbum, beneficiis obruens ingratum! Sic nimirum, sic sapientia vincit malitiam; sic carbones ignis congessisti super caput contumacis, quibus accenderetur ad pœnitentiam. Vicisti ergo, Domine, vicisti rebellem: ecce do manus in vincula tua, jugoque tuo suppono cervicem. Dignare tantum ut tibi serviam, patere ut tibi laborem. Accipe me servum sempiternum, licet inutilem, nisi nunc quoque mecum sit et mecum laboret gratia tua, semper et prævenians et subsequens. Præveniat nos, prior ostendens humilitatis et patientiæ exempla, subsequatur nos, adjuvans ut imitemur ostensa. Quam felices nos, o fratres mei, si super hoc audiamus consilium Apostoli: *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod et in Christo Jesu* (*Philipp.* II, 5) præcessisse cognoscitis! hoc est, nullus extollatur supra se, sed magis humilietur infra se; qui major est, aliis serviat; si quis læditur, prior satisfaciat; in commune usque ad mortem quisque obediat. His vestigiis, fratres, sequemur Christum in forma Dei, in qua vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De crucis scientia et virtute.

1. Paulus, doctor noster in fide et veritate, si hodie veniret ad nos, putō quia non judicaret se aliquid scire inter nos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2). In his siquidem diebus in quibus anniversaria dominicæ passionis et crucis memoria solemniter celebratur, nihil, ut arbitror, convenientius prædicatur, quam Jesus Christus, et hic crucifixus. Nam et aliis quibuslibet diebus quid unquam potest prædicari fidelius? quid audiri salubrius? quid cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectibus, tam medicinale moribus; quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit et roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam; mihi, cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum, his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem et his qui salvi fiunt, plane Dei virtutem Deique sapien-

Digitized by Google

tiam ; mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi quam carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam provectum in sapientia, si Crucifixi vel idoneus invenirer auditor, qui factus est nobis a Deo non solum sapientia, sed et justitia, et sanctificatio, et redemptio ! (*Id.* I, 30.) Omnino si Christo confixus es cruci, sapiens es, justus es, sanctus es, liber es. An non sapiens, qui, cum Christo exaltatus a terra, sapit et quærit quæ sursum sunt ? an non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultra non serviat peccato ? an non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam, placentem Deo ? an non vere liber, quem Filius liberavit, qui de libertate conscientiæ illam liberam vocem Filii sibi assumere confidit : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam ?* (*Joan.* XIV, 30.) Vere apud Crucifixum misericordia, et copiosa apud eum redemptio, qui sic redimit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus, ut principis hujus mundi calumnias liber evadere mereatur.

2. Sciat tamen, sciat quicunque est ille beatus et verus Israel, non esse hoc suæ meritum perfectionis, sed divinæ gratiam redemptionis ; non scilicet quia peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus, sed quia ille cujus hæc laus propria est, Christus scilicet, purgavit peccata illius, qui per sanguinem crucis suæ purgationem peccatorum faciens, ibi maxime triumphavit principatus et potestates, ubi abscondita erat fortitudo ejus. Erat abscondita, sed non perdita ; quia crucifixus ex infirmitate, vivebat ex virtute Dei. Erat occulta, sed non erat otiosa ; quia crucifixus veterem hominem in omnibus electis crucifigebat. Crucifigebat mundum Paulo, et Paulum mundo (*Galat.* VI, 14). Crucifigebat denique tyrannum hujus mundi, omnesque suæ antiquæ ministros tyrannidis. Hamum plane sub esca recondebat, qui sub infirmitate fortitudinem abscondebat. Ac perinde **991** ille homicida ab initio sitiens humanum sanguinem, dum irruit in infirmitatem, incidit in virtutem : morsus dum momordit, confixus dum Crucifixum appetivit.

3. Gratias cruci et clavis tuis, Domine Jesu : video perforatas fauces illius draconis, ut transeant liberati, qui etiam fuerant absorpti. Et qui fiduciam habebat quod influeret Jordanis in os ejus (*Job* XL, 18), fluvium, quem absorbuerat, se non minima ex parte perdidisse frendens irascitur. De illis quippe faucibus nobis isti venerunt qui hodie nobiscum nobilem ac magnificum crucis decantant triumphum. Plane de ore leonis liberati sunt, imo de ventre inferi regressi sunt. Irascatur ergo, fremat et tabescat de cujus dentibus præda erepta est : nam Christus gratulabitur quod non gratis crucifixus est. Lugeat infernus et mors ; ille morsus, ista mortua : nam cœli lætantur, et exsultat Ecclesia, quod Christus infernum spoliat, mortemque triumphat. In conversione nempe istorum triumphum suæ renovavit passionis, crucisque miracula suscitavit. In istis crux refloruit, hunc fructum pretiosum nunc etiam arbor vitæ tulit. Quomodo namque maneret sterilis, quæ non modo rigata, sed etiam vivifica facta est sanguine Salvatoris ? jam non pœnitebit eum quod in palmam ascendit, cum tantum tamque pretiosum de ea fructum collegerit. Hunc quippe fructum inter alios prævidebat, cum voluntarius ad crucem properabat. *Dixi*, inquit, *ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus* (*Cantic.* VII, 8). Paucis absolvit quod voluntate passus sit, quod passione exaltatus sit, quod non sine fructu nostro passus sit. In dicto siquidem proponentis, arbitrii libertas ; in ascensu, triumphi sublimitas ; in apprehensione fructuum, redemptionis monstratur utilitas. Vos, insensati Judæi, clamabatis quidem, *Ascende, calve ; ascende, calve* (*IV Reg.* II, 23) ; sed ordinationi ejus liberrimæ, qui sponte decreverat ascendere, non potuit furor vester nisi servire. Ascendit crucem voluntate, triumphavit in ea potestate, fructum ex ea collegit pietate. Uno igitur opere et Judæum irrisit, et diabolum peremit, atque christianum redemit.

4. Dicant igitur qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos (*Psal.* CVI, 2) ; dicant, inquam, voce et mente magistri sui : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14) ! in qua sapientia Dei nequam infatuavit consilium, justitia destruxit eum qui habebat mortis imperium, misericordia liberavit captivum. Merito prorsus, o sapiens gloriator, gloriaberis in cruce Domini tui, cujus liberatus es triumpho, vivificatus mysterio, justificatus exemplo, munitus signo. Sic enim justæ rationis consequentia postulare videtur, ut exemplum Crucifixi ad justificationem suam imprimant moribus, qui signum crucis ad munimen sui imprimunt frontibus, et illius vivant lege, cujus armantur fide. Alioquin fallaciter miles characterem regis gestat, cujus præscriptum non observat ; nec recte se tuetur illius signo, cujus non paret imperio. Vide autem quanta perversitas et abusio sit, ut inimici crucis Christi tueri se velint signo crucis Christi : dum securi sunt, luxuriantes contra pietatem crucis ; cum in periculo deprehensi sunt, volentes esse defensi virtute crucis. Plane inimici crucis Christi sunt, amici ventris sui ; quorum deus venter est, quorum idolum nummus est. Sciat tamen, sciat quicunque nunc fallaciter sibi Crucifixi signum usurpat ; nequaquam se illo tueri poterit in illa necessitate suprema, quando jam non arbitrio hominum, sed judicio et ministerio Angelorum signabitur Thau super frontes virorum gementium et dolentium, ut discernantur salvandi a multitudine perditorum (*Ezech.* IX, 4-7).

5. Sed et Paulus, dux ille strenuus militiæ christianæ, fidelis signifer, qui stigmata Crucifixi in corpore suo portabat, nunc quoque in hac vererorum ac falsorum militum confusione, signo utique notabili istos ab illis discernebat, cum dicebat : *Qui*

Digitized by Google

autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* v, 24). Cauta prorsus et circumspecta definitio, ac velut formam referens de ipsius veritatis exemplari impresso. Nimirum quod impressum retinet vita, signantius exprimit lingua. Qui ergo Christo confixus erat cruci, de propriæ conscientiæ **992** exemplari formam istam protulit: *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Noverat vir multæ scientiæ et experientiæ, multos esse aut fore qui crucifigerent concupiscentias carnis, et sinerent regnare vitia cordis; multos e contrario qui, fiducia pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed sicut nonnunquam divina justitia spiritum sibi non subditum, contumeliis carnis licet afflictæ flagellat, sic plerumque corpus incrassatum recalcitrat, et nova bella spiritui jam quieto resuscitat. Eapropter vult Apostolus ut, crucifixis tam vitiis interioribus quam concupiscentiis exterioribus, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei* (*II Cor.* VII, 1). Timor nempe Dei, velut quidam clavi in altum defixi, cruci nos configit, et velut affixus justitiæ continere nos facit, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis, sed justitiæ; et, licet sit, non tamen regnet peccatum in nostro mortali corpore. Sane quod timor Dei comparetur configentibus clavis, sententia est David, qui ait: *Confige*, quasi a clavis, *timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII, 120). Si ergo nondum prævales ut vitia exstinguas, in hoc vult te esse sollicitum Apostolus, ut crucifigas. Non ait: *Qui Christi sunt*, exstinxerunt vitia, quæ virtus paucorum est; sed, *crucifixerunt*, sine quo salus nulla est, sicut, præter crucem Christi, nulla redemptio est. Ideo namque Redemptor ad operandam et informandam salutem nostram hunc passionis modum elegit, ut redemptionis sacramentum, justificationis fieret exemplum; ut quomodo videlicet ipse similitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum, sic nos, imo multo magis nos, carnem peccatricem cruciemus, crucifigentes, etsi nondum exstinguentes in ea peccatum.

6. Hic recordari potes quia Moyses ad placandam iram Domini crucifixit principes Israelitarum (*Num.* XXV, 4-9); Josue autem, qui et Jesus, quinque reges Amorrhæorum (*Josue* X, 26). Si enim iram Domini, quam meruimus, placare volumus, necesse est ut per continentiam nos cruciemus. Jesus autem noster, qui nos in terram promissionis introducturus est, vitia quinque sensuum in nobis crucifiget, imo et exstinguet; si tamen, sicut est justum, pendeamus in patibulis usque ad vesperum. Hujus enim perseverantiæ in cruce Salvator de se ipso tibi curavit exemplum præbere, nolens consummari nisi *in cruce*, aut deponi de cruce ante vesperum tam *diei* ipsius quam vitæ suæ. Balaam dicebat, *Moriatur anima mea morte justorum* (*Num.* XXIII, 10); tu vero dic, Moriatur anima mea morte Domini mei Jesu Christi, et fiant novissima mea illius similia; ut videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear usque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce Filii, in manus Patris spiritum commendabis! imo quanta clementia Pater suscipiet quem Filius commendabit (8)! Filius namque qui causam animæ tuæ semel in cruce suscepit agendam, nunquam eam agere desinit, apud Patrem semper interpellans. Vade securus, vade gratulabundus, ubi judex tuus est advocatus tuus; tantummodo signum crucis, mortificationem Jesu, quam circumfers in corpore tuo, secum deferat spiritus tuus. Dominus autem gloriæ, qui pro vobis, fratres, passus, in vobis est glorificatus, dignetur vos habere socios passionis et gloriæ, et gloriantes in cruce glorificet in ea claritate quam habuit apud Patrem ante initium sæculorum, et habiturus est per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De duplici specie qua Christus proponitur spectandus.

1. Desiderium animæ nostræ, speciosum forma præ filiis hominum, hodierna dies alia et alia specie repræsentat filiis hominum: utraque quidem specie spectabilem, in utraque desiderabilem et amabilem, quia in utraque salvatorem hominum; licet in una sublimem, in altera humilem; in ista gloriosum, in illa ærumnosum; in ista venerabilem, in illa miserabilem: si tamen dici decet miserabilis, qui miseriam suscepit dignatione miserationis, ut de miseria sua misericordiam **993** præstaret miseris; non ut qui sibi beatitudo est, misericordiam a miseris flagitaret. Ubi ergo miserandus videri voluit, ibi et amplius venerandus fuit. Sed *sustinui*, inquit, *qui simul contristaretur, et non fuit; qui consolaretur, et non inveni* (*Psal.* LXVIII, 21). Ita qui miseratione omnium miser ultro fieri voluit, apud nullum fere miserationem invenit. Sed ubi, inquies, spectatur hodie sublimis et gloriosus, ubi humilis et ærumnosus? Vide processionem; audi passionem. In his evidentur agnoscere poteris quod Isaias ait: *Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros vultus ejus, et forma ejus inter filios hominum* (*Isai.* LII, 14). Obstupuerunt multi de gloria quasi victoris triumphantis, cum Jerusalem ingrederetur; sed nihilominus paulo post vultus ejus inglorius et despectus, cum pateretur. *Cum intrasset Jerosolymam*, ait Matthæus, *commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* (*Matth.* XXI, 10). Cum pateretur, confusio faciem ejus operuit, ut vere confiteatur: *Exaltatus, humiliatus sum et confusus* (*Psal.* LXXXVII, 16). Sane quod hic se confusum dicit, intelligendum est secundum hoc quod alibi dicit de facie corporis: *Operuit confusio faciem meam* (*Psal.* LXVIII, 8); quia non pepercerunt in faciem meam spuere,

(8) Vide similia sup. serm. 1 de Adventu, circ. fin.; item apud S. Bernard., serm. 3 pasch., n. 3 et 8.

Digitized by Google

velare, percutere et illudere. Nam facies mentis, quæ semper et immobiliter habitabat cum vultu Dei, nec turbari poterat nec confundi. *Dominus Deus*, inquit, *auxiliator meus; ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar* (*Isai.* L, 7). *In te enim, Domine, speravi, non confundar in æternum* (*Psal.* XXX, 2). *Confundantur* potius *illi, et non confundar ego; paveant, et non paveam ego* (*Jerem.* XVII, 18).

2. Si igitur, ut dicere cœperam, hodierna processio simul et passio considerentur, ibi plane videtur Jesus sublimis et gloriosus, hic humilis et ærumnosus. In processione namque cogitatur in honore regis; in passione spectatur in pœna latronis. Ibi circumdant eum gloria et honor; hic non est ei species neque decor. Ibi gaudium hominum et gloria plebis; hic opprobrium hominum et abjectio plebis. Ibi acclamatur ei: *Hosanna filio David, benedictus qui venit rex Israel* (*Matth.* XXI, 9); hic inclamatur, *reus mortis* (*Id.* XXVI, 66); subsannaturque quod se fecerit regem Israel. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur; hic alapis palmarum in faciem cæditur, et arundine percutitur caput. Ibi præconiis sublimatur; hic saturatur opprobriis. Ibi certatim ei via sternitur vestimentis alienis; hic exuitur propriis. Ibi tanquam rex justus et salvator suscipitur in Jerusalem; hic tanquam reus et seductor damnatus ejicitur de Jerusalem. Ibi sedet in asino stipatus obsequiis; hic pendet in ligno crucis cæsus flagellis, confossus plagis, et desertus a suis. Ecce plus quam Job hic, cui tam repente, tam vehementer omnia semel in contrarium Deus vertit. *Sufferentiam Job audistis, finem Domini vidistis* (*Jacobi* V, 11), ait Jacobus apostolus. Ac si diceret: Sufferentia Job fuit usque ad reditum substantiæ; sufferentia Domini usque ad exitum vitæ Job quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra sua duplicia suscepit; Christus ut erat repletus miseriis, et inebriatus amaritudinibus, e mundo migravit. Itaque plus quam Job hic, qui de summa, ut putabatur, repente semelque dejectus felicitate, in extrema atque gravissima finem sortitus est calamitate. *Et hæc*, inquit, *passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces* (*Job* XVI, 18), etiam pro crucifixoribus, ut eis ignosceret

3. An non igitur recte videbitur velut turbatus tanta tamque subita rerum mutatione Filius Patrem interpellare illa voce lacrymabili: *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46). Certe manus tuæ fecerunt me! in voluntate tua deduxisti me, et paulo ante cum gloria suscepisti me; et sic repente præcipitas me? Elevans allisisti me, quasi super ventum ponens me, et elidens valde. Exaltatus, humiliatus sum et confusus; et eo confusus amplius, quo tunc exaltatus sublimius, et nunc humiliatus profundius; quantoque tunc altius elevatus, tanto nunc gravius allisus. Justum quidem est, o Pater, ut qui se exaltat humilietur, et elatio indigni digna dejectione puniatur; sed nunquid similiter justum erat ut, quem tu exaltaveras, ita confusibiliter humiliaretur, et gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? 994 Nunquid mihi, Pater, iratus fuisti, quod vel ad horam hic me passus sum honorari; et illud etiam perexiguum quod susceperam de bonis hujus mundi, exsolvendum erat ante mortem in pœnis et contumeliis, ne postea mihi posset objici: *Fili, suscepisti bona in vita tua?* (*Luc.* XVI, 25). At qui tuus erat honor, o Pater, honor erat Filii; quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Ecce exprobrant inimici tui, Domine, exprobrant commutationem Christi tui; ecce gloriantur in contumelia mea et tormento, qui paulo ante cruciabantur gloria et honore meo. Nunquid non respondebo exprobrantibus mihi verbum, ut sciant aliquando qua dispensatione commutaveris Christum tuum, quo consilio sic exaltaveris mox humiliandum, vel humiliaveris exaltatum?

4. Respondebis, o Domine Jesu, respondebis exprobrantibus tibi verbum, et verbum asperum, quando scilicet respondebit eis in facie arrogantia eorum, et arguet eos malitia eorum, videntes in quem transfixerunt. Cum enim videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate (*Matth.* XXIV, 30), tunc scient quod modo nolunt credere, quia illius posterioris gloriæ, prior hodiernæ processionis gloria, mysterium fuerit et figura; sicut passionis contumelia, meritum et causa. Tunc intelligent quia Christus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt positus est in offensionem et ruinam, sicut his qui salvi fiunt, in resurrectionem et doctrinam; quia quod sacramentum est redemptionis, simul est etiam documentum ædificationis. Sic enim postulabant merita superborum, ut eorum superbiæ et honor Christi fieret scandalum, et mors præcipitium; atque invidiam juste pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret. Cæterum his qui salvi fiunt, id est nobis, omnino erat necessarium ut Christus, transiens viam hujus mundi, sequentibus se viam sterneret, sicut per adversa, sic etiam per prospera; atque prius exaltatus, post humiliatus, suo traderet exemplo qualiter modestia servaretur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipse siquidem honorari potuit, inflari non potuit; voluit despici, sed nescivit aut pusillanimitate dejici, aut ira morderi. Sicut enim alias cum vellent eum rapere et facere regem, ipse refugiens, et in solitudinem ad orandum aufugiens (*Joan.* VI, 15), docuit exemplo quod dixit et verbo, ne scilicet velimus in sublime tolli; sic modo quadam alia dispensatione sese ad horam honorari patiens, et nihilominus solitam, quia inolitam, mansuetudinem in honore retinens, forman dabat his qui in potestate sunt constituti. Qui tamen ut discerent ea discretione per humilitatem esse mansueti, ut, cum res postularet, per zelum essent erecti, Dominus

Digitized by Google

statim in templum regressus, flagello facto de funiculis vindicat injurias Patris, magisque eligit furorem sacerdotum in necem suam provocare, quam templi profanationem dissimulare (*Matth.* XXI, 12, 13).

5. Ut igitur, fratres, ineffenso pede tam per prospera, quam per adversa sequamur ducem nostrum, in processione consideremus eum in honore positum, in passione contumeliis et doloribus subditum; nunquam tamen in tanta mutatione rerum mente mutatum, etsi vultum immutaverit coram Abimelech, id est regno [*al.* rege] Judæorum, quam commutationem Christi cæcitas exprobrat perfidorum. De immutabili mentis illius statu dicit Scriptura : *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol; nam stultus ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII, 12). De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura : *Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius immutabit* (*Eccle.* VIII, 1). Prorsus in vultu tuo, Domine Jesu, qualitercunque videatur immutatus, sive gloriosus sive inglorius appareat, lucet sapientia, de vultu tuo candor lucis æternæ radiat; utinam super nos lumen vultus tui, Domine, effulgeat! Vultus tuus sicut in tristibus, sic in lætis sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus; justis hilaris et jucundus, pœnitentibus clemens et pius. Intendite, fratres, in vultum serenissimi Regis. *In hilaritate vultus regis vita*, dicit Scriptura, *et clementia ejus quasi imber serotinus* (*Prov.* XVI, 15). Aspexit in Protoplastum, et mox animatus spiravit in vitam (*Gen.* I, 27); respexit Petrum, et mox compunctus respiravit ad veniam. Mox enim ut Dominus respexit Petrum, 995 Petrus de clementia piissimi vultus suscepit imbrem serotinum, lacrymas post peccatum (*Luc.* XXII, 61, 62). Lux vultus tui, o lumen æternum, teste Job, non cadit in terram (*Job.* XXV, 3). Quæ enim communicatio luci ad tenebras (*II Cor.* VI, 14)? Animæ potius fidelium radios illius excipiant, aspiretque bene consciis lætitiam, sauciis medicinam. Plane vultus triumphantis Jesu, qualis spectandus est in processione, lætitia et jubilus; vultus morientis, qualis cogitandus est in passione, medela et salus. *Qui timent te, videbunt me*, inquit, *et lætabuntur* (*Psal.* CXVIII, 74); qui dolent se, videbunt me, et exsultabuntur, sicut aspicientes in serpentem ligno suspensum post venena serpentium. Te igitur, gaudium et salus omnium, seu videant sedentem in asino, seu pendentem in ligno, vota benedicant omnium; ut, cum viderint regnantem in throno, laudent in sæcula sæculorum, cui laus et honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

Quæliter Christus benedicendus.

1. *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI, 9). Vox exsultationis et salutis, vox gaudii et pietatis, vox fidei et amoris, adgratulans adventui Redemptoris, atque prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiam redemptionis. *Hosanna filio David*, ait hæc familia David; salus est illi qui factus est ex semine David, ut salvet eos qui sunt ex fide David. Laudate, *laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini* (*Psal.* XII, 1, 2); dicite : *Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21), sit *benedictus, qui venit in nomine Domini*. Ex ore istorum perfeceris, o Pater, laudem Filii tui, ut incorrupto simplicis innocentiæ testimonio destruas inimicum et ultorem (*Psal.* VIII, 3), pharisæum et pontificem; non ultorem divinæ legis, ut mentita est iniquitas sibi, sed invidiæ propriæ et furoris. Sed convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (*Psal.* VII, 17). *Deus laudem meam ne tacueris*, ait Filius Patri; *quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est* (*Psal.* CVIII, 2). Nihil potest negare Pater Filio; non tacuit laudem Filii vox paterna sæpius audita de cœlo, non tacuerunt creaturæ, in tot signis et prodigiis confitentes eum auctorem naturæ. Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo propheticus voce consona sibi invicem respondentes cecinerunt. Sed ista demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nescit adulari, et quod Spiritus suggerit, dissimulare non potest. Quid enim manifestius quam quod illa ætas a semetipsa, tam nova, tam insolita nec dicebat nec faciebat; sed Spiritus sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium Filio perhibebat?

2. Plane Spiritus sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret adventus, quid gaudii, quid salutis humano generi passio parturiret illius, præsaga in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam mundo redemptionis lætitiam, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, cum per prophetam suum dicebat quæ hodie per ipsum facta sunt, mandabat tunc, et nunc creata sunt. *Exsulta*, inquit, *satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinum* (*Zach.* IX, 9 et *Matth.* XXI, 5). Jam, inquit, exsulta satis, quæ hactenus in tristitia fuisti; jam te satia, si tamen satiari potes, gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat ut amplius et felicius esurire faciat. Repleatur gaudio os tuum, et lingua tua exsultatione; cui si nec os nec lingua possunt sufficere, supereffundat jubilus quod non capit affectus. *Jubila*, inquit, *filia Jerusalem*. Beatus enim populus qui scit jubilationem (*Psal.* LXXXVIII, 16). Plane beatus populus qui scit et intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Salvator advenit promissus et exspectatus ab initio sæculorum. Beatus populus qui tota alacritate devotionis hodie ei occurrit, corde simul et voce acclamans ei : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 9). In hoc siquidem benedictus est a Patre Filius, ut qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non una scilicet, 996 sed pluribus; quia nimirum benedictio quam Do-

Digitized by Google

mino quis feneratur, cum multiplici fenore redit in caput ejus. Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis! ad quos spectat illa Domini querela terribilis : *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam ; omnes maledicunt mihi, dicit Dominus* (*Jerem.* xv, 10, 11). Judaicus populus hic erat, qui in ratione dati et accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere Benedictum Dei Patris, ut benediceretur ab eo; sed Samaritanum, dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis (*Joan.* viii, 48, 52, 53). *Maledicent illi*, inquit, *et tu benedices* (*Psal.* cviii, 28); nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite, gentes, Deum nostrum, quoniam qui prior feneravit vobis, prævenions vos in benedictionibus dulcedinis, fenerantibus sibi multiplices restituet usuras in benedictionibus beatitudinis.

3. Ego tamen vereor, fratres mei, ne forte hæc tempora teporis et infidelitatis tangat illa querela Domini : *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam* (*Jerem.* xv, 10) ; quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur; promittitur merces operi, et vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fenerat, cum talenta servis partiens, scientiam verbi vel gratiam cujuslibet muneris ad lucrum prærogat : Domino autem fenerat jucundus homo qui miseretur et commodat, dicente Scriptura : *Feneratur Domino, qui misericordiam facit proximo* (*Prov.* xix, 17). Imo Domino feneratur quicunque spe divinæ retributionis aliquid operatur, ut dicere possit : *Scio cui credidi* (*II Tim.* i, 12), scio qui dixit : *Si quid erogaveris, cum rediero reddam tibi* (*Luc.* x, 35). Nos autem aut nihil aut ita timide gelideque feneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat unde reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ, cum eum pauperem sedentem super asellum, et ipsum non suum, cerneret, omni tamen securitate ac devotione fenerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, sed et se totam, quantum poterat, honori ejus impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum et pauperem; quippe cui prophcta signum dederat intelligendi Salvatorem, ipsam qua superbis viluit, paupertatem. *Ipse*, inquit, *pauper, et ascendens super asinum* (*Zach.* ix, 9). Hoc, inquit, signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cujus regnum non est de hoc mundo, quia scilicet, ad debellandam superbiam quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem evangelizabit sicut verbo sic etiam exemplo.

4. Beata itaque filia Sion, quæ humilitatem tanquam armaturam cœlestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater ejus infidelis illa Sion, quæ cum humilem vidit, fastidivit, cum honoratum vidit, invidit. Beata, inquam, Ecclesia primitivorum, quæ tam fideliter agnovit, tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini ; infelix Synagoga perfidorum, quæ, venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui Patris gloriam quærebat cruciabatur honore. *Increpa*, inquiunt, *discipulos tuos ;* quasi scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dica*, inquit, *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* xix, 39, 40) ; quia Deus laudem meam non tacebit. Prorsus ita est : si tacuerint, lapides clamabunt ; quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamaverunt, dum in testimonium et laudem morientis, petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth.* xxvii, 51, 52). Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, juxta illud : *Nocte tacere feci matrem tuam* (*Ose.* iv, 5), clamat vivis ex lapidibus Gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitavit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate*, inquit propheta, *habitatores petræ, de vertice montium clamabunt* (*Isai.* xlii, 11). Ecce hodie in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ vox columbæ resonat, clamantis et dicentis : *Hosanna filio David ; benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth* xxi, 9).

5. Benedictus qui, ut nidificare possem in foraminibus petræ, manus, pedes et latus perforari sibi tulit, et se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, et protegar in abscondito tabernaculi sui. Opportunum quidem petra refugium erinaciis, sed et habitatio grata columbis, cujus foramina tot 997 vulneribus toto fere corpore patentia, et veniam offerunt reis, et gratiam conferunt justis. Imo vero tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis a facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque et amore Crucifixi, animam ab æstu carnis, a turbine sæculi, ab impetu diaboli contutari. Super omnem gloriam mundi protectio hujus tabernaculi, videlicet in umbraculum diei ab æstu, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia, ut per diem sol non urat te prosperitate, nec turbo moveat in tempestate. *Ingredere* igitur *in petram*, o homo, *abscondere in fossa humo* (*Isai.* ii, 10), pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus et homo ; ipse petra forata, humus fossa, quia *foderunt manus meas*, inquit, *et pedes meos* (*Psal.* xxi, 17). *Abscondere*, inquit, *in fossa humo a facie timoris Domini* (*Isai* ii, 10) : hoc est, ab ipso fuge ad ipsum, a judice ad redemptorem, a tribunali ad crucem, a justo ad misericordem ; ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui ; ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum vivificat exstinctum. Quinimo non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramina petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ salvandis a facie diluvii ? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius et misericors aperuit, ut cruor te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti et libero meatu aspiret. Ibi tuto latebis, donec trans-

Digitized by Google

cat iniquitas ; ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat charitas ; ibi deliciis affluens, ibi gaudiis supereffluens ; vel tunc demum cum a vita capitis tua et omnium membrorum corporis ejus absorpta fuerit mortalitas.

6. Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quam grata ad nidificandum paravere foramina, laudes ipsius utique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petræ vox suavis in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis, fratres mei, qui tanto interius A nidificastis in foraminibus petræ, quanto secretius vivitis in Christo, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3) ; vobis incumbit omnino ut quorum est conversatio quietior et tutior, sit etiam devotio dulcior ; præsertim hodie, cum et recursus temporis et repræsentatio operis velut interesse nos facit illi gaudio solemni quo susceptus est in Jerusalem. *Benedictus qui venit in nomine Domini ;* ipsi benedictio, regnum et imperium, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

DE RESURRECTIONE DOMINI.

SERMO I.

Pulchre verba Jacob de Joseph applicantur ad resurrectionem Christi.

1. *Nuntiaverunt Jacob, dicentes : Joseph vivit. Quo audito, revixit spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit. Vadam et videbo eum antequam moriar.* (*Gen.* XLV, 26, 28). Dicetis forsitan mihi, Bene ; sed quid ad rem ? quid de Joseph ad gaudium hujus diei, ad gloriam resurrectionis Christi ? Pascha est, et tu iterum apponis quadragesimalia ? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparavit jejunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Jesu, Jesum desideramus ; sed nondum meremur ipsum videre vel de ipso audire. Jesum, non Joseph esurimus ; Salvatorem, non somniatorem ; dominatorem cœli, non Ægypti ; non qui pavit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adjuvet sermo tuus, ut, quem esurimus, amplius esurlamus. Legimus enim : *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Cum audimus, magis esurimus. Nam et qui epulas commendat, famem irritat. Si de Jesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium et lætitia, et exsultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione et luctu, magis autem 998 dolore passionis ejus ; sed exsultabunt nuntio resurrectionis ejus. Cur ergo tuum Joseph nobis ingeris, cum, præter Jesum, quidquid loquaris non sapiat nobis ; præsertim hodie, cum paschalis agnus comeditur, cum Pascha nostrum immolatus est Christus ?

2. Ovum sive nucem apposui vobis, fratres ; frangite testam, et invenietis escam. Joseph discutiatur, et Jesus invenietur agnus paschalis, quem esuritis ; qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, et studiosius quæritur, et difficilius invenitur. Dicitis mihi : Quid Joseph ad Christum ? quid historia quam proposui ad diem istum ? Multum per omnem modum. Historiam recordamini, et ultro sese vobis revelabit pietas mysterii, si modo Jesum interpretem habeatis, qui, hodieque resurgens, de occidente littera loquitur suis in via, et aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis et Prophetis manifestius aut signantius quam Joseph figuB ram exprimit Salvatoris ? Et, ut breviter summam perstringam, secundum illud : *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia* (*Prov.* IX, 9), si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis ejus, deinde quod præ cæteris fratribus *pulchra facie et decorus aspectu* (*Gen.* XXXIX, 6), quod innocens actu, prudens intellectu, quod venditus a suis, suos a morte redemit, quod prius humiliatus usque ad ergastulum, et sic exaltatus usque ad solium, quod denique pro merito operis sui novo nomine appellatus est inter gentes *Salvator mundi* (*Gen.* XLI, 45) ; si hæc omnia, inquam, pie ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus quam vere sit a Domino dictum : *In manibus Prophetarum assimilatus sum* ? (*Ose.* XII, 10).

C 3. Jam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem et gaudium movebunt ; quod videlicet tam evidenter resurrectio Christi testificata sit a Lege et Prophetis, et historia vetus tam proprie nova sacramenta loquatur, ut, cum prophetia legitur, pene Evangelium mutatis duntaxat nominibus audiri videatur. *Nuntiaverunt*, inquit, *Jacob, dicentes : Joseph vivit.* Quid aliud hic intelligere possum, nisi, Nuntiaverunt Apostolis dicentes : Jesus vivit ? Jacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo ; nec absurde, ut arbitror ; non solum quia de Jacob orti sunt, non solum quia de Jacob Israel facti sunt, cum de lucta activæ ad visionem et requiem contemplativæ transierunt ; sed D etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est verorum Israelitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti, suum Joseph cum putarent periisse, inconsolabiliter doluerunt ; cum audissent vivere, difficulter et tarde crediderunt ; cum cognovissent, ineffabiliter gavisi sunt. *Nuntiaverunt*, inquit, *Jacob, dicentes : Joseph vivit. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis* (*Gen.* XLV, 26). Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Evangelio legitur scriptum : *Illa vadens*, haud dubium quin Maria Magdalene, *nuntiavit his qui cum ea fuerant lugentibus et flentibus ; et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc ostensus est duobus in via, et illi ex-*

Digitized by Google

euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt (*Marc.* xvi, 10-13). Item apud Lucam : *Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus ; et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis* (*Luc.* xxiv, 9, 11) ; nimirum quia evigilabant de gravi somno tædii et desperationis. *Cum autem*, inquit, *vidisset Jacob universa quæ Joseph miserat ei, revixit spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi si Joseph filius meus vivit. Vadam et videbo eum, antequam moriar.* (*Gen.* xlv, 27, 28). Sic utique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam et ipse Jesus cum se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quam aspiratione muneris.

4. Scitis quia cum venit ad eos januis clausis, et stetit in medio eorum, *illi conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre* (*Luc.* xxiv, 37). Cum autem insufflavit in eos, dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22), vel cum cœlitus misit eumdem Spiritum, sed aliud donum, hæc utique dona, resurrectionis et vitæ indubitata testimonia fuerunt et argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud sanctorum corda et per eorum ora, quoniam Christus 999 est veritas, vera resurrectio et vita. Ideo et Apostoli, qui prius dubitabant etiam post intuitum corporis viventis, post gustum spiritus vivificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeo plus est corde Jesum concipere, quam oculis videre, vel auribus de ipso audire ; tantoque potentior est operatio Spiritus apud sensus hominis interioris, quam corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus, ubi qui testificatur, et cui testificatur, unus fuerit Spiritus? Si unus Spiritus et unus sensus, parque consensus. Tunc ergo vere, sicut de Jacob legitur, revixit eorum spiritus, qui jam propemodum luctu erat exstinctus, imo desperatione sepultus. Tunc, nisi fallor, quisque eorum dicebat sibi : *Sufficit mihi quod Joseph meus vivit ;* quia vivere mihi Christus est, et mori lucrum. *Vadam* igitur in Galilæam, in montem ubi constituit nobis Jesus, et *videbo eum*, et adorabo *antequam moriar*, ut postea nunquam moriar ; quia omnis qui videt Filium et credit in eum, habet vitam æternam, ut, etiamsi mortuus fuerit, vivat (*Joan.* vi, 40, et xi, 26).

5. Nunc ergo, fratres mei, quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi ? Puto equidem (an recte, vos videritis) quoniam si unquam amastis Jesum, seu vivum, seu mortuum, sive redivivum, hodie, cum tam crebro in Ecclesia personant et consonant nuntii Resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi, et dicit : Nuntiaverunt mihi, dicentes : Jesus Deus meus vivit. Quo audito revixit spiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel languebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam et de morte suscitat criminosos jucunda vox hujus felicis nuntii. Alioquin certe desperandus est et oblivione sepeliendus, quem Jesus, regrediens ab inferis, in infimo reliquit inferni. In hoc sane noveris quod spiritus tuus plene in Christo revixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit : Sufficit mihi, si Jesus vivit. O vocem fidelem et plane dignam amicis Jesu ! o castissimum affectum, qui sic loquitur : Sufficit mihi si Jesus vivit ! Si vivit, vivo, cum de ipso pendeat anima mea, imo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Jesus vivit ? Imo desint omnia alia, nihil interest mea, dummodo Jesus vivat. Ipse ergo, si placet ei, desit mihi ; sufficit mihi, dummodo vivat ipse vel sibi. Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, ut, negligens et immemor sui nonnisi Jesum Christum et ea quæ sunt Jesu Christi sentiat, tunc demum, ut arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic utique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas : iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat ; imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, et fidenter dicat : Vadam et videbo eum, antequam moriar.

6. Nos tamen, fratres mei, licet non simus tantæ nobis puritatis conscii, eamus nihilominus, eamus videre Jesum in montem Galilææ cœlestis, ubi constituit nobis. Eundo crescet affectus, et saltem perveniendo perficietur. Eundo, via prius arcta et difficilis dilatatur, et virtus infirmis augetur. Ut enim nec Jacob, nec aliquis de domo Jacob se excusaret a via, præter alia munera, missa sunt pauperi seni sumptus et vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel et auriga ejus. Cum perveneris, tua sunt optima quæque, non Ægypti, sed cœli ; in optimo loco regni tui Joseph tibi requiem providit. Qui prius misit Angelos, mulieres, et Apostolos resurrectionis suæ testes et nuntios, nunc ipse clamat e cœlo : Ecce ego quem mortuum lugebatis hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce vivo, et *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii, 18). *Venite ad me, qui laboratis* fame, *et ego reficiam vos* (*Id.* xi, 28). *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paravi* (*Id.* xxv, 34). Qui vos eo vocat, ipse perducat, ubi cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1000 SERMO II.

De duplici nostra resurrectione.

1. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* xx, 6). *Ego sum*, inquit Jesus, *resurrectio et vita* (*Joan.* xi, 25). Ipse utique resurrectio prima, ipse et resurrectio secunda. Resurgens quippe a mortuis primitiæ dormientium Christus, et sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, et exemplo ejusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima

Digitized by Google

enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in novitatem vitæ : secunda erit corporum, cum reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* III, 21). Recte igitur resurrectionem et vitam Christus se professus est, quandoquidem per ipsum et in ipsum resurgimus, ut secundum ipsum et apud ipsum vivamus : nunc quidem secundum ipsum, in sanctitate et justitia ; postmodum apud ipsum, in beatitudine et gloria. Porro sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Jesu Christi causa est et argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis, sic unicuique nostrum prima resurrectio animæ, qua reviviscit a morte peccati, argumentum est et causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo a corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum et causa sit, Apostolus evidenter ostendit, ubi ait : *Si spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 11).

2 Bene igitur dicitur : *Beatus et sanctus qui habet partem in prima resurrectione* (*Apoc.* XX, 6). Sanctus videlicet propter primam, quam jam adeptus est per innovationem animæ ; beatus propter secundam, quam feliciter exspectat in corporis restitutione. Denique unde beatus sit, eadem aperit Scriptura, cum subdit : In his scilicet *qui partem habent in prima resurrectione*, mors secunda non habet potestatem, etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnavit quippe mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* V, 14). Sed sicut *Christus, sic et christianus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Id.* VI, 9). Itaque in beatis illic nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit, retinebit ; quoniam mors una Christi utramque nostram triumphavit, ab ista liberans jam captos, ab illa, capiendos ; ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quam vera, quam pia simul et magnifica illa morientis comminatio : *Ero mors tua, o mors* (*Osee.* XIII, 14) ! Quam pulchre et mirifice triumphavit, qui, mortem pro omnibus gustans, tam suam quam omnium omnimodam mortem absorbuit ! Prorsus absorpta est mors in victoria. Securus insultet ei quicunque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima : *Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est, mors, stimulus tuus ?* Victa es, quæ omnia vincebas ; sed et arma perdidisti, in quibus confidebas. *Ubi enim est stimulus tuus ? Stimulus mortis peccatum* (*I Cor.* XV, 55, 56), quod acuel pungens humani radicem generis, in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo quia *per unum hominem peccatum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit* (*Rom.* V, 12). Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo etiam usque ad secundum ; quoniam sicut originali lege tenebatur universum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi.

3. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam tam peccati quam mortis, utique per Dominum Jesum Christum, qui prorsus a peccato immunis, ac per hoc liber a debito mortis, hanc tamen ultro pro nobis exsolvit moriens, et peccato nos absolvit resurgens. *Christus* enim, ait Apostolus, *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25) Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, et resurgens justificationis perpetuæ nobis condidit formam et causam, ut, quomodo videlicet *Christus resurgens a mortuis* 1001 *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9), sic christianus conresurgens Christo jam non peccet ad mortem, nec ei peccatum ultra dominetur. Hic est ille beatus et sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda, sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solum agnovit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, et societatem passionis illius ; configuratus morti ejus, ut occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus, qui, ob lucrum illud, omnia quæ ei lucra fuerant non solum detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur, tantum ut Christo inveniretur, configuratus sicut morti, sic et resurrectioni ipsius (*Philipp.* III, 7-11). Lucrosum omnino commercium, contemnere ea quæ te deterunt et polluunt, ut lucrifacias Christum ; imo, si opus sit, non solum tua, sed et te ipsum superimpendere, ut cum tanto fenore immortalitatis et gloriæ te ipsum mererearis recipere ! Quis enim ambigat lucrosum esse commercium, seminare corpus mortale, animale, ignobile, ut surgat immortale, spirituale, gloriosum ; mori mundo, ut possis dicere, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* ? (*Id.* I, 21.) O cupidi, quid immoramini studio lucrandi ? cur non discitis artem lucrandi ? cur non vilia, imo detrimenta et stercora contemnitis, ut Christum lucrifaciatis ? *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate* (*Isai.* LV, 2) ? Ut video, vilior est vobis argento vestro panis ille qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Sed non potest scire quanti [*alias* quantus.] sit, qui non vult gustare qualis sit. Utinam avarus vel ipse sibi pretiosior esset pecunia sua, nec amore illius venalem exponeret animam suam, projiceretque in vita sua intima sua (*Eccli.* X, 10). Prudens ille negotiator dignusque rerum æstimator, Paulum nimirum loquor, qui nec animam suam, id est animalem sensualemque vitam, pretiosiorem fecit se ipso (*Act.* XX, 24), id est spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, ut in vitam æternam posset eam custodire.

Digitized by Google

4. Quia igitur qui divitias habent, difficile intrant in regnum cœlorum; et qui thesaurizant argentum, citius appendunt illud in inanibus, quam in panibus, in azymis dico sinceritatis et veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus paschalis; vos beati pauperes, filii pauperis Crucifixi, vos inquam, qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Promptius omnino et facilius emunt bonum illud nihil habentes, quam multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas, qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum recte invitat Scriptura: *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac* (*Isai.* LV, 1). Vides, o felix pauper, solam a te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercii? Ne recuses ingratus quod tam gratis offertur, imo ne perdas ingrata voluntate, quod jam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, ut partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantæ felicitatis sit, non inebriari luxu et furore sæculi, ut cum Christo novum bibas vinum in regno Patris sui. Invitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis et sanguinis sui: *Comedite*, inquiens, *amici, bibite et inebriamini, charissimi* (*Cantic.* v. 1). Cibus iste et potus, vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primæ, pignusque secundæ, quia divinæ plane in nobis initium substantiæ. *Participes*, inquit Apostolus, *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus* (*Hebr.* III, 14). Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum revertitur, *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Vel certe panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum gratia percepta in pœnam conscientiæ vertitur, cum sanguis Testamenti, quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, et Spiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu et nausea divitiæ devoratæ evomuntur, ita ut de eo qui ejusmodi est, dicatur: *Non remansit quidquam de cibo ejus, et propterea* **1002** *nihil permanebit de bonis illius.*

5. Videat autem ne forte et ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui, cum per gratiam devotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, ut memoriam abundantiæ suavitatis divinæ nobis eructet; non saporem in sermonibus, tanquam gustum in faucibus; non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania vel scurrilia revomit, gratiam sibi in iram convertit. Prorsus in iram, et iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexuit dicens: *Cum satiatus fuerit, arctabitur, et irruet in eum omnis dolor. Utinam impleatur venter ejus, ut immittat in eum iram furoris sui, et pluat super eum bellum suum* (*Job* XX, 15 21 23). Justum quippe sentiebat atque consentiebat Propheta ut pluat super peccatores bellum, qui ad pluviam voluntariam, fructum pacis non retulerunt; sitque ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indigne biberunt. Terra enim sæpe venientem bibens imbrem, et generans herbam opportunam, accipit benedictionem; proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem (*Hebr.* VI, 7, 8). Confidimus autem de vobis, fratres, meliora et viciniora saluti. Tantum gratiæ Dei grati sitis, et sicut in novam creaturam translati estis paschalibus mysteriis, sic in novitate vitæ semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus sancti; initium substantiæ ejus non solum usque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulo augere nitimini; ut, qui per tot munerum prærogativas partem habere cœpistis in resurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis consignati, jus vobis perpetuum vindicetis in resurrectione secunda, præstante Domino nostro Jesu Christo, resurrectione et vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, jam vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De vigilantia necessaria ut partem habeamus in resurrectione Christi.

1. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* XX, 6). Primitiæ dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, quia sua resurrectione, quæ prima est omnium, et primam nobis resurrectionem animarum, et secundam corporum dedicavit; dum in corpore suo, quod suscitavit a mortuis, et animabus sacramentum, et corporibus exemplum resurgendi nuntiavit. Sed et animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparavit, dum et quotidie reviviscunt a morte peccati per operationem mysterii, et hodie maxime resurgunt a somno torporis per devotionem gaudii. Quis enim ille tam piger aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, *Resurrexit Dominus*, non totus in exsultationem suscitetur, non totus reviviscat et recalescat spiritu? Imo et *cor meum et caro mea exsultaverunt*, inquit, *in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII, 3), qui totus conciderat in mœrorem ac desperationem, Jesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec parvo fenore gaudii, Jesus mihi de sepulchro redit, dum et Deus vivus agnoscitur, qui paulo ante ut homo mortuus lugebatur, et quem occisum cor meum dolebat, jam in eum vivum non solum cor meum, sed et caro mea exsultat, de sua scilicet per eum resurrectione et immortalitate secura. O anima mea, *Ego dormivi et exsurrexi* (*Psal.* III, 6), ait Christus; surge et tu, quæ dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* V, 14). An non, fratres,

Digitized by Google

mortuo similis, qui adhuc stetit orto jam sole, qui adhuc negligentia et socordia premitur, quasi desperato sepultus tempore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos Sol novus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem recreans æternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet ultra sol ejus, qui semel occidens, semel ascendit super occasum, mortem sibi subjiciens.

2. O fratres, hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 24). Exsultemus in spe ejus, ut videamus 1003 et gaudeamus in luce ejus. Exsultavit Abraham ut videret diem Christi, et hoc merito vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). Nam et tu quoque si vigiles quotidie ad fores Sapientiæ, et observes ad postes ejus, pervigilque excubes cum illa Magdalena ad ostium monumenti ejus (*Matth.* XXVII, 61), probabis, ni fallor, et ipse cum eadem Maria (*Luc.* XXIV, 1-8), quam verum sit quod de ipsa Sapientia, quæ Christus est, legitur: *Facile videtur ab his qui diligunt eum, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet* (*Sap.* VI, 13-15). Sic enim et ipse promisit dicens: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me* (*Prov.* VIII, 17). Invenit quidem Maria corporaliter Jesum ad quem vigilabat, ad cujus monumentum, cum adhuc essent tenebræ, excubare venerat. Tu vero qui jam non debes nosse Jesum secundum carnem, sed secundum spiritum, spiritualiter nimirum eum invenire poteris, si simili cum desiderio quæsieris, si te similiter pervigilem in oratione adverterit. Dic ergo Domino Jesu desiderio et affectu Mariæ: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis; de mane vigilabo ad te* (*Isai.* XXVI, 9). Dic voce et mente Psalmistæ: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea* (*Psal.* LXII, 2). Et vide si non cum eis tibi cantare congruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua, et exsultavimus, et delectati sumus* (*Psal.* LXXXIX, 14).

3. Vigilate ergo, fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti; præsertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis et gratior ab inferis rediit, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est jam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 11, 12). Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cujus quasi diluculum præparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se, mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innovare. Tunc utique cantabis in jubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis. Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII, 27. 24), cum videlicet lucem quam in manibus abscondit interlucere tibi permiserit, annuntians de ea amico quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Usquequo, piger, dormis? usquequo dormitas? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias (*Prov.* VI, 9, 10, *et* XXIV, 33); et cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulcro surrexerit, et gloria ejus transeunte, nec posteriora ejus videre meruerit; tunc sera pœnitentia planges, et dices cum impiis, *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis* (*Sap.* V, 6). *Vobis autem*, inquit, *timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2); et, *qui ambulat in justitiis, Regem in decore suo videbunt oculi ejus* (*Isai.* XXXIII, 15, 17). Et id quidem beatitudo est vitæ sequentis, sed juxta quemdam modum indulgetur etiam ad consolationem præsentis, sicut evidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta Sapientia nobis probavit quoniam *dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis ostendit se illis hilariter, et in omni prudentia occurrit illis* (*Sap.* VI, 17.). Ut enim Jesus se illam esse sapientiam, de qua hæc scripta sunt, ostenderet; et, quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis justitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret, in via hodie occurrit mulieribus a monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emmaus (*Luc.* XXIV, 3, 4, 13-27).

4. Audiant et gaudeant qui in viis justitiæ ambulant; audiant, inquam, quia non solum inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes juste ac pie vias actionis, Jesus dignatur et occursu et manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorumdam vestrum, quia sæpe Jesus quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec invenerunt, insperatus occurrit eis in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt, et tenuerunt pedes ejus; quorum scilicet pedes non tenuerat pigritia, præ desiderio ejus. Noli ergo tu, frater, nimis parcere pedibus tuis a viis obedientiæ et discursibus operum, quandoquidem Jesus pedibus suis non pepercit 1004 propter te etiam a dolore clavorum; et adhuc eorumdem amplexu et osculo pedum non gravatur laborem remunerare aut relevare pedum tuorum. Nam et illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adjunxerit, miraque delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum, ut intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas et non intelligebas? Obsecro vos, fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio divina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Jesu, cum loqueretur vobis in via, et aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini; credant, et experiri satagant inexperti, ut aliquando et ipsis cantabiles fiant justificationes

Digitized by Google

Dei, in loco peregrinationis suæ et afflictionis.

5. Resurgat itaque ac reviviscat spiritus omnium nostrum, sive ad vigilantiam orandi, sive ad instantiam operandi, ut quadam rediviva ac vivida alacritate probet se de novo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus et impiger sit ad actionem; nam perfecta resurrectio ejus est in hoc duntaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non ante promeretur intellectus, quam crebris suspiriis et vehementibus desideriis dilatetur affectus, ut tantæ nimirum capax majestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi signanter figuratum arbitror in mortuo quem Elisæus suscitavit, qui cum ad vitam redire incipèret, primo dicitur quia *calefacta est caro pueri*; deinde, quia *septies oscitavit*, et sic demum *oculos aperuit* (*IV Reg.* IV, 34, 35). Caro pueri, cor carneum est in Christo parvuli, cui prima spes vitæ est, si dicère possit: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII, 4). A Quanquam et vestimenta ejus calida sint, cum tunc ejus perflata nostro, Spirita utique sancto, quem verus Eliseus præveniendo aspirat redivivo. Amplius autem et evidentius ad resurrectionem proficit, cum desiderio et esurie quadam justitiæ excitare frequentius incipit, illo scilicet modo quo excitabat qui dicebat: *Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam* (*Psal.* CXVIII, 131). Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, ut capacior fiat spiritus vitæ, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus et sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est, cum bonus exercetur actus: secundus resurrectionis profectus, cum per oratio- B nem dilatatur affectus: perfectio autem, cum ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis, fratres mei, resurgere magis ac magis enitimini, si quo modo occurratis, ut Apostolus ait, *ad resurrectionem Christi ex mortuis* (*Philipp.* III, 11), qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN DIEBUS ROGATIONUM

SERMO

De pane verbi petendo et apponendo

1. *Commoda mihi tres panes* (*Luc.* XI, 5). Amici venerunt ad nos de via, sed non habeo quod ponam ante illos. *Non sum medicus, et in domo mea non est panis:* Ideo dicebam ab initio, *Nolite me constituere principem* (*Isai.* III, 7). Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem novit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam; sed heu! non audistis me: principem enim constituistis me. Supererat igitur ut, quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, et audirem super hoc illud Sapientis consilium: *Principem te constituerunt; esto inter illos quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* XXXII, 1). Sed væ mihi! neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas non patitur inter alios esse; et sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse, nec coesse; ubi potero esse, nisi ultimum et tutissimum **1005** eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet, imo vera de me sentiendo; nihilque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio.

2. Tu, Domine Deus, ipse es qui et subesse mones, et nihilominus præesse jubes; a te expeto, a te exspecto ut humilem simul et utilem in injuncto me facias ministerio: humilem, vera de me sentiendo; utilem, recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum et bene sonantem in apertione oris mei, qui dixisti, *Aperi os tuum et implebo illud* (*Psal.* LXXX, 11), ut omnis familia tua benedictionibus impleatur. C Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos, nisi commodatum fuerit ab alio. Et quis alius æque dives aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum (*Rom.* X, 12); qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV, 16), qui dat omnibus affluenter, et non improperat (*Jacobi* I, 5), nisi forte illi qui vel pigre petit, vel ingrate detinet gratiam quam accepit? Quanti mercenarii in domo Patrisfamilias istius abundant panibus, qui, quoniam Christum annuntiant, licet non sincere, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et ubi abundant mercenarii, nunquid egebunt filii? Tu ergo, Domine (amicum enim dicere vereor, sed D Dominum confiteor), commoda mihi tres panes, unde reficiantur amici, ne, si dimisero eos jejunos, deficiant in via, et tunc vocer in causam pro eis, et dicatur mihi: *Parvuli petierunt panem, et non fuit qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). Commoda Domine, quod in lucrum tuum proficiat, recepturus utique cum tibi placuerit, quod tuum est, cum usura. Commoda, inquam, tres panes, si placet; aut certe quodcunque placet, quantulumque fuerit, etiamsi buccella panis sufficiet in quantalibet millia, si tantum benedicas. Scio equidem quia vis nos esse tibi importunos, ut, licet dissimules, licet excuses, eo quod jam in cœlum receptus sis, et Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilomi-

Digitized by Google

nus perseveremus in petendo, quærendo, pulsando, A gius ab illa summa Trinitate recedamus, quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; quod a Patre creati, per Filium redempti, in Spiritu sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa dici possunt, ut quamlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quam prius inedia: ut copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solum enim ipsum qui fecit nos, et ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam quæ scripta sunt propter nos, describere tripliciter poteris, ut copiosa refectio sit in tribus panibus, historiæ, allegoriæ, et moralitatis. Universa quoque Scripturæ continentia in tres partes divisa, velut in tres panes digesta est, dum aut de naturali justitia disserit, aut de litterali, aut de spirituali; id est, ante legem, sub lege, et post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum; lex, etiam actum; gratia autem, affectum. Sed et Doctor et pastor Gentium in fide et veritate, pascendam docet Ecclesiam quadam panum trinitate; ut qui Ecclesiam ædificat, loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem (*I Cor.* XIV, 3). Ad ædificationem, ut quid agere debeas, noris; ad exhortationem, ut quod noris, velis; ad consolationem, ut etiam in adversis possis quod noveris et volueris. Denique non solum in materia rerum, sensibus et partibus Scripturarum, generibus et modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quamdam panum invenies trinitatem, et ipsam quidem sapidam satis et salubrem: fidem scilicet, spem, et charitatem. Eo quippe omnis Scripturarum, vel sermonum intentio spectare videtur, ut credamus, speremus, diligamus. Nam et charitas sola finis præcepti definita est, quæ et ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est. Sed quoniam vitio ducitur longior et varia epulatio, nos finem dabimus lectioni: vestrum erit fragmenta quæ superaverunt, id est subtiliora, quæ manus nostras effugerunt, colligere; simul autem et vestrum et nostrum, ei qui pascit nos cantare, Benedictus Deus in donis suis, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

sicates quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur, sine assiduitate studii et instantia precis, qua importuni videamur. Mihi tamen nostrum suffragatur: solum eorum qui pascendi sunt meritum obtendo; illi merentur quod ego non mereor.

3. Vos autem, fratres mei, usibus quorum, et pro meritis quorum pete panes istos, putatis, sufficimus, sive ego ad frangendum, sive vos ad edendum? Timeo ne dicatur mihi: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 21). Timeo ne dicatur et vobis: *Facti estis quibus opus est lacte, non pane* (*Hebr.* V, 12). Scio revera panes esse apud Patremfamilias, quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quam implebuntur ventres, id est ædificentur mentes. Quis enim capiat, quis explicare aut cogitare digne sufficiat illud Trinitatis mysterium ineffabile: quomodo Pater a se, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque, et tres personæ in unitate substantiæ? Multos insipiens, audax hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cum Deus credendus sit, non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi vero tu insipiens attigeris, quod sublimius est Angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere vel edere? Sufficit mihi scire quia sunt, quia tres panes sunt; non dico Trinitatem personarum, sed trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habendi sunt: tres, inquam, panes unius magnitudinis et ponderis, unius formæ et saporis. Quanta enim et qualia de Patre, tanta et talia de Filio seu de Spiritu sancto sentienda sunt, excepto duntaxat, quod proprietatum discretio numerum facit personarum, sicut in Trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione.

4. Hos ergo panes relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensis eorum simus idonei. Multifariæ siquidem aliorum trinitates panum de Scripturis nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati, verbi gratia, ut 1068 nondum lon-

B

C

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

SERMO

De amore Christi in nos et de nostro in ipsum.

1. *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos in* D *nomine tuo* (*Joan.* XVII, 11, 12). Hanc oratio Domini habita est ante diem passionis. Non absurde tamen aptatur diei Ascensionis, quando scilicet supremo discessurus erat a filiolis suis, quos Patri commendabat. Qui enim in cœlis creavit, docet et regit multitudinem Angelorum, in terris aggregavera sibi pusillum gregem discipulorum sub præsentia suæ carnis erudiendum, quoadusque grandiusculi sensus effecti, disciplinæ spiritus fierent idonei. Magnus itaque parvulos magna dilectione diligebat, quippe quos ab more mundi abstraxerat, et relicta omni spe sæculi, de se solo pendere videbat. Quamdiu tamen cum eis corporaliter conversari voluit, non facile aut multum hunc suum eis affectum prodidit; maturiorem se eis, quam teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat et patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu visus est, ut magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis

Digitized by Google

absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quod *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (*Id.* XIII, 1). Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis sacramentum Corporis et Sanguinis sui tradidit, et celebrandum instituit, nescio virtute an charitate mirabilieri, hoc novum genus mansionis adinveniens in consolationem recessus sui, ut si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis, sed etiam in eis virtute Sacramenti. Tunc veluti prorsus suæ oblitus majestatis, et velut injuriam faciens sibi, nisi quia gloria est charitatis humiliare se pro amicis, dignatione ineffabili Dominus, et talis Dominus, pedes servorum lavit : uno opere condens eis et humilitatis exemplum, et remissionis sacramentum

1007 2. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis Patri eos commendans, sublevatis in cœlum oculis, inter cætera sic ait, *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio : serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo;* et cætera, quæ non est hujus temporis retexere, multo minus exponere. Summa tamen orationis, sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est et summa salutis, imo et perfectionis, ut nihil possit addi, scilicet ut a malo serventur, ut in veritate sanctificentur, ut cum ipso glorificentur. *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum, ut videant claritatem meam* (*Joan.* XVII, 11-13, 15, 24). O felices, quorum advocatus ipse judex est; pro quibus orat qui pari honore cum eo quem orat adorandus est! Voluntate labiorum ejus non fraudabit eum Pater, cum quo est ei una voluntas et una potestas, quia unus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est : cujus sermo virtus est, et voluntas effectus; qui de omnibus quæ sunt, dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt (*Psal.* XXXII, 9). *Volo*, inquit, *ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium! quanta fiducia credentium! tantum non abjiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum crediturі sunt in Dei verbum. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantum, sed pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me* (*Joan.* XVII, 24, 20).

3. *Vobis* autem fratres, *donatum est*, ut ait Apostolus, *non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo* (*Philipp.* I, 29) : quos scilicet fides promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens ferventiores, et quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduo : assiduo, sed facili; facili, sed sublimi. Facile est, ubi supra virtutem nihil imperatur; sublime, ubi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile suave Christi jugum portare? an non sublime in regno ejus excellere? Quid facilius, rogo, quam portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimius, quam supra omnem oculorum altitudinem, quo Christus ascendit, evolare? Plane sancti, quorum sicut aquilæ juventus renovabitur, assument pennas sicut aquilæ, et volabunt. Quo volabunt? *Ubicumque*, inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28, et *Luc.* XVII, 37).

4. Sed quid putamus, fratres, quomodo tunc repente de terris ad cœlos evolare poterit, qui nunc exercitio et usu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce, nunquid non Christus sicut aquila provocabat hodie ad volandum pullos suos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis elevaretur, diuque sequerentur oculis euntem in cœlum? Poterat utique repente in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, et ubi vellet, constitui. Sed plane, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans (*Deut.* XXXII, 11), et corda sursum levare post se nitebatur amore sui, et corpora similiter posse sublevari pollicebatur exemplo corporis sui : sicut Apostolus ait, æterni conscius mysterii, quia et nos bajulis nubibus *rapiemur obviam Christo* (1 *Thess.* IV, 16) redeunti. Ipse quidem ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum (*Psal.* XVII, 11), id est cum pergressus est virtutes Angelorum : tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, et assumet te, atque portabit in humeris suis, si modo pullus degener non existas, ut a terra levari, et aura puriore perfrui non extimescas

5. Alii volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente excedit, et ad tertium usque pervolat cœlum (II *Cor.* XII, 2); Joannes ad id quod in principio erat Verbum : tu saltem humi degenerem non trahas animum, nec patiaris obrutum inertia in terra putrescere cor tuum; sed clamanti, « Sursum corda, » Pontifici magno (qui hodie introivit in Sancta, æterna redemptione inventa, ubi et assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter, « Habemus ad Dominum. » Sed et si aliquando quæsivisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram; jam te ipsum increpa, et dic Domino cum propheta : *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII, 25) Heu, quam **1008** misere errabam! tam magnum est illud in cœlo mihi repositum, quod contemnebam; tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam! Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cœlum : ibi sit et cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes Patrem et hæreditatem, inde exspectas Salvatorem. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO PENTECOSTES.

SERMO I.

De Dei charitate et hominum ingratitudine.

1. Ineffabilis Deus, ineffabilis misericordia ejus. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. Plane ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat Patri, tradidisse Filium, ut redimeret servum; nisi daret et Spiritum sanctum, quo servum adoptaret in filium. Dedit filium in pretium redemptionis; dedit Spiritum in privilegium adoptationis: se denique totum servat hæreditatem adoptatis. O Deum, si fas est dici, prodigum sui, præ desiderio hominis! An non prodigum, qui non solum sua, sed et se ipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam homini ipsi? an non prodigum, qui, sicut proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32), sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar, sed nova et mira largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus sui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam se ipsum donavit meretricibus; sed multo effusior pater in recuperationem perditi filii, quam ille in perditionem sui (*Luc.* v); si tamen ulla debet esse comparatio gratiæ et pecuniæ, spiritus et carnis, Dei et hominis. Vide enim quanta largitate toto orbe gratia Spiritus effusa sit, non solum justis confirmandis, sed et peccatoribus justificandis: quomodo ubique gentium, Spiritu creante novum genus hominum, renovata sit facies terræ: imo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram Excelsi, ut repente perditissimi hominum publicani et meretrices, justos quam plurimos præcedant in regno Dei, et novissimi fiant primi. Prorsus non sicut delictum, ita et donum: quia ubi abundavit delictum, ibi superabundans gratia (*Rom.* v, 15, 20): non solum donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita; et sublimius restituit lapsos redemptio, quam constituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia convincitur, si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non servet. Cui enim non offertur? super quem non effulget lumen illius? quis se abscondit a calore ejus? Neque enim reliquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, et fovens calore bonitatis; cum et lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9), et Deus faciat oriri solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos (*Matth.* v, 45). Sed væ illis qui rebelles sunt lumini, et resistunt Spiritui sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt; et sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate et beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum!

2. Verum quid ad nos de his qui foris sunt? Ad vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eumdem spiritum in signum adoptionis et pignus hæreditatis; qui velut quidam character insignis, vasa misericordiæ a vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit, ut quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium, cum tam de nobis quam de illis, qualiscunque sit scientia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum; nec levis sit injuria summæ potestati, penes quam est arbitrium vitæ et mortis, si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præjudicetur ejus judiciis. Denique de massa eorum sumus assumpti; et qui paulo ante eramus, sicut et illi, natura et vita filii iræ, repente facti sumus filii gratiæ. Nos ergo simus illis exemplum spei ad pœnitentiam; ipsi nobis, timoris ad perseverantiam. In nobis se misericordia commendat, **1009** ut ametur; in illis se judicium exserit ut timeatur. Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* c, 1): pro ista gratias agens, pro illo preces fundens, pro ista gratus et lætus, pro illo timoratus et cautus: de utroque eruditus exsultabo tibi cum tremore, quia tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum ut timeat nomen tuum. Neque enim timor iste, quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit; non destruit, sed instruit; non inamaricat, sed condit: ut tanto sit durabilius, quanto modestius; tanto verius, quanto severius; tanto dulcius, quanto sanctius. O castum et fidele gaudium! quam fidelis est illa de te sententia Sapientis: *Non est census super salutem corporis, et non est oblectatio super gaudium cordis!* (*Eccli.* XXX, 16) Hoc utique gaudio non est gaudere impiis, quorum fatuos risus et frivola gaudia Sapiens detestatur et increpat. *Risum, inquit, reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* (*Eccle.* II, 2) *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV, 13).

3. O bone Jesu, quam dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renuntiantes illi falso et fallaci gaudio! quam melior est misericordia tua super vitas! quam melior est dies una in atriis tuis super millia! quanto beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quam mundus facere possit sua quantalibet affluentia, ubi quidquid affluit, defluit, sibique inhærentem perefluere facit! Aliis affluebat deliciis illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans civitatem Dei; cum scilicet hodierna die Spiritus, tanquam torrens, *replevit totam domum ubi erant sedentes* (*Act.* II, 2.) Apostoli. Exhibebat quippe divina Veritas, quod per prophetam promiserat: *Ecce ego declino in vos, ut*

Digitized by Google

flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium (*Isai.* LXVI, 12). Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat! quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ vivæ! Nec solum de corde benevolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloqui, cui non poterant resistere et contradicere omnes eorum adversarii: sicut de Stephano dicitur, quia *non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur* (*Act.* VI, 10).

4. Ad hujusmodi gaudia vos interim, fratres, consolator vester invitat. Hoc torrente voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat et bibat* (*Joan.* VII, 37). O affluens liberalitas Dei! o indeficiens largitas divinæ bonitatis! Spiritum, cujus hodie primitias dedit Apostolis, offert universis. Thesaurum suum, fontem aquæ vivæ aperit tam hominibus quam jumentis; tanquam et ipse omnibus sapientibus et insipientibus debitor sit. *Omnes*, inquit, *sitientes, venite ad aquas* (*Isai.* LV, 1). Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis noverit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes; sed sicut esurientes implet bonis, sic divites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum, quod abominari facis bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carnium! Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam lethalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac male securum appropinquare usque ad portas mortis? Sed unde, rogo tam late lues ista Christi ovilia infecit, greges invasit, ut quam pluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris et vastæ solitudinis, locus pascuæ ubi sunt collocati, et in pascuis uberrimis, in herbis virentibus misere pereant fastidio languidi? An non, quæso, gustaverunt donum cœleste, et participes facti sant Spiritus sancti; gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, et virtutes sæculi venturi? (*Hebr.* VI, 5.) Si enim non gustaverunt bonum Dei verbum, unde toties eructavit cor eorum verbum bonum, cum scilicet de memoria abundantiæ suavitatis ejus eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem divinis intersunt laudibus, et dormitant; aut otiosa vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum, et oscitant: verbum exhortationis audiunt, et ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, et tam ista fastidiunt quam illa: jugiter versantur inter fercula vitæ, et moriuntur fame. Unde ergo **1010** post illam felicem experientiam, gustumque suavem supernæ dulcedinis, tanta hæc oblivio, et incuria boni, languorque mentium subintravit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere velint: *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (*Psal.* CI, 5). Currebant utique bene: quis eos fascinavit retrorsum converti? Spiritu cœperunt: quomodo nunc carne consummantur? Voluptuose vescebantur: quomodo nunc intereunt in viis?

5. Videant, quæso, ipsi, ne forte inimicus homo, qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consuevit, post illam suavem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modo desiderium, sed et memoriam prioris gustus aboleverit. Enimvero statim denuntiat Apostolus his qui ejusmodi sunt: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum* (*1 Cor.* X, 20, 21). An non tibi videtur non modo potatus, sed et inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium raptatur furore passionum? Ego, ut loquar de his quæ jam magis in usu quam in crimine sunt, puto quod et ille mensæ dæmoniorum particeps sit, et pascens eos pascatur ab eis, cujus os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens adversus fratrem suum loquitur, et adversus filium matris suæ ponit scandalum; qui etiamsi non detrahit, detrahentem libenter audit; qui scurilitate stultiloquii cachinnantes dissolvit. Videat ergo qui ejusmodi est, an dignum sit ut, volutatus velut in cruore immolatitio et sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi et Angelorum. Absit autem, fratres mei, ut, hæc dicens, innocentiam vestram, qua plurimum delector, inscribam sceleri; sed hæc dico ut salvi sitis, et aliorum exemplo cautiores facti, manusque lavantes in sanguine peccatoris, gratiam Spiritus sancti quam alii negligentia perdunt, vos omni vigilantia servare curetis; ad laudem et gloriam ipsius largitoris Jesu Christi Domini nostri, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De linguarum mysterio et dono lacrymarum.

1. *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei* (*Act.* II, 11). Nimirum ex abundantia cordis linguæ loquebantur in eis. Exsultationes Dei in gutture eorum, quia charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum. O Domine Deus meus, et ego utique similiter laudarem, si similiter potatus essem. Quia vero arida est anima mea, ideo est et torpida lingua. Sed sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum (*Psal.* LXII, 6). Eructabunt labia mea hymnum; sed cum docueris me justificationes tuas: id est cum dederis gustare quam suavis es, ut discam te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 12). Bonitas siquidem tua, unctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est: *Erunt omnes docibiles Dei* (*Joan.* VI, 45). Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII, 12). Lex Domini immaculata convertens animas (*Psal.* XVIII, 8), charitas est: lex utique ignea, quæ est in dextera ejus, quæ cum digito Dei scribitur super latitudinem cordis, et ipsum cor amoris incendio, et eos ignito fervere facit eloquio. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, et erudivit me* (*Thren.* I, 13). O quanta facilitate et

Digitized by Google

celeritate, quanta copia et facultate, ignis ille quem Dominus Jesus misit in terram, non solum erudivit imperitos, sed etiam expedivit impeditos! Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispertivit ignis iste, quæ ac ignescere fecerunt non solum mentes, sed et linguas Apostolorum, ut etiam nunc pius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque vivit ignis perpetuus, qui et super corda nostra scintillat, si accedamus, si aurem vel animum ab eorum sermonibus non avertamus.

2. Si meruissem aliquam accipere de linguis hujusmodi, dicerem utique et ego, *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum* (*Eccli.* LI, 30); sicut de illis **1011** scriptum est, *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Dicerem et illud: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo* (*Isai.* L, 4). Apostoli et eorum similes linguis sibi datis magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cœlos aperiunt; quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autem utinam vel lingua canis data sit, qua possim primum quidem propria, deinde et aliena ulcera lingere, si qui forte sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. Beati quidem, quibus amor et dilectio divinæ laudis cor replet gaudio et os jubilo. Sed et illos utique beatos dixerim, qui, cum de vulneribus animarum virus ablingunt et purulentiam, trahunt in se, quo anima eorum saginetur, spiritum et gratiam. Esuriunt siquidem et sitiunt justitiam, et famem patiuntur ut canes: ideoque nihil fastidiunt quod in corpus suum possint trajicere; neminem peccatorem abominantur, quem ad justitiam possint convertere. *Quod Deus mundavit, tu ne immundum dixeris* (*Act.* XI, 9), dictum est Principi Apostolorum, et in ipso aliis: et ob hoc mactat et manducat omne genus reptilium et volatilium, et ait, *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia impatientis desiderii cibi mei sunt* (*Job.* VI, 7). Quinimo mirum in modum quanto quisque peccator ante conversionem amarior, tanto postmodum conversio ejus dulcior; quantoque desperatior, tanto gratior nobis ejus salus: quia et salvantis gratiam plus miramur, qui ovem perditam reportans in humeris, gaudium facit Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis (*Luc.* XV, 7).

3. Dicant igitur alii quibus datum est: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine* (*Psal.* CXVIII, 103)! anima autem mea esuriens et famem patiens ut canis, etiam amarum sumet pro dulci, et abominabile pro desiderabili. Delectentur alii lambere mella Scripturarum; ego vero delectabor ulcera lingere peccatorum, mei scilicet mihique similium. Fœdum quidem ulcus peccati, visuque horribile; sed tamen ipsum lingere, cujus sit saporis et gratiæ, non sapit, non capit, nisi qui salutem periclitantium esurit, et famem patitur ut canis: de qualibus dictum est, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal.* CXVIII, 24). Sed væ miserisqui tanto studio pereunt, tantoque desiderio mortem sibi consciscunt, ut vulnera sua tegant, curamque canum refugiant, et asperitatem linguæ medicinalis arbitrentur morsum odii lethalis! *Oderunt corripientem in porta, et perfecte loquentem abominati sunt* (*Amos*, V, 10). Perfecte loquentem dico, non tam de perfectione disserentem, quam perfecta dilectione corripientem. Sed dicam, Perfecta dilectione, an perfecto odio? Imo utrumque, et perfecta dilectione, et perfecto odio: quia perfectum odium nihil aliud est, quam perfecta dilectio; et una est utriusque perfectio, quam Apostolus determinat, dicens, *Odientes malum, adhærentes autem bono* (*Rom.* XII, 9).

4. Sed revertar ad id unde digressus eram. Optabam mihi linguam qua laudarem Deum, vel certe linguam qua confitentium ulcera curarem: in altero quidem mihi quærens divinæ devotionis fructum; in altero, fraternæ salutis lucrum: vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans utilis. Nam et de sæcularium arte et officio poetarum, ita sumptum est apud quemdam eorum:

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci
(HORAT., *Art. poet.*

Optabam, inquam, mihi gratiam oris, qua Deo et vobis officiosus deservirem; ut aliquatenus compensarem verbo, quod minus prosum exemplo. Quanquam satis suspecta mihi sit hæc consolatio, si dicam et non faciam; si suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ; imo magis fortasse timendum sit, ne peccanti dicat Deus, *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX, 16). Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus; et si tacuero, non recedet a me (*Job.* XVI, 7). Pavor est utrobique molestus, et coarctor e duobus; quia locutionem et officii locus exigit, et vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud Sapientem inveni: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum* (*Prov.* XVI, 26). Loquar igitur, non **1012** prout locus expetit, sed prout sensus suppetit, imo prout Dominus dederit, in cujus manu sumus et nos, et sermones nostri. Loquar, inquam, et me ipsum lingua obligabo propria, ut vel pro confusione aliquando laborare compellar: et si corpus a labore manuum excusaverit, certe anima laborantis laboret sibi, ut dicat cum David, *Laboravi in gemitu meo* (*Psal.* VI, 7). O si mihi dentur illi gemitus inenarrabiles, quibus Spiritus postulat pro sanctis, ut laborem in eis! Procul dubio labor hujusmodi gemituum satis digne pensaret mihi quotidianum laborem manuum.

5. Sed et vos ipsi, fratres, si æmulari meliora charismata didiscistis, optate gemitus hujusmodi a Spiritu vobis infundi. Nescio si sit in donis Spiri-

Digitized by Google

tus aliud convenientius aut commodius his qui sunt infirmitate et miseria circumdati : nescio si Spiritui sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta tamque parata nobis suppetat materia, sicut in gemitu et planctu nostri : nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos, quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra et salus nostra, ut videlicet se ipsum phreneticus sentiat et sciat, et conversus ad cor dicat Domino cum propheta : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* (*Jerem.* XXXI, 19). Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem : nisi doluerit, non meretur consolationem. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V, 5). Puto quia nec in Apostolis hodie locum invenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filii sponsi, cum sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI, 7). Nisi desolati fueritis præsentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritualis. *Date*, inquit, *siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro animo sunt*, non scilicet illis qui ebrii sunt gaudio et luxu sæculi. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? nunquid bibere possunt calicem Domini, et calicem dæmoniorum? *Bibant*, inquit, potius pauperes Apostoli, *et obliviscantur egestatis suæ* (*Prov.* XXXI, 6, 7), ut dicant : *Sicut egentes, multos autem locupletantes* (*II Cor.* VI, 10). Bibant mœrentes de absentia sponsi, et dolorum non recordentur amplius, sed dicant : *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*Id.* V, 16). Nam et te ipsum, si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper et dolens* (*Psal.* LXVIII, 30), sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas hujus præclari calicis, ut, etsi pauper sis, paupertas animum non urat; et si dolebas quia peccasti, jam peccati reatus conscientiam non mordeat.

6. Vide autem, si non et ipse Spiritus sanctus in judicium venit in hunc mundum, ut qui dolent non doleant, et qui rident, æterno et inconsolabili se luctui tradant. Melius est igitur ire ad domum luctus quam ad domum convivii (*Eccli.* VII, 3). Et revera sapiens, etsi aliquando consolationem meretur, ut dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit, semper tamen, ut locum paret consolationibus novis, novas exquirit de se ipso causas doloris : non statim blandiens sibi, quasi jam per omnia justus sit; sed eo subtilior, quo jam illuminari cœpit; eo districtior, quo justificari cœpit, fit accusator et judex sui. Ei ergo qui ejusmodi est, crebro, nisi fallor, Spiritus consolator advenit, quoniam et adventum jam ipse suum antevenit; advenlens scilicet ut consolationem tribuat, sed anteveniens, ut lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina Spiritus et ordine primus, et utilitate invenitur præcipuus; quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia justorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum quæ nunc sunt, et gaudiorum quæ futura sunt ; ad quæ nos perducat qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

1013 SERMO I.

De laudibus sancti.

1. *Ah! Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* I, 6). Fratres, si Jeremias, sicut ex lectione audistis hesterna, ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam justius minorem causabatur ætatem, quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex utero, et quem manifeste divina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior, mihi quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Verumtamen tu, puer propheta Altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quomodo balbutire; qui etiam in materia leviori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, o vox Verbi, vox sapientiæ, tibi devotæ solvere vinculum linguæ, qui necdum loquens, usum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fenore magno rediit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, ut videlicet uterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogativa filii.

2. Qui enim propheta, et plus quam propheta futurus erat, imo ante prophetare quam profari, prius Deum quam se ipsum sentire cœperat, parentes quoque suos prophetas faciebat; et in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui et gratiæ superabundantiam refundebat. Nam et Elisabeth, postquam exsultavit in gaudio

Digitized by Google

infans in utero ejus, tunc et ipsa prophetavit repleta Spiritu sancto; quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exsultatione manifesta revelavit. Salutabat Salvatorem motu, quo poterat, et in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inæstimabilis divinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Joannis penetrat, qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat : et cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in matrem refundi. Vere gratia plena Maria : manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiose, tam magnifice, principaliter in Matrem, de Matre in Joannem, de Joanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, et fons vitæ et gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.

3. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Joannem loquor, consobrinum et amicum sponsi, præcursorem, Baptistam, et martyrem Domini : ideoque nullirum uberius irrigata in tantum excrevit, ut inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inveniri. Omnino Salvatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis conjunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis, novitate nativitatis, sanctitate pene originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent prophetarum præconia; solius gratia nominis ejus (9), quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat ut gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret, et gratia non mediocri emineret, qui gratiæ tempus a tempore legis velut medius limes disterminaret. Usque ad Joannem enim Lex et Prophetæ prophetaverunt (*Luc.* xvi, 16); qui videlicet primus ostendit præsentem, quem Lex et Prophetia promiserant venturum.

4. Merito igitur nativitas hujus pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum 1014 natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat renascendi. Merito nativitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natura, solemniter veneratur Ecclesia : præsertim cum singularis illius nativitatis, cujus gratia naturam reparavit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratam se probat Ecclesia, non immemorem : fideliter agnoscit qua devotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnovit Salvatorem. Mihi plane novo nascitur gaudio lucerna mundi, cujus indicio lucem veram agnovi lucentem in tenebris, sed non comprehensam a tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio, cum quo tot et tanta mundo nascuntur bona; qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per pœnitentiam initiat, per baptismum præparat, præparatam Christo consignat et copulat; et quam ad vivendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.

5. O fratres, quorum propositum est (utinam et ita desiderium) ad perfectionem festinare; quam cito christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem : cujus etiam prima elementa justitiæ modum supergressa sunt perfectionis humanæ; cujus rudimenta primævæ ætatis gravitatem sapientiæ vicere senilis! Qui enim, antequam natus, sanctus fuit, quid mirum si in processu conversationis plus quam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possumus sanctitatem tuam, sanctorum sanctissime : omnino necesse est ut, qui de publicanis et peccatoribus plebem perfectam Domino parare festinas, humanius eis loquaris quam vivas; et modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* iii, 8). Nos quidem, o fratres, gloriamur perfectius loqui, quam vivere : Joannes autem sublimius vivens quam possint homines vel intelligere, loquitur tamen eis prout possunt audire. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Humanum*, inquit, *dico, propter infirmitatem carnis vestræ* (*Rom.* vi, 19) Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium pœnitudo malorum. Si nondum facere prævaletis perfectæ fructus justitiæ, sit interim hæc vestra perfectio, ut faciatis dignos fructus pœnitentiæ.

6. Si recordari volumus, fratres, lectionis hesternæ, ad dignos fructus pœnitentiæ pertinet quod Jeremiæ, aut certe Joanni sub typo Jeremiæ dictum est, *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes :* ad fructus justitiæ, *ut ædifices et plantes* (*Jerem.* i, 10, et xviii, 7). Beatus qui manus hujus exstirpatoris adjuverit (nam ipse Dei adjutor est), qui videlicet cooperans verbo et gratiæ Dei, in hoc studium et operam dederit ut evellat et disperdat de affectionibus et moribus suis omnem plantationem quam non plantavit Pater cœlestis, destruat et dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ et confusionis; ut postmodum melius ædificet et plantet, fiatque sicut scriptum est, *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* (*Isa.* ix, 10). *Ascendat abies pro saliuncula, et myrtus pro urtica* (*Id.* lv, 13) : omnis scilicet pulchritudo et gratia virtutum, pro situ et horrore vitiorum. Quis, putas, est ille tam perfectus in nobis, ut saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita

(9) Joannes enim *gratia Dei* intepretatur.

Digitized by Google

digne perfecteque pœnitens sit, ac tota severitate damnet mala sua quæ fecit, prioribus usquequaque renuntians vitiis, ut omne germen maledictionis radicitus evellat et disperdat de agro cordis, ita ut de radice pessima, nullus amplius germinet fructus amaritudinis; quique semel ita destruat ac dissipet omnem altitudinem extollentem se adversus humilitatem Christi, ut iterum non reædificet quæ destruxit? Quam felix hodie esset Ecclesia sanctorum, quanta pace et gratia florerent congregationes beatorum pauperum, si fructus istos quos facere debuerat, rudium pœnitentia, vel eorum qui perfecti et sancti videri volunt, afferret justitia! Denique, qui nec justitiam sanctorum, nec exactam habemus pœnitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua teporem **1015** nostrum devota veneratione sanctorum: præcipue beati Joannis, cujus tam magnifice sanctitas efloruit supra modum aliorum, ut crederetur Sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriæ sanctitatis ejus loquamur ac meditemur, fratres mei, ut propitium faciat peccatis nostris eum, cujus singulariter amicus esse meruit, Filium Dei, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A

B

SERMO II.

De vi necessaria ad rapiendum regnum cœlorum.

1. *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Merito igitur læta nobis est ejus nativitas, cujus tam fausta sunt tempora, ut regnum Dei, jam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus utique justitia non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in nativitate ejus gaudent, sicut promittebat angelus; sub quo tanta felicitate mutatus est temporum status, ut regnum Dei quod ante nulla innocentium obtinebat justitia, nunc pœnitentium invadat et possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cœlorum? An non violentia est, rapere virtute quod non erat concessum naturæ; ut qui natura erant filii iræ et gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem sanctorum et consortium gloriæ? An non plane violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Jacob, qui, ut scriptum est, contra Deum fortis fuit et invaluit, qui cum eo luctatus usque mane, constanter et obnixe tenebat rogantem dimitti, *Non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi?* Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in angelo, cum quo luctatus est. Alioquin nec angelus diceret, *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* nec Jacob diceret, *Vidi Dominum facie ad faciem* (*Gen.* XXXII, 26, 29, 30): sed neque Dominus de Jacob diceret per Osee prophetam, *in Bethel locutus est nobiscum* (*Osee* XII, 4). Bona igitur violentia, quæ benedictionem extorsit: felix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem gratia benedictionis et honore sanctioris nominis muneravit! Quid enim, si tetigit nervum femoris ejus, et emarcuit, ac de cætero claudicavit? Facilis jactura corporis damnumque consolabile, quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere, *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam* (*Sap.* VII, 10). Utinam marcescat in me non solum nervus femoris, sed virtus totius corporis; dummodo vel unam merear benedictionem angeli. Utinam non solo claudicem cum Jacob, sed et moriar cum Paulo, ut gratiam et nomen Israelis obtineam munere perpetuo. Jacob quidem femur gerit marcidum, Paulus vero, corpus emortuum quia mortificationem membrorum, quam cœpit propheticæ religionis initium, ad integrum consummavit Evangelium. Jacob claudicans, quia ex parte quæ mundi sunt cogitans, alterum pedem a terra suspensum portat. Paulus cogitans solum quæ Dei sunt, sive in corpore, sive extra corpus, nescit, Deus scit (*II Cor.* XII, 3), totus tamen in spiritu liber ad cœlum volat.

C

D

2. Vobis itaque dicimus, fratres, qui aggressi estis cœlum rapere, qui congressi estis luctari cum angelo qui viam custodit ligni vitæ: vobis, inquam, dicimus omnino necesse esse ut constanter et irremisse luctemini; non dico usque ad enervationem femoris, unde generatio propagatur carnis, sed etiam usque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu et beneficio divinæ virtutis, cum vestram videlicet constantiam invincibilem sibi probaverit. Sic enim scriptum est: *Cumque vidisset quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit?* (*Gen.* XXXII, 25). An non tibi cum angelo, imo cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Lavaris velut aquis nivis, ut mundus sis corde et corpore, et ipse sordibus intingit te. Dicis, *Sapiens efficiar* (*Eccle.* VII, 24), et ipse longius recedit a te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, et repellit te. Decernis rem, et in contrarium tibi cedit, et per omnia fere in duritia manus **1016** suæ adversatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulas; quanta pietate pugnas adversus eos pro quibus pugnas! Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, et immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age, felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utique vim abs te pati, desiderat a te superari. Nam et cum iratus est, manumque ad feriendum extendit, quæritur, ut ipse confitetur, virum similem Moysi, qui resistat sibi; et si non invenerit, conqueritur et dicit: *Non est qui consurgat, et teneat me* (*Isai.* LXIV, 7). Nam si implacabilis sit ejus ira, inflexibilisque sententia, flebit et dicet Jeremias qui resistere tentaverat: *Fortior fuisti, et invaluisti* (*Jerem.* XX, 7).

3. Sed absit, fratres, qui placita ei postulatis, absit ut fortis adversum vos sit, qui pro vobis infirmari usque ad mortem voluit! Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est; unde,

Digitized by Google

quæso, virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati, quæ veluti victum et captum per omnia genera infirmitatum usque ad mortem, mortem autem crucis perduxit? Jam non fortis ut mors, sed fortior quam mors dilectio : cum virtute dilectionis infirmata sit usque ad mortem Dei fortitudo; cujus tamen infirmitas fortior inventa est omni fortissimo; cujus mors probata est esse mors tua, o mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicunque es ille pius invasor, qui rapere contendis regnum cœlorum : et securus esto, quia facile vinces regem ipsum cœlorum. Si qua enim videtur tibi adversari difficultate, aut duritia; ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat. Nempe ut contrarietate ipse tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum ac fortium; ut vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

4. Quamobrem accingimini, filii Israel, et estote filii fortitudinis : non enim opus est nisi magnanimitate et constantia, quæ nullis possit terreri adversis. Infirmus dicat, Fortis sum; et præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tam facile jam jamque capiendum est cœlum. Plane cœlum violenter rapit, qui imbecillitati suæ vim facit, aut ætati. Imo, ut magis proprie loquar, plane vim facit propriæ perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo enim in laboribus*, ut Scriptura ait, *laborat sibi, et vim facit perditioni suæ* (*Prov.* XVI, *sec.* LXX). Accingimini, inquam, viri virtutis, et sequimini ducem ac magistrum felicis hujus militiæ; Joannem Baptistam loquor, a diebus cujus cœlum esse cœpit expugnabile. Iste siquidem est, qui velut alter David princeps factus latronum, piorumque ductor prædonum, et victoriosum illum exercitum publicanorum et peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxit in regnum cœlorum. Quis enim scelestus aut profanus tubam ejus audivit, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2); et non se continuo præparavit ad bellum? Sequimini, inquam, ducem istum, cujus vexilla proprio rutilant sanguine, cujus hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, juvabit merito, commendabitque suffragio, cum inter natos mulierum nullus sit acceptior regi summo Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Iterum de laudibus Sancti.

1. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Salomon ait : *Laudent te labia proximi tui* (*Prov.* XXVII, 2). Sed quam felicius et gloriosius, cum laudant quempiam labia Dei sui! Deus quippe nec falli potest, nec adulari. Deus neminem facile laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari prævideat. Homini quidem recte dicitur, ne laudet hominem in vita sua; cujus sicut scire non potest intima, si nec præscire novissima; cum de seipso quoque confiteri **1017** habeat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4). Sunt enim justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt et tamen nemo scit utrum sit dignus amore an odio, sed omnia in futurum servantur incerta (*Eccle.* IX, 1, 2). Felix igitur, qui testimonio ipsius Judicis dignum se amore scire meruerit; nisi quod testimonium justitiæ præsentis, mutabilitati humanæ suspicionem ac metum non adimit de futuris. Indubitabile tamen eximiæ virtutis et magnæ perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, suæ suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur judicium. Magnum profecto justitiæ præconium quod summa justitia dicit ad Noe : *Te vidi justum coram me* (*Gen.* VII, 1). Magni quidem insigne meriti, quod Abrahæ testificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones, quæ ad ipsum factæ sunt (*Gen.* XVII, et XXII, 17, 18). Quantæ autem illud est gloriæ, quod de beato Job Dominus gloriatur adversus invidum : *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra : homo simplex et rectus, et timens Deum, ac recedens a malo?* (*Job.* I, 8.) Quantæ etiam illud erat gratiæ, quod pro Moyse æmulabatur et confundebat æmulos ejus? *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, et palam, non per ænigmata videt Deum. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* (*Num.* XII, 6-8.) Quis vero in omnibus sicut David, de quo gratulatur Dominus, quia invenit virum secundum cor suum? (*III Reg.* XI, 4.)

2. Verumtamen quantumlibet magni fuerint, sive isti, sive alii; nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste Nato Virginis, surrexit major Joanne Baptista. Nam etsi stella differat a stella in claritate, et in choro sanctorum siderum, quæ ante exortum veri Solis illustrarunt noctem hujus sæculi, quadam effulserunt claritate mirabili; nullum tamen in omnibus majus aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti et lucenti, quam Pater Christo suo paravit : lucifero, inquam, prælucanæ lucis, qui præcursor Solis diem instantem mortalibus nuntiavit; dormientibus in tenebris et umbra mortis clamitans et dicens : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Ac si diceret : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjicite opera tenebrarum* (*Rom.* XIII, 12). *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14).

3. Non est autem negligenter prætereundum, sed etiam atque etiam considerandum, quam sublimis meriti, quam excellentis gratiæ et virtutis, oculus ille quem nil fallit, eum perviderit, qui post tanta præcedentium præconia, hanc de illo sententiam tulit : quod *inter natos mulierum*, nul' es

Digitized by Google

illo *major* surrexit; nec nisi de ordine Angelorum, vel qui pervenisset ad æqualitatem Angelorum, aliquem ei præferendum judicavit. Nec semel quidem, aut perfunctorie vel breviter laudem ejus attigit, sed quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus ejus delectabatur immorari: quod satis probat historia Evangelii. Propterea Marcus quoque, Lucas et Joannes initia librorum præconiis ejus dedicaverunt: ut videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabilius redderet Evangelium; et lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens et lucens perduceret ad lucem, quæ lucebat in tenebris, sed a tenebris nequibat comprehendi. Matthæus enim, quia eum nativitas Domini in initiis occupatum tenuit, mox ut puerum nutriendum Nazareth commendavit, ad Præcursorem et Baptistam ejus stylum convertit, arbitrans imperfectum fore quidquid de Sponso diceret, si de individuo amico Sponsi reticeret. Hæc namque cura non minima fuit, non solum Evangelistis narrantibus, sed etiam Prophetis et Angelis prænuntiantibus, ut lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cujus splendore et auctoritate inimici facile confunderentur, et ex cujus magnitudine incomparabilis Altissimi magnitudo manifeste monstraretur. Cum enim maximus inter natos mulierum Natum Virginis testabatur tam longe magnitudinem suam vincere, ut indignum se confiteretur ejus calceamenta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat **1018** magnus Dominus, cujus magnitudinis non est finis (*Psal.* CXLIV, 3); et de quo dicitur: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* (*Psal.* LXXXVIII, 7.) Et hæc utique illa magnitudo Joannis fuit, qua inter magnos tam magnus excrevit, quia videlicet virtutes suas magnas et innumeras, quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulavit sibi; cum putaretur summus omnium, ultro ac devotissime præferens humillimum omnium et in tantum præferens, ut calceamentis ejus detrahendis se testaretur indignum (*Luc.* III, 16).

4. Mirentur igitur alii, quod a Prophetis prænuntiatus; quod ab archangelo promissus, et eodem quo Christus; cum tamen Christus in cubiculo, Joannes in oraculo; quod de tam sanctis ac nobilibus parentibus; quod de senibus et sterilibus, contra debitum naturæ, dono gratiæ; quod ante sanctus quam natus; ante propheta, quam prophetaret; quod plus quam propheta, quia angelus angelicum officium vitamque gerens in terris, in carne præter carnem vivens; et licet innocentissimus, pœnitentiæ tamen formam plus exemplo quam verbo tradens; quod in spiritu et virtute Eliæ præcurrens adventum Redemptoris, et viam ei parans in eremo; quod corda patrum ad filios, et filiorum ad patres convertit; quod Filium baptizare, Patrem audire, Spiritum sanctum videre meruit; quod denique usque ad mortem pro veritate certavit: ut etiam ad inferos Christum præcurreret. ante passionem Christi, martyr Christi fuit. Mirentur, inquam, hæc alii, si tamen est qui digne possit mirari: nobis, fratres, non solum miranda, sed et imitanda proponitur virtus humilitatis ejus, qua major se credi, cum potuit, noluit; imo credentes ne errarent, quantum valuit compescuit. Fidelis enim amicus Sponsi, magis amator Domini sui, quam sui; se minui, ut ille cresceret optabat, et de minoratione sui gloriam illius augere satagebat (*Joan.* III, 29, 30), ante Apostolum opere et veritate dicens illud apostolicum: *Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Jesum Christum* (*II Cor.* IV, 5). Ideo nimirum magna est gloria ejus in salutari tuo, in Jesu tuo, Domine, cujus justitiæ et bonitatis est diligentes se diligere, est glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria ejus in Jesu, magna a Jesu: qui et apud se glorificavit eum consortio gloriæ suæ, et apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Joannes illud fidele Sapientis consilium: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor.* X, 17, 18). Maluit itaque in Domino sane, quam in seipso vane gloriari; quia et maluit veraciter a Domino, quam fallaciter a seipso commendari. Ideo probatus est Deo et hominibus; et gloria ejus veritas apud homines, felicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset.

5. O filii hominum, usquequo gravi corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? (*Psal.* IV, 3.) Utquid vanam et mendacem gloriam diligitis, et gloriam quæ a Deo solo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Utinam agendo fortia, non loquendo sublimia! utinam saltem vera loquendo, licet vane, et non mentiendo plane! utinam denique mentiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de aliis! Hoc jam non est gloriam accipere vel quærere, sed magis furari et rapere. Quærere siquidem gloriam, non sua, sed contraria via; non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacii et detractionis latrocinio: quid aliud est hoc, nisi rapere, vel furari nequiter, quod concupieris turpiter? Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, jam ex hoc secundum veritatem non ambularet. Nunc autem quid, cum non solum accipis si offertur, sed et quæris cum non offertur? quid denique, cum alium velut trucidas venenosa et insidiosa lingua, ut gloriam ejus tibi rapias; ut de malo ejus tu melior, de contemptu ejus tu gloriosior appareas? Sit ergo illud, gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud, nisi sævientium crudelitas? Sit certe illud, ut mitius loquar, tentatio humana: quid istud, nisi imitatio diabolica? Plane imitantur diabolum qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi. Ipse est **1019** enim rex super omnes filios superbiæ.

Digitized by Google

6. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia superbivit, meliori se, id est, Deo invidit: quia invidit, detraxit. Sic filii superbiæ ejus, mox ut infecti sunt vitio ejus, id est amore propriæ excellentiæ, invident alienæ. Ut cœperint invidere, incipient, si possunt, detrahere, ut scilicet accrescat eis quod derogaverint aliis. Quanto salubrius imitarentur humilitatem Joannis, qui detrahebat sibi, ut adderet alii: qui contendebat minor credi quam credebatur, ut alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate et æquitate, placeat saltem ex utilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam divinam; sed nec ad gratiam humanam ulla pulchrior aut justior, et sæpe nulla compendiosior: *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo et hominibus* (*Eccle.* III, 20, et *Philipp.* II, 3). Hæc beatum Joannem glorificavit apud Deum et homines, sicut est dies hæc, quæ de nativitate ejus gloriosa consolationem præstat mundo, gaudium cœlo, gloriam Deo: cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De fortitudine et mortificatione.

1. *Cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis videre in deserto?* (*Matth.* XI, 7.) Ecce illud quod sponsa de sponso gloriatur in Cantico amoris sui, *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi* (*Cantic.* II, 16): Joannes Jesu, et Jesus Joanni. Joannes Jesum prædicat, Joannem Jesus commendat. Par pari redditur, et tam amica quam justa vicissitudine charitas in invicem provocatur, aut remuneratur. *Ego* enim, inquit Jesus, *diligentes me diligo, et glorificantes me glorificabo* (*Prov.* VIII, 17). Habet pietas promissionem vitæ quæ nunc est, et futuræ; et Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmii, etiam nunc incipit glorificare redditione [*Al.* exhibitione] præconii, testemque suum etiam apud homines proprii sublimat honore testimonii. *Quid existis*, inquit, *videre in deserto?* Vos hominem miramini commorantem in deserto: sed per istum pinguescent speciosa deserti, et florebit solitudo, cum ubique novi cultores eremi de Joannis succrescent exemplo. Tunc erit desertum quasi deliciæ paradisi, et solitudo quasi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli et Saron* (*Isai.* XXXV, 2). Sed quid, inquam, *existis videre in deserto? arundinem vento agitatam?* (*Matth.* XI, 7.) Et si moretur in desertis, non est tamen arundo deserti, sed cedrus paradisi, columna cœli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute et merito ultra mensuram hominum, conditione citra naturam angelorum.

2. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certe cypressus in monte Sion æternæ plantata, alius scilicet quam ut ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus hujus aeris, quia superior est cunctis cupiditatibus mundi. In cœlo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, unde minas et bella ventorum, et cuncta in sæculo adversantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium eorum cubat, omnes vires suas et argumenta malitiæ commoveat: nihil illum terrebit, nihil a sententia movebit, quominus libere nuptias eorum incestas arguat. Quomodo enim flecterent adversa, quem mollire non potuerunt prospera? Flaverunt siquidem aliquando et molles, atque blandientes venti, auræ scilicet favoris popularis: sed nec illis a rectitudine sua potuit inclinari. Vos misistis ad Joannem et testimonium perhibuit veritati. *Miserunt* enim *Judæi sacerdotes et levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, et non negavit: Quia non sum ego Christus* (*Joan.* I, 19, 20): cum tamen ei flaret favor popularis, et blandiretur existimatio communis, non ut Christum prædicaret se esse, sed ut credentibus tantum non contradiceret. Sed **1020** et alias cum discipuli ejus dicerent ei, *Rabbi, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum*: numquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, et alterius frequentia et gloria, ad dolorem vel invidiam moveri? Imo constantia immobili ventum repellens et frangens, respondit: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quia dixerim, Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum* (*Joan.* III, 26, 28).

3. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Laudaverat eum de constantia animi, et nunc laudat de contemptu corporis sui, ac postremo de superexcellentia gratiæ prophetalis, atque dignitate angelici officii et nominis. His etenim duobus gradibus ad spiritualia ac divina nititur humilitas humana; si videlicet adversus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, et desiderio spiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initiis, ut vincamus tentationes, corpus est castigandum, ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tentationibus in eodem tamen est persistendum, non solum metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi; ut scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat, et quanto levius ac subtilius vinculum gestat, tanto ad spiritualia liberior assurgat. Joannes qui antequam exiret de ventre, sanctificatus erat, cui illud dicere competebat: *Ab infantia mea mecum crevit sanctitas, et de utero matris meæ egressa est mecum* (*Job* XXXI, 18); quem nullus tentationis ventus agitare poterat: nec mollibus tamen vestiebatur, nec suavibus vescebatur; sciens utique, quia sicut peccatoribus, ut sancti fiant, sic sanctis, ut sanctiores fiant, necessaria est severior vivendi disciplina. Nunc autem Deo gratias, qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine pœnitentia veniam, sine opere justitiam, sanctimoniam sine labore; deliciis carnalibus simul et spiritualibus affluere. Induimur, si non purpura et

Digitized by Google

bysso, certe mollioribus et calidioribus quam sint purpura et byssus; et epulamur quotidie splendide: et nihilominus distenti et ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Joanne? Plane si ita est, melius nobiscum actum est, quam cum illis, qui tantis emere laboribus quod nos delicati gratuito possidemus. Plane si ita est, ridenda est magis quam prædicanda vita Joannis: et omnem nationem filiorum Dei, qui dura et arcta via secuti sunt Unicum Patris, reprobare magis expedit, quam imitari.

4. Verisimilius autem videtur quod non ita est; sed magis sicut Veritas dicit, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21): et sicut discipulus Veritatis perhibet, quia *vidua in deliciis vivens mortua est* (*I Tim.* V, 5, 6). Ideo Dominus cum de asperitate vestis laudasset amicum in omni domo sua fidelissimum, *Ecce*, inquit, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI, 8): volens nimirum intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno hujus sæculi militant, non regno Dei. Heu! quam terribilem sententiam cœlitus audivi contra mollitiem illius magnæ et purpuratæ meretricis! *Quantum*, inquit, *glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII, 7). Utinam tamen his deliciis, tantum mollitie vestium, et suavitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum, nec alias spinas vitiorum germinaret in eis rhamnus voluptatum, ut hoc esset omne peccatum eorum, deliciari, non luxuriari! Ipsi viderint, si ita exstinctus est in eis ingenitus ille pectifer ignis, ut tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi; præsertim ventis ex adverso flantibus, id est, verbis et risibus lascivis tentantibus. Soleo tamen audire quia sæpe vivit etiam in moriente, viget in sene: suscitatur et exsurgit etiam sine fomite, furit nullo irritante. Ipsi ergo viderint sibi. Nihil enim mihi de aliorum conscientiis judicare, cum sciam multos in omni copia et gloria mundi temperanter et pudice vixisse: et e diverso nonnullos in habitu asperiore et victu parciore nequiter egisse. Sed et scio regem Israel sub purpura sua cilicio ad carnem fuisse indutum (*IV Reg.* VI, 30); et panem solum nonnunquam regibus appositum: cum hodie delicatissima quæque ac mollia tegat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium; **1021** et fastidiis eorum non satis sint opes mundi, non satisfaciant artes et tormenta coquorum. Verum quia in hujusmodi causis facile quisque sibi invenit patrocinium; alius, infirmitatis, alius, societatis cui morem gerit; alius, honoris quem gerit: esto, vivant ut volunt, comedant ut volunt; tantum ne excedat ulterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt; et incipiant notari proverbio mulieris nequam, *quæ comedit, et tergens os suum dicit: Non sum operata malum* (*Prov.* XXX, 20). Nam et de magna illa Babylone, de cujus medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere: Quantum vult purpurata sit, quantum vult delicata sit; tantum meretrix non sit, nec divaricet pedes suos omni transeunti.

5. Tu ergo si non potes imitari Joannem in asperitate vestitus, vel parcimonia victus: vel in hoc imitari contende, ut non sis arundo vento agitata; et, ut Sapiens ait, *Non te ventiles in omnem ventum, et non eas in omnem viam*. Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed *esto firmus*, inquit, *in via Domini* (*Eccli.* V, 11, 12), ne te projiciat ventus a facie terræ seu loci, cui professus es; seu regni, cui præparandus es. Solet repente ventus vehemens irruere a regione deserti, et concutere quatuor angulos domus filiorum Job (*Job* I, 19), et fit ruina ejus magna, si tamen super arenam fundata sit, non supra petram; si arundinea sit, non lapidea: imo si is qui ædificat eam, et inhabitat, arundo sit; foris per hypocrisim nitidus, jactantia vel promissione cassa sonorus; intus veritate vacuus. In secreto hujus arundinis Behemoth dormire amat, quæ et in locis humentibus (*Job* XL, 10, 16), ubi nulla fluxarum rerum penuria, sed ad luxum superfluunt omnia, sæpius et uberius crescit atque luxuriat (*Isai.* XXXVI, 7). Huic arundini si quis innitatur, manum ejus perforabit: quia si quis in adjutorium operis eum asciverit, vel alicujus ei muneris functionem imposuerit, sperantem in se gravi scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini hujusmodi arundinem etiam quassatam non conterit, sed sustinet, ut in melius convertatur (*Isa.* XXIV, 20). Nonnunquam etiam increpat feras arundinis (*Psal.* LXVII, 31), quæ cum principe suo in secreto ejus dormiunt: nonnunquam justi tanquam scintillæ æris candentis in arundineto discurrunt (*Sap.* III, 7), qui tanquam carbones desolatorii, quidquid in eo steriliter silvescit incendunt, novisque fructibus purum præparant locum. Hoc agebat Joannes, vox clamantis in deserto, non arundo, sed scintilla in arundineto: cujus sermo, ut scriptum est, *sermo scintillæ ad commovendum cor* (*Sap.* II, 2) pigrum et stolidum, ut pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat eadem vox, cooperante Verbo ipso, cujus erat vox, Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

SERMO I

De duabus olivis ad dexteram candelabri.

1. *Et respondi*, inquit Zacharias, *et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri et ad sinistram ejus? Isti sunt, inquit, duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ* (*Zach.* IV, 4, 11, 14). De candelabro quod viderat totum aureum, et septem lucernas ejus super illud intellexerat Propheta, sed nec nobis dubitare jam licet, cum in lumine ejus videamus lumen. Hoc lumen cum alia demonstret, seipsum ignorari non patitur, sed testimonium perhibens de seipso loquitur : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12). Lux ex divinitate, candelabrum ex humanitate. Et ipsum totum aureum, non auratum; quia sive divinitas, sive sapientia, sive charitas auro significetur, hæc omnia Christus non per participationem, sed per substantiam. Nos cum simus natura plumbei, vel magis lutei, gratia et participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed ut multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus, septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram. De his ergo Propheta certus, de duabus olivis quidnam sint percunctatur, auditque ab angelo qui in eo loquebatur : **1022** *Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ* (*Zach.* IV, 14). Interpretentur alii ut volunt aut possunt, unusquisque pro sensu suo : sive Enoch et Eliam, qui apud Deum in secreto vivunt; sive Moysen et Eliam, qui cum eo in monte visi sunt; sive duos ordines prædicatorum, veteris scilicet ac novi Testamenti : ut qui Veteris, ad sinistram sint propter promissa temporalia; qui Novi, ad dexteram, propter æterna : ego quidquid a regula fidei non discrepat, aut a contextu lectionis non nimie dissonat, suscipio, veneror, amplector.

2. Puto tamen, sine præjudicio melioris intellectus, Petrum et Paulum non absurde posse intelligi : imo absurdum videri, qui hodie aliud interpretari velit, cum hodie nihil aliud cantet aut tractet Ecclesia ubique terrarum, quam præconia Patrum doctorumque suorum. Nam etsi aliis possit aptari, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod tanquam duæ olivæ circa candelabrum a Propheta videntur, seu quod duo filii esse olei splendoris ab angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica interpretatione angelica : ut inde intelligantur olivæ, quia filii olei splendoris; inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex oleo Spiritus sancti sunt regenerati, hodieque florent et fructificant sicut oliva fructifera in domo Domini, etiam oleastro gentili, qui in ipsos insertus est, impertientes pinguedinis suæ succum ac dulcedinis, gratias illis agat sterilis dudum et amara gentilitas; et si non ab ipsis, tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam pretioso fructu per orbem abundat.

3. Vobis tamen, fratres, quibus sicut substantia et domus una, ita cor unum et anima una : vobis, inquam, specialius in ipsis censeo gloriandum, qui sicut novella olivarum de eorum radice traduxistis non solum fidei succum, sed et formam vitæ atque ordinis exemplum. Quod si novella olivarum vos, utique et filii olei vos, filii uncti, qui est Christus Dei; diceturque et de vobis, cum hodie ad altare accedetis : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* CXXVII, 3). O novella olivarum nobilium! o generosum germen tam pinguium, tamque feracium arborum! semper, obsecro, recordare de qua pullulaveris stirpe, de qua succreveris radice, ne unquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut, quod absit, inutilem ignibus addicat. Cave, quæso, notam infelicium temporum, de quibus meministi prophetatum : *Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum* (*Habac.* III, 17). Duo tamen præcipue tibi existimo cavenda : ne aut per teporem fias sicut oliva projiciens florem suum, sicut legis in Propheta, ut videlicet fructum quem in initiis novitii fervoris promittebas non facias; aut cum feceris, ne per superbiam perdas, et dicat tibi Jeremias : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum :* sed heu! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt omnia fruteta ejus* (*Jerem.* XI, 16). Confidimus autem de vobis meliora, dilectissimi, tametsi ita loquamur. Confidimus quia oleum splendoris, vel magis olei splendor, cujus estis filii, sicut et patres nostri Apostoli, unctione sua docebit vos de omnibus : nec solum deterget torporem, quia oleum est; sed et discutiet errorem, quia splendor est.

4. Scio posse intelligi *olei splendoris*, id est, quod de splendore Filio procedit, vel quod splendorem illuminationis diffundit : sed puto quia non inconvenienter etiam per intransitionem accipi potest oleum, quod splendor est. Utrumque siquidem Spiritus est in natura sui, et unctio scilicet spiritualis, et splendor invisibilis : utrumque in nobis operatur munere sui. Ungit affectus ex eo quod oleum est : illuminat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex uno ipso et oleum, et splendor est; quia nonnisi unum ipsum est. Ungit affectus, quia charitas est : illuminat intellectus, quia veritas est. Ungit affectus, cum devotionem donat : illuminat intellectus, cum mysteria revelat. Cum bonitatem docet, ut simus simplices sicut columbæ, ungit affectus : cum scientiam

Digitized by Google

docet, ut simus prudentes sicut serpentes, illuminat intellectus. Illuminat, ut habeamus **1023** in nobis salem : ungit, ut habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suavem et unctum per benevolentiam, discretum et maturum per sapientiam te nobis exhibueris ; ut suavitas veritate sit condita, et æquitate charitas ordinata. Puto autem quod hanc germinam virtutem sui, vel affectum muneris sui, propter quam splendor voluit dici, etiam in illo igne Spiritus sanctus significaverit, in quo ipse invisibilis invisibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleum, nisi fallor, fuit in sensu corporum : ut veluti in quodam lavacro olei viderentur sibi baptizati, cum super eos effunderetur ignis iste cœlestis. Verumtamen qualiscunque fuerit in eis corporaliter sensus illius ignis (parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter operetur), illud, ut opinor, et probabilius dicitur, et religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammavit et illuminavit corda, refrigeravit corpora : ut per charitatem mentes arderent, et per castitatem membra frigerent, et utrumque congrueret singulis, sive illud Jeremiæ, *De excelso misit ignem in ossibus meis* (*Thren.* I, 13) ; sive illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum* (*Psal.* CVIII, 24). Nisi forte aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit Spiritus, ut virtus in infirmitate perficeretur.

5. Sed prosequamur quod proposuimus. *Isti sunt*, inquit, *duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ* (*Zach.* IV, 14). Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore : accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt Dominatori universæ terræ* ; ut agnoscas eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus, *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII, 66). Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore ; ut proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper et ubique majestati æternæ, quæ nos inspicit et judicat sine intermissione, cum metu et reverentia assistamus, pervigili fide ac jugi devotione. *Sicut oculi*, inquit, *servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (*Psal.* CXXII, 2), intentissime et indeclinabiliter observantes nutus ejus, quid velit, quid jubeat, ut quam celerrime devotio nostra obediat. Sic Moyses invisibilem tanquam videns sustinebat, nec unquam imminentis metum judicis dissimulare poterat. Sic Elias et alii Prophetæ qui dicebant : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*IV Reg.* V, 16). Inde nimirum et gratiam, et nomen assecuti sunt Videntium ; quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, non ficta, non dissimulatrix, ipsa est, ut arbitror, quæ sola vel maxime facili compendio ad perfectionem perducit : quæ gravitatem disciplinæ, sobrietatemque modestiæ, tam interiori quam exteriori nostro tribuit, et velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filii olei splendoris : ut sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc ei assistant in cœlis contemplando per speciem ; Regemque in decore suo videant oculi eorum, cujus timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via, fratres, sequimini Patres fidei vestræ, et auctores Ordinis, quatenus eorum provocati exemplis et adjuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, pervenire valeatis, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quomodo fidelium animos alant apostoli.

1. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* IV, 5, 6). Videte, fratres, ne degeneretis. Ut taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt ubera quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cujus ubera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo ubera Ecclesiæ Petrum et Paulum esse, non solum interpretatur nobis dies **1024** ista, in qua potamur ab uberibus consolationis eorum satis jucunde et abunde ; sed etiam evidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis uberibus nutriti sunt filii Ecclesiæ, sive ex præputio, sive ex circumcisione ? Istos utique ego reor esse, de quibus olim parvulæ et pauperculæ consolatio divina promittebat Ecclesiæ : *Reges nutritii tui erunt* (*Isai.* XLIX, 23), et *mammilla regum lactaberis* (*Isa.* LX, 16). Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, nunquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmen excrevisset. Ad ubera parvulos Petrus invitabat, quibus dicebat : *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite* (*I Petr.* II, 2). Ubera Paulus præbuerat quibus dicebat : *Lac vobis potum dedi* (*I Cor.* III, 2) ; et illud : *Factus sum in medio vestri sicut nutrix sedens et nutriens filios suos* (*I Thess.* II, 7). Quam plenus autem lacte redundaverit spirituali, pulchre significatum est unda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis, quibus dabat mammillam, dedit et animam. Plane nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum ; qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quod aliis utile erat. Nec tam habebat ubera, quam ipse totus uber erat ; qui ita misericordia uberi affluebat, ut non modo spiritum suum desideraret totum filiis immulgere, sed et corpus impendere.

2. Antequam hæc duo ubera, Petrum et Paulum, accepisset primitiva Ecclesia sanctorum in terris, conquerebatur et dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cœlis : *Soror nostra parva est, et ubera non habet* (*Cantic.* VIII, 8). Cum enim Christus rediens in cœlum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset Spiritum suum, quo erant fetanda viscera, et implenda ubera sanctorum : erat,

Digitized by Google

ut optnor, illa Ecclesia in cœlis sollicita pro filiolis sponsi, sive jam natis, sive nascituris, cui videlicet committerentur alendi; eo quod Ecclesiam istam viderent parvam numero, virtute et auctoritate, et sine uberibus doctrinæ. Nam et ipse Sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, et quandiu fuerat cum eis, lactaverat eos uberibus ædificationis et consolationis. Et ipse siquidem Sponsus habet ubera meliora vino (*Cant.* I, 1), id est, doctrina legali, vel gaudio sæculari. Habet, inquam, Sponsus ubera, ne ullum de omnibus officiis et nominibus pietatis eum prætereat: ut qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam mater affectu clementiæ, sit et nutrix sedulitate officii et curæ. Erant igitur parvuli, quos alebat initium aliquod creaturæ ejus, sed nonnisi initium: multumque supererat curæ et laboris, donec adducerentur ad perfectum, et formaretur Christus in eis. Cum autem et ipse reliquisset eos; superni spiritus, etsi læti de reditu Unigeniti, de nova tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri: Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi juvenes, nec ad incrementum perduxisti virgines: quis illos nutriet? *Soror nostra parva est, et ubera non habet.* Dixisti Petro: *Pasce agnos meos* (*Joan.* XXI, 15, 16): sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in uberibus habet. Cito pietas ejus aresceret, qui plus adhuc cuti suæ quam animabus parvulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui Pastorem tam suum quam illorum negavit in interrogatione. Ecce autem repente Spiritu misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi uberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multo post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice; ut plane intelligeres totum ejus sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sævitiam in pietatem.

3. His igitur uberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fecundam, sed et civitatem munitam. *Ego*, inquit, *murus, et ubera mea turris* (*Cantic.* VIII, 10). Mille clypei pendent jam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem uberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli* (*Cant.* IV, 5). Capream hoc loco accipimus Ecclesiam; acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transilienda spinosa hujus sæculi, potentem ad exsuperanda venena serpentis antiqui. Cujus duo gemelli non inconvenienter, **1025** ut arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli; germani fide, consimiles devotione, pares merito et virtute, unanimes charitate, conjuncti in ipsa etiam passione et morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Quia vero desideria summorum pascuntur in profectibus minorum, donec scilicet aspirante gratia tollant se ad contemplandum sublimia, bene de his hinnulis subditur: *Qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* II, 16, 17). Animalia cum declinant æstum diei, captant umbrosa pascua convallium, ubi et liliorum solet esse proventus uberior, donec spirante tepescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic et hinnuli nostri quandiu non aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis convallium; id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cum autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur et saliunt ad uberiora et feliciora pascua montium æternorum. *Per me*, inquit Pastor et ostium, *si quis introierit salvabitur, et ingredietur* Ecclesiam, *et egredietur* sæpius contemplando, semel migrando ad cœlestem patriam; *et pascua inveniet*, et hic, et ibi. Hic, inter lilia agri; ibi, inter ligna paradisi: hic, in floribus; ibi, in fructibus: hic, in virtutibus sanctorum; ibi, in gaudiis Angelorum.

4. Prorsus in loco pascuæ ibi me Dominus collocavit, cum ecclesiæ sanctorum associavit, cujus *venter sicut acervus tritici vallatus liliis* (*Cant.* VII, 2), ut pascat simul et tritici gustu, et liliorum aspectu. Quid enim acervus tritici, nisi copia divini sermonis in tot libris undique congestis? Quid lilia, nisi justi qui germinant sicut lilium, et florent immarcessibiliter ante Dominum; quorum tantus candor in sanctimonia corporis et cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere et sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate et gratia florentia, ubi omnium virtutum ex eis, licet diversarum ex diversis, capere possit exempla. Iste fundatior humilitate, ille amplior charitate. Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam, Iste frugalitate parcior, ille labore utilior: iste devotior in oratione, ille in lectione studiosior: iste in administratione prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquam insignius florentem in unoquoque gratiam mireris, non una tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim justi, tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quid, nisi pascitur in liliis?

5. Pascebat Paulus: sed nihilominus in illis quos pascebatur. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum, imo et alienum pascebat manibus propriis (*Act.* XX, 34; *I Cor.* IV, 12; *I Thess.* II, 9, *et II Thess.* III, 8): mentem vero non tam suis pascebat bonis quam alienis, qui non quærebat quod sibi utile, sed quod aliis. *Nunc vivimus*, inquit, *si vos statis in Domino* (*I Thess.* III, 8). *Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona? Nonne vos ante Deum?* (*I Thess.* II, 19; *Philipp.* IV, 1.) Ideo sæpius ei spirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus sancti, cujus vi rapiebatur ad interna pascua, aliquando paradisi, aliquando tertii cœli, *sive in corpore, sive extra corpus*,

Digitized by Google

nescio, inquit, *Deus scit* (*II Cor.* XII, 3). Dignum quippe erat, ut qui fideliter pascebat, fideliter pasceretur : et qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini sui juberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei, non solum istius visibilis, pro qua sudabat, sed etiam illius invisibilis, ad quam spirabat, unde et dies ei aspirabat.

6. Nec minora de beato Petro sentienda puto, cum maxima sit gloria Pauli, illius cœsequari meritis, quem judicium Veritatis potestate et primatu prætulit universis. Cum enim Pater qui est in cœlis veritatem Unigeniti Petro revelabat (*Matth.* XVI, 2-6), quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, et dies diei verbum eructabat? Cui autem magis pervium fuisse cœlum credendum est, quam ipsi Janitori, cujus lingua clavis cœli facta est? Qui potestatem habebat claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus, quomodo ipse non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquando **1026** Petrus, et cœlum ei apertum est, cum adhuc in terra consisteret; tantaque ei inde ciborum copia missa est, ut adhuc multa supersint, licet plurima mactaverit, et manducaverit, immunda et virulenta animalia in sancta et florulenta convertens lilia (*Act.* X, 10-16) : ut videlicet deliciose pasceretur in liliis, donec aspirante die, gloriose in ipsis pasceretur cœlis. Sed ecce dum commendamus vobis duo hæc ubera sponsæ, hora jam præteriit, qua de ipsis uberibus lac vobis cupiebamus immulgere : quanquam et aliis diebus hoc ipsum facere possimus et soleamus. De uberibus siquidem Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis, ut sicut ubera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis; ut in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen

SERMO III.

De eo quod scriptum est : « Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » (*Cant.* II, 17).

1. Erratis, fratres, in me; sed amore magis, ut arbitror, aut humilitate, quam temeritate. Putatis me Scripturarum scientiam habere, qui vix unquam attigi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, ut mihi videtur, quod capitulum Scripturæ, de quo heri sum locutus, non sum ad finem usque persecutus : quasi illa mihi sit facultas, ut valeam Scripturas explanare, aut etiam explanationes aliorum digne et congrue ad memoriam revocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse, ut Scripturam, unde sermonem ordior, exponam; sed ut de ipsa, et secundum ipsam sermonem debitum suo diei persolvam. Huc accedit quod magister noster (10) ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis, *donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*, umbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ : quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis, et recte dicitis, quia vetera novis supervenientibus projicietis; quantoque magis incondita seu rancida fuerint vetera nostra, tanto nova illius sapidiora erunt et gratiora. Nam et ipse Jesus servat vinum bonum usque ad extremum, sciens utique quomodo nostro sit fastidio medendum.

2. Quia igitur cogitis me (nam impatientes dilationis vos video), nec spes incerta futuri præsenti satisfacit desiderio; ecce vobis morem gero, finemque versiculi, de quo heri loquebamur, suo, prout potero, reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit aspirante die spirituali umbras inclinari; cum magis consequens videretur, ut non crescere, sed minui tunc et deficere, dicerentur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est umbris crescere, quod inclinari : cum umbrarum ea natura sit, ut quanto inclinantur, tanto procumbant longiores; quantoque surgunt, tanto stent minores. Unde et poeta vesperum significans ait :

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

(VIRG. *Buc. eclog.* 1.)

Sed sciendum, quia cum hæc proprietas umbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de quibus non dubitamus hic loqui Spiritum sanctum. Nam sicut corporalibus umbris inclinari est crescere, sic spiritualibus hoc est inclinari, quod deponi, minui, vel deficere. Umbræ autem spirituales sunt umbrosi spiritus et tetri, seu dæmonum, seu hominum : umbræ sunt tenebræ errorum : umbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et umbræ quidem significationum jam inclinatæ sunt ad occasum et finem : umbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem : umbræ vero tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum et mortem. Primum quidem factum est, cum dies æternus aspiravit, apparens in carne : secundum quotidie fit, cum magis ac magis aspirat illustrans veritate : tertium novissime fiet, cum aspirabit rutilans in majestate.

3. Videre autem mihi videor et alias umbras intra nos, **1027** quæ velut in quodam speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, et obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ refrigidant et obscurant nos : obumbrant nobis quæ refrigerant et illuminant nos. Istæ quidem noxiæ et graves, illæ delectabiles et salubres. istæ namque de inferioribus sunt et mundanis; illæ, de superioribus et divinis. Anima nempe humana in quodam medio condita et posita est, ut sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam, a quo et ad quem et propter quem facta est : sub ipsa, quod propter ipsam factum est. Nam sicut propter animam corpus, sic propter corpus domus ejus, id est, mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam umbræ de inferioribus : cum eri-

(10) S. Bernardum intelligit.

Digitized by Google

gitur ad divina, inclinantur super eam umbræ de superioribus. Illius enim rei quam cogitat, umbram sibi format. Quanquam de divinis satis dubia umbra est, quantumcunque cogitationis evacuatur acies : aut certe non umbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cum aspirat dies ille. Nam tunc quoque non videtur, ut arbitror, nisi umbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est, tamen umbra est ; sicut cum in facie speculi tersa et lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei ejus, sicut nunquam erit hujus corporis : ita nec modo est hujus temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissolvet mortalitas, aut absolvet immortalitas, et tempus absorbebit æternitas, et spiritum qui nunc gravatur corpore et mutatur tempore, sublevabit ad se, et firmabit in se immortalis et immutabilis divinitas.

4. Initium hujus gratiæ, et perfectionem illius gloriæ Paulus satis proprie distinguebat, cum dicebat : *Videmus nunc per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Ut autem et hoc ipsum sit, scilicet ut videamus per speculum et in ænigmate, opus est non solum ut facies speculi nostri ab omni phantasmate et umbra corporalium tersa sit : sed etiam ut ille sublimis, habitans lucem inaccessibilem, dignetur ad nos inclinari, et vel per umbram suæ imaginis manifestari. Quantumcunque enim contendamus a visibilibus ad invisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa majestas. Moyses ascendit in montem, et Dominus inclinavit cœlos et descendit (*Exod.* XIX, 20). Et alius : *Exsurge*, inquit, *in occursum meum, et vide* (*Psal.* LVIII, 6). Ideo nec umbra videtur, nisi inclinetur; nec inclinari dicitur, nisi aspirante die : quia neque per speculum et in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se majestate, et aspirante favore gratiæ. Sane hoc ipsum quod umbra vocatur comparatione manifestæ veritatis, ineffabilis plerumque gloriæ est et splendoris, in illis scilicet quorum est perlucidum speculum mentis. Cujus felicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus loquebatur : *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes, in eamdem imagine transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III, 18). Sic enim in promissione dictum est : *Implebit splendoribus animam tuam* (*Isai.* LVIII, 11). Ut autem claritates istas umbras esse noveris, audi David : *Dies mei*, inquit, *sicut umbra declinaverunt*. Transibat quidem et ipse David de claritate in claritatem, tanquam de die in diem. Sed heu ! tam breves et obscuros dies, tam longas et laboriosas noctes habet hiems ista, ut et Propheta laborans in gemitu suo, lavansque per singulas noctes lectum lacrymis, merito plangat : *Dies mei sicut umbra declinaverunt !* (*Psal.* CI, 12.) Prorsus *melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11) dierum meorum; *quia dies* mei sicut umbra quamvis lucida : dies *illa una*, lux vera et mera, sicut sine umbra, sic *sine vespera*; cum dies meos faciat plurimos et brevissimos assidua longarum noctium interpolatio.

5. Cæterum, si quæratur cur umbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa, cujus umbræ sunt, una sit : ideo nimirum, quia nunc minus, nunc amplius nobis Altissimi virtus obumbrat ; nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat: et sicut non æqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc et Apostolus innuit, qui transire se confitetur a claritate in claritatem (*II Cor.* III, 18), a minore scilicet in majorem: et propheta, qui non splendore sed splendoribus implendam promisit fidelem animam (*Isai.* LVIII, 11). Sic Jacobus Deum memorat **1028** patrem luminum (*Jacobi* I, 17), cum lumen, cujus pater est, et unum sit et unicum. Quanquam sic possit intelligi pater luminum, quomodo pater misericordiarum.

6. Jam vero vos, fratres, qui laboratis portantes pondus diei et æstus, vel secundum Isaiam, in spiritu vestro duro meditamini per diem æstus (*Isa.* XXVII, 8), ad umbras istas placet invitare quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad umbrarum refrigeria clementer vos invitantem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Servus enim sub sole laborans, ut ait Job, desiderat umbram (*Job* VII, 2), in qua scilicet a labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam, qua silentium fit in cœlo : quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloriatur et dicit, *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi*. In qua nimirum umbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congrue subdit : *Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cantic.* II, 3). Sic enim dictum est per prophetam : *Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, et germinabunt sicut vitis* (*Osee* XIV, 8). Servus seu mercenarius, quem sæpius hæc umbra recreaverit, longanimiter præstolabitur finem operis sui. Sic enim habes : *Servus desiderat umbram, et mercenarius præstolatur finem operis sui* (*Job* VII, 2). In umbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cum evacuatis omnibus umbris, videbimus eum sicuti est : cui modo dicimus, *In umbra tua vivemus inter gentes* (*Thren.* IV, 20) ; inter angelos nempe, non in umbra, sed in luce manifesta.

7. Hoc autem notandum, quod cum umbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, umbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim divinis propinquamus, mundana superamus : et quatenus vel ad umbram lucis accedimus, eatenus mortis umbram evadimus. Lux enim et vita in cœlo, mors in inferno : umbra autem mortis in hoc tereno et tenebroso loco. Cum igitur spiritus altius nos elevat inter terram et cœlum, non tangimur umbra terrenorum : et licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen umbris illuminamur montium æternorum, vel certe montis illius umbrosi et condensi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen

Digitized by Google

pondere nostro in regionem umbræ mortis revolvimur, ubi et diutissime sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. Cogimur, inquam, et utinam cogamur, et non delectemur! utinam quod patimur, necessitatis tantum sit, non etiam voluntatis aut voluptatis! Sed heu! tam facile, tam libenter projicimus nos, et obdormiscimus sub gravi umbra juniperi spinosæ et infructuosæ arboris, tam negligentes et securi torpescimus et immorimur curis et desideriis hujus mundi! Propterea Leviathan, qui sub umbra dormit, cubile sibi, nisi præcaveamus, ponit in nobis; quia videlicet amicas sibi umbras hujus sæculi invenit in sensibus et affectibus nostris. Istæ siquidem umbræ, teste Job, protegunt umbram ejus (*Job* XL, 20, 17); quia nimirum curæ et desideria sæcularia, quæ sunt in nobis, umbram nobis absconduut imminentis damnationis, ut eam non prævideamus, donec in ipsam impingamus. Aspira, o dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos umbras salutis et refrigerii, et inclinentur subtus nos umbræ torporis et tædii, imo cæcitatis et mortis. Et licet contingant nos umbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, umbræ crassiores de amore eorum; sed semper respiremus in luminosum amorem tuum, o Pater luminum, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.

SERMO I.

Quod Maria duplici titulo sit mater, quodque recte dicatur thronus Dei.

1. *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum* (11). Multi vocati, pauci vero electi. Beati quos elegisti, Domine; habitabunt in atriis tuis (*Psal.* LXIV, 5): imo tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa et præelecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens, *Hic requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 14). Habitavit in ea novem mensibus, habitavit **1029** cum ea et sub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatum: habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, et divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea et cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum; foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens. O Maria, *non vocaberis*, ait Dominus, *ultra derelicta, et terra tua non vocabitur ultra desolata*, ut quia virgo, ideo sis infecunda: sed *vocaberis Voluntas mea*, id est, dilectus Filius meus in ea, *quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur*. Habitabit enim juvenis in virgine, et habitabit in te Filius tuus; imo, si magis placet, ut non recedamus a verbis Scripturæ, *habitabunt in te filii tui* (*Isa.* LXII, 4, 5).

2 Quid, hæretice, caput erigis? quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Unum quidem genuit: qui sicut unicus est Patri in cœlis, ita unicus est Matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemas, alios postea filios genuit; sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ unitatis in prole. Ipsa tamen unica virgo Mater, quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eumdem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa, non tam mater quam noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis. Dicta est quidem mater cunctorum viventium: sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium; cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare (*Gen.* III). Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium: quæ et ipsa, sicut Ecclesia, cujus forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ qua vivunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes generabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis; sic in Christo ante initium, propter semen spiritualis regenerationis.

3. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii; cura quoque se matrem eis præstat et affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cujus viscera semel quidem feta, sed nunquam effeta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gravidam te, o pia Mater, inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens et affluens, et in horto concluso castitatis fontem signatum charitatis semper abundare faciens; qui licet signatus sit, foras tamen derivatur, et in plateis aquæ ejus nobis dividuntur. Licet namque fons charitatis, proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alie-

(11) In Offic. de Virginibus.

Digitized by Google

sis, beneficium tamen ejus impertire gaudet etiam inimicis. Denique si servus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus (*Galat.* IV, 19); quanto magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longe divinius atque sanctius, Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.

4. Vide autem si non et filii Matrem videntur agnoscere, dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primo vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus et periculis, tanquam parvuli ad sinum matris. Unde nimirum de his filiis puto non absurde intelligi, quod per prophetam promissum est ei, *Habitabunt in te filii tui* (*Isai.* LXII, 5); salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus: et postmodum in consortio **1030** gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una lætantium et aggratulantium Matri: *Sicut lætantium omnium* nostrum *habitatio est in te* (*Psal.* LXXXVI, 7), sancta Dei Genitrix. Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis et gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ, cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.

5. *Veni*, inquit, *electa mea, et ponam in te thronum meum*. Non poterat signantius aut elegantius describi prærogativa gloriæ ejus, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes* (*Matth.* XIX, 28). Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cœlo spectans et incitans decertantes: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi in throno Patris mei* (*Apoc.* III, 21). Matri vero, cujus longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni*, inquit, *electa mea, et ponam in te thronum meum*. Parum est, inquit, ut judicanti consedeas, nisi et ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, et specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio; continebis immensum in animo. Fuisti diversorium peregrinantis; eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo; eris solium triumphantis in cœlo. Fuisti thalamus Sponsi incarnati; eris thronus Regis coronati.

6. O Fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo dispicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te regem Christum non solum hospitem susceptura; sed et sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtutum et gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 14, 15): et alius, *O quam pulchra est casta generatio cum charitate!* (*Sap.* IV, 1.) Domum tuam decet, Domine, hujusmodi sanctitudo et decor. Is decor te invitavit ut intrares: illexit, ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ; nunc autem, thronum gloriæ.

7. Dicuntur quidem et sunt alii throni, quidam scilicet spiritus divini, præ aliis, ut putamus, subjectis ordinibus, Dei præsidentis majestate pleni: quorum quæ sit prærogativa, Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed et anima cujuslibet justi dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit et gloriæ. Sit igitur illud cœli palatium plenum sedibus et thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se et aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine injuria vel invidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum et elevatum super gloriam omnium; Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, et repræsentet unico Filio suo Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De mutuo amore Jesu et Mariæ.

1. *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo* (*Cantic.* V, 8). Verba ista quæ a nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, **1031** volumus, si placet, cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo sæcularium, sed etiam ecclesiasticarum auctores litterarum nonnunquam usi sunt, maxime in tractandis Canticis, unde hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salva veritate, quadam ampliori utitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, ut beatus Hieronymus ait, non tam loquitur quæ revera facta vel dicta sint, quam ejusmodi fuisse negotium ostendit, ut ea quæ dicun-

Digitized by Google

tur, etsi facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurde credi possint. Maria igitur migratura corpore decumbebat, ut est humana infirmitas. Porro filiæ Jerusalem quæ sursum est, id est angelicæ Virtutes, scientes nimirum quia obsequiis Matris captanda est gratia Filii, visitabant satis officiose Dominam suam, Matrem Domini sui. Et fortasse aliquid hujusmodi primo post salutationis officia locuti sunt ei Angeli; sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel usui :

2. Quid est, obsecro, mi Domina, quod sic segra videris et languida? quid est quod præter solitum tristis et pigra, ab heri et nudiustertius, sicut solebas, non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum crucis impleres lacrymis; aut ad sepulcrum Filii adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. — Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Josaphat commorata (ubi et sepulchrum ejus monstratur, ut ait beatus Hieronymus, in ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu), ne scilicet a sanctis locis longius recederet, sed sæpius ea invisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestorum, velut corporaliter in ipsis effigiatam locis, dulcius amplecteretur, ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.

3. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, et ex toto decumberet : Langueo, inquit. Quare langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitavit? De corpore illius Filii tui virtus exibat et sanabat omnes, adeo ut etiam fimbria vestimenti hæmorrhoissam sanaret (*Matth.* IX, 20-22; *Marc* V, 25-34, *et Luc.* VIII, 43-48) : et tu quæ tamdiu ipsum in utero, in sinu, in gremio continuisti, ulli infirmitati, aut languiori vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini, si illud ipsum corpus Filii mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego novi quæ ipsum in utero alui, uberibus lactavi, sinu fovi : nec solius infantiæ, sed et sequentium defectus ætatum vidi, et eis, ut potui, min stravi : ad extremum non sine passione mea, ludibria et supplicia passionis et crucis aspexi, per singula discens quam vere de eo noster Isaias dixerit, *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isai.* LIII, 4; *Matth.* VIII, 17). Cur ergo doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba, ut quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sane aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento : sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique, ut minus miremini languorem meum, amore langueo. Langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris : plus vulnerata charitate, quam gravata infirmitate.

4. Heu! inquiunt illi, quam frequentes, imo continuæ causæ languoris! Bone Jesu, quomodo hæc Mater tua postquam te genuit, nunquam fere nisi in languore fuit? Primo languit timore; postea, dolore; nunc, amore. Timore, a nativitate usque ad passionem, cum semper vitam Filii insidiis appeti videret : dolore, toto tempore passionis, donec redivivum reciperet : nunc amore et desiderio felicius, sed mirabilius cruciatur, quia sedentem in cœlo non tenet. Quomodo, Jesu bone, qui summi fructus es gaudii, tam longi factus es illi causa martyrii, ut charissimam tibi ipsius animam, tot et tam acuti sine cessatione pertranseant gladii? Sed obsecramus te, Domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem ut resideat hic iste Gabriel symmystes tuus, ut assideat et ministret tibi, qui ab initio conscius et minister mysterii tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit Virgo. Sufficit mihi meus novus in carne angelus, discipulum dico quem diligebat Jesus, cujus me dilectionis hæredem reliquit, cum illum mihi, et me illi in cruce commendavit : cujus obsequio nihil mihi gratius, quia conversatione et affectu nihil castius, moribus nihil suavius, nihil sincerius fide, nihil sanctius sermone. Nos ergo, aiunt illi, in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo*. Ipse novit quomodo meo medendum sit languori.

1032

5. At nosti, inquiunt, quia cum sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæsierit, quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi; Gabriel iste meus paranymphus; non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur : tantum ne judicer temeraria, quod majora me quærere videar. *Osculetur me osculo oris sui.* Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea nonme reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus et conditor? Cum parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat : nunquam faciem avertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderii eram nimia; ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labiis ejus, et dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia et desiderium, castarum scilicet animarum. Unde sicut ipse de se

Digitized by Google

fitetur, *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29, et *Joan.* VI, 35): quanto gratiam oris illius gustavi suavius, tanto nimirum repeto nunc ardentius. Crevit quidem gloria et majestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine et bonitate. Nihil ad illam illud superbiæ sæcularis elogium: « Honores mutant mores. » Sublimior est, sed non superbior; gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrem quam elegit, nec æternam electionem suam novo judicio reprobabit.

6. Ne timeas, Maria, ait Gabriel more suo: invenisti enim gratiam apud Deum. Etiam in cæteris qui longe jacent tuis sub vestigiis, probare consuevit improbitatem hujus affectus et precis; qui nihil nimium, aut injuriosum sibi deputat, quod in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conversus ad sociam multitudinem: Eamus, inquit, eamus; ne ipsi Filio facere videamur injuriam, si gloriam Matris differamus. Cum ergo reversi nuntiassent hæc Domino suo, quid putamus Jesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem et matrem filiis honorandos commendavi; ego ut facerem quod docui, et exemplo essem aliis, ut Patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus, ut Matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi et præparavi ei locum, thronum gloriæ; ut a dextris Regis Regina coronata consedeat in vestitu deaurato, circumdata varietate. Neque hoc dico, quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. Veni igitur, electa mea, et ponam in te thronum meum. In te mihi quamdam regni sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea. Communicasti mihi præter alia, quod homo sum: communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum oris, quinimo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo et indissolubili: quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantius quam tu meam; nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. Gloria tibi, Domine Jesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi, Domine Jesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam; te præstante cui est honor, et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1033 SERMO III.

De quiete spirituali.

1. *In omnibus requiem quæsivi* (*Eccli.* XXIV, 11). Grata quies fessis. Grate igitur et opportune vobis, qui fessi estis, dies iste quietis et feriationis intervenit, ut dum sanctæ Dei Genitricis requiem celebramus, non solum corpora recreentur hac diurna quiete a labore messis, sed etiam corda respirent in recordationem et amorem illius æternæ quietis. Et tibi tamen, o fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem hujus messis seminatis. Fructus hujus laboris, illa requies erit: requies a labore, merces pro labore, cujus etiam recordatio fideles vires reparat in labore. Umbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim ait illa, quæ memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructabat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cantic.* II, 5). O qui laboratis, o qui portatis pondus diei et æstus! sub umbra alarum Jesu invenietis requiem animabus vestris, *firmamentum*, ut scriptum est, *virtutis*, *tegimen ardoris*, *umbraculum meridiani* (*Eccli.* XXXIV, 19); ut ex sententia cordis sit illa confessio oris: *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX, 8), in die æstus et laboris, certaminis et tentationis. Cum enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solum ab æstu tentationum refrigerat, sed etiam ad laborem animos innovat, juxta illud quod scriptum est de asino forti Issachar, *Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum* (*Gen.* XLIX, 15): id est, desiderio illius quietis et hæreditatis sponte humiliavit se ad laborandum. Et iste ergo dicere potuit: *In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.*

2. Felix qui in omnibus laboribus et viis suis requiem quærit beatam: semper festinans ingredi, ut Apostolus monet, *in illam requiem* (*Hebr.* IV, 3), ejus desiderio corpus affligens, animum autem jam illi requiei parans et componens: cum omnibus hominibus, quod ex ipso est, pacem habens; requiem et otium Mariæ voluntate præeligens, laborem autem et negotium Marthæ necessitate quidem suscipiens; sed quanta prævalet pace et quiete spiritus adimplens, et semper ad illud unum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligens. Homo hujusmodi etiam cum laborat, quiescit: sicut e diverso impius etiam cum quiescit, laborat. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit rotam malorum: quibus juravit in ira sua, *Si introibunt in requiem meam?* (*Psal.* XCIV, 12.) Extra illam non est nisi afflictio et miseria; et in circuitu ejus tempestas valida: sicut et in natura rerum fit, ut quidquid extra simplicitatem et unitatem puncti fuerit, in motu et agitatione sit; tantoque concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principii sui, id est, a medietate centri recesserit longius. Sane in circuitu impii ambulant (*Psal.* XI, 9), quibus Deus immittit rotam malorum: ideoque in illam internam et æternam requiem intrare non possunt. Ideo contritio et infelicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognoverunt (*Psal.* XIII, 3): quia nec quæsierunt, ut dicere possint: In omnibus requiem quæsivi; ut videlicet in multiplicitate actuum suorum, quibus turbantur, et turbant, unum quod est necessarium, cogitent aut requirant. Justorum potius est vox illa, qui et dicere possunt, *Unam petii a Domino, hanc requiram. Vultum tuum, Domine, quæsivi, vultum tuum requiram* (*Psal.* XXVI, 4, 8): qui nonnisi quietis illius amore laborant, qui omnino præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, ut re-

Digitized by Google

quiescant in die tribulationis, quam in bonis ducere dies suos, et in puncto ad infernum descendere.

3. Si quis tamen curiosius inquirere velit, cujus potissimum vox illa sit, *In omnibus requiem quæsivi:* vox est utique Sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cujuslibet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsivit, sed in solis humilibus invenit. Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsivit, sed in solis credentibus invenit. Maria, sicut et quælibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsivit; sed hodie **1034** demum invenit, cum post persecutionem Herodis, et fugam Ægypti, post tot insidias et atrocitates Judaicæ impietatis, post tot passiones suas, de passione et morte Filii; postquam tot et tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladii, tandem hodie dicere datum est ei: *Convertere, anima, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* (*Psal.* CXIV, 7). Qui creavit me, creatus ex me, requievit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cœli sui. Qui enim gratiam ultro cumulat allis, par pari quomodo non referet matri? Perge, Maria, perge secura in bonis Filii tui; fiducialiter age tanquam regina, mater Regis et sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi debetur, regnum et potestas. Indivisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne una, et uno spiritu indivisum fuit pietatis et unitatis mysterium: dum scilicet salvo honore naturæ, geminato munere gratiæ, juncta est mater in matrimonium. Requiesce igitur, o felix, inter brachia Sponsi. Replicabit tibi ni fallor, inter amplexus et oscula, quam suaviter requieverit in tabernaculo corporis tui, quam suavis in cubiculo cordis tui. Non est injustus Deus, o fratres, ut obliviscatur operis boni: vivit semper apud eum memoria beneficii semel accepti. Beatus, apud quem Deus vel semel requiem invenerit, in cujus tabernaculo vel hora una requieverit.

4. Ecce nunc quoque Sapientia clamitat in plateis: *in omnibus requiem quæsivi*. Pulsavi, nec fuit qui aperiret: vocavi, nec fuit qui responderet. Filius hominis, factus, secundum prophetam, *velut vir vagus, et quasi viator declinans ad manendum* (*Jerem.* XIV, 9, 8), non habet ubi reclinet caput suum: foris stat plenus caput rore, et cincinnos guttis noctium. Quis ille in nobis tam humanus atque hospitalis, ut surgat et aperiat ei, et inducat in cubiculum suum; aut certe ostendat ei cœnaculum grande stratum, ubi cum discipulis pascha manducet novum? Hoc enim dico, fratres, nisi requiem quam quærit, invenerit apud nos, nec nos optatam requiem inveniemus in illo. Ait quidem Dominus per prophetam: *Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium* (*Isa.* XXVIII, 12). *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala* (*Psal.* XL, 2) parabit ei Dominus vicissitudine debita requiem et refrigerium. Si ergo humanitatem membris suis exhibitam Deus imputat sibi: quanto magis quod ipsius fit spiritui, cum gratiarum actione recolet, *Hospes.* inquiens, *fui et suscepistis me?* (*Math.* XXV, 35.) Nunquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit, Domino qui magis apud pauperes hospitari consuevit, inhumana et inhospitalis erit? *Super quem* autem *requiescam*, inquit, *nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea?* (*Isai.* LXVI, 2.) O humilitas angusta tibi, ampla divinitati; pauper et insufficiens tibi, sufficiens ei quem non capit orbis: copiose ac deliciose reficiens illum, qui et Angelos pascit. *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem?* In omnibus requiem quæsivi: sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis: ideo in plenitudine humilitatis requievit etiam corporaliter omnis plenitudo divinitatis. Quanquam aliter requieverit in Filio: quia etsi Mater humillima, longe tamen Filius humilior. Idcirco Spiritus septiformis non solum super ipsum requievit, sed etiam omnibus qui mites et humiles ab eo esse didicerunt, diversas in eo felicissimæ quietis mansiones præparavit; imo totum ipsum quoddam aureum fecit reclinatorium ad quiescendum. Hujus nimirum reclinatorii beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus ejus meruit in cœna recumbere.

5. Sed adhuc libet intueri, quam plenum rationis et congruentiæ sit quod ait: *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum?* Quomodo namque super inquietum aliquid quiesceret? quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? Quis autem, nisi humilis, quietus esse potest? quis, nisi humilis in pace quieti et modesti spiritus, seipsum possidere potest? Impium projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4), circumferturque omni vento doctrinæ. *Impius*, inquit propheta, *quasi mare fervens, quod quiescere non potest* (*Isai.* LVII, 20). Fervet ira, **1035** æstuat avaritia, intumescit superbia, se ipsum jugiter pugna quatit intestina, ac seditione collidit domestica. Ut ergo requiescat in vobis, o fratres mei, amator ille largitorque quietis, *date operam*, juxta consilium Apostoli, *ut quieti sitis.* Quonam modo istud erit? Dico, inquit, vobis: *Ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris* (*I Thess.* IV, 11). Opus est onus, quo veluti pondus navibus, ita quies et gravitas inquietis additur cordibus, sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Magnorum initium malorum est, sicut legistis, *mulier vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis; nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians* (*Prov.* VII, 10-12). Nec sine causa est quod Magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum, ut non solum correptione, sed etiam separatione censeat illud persequendum. *Rogamus*, inquit, *vos, fratres, corripite inquietos* (*I Thess.* V, 14).

Digitized by Google

Et item in secunda ad eosdem Thessalonicenses, inter alia quæ super inquietos velut e cœlis tonabat : *Audivimus*, inquit, *inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His qui ejusmodi sunt denuntiamus, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate : et ne commisceamini cum illo, ut confundatur* (*II Thess.* III, 11, 12, 14).

6. Si quis forte (quod absit !) ejusmodi invenitur inter vos, pulchrius et honestius, antequam tam graviter et publice notetur, ultro confundetur, inde scilicet, quia notabilis est, et dissimulatur ; reprehensibilis, et toleratur. Sic autem confundatur, ut confusione corrigatur, correptione lætetur, lætificetque non modo nos, sed Spiritum Dei : qui cum dicat, *In omnibus requiem quæsivi*, non invenit eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis. Unde et inquietos per prophetam revocat et compescit : *Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis* (*Isai.* XXX, 15). Omnes ergo pariter sic operam demus, ut quieti simus, ut in quiete nostra semper in meditatione æternæ quietis occupemur, ac desiderio illius ad omnem parati laborem inveniamur. Hoc nobis impetret beata Dei Genitrix, cujus requiem celebramus, ab eo qui requievit in tabernaculo corporis et cordis ejus. Ipse est requies æterna Christus Jesus ; cui est honor, et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV

Quod beata Virgo Mariæ et Marthæ officia implevit.

1. *Maria optimam partem elegit* (*Luc.* X, 42). Hoc de Maria sorore Marthæ scriptum est : sed in Maria matre Domini plenius et sanctius impletum est. Hodie namque beata virgo Maria optimam partem elegit, imo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit : ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniter fruatur Dei Verbo. Nec alienum aut incongruum, si quod de illa Maria dictum est, in istam transumatur ; cum ad convenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit uteri. *Et qui creavit me*, inquit, *requievit in tabernaculo meo* (*Eccli.* XXIV, 12). Illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius (*Luc.* X, 39) : hæc sedula circa curam humanitatis ejus, conservabat omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo (*Eccli.* II, 19, 51). Sed et cum evangelizans circumiret Jesus civitates et castella, Maria comes individua vestigiis ejus adhærebat, pendebatque ex ore docentis : adeo, ut nec procella persecutionis, nec horrore supplicii a consectatu Filii et Magistri potuerit absterreri, *Stabat*, inquit, *juxta crucem Jesu Maria mater ejus* (*Joan.* XIX, 25). Plane Mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cujus charitas fortis ut mors, imo fortior quam mors erat ? Plane juxta crucem Jesu stabat, cujus mentem dolor crucis simul cruci figebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus. Merito igitur ibi mater agnita est, et cura ipsius idoneo tutori delegata est, ubi maxime probata est et Matris ad Filium sincera charitas, et Filii de Matre **1036** vera humanitas. Nam alias velut dissimulasse Matrem visus est : sive cum in nuptiis flagitanti miraculum ait, *Quid mihi et tibi, mulier?* (*Joan.* II, 4.) sive cum in mediis sermonibus Evangelii dicenti cuidam, *Ecce mater tua et fratres tui stant quærentes te : Quæ est*, inquit, *mater mea ?* (*Matth.* XII, 47, 48.) Sed et Matri, cum miraculum posceret, sic respondendum erat, ut aliunde quam a Matre se miracula habere significaret : et illi qui sermonem Evangelii parentes annuntiando interrumpebat, melius respondere non poterat, ut videlicet spiritualia carnalibus præferenda monstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio Evangelii quærentibus : *Quid est quod me quæritis ? Nescitis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse ?* (*Luc.* II, 49.)

2. Absit enim ut Matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit ! Absit, inquam, ut in terra fastidierit Matrem, cujus e cœlo concupivit decorem ! Imo potius ordinabat in nobis charitatem, tam verbis quam exemplis nobiscum agens, ut carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi Patris adoptavit dignatio, quo fideliter dicamus cum ipsius Unigenito : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII, 49). Prorsus filiis Dei competit vox ista, nec ullum fidelius testimonium reddit ipse Spiritus spiritui nostro quod simus filii Dei, quam ut sonet de cordibus nostris hæc vox Unigeniti Dei. Itaque Mariam, quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Jesus probat : quandoquidem et ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa prædiceret Pater, *Vocaberis voluntas mea in ea* (*Isai.* LXII, 4). Igitur ubi eam visus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse invenitur : cum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eumdem Filium, quem alvo gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.

3. Cæterum cum dilexisset eam Jesus, in finem dilexit eam, ut non solum propter ipsam finem vivendi, verum et in ipsam finem pene faceret loquendi : dum velut inter ultima verba testamenti, curam Matris, cujus debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, et Joannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus divisit, ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Joannes Mariam. Huic plane competebat hæc portio non solum jure propinquitatis, sed etiam amoris privilegio testimonioque pudoris. Decebat namque ut nonnisi virgo virgini deserviret, quate-

Digitized by Google

mus et Virgo beata, divino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis, et virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, ut de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris; mysteria quoque divinitatis, et arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam, ut Matri Domini non alius obsequeretur quam dilectus Filii: quatenus et Mater semper suspirans Filium in dilectum Filii suavius respiraret, et discipulus Magistrum sibi conquærens nimis cito subtractum, Magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commode provisum, ut scripturus Evangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium; quippe quæ ab initio omnia Filii sui diligentius observaverat, conservans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo (*Luc.* II, 19, 51). Sic nempe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi; ut nihilominus Mariæ partes exsecuta credatur in studio verbi cognoscendi. Maxime tamen postquam idem Filius ascendit ubi erat prius, Mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque Spiritu, quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis acceperat, plenius illuminata, gaudebat nimirum vacare, et videre quoniam Jesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudii, summæque delectationis omnibus qui diligunt Jesum; sed præ omnibus illi quæ genuit Jesum: cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi; sic et prærogativa gloriandi in eo quem genuit. Omnino **1037** singularis atque incomparabilis gloria Virginis matris, videre Deum regem omnium in diademate carnis quo coronavit eum; ut et Deum agnoscat et adoret in corpore proprio, et corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, ut opinor, contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea. Quia enim negligens aut segnis non exstitit in opere Marthæ, nequaquam vacua derelicta est a fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea*, inquit, *quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur* (*Isa.* LIII, 11).

4. Vobis hæc dicimus, fratres, ut si quis desiderio tangitur illius optimæ partis quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius quæ in Martha non improbatur: nec æquum est ut præmium ante meritum requiratur. Jacob prius oportet jungi Liæ, quam fruatur amplexibus Rachel (*Gen.* XXIX): sed et ipsum prius vocari et esse Jacob, quam Israel. *Rectorem*, inquit, *te posuerunt? curam illorum habe, et sic considera, et omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam* (*Eccli.* XXXII, 1-3). Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt justitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait propheta: *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ* (*Osee* X, 12). At enim qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictione, de benedictionibus et metet (*II Cor.* IX, 6). Nullus sane tam profusa benedictione seminavit, sicut illa benedicta in mulieribus; quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam, an fructum? Melius utrumque. Qui enim semen est operantibus justitiam, fructus erit metentibus gloriam. Semen, in passione: fructus, in resurrectione. *Potens in terra semen* istud, quod cadens in terram mox excitavit potentiam suam, ut multum fructum afferret, et in semine illo benedicerentur omnes gentes. Unde et ibi sequitur: *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal*, CXI, 2).

5. De benedictionibus suis itaque Maria metat: et quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent*, inquit, *omnes generationes* (*Luc.* I, 48). Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. *Viderunt* hodie ascendentem *filiæ Sion* cœlestis et *beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam* (*Cantic.* VI, 8). Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritualiter in eam omnimoda benedictio illa quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus sanctus, de fructu ventris sui; et saturetur illo quem genuit. O Mater misericordiæ, saturare gloria Filii tui; et dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam, Domina; nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus, in mensa præsentium sacramentorum: per te eumdem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Jesum benedictum fructum ventris tui; cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN NATIVITATE B. MARIÆ

SERMO I.

Comparatio partus Virginis cum vite quæ incorrupta dat odorem suum.

1. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Eccli*, XXIV, 23). Natalem beatissimæ Virginis matris celebramus, de qua Vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua Salus omnium voluit nasci, ut natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie Mater nova, quæ primæ matris maledictionem dissolvit; ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub

Digitized by Google

præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova mater, quæ novitatem attulit filiis inveteratis, vitiumque sanavit tam ingenitæ, quam superadditæ vetustatis. Prorsus nova mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, et virgo sit; ipsumque pariat, qui omnia matremque ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fecundæ virginitatis, sed longe mirabilior novitas editæ prolis. Nulli enim incredibile jam erit Virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnoverit **1038** esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum injuria maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit: nec veritas assumpti corporis potentiæ præjudicavit Creatoris, quominus servaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas invenies nasci sine corruptione gignentium, et quadam voce sua Creatori super inviolabili partu suo perhibere testimonium.

2. Sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscia est mysterii, et nos edoceat quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non novæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, ut ait Petrus apostolus, etiam miraculis firmior testis est propheticus sermo (*II Petr.* I, 19). Quid enim minus potest calumniæ, aut suspicionem admittit falsitatis, quam testimonium divinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat, et tam divinitatem Filii, quam integritatem Matris, opus videlicet suum, contra blasphemias impiorum defendebat, et in persona ipsius, si modo communem intellectum sequimur, quod nunc audistis dicebat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Eccli.* XXIV, 23). Quod enim personæ Sapientiæ, id est ipsius Filii, tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis Scripturarum, nihil huic præjudicat intellectui, quominus, sicut alia multa, possint aptari personæ quoque Virginis matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio servientia: sed non erit fraudanda exspectatio vestra de his quæ lectio proposuit hodierna.

3. Respondeat ergo Maria blasphemis tam pro se, quam pro Filio; cunctasque hæreses solo interimat verbo, et dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Salvatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quam flos inviolati corporis? Quid aliud est filius virginitatis, quam suavitas odoris? Tu tamen cave ne bono inoriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salvi fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt, nimirum tanquam odor vineæ florentis animalibus venenatis. Sane suavitate hujus odoris refocillabatur spiritus patriarchæ senis, qui filium tangens, et fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ suavitatis illius eructabat, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Suavitatem hujus odoris odoratus est Deus Pater, et delectatus repropitiatus est humano generi, cum Filius offerret semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Hoc suavi odore trahimur, cum per conversionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cum per devotionem currunt post ipsum. Quanquam alius sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur, alius odor iste qui de vestimentis vel unguentis, vel de ipso fortassis corpore ejus quodammodo crassior aspergitur. Qui utique non est aliud quam virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, et fervorem amoris innovat, ud ad currendam viam mandatorum exsultare faciat.

4. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria et dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Pulchre *quasi vitis*: nam Lotrus Cypri dilectus suus illi (*Cantic.* I, 13), de quo non solum toreular passionis rubens mustum expressit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat; sed et quotidie devotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, et inebriat voluptate gaudii et amoris. Verum non prius inebriat gustus saporis, quam trahat suavitas odoris; nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus, nec gustabimus quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9). Fides siquidem est quæ odoratur, experientia quæ gustat et fruitur. Ideo fortassis Maria **1039** Jesum suum describens per virtutes ipsius et efficientias, primo suavitatem odoris eum nominat; quia videlicet hoc initio Jesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis sit autem fructus unde iste odor prodit, et quo nos trahat, aperit cum subdit: *Et flores mei fructus honoris et honestatis* (*Eccli.* XXIV, 23). Prorsus iste est Jesus suavitas odoris invitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suavitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas, per quam deducimur: honor, ad quem perducimur. Pulchre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis et gloriæ statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ et morum sedem ei præpararet. Nullus tunc, sicut nunc, passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec ullus honestus sine honore. Est ergo Jesus primo suavitas odoris his quos vocat: deinde, honestas his quos justificat: demum, honor illis quos magnificat. Nam quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* VIII, 30).

5. Talis est igitur Dilectus meus, ait Maria: et iste est filius meus, o filiæ Jerusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificaverunt *flores mei*.

Digitized by Google

Non ait, Flos; sed, *flores* : quia cum virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus et foris, tota vernabat quadam florulentia et venustate pudoris. Nam et in te quoque si castimonia perfecta sit, non solum reflorebit caro tua, sed et super te totum efflorebit sanctificatio quædam divina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitia floridus : non sermo lascivus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi nova vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus : non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imo religiosus; totusque hominis tui status sanctimoniæ gratia florulentus, ut recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum invitaveris, *Lectulus noster floridus* (*Cantic.* I, 15). Quinimo ipse totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cantic.* II, 5). Hujusmodi justus, etiam cum senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ vivæ in resurrectione, id est in refloritione justorum, germinabit sicut lilium : et florebit in æternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium, Sponsum et coronam virginum; florem, inquam, quo coronanda est non solum integritas virginum, sed et castitas continentium : ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De pulchritudine sanctæ dilectionis.

1. *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei* (*Eccli.* XXIV, 24). Meminisse potestis cum præterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconvenienter, ut arbitror, beatæ Dei Genitrici nos illud assignasse, salvo tamen intellectu illo, quo tota lectio Filio ejusdem proprie competit, id est, Dei sapientiæ. Multo autem manifestius in eo quod modo de eadem lectione proposuimus, ejusdem Virginis se demonstrat vox et persona, si tamen advertamus, in eo quod ait, *Ego mater pulchræ dilectionis*, etc., quam pulchre et commode Filium his virtutum nominibus describat. Notus erat Matri Filius, nec minus utique quam illi qui dicebat : *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Primo novit eum secundum formam carnis, in qua ipsa eum genuit : sed longe hoc a cognitione illius formæ, in qua Pater eum genuit. In illa visus est aliquando, et non erat ei species neque decor (*Isa.* LIII, 2) : in ista splendor est gloriæ et candor lucis æternæ (*Sap.* VII, 26), apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17). Visio illius formæ incredulis auxit peccatum; **1040** visio istius justis servatur in præmium. Igitur inter formam carnis et formam Verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritualis quidem, sed quam in carne palam exhibuit; forma scilicet vitæ quam in corpore gessit ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ et morum, quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus; tunc demum idonei erimus videre non formam solum, quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formavit nos.

2. Est utique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater est; in morali magister est; in intellectuali Deus noster est. Corporalem suscepit, ut impleret sacramentum : moralem exhibuit, ut præberet exemplum : intellectualem seu divinam revelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ hujus, quæ in exemplum est proposita : nam qui scrutator est illius quæ in præmium est reposita, opprimetur a gloria (*Prov.* XXV, 27). Hujus formæ mirator et amator factus erat, qui dicebat : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Vis scire quia non formam corporis, sed cordis, non pulchritudinem membrorum, sed morum prædicabat? audi sequentia : *Specie tua*, inquit, *et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.* Adhuc fortassis dubium est, nisi addat : *Propter veritatem*, inquit, *et mansuetudinem et justitiam* (*Psal.* XLIV, 5). Prorsus hæc est species tua et pulchritudo tua, qua regnum acquisivisti, pulcherrime regum, veritas utique sermonum, mansuetudo morum, justitia judiciorum. Hac pulchritudine facile illexisti et subjecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiscentia et desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omnino novum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed convertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris ejus, non quia faciem ejus viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate et justitia ejus audivit. Ex Sion species decoris ejus, quia de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Mich.* IV, 2) : unde scilicet Evangelium ad nos missum est, in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est; forma scilicet vitæ et doctrinæ, quam et tradidit verbo, et in se expressit exemplo.

3. In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum; cum nosse in forma carnis, scandalum fuerit Judæorum : nam nosse in forma divinitatis felicitas est, et gaudium angelorum. Ideo et Paulus sciens quia caro non prodest quidquam, sine spiritu videlicet qui vivificat, nosse jam Christum secundum carnem repudiat (*II Cor.* V, 16) : nimirum ut spiritui vivificanti studiosius totus intendat. Hoc ipsum et Maria sapere videtur, quæ dilectum uteri sui, dilectum votorum suorum insi-

Digitized by Google

nuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundum spiritum : quasi diceret et ipsa : Etsi cognovi Christum secundum carnem, sed nunc jam non novi. Cupit namque et ipsa formare Unigenitum suum in omnibus filiis adoptionis, qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio et cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis Filii sui, quem semel parturivit et peperit; imo, ut Isaias ait, *Antequam parturiret peperit* (*Isa.* LXVI, 7) : quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem et molestiam parturitionis, cum pareret gaudii fructum æterni.

4. Hunc igitur commendans nobis sic ait : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei* (*Eccli.* XXIV, 24). Ergone est iste Filius tuus, o Virgo virginum? ergone talis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Plane talis est dilectus meus, et ipse est Filius meus, o filiæ Jerusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in se ipso : dilectus meus est pulchra dilectio, timor, et spes, et agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solum quem diligimus, timemus, agnoscimus, et in quem speramus; sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus, veluti quibusdam membris et partibus, in **1041** nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfecte, pro modulo hujus vitæ, Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem quæ ipse est agnovisti, et agnitam glorificasti, timore videlicet et spe; et ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui judicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel perfectuum, et alius ordo positionis nominum : non enim ait : Ego mater agnitionis, et timoris, et spei, et dilectionis; sed ait : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei* : fortassis et in hoc ordine ipso quem ponit, inveniri poterit aliquid congruentiæ et rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem, ne in desperationem concidat, spes adjuncta consolatur, ipaique spei, ne confundat, dilectio suffragatur : ita versa vice dilectio castum parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem, secundum illud Sapientis, *Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra* (*Eccli.* II, 10). Quanto autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eum speratur. Unde est illud : *Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum, Domine* (*Psal.* IX, 11). Spes vero sancta est, sicut Joannes de spe videndi Deum loquens ait : *Omnis qui habet hanc spem in illum sanctificat se ipsum, sicut et ille sanctus est* (*I Joan.* III, 3).

5. Pulchre autem et proprie dicta est pulchra dilectio, cum charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo; sitque virtus ista fere tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse Sponsus ejus in Cantico amoris invenitur tantum ac toties in ea mirari et extollere. Prorsus dilectio pulchra, quæ de corde puro est, et conscientia bona, et fide non ficta. Ubi enim cor purum est, nulla est ruga; ubi conscientia bona, nulla est macula : ubi fides non ficta, non est aliquid ejusmodi quod oculis Sponsi displiceat, quominus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine dilectio sanctorum ab amore hominum, sive turpi, qui nec nominandus est inter fideles; sive naturali, quo amantur parentes; sive sæculari, quo se invicem amant propter sæculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo, procul; imo nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis : seorsum autem interim cedat amor necessitudinis, solusque regnet amor internæ et æternæ pulchritudinis, quo solum Deum, vel propter Deum amant vere pulchri. Tu vero, bone Jesu, pulchritudo Sanctorum, speciosus forma, non modo præ filiis hominum, sed et præ virtutibus cœlorum; *specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna* : tamque late regnet pulchra dilectio tua, ut turpem de finibus rerum perturbet et eliminet, sæcularem ad se convertat et inclinet, naturalem sub se regat et ordinet; ut illa pulchra et vera dilectione te diligat mundus, qua dilexisti mundum, Salvator mundi, qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN SOLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM,

SERMO

De pauperibus spiritu.

1. *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3). Agnosco notum illud ac nobile prognosticum, quod in testimonium sui, necdum natus in carne Dei Filius protulit; jam vero natus, sed nondum notus, sibi competere docuit : *Spiritus*, inquit, *Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* (*Isai.* LXI, 1). Ecce pauperes evangelizantur, ecce pauperibus Evangelium regni nuntiatur : *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Lætum prorsus ac novæ plenum gratiæ Novi Testamenti principium, etiam quantumlibet infidelem aut pigrum provocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum, cum scilicet beatitudo miseris, exsulibus et egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum, inquam, et auspicatum novæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum bene dictiones dat Legislator, quibus delectati eant de virtute in virtutem : per istos videlicet octo gradus

Digitized by Google

ascensionis, quos in corde nostro disposuit structura Evangelii, secundum exemplar et imaginem cœlestium, quod 1042 Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifeste quidam ascensus cordium, et profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum evangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo propheta dicit : *Et in octo gradibus ascensus ejus* (*Ezech.* XL, 37).

2. Prima siquidem virtus inchoantium est renuntiatio sæculi, qua pauperes efficimur spiritu : secunda, mansuetudo, qua nos obedientiæ subdimus, et assuescimus : deinde, luctus, quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum gustamus, unde amplius esuriamus, et sitiamus justitiam, tam in nobis quam in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoveri. Sed ne zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur misericordia, qua temperetur. His ergo studiis, vel exercitiis, cum quis justus et misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, et mundando cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem et probatus tam in actione, quam in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen et officium Filii Dei gerens, pater et minister factus aliorum, tanquam mediator et sequester pacificet inter ipsos et Deum : pacificet ipsos ad invicem, vel etiam ad eos qui foris sunt, sicut scriptum est in laude sanctorum patrum, *Pacificantes in domibus suis* (*Eccli.* XLIV, 6). In hoc officio qui fidelis et constans fuerit, sæpe virtutem et meritum sibi martyrii comparabit, persecutionem patiens propter justitiam ; aliquando et ab his pro quibus pugnabit, ut sit ei dicere, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cantic.* I, 5) ; et, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus ; cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 7).

3. Quantæ autem gloriæ, quamque copiose mercedis in cœlo sit culmen hujus perfectionis, inde utcumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenuntiantium sæculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, ut dicat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Plane beati qui, projectis vilibus, sed gravibus sarcinulis hujus mundi, nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum, tanquam nihil habentes, et per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem et disponentem omnia, quorum Deus portio est et hæreditas ; qui, ut nihil desit, timentibus eum, cætera prout expedire novit, dispensat ad utendum, et se ipsum servat ad fruendum ? Cum hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus et emancipatus introducetur in plenariam possessionem exspectatæ hæreditatis, tunc profecto jus absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis : qui modo quanto tempore parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium ; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus A præfinitum a Patre. Tunc mundus agnoscet justum ac legitimum hæredem Dominum suum, propter quem creatus est : agnoscet, inquam, quia jam non conformem sibi, sed reformatum in novitate sensus sui ad imaginem Dei, ad quam factus est. Sed et nunc quoque fideli homini totus mundus divitiarum est (*Prov.* XVII, sec. LXX) (12) ; non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus utitur tanquam ad hoc sibi datis ; et in via testimoniorum Dei, quæ videt facturam sicut et Scripturam perhibere factori, delectatur sicut in omnibus divitiis : sed etiam, quia ita sufficiens et gratus esse didicit, ut quasi totius mundi divitias computet illud prope nihil quod habet, sive hoc ipsum quod nihil habet. Ideo jure beatificat Ecclesiam B sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo, tam dives est in Christo. *Multæ*, inquit, *filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI, 29). Alii siquidem rapiunt non sua, et semper in egestate sunt : sancti dividunt propria, et ditiores fiunt. Divites enim eguerunt et esurierunt ; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono (*Psal.* XXXIII, 11).

4. Avarus quo plura possidet, pluribus eget. Quanquam nil minus habeat, quam quod habere se putat cum habeatur, non habeat, servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultorque crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est deus. Pulchre autem jam nunc quoque vindicat in peccatores justitia divina, res ipsas quas amant 1043 convertens eis in tor- C menta, et vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim quæ justum amplius justificat, et verius ditat dispensata, vel semel data ; avarum cruciat servata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut sola, quis sit optimus divitiarum usus, invenerit : quod videlicet divitiæ, quæ pauperem faciunt et miserum, si diliguntur ; tunc demum faciunt divitem et beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI, 25), id est, humilibus ; qui utique non sunt alii quam pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur.

5. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos D velim, fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quam in angustia rei familiaris : plus consistit in abdicatione superbiæ, quam in contemptu substantiæ. Substantia nonnunquam utiliter habetur ; superbia nunquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola, vel maxime superbia damnat. Parum igitur prodest renuntiare sæculi possessionibus, nisi renuntietur et moribus : imo stultum ac ridiculum est nudari divitiis, et divitum implicari vitiis ; pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus ; relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi juvare

(12) Lectio hæc Aug., Greg., Bernard. aliisque Patribus familiaris.

Digitized by Google

partes Antichristi. Plane Antichristi partes adjuvat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum, quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas; Antichristi, superbia, vel potius capitis ejus diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, et ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur, fratres, quia pauperes sumus pro Christo; sed operam demus ut humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius; cum eum et paupertas nunc affligat, et superbia in perpetuum abdicat. Pauper autem humilis, etsi uritur et purgatur in camino paupertatis, exsultat refrigerio conscientiæ divitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens et sentiens quoniam ipsius est regnum Dei; quod jam intra se ipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, et pignus æternæ hæreditatis. Annon vestrum est, fratres, unde toties sicut vobis conscii estis, fructus suavissimos et beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis jam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, et vidistis quoniam bona est negotiatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac projicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (*Rom.* XIV, 17). Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronuntiemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est, quia nobis invitis eripi non potest.

6. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait, *ipsorum* erit, sed, *est regnum cælorum*: non solum propter jus firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum usumque felicissimum; non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia jam in quamdam ipsius possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis et cordibus. Quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! quam vicini sunt Dei regno qui regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, et gestant in corde suo! *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Litigent alii de dividenda hæreditate hujus mundi: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 6, 5). Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt, illis invideo: ego enim et anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum! o beata possessio nihil habentium! quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia.

1044 7. Superbiat, o pauperes, superbiat, o humiles, anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque altitudinem hujus mundi longe sub pedibus suis jacentem despiciat; indignumque judicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cœlum, et nunc te demum mergeres in cœnum? parata tibi sunt æterna, et præeligeres transitoria, somnoque similia? te præstolatur curia sanctorum, et præponeres societatem dæmoniorum? Quam miser homo, qui cum in honore esset, non intellexit, ac perinde comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis! (*Psal.* XLVIII, 21.) Annon manifeste hoc illis contingit, quos cum beata paupertas fecisset honorabiles cœlo, mirabiles mundo, et, ut nihil præteritum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu, paupertatem, humilitatem, ignaviam; voluerunt divites fieri, et inciderunt in tentationes et laqueos diaboli; cumque essent domini universorum, vendiderunt se ipsos sine pretio propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et diverterunt in vias pravas! Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, et grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cœlorum incommutabilis Veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens; si tamen et vos ipsi spem istam in sinu vestro repositam firmiter custodiatis usque in finem, cooperante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

In verba Cantici canticorum: «Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.» (*Cant.* VIII, 13.)

1. In conventu sodalium et amicorum, id est, Ecclesia sanctorum, cujus vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsæ loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sum ego cui hoc dictum debeat videri: non sum qui habitem in hortis; magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulcris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulcra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis, non in hortis habitant, sed in sepulcris: Deumque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet, *Lazari, veni foras;* suisque discipulis super eo præcipiat, *Solvite eum et sinite abire* (*Joan.* XI, 43, 44). Magne sane differentia est sepulcrorum et hortorum. Hæc plena omni spurcitia et ossibus mortuorum; illi, omni suavitate et gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulcra videntur in hortis? Nam et Dominus in horto sepultus fuit. Etsi enim sepulcra in hortis, nunquid tamen horti in sepulcris? Ita fortassis, sed in sepulcris justorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum, cum reflorebit caro eorum, et non solum ossa justi sicut herba germinabunt, sed et totus justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum. Non sic impii, non sic, qui sepultura asini sepeliuntur (*Jerem.* XXII, 19),

Digitized by Google

et sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulcris eorum dicere cœperam, quod quantum a spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum, imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium a voluptate gaudiorum carnalium.

2. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, et quot libros legitis, tot hortos perambulatis; quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma nova et vetera servata sunt : id est, tam prophetarum, quam evangelistarum, vel apostolorum eloquia reposita sunt, ut et unicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum, *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi* (*Cantic.* VII, 13). Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui **1045** nihil aliud in illis quæritis quam Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. Beati plane qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua, Domine; ideo scrutata est ea anima mea (*Psal.* CXVIII, 2, 129). Scrutinio quidem opus est, non solum ut eruantur mystica, sed etiam ut sugantur moralia. Ideoque vos, qui perambulatis hortos Scripturarum, nolite negligenter et otiose transvolare; sed scrutantes singula, velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Jesus, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV, 27). Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Davidicum : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII, 103).

3. Ab his hortis in alios, ubi requies secretior et voluptas beatior, et species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exsultationis et confessionis, rapit in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium et orantium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium, *Rabbi, ubi habitas?* puto quia merentur audire, *Venite et videte. Venerunt*, inquit, *et viderunt, et apud eum manserunt die illo* (*Joan.* I, 38, 39). Quandiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; noctem nescimus, tantummodo die beato fruimur. Cum inde labimur, in noctem nostram recidimus. Heu mihi! quam cito defecerunt dies mei, quam cito sicut fenum arui, qui quandiu fui in horto cum illo, sicut paradisus Dei virui et florui! Cum illo hortus voluptatis : sine illo locus horroris et vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat, quod et ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, ut et sponsus in laudem ejus dicat : *Hortus conclusus, soror mea sponsa* (*Cant.* IV, 12). An non sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi, quam plantavit Pater suus? *Audite me*, inquit, *divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate* (*Eccli.* XXXIX, 17). Quasi Libanus, odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam.

4. O Domine Jesu, vere hortulane, operare in nobis quod exigis a nobis; nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas, Maria, quæ eum existimabas hortulanum illius horti pauperis et exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cœli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat et rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viventium, secus decursus aquarum viventium, ubi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, cujus conversatio erat in cœlis : qui mente sæpius excedens perambulabat paradisum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, ubi et pertransiens rosas Martyrum, et lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius et felicius quam suavis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suavitatis ejus profusius eructabat, et ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe et pinguedine repleta erat anima ejus, ideo labiis exsultationis laudabat os ejus. Cor quippe sapientis erudiet os ejus, et labiis illius addet gratiam (*Prov.* XVI, 23). Eructabat itaque cor ejus verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut jucundo carmine oblectabat Prorsus carmen jucundum, suavisque melodia, ubi tam canorum Spiritus sancti organum, tanta morum et sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Jesum jubilum cordis sui personabat. Si enim lingua suavis vim carminis non haberet, scriptum non **1046** esset : *Tibiæ et psalterium faciunt suavem melodiam, et super utraque lingua suavis* (*Eccli.* XL, 21). Si carmine hujusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret : *Jucundum sit ei eloquium meum* (*Psal.* CIII, 34). Sed nec ipse sponsus diceret : *Fac me audire vocem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua suavis* (*Cantic.* VIII, 13, et II, 14), quia exaltationes Dei in faucibus tuis, tanquam habitantis in hortis, in deliciis paradisi. E contra vero, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9), qui habitat in sepulcris. Cujus enim vita Deum exasperat, lingua non delectat, sed ter-

Digitized by Google

ribiliter increpatur voce divina : *Quare tu enarras justitias meas ?* (*Psal.* XLIX, 16.) *Cantica lyræ tuæ non audiam* (*Amos* V, 25).

3. Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem et materiam ministravit sermonis ; si placet, finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod a sponso dicitur, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam :* vel quod devotum amatorem invitet ad psallendum vel orandum ; vel quod sanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod ut magis persuadeat, amicos auscultare memorat, angelos scilicet orantem vel psallentem ; fideles prædicantem. Ubi primo intuemur, qua disciplina cordis et corporis nos oporteat in conspectu angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant ut vota deferrent, et dona referrent ; imo recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium et pulsat, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recedet conquerens, et dicens : *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens : Quid feci ? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium* (*Jerem.* VIII, 6). Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de benevolentia et attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant ; non æmuli detrectant, aut subsannant ; non tepidi dormitant, aut oscitant : sed amici attenti auscultant, quorum amor et meritum possit evangelizanti impetrare verbum et spiritum. Et bene amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod devotus audiat vocem sponsi, sicut Joannes ait : *Amicus sponsi est qui stat*, non vagans animo, aut prostratus somno, *audit et gaudet gaudio propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29), quam agnoscit etiam in servis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, ut sive per os loquentis, sive legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium et lætitiam ; et non solum cum gaudio suscipere verbum, sed et fructum afferre in patientia.

His Guerrici sermonibus in Bibliotheca Patrum, tomo XIII editionis Coloniæ, quinque alii subjiciuntur hactenus recensiti inter Bernardi sermones de Diversis, nimirum 8, 28, 73, 76 et 79, quos Horstius Guerrico abjudicat, eo quod desiderentur in manuscripto Coloniensi. Vide quid de his dictum sit in præfatione ad tomum tertium ubi discussio facta est sermonum de Diversis, et in proprio eorum loco. His porro Guerrici Sermonibus visum est subjicere Nicolai monachi Claræ-Vallensis Sermonem de beata Maria Magdalena, inter Bernardinos antehac editum, quem suo loco inter Nicolai sermones tomo quinto per oblivionem omisimus. Unus est ex novemdecim illis sermonibus, quos Nicolaus Henrico Campaniæ comiti nuncupavit ; totusque conflatus est ex Bernardi sermonibus in Cantica.

NICOLAI CLARÆ-VALLENSIS

SERMO IN FESTO BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

1. Hodie misericordia et veritas obviaverunt sibi, et multitudo miserationum Domini in peccatricem feminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatricis et menstruatæ manibus attrectatur, Deumque Dei Filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi **1047** atque mundantis, immunda ; et vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, et redit ad cor : et scelerum magnitudinem lacrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, et obsequiorum instantiam remuneratorius ille majestatis oculus felici dedignatione non aspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, et oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit et irrorat unguentis. Videt et invidet singularitatis amator, et utrumque redarguit Pharisæi jactantia, illum ignorantiæ, præsumptionis istam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium ; et invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium in holocaustum pertranseat. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, et odoris fragrantia cœlestis ille conventus aspergitur, salvantemque et salvandam tota misericordiæ dulcedo pertingit [*Al.* præcingit]. Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (*Rom.* V, 20), et numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatricis confessione ! quam justa reprehensio in Pharisæi superbia et abusione ! Enumeratur obsequentis obsequium, et per obliquum tangitur indignantis iniquitas, toto litterali cohærentia Simonis invidiam impugnante. Et quia ubi spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III, 17) ; dimittuntur illi peccata multa quæ multum diligit : immittuntur illi qui multum negligit. Non erat satiatus ab uberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem relegens quæ misericordiam nescit, novit justitiam. Lex dura, duris et lapideis promulgata, parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum et acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israeli, Salvatori propinatum. Vinum de quo dentes bi-

Digitized by Google

bentium obstupescunt : non de genimine vitis illius, quod Salvator bibit novum in regno Patris sui.

2. Vere meliora sunt ubera Sponsæ vino isto (*Cantic.* I, 1). Quænam sunt illa? Procedat in medium Paulus apostolus, et ubera felici lacte manantia nobis assignet. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). O quam brevi sermone totius religionis depinxit insigne! quam eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam! His uberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus*. Facessat hinc sæcularis plausus, insania et lætitia mundialis abscedat, quia *non est gaudere impiis*, *dicit Dominus* (*Isa.* XLVIII, 22). Nunquid illorum os gaudio repleri æstimas, qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis? (*Prov.* II, 14.) Sed nec illi qui laudibus adulatoriis rapiuntur, divinæ jubilationis agnovere lætitiam. Nunquid qui vestiuntur purpura et bysso, et epulantur quotidie splendide, gaudium et lætitiam obtinebunt? Absit ut in terra suaviter viventium gaudiorum inveniatur materia, cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur, ut elevans allidatur, et respiret allisus! Sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine pure pressæque detersa, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, et exsultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, et omnium scandalorum immunis, in pace in id ipsum dormiens requiescit. *Pax multa diligentibus legem tuam*, ait justus, *et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Noverat enim quia lictores non persequuntur martyres, sed coronant. Cum hujusmodi gaudentibus gaudet Apostolus, et ut abundantius gaudeant, tota securitate promittit. Hoc gaudium certum et plenum est: tantoque certius est, quanto vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc est mammilla congratulationis, de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, ut, cum avulsi fuerint a lacte isto, epulentur ab introitu gloriæ Dei.

3. Secunda est *flere cum flentibus*. Nunquid Apostolus **1048** præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, gravitatem inopiæ, pressuram fortiorum? Absit! Plorandi enim sunt, qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriam possunt in hac exspectare dulcedinem. O quam leni et dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, et affectuosis officiis inviscerare ibi peccatorem, donec vitæ reddatur! De hac compassionis mammilla lac consolationis exprimitur, et hoc lacte pascit Apostolus illos, qui solido cibo vesci non possunt. Amator innocentiæ, pacis amicus, patientibus compatiens, et congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit. Hæc sunt ubera lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, lacte dulciora, misericordiam sonantia, redolentia pietatem. *Fragrantia*, inquit, *unguentis optimis* (*Cantic.* I, 2). Digna prorsus ubera, de quibus eliquatur unguentorum infinitas, odorata diffluxione civitatem Dei viventis circumquaque respergens. Hæc sunt unguenta, quæ regina Saba attulit in Jerusalem, de quibus dicit Scriptura : *Non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba Salomoni* (*III Reg.* X, 10). Quam excellenter apposuit Optima Spiritus ille subtilis, qui totam sibi libri hujus rapit positionem? Est enim unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit : est et melius, quod eadem, si tamen eadem, super caput recumbentis effudit : est et optimum, quod et ipsa præparavit toti corpori Christi.

4. Primum unguentum contritionis est, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito et contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius qui ambulat super pennas ventorum : hic adorat Maria in loco ubi steterunt pedes ejus. Steterunt, inquam, qui validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumque perungeret, et audiret criminum remissionem, et dimissionem in pace. *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata*; et, *Vade in pace* (*Luc.* VII, 47, 50). Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit et abstergit; et hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo conjunguntur et lacrymæ peccatricis, et indulgentia Salvatoris. Remittuntur peccata, et in pace dimittitur; ut et de præterito non sit sollicita, et secura de futuro. Pedes isti sunt misericordia et judicium : quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cum enim recogitat universitatis Dominum formam servi pro servis suscipere, triginta et tribus annis operari salutem nostram in medio terræ hujus; capi, ligari, lanceari, crucifigi, et hoc totum pati pro filiis hominum : statim deceptoria spe sibi blanditur, et alludit; gaudet observari in misericordia et miserationibus; judicium nescit, ignorat justitiam, et punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat; qui totum de Dei pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. Rursus cum abducit os, et judicii pedem crebrioribus osculis intertangit; subeutitur carnis animæque substantia, et utriusque hominis statum vehementior aura percellit. *Horrendum* enim *est incidere in manus Dei viventis*, offendere Creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio,

Digitized by Google

qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam. *Terribilis* certe, sicut ait Apostolus, *quædam exspectatio judicii* (*Hebr.* x, 31, 27), quando ignis in conspectu ejus exardescet, et virtutes cœlorum movebuntur, et vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis adurét. Nihil prorsus terribilius, quam videre diaboli officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis undantem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, et in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia judicantis occludat [*al.* excludat]. Utrumque igitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus, et nunc misericordiam **1049** amplectens, nunc judicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis et lasciva mulier convivantium faciem non attendit, sed extenso corpore provolvitur pedibus majestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed et misericordiæ pedem labiis impressioribus osculatur, in cujus ape firmiter inhæret vestigiis Redemptoris [*al.*, accumbentis], donec audiat, *Remittuntur tibi peccata tua.*

5. Sane pretiosum unguentum, quo non solum terrena domus, sed etiam cœlestis aspergitur. Vilissimæ tamen sunt species de quibus conficitur, et magna earum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum multitudo numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, et respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, et in aheno disciplinæ concocta, unguentum exhibent pretiosum, et acceptum pedibus Salvatoris. Compendiose autem istud confecimus, sapienti rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cœlos, angelos lætificat, et beatæ civitati lætitiam refundit et gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ; quia sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Psal.* L, 19).

6. Secundum unguentum est devotionis de recordatione beneficiorum Dei. Prorsus dignissima hujus unguenti compositio : et in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda. Ejus enim species de cœlesti paradiso allatæ sunt, et in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitus collatæ, et in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ, et exsultationis oleo superfusæ, suffuso igne justitiæ et in humilitatis aheno decoctæ, faciunt unguentum, et odore et virtute mirabile; quod solum super caput Domini recumbentis possit effundi, et exhiberi reverentiæ majestatis. Sed et hoc recolligimus breviter; illis qui multa de paucis excipere noverunt, verborum multitudinem reservantes. Notanda tamen utriusque differentia, et secundi sublimitas attendenda : quoniam illud et sacrificium Deo spiritus contribulatus; et istud, sacrificium laudis, quod honorificat Deum. Pedes igitur ungimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur : ungimus caput, cum de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitii tamen morositas inter pedes esse debet et caput, quia profecto difficillimus et præsumptuosus saltus est a vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit et caput : cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud, *Verte impios, et non erunt* (*Prov.* XII, 7). Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam dilecta, jam familiaris effecta, longeque a peccatricis illius obvoluta vestigiis [*al.*, evoluta contagiis], quam infelix ille septenarius confundebat.

7. Porro, si duo præmissa unguenta tantæ dignitatis sunt, ut alterum pedibus, alterum complaceat capiti dominantis; illud tertium quod optimum est et superexcellens, ubinam invenire poterimus? Sed absit ut sponsa veritatis a veritate dissentiat, et tale aliquid habere se jactitet, quod habere non possit! Est ergo tertium unguentum pietatis : quod est super omnia aromata morbis omnibus et periculis salutare, quodque nulli unquam pesti invenitur inefficax. De ipso namque sic legitur : *Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (*Marc.* XVI, 1). Videsne in prima fronte capituli propositum, quod non una vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis unguentum? Intelligis quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vindicat ista confectio? Confectio sine dubio pretiosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende quia unguentum pedibus infusum, adeo dignatissima lenitate suscepit, ut Pharisæum murmurantem parabolica prolixitate convinceret, et retorto suggillaret exemplo (*Luc.* VII, 39-47). Sed et de refuso super caput ejus unguento discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans; et tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc vero tam salubre, tamque mirificum, in **1050** mortuo suo corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat (*Matth.* XXVI, 10-13, et *Marc.* XIV, 6-9). Duo enim corpora habet Christus : unum, quod suscepit ex Virgine; alterum, Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit et tormentis, addictus cruci, junctus sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimusne tam salubrem conficere confectionem? Universæ miserorum miseriæ, tam animarum quam corporum, oculo pietatis inspectæ, species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, et delinitæ charitatis oleo, succenso compassionis igne, et in aheno perseverantiæ despumatæ, unguentum faciunt ipsis etiam angelis admirandum.

8. Sunt viri divitiarum in domo Domini virtutum : investigemus an apud eos hujusmodi habeantur

Digitized by Google

unguenta. Primus occurrit mihi Paulus, sicut ubique solet, totus præsenti delibutus unguento. *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor?* (*II Cor.* XI, 29.) Felix anima facta sibi tanquam vas perditum, ut omnium miserias suas faceret, et in sua conscientia colligaret : totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Sed et ille simplex, et rectus, et timens Deum, vide quomodo non secundum hominem, imo vero hominem, et, quod verius est, supra hominem ambulabat. *Oculus*, inquit, *fui cæco, et pes claudo; pater eram pauperum* (*Job* XXIX, 15, 16), etc. Qui sic eum hoc unguento perunxerat, ut de misericordiæ thalamo largius irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul, cum sciret illum longius ab oculis Divinitatis elongatum (*I Reg.* XV, 35). Non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lacrymas, etsi non profuturas, tamen pias. David parricidam filium continua lamentatione plorabat (*II Reg.* XIII, 37), plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem. Cerne quomodo Joseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii succensores. Videt eos Joseph, et omnium injuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, et pietatis adeps qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat; reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem (*Gen.* XLV). Pene quin oblitus sim Moysen, adeo sacri liquoris hujus rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur et profluat. Peccat Israel, et Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori; sed dissimulat A Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, et feriendi licentiam quærit a Moyse, qui Moysen fecit. *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus contra eos, et faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 10, 31, 32). Obstupescenda profecto dulcedo! Et principatum respuit gentis alienæ, et de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa.

9. Hæc sunt unguenta pietatis et misericordiæ, quæ a sponsæ uberibus eliquantur [*al.* eliciuntur], infirmitates omnes fugantia, profligantia passiones. Felix Maria unxit pedes Jesu : felicior eadem unxit caput auctoris : felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera quam vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum regem. *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi, et ego eum tollam* (*Joan.* XX, 15). Quem eum, Maria? Cum de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? Putasne quod in omnium cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut et in consistorio cordis tui? *Et ego*, inquit, *eum tollam.* Mira res! Hominem perfectæ ætatis; virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerrima mulier portabis et tolles? Ardens et affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed et gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, et placatum nobis reddat Judicem nostrum amicum suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

VENERABILIS GUIGONIS

MAJORIS CARTHUSIÆ PRIORIS QUINTI

EPISTOLÆ QUÆDAM.

ADMONITIO.

Tres Guigonis epistolas Horstius in Appendicem retulit, propterea quod Guigo ipse magnam habuerit cum S. Bernardo necessitudinem, ut patet vel maxime ex epistola 11 *ad eum scripta. His tribus epistolis quartam adjicimus ex tomo primo nostrorum Analectorum. Animus erat ejusdem Guigonis* Meditationes, *quæ in* Bibliotheca Patrum *exstant, et primaria Carthusiensium Statuta, ab eodem scripta, etiam exhibere hoc loco. Verum nos ab ejusmodi consilio revocavit plus justo jam excedens alienorum Operum congeries. De Guigone pluro ad Bernardi epistolam* 11.

EPISTOLA I.

AD HAIMERICUM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

Monet duos esse hostes, quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum.

Domino et amico in Christo reverendissimo, D sedis apostolicæ cancellario HAIMERICO, amici (si tamen dignum est) ejus, et sui Carthusienses fratres, terrena despicere, et amare cœlestia.

Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, etc. *Vide Patrologiæ tom.* CLIII, *col.* 595.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

AD HUGONEM S. MILITIÆ PRIOREM.

Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Dominis et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, Hugoni Sanctæ Militiæ priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Carthusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Dominum nostrum.

Quoniam in revertendo, etc. *Vide ubi supra col.* 598.

EPISTOLA III.

AD INNOCENTIUM PAPAM II.

Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias.

Domino et patri charissimo ac reverendissimo apostolicæ Sedis summo pontifici Innocentio, servi et filii Carthusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem; suæque paternitatis devotam servitutem, et non necessarium licet obsequium

Multas ad vestri apostolatus sacratas aures preces, etc. *Vide in Innocentio II ad an.* 1143.

EPISTOLA IV.

AD FRATRES DURBONENSES.

De suppositiis beati Hieronymi epistolis.

Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, Lazaro Durbonensi priori, et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Carthusiæ prior vocatus Guigo, æternam a Domino salutem.

Inter cætera catholicorum virorum, etc. *Vide Patrologiæ tom.* CLIII, *col.* 593.

ADMONITIO

IN LIBROS SEQUENTES DE VITA ET GESTIS S. BERNARDI,

Ubi de illustri genere ejusdem.

1057-1058 I. *Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios et probatæ fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam et præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex condicto sunt persecuti; nempe Guillelmus olim Sancti-Theoderici prope Remos abbas, sed tunc monachus Signiacensis, Ernaldus Bonæ-Vallis in agro Carnutensi abbas, et Gaufridus ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos; Alanus episcopus Autissiodorensis, et ut alios posteriores prætermittam, Joannes Eremita, et multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen, monachus Claræ-Vallensis, Bernardi gesta carmine cecinit.*

II. *Librum primum de Vita sancti Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente, scriptum fuisse diserte asserit in Præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem Sancti-Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii in pago Regitestensi diœcesis Remensis, ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat, testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. Tempus Guillelmi secessus Signiacum intelligitur ex chartaceo Sancti-Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud Sanctam-Theodericum successor, anno 1135 primum nominatur. Quo anno inchoatus sit a Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Claræ-Vallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 et 62; itemque post schismata Ecclesiæ sedata, et confutatas hæreses, ex num. 40; adeoque post annum 1140, et forte post 1145. Porro ante Bernardum obiit Guillelmus, de quo plura in tomo V, in Admonitione præfixa epistolæ ad fratres de Monte-Dei, et in Notis fusioribus ad epistolam 85.*

III. *Vitam a Guillelmo inchoatam mortuo Bernardo persecutus est secundo libro Ernaldus seu Arnoldus abbas Bonæ-Vallis, non ejus, quæ in diœcesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi Ordinis Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum: ad quem Arnoldum extrema Bernardi epistola 310 scripta est, quidquid alii in contrarium sentiant. Vide notas fusiores ad epistolam 310. Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu Claræ-Vallensium, qui præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in Præfatione libri secundi auctor testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit.*

IV. *Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius sine dubio quam ipsius Bernardi notarius; distinguendus utique a Gaufrido de Perona, cujus mentio in lib.* IV, *num.* 16; *itemque a Godefrido Bernardi consanguineo, et conversionis socio, postmodum priore Claræ-Vallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Claræ-Vallensium vitam sese recepit, ibidemque mortuus est* VI *Idus Novembris anni* 1164. *Gaufridus vero in Præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos a sua ipsius conversione circiter tredecim, acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum: atque adeo Gaufridi conversio anno* 1140 *accidisse dicenda est. Is patria Autissiodorensis, ante suam conversionem Petri Abælardi discipulus fuit, et quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, cujus et ipse auctor est, num.* 13: « *Postremo et nos in clero fuimus.* » *Post conversionem Bernardi una cum Nicolao Claræ-Vallensi notarius, ac peregrinationum socius, dein Bernardo mortuo Igniaci primum, tum Claræ-Vallis post Fastredum abbas anno* 1162, *cui loco quadrienno circiter præfuit, ex Chronico Claræ-Vallensi apud Chifletium: sed postmodum a suis vexatus, abbatiam dimisit anno* 1165, *et ad Fossam-Novam in Italia se recepit; ubi et abbas postmodum fuit, ac demum Altæ-Cumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quædam ejus opera recensentur, nempe opus insigne super Cantica canticorum, Vita sancti Petri archiepiscopi Tarentasiensis; et plures alii libri et sermones. Exstat apud Baronium ejusdem epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem, atque domini papæ vicarium seu legatum, scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet « de substantia aquæ, quæ vino mista in calice offertur, an et ipsa similiter cum*

Digitized by Google

eodem vino in sanguinem Domini convertatur. » *Item ejusdem est libellus contra capitula Gilleberti Porretani Pictaviensis episcopi, quem libellum post libros de Vita Bernardi cum aliis ejus Opusculis referemus. Denique scripsit etiam contra Abælardum, ut mox dicemus, et sermonem edidit de sancto Bernardo inferius edendum cum ejusdem commentariolo in Orationem dominicam. An autem Bernardi Vitam, cujus fragmenta tertio loco proferemus; secundamque partem libri sexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, composuerit, nunc dispiciendum.*

V. *Quinque libris de Vita Bernardi mox dictis subjicimus libros duos de Miraculis ejusdem: unum, a variis auctoribus scriptum; alterum, ex Magno Exordio Cisterciensi collectum, atque ex fragmentis Herberti ex monacho Claræ-Vallensi archiepiscopi Turritani in Sardinia, qui libros tres de Miraculis suorum Cisterciensium composuit, editos apud Chiffletium. Prior liber Miraculorum dividitur in tres partes: quarum prima scripta est a Philippo monacho Claræ-Vallensi ad Samsonem Remorum archiepiscopum; altera, ab aliis Claræ-Vallensibus, quibus Philippus ipse hanc curam injunxit. Ex his unus est Gaufridus,* **1059-1060** *tertiæ partis item scriptor in epistola ad Hermannum episcopum Constantiensem, de miraculis scilicet, quæ a Spira usque Leodium a Bernardo facta viderat. Huic alia ejusdem argumenti succedit epistola Gaufredi monachi* « *magistro suo charissimo Archenfredo et utrique capitulo fratribus suis uterinis.* » *Hunc porro Gaufridum eumdem esse, qui tres posteriores Vitæ libros scripsit, non dubito. Neque enim assentior Carolo de Visch, qui hos libros Gaufrido notario tribuit; illam vero partem libri de Miraculis Gaufrido Autissiodorensi: quem a Gaufrido notario minime distinguendum esse probat Helinandus monachus in Chronico his verbis:* « *Hujus Petri, scilicet Abælardi, aliquando fuerat discipulus Gaufredus Autissiodorensis, qui multo tempore fuit notarius sancti Bernardi; qui inter cætera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, et amoris incentivum,* etc. *Benedictus Deus, qui mihi simul et vobis magistrum dedit meliorem,* » *Bernardum,* « *per quem prioris redarguit ignorantiam, et insolentiam confutavit: secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, et sacrificium redemptionis.* » (*Apud Bernardum tomi secundi Opusculo XI, num. 25.*) « *Hæc et alia multa,* » *addit Helinandus,* « *dictus Gaufredus contra Petrum magistrum suum fortiter et catholice scripsit.* » *Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-Vallensis scripsit epistolam 42, pro episcopo Aletensi. Hæc de Gaufrido aliisque vitæ prioris et miraculorum scriptoribus sufficiant: de aliis scriptoribus post ipsa miracula agendum.*

VI. *Non est prætermittendum hoc loco, Petrum Franciscum Chiffletium, Societatis Jesu presbyterum eruditum, anno* 1660 *Divione vulgasse Diatribam de illustri genere sancti Bernardi, ut ostenderet Romani Breviarii clausulam, qua sanctus Bernardus honesto loco natus dicitur, esse infra ejus dignitatem: cum illum utroque parente fuisse constet perquam nobilem. Diatribæ appendicem cum probationibus variisque monumentis adjecit. Hæc in pauca contrahere juvat.*

VII. *Tecelinus, Bernardi pater,* « *vir antiquæ et legitimæ militiæ,* » *id est, probatæ nobilitatis, quam equestrem vocamus, fuisse perhibetur a Guillelmo abbate, cap.* 1. *Huic agnomen erat Sorus, id est Subrufus, a colore scilicet capillitii, in diplomate Hugonis, secundi Burgundiæ ducis pro Cabillonensi Sancti-Marcelli monasterio: cui diplomati primo loco post Rainerium Ducis dapiferum subscribit Tecelinus ante Bernardum de Monte-Forti, Warnerium de Sumbernone, aliosque nobilissimos viros.* « *Guido de Acro-Monte,* » *testante Alberico Trium-Fontium monacho,* « *fuit ex parte matris frater Tesselini Sori de Fontanis, qui fuit pater Bernardi Claræ-Vallensis abbatis; fuitque ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi.* » *Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum Hescelina domina de Mulleio,* » *Holdoini filia, qui Holdoinus* « *Gaufridum Jonæ-Villæ dominum habuit fratrem.* » *Hæc de linea paterna.*

VIII. *Ad maternam quod attinet, Bernardi mater Aleth seu Alaysia, quam tertiæ Vitæ scriptor unus Elizabeth, forte librarii errore, appellat, fuit* « *filia Bernardi Montis-Barri domini, viri potentis et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiqua, sicut asserunt multi, Burgundiæ ducum generositate trahens originem,* « *ut ex Joanne Eremita, quartæ Vitæ scriptore, discimus. In Necrologio Divionensis monasterii Sancti-Benigni, ubi primum sepulta fuit, simpliciter laica dicitur, efferturque hoc modo ejus memoria,* « *Kalendis Septembris obiit Alaysa laica:* » *quo nomine distingui solent in illo Necrologio etiam illustres personæ a sanctimonialibus. In hunc diem incidit festum sancti Ambrosii seu Ambrosiniani confessoris, teste Joanne Eremita, apud Fontanas celebrari solitum: quem nonnulli cum sancto Ambrosio Mediolanensi antistite perperam hic confundunt. Rainardus Montis-Barri dominus, Bernardi avunculus, et Alaysiæ germanus fuit. Tam illustre cum fuerit ex utroque parente Bernardi genus, non mirum si Guido ejus primogenitus frater* « *vir magnus* » *a Guillelmo appellatur in cap.* 3; *uxor ejus,* « *nobilis juvencula:* » *soror vero ejus Humbelina,* « *adolescentula nobilis,* » *quæ* « *cum comitatu superbo et apparatu* » *incedebat, ex cap.* 6. *Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, a Guillelmo vocari, num.* 10, « *potentem in sæculo, et in sæcularis militiæ gloria nominatum, dominum castri in territorio Æduensi, quod Tuillium dicitur.* » *Et Josbertus de Firmitate, quæ super Albam sita est,* « *vir nobilis, et secundum carnem* » *Bernardi* « *propinquus* » *erat, ex eodem Guillelmo num.* 43. *Denique Rainerius miles erat frater Godefridi, ex Priore Claræ-Vallensi episcopi Lingonensis, qui Bernardum consanguinitate attinebat. Porro Chiffletius probat sancti Bernardi paternum genus, quod a Fontanis appellationem habet, per Bartholomæum Sumbernionensem (quæ familia in veterum Burgundiæ ducum regium sanguinem, enubentis filiæ hæredis affinitate transfusa est) ad nostra usque tempora propagatum fuisse. Cætera quæ de illustri Bernardi genere apud eumdem Chiffletium vel minus certa, vel minus necessaria videntur, consulto prætermittimus: hoc tantum addito, monasterii Claræ-Vallensis stemma, quod in scuto nigro baltheum auri sive argenti, minii ductu gemino tessellatum præfert, non esse derivatum, et quidam volunt, a sancti Bernardi insigni gentilitio, sed a Campaniæ ducum familia, ex quibus Hugo Claram-Vallem fundavit; senas vero fascias ex auro et cyano dextrorsus obliquatas in margine purpureo, quod Cisterciensis Ordinis symbolum est, petitum a Burgundiæ ducum familia, quorum maxime beneficiis et auctoritate Ordo Cisterciensis fundatus est. In fine hic monemus ea quæ ansulis in consequentibus offendes ab Horstio ex codice Campensi, vel a nobis addita fuisse.*

Digitized by Google

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

VITA ET RES GESTÆ

LIBRIS SEPTEM COMPREHENSÆ.

LIBER PRIMUS.

AUCTORE GUILLELMO OLIM SANCTI THEODERICI PROPE REMOS ABBATE, TUNC MONACHO SIGNIACENSI.

1061-1062 PRÆFATIO.

Scripturus vitam Servi tui ad honorem nominis tui, prout tu dederis, Domine Deus ipsius, per quem Ecclesiam temporis nostri in antiquum apostolicæ gratiæ et virtutis decus voluisti reflorere, eum invoco adjutorem, quem jam olim habeo incentorem, amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcumque spiraculum vitæ habens, et videns testimonium gloriæ et honoris tui tam præclarum et tam fidele mundo insolitum effulsisse, non det operam, quantamcunque potuerit, ne lumen a te accensum, tuorum quempiam lateat; sed quantum humano fieri stylo potest (quod melius ipse tamen per virtutem operum facis), manifestatum et exaltatum luceat omnibus qui sunt in domo tua? In quo cum ego jam olim vellem qualecumque ministerium agere vicis meæ, seu timore, seu verecundia prohibitus sum usque adhuc, modo quidem supra me judicans esse dignitatem materiæ, et dignioribus opificibus reservandam; modo etiam post obitum ejus, quasi supervicturus ei, melius hoc et competentius, deliberans actitandum, cum jam homo non gravaretur laudibus suis; et tutius id fieret a conturbatione hominum, et contradictione linguarum. At ille vigens et valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit et potens, non cessans agere digna memoriæ, et magna majoribus semper accumulans, quæ ipso tacente scriptorem requirant. Ego vero jam delibor, urgentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, et membris omnibus incipientibus habere responsum vicinæ mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ; plurimumque timeo, ne sero me pœniteat tamdiu distulisse, quod, prius quam peregrinam, velim omnimodis peregisse.

Sed et me fratrum quorumdam pia benevolentia plurimum ad hoc impellit et cohortatur, qui cum Viro Dei jugiter assistant, omnia ejus noverunt, ingerentes quædam diligenti inquisitione vestigata, plura etiam, quibus, cum fierent, ipsi interfuerunt, et viderunt, et audierunt. Qui cum multa suggerant et præclara, quæ per servum suum Deus ipsis præsentibus operatur, et nota eorum religio, et schola magisterii ab omni me liberet suspicione falsi; adhuc etiam ad testimonium sibi adsciscunt probabilium auctoritatem personarum, episcoporum, clericorum, et monachorum, quibus fidem non habere nulli fidelium licet. Quanquam id superfluo dixerim, cum totus ea noverit mundus, et virtutes ejus narret omnis ecclesia sanctorum. Quapropter attendens divinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem vero suscipientem, dissimulantibus eis qui melius hoc ac dignius poterant; suscepi in ea agere ipse quæ potero, non vanitate præsumentis, sed fiducia diligentis. [Metiens tamen memetipsum in memetipso, et me ipsum comparans mihi, nequaquam totam vitam Viri Dei suscepi digerendam, sed ex parte; experimenta scilicet aliqua viventis et loquentis in eo Christi, opera quædam exterioris cum hominibus conversationis ejus, quæ de ipso viderunt quibus hoc datum est, et nos quoque ex parte vidimus, et audivimus, et manus nostræ contrectaverunt. Cum enim hoc ipsum ex parte magna de se ipso sentiendum sit, quod de eo, qui dicit, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20); et alibi, *An*, inquit, *experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* XIII, 3) non invisibilem illam vitam viventis et loquentis in eo Christi enarrare proposui, sed exteriora quædam vitæ ipsius experimenta, de puritate interioris sanctitatis et invisibilis conscientiæ, per opera exterioris hominis, ad sensus hominis exteriores micantia : quæ sicut omnibus scire, sic etiam quibuslibet utcumque scribere in promptu est.] Præsertim cum nec ipsa quasi accuratius digerenda, sed saltem in unum congerenda et reponenda susceperim : nec edenda vivente ipso, sicut nec scribuntur ipso sciente. Confido autem in Domino, quoniam post nos, et post obitum ejus exsurgent qui

Digitized by Google

melius ac dignius perficient, quod nos conati sumus: qui etiam exteriora interioribus comparare poterunt, et pretiosam in conspectu Domini mortem ejus, vitæ similem, continuare scribendo, et de vita mortem, et de morte vitam commendare. Jam ergo, adjuvante Domino, propositum aggrediamur.

CAPUT PRIMUM.

De parentibus beati Bernardi, eorumque insigni pietate in educandis liberis; deque Bernardi jam tum pueri indole, et præclaris moribus.

1. Bernardus Burgundiæ partibus, Fontanis oppido patris sui oriundus fuit (12'), parentibus claris secundum dignitatem sæculi, sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tecelinus [*al.* Tesselinus], vir antiquæ et legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque secundum instituta Præcursoris Domini militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis (*Luc.* III, 14), quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, **1063** ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater Aleth, ex castro cui nomen Mons-Barrus (13); et ipsa in ordine suo, apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat (*Ephes.* V, 22), operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit non tam viro suo quam Deo, sex mares, feminam unam: mares omnes monachos futuros, feminam sanctimonialem. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent, quandiu sub manu ejus erant, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos præparans et instituens, Domino inspirante, quasi continuo ad eremum transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, et latrantem (13') in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consuluisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal.* LXXVI, 24); trepidanti et anxiæ respondit: « Ne timeas, bene res agitur, optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. » Quo responso mulier pia et fidelis quasi a Deo suscepto, læta efficitur, et jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans sacris eum litteris erudiendum tradere secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur: quod et factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat; sed, sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, quæ petitum a Domino et acceptum filium in tabernaculo ejus destinavit perpetuo serviturum (*1 Reg.* I): sic et ipsa eum in Ecclesiâ Dei acceptabile obtulit munus.

3. Unde et quam citius potuit, in ecclesia Castellionis (14) (quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in Ordinem regularium canonicorum promota cogoscitur) magistris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus, et ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem et præ coætaneis suis proficiebat: sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens et subditus; omnibus benignus et gratus, domi simplex et quietus, foris rarus, et ultra quam credi posset verecundus; nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret et cognosceret: in quo quantum in brevi et profecerit, et quam perspicacem in discernendo induerit sensum, ex eo quod subjungimus, adverti potest.

CAPUT II.

De integritate Bernardi pueri, curam feminæ præstigiatricis detestantis; de visione nati Salvatoris ei facta, et de matris obitu.

4. Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam **1064** cum ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans a se repulit et abjecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti pueri: sed continuo sensit virtutem, et in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. Ex quo cum non parum in fide proficeret, abjecit ei

(12') Apposite in tertia Vita Tescelinus vocatur « dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum, » vulgo *Fontaines*; ubi paternæ, ut creditur, Bernardi ædes conversæ sunt in Fuliensium Patrum conventum.

(13) *Montbard.*

(13') Huc referri potest id quod ait Bernardus in epistola 78, num. 7: « Malis audacter, cum vidimus, oblatravimus. » Confer epistolam 230: « Demonstro lupum, instigo canes; » et sermonem Gaufridi de S. Bernardo inferius, num. 17.

(14) *Châtillon-sur-Seine.*

Digitized by Google

Dominus apparere, sicut olim puero Samueli in Silo, et manifestare ei gloriam suam (*I Reg.* III). Aderat namque solemnis illa nox Nativitatis Dominicæ; et ad solemnes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem exspectantemque Bernardum cum cæteris inclinato capite paululum soporari. Adfuit illico puero suo se revelans pueri Jesu sancta Nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, et divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo procedens sponsus e thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris Virginis verbum infans, speciosus forma præ filiis hominum, et pueruli sancti in se rapiens minime jam pueriles affectus. Persuasum autem est animo ejus, et nunc usque fatetur, quod eam credat horam fuisse Dominicæ Nativitatis. Sed et facile est advertere iis qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione ea hora prævenerit eum Dominus; cum usque hodie in iis quæ ad illud pertinent sacramentum, et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videatur. Unde et postmodum in laudem Genitricis et Geniti, et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatuum, sumpta materia ex eo Evangelii loco, ubi legitur, *Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ* (*Luc.* I, 20), et cætera quæ ibi sequuntur.

5. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, et verecundiæ suæ morem gerebat, et pro ætate, imo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam; mater ejus liberis fideliter educatis et vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. De qua nequaquam prætereundum est, quod cum multo tempore vixisset cum viro suo honeste et juste secundum justitias et honestates sæculi hujus, et legem fidemque conjugii; per aliquot ante obitum suum annos, in eo ad quod nutrire filios videbatur, prout potuit et licuit mulieri sub potestate viri constitutæ, nec habenti proprii corporis potestatem, omnes ipsa prævenit. Etenim in domo sua, et in professione conjugali, et in medio sæculi eremiticam seu monasticam vitam non parvo tempore visa est æmulari, in vietus parcitate, in vilitate vestitus, delicias et pompas sæculi a se abdicando, ab actibus et curis sæcularibus, in quantum poterat, se subtrahendo, insistendo jejuniis, vigiliis, et orationibus; et quod minus assumptæ professionis habebat, eleemosynis et diversis operibus misericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens, ad extrema devenit, perficienda in futuro in eo, in quo proficiens de hoc sæculo migravit. Obdormivit autem psallentibus clericis qui convenerant, et ipsa pariter psallens, ut in extremis quoque, cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, et lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter litaniæ supplicationes, cum diceretur, « Per passionem et crucem tuam libera eam, Domine, » elevans manum signavit se, et emisit spiritum (14*), ita ut manum non posset deponere quam levaverat.

1065 CAPUT III.

De studio tuendæ castitatis, deque vitæ religiosæ proposito, et allectis in eamdem sententiam fratribus suis, aliisque sociis.

6. Ex hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui tanquam ingrediens sæculum, plures se viæ sæculi ipsius offerre cœperunt, et in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, et magnæ spes undique arridere. Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, et amicitiæ procellosæ, similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur. Cum enim aliquando curiosius aspiciendo, defixos in quamdam oculos aliquandiu tenuisset; continuo ad se reversus, et de semetipso erubescens apud semetipsum, in se ipsum ultor severissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tandiu inibi permansit, donec pene exsanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam a calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, induens illum castitatis affectum, quem induerat qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI, 1).

7. Circa idem tempus instinctu dæmonis in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace et silentio partem ei lecti quam occupaverat, cessit, et in latus alterum se convertit, atque dormivit. Misera vero illa aliquandiu jacuit sustinens et exspectans, deinde palpans et stimulans: novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit; et horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescen-

(14*) Herbertus in libro II, cap. 23, tradit, Bernardum Novitium quotidie pro anima matris suæ septem psalmos pœnitentiales recitare solitum, iis semel ex parte omissis, ab Stephano abbate increpatum fuisse. Matris obitus contigit Kalendis Septembris. Corpus in Divionensi Sancti-Benigni ecclesia sepultum, postea in Claram-Vallem translatum est.

Digitized by Google

tem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, et in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tanquam honoratiori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare cœpit : Latrones! latrones ! Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exsurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant cæteri, sed non illa misera requiescit. Exsurgit denuo, et Bernardi lectulum petit; sed denuo ille proclamat : Latrones! latrones ! Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat, publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tamdem seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernadum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille : Veraciter, inquit, aderat latro, et quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre, incomparabilemque thesaurum.

8. Inter hæc tamen cogitans et perpendens, quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti; fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum et principem ejus exterius sibi multa offerentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, et vanitates vanitatum, et vanitatem omnia. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem ac dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* xi, 28, 29). Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere et investigare, ubi certius ac purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cistercii innovatæ monasticæ religionis nova plantatio; messis multa, sed operariis indigens, **1066** cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius et paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitatione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere, et abscondi in abscondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum; maximeque ad effugium vanitatis; seu de sæculari generositate, seu de acrioris ingenii gratia, seu etiam forte de alicujus nomine sanctitatis.

9. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, et qui carnaliter eum diligebant, persenserunt; omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestione, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus ejus : sed matris sanctæ memoria importune animo ejus instabat, ita ut sæpius sibi occurrentem videre videretur, conquerentem et improperantem, quia non ad hujusmodi nugacitatem tam tenere educaverat, non in hac spe erudierat eum. Demum cum aliquando ad fratres pergeret, in obsidione castri, quod Granceium (15) dicitur, cum duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxiari. Inventaque in itinere medio ecclesia quadam, divertit, et ingressus oravit cum multo imbre lacrymarum, expandens manus in cœlum, et effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

10. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis : *Qui audit, dicat, Veni* (*Apoc.* xxii, 17). Siquidem ab illa hora, sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progrediens : sic ignis quem miserat Dominus in cor servi sui volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo ad conversionem adhuc minus habili, seniori patri ad solatium derelicto, deinde cognatos, et socios, et amicos, de quibuscunque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, pedibus, ut aiunt, ivit in sententiam nepotis, et consensum conversionis, vir honestus et potens in sæculo, et in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio Æduensi, quod Tuillium (15*) dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens, junior cæteris fratribus, et necdum miles, sine difficultate eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas, Bernardo etiam ipse junior, et novus eo tempore miles, verbum fratris difficilius admittebat, donec subito exclamavit : « Video, » inquit, « matrem meam. » Visibiliter siquidem ei apparuit, serena facie subridens, et congratulans proposito filiorum. Itaque et ipse continuo manus dedit, et de tirone sæculi factus est miles Christi. Nec solus vidit Andreas tantorum matrem filiorum lætantem, sed confessus est et Bernardus eamdem similiter se vidisse. Guido primogenitus fratrum, conjugio jam alligatus erat, vir magnus, et præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens et recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili, et parvulas filias nutriente, pene impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter ei spopondit aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, imo ea jam præventus fidei virtute, in qua postmodum excellenter enituit; virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret et uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim

(15) *Grancey.*

(15*) *Touillon.*

Digitized by Google

supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellabatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum sibi esset contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, et prior ipsa **1067** conversionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata a viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose usque hodie serviens Deo (16).

11. Secundus natu post Guidonem Gerardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, et qui ab omnibus diligeretur: qui cæteris, ut dictum est, primo auditu et primo die acquiescentibus, ut mos est sapientiæ sæcularis, levitatem reputans, obstinato animo salubre consilium et fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, et fraternæ charitatis zelo mirum in modum exasperatus: « Scio, » inquit, « scio, sola vexatio intellectum dabit auditui. » Digitumque lateri ejus apponens: « Veniet, » inquit, « dies, et cito venit, cum lancea, lateri huic infixa, pervium iter ad cor tuum faciet consilio salutis tuæ, quod aspernaris: et timebis quidem, sed minime morieris. » Sic dictum, sicque factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus et vulneratus juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco cui ille digitum applicuerat, trahebatur, et mortem quasi jam præsentem metuens clamabat: « Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. » Nihilominus tamen captus et reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. « Sciebam, » inquit, « et prædixeram quod durum esset ei contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. » Et factum est ita. Siquidem de vulnere præter spem cito convaluit, propositum vero seu votum quod voverat non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, et hoc solum esset quod conversionis ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito adfuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut erui posset, sed non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit: « Scito, frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, et monasterium introituri. Tu vero quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis, et non potes, pro facto reputari. »

12. Cumque Gerardus magis ac magis anxiaretur, paucis interpositis diebus, audivit vocem in somnis dicentem sibi: « Hodie liberaberis. » Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat, compedes suas tetigit, et ecce ex parte crepuit in manu ejus ferrum, ut minus jam teneretur, et aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, et pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, et non tam spe evadendi quam tædio jacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus et clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, et ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus astabant, videntes quod fiebat, et divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius a quo custodiebatur, videnque eum ad ecclesiam properantem: « Tarde, » inquit, « Gerarde, venisti. » Expavescente illo: « Festina, » ait, « adhuc superest quod audias. » Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageretur intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Gerardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid ageretur agnovit, et conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Gerardus a captivitate amoris sæculi hujus, et captivitate filiorum sæculi liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, a quanta perfectione sanctæ conversationis gratiam iste Dei famulus ceperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea **1068** apparebat, quando digitum applicuit loco vulneris mox futuri, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

13. Cum autem cæteri, ut diximus, prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, mane intrantibus eis ad ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur, *Fidelis est Deus, qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi* (*Philipp.* I, 6): quod devotus juvenis haud secus accepit, quam si de cœlo sonuisset. Exsultans itaque spiritualis jam pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, et manum Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc prædicationi insistere, et quoscunque poterat aggregare. Cœpit novum induere hominem, et cum quibus de litteris sæculi, seu de sæculo ipso agere solebat, de seriis et conversione tractare; ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis, seu in malis, perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei, et verbo virtutis ejus, et oratione et instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant

(16) Et quidem apud Elariacum seu Lariacum, vulgo *Lairé*, ad muros Divionenses, ex tertia Vita, et ex tabulis Lariacensibus: qui locus nunc Prioratus est monasterii Sancti-Benigni, cui tum istæ sanctimoniales subjectæ erant, uti et Julliacenses Molismensibus. Guntramnus rex locum sancto Benigno concessit.

Digitized by Google

et consentiebant. Inter quos adjunctus est ei etiam dominus Hugo Matisconensis, nobilitate et probitate morum, possessionibus et divitiis sæculi ampliatus: qu hodie merito religionis et sanctitatis suæ, raptus a Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi Ecclesiæ præest, merito et honore Pontificis(16*). Hic audiens de conversione socii et amici charissimi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem primo data est utrique facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas, et gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, et res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dextris in sodalitium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum et anima una in Christo, quam in sæculo ante fuissent.

14. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo, subversum ab aliis sociis Hugonem, a proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiat. Observantes autem prædicti sodales et subversores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, et omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum: quo orante cum lacrymis, subita et vehemens inundatio pluviæ mox erupit. Consederant autem in campo, quod aer serenus esset, et nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens: « Mecum, » ait, « sustinebis hujus pluviæ guttas. » Cumque soli remansissent, non fuerunt soli, sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuo et aeris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus et propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

15. Videbat ista peccator, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat; justus autem confidens in Domino gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur: *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino* (*Act.* IV, 32), *et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis* (*Id.* V, 12, 13). Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cohabitabant, et colloquebantur, quam ingredi vix aliquis audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed et si quis intrabat, videns et audiens **1069** quæ ibi gerebantur et dicebantur, sicut de Christianis Corinthiis Apostolus dicit, omnibus quodammodo prophetantibus convincebatur, ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus; et adorans Dominum, et confitens quod vere Deus esset in eis (*I Cor.* XIV, 24, 25), aut ipse unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus et in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur.

16. Cum autem jam suspecta inciperet esse multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspiciebat enim quidam eorum in visu noctis, et videbat quasi eos omnes consedisse in domo una, et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis: quem cæteris omnibus optime suscipientibus, et cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat a cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat; alter sumere quidem videbatur, sed tanquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim, priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum in sæculum rediit: alter cum cæteris cœpit quidem opus bonum, sed non perfecit. Vidi ego eum in sæculo postea vagum et profugum a facie Domini sicut Cain, quantum animadvertere potui, hominem humillimum, et miserabilis confusionis, sed nimiæ pusillanimitatis. Qui tamen in ultimis Claram-Vallem rediit infirmitate corporis et inopia cogente, cum homo bene natus ab omnibus cognatis et amicis projiceretur: ibique proprietati renuntians, sed non omnino propriæ voluntati, obiit, non quidem intus, sicut frater et domesticus, sed foris misericordiam postulans, sicut pauper et mendicus.

17. Jam vero adveniente die reddendi voti et complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernardus, pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum fratrem suum minimum, puerum cum pueris aliis in platea: « Eia, » inquit, « frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. » Ad quod puer non puerili motus: « Vobis ergo, » inquit, « cœlum, et mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est. » Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit, sed modico post evoluto tempore fratres secutus, nec a patre, nec a propinquis seu amicis potuit retineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater senior cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus.

18. Eo tempore novellus et pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens, viro venerabili Ste-

(16*) Hugo III, ex primo abbate Pontiniacensi antistes creatur an. 1135.

Digitized by Google

phano, cum jam graviter ei tædio esse incipe- A ret paucitas sua, et omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc a Spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur: *Lætare, sterilis, quæ non paries; erumpe et clama, quæ non parturiebas: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1); de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes. [Nam anno priore uni ex eisdem Cisterciensibus primis fratribus in extremo jam posito, apparuit innumera hominum multitudo prope basilicam, ad fontem la- B vans vestimenta sua: et in ipsa visione dictum est ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicasset abbati, intellexit protinus vir magnificus divinam consolationem: et multum quidem jam tunc de promissione, sed plurimum postea de **1070** exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Jesum Christum; qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. (17)]

CAPUT IV.

De ingressu Ordinis, et fervore novitiatus. Quam parcus cibi et somni; cupidus quoque laboris externi; deque ejus miro in sacra Scriptura profectu.

19. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, a constitutione domus Cisterciensis quindecimo, servus Dei Bernardus annos natus circiter tres et viginti [*al.* duo et viginti], Cistercium ingressus, cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines suas. [Quia vero ex prædictis sociis ejus uxorati aliqui fuerant, et uxores quoque cum viris idem votum sacræ conversationis inierant; per ipsius sollicitudinem ædificatum eis cœnobium sanctimonialium feminarum, quod Julleium (17*) dicitur, in Lingonensi parochia, Domino cooperante, magnifice satis excrevit, usque hodie religionis opinione celeberrimum, et personis ac D possessionibus dilatatum; sed et propagatum jam per loca alia, et non cessans adhuc ampliorem facere fructum.] Hæc quidem fuere Viri Dei conversationis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis et accipientis est, nosse quantum ab ipso mox conversionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ; quanta repleverit gratia electionis; quomodo ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum; Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis præparante, non solum ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus et gentibus, et usque ad extremum terræ. Ipse vero, nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis, et propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat: « Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? » Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1), a prima die ingressus sui in cellam Novitiorum, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat docturus.

20. Postmodum enim cum Claræ-Vallis abbas esset ordinatus, adventantibus novitiis et festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem ac dicentem: « Si ad ea quæ intus sunt festinatis, hic foris dimittite corpora quæ de sæculo attulistis: soli spiritus ingrediantur; caro non prodest quidquam. » Quod cum novitiis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementius exponendo, carnalem concupiscentiam prædicare solebat foris dimittendam: ipse cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed et sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiore sensu illuminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum spirantem sibi suavitatem, sensui illi interiori timens a sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam: totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa, intentione seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat; **1071** nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat; vel si forte aliquando eum contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertebat.

(17) Hæc inter uncinos inclusa ex ms. sunt desumpta.

(17*) Aliis *Juliacum*, vulgo *Juilly*, quem locum Milo Barri comes cœnobio Molismensi concessit, « ut religiosis deserviret feminis sub ordinatione Molismensis abbatis: quibus ad regimen sui, tam corporum quam animarum, quatuor deputati erant monachi per abbatem Molismensem. » Hæc acta sub Guidone abbate, sub annum 1115; ad quem Bernardi epistola 80, ex charta apud Chifflletium. De Julleio iterum infra, num. 30.

Digitized by Google

Sine memoria quippe sensus sentientis nullus est.

21. Natura quoque in eo non dissentiebat a gratia, ut in eo quoque quodammodo impletum videretur esse quod legitur : *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam; et cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII, 19, 20). Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii ; sortitusque etiam in hoc erat animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus studiis, et in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui et servientem : corpus etiam nullius unquam contaminatum consensu flagitii, etsi neglectum minus [*al.* non nimis neglectum], sicut oportebat, curaretur, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, et adjutorio subsequentis naturæ, et usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet ; spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere, usque in hanc diem non adjiciat ut resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectio laborum et sensuum, aut mentium recreatio? Extunc usque hodie vigilat ultra possibilitatem humanam. Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet, quam quo dormit, idoneam satis reputans comparationem mortis et somni : ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam si quem forte religiosum in dormiendo seu durius stertentem audierit, seu minus composite jacentem viderit ; patienter ferre vix potest, sed carnaliter eum seu sæculariter dormire causatur. In ipso namque tenuem victum tenuis somnus comitatur. In neutro enim ullam induiget corpori suo satietatem, nisi quod in utroque sumpsisse aliquid sat ei est. Quantum enim ad vigilias, vigiliarum ei modus est non totam noctem ducere insomnem.

22. Porro ad comedendum usque hodie vix aliquando voluptate trahitur appetitus, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comedat, sola cibi memoria satiatus est. Sic accedit ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. A primo siquidem conversionis suæ anno, seu egressionis de cella Novitiorum, natura ejus, cum teneræ nimis semper et delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis et vigiliis, frigore et labore, durioribus et continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os solet rejicere quod ingeritur. Quod si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, nonnisi cum gravi tormento egeritur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis ejus qualecunque. non tam ad vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasi pensare solitus est quantum comederit. Si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impune abire non patitur. Sed et usus parcimoniæ sic ei in naturam versus est, ut etsi aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, vix possit. Sic autem ab initio fuit, inter novitios novitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus : nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nihil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Cæteros namque sanctos esse arbitrabatur et perfectos ; se vero sicut novitium **1072** et incipientem, nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis et remissionibus indigere, sed fervore novitio, et Ordinis districtione, et rigore disciplinæ.

23. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum fratres actitarent, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat ; fodiendo, seu ligna cædendo. propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æque laboriosis illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate compensabat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed et plurimum delectabatur. Sed mortificata, ut dictum est, sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate, in hujusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcunque mentes sæpe necesse est, etsi non intentione, certe memoria et cogitatione, ab interiore unitate spiritus aliquam pati dissolutionem : ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul et totus quodammodo exterius laborabat, et totus interius Deo vacabat ; in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore et intus orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam usque hodie quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitetur accepisse ; et in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus et fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solet.

24. Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore et gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens et nescius laboris ipsius, sedere sibi et requiescere juberetur, admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans a Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi Continuo namque quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse cum quadam jucunditate gratulatur : tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo

Digitized by Google

Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur: sin autem, ubicunque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter et seriatim libentius ac sæpius legebat, nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis, quam in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: et vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte unde illi hauserant, et ipse bibebat. Inde est quod plenus Spiritu, quo omnis sancta Scriptura divinitus est inspirata, tam confidenter et utiliter ea usque hodie, sicut Apostolus dicit, utitur *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum* (*II Tim.* III, 16). Et dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in medium, sic patens et placens efficit, et circa id unde agitur efficax ad movendum, ut mirentur omnes tam sæculari quam spirituali præditi doctrina, in verbis gratiæ quæ procedunt de ore ejus.

A

B

CAPUT V.

De initio Claræ-Vallis, et vili victu primorum ibidem monachorum, deque ostenso divinitus ejus incremento.

25. Cum autem complacuit ei qui eum segregavit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, et multos filios Dei, qui erant dispersi, per eum congregaret in unum; misit in cor abbatis **1073** Stephani ad ædificandam domum Claræ-Vallis (18) mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem, mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-Vallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Alba (18'), antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis absinthialis, seu propter abundantis ibi absinthii copiam, seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei, et domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis, instar prophetici illius, ex hordeo et milio et vicia (19) erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio, ubertim plorans, clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines.

C

26. At Virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ a prima die conversionis suæ usque ad hoc tempus tam singulariter sacrum illud pectus noscitur possidere, ut erga omnes animas maternum gerere videatur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus, sancti desiderii, et sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modo oblitus sui, æstuabat flagrantissimo ardore, ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam charitas pariebat, sed eamdem castigabat humilitas. Contigit autem inter hæc, ut aliquando temperius solito surgeret ad vigilias. Quibus peractis, cum usque ad matutinas laudes aliquanto longius superesset noctis intervallum, egressus foras, et loca vicina circumiens, orabat Deum, ut acceptum haberet obsequium suum et fratrum suorum: et in eo quod diximus spiritualis fructus desiderio constitutus, subito stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. Quod quid significaverit, jam omnibus manifestum est. Hac igitur Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos de misericordia Dei nunquam desperare.

D

CAPUT VI.

De magna ejus in angustiis erga Deum fiducia: deque zelo perfectionis, et conversione sororis.

27. Cum vero ante instantem hiemem Gerardus frater ejus, cellarius (*sic*) domus, apud eum durius quereretur ad necessaria domus et fratrum multa deesse, nec habere se unde ea coemeret, et urgente necessitate jam nullam verborum reciperet consolationem, res autem in promptu non esset quæ daretur; Vir Dei, quantum interim ad præsentes angustias sufficere posset, inquisivit. Ille vero undecim [*al.* duodecim] libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Gerardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, et velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægrotanti. Quam breviter allocutus dimisit a se: « Vade, » inquiens, « sanum invenies virum tuum. » Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem cellarii sui, ad sustinendum Dominum de cætero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc ei contigisse certum est, sed sæpe, cum hujusmodi necessitas instaret, repente, unde non sperabatur, auxilium ei a Domino adfuisse. Propter quod viri

(18) Vide notas ad epist. 31.
(18') Vulg. *l'Aube.*
(19) Gall. *Vesce.*

Digitized by Google

prudentes 1074 intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus a deliciis paradisi nuper egressi, rerum exteriorum sollicitudine gravare cavebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, et tantummodo de interioribus conscientiis suis, et causa animarum suarum eum consulentes.

28. In quo tamen pene hoc eis contigit, quod filiis Israel legimus olim de Moyse contigisse, cum diu conversatus cum Domino in monte Sina, et de caligine nubis egrederetur et descenderet ad populum, ex colloquio Domini facies ejus cornuta appareret et terribilis, adeo ut fugeret populus ab eo (*Exod.* XXXIV, 29-35). Egressus enim Vir sanctus a facie Domini, qua in solitudine Cistercii, et sublimioris altitudine contemplationis in silentio aliquandiu fruitus erat, quasi de cœlo afferens inter homines miraculum quoddam conquisitæ sibi apud Deum plus quam humanæ puritatis, homines quos regere, et inter quos conversari veniebat, pene omnes a se absterruit. Si quando namque de spiritualibus et ædificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, et vix intelligebatur. Maxime autem in his quæ ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur sermo; in tantum non capiebant quæ dicebantur. Rursum, cum singillatim eos audiret confitentes sibi, et semetipsos accusantes super diversis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne vivens homo penitus vitare potest; hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conventio esse non potuit: scilicet quod homines inveniebat, quos in hac parte Angelos æstimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, et ex conscientia jam olim acceptæ a Deo gratiæ singularis, simpliciter præjudicans universæ conditioni humanæ fragilitatis in tentationes seu inquinationes cogitationum harum nullum Religiosum posse incidere; vel si incideret, vere religiosum non esse æstimabat.

29. Sed viri vere religiosi, et pie prudentes, et in prædicatione sermonum ejus venerabantur etiam quæ non capiebant, et in confessionibus suis, licet ad novum stuperent auditum, eo quod seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis: tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putabant contradicere sermonibus Sancti (*Job.* VI, 10), non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu Hominis Dei, in quo nemo vivens justificari potest in conspectu Dei. Unde factum est ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles et subjectos zelus suus esse suspectus, in tantum ut ipse jam potius accusaret ignorantiam suam, et defleret necessitatem, quod silere non liceret, cum nesciret loqui: quod non tam alta ad homines, quam indigna hominibus loquendo læderet conscientias auditorum: quod tam scrupulose perfectionem a fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inveniret ipse perfectum. Cogitabat namque eos multo meliora et viciniora saluti suæ in silentio suo meditari, quam ab ipso audirent: devotius et efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent: ex prædicatione vero ejus scandalizari potius quam aliquid concipere ædificationis. Cumque super hoc vehementius turbaretur et contristaretur, et diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus, post multos cogitationum flexus et cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis et secreto silentii continere, et præstolari Dominum, donec quocunque modo misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret voluntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum charitate quadam divina astantem sibi, et magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestius in 1075 eo et per eum loquens Spiritus sanctus, et sermonem ei potentiorem et sensum in Scripturis abundantius suggerens in apertione oris ejus, apud auditores quoque ei gratiam addidit et auctoritatem, et intellectum super egenum et pauperem, peccatorem pœnitentem, et veniam postulantem.

30. Cumque jam aliquatenus didicisset inter homines conversari, et humana agere et tolerare, jamque inter fratres suos et cum eis inciperet frui fructibus conversionis suæ, pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos: qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona (19*). Soror quoque eorum in sæculo nupta (20), et sæculo dedita, cum in divitiis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu, ille detestans et exsecrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa, et compuncta vehementer, cum ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cum a fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterii, ob vestium apparatum stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, » inquit, « pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium et colloquium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat: quidquid præceperit, facere parata sum. »

(19*) De eo in Necrologio S. Benigni: « III idus aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Bernardi abbatis Claræ-Vallis »

(20) Humbelina

Digitized by Google

Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam separare a viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, et in omnibus sæculi pompis et curiositatibus interdixit; formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, et sic eam a se dimisit. Illa vero obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam: instare vigiliis et jejuniis, et continuis orationibus, et ab omni sæculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic vixit cum viro suo, illo sane, secundo maxime anno, dante Deo honorem, nec temerare ulterius præsumente templum Spiritus sancti. Qui etiam tandem virtute ejus perseverantiæ victus, liberamque a se dimittens, juxta ritum Ecclesiæ, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium (20*) adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

CAPUT VII.

De ordinatione sancti Bernardi in abbatem, deque curâ valetudinis ejus; item de laude disciplinæ religiosæ jam tum in Clara-Valle vigentis.

31. Cum autem missus noviter Claram-Vallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat, quærentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum esse definitum est. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elboldone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo prædicti episcopi domum juvenis exesi corporis et moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, et magnitudine et robore corporis elegantis, aliis ridentibus, aliis irridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quæreretur quis eorum esset abbas, Episcopus primus oculos in **1076** eum apertos habens, agnovit servum Dei, et suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui. Nec defuit hospitalitatis pia instantia, donec usque ad familiarem fiduciam et libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, jam melius eum commendaret conscientia sua quam verba. Quid multa? Ex illa die et ex illa hora facti sunt cor unum et anima una in Domino, in tantum ut sæpe alter alterum hospitem deinceps haberet, et propria esset domus Episcopi Clara-Vallis; Claræ-Vallensium vero efficeretur non sola domus Episcopi, sed et per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quinetiam et Remensis provincia, et Gallia tota per eum in devotionem excitata est ad reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto episcopo cæteri didicerunt suscipere eum, et revereri tanquam angelum Dei, ita ut hujus temporis præsensisse in eo gratiam videatur homo tantæ auctoritatis, sic affectus erga ignotum monachum, et monachum tantæ humilitatis.

32. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam nonnisi mors ejus, aut omni morte gravior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitæ ejus, sed et sanitatis spem habere diceret, si consilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi, ille vero a rigore vel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset, profectus Episcopus ad capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate et sacerdotali charitate, toto corpore in terram prostratus, petiit et obtinuit ut tantum anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque Claram-Vallem, extra claustra et terminos monasterii domunculam unam ei fieri præcepit: ordinans et mandans in cibo vel potu, sive in aliquo ejusmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis districtionem; nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sini [*al.* sibi] eum vivere secundum modum ab eo præstitutum.

33. Eodem tempore et ego Claram-Vallem, ipsumque frequentare cœpi: quem cum ibi cum quodam abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet. Inveni autem ex præcepto, ut dictum est, Episcopi et Abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori quam exteriori, vacantem Deo et sibi, et quasi in deliciis paradisi exsultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitationem et habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domus ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantaque affectus sum suavitate circa hominem illum, tantoque desiderio in paupertate illa et simplicitate cohabitandi ei, ut si optio illa die mihi data fuisset, nil tam optassem quam ibi cum eo semper manere ad serviendum ei. Cumque et ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, et quæreremus quid ageret, quomodo ibi viveret, modo illo suo generoso arridens nobis: « Optime, » inquit. « Ego cui hactenus homines rationabiles obediebant, justo Dei judicio irrationali cuidam bestiæ datus sum ad obediendum. » Dicebat autem de quodam

(20*) Gallice *Juilly*, de quo supra not. 18*.

Digitized by Google

homine rusticano et vano, nihil prorsus sciente, ipsumque ab infirmitate qua laborabat, curaturum se jactitante, cui ad obediendum ab Episcopo et Abbatibus et fratribus suis traditus erat. Ibique cum eo manducantes, cum arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque providentiæ commissum, sicut oportebat, procurandum, et videremus ei, agente medico illo suo, offerri cibos quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret, videbamus et tabescebamus, vix regulari silentio nos cohibente quin in illum quasi sacrilegum et homicidam ira et contumeliis insurgeremus. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbabat: sicut qui sensu ipso corrupto, et pene emortuo sapore, vix aliquid discernebat. **1077** Nam et sanguinem crudum per errorem sibi oblatum pro butyro multis diebus noscitur comedisse; oleum bibisse tanquam aquam, et multa talia contingebant ei. Solam quippe aquam sibi sapere dicebat, eo quod dum sumeret, fauces et guttur ei refrigerabat.

34. Sic ergo tunc eum inveni, et sic habitabat in illa solitudine sua vir ille Dei. Sed non erat solus, cum quo erat Deus, et custodia et consolatio sanctorum Angelorum: quod etiam manifestis indiciis demonstratum est. Nocte enim quadam solito attentius orando effuderat super se animam suam, cum tenuiter soporatus voces audivit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Evigilans autem et easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egreditur, et prosequitur abeuntes. Haud procul aberat locus densis adhuc spinarum vepriumque frutetis abundans, sed nunc longe mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant velut alternantes chori hinc inde dispositi, et Vir sanctus audiebat, et delectabatur. Cujus tamen mysterium visionis non prius agnovit quam, translatis post aliquot annos ædificiis monasterii, eodem loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audisset. Mansi autem indignus ego cum eo paucis diebus, quocunque oculos vertebam, mirans, quasi cœlos me videre novos, et terram novam, et antiquorum Ægyptiorum monachorum patrum nostrorum antiquas semitas, et in eis nostri temporis hominum recentia vestigia.

35. Erat enim tunc temporis videre Claræ-Vallis aurea sæcula, cum viri virtutis, olim divites in sæculo et honorati, tunc in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore et ærumna, in fame et siti, in frigore et nuditate, in persecutionibus, et contumeliis, et angustiis multis; præparantes Claræ-Valli eam quam hodie habet sufficientiam et pacem. Neque enim se tam sibi quam Christo et fratribus inibi Deo servituris vivere æstimantes, pro nihilo habebant quidquid sibi deesset: dum relinquerent post se quod illis sufficeret et ad subsidium necessitatis, et ad aliquam conscientiam voluntariæ pro Christo paupertatis. Primaque facie ab introeuntibus Claram-Vallem per descensum montis, Deus in domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate et humilitate ædificiorum simplicitatem et humilitatem inhabitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominum, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus, et singulis circa injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi, non dicam prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hinc inde montium angustias, in quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodammodo repræsentabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus, ordinis ratione charitas ordinata singulis solitariam faciebat; quia sicut unus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est; sic ibi unitate spiritus, et regularis lege silentii, in multitudine hominum ordinata (21), solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat.

36. Domibus vero et habitaculis simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Panis non tam furfureus quam terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus: cætera quoque cibaria quæque vix erant aliquid saporis habentia, præter quam quod fames seu amor Dei faciebat. Sed et ipsum novitii fervoris simplicitas sibi tollebat, cum, quasi venenum arbitrantes quidquid comedentem utcunque delectaret, recusarent dona Dei propter gratiam quam in eis sentiebant. Cum enim circa omne genus carnalis **1078** tolerantiæ, cum adjutorio gratiæ Dei, studium spiritualis Patris hoc in eis effecisset ut plurima, quæ homini in carne constituto impossibilia prius videbantur, jam non solum constanter peragerent et sine murmuratione, sed etiam cum ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eo periculosiorem, quo eam æstimabant quasi remotiorem a carne, spiritui propinquiorem. Persuasum quippe habentes, et quasi cum testimonio conscientiæ suæ memoriæ fideliter commendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis, quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cum præ dulcedine amoris interioris, amara æque ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius vivere sibi viderentur in eremo quam prius vixissent in sæculo.

37. Cumque in hoc suspectam aliquatenus haberent spiritualis Patris quotidianam correptio-

(21) Vide epist ad Fratres de Monte Dei, num 9.

Digitized by Google

sem (21*), quasi carni eorum plus quam spiritui deferentem, aliquando ad judicium prædicti Catalaunensis episcopi, qui tunc forte aderat, res delata est. Super quo vir ille potens in verbo, sermonem ad eos aggressus ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, quicunque dona Dei recusaverit propter gratiam Dei, inimicum esse gratiæ Dei, et Spiritui sancto resistere pronuntiaret. Adducta siquidem historia de Eliseo propheta, et filiis Prophetarum cum eo in desertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo, cum aliquando ad horam refectionis ventum esset, amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inventa, per virtutem Dei et ministerium prophetæ, per infusionem farinulæ dulcorata est: « Olla, » inquit, « illa prophetica, olla vestra est, nil in se nisi amaritudinem habens: farina vero amaritudinem in dulcedinem convertens, gratia Dei operans est in vobis. Sumite ergo securi, et cum gratiarum actione, quod cum naturaliter minus aptum fuerit usibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est usibus aptatum, ut utamini et comedatis. In quo si inobedientes et increduli permanetis, resistitis Spiritui sancto, et gratiæ ejus ingrati estis. »

CAPUT VIII.

De magna vitæ ejus severitate, et indefesso inter continua fractæ valetudinis incommoda laborandi studio.

38. Hæc ergo fuit in tempore illo sub abbate Bernardo et magisterio ejus in clarissima et charissima valle illa spiritualium schola studiorum: hic fervor regularis disciplinæ, omnia eo faciente et ordinante, et tabernaculum Deo in terris ædificante secundum exemplar quod ei in monte ostensum est, cum in solitudine Cisterciensi cum Deo in nube habitaret. Et utinam post rudimenta primæ conversationis, postquam didicit aliquatenus et consuevit homo cum hominibus esse, et intelligere super egenum et pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum; utinam se circa semetipsum talem exhibuisset qualem erga cæteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum! Sed continuo, cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus, et sui juris effectus est, velut arcus distentus ad pristinum rigorem, et sicut torrens detentus et dimissus, ad prioris cursus consuetudinem reversus est, quasi repetens a semetipso pœnas diutinæ [*al.* diusculæ] illius quietis, et damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillem et languidum conari et aggredi quæcunque vellet, minus considerare quid posset; sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem; omnibus in omnibus aliis obedientissimum, sed de seipso vix aliquando seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, majora moliebatur ad non parcendum corpori, ad studiis spiritualibus robur addendum, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper et vigiliis sine intermissione atterendo.

(21*) Vide serm. 1 de Epiph., num. 1.

A 39. Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata a jejunio, et pedes ejus 1079 a labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, et quandiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est: ubi vero sciri advertit, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Cibus ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent. Cætera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parcimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro et nimis modico, cum magis aquam et infirmitati suæ et appetitui competere testaretur. Sic autem affectus et confectus, a communi fratrum labore, seu diurno seu nocturno, vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu ab B occupationibus et laboribus ministerii sui. Videbant eum et conversationem ejus homines medici, et mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen illico collectas fratrum deseruit; sed juxta locum stationis suæ procurato ac effosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquandiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, et seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum sive collocutionis, sive consolationis gratia, C sive disciplinæ claustralis necessitate, conventui eum fratrum aliquando oportebat interesse.

49. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primo sancta illa fraternitas sanctæ illius paternitatis jugi consortio carere posse coacta est. In quo dolemus quidem et plangimus infirmitatis ejus tristem effectum; sed sancti desiderii et spiritualis fervoris affectum veneramur. Quanquam nec infirmitatis ejus effectus usquequaque plangendus sit et dolendus. Quid enim, si voluit sapientia Dei per infirma potius hominis illius tot tantaque confundere fortia mundi hujus? Quid vero aliquando pro qualibet infirmitate ejus remansit infectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantumvis robusti corporis, et accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste fecit, et facit moribundus et languidus, ad honorem Dei, et sanctæ Ecclesiæ utilitatem? Quantum postea numerum hominum verbo et exemplo traxit de sæculo non solum ad conversionem, sed ad perfectionem? Quantas ex eis per totum Christianum orbem constituit domos seu civitates refugii, ut quicunque peccaverint ad mortem, et æternæ mortis rei judicati fuerint, reminiscantur et convertantur ad Dominum, et confugiant ad eas, et salventur in eis? Quæ schismata Ecclesiæ non sedavit? quas non confudit hæreses? quam pacem inter dissidentes ecclesias et populos non restituit?

Digitized by Google

Et hæc quidem communia sunt. Cæterum quæ bona innumeris hominibus singillatim præstitit pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?

41. Porro si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam; quia quicunque spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium [*al*; nimiam] istam nimietatem. Habet et facilem apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus justificat, tam multa, tam sublimia cum eo et per eum operando. Felix cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam. Fuerit autem bono juveni suspecta juventus sua; beatus quippe qui semper est pavidus : fuerit ei studium tantam virtutum plenitudinem quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare; sed et vita ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo servus Dei, etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quod servitio Dei et fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud **1080** reddiderit, ac pene inutile? Sed convaluit de infirmitate, et infirmus fortior et potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, extunc usque hodie digniorem quamdam apud homines ei efficit reverentiam, et in reverentia auctoritatem, et in auctoritate obedientiam.

42. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est (22), ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodo, sed omni tempore conversionis, et subjectionis, et prælationis suæ, ipso ordinante quo et agente, congruo ordine ad hoc instituebatur; et ignorans quid de se fieret, non solum monastico, sed et omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo et verbo in conventu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio vacans. Postmodum autem, cum ad alium vitæ et conversationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, et, sicut dictum est, necessitas infirmitatis, et ordo necessitatis a communi eum conversatione conventus plus solito sequestraret, hæc prima cœpit esse occasio ut, quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius commodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque et longius aliquando a monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientia traheretur, et quocunque veniret, undecunque locuturus, de Deo silere non posset, et agere quæ Dei sunt non cessaret, sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcunque oportebat non dissimularet. Sed et licet a primo flore ineuntis ætatis, fructibus Spiritus semper abundaverit, ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est, sicut Apostolus dicit, *manifestatio Spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII, 7); sermo scilicet fecundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ, operationes virtutum, et diversarum opitulationes sanitatum. Quorum quædam quæ certa narratione didici, qua fide a fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem et ipse legentibus resigno.

CAPUT IX.

De miraculis per eum patratis, et periculo arrogantiæ in eo mire per propinquos represso.

43. Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu servi sui mundo celebre Christus effecit. Cum aliquantos jam in Clara-Valle explesset annos, contigit virum nobilem, et ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate (22*), quod est oppidum proximum monasterio, graviter infirmari : qui, subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter et loquelam. Unde et filius ejus Josbertus junior, et omnes simul amici, eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione et Viatico vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, et invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, seu et motus lacrymis filii, simul et lugentium cæterorum, confisus est de misericordia Dei, et sermonem magnificum protulit, dicens eis : « Notum vobis est, quod in pluribus homo iste gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, et usurpatæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur, loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet sacramenta devotus. » Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exsultat : quidquid præcipit Homo Dei firmiter ei promittitur, et impletur. Cæterum frater ejus Gerardus, et Galdricus avunculus, non parum territi et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens : « Facile, » inquit, « facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. » Itaque post secretam orationem, ad oblationem sacrificii immortalis accedit. Quo offerente nuntius supervenit, **1081** qui indicaret præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius ut Vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum Sacrificium venienti cum lacrymis et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit : et duobus post hæc aut tribus diebus vivens et loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractatione servari. Sed et disposuit domui suæ, et eccle-

(22) Cap. 1, n. 2.

(22*) Gallice *La Ferté-sur-Aube*.

Digitized by Google

mosynas dedit : et sic demum Christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit.

44. Revertebatur aliquando Pater sanctus a pratis, et obviam habuit mulierem parvulum filium in brachiis deportantem, quem de longe attulerat ad eum, ab utero matris habentem manum aridam, et brachium tortum. Motus autem lacrymis matris et precibus, jussit puerum deponi; factaque oratione continuo signans puerum, et brachium et manum ejus, dixit mulieri ut vocaret filium suum. Vocavit illa infantem, et ille accurrit, et utroque brachio amplexatus matrem suam, sanus factus est ex ea hora.

45. Erant autem hujus beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his quæ audiebant et videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati, et novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, et Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant : ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, et hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas improperiis et opprobriis affligentes. Narrare solet venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti Viri et propinquus sanguine, et conversione socius, et extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manus ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus adfuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis (23) in territorio Senonum, et juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti Patris tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum eum atque incolumem invenerunt. Cæterum sæpe dictus beati Viri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo, quominus increparet eum, et præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem : tanta siquidem charitate pro eo sollicitus erat.

CAPUT X.

De aliis sanitatum beneficiis erga diversos præstitis.

46. Circa idem tempus accidit ut avunculus ejus Galdricus, qui et ipse zelo simili ejus mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili obsecratione compellat ut sui misereatur, et opem sibi ferat quam cæteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, et opponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tandem [*al.* tamen] manum imponit, et febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in cæteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-Valle aliquantos jam perageret annos, fervens spiritu, et totius boni æmulator, ex hac luce migravit : qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, et toto corpore terribiliter motus infremuit; sed ad pristinam serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, et in magna sese gratularetur felicitate locatum, demum interrogatus est, **1082** quidnam sibi voluerit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem quod ea hora duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent : unde territus ita contremuit, sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

47. Longum esset cuncta narrare quæ super his qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conversationis, et minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, et habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem quid sibi esset, quatuor lacertis [*al.* dilaceratis] sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus a facie Viri Dei, qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit : « Præcipio tibi, in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. » Et conversus ad orationem pro eo, et oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem similiter subvenire monebat. Nec vero destitit, donec post paucos dies, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione, meruit consolari.

48. [Vir reverendissimus Humbertus, Igniacensis (25*) postea cœnobii ædificator et primus pater, in Clara-Valle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, ut septies corruens una die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus in lectulo teneretur. Adveniens autem venerabilis Abbas, et sic inveniens virum, quem pro sua sanctitate speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, et ait : « Quid facimus? Eamus, oremus. » Ut autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tenentium obdormivit : qui

(23) Gall. *Château-Landon.*

(25*) Vulg. *Igny*, in diœcesi Remensi, fundatur an. 1127.

Digitized by Google

sequenti die Dominica, de manu ejus Sacramenta suscipiens, perfectam adeptus est sospitatem, ut nihil unquam deinceps tale pateretur.]

49. Circa hoc tempus in regno Galliæ et finitimis regionibus fames invaluit : servorum autem suorum horrea Domini benedictio cumulavit. Siquidem usque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat. Sed et tunc quoque post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix usque ad Pascha sibi eam posse sufficere æstimabant. Cum autem emere vellent, sumptus non invenerunt, quod longe carius solito venderetur. Itaque ipso tempore quadragesimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluxit; quibus erogantes fideliter quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona usque ad messem ipsi pariter, et qui superveniebant pauperes, alacriter sustentabantur. Virum pauperem non longe a monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira et furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec vivere sineretur. Sæpius denique et vocis usum, et sensum omnem corporis amittebat; iterumque redibat non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad Virum Dei in monasterio demorantem, et ei tragœdia miserabilis explicatur : qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem usurpasse, vocans ducs e fratribus, ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti ejus vasculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti virtute, a læsione Christiani jubet dæmonem prohiberi. Factum est ut præcepit; et miserum hominem, post tantos cruciatus, fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

1083 CAPUT XI.

De miraculo epistolæ in imbre scriptæ, nec madefactæ, et aliis quibusdam stupendis.

50. Frater Robertus, ejusdem sancti Viri monachus et secundum carnem propinquus, in adolescentia sua quorumdam persuasione deceptus, Cluniacum sese contulerat. Venerabilis autem Pater posteaquam aliquandiu dissimulavit, eumdem fratrem statuit per epistolam revocare. Quo dictante, venerabilis Guillelmus, Rievallis postea monasterii primus abbas, in membrana scribens eamdem excipiebat epistolam. Erant autem ambo pariter sub dio sedentes : ad dictandum quippe secretius septa monasterii egressi fuerant. Subito autem inopinatus imber erupit : et is qui scribebat (sicut ipso referente didicimus) chartam reponere voluit. Ad quem Pater sanctus : « Opus, » inquit, « Dei est; scribe, ne timeas. » Scripsit ergo epistolam in medio imbre sine imbre. Cum enim undique plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis, et quæ dictabat epistolam, schedulam quoque pariter conservabat. Et hæc quidem epistola ob tam grande miraculum, in codice epistolarum ejus a fratribus non immerito prima est ordinata (24).

51. Agebatur solemnitas quædam præcipua, et frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, et ruborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam non poterat ad interiora trajicere, et diu multumque conatus, cum nullo modo prævaleret, anxius et tremebundus clausam ore servabat. Expleta denique hora orationis sexta, Patrem sanctum traxit in partem : cujus pedibus advolutus, cum multis ei lacrymis quod patiebatur aperuit, et aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum, confitentem absolvit, et ex eo sine difficultate recepit dominica Sacramenta.

52. In minimis etiam rebus magna per eum novimus contigisse. Venerat aliquando Fusniacum (24'), quæ est abbatia una de primis quam ipse ædificavit, in Laudunensi territorio sita. Cumque novi ibidem oratorii dedicatio pararetur, ita illud occupaverat muscarum incredibilis multitudo, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit sanctus : « Excommunico eas; » et mane omnes pariter mortuas invenerunt. Cumque pavimentum omne operuissent, palis ejicientes eas, ita demum basilicam mundaverunt. Hoc autem tam notum et tam celebre fuit, ut inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo convenit, muscarum Fusniacarum maledictio in parabolam verteretur.

53. In eo quoque monasterio, cui Charus-Locus (25) nomen est, puerum quemdam, qui incessanter flebat et ejulabat, Vir sanctus osculo sanavit. Cum enim, per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsum alloquens Pater sanctus monebat ut suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subito vultum serenans, petiit a beato Patre sibi osculum dari. Acceptoque osculo pacis ex ore Sancti, in omni protinus pace quievit; et, lacrymarum fonte siccato, lætus et incolumis est regressus ad propria.

54. Exeunti aliquando Abbati post fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei pater obtulit, supplicans ut ei manum imponere dignaretur. Excusabat autem se Vir Dei, dicens non se esse illius meriti, a quo talia deberent beneficia postulari; claudis reddere gressum apostolicæ esse, non suæ

(24) Et quidem ab auctore tertiæ Vitæ, ex cap. 6 infra.

(24') *Foigny*, fundatur an. 1121.

(25) *Charlieu*, in diœces. Bisuntin, fundatum an. 1131.

Digitized by Google

virtutis. Victus tamen patris instantia, signavit puerum, ac dimisit. Qui ex ea hora convaluit, et intra paucos dies ab eodem iterum patre **1084** cum multa gratiarum actione reductus incolumis oblatus est Viro Dei.

55. Divertit aliquando nobilium cohors militum ad Claram-Vallem, ut viderent locum, ac sanctum ejus Abbatem. Prope autem erat sacrum Quadragesimæ tempus : et illi omnes fere juvenes dediti militiæ sæculari, circumibant quærentes exsecrabiles illas nundinas, quas vulgo tornetas (26) vocant. Cœpit itaque ab eis petere, paucos illos qui ante Quadragesimam supererant dies, ne armis interim uterentur. Quibus obstinato animo ejus acquiescere monitis renuentibus : « Confido, » ait, « in Domino, quod ipse mihi dabit inducias quas negastis. » Et accersito fratre, jubet eis cerevisiam propinari, benedicens eam, et dicens ut potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inviti præ amore sæculi, metuentes eum quem postea sunt experti divinæ virtutis effectum. Ut enim egressi sunt monasterii fores, mutuis sese cœperunt inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, et currente velociter verbo ejus, eadem hora reversi, et conversi a viis suis, spirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo, quidam autem cum eo jam regnant, carnis vinculis absoluti.

56. Quid autem mirum quod devotis hunc hominem colit obsequiis major ætas, in cujus devotionem divina virtus ipsam quoque infantiam excitat expertem adhuc rationis, et devotionis ignaram? Norunt multi illustrem juvenem Waltherum de Monte-Mirabili (27), cujus patruus frater Walterus, inter eos quos prædiximus milites, sacram in Clara-Valle militiam est professus. Hunc ergo Waltherum juniorem, cum adhuc infantulus esset, et necdum ab ortu suo mensem tertium explevisset, mater [*al.* esset, adhuc anniculus sola posse cognoscere ubera cognosceretur, mater, etc.] sua benedicendum obtulit Viro Dei, gratulabunda et exsultans quod in domo sua hospitem mereretur habere tam sanctum virum. Cumque Vir Dei, sicut semper et in omni loco facere consueverat, de salute et ædificatione animarum ad circumpositos loqueretur, prædicti mater infantis tenens eum in gremio, sedebat secus pedes ipsius. Accidit autem ut inter loquendum aliquando manum protenderet, et apprehendere eam conabatur infantulus. Advertitur tandem conatus parvuli, cum sæpius id fecisset; et mirantibus universis datur ei facultas ut manum possit apprehendere quam optavit. Tum vero mira admodum reverentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam, tulit ad os suum, et osculatus est eam. Neque id semel tantum, sed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permissus est.

(26) Gallice *tournois*.

CAPUT XII.

De altercatione Bernardi cum diabolo. De sanitate per beatam Virginem ipsi reddita. Item ac abbate Guillelmo ab eo sanato.

57. Infirmabatur aliquando Homo Dei, et velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore fluebat. Unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii et amici ejus velut ad exsequias tanti Patris : et ego ipse inter cæteros adfui, quod me quoque ejus dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem et Satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, et Viro Dei esset pro sua parte dicendum, nil territus aut turbatus, ait : « Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vindicans, non confundor. » In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, et Homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta.

58. Siquidem velut in littore quodam positus videbatur **1085** sibi navem quæ se transveheret exspectare : cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, et illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, et non revertebatur. Intellexit autem protinus necdum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique magis molestus, quominus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut cæteris fratribus, juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, et supra vires dolor excresceret, advocans alterum e duobus, jubet citius oratum ire. Excusantem denique et dicentem, « Non sum ego talis orator; » obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, et oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria. Primum, in honore beatæ Dei Genitricis : duo circumposita, in honore beati Laurentii martyris, et beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, et beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate et suavitate quæ eos decebat, et tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ, personas quoque discerneret singulorum. Imponentesque ei ma-

(27) Vulg *Montmirail*.

Digitized by Google

nus, et loca doloris attactu plissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim illico phlegmatis rivus, et dolor omnis abscessit.

59. Cum autem et ego ægrotarem aliquando in domo nostra, et jam me nimium fatigasset et attrivisset in longum nimium se protendens ægritudo, audiens hoc misit ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum, mandans me venire ad Claram-Vallem, spondens me ibi cito aut curandum, aut moriturum. Ego vero quasi divinitus accepta vel oblata facultate, seu apud eum moriendi, seu aliquandiu cum eo vivendi (quorum quid maluerim tunc, ignoro), profectus statim sum illuc, quamvis cum nimio labore ac dolore. Ubi factum est mihi quod promissum fuerat, et, fateor, sicut volui. Reddita quippe mihi sanitas est a magna et periculosa infirmitate; sed paulatim vires corporis redierunt. Deus bone, quid mihi boni contulit illa infirmitas, feriæ illæ, vacatio illa? Ex parte id quod volebam! Nam et cooperabatur necessitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas ejus, qua et ipse tunc temporis detinebatur. Infirmi ergo ambo, tota die de spirituali physica animæ conferebamus, de medicamentis virtutum contra languores vitiorum. Itaque tunc disseruit mihi de Cantico canticorum, quantum tempus illud infirmitatis meæ permisit, moraliter tantum, intermissis mysteriis Scripturæ illius, quia sic volebam, et sic petieram ab eo. Singulisque diebus quæcunque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat, et memoria me juvabat. In quo cum benigne et sine invidia exponeret mihi, et communicaret sententias intelligentiæ et sensus experientiæ suæ, et multa docere niteretur inexpertum, quæ nonnisi experiendo discuntur, etsi intelligere non poteram adhuc quæ apponebantur mihi, plus tamen solito intelligere me faciebat quid ad ea intelligenda deesset mihi. Sed de his huc usque dixisse sufficiat.

60. Cum autem, instante Dominica quæ Septuagesima denominatur, vespere sabbati Dominicam ipsam præcedentis, jam tantum convaluissem ut valerem de lecto per me surgere, et solus exire et intrare possem, cœpi disponere de reditu nostro ad fratres nostros. Quod ipse auditum omnino prohibuit, et usque ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditus, et conatum interdixit. Acquievi facile, cum quod præcipiebatur, et voluntas non abnueret, et infirmitas requirere videretur. Cum autem ultra Dominicam illam Septuagesimæ, a carnibus, quibus usque ad diem illam, ipso præcipiente et necessitate cogente, vescebar, vellem abstinere, et hoc ipsum prohibuit. Super quo cum nec monenti acquiescerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti, sic vespera illa sabbati ab invicem **1066** discessimus; ille tacitus, ad Completorium; ego, ad lectum. Et ecce infirmitatis meæ rabies rediviva, quasi resumptis omnibus viribus pristinis, cum tanta me vehementia et ferocitate invadens corripuit, tantaque malignitate tota nocte illa devastando cruciavit, supra vires, supra virtutem, ut de vita desperans, vix saltem usque ad diem, ut vel semel adhuc loquerer Viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxissem, summo mane accersitus ille advenit, non tamen afferens mihi, quem solebat, vultum compatientis, sed quasi arguentis. Subridens tamen: « Quid, » inquit, « hodie comeditis? » Ego vero qui jam, ipso tacente, besternam inobedientiam certissime interpretabar causam esse illius afflictionis meæ · « Quidquid, » inquam, « præcipietis. » « Quiescite ergo, » ait, « non moriemini modo. » Et abiit. Et quid dicam? Confestim et omnis dolor abiit: nisi quod fatigatus nocturno illo dolore meo, tota ipsa die vix de lecto surgere prævalui. Quis enim aut qualis fuit ille dolor? Non recolo similem me aliquando fuisse perpessum. In crastino autem sanus factus sum, et vires recepi: et paucis interpositis diebus, cum benedictione et gratia bona boni hospitis mei, ad propria reversus sum.

CAPUT XIII.

De fama sanctitatis ejus ubique divulgata, et ipsius Claræ-Vallis mirabili propagatione. Item de spiritu prophetiæ ipsi concesso.

61. Cumque dilectus Deo et hominibus Bernardus in illa valle sua et vicinis civitatibus et regionibus, quas aliquoties eum invisere domesticæ curæ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus et miraculis, cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu charitate fratrum, seu obedientia majorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes ecclesias et principes sæculi reformare, causas humano sensui et consilio interminabiles, auxilio Dei pacifice terminare, et, virtute potius fidei quam spiritu hujus mundi, de multis hujusmodi impossibilibus possibilia faciendo, quasi montes transferendo, magis ac magis in oculis omnium mirabilis et venerabilis apparere. Maxime vero in tantum in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, ut dura etiam corda auditorum ad conversionem emolliret, et vix aliquando vacuus domum rediret Postmodum vero feliciter proficiente et usu sermonis et exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est ut in brevi majori miraculo præ omnibus quæ in hac vita gessit miracul's, per unum hominem languidum et seminecem, et tantummodo loqui valentem, obscura usque ad illud tempus illa vallis, et re et nomine Clara-Vallis efficeretur, divinæ cujusdam claritatis lumen, quasi de summo quodam apice virtutum diffundens in devexa terrarum. Et extunc apud vallem illam, quæ prius dicebatur vallis Absinthialis et amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuerat et sterilis ab omni bono, cœpit abundare spiritualis

Digitized by Google

frumento, et de rore cœli et benedictione Dei in tantum pinguescere omnia deserta ejus, et multiplicata gente magnificare lætitiam, ut impletum in ea videatur quod olim per prophetam dictum est ad civitatem Jerusalem : *Adhuc*, inquit, *dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est locus, fac locum ut habitemus. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos ? Ego sterilis et non parturiens, et istos quis enutrivit ?* (*Isa.* XLIX, 20, 21.)

62. Jam enim de locis angustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis, non sine divinis quibusdam revelationibus translatæ in locum planiorem et spatiosum, magnificatæ ibi et amplificatæ sunt, et adhuc multitudini inhabitantium ipse locus angustus est. Jam domus Ordinis illius, filiæ domus ipsius, citra et ultra Alpes et maria, deserta plurima impleverunt, et adhuc sunt et quotidie confluunt, quibus locus quærendus est. Et petuntur undique fratres et mittuntur, cum beatos se æstiment reges gentium et præsules Ecclesiarum, **1087** civitates et regiones, quæcunque de domo illa et disciplina Viri Dei meruerint contubernium aliquod adipisci. Quid dico ? Ultra homines, usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, religio hæc profecta est : ubi per eam bestiæ silvæ homines fiunt, et cum hominibus assuetæ conversari, discunt cantare Domino canticum novum. Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, non cessat laxare retia in capturam ; et aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum eorum, nunquam sanctæ illius congregationis minuitur plenitudo. Hoc usque nunc egerunt et quotidie agunt mirificæ ejus capturæ, Catalaunensis, Remensis, Parisiacensis, Magustinensis, Leodiensis, et aliarum nonnullarum civitatum ; Flandriæ quoque et Germaniæ, Italiæ, Aquitaniæ, et aliarum regionum, quascunque quacunque necessitate contigit aliquando, seu adhuc usque hodie contingit Virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratia Spiritus sancti, quocunque vadit, plenus redit, et sua eum plenitudo ubique comitatur.

63. Nec dimittit suos, quos a se transmittit ; sed ubicunque sunt, et ipse semper paterna sollicitudine cum eis est : et sicut ad locum unde exeunt flumina revertuntur, sic ad ipsum quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum. Sæpe etiam sine omni revelatione carnis ac sanguinis, paternæ ejus sollicitudini divinitus innotescit quid circa aliquos eorum longe a se distantes agatur si quid eis providendum, si quid in eis emendandum sit, tentationes et excessus eorum, infirmitates et obitus, et quarumlibet sæcularium tribulationum incursus. Nam et pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit. Nonnunquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus et licentiam postulantes : nimirum hoc agente et obedientia missorum, et charitate mittentis. Veneram aliquando ad eum, et dum loquerer ei, vidi et audivi quod silere non debeo. Aderat monachus quidam Fusniacensis, continuo ad suos rediturus. Cumque, accepto responso super his pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur, in spiritu et virtute Eliæ revocans eum Propheta Dei, et nomine fratris cujusdam de domo illa præmissa, de occultis quibusdam me audiente mandavit illi ut ea corrigeret : sin autem, super se judicium Dei in proximo exspectaret. Stupefactus ille, quis hoc ei dixerit, requisivit. « Quisquis, » inquit, « dixerit mihi, tu vade, et dic quæ ego dico tibi ; ne, si dissimulaveris, te quoque involvat par pœna peccati. » Mirabar super hoc, sed miranti mihi in simili penitus causa multo mirabiliora de eo narrata sunt.

64. Guido namque, frater ejus major natu inter fratres suos, cujus gravitatis et veritatis fuerit vir, omnes sciunt qui eum scire potuerunt. Hic, cum simul aliquando [*al.* alicubi] essemus, et de hujusmodi loqueremur, et quærerem ego ab eo, sicut jucundæ ad amicos collocutionis esse solebat : « Fabulæ, » inquit, « sunt quæ auditis. » Cumque suo more et solito studio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet esse molestus : « Quæ, » inquit, « nescio, non dico vobis ; sed unum scio et expertus sum, multa ei in oratione revelari. » Deinde narravit mihi quomodo, cum primo melli flua illa spiritualium apum alvearia nova de se examina circumquaque proferre, novasque ex eis domos Ordinis sui ædificare cœpissent, petente et agente domino Guillelmo episcopo, in episcopatu Catalaunensi eam, quæ Trium-Fontium (28) dicitur, construxerunt. Ad quam cum abbatem cum monachis emisissent dominum Rogerium, virum nobilem secundum sæculum, sed nobiliorem sanctitate, et viros quosdam similis formæ cum eo, spiritualis Pater filios, quos emisit, non dimisit, sed paterna sollicitudine et pia affectione cum eis erat. Unde cum die quadam soli simul essent Abbas et ipse, cujus hoc relatione didici, et de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur, subito altius suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente : « Vade, » ait fratri suo, « ora pro eis ; et quidquid de eis ostenderit tibi Deus, refer ad me. » Ipse enim gravissima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. At ille vehementer expavescens **1088** : « Absit ! » inquit, « non sum qui hoc modo noverim orare, qui hoc merear impetrare. » Perseverante tamen eo in sententia, itum est, et oratum. Orans ergo quantum prævaluit, pro singulis effudit animam suam : tantaque per singulos in orando perfusus est suavitate conscientiæ, tantaque impetrandi fiducia, et omni gratia spiritualis consolationis, ut in omnibus certa fide exauditum se exsultaret spiritus ejus, exceptis duobus, in quibus oratio titubavit, hæsitavit devotio, fiducia

(28) *Troisfontaines*, in ducatu Barensi, fundat. an. 1118.

Digitized by Google

defecit. Quod cum retulisset ad eum a quo missus erat, ille statim pronuntiavit de illis duobus, quod postea probavit eventus.

65. Abbas autem Rogerius, et aliqui qui cum eo erant, ipsi fuerunt quos Vir Dei aliquando de Catalaunensi traxerat civitate, de quibus vel in quibus etiam tunc simile quid fuerat factum. Cum enim episcopi gratia Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium et litteratorum, clericorum et laicorum. Quibus adhuc in domo hospitum demorantibus, dum novellas plantationes cœlestibus rigaret eloquiis, supervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreio (29), magistrum eorum, adesse ad renuntiandum sæculo, et cum eis commorandum. Quis alius de talis viri adventu non exsultasset, præsertim cum vallis illa hujusmodi frumento non multum adhuc abundaret? Ipse vero, revelante sibi Spiritu sancto insidias spiritualis nequitiæ, tacitus aliquantulum ingemiscens, erupit in vocem, audientibus universis : « Malignus, » ait, « spiritus huc eum adduxit. Solus venit, solus revertetur. » Obstupuere omnes, qui prius audito ejus adventu non se capere poterant præ lætitia. Verumtamen ne pusillos adhuc scandalizaret filios, suscepit hominem, de perseverantia aliisque virtutum studiis studiose commonuit; et sciens et prævidens omnia promittentem nihil acturum, cum vere Deum quærentibus et perseveraturis in cellam Novitiorum probandum intromisit. Sed de omnibus quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Vidit idem Stephanus, sicut confessus est, cum in cella Novitiorum adhuc demoraretur, maurulum quemdam puerum ab oratorio se extrahentem. Ubi novem ferme mensibus degens, novissime tamen defecit, et, ut de eo prædictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit. Frustrata autem est et versutia inimici, et quem novitiorum paraverat in ruinam, de ipsius potius ruina illi confirmati sunt.

66. Priusquam a Catalauno recedamus, cum aliquando Pater sanctus inde rediret, frigore et vento tam ipse quam qui cum eo erant graviter laborabant. Cumque præcedentibus multis, qui tunc forte in comitatu ejus erant, nec præ angustia frigoris ad eum attendentibus, pene solus ipse sequeretur, contigit equum unius de duobus qui cum eo erant, incaute dimissum evadere, et excurrere per planitiem late patentem : quem cum apprehendere non possent, et intemperies aeris ad hoc non permitteret vacare diutius, « Oremus, » inquit, flexisque genibus in oratione cum fratre qui cum eo erat, vix adhuc dominicam poterant orationem explevisse, cum ecce equus ille cum omni mansuetudine rediens substitit ante pedes ipsius, et redditus est sessori suo.

CAPUT XIV.

De aliis quibusdam beneficiis divinitus per eum præstitis; et honorum seu dignitatum fuga.

67. Et ut a Catalauno ad Remensem civitatem pertranseamus, contigit aliquando dissentientibus archiepiscopo et populo Remensi, ad conciliandos eos adesse Virum Dei. Cumque in palatio ejusdem civitatis cum Josleno Suessionensi episcopo consedisset, et, magna cleri plebisque frequentia repleta domo, de pace tractaretur; ecce coram omnibus misera mulier filium suum, plenum (ut putabatur) dæmone, ei offerens, misericordiam precabatur : siquidem jam ea ipsa die insurgens in ipsam matrem suam, pene eam occiderat, et mutus effectus et cæcus, et surdus, apertis oculis non videbat, et stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus vero miseræ matri, quam maxime 1089 sensus doloris illius excruciabat, misero adolescenti blandiens, et piis manibus caput ejus et faciem demulcens, alloqui eum cœpit, et quomodo in matrem suam mittere manus præsumpserit, sciscitari. Ille vero ad se reversus, continuo peccatum suum recognovit, et deinceps emendationem promittens, incolumis restitutus est matri suæ. In monasterio quoque, quod Alpense (30) dicitur, inter cæteros qui curam requirebant infirmos, venit ad eum mulier quæ eadem duco morbo laborabat. Hæc in ipsa hora, cum staret coram eo, a repentino impetu mali illius corruit. Sed apprehensa Vir Domini manu ejus, continuo erexit eam; nec tantum in illa hora, sed perfecte omnino curata est ab infirmitate sua.

68. Ducissa Lotharingiæ, femina nobilis, sed non tam nobiliter victitans, cum vidisset aliquando in somnis hominem illum Dei serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis attrahentem, postmodum ad religiose vivendum (31) ejus admonitione conversa, usque hodie se esse de qua septem dæmonia ejecerit, gloriatur. Novi ego clericum quemdam, Nicolaum nomine, sæculo pene desperabiliter deditum, sed per eum de sæculo liberatum : qui cum in Clarâ-Valle monasticæ conversationis habitum et ordinem suscepisset, videns eos qui de sæculi naufragio illuc confugerant, naufragii sui damna continuis redimere lacrymis, idem ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui, rogabat eum cum magno cordis dolore, ut impetraret sibi a Deo gratiam lacrymarum. Oravit, tantamque ei et tam continuam impetravit compunctionem cordis cum gratia lacrymarum, ut vix aliquando ultra invenirentur vultus ejus in di-

(29) Vulg. *Vitry.*
(30) Cisterciensibus aggregatum an. 1136, diœces. Gebennensis.
(31) Nempe in parthenone Tartensi, Ordinis Cisterciensis, tunc prope, nunc intra Divionem, ut patet tum ex tertiæ Vitæ cap. 7, tum ex litteris Matthæi Lotharingiæ ducis ejus filii pro eodem parthenone apud Chiffletium, ubi hæc ducissa Athelaidis appellatur. Vide epistolam 119.

Digitized by Google

versa mutati, vel oculi ejus sine lacrymis, etiam cum comederet, cum iret per viam, vel dum cum quolibet loqueretur.

69. Tot sunt et tantæ quas in hunc modum de eo audivimus et vidimus virtutes, et circa diversas hominum necessitates diversæ opitulationes, ut si quis omnia velit vel verbo pronuntiare vel scripto, fastidiosis incredulitatem, vel incredulis possit generare fastidium. In omnibus autem operibus suis quam purus ei sit oculus intentionis, manifeste denuntiat corpus lucidæ operationis. Summos quippe honores ecclesiasticos et sæcularium principum favores, quasi dignum eum jugiter persequentes, non jactanter respuendo, sed religiose et rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quæsierit, quid ambierit, manifeste declarat. [Mediolani, Remis, clero eligente, populo acclamante, in archiepiscopum nominatus est; Catalauni, Lingonis, in episcopum : et id ipsum in multis jam aliis civitatibus actum fuisset, si consensus ejus aliqua spes esse potuisset.] Cumque dignus esset ut cogeretur, nescio quo judicio Dei, et singularis reverentia sanctitatis jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur. Sed cum hoc modo mundi hujus fugit honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem, dignus in conscientiis omnium, qui in timore et amore Dei timeatur et ametur : quo præsente, ubicumque fuerit, nihil contra justitiam audeatur; cui ubicumque aliquid loquitur vel agit pro justitia, obediatur.

70. Ejusmodi fultus auctoritate in Ecclesia Dei, cum obedientiæ vel charitatis urget necessitas, nullam refugit incommoditatem laboris sui. Cujus enim voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis tam sæcularis, quam ecclesiasticæ dignitatis altitudo? Reges superbi, principes et tyranni, milites et raptores sic eum timent et reverentur, ut videatur in eis impletum, quod in Evangelio legitur Dominus dixisse discipulis suis: *Ecce*, inquit, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.* (*Luc.*, x, 19.) Porro inter spirituales, et ubi spiritualia spiritualiter examinantur, longe ei alia auctoritas est. Sicut enim dicitur per prophetam de sanctis animalibus, quia cum fieret vox supra firmamentum quod imminebat capiti eorum, *stabant, et submittebant alas suas* (*Ezech.* I, 25); sic hodie ubique terrarum spirituales quique loquente eo seu tractante stant, cedendo præcedenti; et sensibus ejus vel intelligentiis submittunt sensus et intelligentias suas. [Testantur hoc scripta ejus, quæ vel ipse scripsit, vel alii scripserunt, sicut ex ore ejus exceperunt.] Tanti ergo virum illum sanctum usque hodie apud Deum et apud homines commendant sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallant sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrant : quodque majus his omnibus et difficillimum est in rebus humanis, hæc ei omnia sine invidia adesse videntur. Compesoit autem ab eo invidiam, quod omni invidia major est, in quantum nequitia cordis humani hoc sæpe cessat homini invidere, quo non potest aspirare.

1090 71. Sed et ipse omnem invidiam aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius provocatione charitatis, aut, si nequior aut durior est, obruit pondere auctoritatis. Quis enim tam efficacis et affectuosæ prudentiæ hodie invenitur ad fovendam charitatem ubi est, ad provocandam ubi non est? tam ad quoscumque potest beneficus, ad omnes benevolus, tantam habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos? si tamen ullum aliquando potuit habere inimicum, qui nulli aliquando voluit inimicari. Sicut enim amicitia nonnisi duorum est, nec nisi inter duos amicos haberi potest . sic nec inimicitia nisi duorum forsitan inimicorum. Qui enim odit, vel non diligit diligentem se, non tam inimicus, quam iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua, nonnunquam tamen est quod patiatur, inimicante sibi gratis iniquitate aliena. Charitas autem quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate.

SUBSCRIPTIO OPERIS PRÆCEDENTIS, QUAM AUCTORE DEFUNCTO BURCHARDUS (32) ABBAS BALERNENSIS APPOSUIT

Præscriptum opus, quod de vita sanctissimi viri Bernardi Claræ-Vallis abbatis conscriptum est a venerabili Guillelmo pridem Sancti-Theoderici abbate, sed tunc jam monacho Signiacensis cœnobii (ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat), usque ad tempus schismatis adversus Innocentium papam a Petro Leonis conflati, digestum esse cognoscitur. Fuit autem præfato fideli viro specialis causa scribendi, amicitia et familiaritas, quibus viro Dei multo tempore conjunctus erat. Unde et tantam apud illum invenerat. gratiam, ut vix alter magis intimus inveniretur ad secreta mutuæ dilectionis communicanda, ad spiritualium mysteriorum conferenda colloquia. Cujus familiaritatis gratia ex eo præcipue usque modo prodit ad manifestationem, quia plures epistolas idem sanctus scripsit ad illum, in quibus quid de eo sentiat, manifeste liquet legentibus illas. Scripsit etiam ad ipsum librum Apologeticum, et alterum de Gratia et Libero Arbitrio. Fuit tamen eidem Guillelmo, speciali valentior, generalis causa scribendi, vide licet utilitas totius Ecclesiæ Dei; ne cum absconditur vas plenum thesauro desiderabili, ipse quoque thesaurus pariter abscondatur. Unde non immerito conqueritur, qui exponi desiderat dicens : *Thesaurus invisus, et sapientia abscondita : quæ utilitas in utrisque?* (*Eccli.* XX, 32.) Exponit iste divitias salu

(32) Ad eum epistola 146.

Digitized by Google

tis, thesaurum desiderabilem ne lateat cum gleba quod gleba nŏn est, sed pretiosissima margarita. Accidit tamen ei contra desiderium suum : quia, sicut ipse in præfatione sua vereri se denuntiarat, præoccupatus morte non explevit, quantum animo conceperat stylo mandandum. Itaque qui accedit ad lectionem operis hujus, facile satis intelliget, a quanta perfectione pius puer et religiosus Bernardus, velut alter Benedictus, primordia conversionis fuerit aggressus, qui et in utero matris significationem [*al.* sanctificationem] visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius vitæ pariter et doctrinæ. Quid etiam adolescens factus agere cœperit, in præscripto narratur opere; ac deinceps usque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantum, sicut jam dictum est, licuit optimo pictori, sed præoccupato.

LIBER SECUNDUS.

AUCTORE ERNALDO [*al.* ARNALDO] ABBATE BONÆ-VALLIS, IN AGRO CARNUTENSI.

1091 PRÆFATIO.

Virorum illustrium gesta nonnulli scriptorum laudibus attollentes, verbis ea solemnibus celebrarunt, quantum excellentis ingenii et disertæ linguæ potuere conamina. Cumque tractator et opus junctis complexibus pari sunt fœdere conjugati, et ad propositum thema ordinandum ingenium et eloquentia convenerunt, prospere actum est, et ad quietum tranquillumque portum directo gressu materia digne ordinateque disposita appulit. Ubi vero sublimitas negotii sub imperito artifice naufraga illiditur scopulis, et succumbente sensus hebetudine, tractatoris lassatur præsumptio, sero de correctione initur consilium : quia quæ in multos effusa sunt, nec revocari possunt, nec corrigi; et dissonantiam scripti et operum venustius esset abradi, quam emendari. Hæc ergo mecum reputans et revolvens, omnino timeo, ne sicut ipse multorum imprudentiæ soleo indignari, qui cum scientia et facundia careant, ad scribendum præcipites, cum se vehementer emunxerint, eliciunt sanguinem : ita et ego si quod supra me est aggrediar, me ipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scribenda gesta sanctissimi viri Bernardi Claræ-Vallis abbatis aspirem, qui nostris temporibus singulari religione floruit et doctrina : cujus odor exinanitus universam replevit Ecclesiam : cujus gratia, operante Domino, signis et miraculis declaratur? Quot in monasterium ejus litteratos viros, quot rhetores, quot philosophos sæculi hujus scholæ miserunt ad conversationem theoricam, et mores divinos? Quæ non ibi floruit disciplina, ubi erant examina magistrorum, et egregii viri exercitato intellectu insignes, qui divinis studiis inhærentes, multis gratiarum auctoramentis invicem se ipsos edocent et accendunt? [Quorum unanimis universitas cantat canticum graduum; et ascendens cum Jacob in summitate scalæ, in decore suo Deum videt radianti corona perspicuum.] Debuerant utique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere, et venerabilis Patris insculpere monumenta : ut esset eorum studio delectabilis pagina quam quasi viventem traderent legendam discipulis, et perpes fieret consolatio secus positis reliquiis sacri corporis et sermonis. Sed extrema æmulari, et quæ homines lateant, Claræ-Vallis consuevit humilitas : et proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt; et quietiores facit eos contemptus et abjectio, quam quælibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob hujusmodi causas sese intra silentii cardines retinentes, magis in sacco eremi, quam in socco [*al.* serico] palatii delectantur : nec jam in stylo, sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergo, sicut et in cæteris ejusmodi, negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ domno Guillelmo, qui ejusdem Viri sancti gloriosa primordia fideliter et devote conscripsit, ad meam exiguitatem hujus operis devenit petitio, et imposuit mihi dilectæ Ecclesiæ charitas, ut coquam pulmentum filiis Prophetarum. In quo si colocynthidas miscuero negligens, superjecta, **1092** ut confido, farinula condiet Elisæus, et excessus insipientiæ obedientiæ excusabit affectus.

CAPUT PRIMUM.

De pontificatu Innocentii II, opera S. Bernardi fortiter et feliciter vindicati. Item de profectione Pontificis in Gallias, et repressione Imperatoris.

1. Ea tempestate Honorius papa viam universæ carnis ingressus est (an. 1130). Nec mora, in electione dissidentibus cardinalibus, et divisa Ecclesia, plures numero, et saniores consilio, vita probabiles, viri virtutum, presbyteri, diaconi, episcopi, Innocentium elegerunt : cujus vita, et fama, et ætas, et scientia digna summo sacerdotio habebantur. At vero pars altera, infames ausus violentia, non ratione corroborans, Petrum Leonis, ad hunc apicem aspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum et præcipitanter nominavit Anacletum, et cæteris renitentibus ordinavit. Qui vero in parte catholica erant, electum suum solemniter ordinatum collocarunt in cathedra,

Digitized by Google

et per loca illa, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani pontifices, circumduxere, et pro tempore honor debitus apostolicæ adfuit dignitati. Et tunc sane circa Lateranense palatium morabantur, nec erat jam eis tuta in domibus propriis mansio, cum eos acerrime Petri satellites infestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per confœderatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseveravit fidelitas. Nam in brevi, aut vi, aut formidine temerariæ multitudinis, aut pretio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium sibi affinitate, multitudo tanta erat, ut fere tota eum civitas sequeretur, vel pecunia, vel commodis obligata. Congregaverat sane opes innumeras tam in exactionibus curiæ, quam in legationum negotiationibus, quas ad exspectatas nundinas reservarat. Insuper et paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modo distributa in populum, ad fas et nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis evulsit altaribus. Et cum calices frangere, et crucifixos aureos membratim dividere ipsi profani Christiani vel timerent, vel erubescerent; Judæos aiunt esse quæsitos, qui sacra vasa et imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quisque pro modo suo secundum majus et minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publice Petro vendiderunt assensum, et in omnem sanguinem manus exposuerunt et arma, et quotidianis congressibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur et gladiis.

2. Habuere igitur servi Dei consilium : et quia vi humana se tueri non poterant, cedere elegerunt; et procuratis clam navigiis, de ore Leonis et de manu bestiæ per Tiberim in Tyrrhenum mare elapsi, prosperis ventis carbasa impellentibus, in portum Pisanum feliciter appulerunt. [Audito tantorum virorum adventu, et cognita causa, propter quam de Urbe exierant, gratulata est Pisa, quod ad se Romani nominis gloria transferretur, **1093** et illis perpetuæ sibi infamiæ insculpentibus notam, sibi nominis æterni et perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati et consules, et domini Papæ pedibus advoluti, gratias agunt, quod eos tanto dignos judicaset honore, ut eorum eligeret urbem, quam propria dignaretur illustrare præsentia. « Tua est, inquiunt, civitas, nos populus tuus : nostris stipendiis famulamur tibi ; imo in usus tuos respublica quidquid apud se repositum habet, exponet. Nihil duplicitatis invenies in Pisanis : non modo adhærebunt, modo resilient ; modo jurabunt, modo juramenta dissolvent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis et cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax, nec extra meticulosa. Nos nec servi sumus, nec domini : sed concives et fratres, honore invicem prævenientes, non seditiosis ausibus alterutrum provocantes. Domi mansuetudine utimur : fortitudinem nostram sæpe extranei experiuntur. Nos, Pœnis subactis et A Balearibus insulis subjugatis, terra marique de piratis et dyscolis triumphantes, reges eorum captivos in vinculis Pisam induximus : de quorum spoliis et varia supellectile in adventu tuo ornantur compita et plateæ, et lætabunda civitas coronatur. » Post hujusmodi verba populo obviam procedente, præ innumerabili multitudine vix patebat advenientibus via : sed pedetentim procedentes, desideratam sui copiam prospicientibus per fenestras matronis et virginibus et parvulis cardinales præbebant, et porrectis hinc inde benedictionibus, usque ad beatæ Mariæ canonicam, dominus Papa cum comitatu suo gloriose deductus, et honorifice susceptus est.]

3. Præmissi, antequam de Urbe egrederetur, a domino Papa in Gallias fuerant nuntii, qui dissensionis et schismatis a Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent Ecclesiæ, et hortarentur episcopos, ut in ultionem præsumptionis hujus accingerentur, et damnata parte schismatica, subscriberent unitati. Necdum vero ad plenum tenor operis innotuerat episcopis, nec privatim quisquam commodare præsumpsit consensum, donec collecto Stampis generali conventu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, cæteris regionibus proclivibus ad schismata, aliquando tali factione [*al.* Guiberti vel Burdini susceptione] fœdata est, nec malignorum adquievit erroribus : nec fabricata est idolum in Ecclesia, venerata in Petri cathedra monstrum. Nec enim talibus in causis principalia aliquando eos terruerunt edicta, aut generalibus utilitatibus privata commoda prætulerunt; nec declinantes in partem, personis detulere, sed causis : sed si quid oportuerit, fortiter persecutionibus obviarunt, nec damna nec exsilia formidarunt. Convocato igitur apud Stampas concilio, abbas sanctus Claræ-Vallensis Bernardus, specialiter ab ipso rege Francorum et præcipuis quibusque pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus et tremebundus advenit, periculum quippe et pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem ; unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, et precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex et episcopi cum principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, et ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille, timens licet et tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens suscepit, et diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam et famam prioris electi, aperuit os suum, et Spiritus sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit : et ratum esse omnes pariter acclamarunt, et decantatis ex more laudibus Deo, **1094** obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

Digitized by Google

4. Interea dominus Papa, multis in Pisis, et in Tuscia, et in aliis provinciis potestative dispositis, valefaciens Pisanis et gratias agens in Provinciam navigio delatus est, et Burgundiam transiens Aurelianum pervenit: ubi, occurrentibus episcopis, a rege piissimo Francorum Ludovico alacriter et honorifice susceptus est. Inde a Gaufrido Carnotensi episcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: ubi etiam gloriosus Anglorum rex Henricus ei cum maximo episcoporum et procerum comitatu occurrit. Hunc quoque regem venerabilis Abbas ad eum præmissus adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere, ab episcopis Angliæ penitus dissuasum. Cum enim omnimodis recalcitraret et detrectaret: « Quid times, » ait? « Times peccatum incurrere, si obedias Innocentio? Cogita, » inquit, « quomodo de aliis peccatis tuis respondeas Deo; istud mihi relinque, in me sit hoc peccatum. » Ad quod verbum persuasus rex ille tam potens, extra terram suam domino Papæ occurrit usque Carnotum. [Multa ibi dicta et facta sunt: multaque ibi sæcularia et ecclesiastica negotia definita.]

5. Reversi interim de Germania legati domini Papæ, tam episcoporum, quam Regis assensum et litteras detulerunt, et deprecationem publicam, ut ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam. Facile enim persuasi sunt recipere eum, quem jam cæteri recepissent. Sed detinuit eum dilectio et devotio Ecclesiæ gallicanæ; et singuli et omnes visitationem apostolicam expetebant. Perlustrata igitur Francia, Remis convocavit concilium (an. 1131), in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum, vivente patre, pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus nis dominus Papa Abbatem a se separari non patiebatur, sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed et privatim quotquot habebant negotia, Virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad curiam, et oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto concilio, Leodium dominus Papa Romanorum regi occurrit (33). Et honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab eius prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana Ecclesia vindicarat. Ad quod verbum expavere et expalluere Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romæ. Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.

6. Rediens autem Leodio, Claram-Vallem dominus Papa per se ipsum voluit visitare: ubi a pauperibus Christi, non purpura et bysso ornatis, nec cum deauratis Evangeliis occurrentibus, sed pannosis agminibus scopulosam bajulantibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa jubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est. Flebant episcopi, flebat ipse summus Pontifex: et omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam solemni gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris ipsi neminem viderent, et ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitavit aspectum; nihil in oratorio nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnosa poterat esse fratribus hujusmodi præda, cum minui non posset asportata religio. Gaudebant omnes in Domino, et solemnitas non cibis, sed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus (34) pro simila, pro carenio sapa, pro rhombis **1095** olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si forte piscis inventus est, domino Papæ appositus est, et aspectu, non usu in commune profecit.

7. Invidit diabolus, et servorum Dei gloriam, quos tanti hospitis nobilitabat præsentia, ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent et devote, præsentibus etiam nonnullis ex cardinalibus, qui in auditu et aspectu eorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pavore turbavit. Nam et unus præ cæteris occupatus, blasphema quædam verba locutus est, « Dicite, » inquiens, « Ego sum Christus: » et alii plures territi et tremebundi, ad beati Patris vestigia confugerunt. At ille conversus ad cæteros, « Orate, » inquit: ac deinceps sub silentio eos qui turbati videbantur eduxit, atque compescuit; ut nequissimus ille, qui conventum pietatis transferre conabatur in theatrum, et scholam innocentiæ in derisum, non, ut putabat, existimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet, et conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, ut personas illas, quæ prope astabant, omnino latuerit quod acciderat; et malignus hostis velociter increpatus, non modo scandalum eis quod parabat, inferre nequiverit, sed nec ad illorum notitiam rem perferre. Factumque est ex eo, ut am-

(33) Innocentii iter Leodium ante concilium Remense accidisse demonstratum est in Præfatione ad tomum primum.

(34) *Panis autopyrus* dicitur is ex quo nihil neque pollinis, neque furfuris excretum est, quasi totum in se triticum non imminutum habens. Vide Cels. lib. II, cap. 17. Differt a pane cibario: nam huic bona pars pollinis adempta est; et magna ex parte furfuraceus est. A simila autem differt: nam hæc est medulla farinæ triticeæ, hoc est, ea pars quæ media est inter pollinem, et secundarium. Carenum, ex Laurentio Lucensi, est vini dulcis coctl genus. Sapa vero (alias vinum ad tertiam decoctum significans) est succus herbarum: unde fortasse gallice *soupe* pro jusculo; hic opinor positum pro *zyto* seu *cervisia* vel *ptisanna*. Rhombus, gallice *turbot*, piscis plani genus.

Digitized by Google

pliori sese custodia fratres munirent: et merito, et numero, et possessionibus deinceps cresceret Clara-Vallis, et multiplicatis conventibus, fere per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio; ipse etiam Abbas sanctus extunc amplius solito miraculis clareret et signis

CAPUT II.

De synodo Pisis per Innocentium celebrata. Item de Mediolanensibus opera Bernardi Ecclesiæ reconciliatis, et energumenis ibidem curatis.

8. Longas in Galliis facere moras dominus Papa non potuit; sed, sicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit, et vi exercitus in Lateranense palatium deductus est. Multi etiam ex nobilibus Romanis, fideles Ecclesiæ, eum honorifice susceperunt. Verum Petrus Leonis non ponens Deum adjutorem suum, sed confœderatorum stipatus malitia, in editioribus et tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, et interdicens suis congressus publicos, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causam conflictus hostibus dedit: sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus et obstaculis variis impedivit. Vitavit etiam obstinatissime imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cujuslibet personæ admisit. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias imperator digreditur: Petrus vero post ejus discessum crebros movens per Urbem excursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur (35): ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur (an. 1134). Adfuit per omnia et consiliis, et judiciis, et definitionibus omnibus sanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, et excubabant ante ejus limina sacerdotes; non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum: et aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur Vir humilis, et nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte sollicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones concilii longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione Petri et irregressibili fautorum ejus dejectione constitit, et usque hodie hæc sententia perseverat.

9. Soluto concilio, ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa Abbatem Claræ-Vallis, quem multis supplicationibus expetierant, et Guidonem Pisanum, et Matthæum Albanensem episcopum a latere suo direxit (36), qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent, et ad unitatem Ecclesiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos a domino Papa collegas acceperat, addidit consortio et communi consilio virum **1096** venerabilem Gaufredum Carnotensem episcopum, cujus innocentiam et sinceritatem in multis probaverat. Etenim visum est cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. Transcenso itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliaribus septem omnis ei populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et distinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu, felices se judicant qui possunt frui auditu. Deosculantur pedes ejus universi: et licet hoc ille moleste acciperet, nulla potuit pronos et devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos quos poterant de indumentis ejus, et ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta, quæ ille tetigisset, judicantes, et se tactu eorum vel usu sanctificari. Præcedentes itaque et subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, et diu intra agminum spissamenta detentum, tandem solemni reddidere hospitio. Et cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei, quam cardinales advenerant, oblita fortitudinis suæ civitas, omni ferocitate deposita, se ita Abbati substravit, ut obedientiæ eorum non incongrue ille posset aptari poetæ versiculus:

Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est.

10. Pacatis omnibus, reconciliata Ecclesia, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt nasci negotia, et insanienti diabolo, et in quibusdam obsessis corporibus debacchanti, oppositum est Christi vexillum, et increpante Viro Dei, de possessis atriis superveniente eminentiori virtute, territa et tremebunda diffugere dæmonia. Ecce nova legatio, non Romanum pragma circumferens, sed divinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in medium litteris sanguine Christi conscriptis, et bulla crucis impressis, quæ figura auctoritate sua terrestria et inferna sibi subdit et curvat. Inaudita est nostris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio, cum signorum gloriam Abbas credulitati eorum, illi vero sanctitati Abbatis ascriberent, et hoc de eo indubitanter sentirent, ut quidquid a Domino peteret, impetraret. Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem immundus vexaverat spiritus: et postulant supplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, et mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides non minimam verecundiam Viro Dei ingerebat, et humilitate magistra, inconsueta experiri non præsumebat, et instante petitione populi erubescebat, si charitati postulantium obstinatius resisteret: et videbatur ei quod offenderet Deum, et omnipotentiam ejus diffidentia obnubilare videretur, si fide populi fides propria dissentiret. Æstuabat igitur secum, et licet signa non fidelibus, sed infide-

(35) Vid. epist. 130.

(36) Eod. an. 1134; vid. epist., 131.

Digitized by Google

libus, fieri oportere assereret; ausus suos Spiritui sancto committit, et orationi incumbens, cœlitus elapsa virtute Satanam in spiritu fortitudinis increpat et fugat, mulieremque reddit incolumem et quietam. Lætantur qui aderant, et levantes manus ad sidera, Deo qui de excelso eos visitavit, gratias agunt. Auditum est hoc verbum, et percrebuit fama, et repente totam perculit urbem; per ecclesias, per prætoria, et per compita omnia conveniunt undique : de Viro Dei sermo habetur ubique; dicunt publice, nihil ei impossibile esse quod a Domino postulet, et ad preces ejus apertas Dei aures dicunt et credunt, prædicant et affirmant. Nec possunt aspectu ejus, vel auditu ullo modo satiari. Irruunt alii in præsentiam ejus : alii, donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis et artibus, tota civitas in hoc spectaculum suspensa manet. concurrunt, postulant benedici; et tetigisse eum singulis salutare videtur.

11. Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosii divina celebraturus mysteria Servus Dei procedit : ubi exspectante innumera populi multitudine, inter ipsa missarum solemnia, dum clericis canentibus ipse secus altare sederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu **1197** vexabat diabolus, orant ut misellæ subveniat, et diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione astantium, et intuitus personam frendentem dentibus et stridentem, ut etiam intuentibus esset horrori, compassus est ætati, et vehementiæ anxietatis ejus condoluit. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat mysteria, accipit : et digitis latice superfuso, orans intra se, et de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, et corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi ureretur Satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit, sed urgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic purgata persona, diabolo profugo et confuso, laudes debitas Deo canit ecclesia : et post acclamationes lætabundas alacer populus ibidem, donec divina compleantur mysteria, immobilis perseverat. Sub aspectu itaque omnium incolumis puella a suis domum reducitur, et vix tandem a populo dimissus ad hospitium Vir Dei revertitur.

12. Divino judicio ea tempestate in Mediolano, juxta Isaiæ verbum, pilosi clamabant alter ad alterum, et occurrebant onocentauris dæmonia, (*Isa.* XXXIV, 14). et effrenatis decursibus plurimos infestabant : nec erat qui insolentiæ eorum resisteret, cum diu sub Anselmi schismate, qui Petri fautor Mediolanensem occupaverat cathedram, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationes maledictæ, altare pollutum iram Dei in populum provocassent. At vero in adventu Viri Dei abdicatis Anselmi præstigiis, et in Sedis apostolicæ obedientiam sub Innocentio revocata ecclesia, impedita est illa dæmonum licentia, et quotidie dabat locum, et ad preces Viri Dei diffugiebat diabolus : et si quando resistere conabatur, in ipso conflictu succumbens gloriosus vincebatur.

CAPUT III.

De expulsione dæmonum a variis obsessis, tum virtute Eucharistiæ, tum panis et aquæ benedictæ, tum signi crucis. Item de aliis curationum beneficiis.

13. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, et honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii post beatum Virum a multis tracta est; in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, et jam ita suffocaverat eam, ut visu et auditu et verbo privata, frendens dentibus, et linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fetidus, inhabitatoris Satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei et inviscatum (*Al.* invisceratum). diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, et clericis, et monachis secum juxta altare consistentibus mulierem ibidem jubet constitui et teneri. Illa vero reluctans, et vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuete ille contempsit : et ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica et humili supplicatione Deum invocat adjutorem, et ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eamdem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit, et recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus.

14. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, et mulieris capiti superponens, talia loquebatur : « Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas. Jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus : *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31). Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte **1098** surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. » Cumque eam invitus deserens, et manere ultra non valens, atrocius afflictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens; rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit; et confestim pax et salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam, divina mysteria quantæ sint efficientiæ

Digitized by Google

et virtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum tartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua, Deum confessa gratias |egit, et intuita curatorem suum, pedibus ejus advoluta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, et Servum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta charitate civitas veneratur.

15. Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant : et per totam Italiam Viri Dei discurrebat opinio, et divulgabatur ubique quod surrexisset propheta magnus, potens in opere et sermone, qui invocato Christi nomine, et infirmos curaret, et obsessos a dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat, quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat, et majorum operatio virtutum minores obscurabat effectus. Jam vero præ frequentia populi qui a mane usque ad vesperam foribus assidebat, oppressionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspiciendum præbebat, et elevata manu benedicebat eis. Panes quoque et aquam devehebant secum, quibus benedictioni ejus suppositis, pro beneficiis ea sacramentalibus referebant. Ex vicinis sane castellis, et vicis, et urbibus multi confluxerant, et communia tam advenarum, quam civium in Mediolano studia erant prosequi Sanctum, expetere beneficium, audire verbum, videre signum; et doctrina et miraculis ultra quam credibile est, delectabantur.

16. Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc advexerat : qui repente coram omnibus ad signum crucis, quod Vir sanctus edidit, de bajuli sui brachiis ruit, et elisus humi quasi mortuus sine ullo sensu immobilis visus est : neque vox, neque halitus erat in eo, tantum circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant igitur cæteri locum ut posset procedere, et admitti ad Virum Dei seminecis pueri bajulus; et attonita multitudo tam miserabilis casus præstolabatur eventum. Ingressus igitur ad Virum Dei homo est, et puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatis exposuit, et ait : « Puer iste, domine pater, quem « ante tuos |posui pedes, jam per triennium a dæ« monio acerrime vexatus est : et quoties vel ec« clesiam ingreditur, et salibus exorcizatis asper« gitur, vel signum ei crucis imponitur, vel Evan« gelium audire compellitur, vel divinis interest « Sacramentis, offenditur habitator ejus diabolus, « et torquetur atrocius. Dumque modo cum cæteris « ego pro foribus exspectarem, signum sanctæ « crucis figurante te, et extendente in populos ma« num sacramentalium signorum virtute exacer« batus diabolus, vehementius solito totus ad pueri « vexationem se contulit : et sicut vides, totum « corpus ejus occupans, fere ei etiam vitalem spiri« tum intercludit. Sed et ipse puer, cum audita « esset apud nos gratiæ, quam a Deo accepisti, opi« nio, ex aliorum curationibus suam sperans salu « tem, rogavit me ut eum ad te adducerem. Obse« cro igitur per misericordiam Dei, ut et laboribus « meis, qui in ejus custodia operam damnosam et « periculosam impendo, et illius miseriæ, quæ tanta « est, quantam ipse oculis probas, pio et consueto « affectu subvenias, et rabiem dæmonis non usque« quaque procedere patiaris. » Flebat igitur, et lacrymis ora perfusus præsentes quosque commovit, ut omnes pariter supplicarent.

1099 17. Tunc Vir Dei confidere eos in Dei misericordia jubens, baculo cui innitebatur collum pueri leniter tangit. Sed et frater ejus Gerardus volens experiri quæ ab homine dicta fuerant, latenter dorso ejus signum crucis impressit. Cumque prius sine motu et sensu nec videns, nec audiens, ante pedes Abbatis diu extensus pavimento hæsisset; ad tactum baculi et ad signum crucis infremuit, et turbatus ingemuit. Jubet igitur Abbas super proprium lectulum eum poni. At ille quasi ex injuria offensus rejecit se in pavimentum, et stridebat dentibus, et mordebat procuratorem suum : et capillis eorum qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu se ab eorum manibus abstrahebat, et ab eis vix teneri poterat. « Eia, » inquit Abbas, « ad lectum nostrum eum reducite. » Orante itaque Abbate, et fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus palèis, quæ in lecto continebantur, diabolus ureretur, tormenti æstuantis, vi divina propinquante, passionem clamoribus testabatur. Jubet igitur Vir sanctus aquam benedictam in os patientis infundi : quam ille pressis labiis et dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixo dissolvente pressuram, vellet, nollet, intra fauces et guttur recepit. Confestimque ut penetrans sanctificatio ad interiora descendit, quasi infuso antidoto vis maligna erupit, et vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipitatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exivit. Repente qui videbatur mortuus, vivit : et de lecto Abbatis quietus et incolumis surgens patronumque [*Al.* patruum] suum amplexatus, « Deo gratias, sanus sum, » inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo, et qui modo flebant, lætantur. Foras clamor effunditur, res intus gesta super tecta solemniter prædicatur, tota ad spectaculum convenit civitas, benedicitur Deus, gaudet populus, in Abbate tanti operis patratore totius plebis requiescit affectus.

18. Febricitantibus multis idem Sanctus manus imponens, et aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit : aridas manus, et membra paralysi dissoluta tangens incolumitati restituit : cæci etiam sub multorum testimonio in

Digitized by Google

eadem civitate ut viderent, imposito signo crucis, a patre luminum potenter obtinuit. Per idem tempus hospitium Albanensis episcopi (37), quem dominus Papa in eadem legatione sibi collegam dederat, gratia tractandorum negotiorum intraverat, et de his quæ injuncta fuerant conferebant : cum repente irruit super eos adolescens cujus manus arida erat, et retorta ad brachium ; et advolutus pedibus ejus suppliciter postulat sanitatem. Ille alias occupatus, benedixit quidem, et abire præcepit, et ne amplius sibi molestiam faceret, verbis solito severioribus interdixit. Recedebat ille non consecutus quod quæsierat : cum venerabilis episcopus sub omni celeritate eum regredi jubet, et manu arreptum tradit Abbati. « Huic, inquit, qui minime beneficium consecutus, tibi, ut discederet, obedivit, tu ne claudas viscera misericordiæ : quin potius tu obedi, et virtute obedientiæ me jubente astrictus, fac quod postulat, largire quod petit ; et confidens in ejus virtute, per quem expetit sanitatem, postula, et impetrabis ; ut et nos de Dei munere, et ille de optata glorietur salute. »

19. Ad præceptum episcopi Abbas, apprehensa pueri manu, invocavit Dominum, et exaudivit eum ; et signo crucis edito, nervi qui obriguerant, extensi sunt, et caro quam assiduus [*al.* assidens] congelaverat morbus, redeunte sospitate ingenita, mobilis facta est et flexibilis, et dicto citius languidum diu membrum convaluit. Obstupuit episcopus tam repentinæ virtutis admirans effectum, et ampliori etiam extunc veneratione Virum Dei coluit, et miraculorum illius ipse testis existit et relator. Compulit autem eum, ut ibidem ea nocte cœnaret. Cujus rei assensum cum magna difficultate obtinuit, ea duntaxat ratione suasum, quod intolerabilis undique populus exspectaret ; nec sine periculo posse egredi videretur. Inter cœnandum vero paropsidem, in qua Abbas comederat, episcopus ministro familiari servandam tradidit, et præcepit ut seorsum reconditam cum omni diligentia custodiret. Elapsis exinde aliquot diebus, episcopus idem febrium vehementi ardore corripitur : et recordatus **1100** Hominis Dei, familiarem jubet accersiri ministrum. « Discum, » inquit, « Abbatis, quem tibi » nuper tradidi conservandum, huc afferre ne cun- » cteris. » Cumque ille obtulisset allatum : « In- » funde, » inquit, « aquam in eo, et panis exiguas » buccellas conscinde. » Quod cum factum esset, confidens in Domino, et Abbatis precibus se commendans, comedit et bibit, et absque ulla dilatione convaluit.

20. Augebatur adventantium numerus, et mirifica opera ad se populos invitabant ; nec usquam Viro Dei dabatur requies, dum ex ejus lassitudine alii sibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrebant advenientes, et succedebant sibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in ulnis suis puellulam ad Virum Dei attulit, quæ ita exosam lucem habebat, ut semper clausis palpebris etiam brachium opponeret oculis, ne aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret. Avellebantur aliquando opposita brachia violenter, et cum se ei lumen infunderet, clamabat et flebat, et erat ei claritas pro cruciatu, et lux visa quasi aculeos ejus cerebro infigebat. Benedicit infantulæ Vir Dei, et signaculum crucis faciens super eam, tranquilliorem dimittit : et dum domum referretur, ultro aperit oculos, et pedes sine vectore ipsa revertitur. Et ipso in loco mulieri a dæmonio vexatæ, multis astantibus, a Patre misericordiarum idem Sanctus obtinuit sanitatem.

CAPUT IV,

De dæmoniacis curatis, et mira humilitate Bernardi, inter tot illustria opera æque semper de se modeste sentientis.

21. Jam Papiam advenerat, et fama virtutum adventum ejus præcesserat, et cum debito gaudio et apparatu tantæ gloriæ Virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre ; advenit repente post eum rusticus quidam qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem dæmoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates deposuit. Nec mora, in contumeliam Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, et irridens servum Dei : « Non, » inquit, « me de canicula mea hic porrulos edens et brassicas devorans pellet. » Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemiis provocatus, impatienter ferret opprobria, et confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus lacessiri. Sed Vir Dei astutias ejus intelligens, irrisorem irrisit, et ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Martyri, et primitias operationum virtuti ejus ascribi. At vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec in ecclesia sua quidpiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os ejus diabolo, et dicente : « Non me « Syrulus ejiciet, non expellet Bernardulus. » Ad hæc servus Dei respondit : « Nec Syrus, nec te « Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus Christus. » Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata : « Quam libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestatus in ea, quam libens egrederer ! sed non possum. » Interrogatus causam : « Quia necdum vult magnus Dominus, » ait. Cui Sanctus : « Et quis est magnus Dominus ? » Et ille : « Jesus Nazarenus. » Ad quem rursum Vir Dei : « Unde enim Jesum nosti, aut si unquam vidisti eum ? — Vidi, » inquit. « Ubinam eum vidisti ? — In gloria. — Et tu in gloria fuisti ?

(37) Matthæi, de quo supra, num. 9.

Digitized by Google

— Fui quidem. — Et quomodo inde existi? — Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. » Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto: « Nunquid non in illam redire gloriam velles, et restitui in gaudium pristinum? » rursum voce mutata, et miro modo cacninnans: « Hoc, » inquit, « tardatum [*al.* tardum] est. » Et nihil ultra locutus, orante attentius Viro Dei, nequissimus **1101** ille victus abscessit, et mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit.

22. Revertitur igitur vir cum muliere, et per totam viam incolumitati ejus congaudens, exspectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierunt; sed repente gaudium vertitur in mœrorem: quia ubi domus suæ limina mulier attigit, rursus in eam intrat diabolus, et infestior solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmoniaca molestissimum, relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, et assumpta secum muliere, rursum Papiam revertitur: ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat quid factum sit: et ut gratiam inveniat, lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia; sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur [et ante confessorum corpora] orans exspectet, donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, et tota nocte illa orationi vacans, obtinuit a Domino quod petebat: et impetrata mulieri sanitate, jubet eam securam reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcepit: « In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, dæmon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. » Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria nunquam deinceps appropinquare præsumpserit.

23. Erat etiam in eadem civitate dæmoniacus quidam, cujus passio multos ad risum movebat, cum alii qui severioris animi erant, clementissimo ei compaterentur affectu. Hic ita latrabat, ut si audires, nec videres personam, canem crederes. Quem sibi exhibitum Vir Dei cum latrantem audisset, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo solent percussi vel obruti canes irasci, et ringere [*al.* fremere] in percussores. Sed et in præsentia Viri Dei ululans et latrans, acrius solito turbabatur. Increpato itaque diabolo, et in virtute Christi expulso, homini imperat ut loquatur. Purgatus homo intrat ecclesiam, interest sacramentis, crucis signo se munit, audit Evangelia, confitetur et orat, et cætera sanæ mentis officia Deo reddit et consecrat.

24. Cum secundo per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret, oblata est ei dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo primum Vir Dei civitatem prædictam sua illustravit præsentia. Hanc possidebat dæmonium, quod modo Italica, modo Ibera lingua loquebatur; nec satis certum, utrum unus esset bilinguis, an duo, sui quisque sermonis idiomate utens: sed tam proprie modo hæc, modo illa sonabat, ut diceres: Hic qui loquitur, Ligur est, hic Hispanus. Hæc etiam genuum passione, et poplitis tremore perturbabatur. Quæ cum ad Virum Dei adducta fuisset, saltu concito scamnum in quo sedebat inopinata celeritate transilit. Reducta et interrogata quid sibi vellet et saltus, et fuga, et unde ægrotanti et vetulæ tanta virtus et velocitas advenisset: respondit hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli, ut currentes comprehenderet equos, et eorum dorso sine ullo adminiculo insiliret. Hæc sequenti die dum in ecclesia divinis quæ ille celebrabat officiis interesset, crudelissime et diutissime coram omnibus vexata est. Compassus Abbas mulieri, jam sæpe in talibus expertus Dei clementiam, imperat diabolo ut recedat. Ille ad imperium Servi Dei tremebundus evanuit: mulier vero non solum a vexatione, sed etiam a nervorum contractione in momento convaluit. Hæc et alia multa intra Alpes constitutus operatus est Vir Dei, et diversa loca perlustrans benefaciebat iis qui infirmabantur: illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maxime oppressos a diabolo diligentiori studio purgans; et quæ malignus fœdaverat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat.

25. Plurima autem in eum probabilia et laude digna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii **1102** mores, alii mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero: sed præ omnibus, quantum in me est, hoc sublimius duco, hoc propensius prædico, quod cum esset vas electionis, et nomen Christi coram gentibus et regibus ferret intrepidus, cum obedirent ei principes mundi, et ad nutum ejus in omni natione starent episcopi; cum ipsa Romana Ecclesia singulari privilegio ejus veneraretur consilia, et quasi generali legatione concessa subjecisset ei gentes et regna; cum etiam, quod gloriosius judicatur, facta ejus et verba confirmarentur miraculis; nunquam excessit, nunquam supra se in mirabilibus ambulavit: sed de se semper humiliter sentiens venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum; et cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus. Soli Deo quidquid fecit ascripsit: imo se nihil boni aut velle, aut posse, nisi inspirante et operante Deo, et sensit, et dixit. Sed aderat vis divina in tempore accepto, et in die salutis, segregans in Evangelium suum servum suum, cujus humilitatem respexerat, cujus animam Spiritus sanctus ornaverat: et quia sinceritatem ejus nulla maculabat duplicitas, nec interrumpebat bonum ejus quælibet conspersio falsitatis, in loco suo idem spiritus manebat immobilis.

Digitized by Google

26. Qui ut semper splendidior esset et purior, quotidie in fornace probabatur, et ne quid ei rubiginis obreperet, crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, flagellabatur, et arguebatur; non ad pœnam pro crimine, sed ad gloriam pro virtute. Nunquam ei defuit stimulus ægritudinis. Et cum sciret virtutem in infirmitate perfici, sufficientem sibi in hoc experiebatur gratiam, quod videret suos omnes quantulumcunque extraordinarios motus lima illius quotidianæ afflictionis abradi. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus : et quominus in corpore poterat delectari, amplius delectabatur in Domino; nec aliqua sæculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis cœlestibus inhiabat. Quot Ecclesiæ destitutæ pastoribus, eum sibi in episcopum elegerunt? Elegit eum domestica Lingonensis Ecclesia, elegit Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis, et Mediolanum metropolis Ligurum, hunc optaverunt pastorem et magistrum. Remi, nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animam ejus honor oblatus, nec motus est pes ejus ut inclinaret se ad gloriam; nec magis eum delectabat tiara et annulus, quam rastrum et sarculus.

27. Petentibus se nec annuens aliquando, nec insolenter aut improbe renuens, dicebat se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum. Quæ res cum referretur ad fratres, respondebant : « Nos omnibus quæ possidebamus venditis, inventam pretiosam margaritam comparavimus : ad patrimonia distracta redire non possumus. Quod si et pretium et appreciatum nobis perierit, et substantiis, et margarita privati fuerimus; exspectationi nostræ male provisum est, si oleo nostro effuso, clausis januis sicut fatui mendicemus. » Providerant etiam sibi ex consilio sanctissimi fratres, et domini Papæ auctoritate muniti erant, ne quis gaudium suum tollere posset ab eis, et aliorum consolatio eis fieret tribulatio, et eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet. His aliisque rationibus servi Dei expugnaverant petitores, et jam divulgatum erat ubique, Abbatem sic statutum in Ecclesia a Deo, sicut in Hebræorum populo Moyses fuit, qui cum non esset pontifex, Aaron tamen unxit et sacravit pontificem; et dispositionibus ejus tota Levitica omni tempore successio paruit.

CAPUT V.

De reditu Bernardi ex Italia, et de monasterii Claræ-Vallis in locum capaciorem translatione.

28. Jam Alpes transcenderat (an. 1135), et descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, et armentarii, et agreste hominum genus, et conclamabant a longe benedictionem petentes : et reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas suas, colloquentes ad invicem **1103** et gaudentes, quod Sanctum Domini vidissent, et manu ejus super se extensa optatæ benedictionis gratiam accepissent. Tandem Chrysopolin (38) veniens, usque Lingonas solemniter deducitur : circa quos fines fratres ei Claræ-Vallenses occurrunt, provoluti genibus, surgunt ad oscula; et vicissim ei colloquentes, Claram-Vallem eum deducunt alacriter. Adsunt fratres congregati in unum, et mira devotione dilectum Patrem suscipiunt. Agitur sine tumultu cum omni gravitate lætitia. Facies quidem purior hilaritatem dissimulare non poterat : sed castigatus actionum et locutionum modus metas proprias non transgrediebatur, et cohibebant se affectiones ipsæ, ne quid agerent, in quo dissolutionis nota religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora nihil in Clara-Valle potuit diabolus texere, nihil interim rubiginis sinceris affricuit mentibus; nec in aliqua parte domus Dei supra petram fundata mota est. Ita opus suum Servus Dei absens corpore, præsens spiritu, orationum instantia munierat et solidarat, ut nec rima aliqua in tantis constructionibus hiscere videretur. Nullæ in adventum ejus lites servatæ sunt, non odia nutrita in præsentia judicis eruperunt. Nihil juniores adversus priores de austeritate vel duritia, nihil priores adversus juniores de dissolutione aliqua vel remissione causati sunt. Integer universorum status, concors societas, vera unitas; omnes unius moris in domo Dei, in pace et sanctimonia inventi sunt, ascendentes scalam Jacob, et festinantes ad intuitum Dei, cujus delectabilis aspectus in superioribus eminebat. Abbas itaque non immemor ejus qui ait : *Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo* (*Luc.* x, 18); eo humilior erat, et subjectior Deo, quo intelligebat desideriis suis Deum adesse propitium. Nec de hoc in se gloriabatur, quod subjiciebantur ei dæmonia : quin potius in Domino gaudebat, quod nomina fratrum suorum scripta videbat in cœlo, quorum unanimitas immaculatam se ab hoc sæculo custodiret.

29. Aderant ei in consiliis venerabiles fratres sui; aderat Godefridus Prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne et spiritu, vir sapiens et constans, qui etiam religionis et prudentiæ merito postea in Ecclesia Lingonensi factus episcopus, et sanctitatis formam retinens, et dignitatis in qua est honorem non minuens, usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseverat. Hic ergo atque alii plures viri providi, et de communi utilitate solliciti, Virum Dei, cujus conversatio in cœlis erat, aliquando descendere compellebant, et indicabant ei quæ domus necessitas exigebat. Insinuant itaque ei locum angustum et incommodum in quo consederant, nec capacem tantæ multitudinis; et cum quotidie caterватim adventantium numerus augeretur, non posse eos intra constructas recipi officinas, et vix oratorium solis sufficere monachis. Addunt etiam se considerasse inferius aptam planitiem, et opportunitatem fluminis quod infra illabitur, ibique locum esse

(38) Gall. *Besançon.*

Digitized by Google

spatiosum ad omnes monasterii necessitates, ad prata, ad colonias, ad virgulta et vineas : et si silvæ videatur deesse clausura, facile hoc parietibus lapideis, quorum ingens ibi copia est, posse suppleri. In primis Vir Dei non acquievit consilio. « Videtis, » inquit, « quia multis expensis et sudoribus jam domus lapideæ (39) consummatæ sunt, aquæductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines sæculi male de nobis sentire, quod aut leves sumus et mutabiles; aut nimiæ, quas tamen non habemus, divitiæ nos faciunt insanire. Cumque certissimum vobis sit, penes nos non esse pecunias; verbo evangelico vobis dico, quia ædificaturo turrim, futuri operis necesse est supputare expensas : alioquin cum cœperit, et defecerit, dicetur : *Hic homo* fatuus *cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV, 30). »

30. Ad hæc fratres respondent : « Si consummatis iis quæ ad monasterium pertinent, habitatores cessasset mittere Deus, stare posset sententia, et cessandum ab operibus rationabilis esset censura. Nunc vero cum quotidie gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt quos mittit, aut providenda mansio in qua suscipiantur. Nec 1104 dubium est, qui parat mansores, quin præparet mansiones. Absit autem ut pro diffidentia sumptuum confusionis hujus incurramus discrimina! » Audiens hæc Abbas, fide et charitate eorum delectatus est, et aliquando tandem consiliis acquievit; plurimis tamen prius super hoc ad Deum precibus fusis, nonnullis quoque revelationibus præostensis. Gavisi sunt fratres, ubi effusum est verbum in publicum.

31. Audivit hoc sanctæ memoriæ nobilissimus princeps Theobaldus, et multa in sumptus dedit, et ampliora spopondit subsidia. Audierunt episcopi regionum, et viri inclyti, et negotiatores terræ, et hilari animo sine exactore ultro ad opus Dei copiosa contulere suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operariis, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus. Alii cædebant ligna, [(40) alii lapides conquadrabant, alii muros struebant,] alii diffusis limitibus partiebantur fluvium, et extollebant saltus aquarum ad molas. Sed et fullones, et pistores, et coriarii, et fabri, aliique artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, ut scaturiret et prodiret, ubicunque opportunum esset, in omni domo subterraneis canalibus deductus rivus ultro ebulliens; et demum congruis ministeriis per omnes officinas expletis, purgata domo ad cardinalem alveum reverterentur quæ diffusæ fuerant aquæ, et flumini propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum monasterii ambitum spatiosissime complectentes. Surrexit domus, et quasi animam viventem atque motabilem haberet nuper nata ecclesia, in brevi profecit et crevit.

(39) Codex Corbeiensis, *domus ista parata est, sublimis est ecclesia, domus lapideæ*, etc.

CAPUT VI

De schismate Aquitaniæ, opera Bernardi compositio; et femina ab incubo dæmone mirabiliter liberata.

32. Laborabat ea tempestate sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis Ecclesia : et non erat in Aquitania qui posset resistere principi, cujus animum induraverat Deus; qui, annuente Gerardo Engolismensi episcopo, et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus est schismatis defensor et auctor (an. 1135). Quicunque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus multabantur, alii a sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus [*al.* suggestionibus], quasi serpens antiquus, veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis apostolicæ fuerat legatus, et nunc a magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius Ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem et magistrum. Erubescebat enim ad primam domum redire, cujus potentatui et Turonica, et Burdegalensis, et Auxiensis provinciæ subjectæ fuerant, et quidquid a collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur et claudit Oceanus, paruerat ejus imperio. Consuetus igitur prædari provincias, et sub titulo justitiæ de causis emergentibus facere quæstum, infinitas aggregarat pecunias, quæ sibi erant in idolum et in apostasiæ simulacrum. Videns itaque periisse sibi exactionum auctoritatem, et solam domum, quæ nuper multis stipata clamoribus, jam carebat æreariis; impatienter ferens quod manus ejus non implerentur muneribus, homo serpentinæ astutiæ, festinato ad Petrum Leonis misit, ut ei legationem concederet, et ipse ei fidelitate jurata obediret : insuper et principem terræ, et quoscunque posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus homo perditionis, quia locum, in quo dilataret malitiam suam, se invenisse putavit, cito annuit; et libenter ei etiam in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum cardinalem episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi episcopo ei adhæserat, celeriter delegavit.

33. Porro Gerardus ipse, qui prius se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, et deinceps cœpit securior et audacior apparere. Nam et, quod ante non fecerat, publice procedebat mitratus, ut ipsa sacri officii insignia ampliorem ei reverentiam in populos vindicarent. Aggreditur ergo Comitem multis pecuniis, invadit animam 1105 ejus rationibus venenatis, et hominem promptum seducit facile et corrumpit. In primis ab urbe Pictavensi Guillelmus episcopus, vir honestus, homo catholicus, in societate et defensione universalis Ecclesiæ stabilis, violenter expellitur, et a Gerardo cardinale et adjutore suo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant et aliæ familiares causæ, pro quibus ei a multo tempore Comes infensus, data occasione, libentissime

(40) Uncinis inclusa ex ms. Corbeiensi desumpta sunt.

Digitized by Google

eum persequitur et abjurat. Visum est autem tam Gerardo quam Comiti, ut ad confirmationem partis suæ sine mora Pictavi crearent episcopum. Et invenerunt hominem ambitiosum, nobilem quidem genere, sed degenerem fide : quem, ut genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex clericis consentientibus elegerunt; et profanas ei imponentes manus, exsecrabile caput ejus non tam unxerunt, quam contaminaverunt. Simile huic monstrum in Lemovicensi Ecclesia intruserunt Ramnulfum quemdam Doratensem abbatem, quem non multo post ultio divina secuta est. Cadens enim resupinus de equo in via plana, uno tantum lapide ultore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixo capiti ejus, et quassato cerebro exspiravit.

34. Audiens hæc et hujusmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotensis episcopus, cui a papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, et succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-Vallensem petit et obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit vir Dei, et se in proximo congregationem monachorum in Britanniam, in locum quem juxta Nannetum comitissa Ermengardis paraverat, ducturum intimat; et promittit disposita illa domo secundum genus et species suas, se cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur simul, et ne multis ambagibus utar, simul Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ a quodam petulante diabolo vexabatur. [Apparuit autem ei lascivus ille diabolus in specie militis, valde pulchri aspectu, et in amorem suum intus suggestione latenti, extra locutione blandienti animum ejus fallaciter inclinavit. Cumque mulieris assensum obtinuisset, expansis brachiis, pedes ejus super una manuum suarum posuit : altera vero manu caput ejus operuit, sibique eam fœderis hujus signo dotavit [*al.* desponsavit.] Habebat autem illa virum strenuum militem, sed hujus tum exsecrabilis commercii prorsus ignarum. Abutebatur ergo ea, etiam in eodem lecto cubante marito, invisibiliter impurissimus ille adulter, et incredibili vexabat libidine.

35. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno confusa est in se ipsa, et expavit, tum propter colluvionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi et damnari. Confugit ad sacerdotes, et piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, et sanctorum implorat suffragia : sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie ut prius, et importunius a dæmone infestatur. Denique in publicum tantum scelus effusum est. Quo audito et cognito, maritus ejus contubernium exsecratur. Interea ad locum prædictum Vir Dei cum comitatu suo advenerat : cujus ut audivit adventum infelix mulier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Apparit ei lacrymis perfusa passionem horribilem, et ludificationem inveteratam ; et quod nihil ei profecissent, quæcunque fecisset sibi a presbyteris imperata. Addidit sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, et minaciter ei interdictum ne ante ejus veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset ; et ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus ei fieret persecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem ; et de cœlo promittens auxilium, præcipit ut die altera, jam enim nox instabat, confidens in Domino revertatur. Reversa mane, cum Viro Dei blasphemias et minas, quas **1106** eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset : « Ne cures, inquit Vir Dei, minas ejus, sed tolle baculum hunc nostrum ; et pone in lectulo tuo, et si quid potest, agat. » Egit mulier quod jussum fuerat, et recubans in lectulo suo, signo crucis munita, juxta se baculum posuit. Adest ille continuo, sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumit accedere : minatur tamen acerrime, quod discedente Viro Dei, ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies dominica, et voluit Vir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam convenisset, inter Missarum solemnia comitantibus episcopis, Gaufredo Carnotensi, et Brictio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit, et ut omnes qui in ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod et ipse cum episcopis et clericis faciens, inauditos diaboli ausus publice aperit, et fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam, exarserat, cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematizat. et auctoritate Christi tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Exstinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, exstincta est deinceps tota virtus diaboli, et mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

36. His itaque patratis, simul Abbas et legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus, assensu Comitis, Burdegalensem archiepiscopatum occupaverat, et simul Burdegalensem et Engolismensem detinebat ecclesiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in assentatorum manus injecerat, et magis ac magis cognita veritate, jam defluebant ab eo subsidia principum, et perfidiæ ejus timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec jam facile publicis sese conventibus præsentabat. Ut enim prius gesta breviter repetamus, ubi primum cœpit audiri quid adversus Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio papa adhuc in Galliis demorante missi sunt Abbas noster Claræ-Vallensis, et Joslenus venerabilis episcopus Suessionensis, et Pictavim usque venerunt, ut tam ipsum quam prædictum principem convenirent. At ille jam eodem principe persuaso

Digitized by Google

impudenter in Ecclesiam catholicam, a qua se præcidebat, convicia cœpit jaculari, et pollicitam prius Innocentio subtrahere obedientiam. Anacletum suum electum digniorem [*al.* dignius]; et quicunque ei non obedirent, erroneos et acephalos nominare. Unde factum est ut animati et armati in insaniam clerici, publice ex ea die persecutionem Catholicis intentarent. Prius tamen, quam ab unitate se ipsos taliter præcidissent [*al.* quam sic eorum propalata fuisset et obfirmata perfidia, obtulerat, etc.], obtulerat Abbas sanctus in eorum ecclesia sacrificium Deo. Post cujus discessum, decanus ejusdem ecclesiæ altare, in quo divina mysteria celebrarat, impie quidem, sed non impune confregit. Siquidem post breve tempus percussus a Deo, cum spiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam vidit dæmonibus; et se a dæmonio jugulari clamitans, cultellum a circumstantibus postulabat quem immergeret gutturi suo, ut extracto dæmone viveret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba exstinxit, et pestilentem animam in infernum demersit. Archipresbyter quoque, qui Petri invasoris Pictavensis Ecclesiæ synodum denuntiabat, coram ipsis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, a diabolo correptus est. Sed et in alios multos, qui in schismate illo ferventiores exstiterant, manus divina manifestam exercuerat ultionem; propter hæc et alia hujusmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, et timens opponi sibi quæ negari non poterant, conventus publicos evitabat.

37. Significatum est interim Comiti per viros illustres, qui ad eum securius audebant accedere, quod Abbas Claræ-Vallensis, et episcopus Carnotensis, aliique episcopi, et religiosi viri colloquium ejus expeterent; quorum **1107** etiam studium esset, ut secum de pace Ecclesiæ, et de malo removendo tractarent. Persuasumque est illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium : quia poterat fieri, ut communicato cum eis consilio, facile esset quod modo putabatur difficile; et quod videbatur impossibile, repentino proventu possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum hinc inde conveniunt; et in primis de divisione Ecclesiæ, et de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania, quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis et rationibus a servis Dei Comiti intimatum est, quod Ecclesia una est, et quidquid extra eam est, quasi extra arcam, judicio Dei necesse est interire et dilui. Adducta quoque exempla Dathan et Abiron, quos pro reatu schismatis terra vivos absorbuit (*Num.* XVI, 31, 32), nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus consilio, respondit, se in obedientiam Innocentii papæ posse dare consensum; sed in restitutionem episcoporum, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant, et juraverat se eorum pacem nullo tempore suscepturum. Diu per internuntios protractus est sermo : et dum vicissim verbis se mutuo occupant, Vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus et supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam, quibus licebat divinis interesse mysteriis : Comes sustinebat pro foribus.

38. Peractis igitur consecrationibus, et pace data et diffusa in populum, Vir Dei jam non se agens ut hominem, corpus Domini super patenam ponit et secum tollit, atque ignea facie, et flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, et verbis terribilibus aggreditur Ducem : « Rogavimus te, inquit, et sprevisti nos. Supplicavit tibi in altero quem jam tecum habuimus conventu, servorum Dei ante te adunata multitudo, et contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput et Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest Judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Adest Judex tuus, in cujus manus illa anima tua deveniet. Nunquid et ipsum spernes? nunquid et ipsum, sicut servos ejus contemnes? » Lacrymabantur universi qui aderant, et orationibus intenti præstolabantur exitum rei : et omnium suspensa exspectatio, nescio quid divinum fieri cœlitus exspectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, et sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit et diriguit, membrisque tremebundis metu et dissolutis, quasi amens solo provolvitur. Elevatus a militibus rursum in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, salivis in barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum Vir Dei ad eum propius accedit, et pede pulsans acclivem, surgere jubet, et stare supra pedes, et Dei audire sententiam. « Præsens est, inquit, Pictavensis episcopus, quem ab ecclesia sua expulisti. Vade et reconciliare ei, et in osculo sancto pacis cum eo jungito fœdera, et ipse ad sedem suam eum reducito : et satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, et in universo principatu tuo divisos et discordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio papæ, et sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo a Deo tanto pare Pontifici. » Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus sancti, et sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat : sed statim occurrit, et in pacis osculo recepit episcopum; et eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exsultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed et deinceps Abbas cum Comite jam familiarius et suavius loquens, paterne eum monuit, ne ad tam impios, et tam temerarios ausus ultra exsurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret.

39. Pace itaque omni Aquitaniæ Ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseverat in malis : sed non multo post, adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter exstinctus est. Et cum dicat Scriptura,

Digitized by Google

Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis (*I Joan.* v, 16), impœnitens et subito mortuus, **1108** sine confessione et viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cujus minister usque in finem exstiterat. Corpus ejus a nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimaverat, inventum in lectulo suo exanime, et enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est: sed postea a Gaufrido Carnotensi episcopo Sedis apostolicæ legato inde extractum, alioque projectum est. Nepotes quoque ejus ab eadem ecclesia postea eliminati sunt, et omnis progenies et plantatio a radice avulsa, per extera regna, tanti judicii circumferens querimonias, exsulavit. Tanto igitur malo obruto, et schismate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claram-vallem revertitur. Adsunt fratres, circumfusi pedibus ejus: gratias agunt Deo, qui bonis initiis feliciores proventus accumulat, et servi sui humilitatem ubique glorificat et exaltat.

40. Nactus vero Vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, et secedens in casulam pisatiis torquibus circumtextam, solus meditationibus divinis vacare disponit. Et repente occurrunt ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, et spiritualium fercula nuptiarum. Considerat et expavescit, quod Sponsus ille speciosus forma præ filiis hominum, in quem etiam Angeli prospicere desiderant, fuscam adamaverit sponsam, et decoloratam a sole, tanto extollat præconio, ut dicat eam totam formosam, nec ullam in ea maculam esse. Ipsam quoque sponsam dilectione languere miratur, et inquirit diligenter, quæ sit illa charitas, cujus oscula [*al.* ubera] dulciora sunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat. Cumque Sponsus multis laudibus sponsam attollat, non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat, nec usque ad plenitudinem satietatis se sponsæ desideranti concedat: quæsitus aliquando non inveniatur, et post longos circuitus repertus teneatur, ne fugiat. Multo tempore [*al.* aliquandiu] in harum meditatione rerum animam suam effudit; et multipliciter hæc exponens, quantum in se profecerit qui quotidie in illis epulabatur deliciis, quantum nobis profuerit, quibus ejusdem benedictionis reliquias in scriptura servavit, manifestum est legentibus eam

CAPUT VII.

De causa schismatis Romæ, et apud Rogerium regem Siciliæ feliciter acta.

41. Interea litteræ apostolicæ Virum Dei vocant, et ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant cardinales. Intermittuntur studia, et quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: Servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excusationes frustra expendi [*al.* obtendi] [et necesse esse obedire mandatis,] convocatos a multis partibus fratres, diu profundeque suspirans, affatur: « Videtis, fratres, in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri, et in Italia, et in Aquitania, auctore Deo elisa, jam non parturit, sed abortit. Evasati sunt in his regionibus schismatis defensores. Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, et favent ei multi fidelium: qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes, non audent publice confiteri, quem Innocentio firmavere, consensum. Conjuratores habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia: et munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi repræsentat præstigias. Contra unam gentem, Occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis et jubilantibus Jericho ruet; et cum extenderitis ad Deum cum Moyse manus, Amalech victus aufugiet. Josue pugnat, et ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, soli ut stet, non tam orat, quam imperat: et meretur fides tam solis obedientiam, quam de hoste prostrato victoriam. Nobis igitur pugnantibus vos ferte præsidium, et auxilium de cœlo supplicibus animis implorate. Agite quæ agitis, et state in gradu quo statis: et licet nihil vobis conscii sitis, judicio tamen vestro non æstimetis vos justos; quia solus Deus quos justificat judicat, et perfectissimus quisque judicii **1109** divini districtum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multum curetis, neque vestra propria, neque aliena judicia approbantes; sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini: nec aliorum curantes judicia, excidatis in nugas: singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis. Eundum est autem quo nos obedientia vocat, et hujus domus fraternitatem [*al.* paternitatem], et vestri custodiam Deo, pro quo hunc assumimus laborem, confidentes de ejus clementia, tradimus et commendamus. »

42. Hæc dicens, et benedicens, flentibus universis, discessit: et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quam fratres lætati sunt; et communicatis cum eo consiliis, secundum rerum proventus et statum causarum Abbas alia via aggreditur: nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorumdam suscipiens, sciscitatur, quæ sit eorum facultas, qui fautorum animi; utrum errore, an malitia seducti, tantum scelus protrahant et protelent. Intelligit ex secretis clerum qui cum Petro erat, de statu suo sollicitum, scire quidem peccatum, sed non audere reverti, ne perpetua notatus infamia, vilis inter cæteros haberetur: et malle sub umbra honestatis interim sic esse, quam expelli a sedibus suis, et publicæ mendicitati exponi. Eorum qui de Petri prosapia erant, hæc erat responsio: quia jam credi eis a nemine posset, si dememb rarent genus suum, et eum relinquerent, qui cognationis suæ caput esset et dominus. Cæteri juramento fidelitatis excusabant perfidiam, nec ali-

Digitized by Google

quis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denuntiabat itaque eis Abbas colligationes impietatis esse sacrilegas, et profanas conspirationes legibus et canonibus condemnatas juramentis non posse muniri; non posse, nec debere veritatis sacramenta mendacio suffragari. Insanire autem eos, qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant, cum oporteat extraordinarias pactiones quocunque religionis obtentu sancitas, revocari [*al.* evacuari] in irritum, et auctoritate divina dissolvi. Auditis his aliisque Viri Dei sermonibus defluebant a Petro, et quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur : ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium vero crescere minime dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant ministeria domus. Rarus mensam ejus frequentabat conviva, deliciæ in plebeia cibaria commutatæ, cultus obsequentium vetustate obscurus, [macri et acuti] stipendiarii ære alieno oppressi, et tota domus effigies pallida, dissolutionem proximam indicabat.

43. Interea rex Siciliæ Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit, petens, ut Haimericum cancellarium suum, et Abbatem Claræ-Vallensem ad se mitteret : nihilominus a Petro Leonis idem petens, ut Petrum sibi Pisanum a suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis hujus, quæ jamdiu indurauerat, velle scire originem; et cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Mittebat autem in dolo, quia audierat Petrum Pisanum eloquentissimum esse, et in legum et canonum scientia nulli secundum; putabatque si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis posse obrui, et silentium ei vi verborum et pondere rationum imponi. Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, et prævenerat tanti sceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adversus Rannulfum ducem, idem rex in campum armatas produxerat acies : cum subito viso duce audacter obviam procedente, territus fugit, effusumque exercitum prædæ et cædibus exposuit, et innumeris militibus captis et interfectis, invitus Ducem ditavit opibus. gloria sublimavit. Quæ quidem ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim primus eorum qui vocati fuerant Abbas sanctus adveniens, Regem in castris positum invenisset, per multos dies vicinas acies, ne committerent, impedivit : denuntians Regi, « Quia si **1110** conflictum inieris, victus et confusus abibis. » Novissime vero cum ejusdem regis plurimum crevisset exercitus, ignorans quod non in multitudine foret eventus belli, Virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit.

44. At ille ducem Rannulfum, et Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est et triumphum. Cumque ad proximam villulam declinasset, et instaret orationi, repente fugientium et insequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Rannulfus persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, et quid accidisset, interrogabat. At ille, siquidem litteras noverat : *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi, et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI, 35, 36). Nec mora, Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit; et ejus pedibus advolutus : « Gratias, inquit, ago Deo, et fideli servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est. » Iterumque insiliens equo, hostes insequebatur.

45. Nec tamen hac plaga, sibi inflicta cœlitus, correctus est animus Regis, nec detumuit procella quam conglomeraverat pravæ mentis elatio : sed post fugam reversis qui evaserant, simulans alacritatem, regio se ornatu attollens, stipata militibus curia, utramque partem præcipit accersiri ; et prius instructo Petro, et multarum promissionum auctoramentis accenso, de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini sui canonicam probare contendit; et verba sua multis legum et canonum assertionibus munit. At vero Vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens : « Scio, inquit, Petre, te virum sapientem et litteratum esse ; et utinam sanior pars, et honestiora te occupassent negotia ! utinam te patronum causa justior et felicior obtineret ! et sine dubio rationabilia allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem agrestes, sæpius ligonibus quam pragmaticis advocationibus [*al.* declamationibus] assueti, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere, nec judæus, fautore hoc Domino, Petrus Leonis lacerat et disrumpit. Una est fides, unus Dominus, unum Baptisma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit. In hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus, evaserunt; et quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Ecclesiæ, nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est, et cum duæ sint, alteram necesse est esse adulteram, et in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus : peribit Francia, peribit Germania : Iberi et Angli, et barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldrensis [*al.* Camaldulensis] et Carthusiensis, et Cluniacensis, et Grandimontensis, et Cisterciensis, et Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum, et ancillarum Dei collegia, necesse est ut sub uno

Digitized by Google

turbine corruant in abyssum. Episcopos, et abbates, et reliquos Ecclesiæ principes collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerius, et cæteris omnibus enecatis, solus ipse salvabitur? Absit ut totius mundi religio pereat, et ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cœlorum obtineat! »

46. Ad hæc verba non se poterant ultra, qui præsentes aderant, continere, sed abominati sunt et vitam Petri Leonis, et causam. Abbas autem tenens manum Petri Pisani elevavit eum, et simul ipse surrexit: « Tutiorem, » inquiens, « si mihi credas, intrabimus arcam. » Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit ut ad Urbem rediens, Innocentio papæ reconciliaretur. Soluta concione, Rex necdum voluit obedire, quia sancti **1111** Petri patrimonium, quod in Cassinensi et Beneventana provincia amplissimum est, cupidus occupaverat, putabatque hujusmodi suspensionibus aliqua a Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas. Sic Herodes visum Salvatorem contempsit, et quem desideravit absentem, contempsit præsentem (*Luc.* XXIII, 8, 11). Sic omnipotens Deus claritatem, quam accepit a Patre, dedit hominibus (*Joan.* XVII, 22), et contemnentes se facit inglories et erigit in sublime humiliatos. Igitur circa curationem cujusdam viri nobilis, et in urbe Salernitana notissimi, succumbentibus medicis, quorum ibi præcipue ars viget et studium, eidem viro de medicorum auxilio desperanti, noctu quidam per somnium apparens intimavit advenisse Salernum Virum sanctum, et in curationibus efficacem. Hunc inquirere jubetur, et de lavacro manuum ejus bibere. Quæsivit, invenit, aquam petiit, bibit, convaluit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures Regis et procerum ejus pervenit. Cum omnium igitur populorum favore, solo Rege in malitia permanente, Abbas Romam revertitur: prædictum quoque Petrum Pisanum, et quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, et Innocentio papæ confœderat.

47. Advenerat tempus, in quo completa Amorrhæi malitia, angelus percutiens gladium jam vibrabat, et pertransiens domos, quarum superliminaria sanguis Agni imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, salutare in ea non reperit signum. Percussit igitur miserum, nec tamen illico defungitur: sed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, et in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris sepelitur, et usque hodie fovea illa a Catholicis ignoratur. Attamen pars ipsius, Papam sibi pro illo alterum statuerunt (41); non tam ex pertinacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur: quod sine mora per manum servi sui Christus effecit. Nam et ipse ridiculus pontifex, Petri Leonis hæres, ad eumdem virum Dei nocte se contulit: et ille quidem nudatum eum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio ecclesia redditur, Romanus populus ut pastorem et dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-Vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, acclamat populus, matronæ sequuntur, et omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quandiu ille gloriam toleravit? quandiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus et compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis et ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, concurrit populus, universa nobilitas comitatur. Nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. [Lacrymantur post eum, et se ab eo postulant benedici, et orationibus ejus cum omni devotione se commendant.]

48. Accepta ergo ab Innocentio licentia, confirmata pace, Vir Dei regreditur; et maximum domi reportans gaudium, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur (42). Interea Romæ Innocentius potestative agenda disponit, undique visitatores occurrunt. Alii cum negotiis, alii tantum gratia congaudendi adveniunt. Processiones per ecclesias solemniter celebrantur, depositis armis ad audiendum verbum Domini plebes occurrunt. Post multifarias egestates in brevi civitas opulenta refloret: quæ discordiæ tempore distracta fuerant, pax solidata reducit et revocat. Arantur solitudines, et deserta pinguescunt. Requiescunt singuli sub vite et ficulnea sua: nocturnæ silent excubiæ, et apertis januis, omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exsules, ecclesiis antiqua servitia, **1112** depopulatas colonias expulsis restituit, insuper et congrua dona largitur. Monasterium etiam apud Aquas-Salvias (43) in sancti Anastasii martyris honore constituit; quod quidem ibi prius fuerat, sed hoc tempore sola ecclesia, deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, et reformata ecclesia, assignatis etiam ad alimonias domibus, agris, et vineis, a Clara-Valle abbatem et conventum fratrum sibi mitti dominus Papa petiit, et obtinuit. Mittitur ergo Bernardus (44), Pisanæ olim ecclesiæ vice-dominus, et religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti Regulam in eodem loco Domino deservirent. Cito profecit illa plantatio, et associatis sibi viris indigenis

(41) Nomine Victorem.

(42) Codex Corbeiensis, *Vir Dei domum revertitur, et duplex exhibens gaudium cum exsultatione universæ terræ suscipitur*, etc.

(43) Ibi cœnobium monachorum Honorius I instituerat anno 626.

(44) Cognomento de Paganellis.

Digitized by Google

servorum Dei multiplicatus est numerus ; et pascua congrua nutrimentis multiplex in brevi produxere peculium.

CAPUT VIII.

De præsulibus Ecclesiæ e Clara-Valle progenitis. De insigni pietate comitis Theobaldi, ejusque gravi tribulatione.

49. Abbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur epithalamium. E diversis etiam regionibus odore religionis illius ubique diffuso, fratres ad fundanda monasteria invitantur. Fundata quoque et statuta ditioni ejus sese subjiciunt, et arctioris ineunt regulas disciplinæ. Sed et diversarum regionum civitates ex hoc collegio meruere episcopos. In primis Roma summo ornatur Pontifice. Prænestе Stephanum habuit totius modestiæ [*al.* gloriæ] virum, Ostia, virum magnum Hugonem. In ipsa quoque Romana curia Henricus, et Bernardus alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Prope urbem Romam Nepa quoque sub Huberto refloruit. In Tuscia, Pisis natalis soli gloria, et magnum Ecclesiæ lumen Balduinus effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus ; Seduno, Garinus ; Lingonis, Godefridus ; Autissiodoro, Alanus ; Nannetis, Bernardus ; Belvaco, Henricus ; Tornaco, Giraldus ; Eboraco, Henricus. In Hibernia duo episcopi, re et nomine Christiani. In Alemannia civitate Curia Algotus, sapientia, ætate et gratia reverendus. Hæc luminaria de Clara-Valle assumpta fulgore puro prædictas urbes sua illustravere præsentia, et pastoralis officii elucidantes gloriam, exemplum cæteris episcopis facti sunt doctrinæ et vitæ, et in altitudine sua semper humiles constiterunt.

50. Defuncto siquidem Innocentio papa, et successoribus ejus Cœlestino et Lucio quam velociter consummatis, Bernardus quem prius apud sanctum Anastasium abbatem diximus ordinatum, Papa Urbis efficitur, et Eugenius tertius appellatur. Hic seditione orta in populo, pulverem pedum in litigantes excussit, et relictis eis, in Franciam venit. Cumque se Romæ comederent ac morderent, et se invicem consumerent, exspectavit in pace, donec fatigati conflictibus et damnis afflicti, ejus præsentiam cuperent et optarent. Qui interim celebrato Remis consilio Claram-Vallem humiliter visitat, et gloriam pontificatus Romani pauperum repræsentat aspectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, et in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem ; ut altitudini sociata humilitas pro officio exterius splendeat, et pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni ejus lanea (45) tunica, et diebus ac noctibus cuculla vestitus sic ibat, et sic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extra se pontificem et moribus, et vestibus exhibebat : rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria. Lectus ejus palliis opertus cortina ambiebatur purpurea ; sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis complosa stramina, **1113** et paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde : ipse vero bona coram Deo et hominibus providebat. Alloquitur fratres non sine lacrymis, miscens sermonibus avulsa a corde suspiria, hortatur et consolatur, et se inter eos fratrem et socium, non dominum exhibet, vel magistrum. Cumque ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo, salutatis fratribus iter in Italiam dirigens abscessit et ad Urbem pervenit.

51. Scripsit ad eumdem papam Vir sanctus multæ subtilitatis (46) librum [*al.* utilitatis], in quo acutissima indagatione tam ea quæ circa eum, quam quæ infra sunt, prosequens, etiam ad ea, quæ supra ipsum sunt, ascendens, tanta de natura divina disseruit, ut videatur in tertium cœlum assumptus audisse quædam verba quæ non licet homini loqui, et regem in decore suo vidisse. In his quæ infra, et quæ circa ipsum sunt ; morum societas, naturæ æqualitas, officiorum distantia, consideratio meritorum, dijudicatio provectuum subtilissime distinguitur, et singulis in suo genere sui cognitio intimatur. In his quæ supra hominem sunt, speculatur cœlestia, non eo modo, quo Angeli, qui semper adhærent Deo, considerant ; sed eo modo, quo potest homo puri animi et mentis sinceræ divina contingere, et conformari hierarchiæ cœlesti sacerdotium temporale. Cum enim in cœlesti militia constet alios aliis principari, et ministeriales spiritus, ad nutum superiorum potestatum, ad diversa officia delegari ; quidam vicinius assistentes ab ipso accipiunt, quæ aliis, vel agenda, vel intelligenda insinuent. Cumque exigat homo præposituræ suæ reverentiam exhiberi, ad honorem summæ potestatis cuncta referri necesse est : quia cum sit subditus homini homo, vel spiritui spiritus, subdi maxime oportet Deo, de cujus munere datur ista prælatio, et quo docente fit ut pateat homini tam cognitio sui, quam per fidem et spem ad divinam contemplationem pro modo data et indulta accessio. Dictabat Vir Dei, et nonnumquam scribebat, in tabulis cereis [mella restituens, et quidem gratiora prioribus], non patiebatur perire inspirata sibi divinitus. Sedabat lites ecclesiarum, et appellationes importunas, quas inter se discordes clerici concitabant, blando spiramine componebat. Interdum etiam durius increpante eo, redibat tranquillitas, et detumescentibus procellis, qui seditiosi ante eum venerant, et bile diffusa scaturientes declamationibus, pacifici revertebantur

(45) Vide religionem in summo pontifice, qui non lanea interula, sed tunica corpori adhærente utebatur, nec cucullam de nocte etiam in lecto adjiciebat, non scapulari, quod tunc non licebat, teste Herberto in lib. II *De miraculis Cisterciensium*, cap. 35. Bernardo ob infirmitates permissus lanei indusii usus, cum pileo simili, infra lib. III, num. 5.

(46) Libros quinque.

Digitized by Google

52. Adhæsit ei præ cæteris quidem principibus comes Theobaldus, et dilectionem opere prosecutus, et se, et sua in subsidio Claræ-Vallis exposuit, et in manibus Abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum; ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi postulassent [*al.* imperassent]. Emebat igitur fundos, construebat domos, abbatiis novis præbebat impensas; et ubicumque servi Dei extendissent propagines, delegabat pecunias: non unam domum, sicut Salomon Jerosolymis, statuens; sed ubicumque hujus schematis consedissent personæ, satagebat eis ministrare necessaria, quasi Christo in terris præsenti propriam faceret mansionem. Sed et hoc in arbitrio Viri Dei posuit, ut quibuscumque egentibus eo mandante ad opus Dei sumptus præberet. Videns igitur Abbas (47) promptum Principis animum, pietatem accendit, et maxime quidem domesticis fidei voluit eum esse obnoxium; et immortalia templa fundare consuluit, et eleemosynas ea sagacitate disponere, « ut semper fructitantes redivivis et renascentibus accessionibus novas semper eleemosynas parturirent. Deinde egenis, quos hac atque illac quasi vespæ pungentes stimuli paupertatis exagitabant, omnimodis docuit misereri; aliis indumenta, aliis alimenta largiri monuit: et suggessit, ut per se ipsum xenodochia visitaret, nec horreret, aspectus [*al.* aspectu] languentium; quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, si et videret, et foveret; si consolaretur, et reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum et viduam, misereri et commodare, sermones in judicio disponere, providere quieti Ecclesiæ, rationem gladii intelligere quasi elementarium 1114 instruxit, summam principalis officii ei intimans, et hoc a principe requiri ex debito, ut laudi bonorum et vindictæ malorum intendat. »

53. Hæc et alia hujusmodi salubria monita homo rationabilis reverenter accipiens, luxum curiæ, et fastum altitudinis in humilitatem et honestatem convertit: nec erat qui in præsentia ejus auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui; sed in hoc etiam ei placere studentes, sive ficto, sive puro animo ea, in quibus dominum suum delectari videbant, ipsi quoque sæpius factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiarius ei assistebant, pauperes patientes calumniam, nuntiabant languentes in plateis jacentes, et quoscumque in amaritudine et miseria constitutos; et ipse oblata sibi occasione clementiæ lætabatur, et altiori gratia amplectebatur, quos de hujusmodi rebus videbat magis esse sollicitos. (48) [Et quia suorum neminem vel in illa curia, vel pro causa illa Vir Dei passus est demorari;] duos religiosos viros de Præmonstratensi Ordine evocatos eleemosynæ suæ præposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella et vicos, in quibus ipse maneret: et de propria mensa A languentes et leprosos, qui ibi manebant, quamdiu in illis locis esset, abundanter refici jussit. Sed et aliis pauperibus largas et congruas personis eleemosynas, sive in cibis, sive in vestibus, eorum ministerio donari instituit. Et illis quidem tantum in domo sua voluit esse dominium, ut potestativæ, pincernis, et pistoribus, et coquis, et reliquis ministerialibus, quæ vellent juberent, quæ placeret tollerent; nec esset qui aliquid prohibere auderet, vel referret ad Comitem, si in aliquo prodigi viderentur. Sed et viri illi timentes Deum, et tam ei placere, quam Comiti cupientes, nec magnificentiam Principis minuebant, qui charitatis plenitudinem de suis impleri præceperat; nec Deo ingrati esse volebant, si invenirentur desides et avari, ubi B eos promptos et expeditos dispensatores esse, tam voluntas Dei, quam Principis sufficiens bonitas injunxisset. Erat præterea horum officio deputatum, ut monachis et religiosis viris, quos ad curiam diversa mittebant negotia, hospitia providerent, et de penu et horreo Comitis necessaria ministrarent. Circumferebant etiam rigente bruma, aptatis sarcinis, pauperum indumenta, et pelles, et birros, et calceamenta, in quibus nec axungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in comitatu illo clementiæ deerat opus: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium. Temporibus famis non, sicut Pharao, frumenta venumdedit populo, nec in servitutem sibi erogatis annonis subjecit Ægyptum: sed Abbate sancto, quasi altera C Joseph, diviniore usus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhausit pecunia populum, nec astu circumvenit afflictos, nec re publica ad se translata, privatos in terra cumulavit thesauros; sed in cœlo potius thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate et pecunias distribuit, et annonas.

54. Nec defuit viro inhianti cœlestibus magni ponderis et horrenda tentatio: sed aggressus est eum tam Rex, quam principes, et commota est et contremuit terra; et quasi iratus esset ei Deus, rapinis et incendiis fere omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant; et operuit faciem terræ Regis exercitus, et passim omnia vastabantur. D Nec erat ei tutum resistere, vel obviare persecutoribus: quia et sui deseruerant eum, manifeste infestantes; et qui remanserant, in insidiis, non ad subsidia erant. Undique angustiæ graves, quia nec domi sibi cavere, nec extra poterat congrua providere, cum omnino qui sui essent, nesciret; et tam de perfidia refugarum, quam de duplicitate suorum prorsus diffideret. Inter has autem augustias conversus ad Dominum, et de cœlo quæsivit auxilium: et accito Viro Dei, cujus consilio maxime utebatur, nec desperans de misericordia Dei, hoc ex ejus responsione accepit, « ut intelligeret quia flagellat Deus omnem filium quem recipit; et hujusmodi correptiones vel purgant, vel probant animam

(47) Vide de eodem infra lib. IV, cap. 3.

(48) Uncinis inclusa exstant in cod. Corb.

Digitized by Google

(*Prov.* III); et gloriosiorem fuisse Job cum sederet in sterquilinio, quam fuisset, cum circumstante exercitu sedisset illæsus in solio (*Job* II). Ostendit ei Vir sanctus Salomonem peccasse **1115** in otio, et abusum bono pacis defluxisse in vitia : cum David pater ejus, Absalon filio persequente, et universo Israel adversus eum armato, permansisset in gratia. Intimavit etiam quomodo ipsum satanas colaphizarit Apostolum, in qua tribulatione immobiliter perseverans illud meruit audire, quia *virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9-11), et quia in præsenti vita segniores nos faciunt prospera, et circumspectiores adversa. »

55. Audiens hæc venerabilis Comes, magnifice animatus, duo immensi ponderis et miri operis vasa aurea (in quibus pretiosissimæ gemmæ habebantur inclusæ, quæ in solemnitate coronæ suæ rex Anglorum Henricus avunculus ejus ad ostentationem divitiarum suarum et gloriæ suæ in mensa coram se habere consueverat) sub **1116** omni celeritate proferre jussit in medium; et a corde suo delectationem hujusmodi avellens, gemmas (49) a retinaculis suis jussit abstrahi, et aurum confringi præcepit, ut venderetur, et de pretio eorum dilecta Domino super aurum et topazion tabernacula fundarentur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israel : sed Moyses elevatis in cœlum manibus potitus est victoria, et retrahentibus se hostibus Abbas sanctus sequester sollicitus, clamantibus ad Deum et domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, et allegationibus divinis intercurrentibus detumuere procellæ, et reversa est inter Regem et Principem tranquillitas, et pacis desiderata serenitas.

(49) Fortassis hæ erant gemmæ quas a duobus abbatibus *ordinis Cisterciensis* emit Sugerius, ex *lib. De ejus administratione*, cap. 32. Idem auctor Theobaldum comitem *hyacinthos rubeos* ad ecclesiæ Sancti Dionysii dedicationem donasse tradit, apud Chesnium, tom. IV, p. 356.

LIBER TERTIUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO QUONDAM CLARÆ-VALLENSI, ET S. BERNARDI NOTARIO, POSTEA ABBATE.

1115 PRÆFATIO.

Clarissimi patris nostri Bernadi Claræ-Vallensis abbatis memoriam viri insignes, ad laudem Christi et multorum ædificationem, litteris commendarunt. Inventa sane materia uberi, prout cuique licuit, et certior ei gestorum innotuit veritas, non eam totam, sed partes aliquas digessere. Videtur autem nonnullis, quod multo minus eum silere debuerat, [*al.* debeat] puer sanctitatis ipsius, dignationis filius, benignitatis alumnus : quem ab ejus uberibus post annos circiter tredecim (quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo) sola tandem, quæ sola potuit, mors avulsit. In quo tibi utinam sibi complaceat etiam nunc, Pater sancte, sicut aliquando videbatur et aliquandiu complacere! Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tam tuus? Momordit, fateor, et dure momordit mors improba; sed non totum pariter deglutivit. Amputavit, non exstirpavit; sine misericordia portionem, quæ se contingebat, accepit. Tulit aspectum, tulit eloquium, corporale etiam tulit obsequium : sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis, non absorbuit spem futuræ aliquando visionis, non denique in præteritorum memoria altius radicatum filialis assumpsit devotionis affectum. Cæterum mihi quidem, ut optime novi, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sane magnalia, et tuas digne eloqui laudes, non Origenis ingenium, non Ciceronis lingua sufficeret, nec desperandum tamen, quod tuorum magis operum fructus carpere prudens lector, quam verborum nostrorum folia indigna debebit : ut illorum magis suavitate gustata, quam istorum ariditate culpata, non tam nequiter ista mordeat, quam illos delectabiliter edat. Nam et securius et sincerius visa solent, quam audita narrari; et in tertium vas transfusa facilius coacescunt. Sed et dulcius ea bibitur aqua, quæ ab exiguo licet alveo fontis hauritur, quem confestim repleverit vena scaturiens, quam quæ ex rivo tollitur longius jam progresso, vel ex flumine etiam copioso. Inde est quod intactis eorum libris, qui de ejusdem beatissimi Patris nostri initiis, seu etiam mediis conscripserunt ne tanquam super alienum ædificasse videar fundamentum, circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus pene omnibus præsens adfui : interdum etiam, licet pauca interserens, quæ fidelissima **1116** fratrum, qui aderant, relatione cognovi. Verumtamen opus istud libellis tribus partitum lector inveniet. Quorum primus quidem ea maxime quæ ad habitum, mores, atque doctrinam hujus beati Patris videntur pertinere, prosequitur. Secundus autem virtutes multas per eum factas eloquitur. Tertius in ejusdem bono fine completur. Illud etiam admonendum, in rerum narratione gestarum cohærentiam similitudinis magis, quam temporis observari : siquidem nec signa ipsa, nec opera quædam eo ordine scripta quo facta sunt; sed interdum aliqua,

Digitized by Google

prout occurrere locis opportunioribus videbantur, inserta. Firmior enim videtur, et haberi acceptior solet oratio, quæ suis innititur et illustratur exemplis, velut fabrica quædam idoneis fulta columnis. Nonnulla quoque transposita sunt, ut similibus aliis jungerentur, et quæ erant ejusdem generis, sibi aptius cohærerent. Verum hæc in duobus quidem libellis prioribus : nam in tertio pene per omnia ordini ipsi ipsius temporis series narrationis obsequitur.

CAPUT PRIMUM.

De moribus et virtutibus sancti Bernardi summatim.

1. Innumeris quidem signis atque miraculis, ut Orbis comperit universus, fidelem famulum suum Bernardum Claræ-Vallensem Deus glorificavit abbatem, sicut gloriosus semper in sanctis suis, et in sua mirabilis est majestate. Cæterum, sicut Malachiam sanctum idem ipse commendat, primum maximumque miraculum, quod exhibuit, ipse fuit. Serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, et (sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus) de omni re magis fidens orationi, quam industriæ propriæ vel labori (50). Magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, summus [*al.* profundus] in humilitate, præcipuus in pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax, nunquam tamen minus, quam in otio otiosus. Jucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus; affluens denique sapientia, et virtute, et gratia apud Deum et homines. Cujus sanctæ animæ adjutorium simile sibi fecerat Deus, et speciali præventum benedictione corpus aptaverat. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis. In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cœlestis : in oculis **1117** angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum, et sine carnibus erat; ipsa quoque subtilissima cutis in genis modice rubens. In illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio et studium compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur et candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Alias autem thesaurus iste in vase fictili erat, contrito penitus et undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis : molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias sæpius incidentes. Summum ejus studium fugere admirationem, et tanquam unum sese agere cæterorum. At prosequebatur gloria fugientem, sicut e regione captantes sese alios fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper in corde : « Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. » Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc denique et cilicium, quod pluribus annis occulte gestaverat, ponere maluit, quam ut ferre sciretur; minus illum latere velle contestans, cui eum cæteris ejusdem professionis sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, et devotio non communis. Nihil negligens, et minima quæque cum studio et intentione tractabat. Ex propria siquidem experientia definire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt.

2. A primis fere annis sic evasit illecebras gulæ, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Quoties pia sibi ministrantium fraude deceptus, liquores pro aliis alios sumpsit? Nam et oleum sibi per errorem aliquando propinatum bibit, et penitus ignoravit. Nec prius id cognitum, quam superveniens quidam labia ejus miraretur inuncta. Cibus ejus buccella panis, in aqua calida penitus emolliti, cum exiguis sorbitiunculis erat. Modicus ille quidem : sed non modicam ejus partem crudam rejiciebat stomachus, ne qua illi foret in cibo voluptas, quem sumere periculum, sumptum tenere dolor, rejicere miseria. Sic nimirum fideli servo, juxta desiderium cordis sui, dispensatio superna providerat, ut nec fructus ei deesset abstinentiæ singularis, et odiosam semper admirationem declinaret sub umbra necessitatis. De vino quidem sæpius nobis ipse dicebat, decere monachum, quando sumere oporteret, sic gustare illud, ne exinanisse calicem notaretur. Quod sic ipse servabat, quoties sibi vinum patiebatur apponi, ut non modo post unum potum, sed post totum qualecunque prandium, suum vasculum, in quo ei propinabatur, vix aliquando videretur minus plenum a mansula reportari. Minus quidem stare poterat, sed erat sedens pene jugiter, et rarissime movebatur. Quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens; aut insistens doctrinæ, et fratrum ædificationi; aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiam singularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret : libere secum habitans, et deambulans in latitudine cordis sui, et ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Omnis ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, imo regente spiritu, studium hoc lucris uberioribus postponebat; doctus quærere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Alioquin in quolibet cœtu hominum vel tumultu, nisi ejus intentionem

(50) Vid. lib. IV. De Consid., num. 12.

Digitized by Google

causa deposceret, tota facilitate 1118 animum colligens, interiori quadam, quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nihil prorsus attendens quod sonaret vel appareret exterius.

CAPUT II.

De visitatione Hugonis Gratianopolitani episcopi, et Cartusianorum; deque mira in Bernardo sensuum custodia.

3. Cum jam Dei Famulus annos aliquot in Clara-Valle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, et Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret : quem prædictus episcopus tam gratanter et tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem servus Christi episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer expavit : et ipse quoque pariter corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim regina Saba de Salomone testatur (*III Reg.* x, 6, 7), uterque sese in altero longe amplius, quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur.

4. Cartusiæ quoque a viro reverendissimo Guigone Priore, et a cæteris fratribus eodem affectu et eadem veneratione susceptus est Servus Christi, exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit, quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat : sed locutus uni e fratribus, aliquatenus super hoc moveri sese confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, quod ita scilicet a Clara-Valle Cartusiam usque venisset, ut nunquam illud vidisset, nunquam considerasset, et usque in horam illam quale esset, omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi avunculo suo, et in sua vicinia demorante, fuerat commodatum; et erat sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset.

Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos, ubi ille lacus esset : et mirati sunt universi.

5. Desideraverat tamen ab initio omni modo subtrahere se negotiis, et nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod et postmodum ex defectu corporis occasionem invenisse se reputans opportunam, aliquando statuit, et aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas gravis Ecclesiæ Dei, et summi Pontificis, atque omnium abbatum sui Ordinis jussio (51), quibus per omnia tanquam patribus deferebat ipse omnium pater. Ex quorum etiam mandato, novissimis quidem annis, præter cucullam et tunicam, laneo (52) panno in modum chlamydis decurtatæ, et pileo simili utebatur, inter tantos languores corporis et labores nullis unquam uti pellibus acquiescens. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam. Nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam foris affectantis humanam. Incessus ejus 1119 et habitus omnis modestus et disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu lætificans et ædificans intuentes. De risu dicimus quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, « non meminisse se a primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; et risui suo stimulum magis adhibere, quam frenum. »

CAPUT III.

De rara in eo sermonis cura, modestia, simul et gratia; deque dignitatum fuga.

6. Vocem illi in invalido corpore validam satis intelligibilemque contulerat, qui in opus prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quotles opportuna inveniebatur occasio, ad quascumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores et studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus : sic cæteris quibusque generibus hominum, velut si omnem investigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis et sapientiæ affluens documentis; omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Cautus erat artificiosissime observare quod ad papam Eugenium scribens, de sui cordis plenitudine eructavit. « Nugæ si incidant interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane

(51) Vid. epist. 21 et 48, *in fin.*

(52) Mira ordinis severitas! ut lanea interula cum pileo consimili Bernardo fuerit remissionis loco concessa, qua nequidem Eugenius pontifex utebatur, supra lib. II, num. 50. De hoc pileo et pileis pelliceis leg. inf. lib. IV, num 36. Pileum laneum biretum interpretor, seu calanticam. De caputio Bernardi vide infra lib. VII, cap. 17.

Digitized by Google

in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, ut supersedeant otiosis (53). »

7. Quam vero placabilem et persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio, nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Siquidem diffusa erat gratia in labiis ejus, et ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset ne ipsius quidem stylus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel et lac sub lingua ejus; nihilominus in ore ejus ignea lex, juxta illud Cantici canticorum: *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (*Cantic.* IV, 3). Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens miro audiebatur affectu, et ex sermone ejus quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem: cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, et effuslo lacrymarum. Utebatur sane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam sequi illas, quam præcedere crederetur, et ducere ipse quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum sequens. Quem nimirum ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus spiritu sapientiæ et intellectus, ut secundum quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, et abscondita proferret in lucem (*Job* XXVIII, 11). Nam et confessus est aliquando, sibi meditanti vel oranti sacram omnem, velut sub se positam et expositam, apparuisse Scripturam.

8. Cæterum quam gratis evangelizaverit, quis digne prædicet? quis digne miretur? Minus fore credidit, nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas sæpius refutaret ecclesiasticas dignitates. Parum illi fuit nulla quærere stipendia militantem: ne insignia quidem recipere acquievit. Denique velut alter David, processurus ad bellum, bellica arma sibi graviora causatus est (*I Reg.* XVII, 39), quibus multos suo præsertim tempore cerneret prægravari: et in simplicitate sua gloriosius triumphabat. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, uberius **1120** tamen fructificaret in ea, quam alii quilibet in sublime porrecti; et lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de sub modio humilitatis suæ, quam cæteri super candelabra constituti. Nimirum quo humilior, eo semper utilior fuit populo Dei in omni doctrina salutari, in quo tamen nunquam voluit locum tenere doctoris. Beatus plane, qui, sicut ipse de quodam sanctorum ait (54), « legem dilexit, et cathedram non affectavit. » Quam felicius siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum noluit præsidere in cathedris dignitatum. Denique sicut justus et fortis in prædicatione evangelica laboravit, sicut prudens et temperans cavit sibi semper ab ecclesiastica prælatione. Nec enim contumaciter unquam renuit, sed frequenter et ad maximos electus honores, prudenter egit, divina sibi cooperante gratia, ne aliquando cogeretur. Moyses quidem sanctus cessit Aaron fratri suo pontificium; sed linguæ erat impeditioris. Bernardum nostrum non ab opere evangelistæ necessitas aliqua, sed ab honore solo sola humilitas revocavit. Merito proinde apud Deum et homines obtinuit gratiam singularem, qui non modo sine sumptu temporalis facultatis, verum etiam sine gradu ecclesiasticæ dignitatis, non autem sine fructu fraternæ salutis Evangelium posuit; et populo Dei semper prodesse studuit, nunquam præesse sustinuit. Raro tamen, nisi forte ad loca proxima, ut prædicaret exivit. Sed quoties eum necessitas aliqua traheret (55), seminabat super omnes aquas, publice et privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat; ad nutum quoque præsulum cæterorum, ubicumque eorum aliquem contigisset adesse. Nimirum quanto magnus erat, humilians se in omnibus, eo magis sacerdotibus deferebat, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur.

CAPUT IV.

De infelici expeditionis in Orientem successu, et nato hinc contra Virum sanctum murmure.

9. Nec tacendum quod ex prædicatione itineris Jerosolymitani grave contra eum quorumdam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum tristior sequeretur effectus: quod tamen verbum dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, a rege Francorum semel et iterum propter hoc expetitus (56), apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem summi Pontificis generalem epistolam jussus ab eo est tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua exponere populis atque principibus: cujus epistolæ tenor (57) fuit, ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Hæc et hujusmodi super hoc poterant veraciter dici: sed dicendum potius id quod potius fuit. Evidenter enim verbum hoc prædicavit, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, etiquam multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam et eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum scriptorem numerositas scribendorum, et materia superavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab

(53) Lib. II De consid. cap. 13.
(54) Nimirum de S. Malachia, in ejus Officio, Antiph. 1 ad Matut.
(55) Vid. epist. 21 et 55.
(56) Vid. lib. II De cons. c. 9.
(57) Hæc epistola prima est Eugenii tomo X Conciliorum.

Digitized by Google

incommodis variis sanarentur, nec facile ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus, per Servi sui tactum et orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare; aridos convalescere, surdos fecit audire, et mutos loqui; mirabilius restituente gratia, quod minus præstitum fuerat a natura.

10. Nec tamen ex illa profectione orientalis Ecclesia liberari, sed cœlestis meruit impleri et lætari. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora a paganis, Occidentalium animas a peccatis; quis audeat dicere illi, Quid fecisti sic? Aut quis recte sapiens, illorum magis non doleat, qui ad priora, vel pejora forte prioribus scelera redierunt, **1121** quam eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt? Alioquin, quamlibet dicant Ægyptii, dicant filii tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre, *Callide eduxit eos, ut interficeret in deserto* (*Exod.* XXXII, 13): patienter tolerat Christus Salvator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater, inter cætera dicens: « Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, et venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam (cap. 1). » Hæc quidem ille in libro de Consideratione secundo. Accidit autem, ubi primum de ejusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, ut illuminandum Dei Famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus, si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti Spiritus ejus adfuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum vero post orationem oraționis præstolaretur effectum: « Quid facturus sum, » ait puer? « video enim. » Attollitur illico clamor astantium. Plures enim non modo e fratribus, verum etiam e sæcularibus aderant, qui ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.

11. [Illud etiam jucunde satis credimus considerasse nonnullos, quod eadem hebdomada, qua felicissima anima ejus carne soluta est, ecclesia Jerosolymitana magnifice satis fuerit divino munere consolata, sicut sæpius noverant illum promisisse. Siquidem capta est Ascalon illa munitissima, paucis a sancta civitate milliariis distans, et periculose instans calcaneo ejus. Adversus hanc quinquaginta annis et eo amplius nihil profecerant Christiani laborantes: nam et tunc non humana virtute capta est, sed divina. Nec incongruum nunc ipsius interserere verba, quæ eodem scripserat anno ad virum optimum militum Templi, tunc ministrum, nunc etiam magistrum Militiæ Templi, qui ipsius secundum carnem avunculus erat. « Væ principibus nostris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt: in suis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, et non compatiuntur super contritione Joseph. Confidimus autem quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet. Porro dextera Domini faciet virtutem, et brachium suum auxiliabitur ei; ut cognoscant omnes quia bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus (58). »] Sed de his hactenus.

CAPUT V.

De erroribus Petri Abælardi, et Gilleberti Porretani opera sancti Bernardi confutatis.

12. Jam et illud propter posteros memorandum, quam multipliciter Ecclesiæ sanctæ Viri Dei doctrina profuerit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis. Siquidem præter eos quos docuit sobrie, et juste, et pie vivere in sæculo; quantos etiam perfectius valedicere sæculo persuasit, vel ex hoc liquet, quod non cessavit, quamdiu vixit, deserta sæculi, sæculi desertoribus implere. Cujus ministerio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: *Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis. Et benedixit eis, et multiplicati sunt, et jumenta eorum non minoravit* (*Psal.* CVI, 35-38). Sane in diebus schismatis generalis, quam fideliter Servus Domini stetit in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus; quam efficaciter stetit et placavit et cessavit quassatio; quam denique evidenter in tempore iræ factus est reconciliatio; non modo latius prosequendum. Sufficere interim potest, si ipsius super hoc scribentis ad eum Innocentii papæ **1122** verba ponamus: « Quam firma, » ait, « perseverantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defendendam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, et aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum, ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri, ac nostram obedientiam, frequentibus argumentis, et ratione munitis reducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit, utilitas manifestat (59). » In quibus autem pro fide quoque quam magnifice egerit servis fidelis et prudens, breviter intimandum.

13. Fuit in diebus illis Petrus Abælardus magister insignis, et celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatizans. Cujus cum blas-

(58) Epist. 288.

(59) Vide inter Innocentii epistola.

Digitized by Google

phemiis plena gravissimis volitare undique scripta A sul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio
cœpissent, profanas novitates vocum et sensuum condemnavit.
viri eruditi atque fideles ad Dei Hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate et benignitate desiderans errorem corrigi, non hominem confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cæterum cum recessisset ab eo, Petrus idem consiliis stimulatus iniquis, et ingenii sui viribus, plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens, resiliit a proposito saniori. Expetens denique Senonensem Metropolitanum, quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Claræ-Vallensem causatur Abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus Abbas dicturus, si quid haberet, ad Concilium vocaretur. Factum est ut postulavit. Sed vocatus Abbas venire penitus recusavit, suum hoc non esse renuntians (60). Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipsius absentia et scandalum populo, et cornua crescerent adversario, demum pergere acquievit, tristis quidem, nec sine lacrymis annuens, sicut in epistola ad papam Innocentium ipse testatur (61), in qua plenius lucidiusque negotium omne prosequitur.

14. Adfuit dies, et ecclesia copiosa convenit : ubi a Dei Famulo Petri illius in medium scripta C prolata sunt, et erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi ; aut errorem humiliter corrigendi ; aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter et sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur ; ut tempus redimeret, Sedem apostolicam appellavit. Sed et postea ab egregio illo catholicæ fidei advocato monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere, quam secure, audiendus tantum et ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus ; hoc quoque omnimodis recusavit. Nam et confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, et interior fugerit sensus (62). Nihilominus tamen Ecclesia quæ convenerat, dimisit hominem, muletavit abominationem, a persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando vero Petrus ille refugium inveniret in Sede Petri, tam longe dissidens a fide Petri ? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus Præ-

15. Fuit item Gillebertus, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris Literis plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de sanctæ Trinitatis unitate et Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, hec facile quid saperet, imo quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum ei dixisse ferunt :

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

1123 Novissime tamen cum jam fidelium super B hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est, et librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat, graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Igitur in Concilio, quod in urbe Remorum papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominus adversus hunc Gillebertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus : primo quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens ; deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens. Considerans sane nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam a persona ; accensus est zelo, et domesticam sibi Ecclesiam seorsum convocat Gallicanam. Communi denique consilio, a patribus decem provinciarum, aliis autem episcopis et abbatibus plurimis, dictante Viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demum apostolico judicio et auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur ; episcopus Gillebertus an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, et publice refutans (63) quæ prius scripserat et affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege eamdem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla sese D obstinatione, pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum libere suam opinionem.

CAPUT VI.

De hæresi Henriciana in partibus Tolosanis repressa et patratis ibidem miraculis.

16. In partibus Tolosanis Henricus quidam (64), olim monachus, tunc apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ, verbis persuasibilibus gentis

(60) Vid. epist. 187.
(61) Vid. epist. 190.
(62) Vid. epist. 89 et notas ei subjunctas.
(63) Hæc fusius refert hujus libri auctor Gaufridus, qui et ipse concilio interfuit, in epist. ad episcopum Albanensem Henricum. Ad hæc idem Gaufridus disputationem edidit adversus Gilbertum quam habes infra.
(64) Confer Gaufridi de isto Henrico epistolam, quæ habetur post Vitæ librum sextum, et vide nostram Præfationem ad tomum I, articulo VI. De ejus erroribus vide epistolam 241 et sermonem 65 in Cantica.

Digitized by Google

illius occupaverat levitatem, et, ut prædixit Apostolus de quibusdam, in hypocrisi loquens mendacium (*I Tim.* IV, 2), fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter et ministris. Nec mediocriter in ea jam malignitate profecerat. Sic enim de eo scribens Pater venerabilis ad principem Tolosanum, inter cætera ait: «Passim invenichantur jam Ecclesiæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, sine Christo denique Christiani. Parvulis Christianorum Christi vita intercludebatur, dum Baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, sanctorum invocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes, dierum solemnium vacationes, chrismatis et olei consecrationes, et omnes denique institutiones ecclesiasticæ spernebantur.» (*Epist.* 241.)

17. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, et tunc demum a reverendissimo Alberico Ostiensi episcopo et legato Sedis apostolicæ persuasus pariter et deductus. Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cœlo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset: tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, et in cæteris locis, quæ miser ille frequentasset amplius, et gravius infecisset; multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores et obstinatos auctoritate sua premens et opprimens, ut non dico resistere, sed ne assistere quidem et apparere præsumerent. Cæterum etsi tunc fugit hæreticus ille et latuit, ita tamen impeditæ sunt viæ ejus et semitæ circumseptæ, ut vix alicubi postea tutus, tandem captus et catenatus episcopo traderetur **1124**. In quo itinere plurimis etiam signis in Servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans.

18. Est locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen est, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei Famulo offerebant. Quos ille elevata manu et signo Crucis edito in Dei nomine benedicens: «In hoc,» inquit, scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem.» Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium magnus ille Gaufridus (siquidem præsens erat et proximus Viro Dei); «Si bona,» inquit, «fide sumpserint, sanabuntur.» Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans: Non hoc ego dixerim, » ait, «sed vere qui gustaverint, sanabuntur: ut proinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant.» Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut A per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et Vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinaverit, et timuerit illo ire.

19. Præcipuum [*al.* primum] sane miraculum quod per Famulum suum in urbe Tolosa Christus exhibuit, paralytici cujusdam clerici curatio fuit. Hunc in domo regularium clericorum sancti Saturnini, quorum unus ipse erat, ad petitionem Abbatis et fratrum circa noctis crepusculum, visitans Homo Dei, moribundum invenit hominem, qui extremum spiritum trahere videretur. Consolatus itaque miserum, et data benedictione egrediens, sicut postea confessus est, loquebatur in corde suo fidelis Servus ad Dominum tam fiducialiter, quam fideliter, dicens: Quid exspectas, Domine Deus? Generatio hæc signa B quærit. Alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis.» Eadem hora exiliit paralyticus de grabato, et accurrens secutus et consecutus est eum, sacra vestigia devotione qua debuit amplexatus: cui subito procedenti obvians ex concanonicis unus expavit et exclamavit, siquidem phantasma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse? Egressam magis a corpore ejus animam phantastice sibi apparuisse arbitratus aufugit. Sed ipsa demum tam ei, quam cæteris, rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde sermo inter fratres, curritur ad spectaculum tam jucundum: ipse etiam inter primos accurrit episcopus et legatus. Inde pergitur ad ecclesiam, eo ipso qui convaluerat præeunte: conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente, ruit undique populus, benedicitur Christus, triumphat fides, infidelis quisque confunditur, exsultat pietas et impietas contabescit. Porro Vir Dei cellam ubi manebat ingressus, diligenter omnes observari aditus, observari januas jubet, ne quis pateat introitus populo concurrenti. [Sane is quidem Bernardus (hoc enim clerico nomen erat, qui sanus factus est) corporali beneficio non ingratus, magisque sollicitus pro remedio spirituali, secutus est Servum Christi, monasticum in Clara-Valle Ordinem profitens, et habitum sumens. A quo etiam missus ad partes iterum Tolosanas, et abbas illic constitutus, hodieque monasterio præest, quod Vallis-Aquæ dicitur.]

CAPUT VII.

De suavissimis beati Viri moribus, et præclaris virtutibus, et quid de suis miraculis sentiret.

20. Cum autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, et multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui a Christo humilitatem cordis et mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, et ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: «Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super **1125** hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando si-

Digitized by Google

gna per sanctos homines et perfectos : facta sunt et per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur : confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, et a Domino ignorantur. » Hæc et hujusmodi crebrius, secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissime vero opportunum sibimet visus exitum reperisse : «Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem ; et Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem : ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt ; sed pro eis magis qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet cæteris sanctiores, sed ut cæteros magis amatores et æmulatores faciat sanctitatis Nihil ergo mihi et signis istis : quandoquidem meæ illa famæ magis, quam vitæ noverim exhiberi ; nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum.» Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit, nec præstantius reputabit æstimator quisque fidelis, signa atque prodigia mirabiliter operari, quam perpetrata taliter interpretari. Sibi quoque non minus utile judicabit imitandos ejus affectus, quam mirandos actus, et morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sed ad hæc quis idoneus ?

21. In hujus siquidem pectore Viri Dei, pari fœdere puritas suavitasque consederant : satis quidem utraque mirabilis ; sed mirabilior utriusque complexus. Inde nimirum tam singulariter in unum hominem totius Orbis vota pariter concurrebant, quod puritatem suavitas amabilem faceret, suavitatem puritas acceptabilem ; ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conversationis, qui Clarævallensem non sublimiter revereretur Abbatem ? quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur ? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse gerebat : sed quam libere eos, quoties causa deposceret, coercebat, humanissimus in affectione, magis tamen fortis in fide. Et ut breve aliquod hujus rei proferamus exemplum, sicut ipse quoque testatur in sermone super Cantica canticorum vicesimo sexto ; siccis oculis germani sui, et germani tam necessarii, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Nam extraneum quemlibet vix, aut nunquam sine lacrymis sepelivit. Talem sibi illum uberius proinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori ? Legimus de Salomone, quod omnis terra desideravit videre vultum illius. Grande præconium : sed forsitan in hac parte non minus quam Salomon hic. Neque enim satis credibile est, Salomonem illum in omni gloria sua tam universalem Orbis obtinuisse favorem, quam hunc in sua humilitate. Imo vero difficile omnino videretur ex historiis aliquibus invenire hominem unum, conversantem adhuc cum hominibus, in universa terra tam celebre et amabile obtinuisse nomen a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.

22. Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus usque hodie monumenta certiora superesse noscuntur ; et in Ecclesia orientali, et apud soles occiduos Hibernorum, et a meridie in remotis finibus Hispaniarum, et ab aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, et reddebat. Undique ei xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Postremo quasi vitis abundantissima suos undique palmites propagavit, **1126** excepto quod in terram Jerosolymitanam, quamvis locus esset a Rege paratus, ob incursus Paganorum et aeris intemperiem, non acquievit mittere fratres suos. Neque vero episcopus ille incongruum aliquid usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cætera hoc quoque in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis : nec tantum poterat universus eum mundus erigere, quantum se ipse dejicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, infimum ipse se reputans : et quem sibi omnes, ipse se nemini præferebat. Denique, sicut nobis sæpius fatebatur, inter summos quosque honores et favores populorum, vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque potius reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, fiducialius loquerentur, et amica semper liceret humilitate frui ; ibi se invenisse gaudebat, et in propriam rediisse personam. Innata ei a puero verecundia usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet tam magnus esset, et excelsus in verbo gloriæ, numquam tamen (sicut sæpe eum audivimus protestantem) in quamlibet humili cœtu sine metu et reverentia verbum fecit, tacere magis desiderans, nisi conscientiæ propriæ stimulis urgeretur, timore Dei, charitate fraterna.

23. Patientiam ejus maxime quidem flagellis dominicis exercitatam novimus et probatam : qui nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus, his qui noverant, nonnisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterum erga homines quoque, etsi rarior ei occasio, minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter, ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem ; de singulis saltem singula proponamus exempla, quæ interim nobis oc-

Digitized by Google

currunt. Scripserat aliquando Dei Famulus ad episcopum aliquem (65) de curia et concilio Regis, monens eum super quibusdam verbis regi suadere, et consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam, dicens in ipsa salutatione prima, « Salutem, et non spiritum blasphemiæ; » tanquam videlicet Vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi servus, memor Dominicæ responsionis, *Ego dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII, 49) (sicut hodieque exstans ejus epistola continet): « Minime quidem, ait, spiritum blasphemiæ habere me credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim principi populi mei. » Nec minus postea charum nec minus familiarem eumdem episcopum habuit, sed elogium illud prædictum apud eum sic fuit quasi non dictum.

24. Abbas Farfensis conventum fratrum a Clara-Valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus: sed Romanus impedivit Antistes, et sibi tollens eos in loco altero ordinavit (66). Unde plurimum dolens prædictus ille vir magnus, et magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit sub chirographo, quam ad Dei Hominem veniens obtulit ei, rogans ut quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, et totum prorsus amissum. Nec respondit aliud Homo Dei, cum ei nuntiaretur, quam, « Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere Nam et illis, » inquit, « qui abstulere, levius indulgendum. Sunt enim Romani: et pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ista tentatio. » Gratulari etiam consueverat, decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter et violenter sibi ablata, dum contendere nollet, **1127** et magis eum vinci, quam alios vincere delectaret.

25. Veniens aliquando Claram-Vallem clericus quidam, ex his quos Regulares vocant, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum: « Utquid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere? » Et maligno spiritu iracundiæ vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit: « Jam, » inquit, « si illos tenerem, discerperem libros. » Cui Vir Domini: « Puto, » ait, « in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. » Tum vero impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant in sacrilegum involabant: sed prævenit eos Servus Domini clamans, et adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, et curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut miser ille timens et tremens absque omni injuria eductus sit et deductus.

26. Et quidem in libertate spiritus Dei Famulus excellenter enituit, cum humilitate et mansuetudine tamen, ut quodam modo videretur et vereri neminem, et omnem hominem revereri. Increpatione rarius utebatur, monitis potius et obsecrationibus agens. Quam vero invitus, et non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile hujusmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquando forte turbatos, excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæ turbationis passio miseros sic delectet, ut oderint omne remedium; ut contineant aures, claudant oculos, objiciant manus, et omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat et sanari. Ejus tamen objurgationem non minus facile aliquando compescebat gravis et turbulenta responsio, quam humilis et modesta; ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat enim, ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium: ubi vel ex parte altera, utile: ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio; nec disciplina, sed rixa; ut deceat magis interim dissimulare prælatum, et commotione sanata, utilius castigare subjectos; aut certe, si ita res exigit, observare consilium Sapientis, quia *stultus non corrigitur verbis* (*Prov.* XVIII, 2). Loquitur ipse de increpationibus minus utiliter, minus patienter acceptis, in sermone super Canticum canticorum quadragesimo secundo, inter cætera dicens: « Utinam neminem objurgare necesse sit! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes; mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget charitas. Quod si arguero et fecero quod meum est, illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua tanquam jaculum feriens et resiliens, quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nonne angor? nonne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis Magistri, quia de sapientia non possum: prorsus *coarctor e duobus, et quid eligam nescio* (*Philipp.* I, 23, 22): placerene mihi in eo quod locutus sum,

(65) Joscelenum, episc. Suessionens., epist. 213.

(66) Id accidit tempore Innocentii secundi, qui monachos a Farfensi abbate petitos Romæ ad Aquas-Salvias locavit. Farfæ, quod monasterium est perillustre in Sabinis, tunc præerat Adenulfus loci abbas ab anno 1125 ad 1144, laudatus in Chronico Mauriniacensi tomo IV Chesnii, pag. 377, ubi dedicationi ecclesiæ Mauriniacensis ab Innocentio factæ una cum Bernardo anno 1130 interfuisse perhibetur. Gerardus ex monacho Farfensi Claræ-Vallensis laudatur ab Herberto in lib. II de Miraculis, cap. 29.

Digitized by Google

quoniam quod debui, feci; an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui, non recepi. » Et infra: « Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quæsierim, et non magis illius! Quæ enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam et diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, et omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fletibus temperabit? » Et hæc hactenus.

1128 27. De cætero tantus æmulator erat mansuetudinis et pacis; ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa demitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum; et gravamen cujuslibet hominis sustinere, ei admodum grave; non sentire impossibile erat. Adeo neminem sprevit, nullius hominis scandalum parvipendit, etsi veritatem Dei, justitiamque prætulerit. Nam et quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut abundanter ipsi quoque qui læsi viderentur, haberent unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sane vidimus ex ipsis quoque nonnullos, et de quibus minus id videbatur posse sperari, amplieri devotione ejus post modum vel obsequiis deservisse, vel etiam adhæsisse vestigiis. Dicitur tamen et invidos habuisse, ut haberet meritum et ex eis. Cæterum tam singulariter eminebat gloria nominis ejus, ut pestis illa magis desperatione, quam livore tabesceret, et timeret agnosci. Quin etiam humilitate ejus et mansuetudine vincebatur, beneficiis suffocabatur, obruebatur obsequiis. Nimirum doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens, inter cætera ait: « Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentes me (67). »

28. Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse. Plus enim piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem minus sperabat posse sanari quod unde procederet non videbat; magnum sibi e regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine non sine occasione turbato. Erga omnium quidem hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur: et summum ei desiderium, summum gaudium erat animarum fructus, conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu; cujus tanta erat humanitas, ut non modo hominibus, sed irrationabilibus etiam animantibus, avibus compateretur et feris. Nec compatienti deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, ut iter agens, fugientem, et (ut videbatur) protinus capiendum vel lepusculum a canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus frustra sese conari, nec ullatenus se præsente hujusmodi exercere posse rapinam.

CAPUT VIII

De scriptis sancti Bernardi, et animi ejus effigie in ipsis expressa.

29. Hæc nos quidem de sacris moribus Patris nostri pro modulo nostro sub brevitate perstrinximus. Cæterum longe eminentius in suis ille libris apparet, et ex litteris propriis innotescit, id quibus ita suam videtur expressisse imaginem, et exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: « Laude sua ipse se sonet, et laureatus spiritu scriptis coronetur suis. » Si quis enim nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator exstiterit, primum opus illius de gradibus Humilitatis inspiciat. Inde si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad homilias in Laudibus Virginis Matris; et illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo circumspecta discretio, de Præcepto et Dispensatione disserens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator exstiterit et adjutor, Exhortatorius ad milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de Gratia et Libero Arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus, et in rerum superiorum pariter **1129** inferiorumque scientia locuples, in his quæ ad papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quam devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligenter episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam et in Sermonibus super Cantica, et investigator mysteriorum, et morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, omnem æque oderit injustitiam.

30. Fidelis etenim servus Christi non quærebat aliquid suum: quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quæ enim scelera non arguit? quæ odia non exstinxit? quæ scandala non compescuit? quæ schismata non resarcivit? quas hæreses non confutavit? Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid

(67) Epist. 253, ad abbatem de Præmonstrato, n. 10.

Digitized by Google

virtutis, aut laudabilis disciplinæ, [suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit charitas, diligentia non promovit? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit? quid forte collapsum non totis pro loco et tempore viribus egit ut repararetur? Quis malitiam quamcumque disponens ejus zelum et auctoritatem non timuit? Quis proponens quodcumque bonum, ejus, si potuit, non consuluit sanctitatem, non desideravit favorem, opem non flagitavit? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis, de quacumque tribulatione fideliter clamaturus accessit, et inefficaciter laboravit? Mœstus ab eo solatium, afflictus auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus Orbi : ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens, tanquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui.

31. [Et quidem divisiones gratiarum commendat Apostolus (*I Cor.* XII) : et si quis diligenter quærat, inveniet diversos ab initio Dei famulos in diversis enituisse muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruisse miraculis : alios spiritum habuisse propheticum, et **1130** futura quasi præsentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognovisse. Alios nihilominus antiquorum litteræ protestantur graviori abstinentiæ deditos, parcimoniam coluisse : alios in humilitatis proposito, spretis dignitatibus hujus sæculi, auctori sæculi plurimum placuisse (68) : alios in doctrina verbi ad salutis scientiam plurimos erudisse; ut secundum promissionem Scripturæ sanctæ, luceant quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII, 3.) Alii quoque in ædificandis cœnobiis laborantes, amplificaverunt nomen sanctitatis : alii in sedandis scandalis et turbinibus hujus sæculi promovendisque Ecclesiæ Dei negotiis efficaciter occupati, utiles in actione : alii in sacris meditationibus spiritualiter feriati, sublimes in contemplatione fuerunt. Quid horum nostro videbitur defuisse Bernardo? Imo quid horum tam insigne in eo non fuit, ut ad commendationem satis esset, etiamsi cæterorum aliquid non adesset? Nam etsi multiplicibus Ecclesia sui temporis tam in supra memoratis negotiis, quam in aliis pluribus actionis ejus utilitatem meruit experiri : magnifice tamen etiam gratia contemplationis in eo tam ex visionibus et revelationibus Domini, quam ex scriptis suis, quæ spiritualibus exuberant sensibus, elucescit. Porro monasteriorum fructus, quæ per eum Dominus ordinavit, tam copiosus et evidens, humanis sese ingerit oculis, ut nullis egeat litteris commendari. Magis autem et ex ipsa quoque eorumdem multitudine cœnobiorum omnis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad servitium Christi, qui tam multos undique propagavit. Quod ad reliqua spectat, de humilitate ejus, et dignitatibus refutatis, sed et de tenuissimo victu, superius prosecuti, ex his quæ ad prophetiam pertinent ostensionemque virtutum, sub alio quidem principio curabimus annotare perpauca de multis.] Et nunc igitur jam super his, quæ in signis exterioribus, et multiplici virtutum exhibitione consistunt, secundus, ut præmissum est in præfatione, libellus aliquanta narrabit.

(68) Hæc inserta ex mss. variant in edit. et quibusdam mss.

LIBER QUARTUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

CAPUT PRIMUM.

De reditu ejus ab Urbe, et asportatis inde sanctorum reliquiis. Item de beneficiis diversis ejus merito, sed ipso inscio, in alios collatis.

1. Sicut sermone super Cantica canticorum vicesimo quarto servus Domini Bernardus Claræ-Vallensis gratulatur, et gratias agit illi ; tertio quidem reditum ab Urbe suum clementior e cœlo respexit oculus, et serenior tandem vultus arrisit, quod quievisset rabies Leonina, accepisset finem malitia, recepisset Ecclesia pacem. Tanta vero exsultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita nuntiare lætitiam. Unde etiam mirari ipse sæpiusque causari, quod dum sibi post tam graves frequentias hominum et tumultus, velut ab exordio valefaciendum sæculo judicaret, et tanquam de novo adoriendum sacræ propositum conversationis ; tunc potissimum uberioribus exciperetur gaudiis, obsequiis coleretur. Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quæ beati Cæsarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei prædicti martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde quod vellet, dari petiit dentem unum. Frustra vero aliquandiu fratres qui cum eo venerant laborantes, concessum sibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille : « Orandum nobis, » ait. « Nec enim habere possumus, nisi Martyr ipse concedat. » Facta denique oratione reverenter ac-

Digitized by Google

cedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat instrumentis.

2. Fratres autem Jerosolymitani Templi, fidelis militiæ professores, cum novam habere eo tempore domum in Urbe cœpissent, redeunte prædicto Patre specialique patrono suo, tunicam ejus pro eximia benedictione servabant; apud quos eodem anno sacerdos quidam gravissima febre correptus desperabiliter ægrotabat. Ut autem omnino deficiens devenisse visus est ad extrema, portari sese in oratorium, et prædictam beati Viri tunicam supponi sibi fecit, in sola positus exspectatione exitus mortis: cum subito raptus in quemdam mentis excessum, ac veluti jam carne solutus, videre sibi visus est corpus suum eodem quo jacebat in loco exanime, jam circumdatum multitudine sacerdotum, apertos tenentium libros, et celebrantium exsequias ex more solemnes. **1131** Nec mora, in vultu habituque prædicti Patris sancti reverenda quædam persona prodiens ex altari, manu illis innuit ut tacerent, voce pariter prohibens ne mortuum reputarent, cujus vitam Claræ-Vallensi Abbati donaverat Deus. Confestim denique ad se rediens, sanum se reperit, et quod viderat fratribus indicavit. Qui quidem, ut a fidelibus viris nuper accepimus, hodieque superstes et in partibus Aquitaniæ degens, beneficium quod accepit sedulo confitetur, ipsius præconio, cujus merito vivens. Si quis hoc minus miratur, animadvertat de beato Nicolao ex innumeris quibus est decoratus miraculis, in natalis ejus annua commemoratione tanquam eximium commendari, quod imperatorem Constantinum ab interitu quorumdam longe constitutus per visum deflexit.

3. Nec illud dissimile est quod annectimus. Abbas Gerardus de Moris (69), quod est monasterium proximum Claræ-Valli, testatus est nobis vidisse se eum aliquando psallentium fratrum circuire choros, et sicut frequenter agebat, excitare torpentes, ita ut affectiosius et virilius psalleretur quod reliquum fuit vigiliarum. Cumque die sequenti apud eum familiariter causaretur tardius illum quam oportuerat ea nocte visitasse psallentes: « Ego, ait, nocturnis horis corporeo occupabar incommodo: sed quo non potuit corpus, spiritus venit. » Expavit ille audiens non adfuisse in corpore, quem tamdiu ipse corporeo spectasset obtuitu, circumeuntem utrumque chorum, et dormitantes quosque, ut consueverat, excitantem, et manum singulis imponentem.

4. [Tempore, quo Pater sanctus apud Urbem morabatur, contigit fratrem quemdam, Robertum nomine, in Clara-Valle graviter infirmari. Huic apparuit juvenis quidam, similis fratri infirmario, præcipiens ut sequeretur se. Visum est quod sequeretur præeuntem, venitque ad montem excelsum, in quo Dominum invenit Jesum cum Angelis suis, audivitque eum illi ductori suo dicentem: « Custodi mihi istum. » Jamque misit etiam Dominus in cor ipsius infirmi quædam verba, quæ suæ Claræ-Valli per illum mandavit. Facto ergo mane, resedit qui moriturus illico putabatur, mirantibusque omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonensem episcopum vocari fecit. Cui præsenti inter cætera dixit: « Mandat vobis Dominus, ut domos amplas faciatis, quæ gentem possint capere, quam ipse multam missurus est vobis: fratribusque grangiarum mandate, ut honeste se habeant, formamque boni exempli hominibus sæcularibus præbeant; quia væ ei per quem unus retro abierit. » Post dies ferme viginti, cum eadem adhuc valetudine desperabiliter laboraret, admirabilis Pater Bernardus corpore absens, sed spiritu præsens, Claram-Vallem advenit, languentem visitavit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantavit, noctemque illam ibidem juxta illum fecit, et mane facto, idem frater sanus apparuit, modum etiam suæ liberationis fratribus indicavit.]

5. Ad multorum aures famam credimus pervenisse viri venerabilis Guillelmi, qui olim Montis-Pessulani dominus, nunc verus Christi pauper et humilis monachus, degit in cœnobio, quod Grandissilva (70) vocatur. Ipsius relatione didicimus, quod dicturi sumus, sicut ab ejus ore, cui contigerat, se accepisse dicebat. In civitate Auxitanorum, quæ metropolis est Vasconiæ, miles quidam infirmabatur Cujus cum inferiores corporis partes a renibus et deorsum morbus sæviens occupasset, erat diebus multis lecto decubans, non modica parte præmortuus. Compunctus denique et confisus de misericordia Dei, ad Servum ejus, cujus circumquaque tam celebris sese virtutum fama diffuderat, quocumque labore se præcipit deportari. Jam per dies aliquot processerat, profeceratque non minus in fide et devotione, quam in itinere ipso; cum miseratus hominem Deus, mirabiliter satis et infirmitati ejus subvenire dignatus est, et parcere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quisnam esset, aut quo tenderet inquisivit. Acceptaque itineris ejus necessitate: « Ego, ait, ex parte illius Sancti præcipio tibi, ut revertaris, sciens quod ubi domum veneris, **1132** sanus eris. » Persuasit illi Deus ut crederet, cujus nimirum dispositione omnia gerebantur. Rediit, rediensque paulatim recepit eam, quæ sibi promissa fuerat, misericordiam, ut non prius domum pertingeret, quam plenariæ donum perciperet sospitatis.

6. [Anglorum quoque regina Mathildis, tantum huic famulo Dei exhibuit aliquando devotionis affectum, ut venienti Boloniam extra urbem cum populo pedes occurreret, gravida tamen ipsa, multumque jam gravis. Quæ post dies aliquot, ut pa-

(69) Gall. *Mores*, ordinis Cisterciens., in diœces. Lingonensi, fundat. an 1153 a Samsone Remensi archiepiscopo.

(70) Vulg. *Grandselve*, in diœcesi Tolosana, fundat. an. 1144.

Digitized by Google

rendi tempus advenit, tam graviter est afflicta, ut tam ipsa, quam domus omnis, de vita ejus penitus desperarent : jamque omni reliqua supellectili pauperibus et ecclesiis delegata, vestis etiam regia pararetur in qua sepeliretur, tanquam protinus moritura. Tum subito recordata Hominis Dei, et nomen illius invocans plena fide, in ipsa protinus invocatione sine periculo partum edidit desperatum. Nec distulit legatum destinare fidelem, per quem gratias ageret celebri subventori, ipsum sic natum, non immerito natum ejus appellans (71)]. Verum ille, quoties tale aliquid contigisset audire, non minus humiliter, quam jucunde refutans, dicere consueverat : « Hoc certe mihi sic est imputandum, sicut ei qui conscius omnino non fuit. »

7. In monasterio, cui nomen est Bella-Vallis (72), B prope urbem Chrysopolim, homo quidam a dæmone vexabatur, mira eo instigante faciens, mira loquens. Post multas igitur orationes fratrum, cum improbe persisteret illa nequitia spiritualis, recordatus est venerabilis abbas loci illius Pontius hodieque superstes, habere se stolam, qua beatus Pater aliquandiu usus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus tulit protinus arma potentia Deo, et fiduciaiter aggressus est inimicum. Vix limen attigerat cellulæ, in qua miser homo jacebat, cum subito ille malignus horrendis vocibus victum se profitens : « En, inquit, egredior, recedo protinus; manere ultra non possum. » Respondente autem Abbate, « Per nomen Domini, et ipsius beati Viri meritum, cujus hæc stola fuit, tibi præcipio, exi citius; ne C moreris : » continuo dæmon fugatur ab homine, homo liberatur a dæmone. Quis alter non periculose forsitan exsultasset, usque adeo sibi spiritus esse subjectos ut cederent et absenti? Verum ille Abbate ipso nuntiante nil motus magisque subsannans eos quod videbat magna super hoc admiratione moveri, hæc eadem verba respondit : « Quidni facile nos duo prævaluissemus in unum? Leviter illum ejicere potuit Deus, præsertim cum ego, ut dicitis, ei socius datus sim et adjutor. » Hujusmodi nempe responsis in hujusmodi rebus sæpius utebatur. Noverat siquidem verus et verax non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficacius dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliqua quadam et artificiosa objec- D tione, quam aperta excusatione, quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed augeret. Unde quodam loco ex propria loquens experientia : « Verus, inquit, humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari (73). »

CAPUT II.

De spiritu prophetiæ, et revelatione futurorum, qua claruit.

8. Illud quoque notissimum fuit, quod adhuc in carne degens, apparens autem in spiritu, fratri cuidam obitus sui prænuntiaverit diem. Infirmabatur novitius quidam frater in Clara-Valle, bonæ conversationis et bonæ indolis adolescens. Nec longe aberat dies, qua post annuam ex more probationem, novum indueret hominem, si non prius hominem exuisset. Siquidem consummatus in brevi, explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima illius. Quinto igitur die ante ultimum diem suum, visitante se fratre quodam [Gerardo, qui hodie abbas est monasterii Longipontis], idem novitius exhilaratus plurimum, inter alia spiritualis gratiæ verba : « Ecce, inquit, quinta moriar die. Hodie enim mihi pater noster dominus Abbas apparuit cum multitudine monachorum, et blanda consolatione refovens, quinto die moriturum me esse dicebat. » Exiit sermo inter fratres, et antequam **1133** impleretur divulgatum est verbum. Exspectabatur ab omnibus dies illa, sed præ omnibus ille beatus in exspectatione sua fuit. Jam dies quinta inclinabatur ad vesperam, illius autem spiritus magis ac magis elevabatur ad Dominum. Demum circa undecimam horam in ipso mortis agone positus. obducto prorsus, ut assolet, lumine oculorum. et nemini jam intendens, ad exitum festinabat. Interim visitans eum Pater sanctus, velut ab alto somno revocat, et quasi retrahit commeantem, nec insalutatum abire permittit. Ad cujus vocem aperiens oculos, et mirum in modum facie serenata, aliquandiu intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, imo jam morientem eatenus triumphare de morte, ut in ipso mortis articulo exsultaret in gaudio, pulcherrime nobis exhibens illud poetæ :

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
(VIRG., *Bucol. ecl.* 4.)

Tum vero consolans eum Pater sanctus, nihil timere jubet, sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum Christum, et offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem. Ad hanc vocemqua potuit capitis inclinatione et motu annuens labiorum, iterum clausit oculos, et eadem hora in pace quievit.

9. Multa quidem huic famulo Dei revelata per Spiritum, multa sine præcedenti revelatione mirabiliter ab eo prædicta cognovimus : ex quibus exempli gratia pauca subnectimus. Cum esset aliquando Pater sanctus in urbe Noviomensium in domo episcopi Simonis, adductus est ad eum Herveius de Baugenceio, puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, et ipsius episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum : siquidem videbatur sibi tanquam in Missarum celebratione angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione eumdem Herveium renuntiaturum sæculo, et futurum aliquando devotum Christi famulum promittebat. Quæ promissio tam celebris exstitit et vulgata, ut ipse quoque Herveius nobis postea fateretur, adolescenti sibi ad omnes arguentis conscientiæ stimulos sem-

(71) Vide epist. 315.
(72) Ordinis Cisterciens. fundat. an. 1119.
(73) Sermo 16 in Cantic.

Digitized by Google

per occurrere, impossibile esse ut post Viri sancti tale promissum, in sæculari habitu moreretur. Nec fraudatus est spe sua : siquidem venerabilis Walerannus Ursi-Campi cœnobii primus abbas monachum illum fecit, et angelico functus officio, pacem quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicavit Herveio. Cujus talis postmodum apparuit conversatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam et prædicto Waleranno in regimine monasterii Ursi-Campi (74) ille successit; et novissime obitum suum imminentem sanus adhuc et incolumis, eodem Waleranno per revelationem sibi annuntiante, præscivit atque prædixit.

10. Et quod addimus, huic simile fuit. Patrem sanctum fines Parisiorum aliquando peragrantem, ut ad ipsam diverteret civitatem, episcopus Stephanus et cæteri omnes qui pariter aderant, obnixe rogantes non poterant obtinere. Magno siquidem zelo, nisi causa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque vespere iter suum alias ordinasset, mane ubi primum locutus est fratribus, dicere jubet episcopo. « Quia Parisius ibimus, ut rogasti. » Conveniente igitur clero admodum copioso, sicut semper ab eo solebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti sunt, et conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abrenuntiantes sæculo, et Dei famulo adhærentes : quorum ille primum intuens, cum subito inter loquendum surgeret, peteretque vestigia ejus, inclinavit se modice, et fratri caidam propius assidenti in aure locutus est, dicens : « Istum ego, sicut nunc video, venientem nocturna visione prævidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. » Qui nimirum novitius in multa postmodum puritate et devotione conversatus, plurimumque acceptus Deo et hominibus, in Clara-Valle post annos aliquot beato fine quievit. Apparuerunt aliquando Viro Dei in Trecensium urbe posito venerabiles ejus filii, jam quidem carne soluti, Galdricus et Gerardus : quorum etiam secundum carnem alter germanus, alter avunculus ejus exstiterat. Cumque velut accelerantes ocius pertransirent, revocanti 1134 et retinere volenti respondebant, eundum sibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorumdem a prima conversione socius, strenue satis in multis cœnobiis exstruendis militaverat Deo. Continuo Pater sanctus excitatis fratribus accelerari jubet, et ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eumdem Gaufridum fam positum reperit in extremis.

11. [Infensus aliquando rex Francorum senior Ludovicus quibusdam sui regni episcopis, suis eos sedibus et civitatibus exturbavit. Unde etiam hic Vir reverendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseverant. Accidit autem, ut præsente eodem Patre sancto, episcopi multi indignationem Regis flectere cupientes, tota humilitate prostrati solo tenus, ejus tenerent vestigia, et nec sic gratiam obtinerent. Qua ex re Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denuntiavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum : « Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte multabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum : et protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum. » Quod quidem non longe post miserabilis casus implevit : et decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodie regnat, Ludovicus junior ungeretur.]

CAPUT III.

De variis futuris eventibus spiritu prophetico ab eo prædictis

12. Fidelissimum principem Theobaldum comitem, in magna tribulatione probatum, non minus mirabiliter quam misericorditer Dominus liberavit. Is nimirum potentissimus in regno, et secundus a rege, totus tamen eleemosynis deditus, et studio pietatis intentus, omniumque servorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræ-Vallensis amator devotissimus erat. Quem eatenus impugnari et affligi passus est Deus, ut Rege pariter et vicinis potentibus fere cunctis adversus eum conjurantibus, usque adeo de ejus evasione desperaretur, ut publice quoque jam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi et Conversi, inutiles ejus milites et balistarii dicebantur. Nec modo apud extraneos, sed in ipsis quoque ejus civitatibus et castellis ejusmodi jam blasphemiæ personabant. Denique congregatis aliquando episcopis pluribus, aliisque personis, præsente etiam Viro Dei, dum super his agerent et colloquerentur, episcopus quidam eo tempore, auctoritate et opinione prudentiæ celeberrimus aiebat : « In manu Regis est comes Theobaldus, non est qui possit eum eruere. » Respondente alio quodam antistite, « Est qui possit liberare eum : » multum ille miratus quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens quia potest eum eripere qui omnia potest Deus ; non parum substomachans : « Potest, » inquit, « si manifestus appareat, si clavam teneat, hinc inde percutiat ; sed hactenus ista non fecit. » In tanta igitur desperatione, cum prædictum principem vehementer urgerent extranei, gravius tamen impugnarent qui ab eo defecerant universi pene potentes homines sui ; nec minus illum affligerent pauci qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti : Lingonensis episcopus Godefridus frequenter et familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his revelaret. Cui ille, cum jam sæpius respondisset, nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem, demum aliquando

(74) *Ourschamps*, in diœces Noviomensi, fund. an. 1129, a Simone episcopo

Digitized by Google

scisitanti, ait, quia quinto mense pax erit. Sane ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem et orante, et operante, ut non esset ambiguum ejus potissimum studio et merito piissimum illum principem a tam gravibus imminentibusque periculis liberatum.

13. [Post annos aliquot inter eumdem regem Francorum, et Gaufridum comitem Andegavensium exercebantur **1135** inimicitiæ graves. Causa erat, quod virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, comprehenderat cum uxore ac liberis et propinquis, ipsamque diruerat munitionem. Tractabat ergo Vir sanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipsum episcopis et principibus congregatis: cum subito Comes ille amaritudinis felle commotus, insalutatos omnes relinquens, equo insiliit, et recessit. Confusis denique omnibus, jam conventus in desperatione pacis solvebatur, et prædictus Gerardus accedens ad Hominem Dei, licentiam postulabat, velut in mortem et carcerem rediturus. Sub obsidibus enim ad colloquium illuc erat adductus. Cumque Vir Domini consolaretur eum, gravius ille flens et ejulans: « Meam, inquit, minus doleo sortem: meos omnes lugeo pariter morituros. » Compassus itaque Vir beatus: « Ne timeas, ait. Certus esto quia Deus tibi tuisque subveniet, idque celerius quam valeas vel sperare. » Siquidem recordatus visionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tanquam lecturum se Evangelium, a sancto episcopo Malachia petere benedictionem, confisus est pacem sine dubio proventuram. Necdum Gerardus ille limen domus attigerat a facie ejus egrediens, cum subito quidam occurrens, redire comitem nuntiavit. Mirati sunt omnes, tam celerem audientes promissionis effectum. Eadem etenim hora comes rediit, et pariter pax desiderata provenit. Erat autem idem comes pro eodem negotio ex mandato summi Pontificis anathematis vinculis innodatus; sed absolvendus humiliari, ut debuit, vel culpam super hoc fateri suam, penitus recusavit: magis autem, ut erat plurimum animosus, Deum sibi culpam hujusmodi nunquam remittere imprecabatur, innocentem se reputans et injuste ligatum. Quamobrem discessit Pater sanctus non parum tristis ab illo, dicens ei, siquidem litteras noverat, « In qua mensura mensus fueris, remetietur tibi (*Matth.* VII, 2). » Eadem autem die, causantibus super hac improbitate personis quibusdam, et principem illum graviter errasse dicentibus, accensus zelo Dei Famulus, aiebat: « Graviter satis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non potest, quin hoc eodem anno comes ipse aut moriatur, aut evidentem aliam divinæ indignationis sentiat ultionem. » Hoc verbum et ex ipsis, et ex aliis audiere non pauci. Quod tam celeriter est impletum, ut comes idem infra diem quintum decimum moreretur.]

14. Ingressus aliquando Servus Christi Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum, pacem reformaturus inter regem Lotharium, et prædecessoris ejus imperatoris Henrici nepotes; Conradum scilicet, qui Lothario postea successit in regnum, et Fridericum patrem hujus Friderici, qui post Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem metropolitanus Moguntinorum Albertus honorabilem quemdam clericum, nomine Mascelinum, Viro Dei obviam misit. Hic igitur Mascelinus cum a domino suo missum se esse diceret ad serviendum ei, paulisper intuitus illum Vir Dei: « Alius, inquit, Dominus ad sibi serviendum te misit. » Expavit Teutonicus, et miratus quid dicere vellet, firmius asserebat a domino suo Moguntino sese archiepiscopo destinatum. Econtra Servus Christi: « Falleris, ait, major Dominus est, qui misit te, Christus. » Tunc demum intelligens homo quorsum vellet vibrare sermonem: « Putas, inquit, quod monachus fieri velim? Absit a me; non cogitavi, nec ascendit super cor meum. » Nihilominus tamen renuente illo, Dei Famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitaverat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conversus ad Dominum sæculo valefecit, et cum aliis pluribus litteratis honoratisque personis, quas collegit eo tempore Servus Christi, ipse quoque, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum.

15. Henricum quoque germanum regis Francorum, qui Belvacensem hodie cathedram ornat, non dissimili Dominus conversione mutavit. Accidit enim ut veniens idem Henricus ad Hominem Dei super quodam sæculari negotio locuturus, conventum etiam fratrum visitans eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus **1136** inter verba sanctæ exhortationis: « Confido, » ait, « in Domino, nequaquam in eo te moriturum in quo nunc positus es; sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio quam expetisti. » Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est, et de tanti juvenis conversione cœnobium omni exsultatione repletum. Lugentibus autem sociis, et familia tota, ac si mortuum illum cernerent, ejulante, præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur insanum, nec conviciis, nec blasphemiis parcens. Econtra sane, idem Henricus pro illius potissimum conversione Dei Hominem dare operam precabatur. Cui Vir sanctus audientibus multis: « Dimitte, ait, hominem; modo anima ejus in amaritudine est, nec pro eo multum sollicitus sis, quia tuus est ille. » Cumque amplius spe concepta Henricus instaret ut loqueretur Andreæ, severius intuitus eum Vir Dei. « Quid hoc est, ait? nunquid non jam dixi tibi, Tuus est ille? » Audiens hæc Andreas, astabat enim et ipse, sicut plurimum improbus erat, et a sacra conversatione vehementer abhorrens, talia secum, ut hodieque fatetur, tacita cogitatione volvebat: « In hoc nunc scio falsum te esse prophetam. Hoc enim certus sum quia locutus es verbum, et non fiet. Hoc tibi ego coram Rege et princi-

Digitized by Google

pibus, in celebri quocunque conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. » Cæterum quam mirabilis Deus in consiliis super filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propositum suum quando, et quomodo ipse voluerit impleatur! Siquidem die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monasterio, ubi dominum dimittebat, ipsam quoque desiderans vallem funditus subrui cum habitatoribus suis. Nec parum moti sunt et mirati, qui prædictum Viri sancti de ipso audierunt verbum, cum taliter videretur abire. Sed non diu pusillanimitatem eorum et fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantum die procedens et repellens quodammodo gratiam Dei, nocte proxima victus et quasi vinctus trahente se et vim faciente Spiritu Dei, diem exspectare non potuit; sed exsurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monasterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibebat.

16. Inter cæteros quos de vana conversatione hujus sæculi per ministerium servi sui Christus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando nobiles, multi sapientes et litterati viri sub ipsius magisterio sacram professi sunt servitutem: quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postmodum in Clara-Valle Prioris officio functus est, et defunctus in eo (75). In quibus evidenter satis evangelicum illud impletum est : *Multi dicent vobis, Eccé hic est Christus, ecce illic* (*Matth.* XXIV, 23). Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, ut aliam magis eligere professionem, et loca alia debuissent, donec occurrit Dei Famulus jam prope dispersis : et in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, pristina omnis hæsitatio facta de medio, et omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem non sine subita et penitus insperata quorumdam ex ipsis mutatione factum est animorum. Denique cum jam Dei Hominem ad monasterium sequeretur prædictus ille Gaufridus, gravissima cœpit tentatione pulsari. Intuitus autem illum unus e fratribus : « Quid est, inquit, quod facies tua exterminata, et tristitiæ quodam nubilo graviter obvoluta videtur? » Cui Gaufridus: « Scio, inquit, quod nunquam amplius lætus ero. » Quod verbum cum ad Dei Famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille sacram basilicam prope viam per quam gradiebantur, in eam divertit, et ingressus orabat. Cæteris autem deforis præstolantibus, Gaufridus ille gravatus tædio super lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter surrexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit idem Gaufridus tantum jucundior et hilarior cæteris, quantum tristior prius. Cumque ei prædictus frater verbum mœstitiæ quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret : « Etsi tunc, inquit, dixi, Nunquam amplius lætus ero; sed nunc dico, Nunquam amplius tristis ero. »

1137 17. Idem quoque Gaufridus primo tempore tirocinii sui pro patre suo viro nobili et potenti, quem in sæculo reliquerat, filiali pietate sollicitus, Patrem sanctum pro ejus conversione rogare Dominum, affectuosius exorabat. Cui Vir Dei : « Ne timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Clara-Valle sepeliam. » Utrumque secutum est, et perfectus monachus factus est; et a Patre sancto, sicut ipse prædixerat, in Clara-Valle sepultus. Tanquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, et creberrimum, imo continuum responsum mortis in se ipso habens, sustinuit donec Pater sanctus rediret, qui, ut olim promiserat, eum traderet sepulturæ.

18. [Regina Franciæ, supradicti Ludovici Junioris uxor, plures cum eo fecerat annos, et sobolem non habebat. Erat autem Vir sanctus apud Regem pro quadam pace laborans, et Regina in contrarium nitebatur. Cumque eam moneret desistere cœptis, et Regi suggerere meliora, inter loquendum illa cœpit conqueri super sterilitate sua, humiliter rogans, ut sibi partum obtineret a Deo. At ille : « Si feceris, inquit, quod moneo, ego quoque pro verbo quod postulas, Dominum exorabo. » Annuit illa, et pacis non tardavit effectus. Qua reformata, prædictus Rex, nam verbum ei Regina suggesserat, a Viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, ut circa idem tempus anno altero eadem regina pepererit.]

19. Dominus abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Clara-Valle assumptum Pater sanctus et ut filium amplectebatur, et reverebatur ut patrem, ob quorumdam monasteriorum ordinationem Provinciæ partes intravit. De quo Vir Dei in Clara-Valle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus : « Dominus, ait, Cisterciensis, aut mortuus est, aut in proximo moriturus. » Nec parum ille frater miratus est audiens verbum : magis tamen obstupuit, cum ejusdem abbatis post dies paucos audiret obitum nuntiari

20. [Eodem anno, quo de hac vita Pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Claræ-Vallis gratia conversionis intraverant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitum est reversus. Qua ex re pro duobus aliis magis solliciti fratres, ipsis quoque præsentibus, Patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos : « Hic, inquit, nulla unquam tentatione laborabit : iste vero, multa; sed tamen prævalebit. » Utrumque sicut audivimus, sic vidimus : adeo ut frequentius alteri objiceremus, cum aliquoties in tentatione pene deficeret, et inciperet jam abire, impossibile esse ut vinceretur, quem Vir sanctus dixerat nulla tentatione vincendum.] Pernoctabat aliquando Dei Famulus in oratione, in suo Claræ-Vallensi cœnobio constitutus, et solita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eadem hora pauperem quemdam, et vere pauperem spiritu, in cella hospitum mori, cujus animam cum vocibus canoris in cœlum

(75) An. Ch. 1146; vid. epist. 106.

Digitized by Google

deferri Pater sanctus audivit : et interrogatis mane fratribus, qui adfuerant, illam fuisse horam obitus ejus comperit, qua prædictas audierat in sublime tendentium voces.

CAPUT IV.

De mirabilibus et variis beneficiis ab eo, præsertim in regno Galliæ, præstitis.

21. Cum beatus episcopus Malachias, cujus vitam virtutibus plenam Vir sanctus studiose descripsit, juxta desiderium cordis sui in Clara-Valle beatam cœlo animam reddidisset ; offerens pro ejus transitu venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam ejus Domino revelante cognovit, et eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, et collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet, ita dicens : « Deus, qui beatum Malachiam pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti, tribue, quæsumus, ut qui pretiosæ mortis ejus festa agimus, vitæ quoque imitemur exempla. » **1138** Deinde reverenter accedens, sacra ejus vestigia devotissime osculabatur. Modum tamen et seriem visionis nec cuiquam aperire, nec in ejusdem episcopi Vita scribere acquievit : hoc tantum respondens, cum plurimum rogaretur, nimis ad propriam sui ipsius pertinuisse personam. [Nec sane dubium, plura eum similia occultasse similiter, quæcunque videlicet passus est Dominus occultari. Nam et Virduni aliquando, quæ est civitas Lotharingiorum, cum ad tumulum reverendissimi viri Alberti (76) episcopi Ostiensis, noviter ante defuncti, pro commendatione ejus sacrificium laudis offerret, collectam similiter in fine mutavit : de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus, cum sine certa revelatione id fecisse minime videatur.]

22. Super his quæ ad gratiam pertinent sanitatum, tam multa insignia per hunc famulum suum operatus est Christus, ut in eo quoque videretur exhiberi, quod de ipso Joannes evangelista testatur : *Si omnia scriberentur, ne ipsum quidem mundum capere eos, qui scribendi fuerant, libros* (*Joan.* XXI, 25). Cæterum nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus. Castrum-Villanum accolæ vocant, quod a Clara-Valle, ut aiunt, sex milliariis distat : ubi mulier prægnans tempus omne transierat pariendi, et aliquantis mensibus jam decursis, cum necdum pareret, amplius mirabatur. Cujus eo usque dilatus est partus, ut morbus potius videretur, nec jam crederetur esse prægnans, sed tumens. Quis enim credere posset infantulum anno integro intra viscera posse materna teneri ? Desperata igitur mulier ad monasterium Viri Dei ducitur sic se habens. Sistitur ad portam misera, et portario fratri causa tam miserabilis intimatur. Rogatus ille, et inaudito compassus incommodo, supplex adiit Patrem sanctum, fideliter ei necessitatem indicans mulieris, fideliter explens negotium susceptæ legationis. Et, o mira divinæ virtutis operatio, mirabilius accelerantis quod mirabiliter tardabatur ! Tanquam enim hoc solum tanto tempore nasciturus infans exspectaverit, hora eadem femina peperit, et præcurrente remedio, ad portam rediens frater ille incommodum quod nuntiaverat, non invenit.

23. Alio tempore in territorio Autissiodorensi, apud oppidum quod Cona vocatur, mulier quædam periclitabatur multis diebus, quod venisset filius usque ad partum, et vires non haberet parturiens. Cumque supervenisset interim Servus Christi, postulanti benedictionem, aquam benedictam misit. Gustavit mulier, et confestim natus est puer : quem venerabilis episcopus Carnotensis Gaufridus baptizavit, Bernardi ei nomen imponens. In eodem itinere et in territorio eodem, dum febricitantium multitudo, sicut ubique solebant, a Dei Homine panem peterent benedictum, Girardus quidam clericus ex castro, cui nomen est Clamiceium, male sciolus et subsannans fidem populi blasphemabat. In ipsis autem verbis blasphemiæ gravissima febre correptus, usque Autissiodorum abeuntem sequi coactus est Virum Dei : et pœnitentiam agens apud eum, ipsam, cui detraxerat, multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis vero gustata ejusmodi benedictio reddidit sanitatem, ut solius Dei, cujus hæc virtute fiebant, posset notitia comprehendi.

24. Vidimus in Meldensi territorio militem devotissimas referentem gratias Viro Dei, quod ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam receperit sospitatem a febre quartana, qua sic graviter laboraverat mensibus ferme decem et octo, ut in hora accessionis, quasi phreneticus, nec matrem agnosceret suam. Virum quoque venerabilem Gerardum, Lemovicensem episcopum, testantem audivimus, juvenem quemdam de familia sua lethaliter in capite saucium, cum jaceret spumans et impos mentis, immissa sibi in os buccellula panis, quem benedixerat Homo Dei, tam celerem sensisse virtutem, ut incolumis surgeret ipsa hora. Neque illud tacendum, quod ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis injuria eadem benedictio vindicabat ; adeo ut plures viderimus, qui per septennium et ultra eosdem servaverint panes, nec colore, nec sapore mutato. **1139** Ante hos paucos dies, venerabiles abbates, Girardus et Henricus, de Sueciæ partibus venientes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante annos undecim ejus benedictione signatum manere adhuc apud se penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum usque hodie novimus, et apud alios multos credimus esse repositum. Et nunc idoneum satis et evidens hujus rei testimonium proferamus.

25. Vir magnus et magnifice honorandus Dano-

(76) Legendum *Alberici* ; ad quem epist. 219, et de quo supra lib. III, n. 17.

Digitized by Google

rum archiepiscopus Eskilus (77) Patrem sanctum unico venerabatur affectu, unica devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum cœnobium exstruxisset, et impetrasset ab eo desideratum sacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritatis, et in insulis illis tam ecclesiastica quam sæculari auctoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet et labori. Nam de expensis dicere non est magnum, quamvis eumdem audierimus protestantem, quod expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quam sexcentas. Venit ergo Claram-Vallem tam humilis et sublimis, quem a finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus et plenitudo devotionis attraxerat. Ubi quantum fleverit, qualem sese non modo erga eum, quem tam unice suspiciebat, sed etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu. Demum rediturus ad propria, ut benedictum a Dei Famulo panem referre possit, et diutius conservare, humano sensu præcipit ut in clibano recoquatur, sicut solent qui maria transeunt panem ferre biscoctum. Audiens autem Sanctus non est passus errare hominem tam devotum, sed amicabiliter arguens in hac parte fidem ejus modicam inveniri: « Itane, inquit, non poterit panem ipsum benedictio magis quam recoctio conservare? » Et non acquievit benedicere illum, sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, et dixit: « Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sollicitus. » Tulit, et ad suos rediens usque hodie gloriatur fidei suæ defectum evidentissima rei veritate convinci. Nec enim passus est Patris sancti non visitare sepulcrum, nec minus erga eum nunc afficitur, nec minus quam olim in vivente confidit, nimirum quem verius vivere omnino non ambigit. Confessus est etiam nobis de pane quem retulit, quod nunc usque, cum jam tertius annus transierit, illæsum eum Beati viri fides et benedictio custodivit.

26. Narraverunt etiam nobis viri religiosi, qui cum eodem archiepiscopo venerant, miraculum dignum memoria nuper factum in cœnobio, quod, ut supra meminimus, in terra sua ipse fundavit (78). Erat enim, inquit, in regione eadem adolescens nobilis, ipsius quoque archiepiscopi secundum carnem propinquus, sed ob multa sua flagitia minus charus. Correptus autem gravissima valetudine, visitationem ejus vix impetravit, et per manum ejus ad monasterium quod fundaverat, ille se contulit. Ubi et cum maxima cordis compunctione renuntians sæculo, per dies aliquot in humili et fidelissima confessione persistens, magis ac magis eadem ægritudine laborabat. Qua demum invalescente exitum sibi imminere cognoscens, abbatis et fratrum præsentiam miro amplectebatur affectu, mira eos devotione monebat, ut spiritualia arma corriperent, egressuram protinus animam sibi commendatam efficaciter protecturi, et exhibituri fideliter necessarium prorsus inter imminentium hostium crudelissima tela conductum. Cumque in hujusmodi supplicatione divinis jam Sacramentis munitus, et de eorumdem servorum Dei patrocinio, et Domini miseratione piissima devotione præsumens, ac proinde circumstantibus omnibus multam suæ salutis relinquens fiduciam exspirasset, offerebant fratres pro commendatione animæ ejus, quam devotissime poterant, Dominici corporis hostiam salutarem.

27. Tum subito inimicus humanæ salutis, ex ejusdem, **1140** sicut indubitabile esse videtur, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat, iram magnam concipiens, et eamdem, permittente Deo, crudeliter satis exercens, unum e fratribus repentino furore pervasit. Clamabat igitur horrendis vocibus miserabilis homo, et vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem labore asportatus, et in lectulo religatus, tam sua quam astantium membra dentibus appetens, dirissime vexabatur. Nec illa quam prius nosset lingua, sed nova quadam, quam nec astantium quisquam noverat, loquebatur. Et cum nihil quod diceret intelligerent, tam libere tamen et sine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent quod lingua aliqua loqueretur. Post aliquantas igitur horas, cum vehementer confusi fratres quid agere possent anxie cogitarent, et studiose conquirerent; unus ex eis salubre consilium Domino inspirante concipiens, sacra pignora ab ipso archiepiscopo eodem anno istic deposita, videlicet de capillis et barba, et dentem unum beati patris nostri Bernardi afferri monet, et ejus pectori superponi. Quod ut factum est, Germanica lingua per os ejus cœpit horrendis vocibus nequam spiritus exclamare: « Tollite, tollite, amovete Bernardum. » Et dicebat: « Heu, quam ponderosus factus es, Bernarde! quam gravis, quam intolerabilis factus es mihi! » Cumque hæc et similia aliquandiu clamitans loqueretur, factum est breve silentium, et subito frater idem Domino miserante purgatus, aperuit oculos, ac velut de gravi somno evigilans, circumstantes fratres et sua plurimum vincula mirabatur, verecunde satis quidnam sibi vellent hæc, vel quid accidisset, interrogans. Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis et corporis per beati Patris merita sancta recepit, nil penitus quod in illo tam gravi casu fecerit aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem a nobis de

(77) Eskilus demum in Clara-Valle monachus anno 1178, ibidem decessit anno 1181, ex Chronico Claræ-Vallensi. Exstat ad eum epist. 390.

(78) Is duo monasteria Ordinis Cisterciensis fundavit in Dania: unum vocabulo Granadium in diœcesi Lundensi; alterum, Esconense in Roskildensi, de quo hic sermo.

Digitized by Google

testimonio viri reverendissimi Eskili Danorum archiepiscopi ex occasione panis a Dei Homine benedicti, non sine quadam anticipatione sunt dicta. [De cætero jam ex ordine reliqua prosequamur.]

28. Non modo autem hominibus, sed pecoribus etiam et armentis tam frequenter ejus benedictio profuit, ut monasterii sui cellerarium dure aliquando increparit, quod sibi non indicans, mori animalia permisisset, unde fuerant pauperes sustentandi. Dehinc ut solitus erat, benedixit sal, et animalibus jussit apponi, et protinus lues orta cessavit. Quod in aliis quoque monasteriis vidimus et cognovimus, ut audiens fratrum animalia mori, interdum etiam non rogatus, sed ipse prior admonens eos eodem remedio subveniret. Gaudum dicitur locus quidam Caziacensium (79) monachorum, ubi Vir sanctus cum aliquando pernoctaret, exhibitum sibi juvenem claudum oratione et benedictione sanavit, ita ut post dies paucissimos per eumdem locum redeunti incolumis et devotus astaret. In eisdem partibus, vico cui nomen Algorrium, mulierem phreneticam populus obtulit transeunti : cui manus imponens et orans, sanam dimisit, et abiit. Hanc in eodem vico postea vidimus, Viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem.

29. In remotis etiam regionibus, quocunque eum Ecclesiæ sanctæ necessitas traxit, virtus est prosecuta signorum. Apud Viride-Folium (sic enim dicitur castrum territorii Tolosani, quod, ut superiore libro meminimus (cap. 6), aliquando Pater sanctus introiens, multis ibidem virtutibus claruit) puer mancus et claudus ex utero matris suæ, ad cujusdam memoriam martyris, utriusque pedis et alterius manus receperat sospitatem. Hujus alteram manum adhuc invalidam, tanquam divinitus servatam sibi, Pater sanctus benedicendo sanavit, ut sanctorum innotesceret particeps esse virtutis. Caturcium dicitur civitas Aquitaniæ, per quam Viro Dei ipso tempore transitus fuit. Ibi, præter **1141** alia beneficia quæ præstitit infirmantibus multis, unus de pueris episcopi civitatis ipsius, qui ex vulnere gravi alterius oculi lumen amiserat, sub manu ejus visum recepit. In pago quoque Engolismensi, loco cui nomen est Castellare, post oblationem hostiæ salutaris, astantibus venerabilibus episcopis, Lamberto Engolismensi, et Gerardo Lemovicensi, puerum ex matris utero claudum et mancum, cujus in modum pilæ cubiti cum genibus umbilico, pedes autem natibus adhæsissent, Dei Famulo offerebant. At ille singula membra, edito prius signo crucis, attrectans, mira facilitate extendit protinus et sanavit. Apprehendens denique manum ejus erexit illum, et dimisit libere gradientem. Populus autem pro tantis nimirum virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat. Nam et die sequenti in pago Lemovicensi, in vico quem Sancti-Geniani [*al.* Germani nomine vocant, signa per eum plurima claruerunt. Undique enim confluebant qui incommodis variis laborabant, et virtus erat Domini ad sanandum eos. Ubi inter cæteros puer ferme decennis, cæcus ex utero matris suæ, coram omni populo oblatus est Viro Dei. Qui in digitos suos exspuens, et liniens oculos ejus, brevem fecit orationem, et in nomine Christi aperuit oculos cæci nati.

CAPUT V

De variis miraculis a beato Bernardo per Germaniam, Constantiæ, Basileæ, Francofurti, Treviris, etc., *patratis.*

30. Regnum quoque Germaniæ cum introisset aliquando Vir beatus, tam excellenter enituit in gratia sanitatum, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat si dicatur. Nam et testati sunt qui adfuere in territorio Constantiensi, circa vicum quem Doniguem nominant, ex iis qui diligentius vestigarunt et viderunt oculis suis, una die illuminatos ad ejus impositionem manus cæcos undecim ; sanatos etiam mancos decem, et claudos erectos decem et octo. Cæterum ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine saltem pauca memoriæ commendamus, quæ in locis celebrioribus facta noscuntur. Cum venisset Constantiam Homo Dei, et undique se virtutum ejus fama diffunderet, abbas Augiensis (quod intra lacum Lemanum antiquum exstat et nobile monasterium) hominem, quem suis eleemosynis sustentabat, cæcum misit ad eum, et confestim videntem illum recepit. Heytereseim dicitur locus ad ejusdem diœcesim pertinens civitatis, sed plurimum a civitate remotus. Ibi quoque, sicut et in cæteris illius provinciæ per quæ transiit locis, multis in Servo suo miraculis glorificatus est Deus : ubi etiam cæcus natus sub manu ejus visum recepit. Item alteri a nativitate surdo et muto auditus redditus est et loquela. In civitate etiam Basilea cum ex more sermonem habuisset ad populum, ut impleretur in eo quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 20), oblata est ei femina muta, et confestim orante eo locuta est : oblatus est claudus, et ambulavit : oblatus est cæcus, et vidit.

31. Apud Spirensium civitatem, præsente Romanorum rege Conrado, qui Dei Hominem ab ecclesia ad hospitium devotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protinus erigens, super pedes statuit, et libere gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella episcopi civitatis ipsius, rege ipso vidente, visum reddidit cæcæ cuidam mulieri, et claudo nato gressum donavit. Multa quidem et alia in manu ejus ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos etiam pauperculos pueros rex ipse devotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Nec modo apud prædictam Spirensium urbem, sed apud Francovadum Moguntinæ diœcesis locum, innumeris virtutibus idem Dei servus

(79) *Chezy*, monast. Bened. in diœcesi Suessionensi.

Digitized by Google

effulsit. De tota siquidem regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum, et tantus erat concursus, 1142 ut prædictus rex cum aliquando populum comprimentem coercere non posset, deposita chlamyde Virum sanctum in proprias ulnas suscipiens, de basilica exportarit. Inter plurimos sane qui ibidem adepti sunt sanitatem, senex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus et honoratus, multis suorum precibus, non sine multo labore introductus est ad Hominem Dei : a quo post brevissimam, ut solebat, orationem erectus protinus et sanatus, non modo incolumis, sed et fortis apparuit, ut posses credere, si videres, non tam alteratum hominem esse, quam alterum. Jamque eo viriliter procedente parabant alii tollere lectum ejus in quo advectus erat, cum revocans eum unus ex circumstantibus Hugo Tullensis Ecclesiæ archidiaconus, evangelici illius paralytici memor : « Non sic, » ait, « non sic vacuus reverteris, *tolle grabatum tuum, et ambula* (*Ioan.* v, 8). » Et imponens in humeros ejus, dimisit eum libere procedentem : et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Ibidem etiam puer surdus et mutus ex utero matris suæ, sublevatus per scalam, et in fenestra accedens ad Virum Dei, sub manu ejus auditum recepit pariter et loquelam Sed et paralytica quædam mulier de eadem regione, dives et honorata, ibidem recepit amissam ex multo tempore sospitatem. Dumque exsiliens ambularet, omnes quidem lætati sunt qui videbant, sed præ cæteris exsultavere milites qui attulerant et obtulerant eam. Nam et ipsius sibi particeps esse virtutis religiosa devotio videbatur. Per idem tempus transeunte Sancto prope vicum in littore Rheni positum, quem Bobardum vocant, et varios per universam provinciam curante languores, oblatus est paralyticus in grabato. Audita siquidem fama virtutum, a prædicto vico in occursum ejus se fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens, erexit hominem, incolumemque remisit ad propria.

32. Eodem anno ingredienti urbem Treverensium Servo Christi, ex more obviam ruit populus universus. Offerunt ei sorores duas, quæ ab annis quatuor, amborum lumen amiserant oculorum. Quarum ille utrique imprimens signum crucis, visum reddidit lucis : et videntes Virum Dei cum cæteris sequebantur. In ejusdem basilica civitatis, cum ad altare beati Petri apostoli Vir apostolicæ gratiæ immortalem Hostiam immolasset, oblatus est ei claudus, et ambulavit : oblatus est cæcus, et vidit, oblata est surda mulier, et audivit. Hæc in somnis admonitam se esse dicebat, ut Dei Hominem peteret, cujus beneficio receptura esset auditum. Apud Confluentiam, Trevirensis diœcesis nobile castrum ad Mosellam fluvium, qui ibidem in Rhenum labitur, Dei Famulus pertransibat : cumque paululum processisset, oblatum sibi et signatum hominem claudum deponi jussit et ambulare, sed non fuit qui obediret. Nec mora, claudus idem retractum femoris nervum clamat sponte laxari, et dum nescit, extendi velut ab altero genu suum, quod quamlibet ante conatus, nullo modo potuisset. Mirantur omnes, probatur sub omni velocitate quod dicitur : deponitur illico, illico graditur, illico sanus et incolumis innotescit.

(80) Supra, num. 24.

CAPUT VI.

De variis et illustribus miraculis Coloniæ, Aquisgrani, Leodii, Cameraci, et in Hispania factis.

33. Non est nobis Colonia transeunda. Magna est civitas : magna illic Dei Famulo virtus adfuit; magna illum devotio coluit populorum. Ostenditur usque hodie in claustro beati Petri, sicut a personis veridicis nuper accepimus, adolescens olim claudus, nunc libere gradiens, qui oblatus Viro Dei, ad impositionem manus ejus gressum recepit, unde etiam filius ejus publice cognominatur. Abbas Henricus de Suecia, cujus nos supra fecimus mentionem (80), nuper retulit nobis, feminam nobilem, germani sui olim uxorem, cum post obitum viri sui præ dolore phrenesim incurrisset, et multo tempore sic se habens, in vinculis teneretur, eidem Patri sancto in præfata urbe oblatam, et vix tenuiter in turba circumstrepente signatam, dum ex more ligata 1143 revehitur, mentem pristinam atque integram recepisse salutem. In eadem etiam civitate filiam surdam eidem Patri sancto parentes nobiles obtulerunt. Hanc aiebant a pueritia traditam sanctimonialium monasterio feminarum, ibidem amisisse prorsus auditum, et annos plures in eodem incommodo peregisse. Cujus aures signo crucis edito Pater sanctus attrectans, protinus et auditum ei, et parentibus eam reddidit audientem. Accedens inter hæc mulier honorata, Coloniensis itidem civis, quæ alterius oculi lumen amiserat, plurima jam per quinquennium inutiliter sese in medicos expendisse dicebat. Et ipsam quoque continuo per signum crucis illuminans Vir beatus, quod gratis acceperat, gratis dedit. Sed et matronam alteram in beati Petri basilica oblatam in lectulo, idem Christi servus erexit protinus, et incolumem suis pedibus abire præcepit. Hujus ex multo tempore nervi femorum fuerant sic retracti, ut nec erigi ullatenus posset, nec consistere pedibus suis. Nam ex personis aliis perhibebant, qui studiosius observarunt, ad ejusdem Viri sancti orationem et manus impositionem, in civitate prædicta, intra triduum quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos sanatos, quinque cæcos illuminatos, loquelam redditam mutis tribus, et decem surdis auditum.

34. Aquisgrani sede regia, dum in illa famosissima toto Romanorum orbe capella Vir beatus Missarum solemnia celebraret, claudo homini gressum, et cæcis quatuor visum sub manu ejusdem servi sui, Rex regum et Dominus dominantium reparavit, et potenti virtute restituit. Eodem etiam

Digitized by Google

tempore intra Leodiensium fines, præter innumera alia, quæ brevitatis studio prætermimus, juxta oppidum quod Fontanas vocant, orante eo aperuit Dominus oculos cæci nati. Hujus non modo oculi cæci, sed etiam ipsæ quoque palpebræ clausæ et emortuæ erant : quas sacratissimis digitis suis aperiens Vir beatus, divino munere et vigorem palpebris, et pupillis præstitit claritatem. Confestim denique idem puer lucem miratus ignotam, maxima cum exsultatione clamabat : « Video diem, video omnes homines, video capillatos. » Plaudens quoque manibus et tripudians : « Deus, inquit, ex hoc jam non offendam ad lapides pedes meos. » In urbe etiam Cameraco celebranti Missarum solemnia Viro Dei surdum et mutum a nativitate puerum offerebant. Quem audientem protinus et loquentem, qui propius aderant, super gradum ligneum statuere, ut de eo loco eminentiori novo sermone populum salutaret. Nec mirum quod mira plebis devotio, mira protinus vociferatio sit secuta. Et hæc quidem super iis quæ in regno Germaniæ in manu Servi sui mirabiliter operatus est Deus, e pluribus pauca sufficiant.

35. Nam et in Hispaniis, ubi præsens ipse non fuit, sanctitatis ejus indicia claruerunt. Cum enim fidelis servus et prudens, et pretiosum dominicæ crucis fructum undique colligeret, atque iterum propagaret ubique; contigit ut de filiis suis in Hispanias mitteret, in illis quoque sicut in cæteris gentibus fructum aliquem habere desiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco, cui nomen est Superadum, gravissima valetudine occupatus, per multum jam tempus jacebat paralyticus in grabato. Interim per abbatem suum incommodum suum nuntiat Patri sancto, et ut sui misereatur exorat. Eadem autem die qua Vir beatus in Clara-Valle pro eodem paralytico ad petitionem sui illius abbatis oravit, currente velociter verbo virtutis, et virtute orationis, ille in Hispaniis repente convaluit, tanquam vas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi. Regressus quidem abbas cum prædictum fratrem incolumem reperisset, diligenter sciscitatus ab eo modum et tempus suæ liberationis, certissime comperit orante in Galliis Dei Famulo, illum in Hispaniis esse curatum.

36. Et quia semel ad Hispanias vertimus stylum, illud quoque quod contigit de Viro Dei reverendissimo Petro Asturiensi episcopo, prosequamur. Is quidem Petrus 1144 nobilis genere, monachus professione, pietate devotus, in cœnobio quodam, quod eo tempore ipse regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, ut nec Regulam observare jejunii, nec sine pelliceis posset pileis (81) stare. Audiens autem celeberrimam virtutum famam quæ A pe. Dei Hominem efficiebantur, per quemdam fratrem legationem mittit suæ supplicationis, et opem flagitat suæ intercessionis. Cui Vir sanctus laneum (82), quo ipse utebatur, pileum misit, et promisit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suscepit ille missam sibi benedictionem maxima cum reverentia et devotione. Confitens enim quam sollicite potuit delicta sua, et stola sese induens sacerdotali, ita demum velut Christi fimbriam tangens, Servi Christi pileum sumpsit, et imposuit capiti suo. Nec tardavit fidei fructus, et benedictionis effectus; sed miratus et ipse est, celerem protinus sentiens medicinam, et extunc usque hodie ab hujusmodi languore sanus et incolumis annuntiat omnibus quam experiri meruerit ipse virtutem. B Nam et episcopus factus xenia illa divisit, partem mediam suis secum in scriniis honorificentissime ferens, mediam in monasterio sub eadem veneratione deponens; nec locum scilicet unde vocatus, nec sedem cui prælatus est, volens tanta benedictione fraudari.

CAPUT VII.

De miraculis in patria et vicinia Claræ-Vallis per beatum Bernardum factis.

37. Ex hoc nobis ad ea quoque quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo forte etiam plus quam propheta dici posse videtur, quod propheticus ei non defuerit honor, ne in patria sua quidem. [Henricus quidam, vir magnus et potens in domo et familia ducis Bavarorum, ex C multo jam tempore, misero penitus et miserabili quodam incommodo desperabiliter laborabat. Siquidem tanquam vivum aliquid et motabile intra præcordia sentiens, et ex magna parte phreneticus, nec consolari poterat, aut securus esse : nec quid timeret aut pateretur, agnoscere, nisi quod dæmonium esse suspicabatur. Talis ad Dei Hominem de Bavaria Claram-Vallem usque perductus, ejus oratione perfectam meruit sospitatem. Cui etiam formam vitæ et mandata, quæ deinceps observaret, idem Sanctus imponens, incolumem remisit ad propria. Nam et usque in præsentem diem, sicut certa relatione didicimus, tam obediens perseverat, ut non modo suis contentus sit stipendiis, sed ope- D ribus etiam pietatis intentus : ita ut mirabilior ejus morum conversio, quam curatio videatur.] Musseium dicitur villa super Sequanam fluvium, paucis a Clara-Valle milliaribus distans. Ex hac virum hydropicum ad Dei Hominem adduxerunt. Cui manus imponens, et orans, proprio quoque cingulo tumentem enormiter uterum ejus accinxit, præcipiens ut incolumitate recepta, prestitutum sibi cingulum reportaret. Nec tardavit sanitas, sed paulatim tumor abscessit. Denique circa vicesimum diem gracilis incolumisque reversus, cingulum simul et

(81) *Agnina caputia vel capellos* vocat Petrus Venerabilis in scripto inedito de vestimentis fratrum, ubi præscribit ut prior Cluniacensis de singulis *tunicas, hoc est vulgari nomine, frocos, cucullas pelicias, agnina capucia vel capellos, stamineas, femoralia, fumas, hoc est opertoria pulvinariorum.* Confer notas ad Bernardi epist., 1.

(82) Supra lib. III, num. 5.

Digitized by Google

gratias multas suo retulit curatori. Exeunti alio tempore monasterii claustra, senem paralyticum ex proximo viculo, qui Mundivilla dicitur, obtulerunt. Subsistens autem modice, et breviter orans, tetigit hominem, et incolumem suis precibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus qui in occursum Viri Dei confluxerat, non sine lacrymis Dominum collaudabat. Item redeunti aliquando de via, præ foribus monasterii oblatus est puer surdus et mutus. Exspuens igitur tetigit linguam ejus, et digitos immisit in aures. Protinus autem aurium ejus obstacula facta de medio, et solutum est vinculum oris ejus.

38. Malenvilla dicitur vicus, tribus circiter milliariis a monasterio distans. Hunc quandoque pertransiens Vir beatus, maneam puellam tetigit et curavit, quam nunc usque superstitem et incolumem esse nuper accepimus. **1145** Per idem tempus in finibus illis, apud castrum quod nominant Burdemontem, duo milites de beati Patris virtutibus conferebant : sed minus credulus alter, « Si hunc, » inquit, « sanaverit puerum, ex tunc firmius credam. » Dicebat autem surdum quemdam et mutum, qui apud eos nutritus, nec locutus fuisset aliquando, nec audisset. Post dies paucos transeunte propius Patre sancto, ambo pariter puerum tollunt, et offerunt ei. Imposita igitur manu puero, et signans os illius et aures, allocutus est eum, et loquentem protinus et audientem dimisit. Apud Risnelmum oppidum regionis ejusdem usque modo cernere est adolescentem, Simonem nomine, satis notum, qui præfato Dei famulo claudus oblatus est, et sub ejus manu gressum recepit. Barrum super Albam dicitur oppidum, tribus, ut aiunt, leucis distans a monasterio Claræ-Vallis. Ibi quoque sæpius per hunc hominem Dei divinæ virtutis opera claruerunt. Siquidem præter ea quæ minus diligenter curavimus vestigare, quod omnis nostra curiositas signorum multitudinem vinceretur, quatuor illic claudos ad ipsius orationem et manus impositionem diversis temporibus Christus erexit, cæcos duos illuminavit, duobus æque surdis et mutis auditum præstitit et loquelam. Sed et juxta alterum Barrum super Sequanam ad ejus tactum illuminatus est cæcus, convaluit etiam paralyticus, gressum recepit puer claudus ex utero matris suæ.

39. Cum reverendissimus papa noster Eugenius tertius, ex monacho Claræ-Vallensi et abbate Sancti-Anastasii in urbe Roma, ad apostolicam assumptus cathedram, Gallias introisset; ibat cum eo Vir sanctus, nec minus apostolica virtus in illo, quam in illo dignitas præeminebat. Tantus enim ad beatum Virum concursus erat incommodis variis laborantium, ut cum aliquando summus Pontifex basilicam, ubi ille Missarum solemnia celebrabat, devotus intrasset; expleto sacrificio, ex more accedentibus eis qui curam desiderabant, paulo minus idem papa comprimeretur a turbis, et vix potuerit per ministrorum manus eluci. E plurimis sane quæ in ejusdem apostolici Viri facta sunt comitatu, duo scribimus quæ nos oblivisci ipsa quam vidimus magnitudo lætitiæ non permittit. Chaleta dicitur vicus inter Provignum castrum, et Sequanam fluvium constitutus, ubi puer ferme decennis ab anno priore paralyticus sic jacebat, ut nec ipsum caput flecteret, nisi ab altero moveretur. Quem afferentes in culcitra mater ejus cæterique propinqui offerebant Viro sancto, prope eumdem locum per stratam publicam transeunti. At ille signatum erigens statuit supra pedes suos, et ire præcepit. Nec mora, exiliit puer, et ambulabat magnificans Deum : qui tamdiu Sanctum prosecutus est abeuntem, donec ille invitum licet et renitentem redire præcepit. Ubi non immerito quidem magna admodum facta est admiratio, magna exsultatio omnium qui videbant : sed præ cæteris frater junior in ipsius tanquam redivivi oscula ruens, multos eorum ad lacrymas usque permovit. Hunc quidem puerum et post annos quatuor in eodem vico beato Viro mater ejus offerens, sacros monebat osculari pedes : « Hic est, » inquiens, « qui tibi vitam reddidit, et te mihi. »

40. Eodem anno (an. 1148) apud Cistercium juxta morem abbatibus congregatis, prædictus papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate apostolica præsidens, quam fraterna charitate residens inter eos, quasi unus ex eis. Ubi cum ad cellulam, in qua jacebat, facto vespere et conventu soluto, Dei Famulus divertisset, surdum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, et sicut postea didicimus, ex longo ante tempore vigilans in custodia gregis sui, subito terrore percussus, amiserat prorsus auditum. Orans itaque Pater sanctus, et, puero manus imponens, utrum audiat sciscitatur. At ille mira devotione proclamans, « Audio, domine, audio; » tam firmiter amplexatus est eum, ut vix ab eo posset avelli. Auditum est verbum, oblatus est puer summo pontifici aliisque personis, celeberrimumque hoc miraculum fuit. Venerat Pater sanctus ad monasterium in diœcesi Bisuntina, cui nomen est Charus-Locus, et erant cum eo ex abbatibus sui Ordinis multi, ubi matrona quædam de **1146** finibus illis ex multo jam tempore claudа, in carro allata et oblata est ei. Orans vero breviter, et signans eam in nomine Domini erexit et sanavit, ut eadem hora incolumis reméaret ad propria. Eodem tempore in monasterio Morimundo (83), quæ est Cisterciensis ordinis abbatia una de primis, monachus quidam jacebat usque adeo paralysi dissolutus, ut omnibus pene membris officio proprio destitutis, non manum posset movere, non pedem. Interea superveniens Vir beatus paralyticum visitat, manum postulatus imponit, et continuo opem sensit ægrotus. Ut tamen gratius esset miraculum, velut gradatim prius alteram manum, secundo alteram recuperavit. Exinde profecturus palliolo suo operuit postulantem, et subito in brevi obtinuit

(83) *Morimond*, quarta Cisterc. filia, fundat. an. 1115 in diœces. Lingon.

Digitized by Google

etiam reliqui corporis sospitatem. In monasterio Albæ Ripæ (84) monachus quidam adolescens usum vocis amiserat, ut nec psallere inter fratres, nec a quoquam, nisi multum proximo sibi, intelligi posset quid loqueretur. Cui Vir sanctus, dum idem monasterium visitaret, aquam cum vino benedicens potum dedit : et post paululum frigidus ex ejus pectore mira cum suavitate sudor erupit. Deinde ipsa die ab eodem incommodo liberatus, psallere cœpit quasi unus de cæteris fratribus : et hoc illi beneficium usque hodie perseverat. [Norunt multi devotum juvenem, qui Lugdunensis olim Ecclesiæ filius, modo monachus Cisterciensis, patrui sui sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, cujus et nomen meruit, mores imitatur. Hujus conversione Vir sanctus audita, gavisus est, quia patruo ejus singulari fuerat charitate devinctus, et consolatorias illi litteras misit (85). Contigit autem, ut eodem tempore idem juvenis febre correptus, graviter laboraret. Susceptam igitur debita veneratione epistolam, fideli devotione collo suo ob remedium salutis appendit, et usque modo gratulatur perfectam se protinus obtinuisse sospitatem.]

41. Cum venisset aliquando Pater sanctus ad monasterium Trium-Fontium (86), oblatus est ei clericus quidam ex his qui Regulares nominantur, homo grandævus et cæcus. Imposuit ei manum, et brevem ex more fecit orationem, et eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam. In Trecensium urbe multa per hunc Dei famulum miracula claruerunt : e quibus duo quæ præsentibus episcopis Godefrido Lingonensi, et Henrico Trecensi facta sunt, memoranus. Puellam curvam, in prædicti Trecensis episcopi domo, propinqui et noti cum multis ei precibus offerebant. Tantus vero concursus erat, ut cum eam signatam Dei Famulus, ac si molle lutum intra sacras manus mirabiliter formans erexisset, et erectam incedere præcepisset, locus non potuerit inveniri. Demum super mensam magnam quæ prope posita erat, statuerunt illam, et erecta libere gradiebatur, magnifice Dominum collaudantibus universis. Hanc quoque adhuc superstitem ab his qui eam novere, nuper audivimus. In eadem urbe filiam mutam Patri sancto obtulit mater, cui morbus epilepsiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora, Servo Christi imponente ei manum, solutum est vinculum oris ejus, et loquebatur recte. In ejusdem urbis diœcesi loco, cui nomen Domnamant, cum Vir sanctus Missarum solemnia celebrasset, cæcum illi filium obtulit pater. Exspuens autem in digitos suos, et palpebras ejus linieus, eadem hora videntem illum reddidit patri suo. Nec longe ab eodem vico, apud oppidum Argillerias, post Missarum similiter celebrationem feminam claudam, quæ ibidem multo tempore mendica vivebat, cum basilicam egrederetur, signans et sanans, populum multum qui undique fuerat congregatus, admiratione et exsultatione replevit. In exitu quoque oppidi quod Rosnaium vocant, paralyticum hominem sic extenuatum corpore, ut solam circumferre videretur pallidæ mortis imaginem, impositum plaustro transeunti Viro Dei obtulerunt. Is quoque ubi signatus est, deponi et incedere jussus, plaustrum suum suis pedibus incolumis sequebatur, vehementer stupentibus et in Dei laudem acclamantibus universis.

42. Alio tempore proximum castrum Brenam transiens, obvium habuit populum multum, sicut ubique semper et undique in ipsius occursum confluebat innumera **1147** multitudo. Ubi cernentibus cunctis, feminam claudam ex eodem oppido tetigit et erexit, quam et ibidem postea vidimus occurrentem ei cum cæteris, et præ cæteris gratias referentem. In pago Senonico apud castrum quod Trianguli vocant, inter Missarum sacra solemnia, femina cujus ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, sub manu Viri Dei, mirantibus omnibus, visum recepit. Apud Monasteriolum quoque, ubi Yona et Sequana confluunt, præsente piissimo principe comite Theobaldo, aliisque astantibus non paucis potentibus viris, offerenti divina sacrificia Viro Dei paralyticam feminam obtulerunt : quam expletis solemnibus tangens et erigens, ipsa hora sanam remisit ad propria, ita ut suis illa pedibus abeunte, grabatum in quo fuerat apportata, in eadem basilica vacuum videremus. Ejusdem quoque diœcesis castrum Joviniacum transeunti eidem famulo Christi, in strata publica cæcam feminam offerebant : substitit, et breviter orans eidem feminæ manus imposuit, et Dominus aperuit oculos ejus. Ut autem videre visa est, et exsultatio magna secuta est omnium qui aderant, et clamantes alter ad alterum, « Anna videt, Anna videt » (hoc enim eidem feminæ nomen erat), copiosius undique confluebant.

43. Interea Vir sanctus accelerans declinabat turbas, et egrediebatur, cum juvenis quidam, altero oculo cæcus ab utero matris suæ, secutus est, et consecutus est eum. Qui quidem et ipse continuo ad ejus benedictionem visum recepit, et geminata est lætitia populi prosequentis. [Autissiodorum aliquando veniens Vir beatus, orationis causa monachorum basilicam introivit, ubi confessor Domini gloriosus Germanus episcopus requiescit : cui post orationem regredienti mulier claudа, genibus repens et manibus, ut sui misereretur, supplicabat. At ille signo crucis edito, apprehendit manum ejus, et erexit eam : exiensque dimisit incolumem, et Deo gratias reddituram ad prædicti confessoris memoriam misit, suis pedibus gradientem.] Chableia nomen est vico, qui insignem beati Martini basilicam habet. Nam et fundus ipse ad possessionem spectat

(84) *Auberive*, ordin. Cisterc., fundat. in diœces. Lingon. an. 1136.

(85) Epist. 322.

(86) *Troisfontaines*, ordin. Cisterc. fundat an. 1118. in diœcesi Catalaunensi.

Digitized by Google

ecclesiæ Suronensis, ubi corpus jacet ejusdem gloriosissimi confessoris. Hunc vero vicum Dei Famulo transeunti claudum adolescentem populus offerebat : quem ad ejus orationem erectum protinus, et libere gradientem, ad prædictam beati Martini basilicam deduxerunt, magnifice Dominum collaudantes, qui Martini sui spiritum suscitaverat in Bernardo.

CAPUT VIII.

De variis signis et miraculis promiscue editis, de quorum eventu prius in visu edoctus fuerat.

44. Nonnullas etiam sanitates, quas in manu fidelis Servi sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabilius præostendit ; multas ipse, cum fierent, animi virtute persensit : ad aliquas etiam spiritu suggerente non rogatus accessit. E quibus, nè videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subjicimus, illud etiam e regione monentes, ne quis forte tam breviter scribi opera tanta miretur : siquidem multa ex his in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus. Et cum dici soleat nihil esse facilius dicto ; huic tamen Dei famulo per gratiam quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quam nobis facta narrare. Egredienti aliquando monasterium Patri sancto homo quidam de finibus illis occurrens, sanandum filium offerebat. Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum difficilius acquiescebat, *ne videlicet*, si concursus illuc hominum fieret, quies cœnobii turbaretur, et disciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus et mentis inops, claudus quoque, et surdus, et mutus. Qui eadem hora per ipsius orationem et manus impositionem ab omni simul incommodo liberatus, audiebat, loquebatur, et ambulabat, et sanæ mentis effectus, a priori penitus inquietudine et furore cessabat. Cumque eumdem jam incolumem filium pater devotus ad oratorium beatæ Dei Genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuo fratres, de tam multiplici **1148** unius incommodo pueri conquirentes.

45. Ad quos Pater sanctus : « Flagellum, inquit, Dei erat, et maligni spiritus dira vexatio. Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco : erat autem juxta fluvium Albam, ubi sanatus est puer : hic, inquit, vidi oblatum mihi puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem protinus recipere sospitatem, usumque membrorum. » Addidit etiam Vir beatus de eadem scilicet visione : « Cumque paululum processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, juxta proximum vicum (dicebat autem de eo quem nominant Longum-Campum) offerebatur mihi puella clauda, et Dominus ei gressum reddebat. » Audierunt et mirati sunt fratres, futuri magis attoniti exspectatione miraculi, quam recordatione præteriti. Quid enim unquam simile mundus audivit ? Ventum est ad locum, inventa est ibi protinus puella clauda exspectans Dei Hominem transiturum, et a simul transeuntibus, juxta verbum quod ipse dixerat, exspectata. Oblata igitur ab eis qui attulerunt eam, signata ab Homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, et ibat gratias agens.

46. Anno altero causa exstitit ut Vir sanctus Lingonas peteret ; inter episcopum et clerum civitatis illius orta gravi admodum simultate. Ubi cum prima die inefficaciter laborasset, et mane facto pararet abire, dicebat fratribus, « Quia vidi per visum noctis introeunti mihi ecclesiam offerri claudam feminam, et sanari. » Post unam fere horam, cum iterum clerici convenissent, præter spem omnium reformata pace multis precibus coegerunt illum beati Mammerti martyris intrare basilicam ; et quia fames invaluerat, populum ad eleemosynam exhortari. Ubi inter loquendum (sicut prædixerat) oblata est ei clauda mulier, et erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita sese recordabantur audisse futurum.

47. In pago Treverensi antiquum exstat cœnobium, quod Rutinense vocatur : ubi celebrante aliquando Missarum solemnia Viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proximum monasterio, claudam feminam fecit afferri. Hæc ex multo jam tempore repens humi, erigi penitus non valebat ; sed scabellula tenens manibus, renes emortuos post se trahere consueverat. Cum autem præ multitudine populi ad Dei Hominem introduci femina non valeret, in basilica media repente convaluit ; et exsiliens ambulabat, non sine lacrymis agens gratias Deo : cujus scabellula populus jubilans tulit protinus ad altare, ut sisterent ea Domino, et Bernardo servo ejus. De cujus nobis curatione confessus est Pater sanctus, quod præcedenti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eadem basilica, in medio populi circumstantis, clandestinus et ignotus ejusmodi feminam tangere et transire, ac protinus eamdem videre sanatam, plurimum sibi ipse congratulans et exsultans, quod agnitus non fuisset. Eadem etiam die rutilavit Rutinæ in beati Viri præsentia lux cœlestis, cujus benedictio aliis quoque claudis duabus feminis gressum, visum reddidit cæcis æque duabus. Sæpissime vero contigit, ut inter orandum indubitanter Dei Servus agnosceret virtutem adesse divinam. Cujus tamen modum cognitionis nullis se posse verbis exprimere fatebatur.

48. Nonnunquam vero cum signasset aliquos et transisset, sanatos esse dixit, et regressus aliquis ex his qui audierant, sicut dictum erat, invenit. Egressus aliquando Basileam urbem, surdum quemdam signaverat, et transierat. Cumque paululum processisset, vocans Alexandrum Coloniensem : « Revertere, ait, quære utrum audiat homo. » Rediit ille, et illum reperit audientem. Similiter ipso die cum signasset alium cæcum altero oculo et abiret : « Deus, inquit, aperuit oculum ejus. » Hoc etiam prædictus Alexander (87), cum ad inquiren-

(87) Vide de eo infra lib. VI in fine procemii et lib. VII, cap. 20.

Digitized by Google

dum reflexisset iter, ita esse cognovit. Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad Viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum, cum aliis ferme triginta sæculo valefecit, et secutus est eum : a quo etiam post modicum tempus abbas est ordinatus in monasterio Tolosanæ diœcesis, quod Grandis-Silva vocatur. In Constantiensi quoque diœcesi prope **1149** castrum Frieborg, cum homini cæco in via manum imposuisset, remisit qui videret eum, et inventus est videns. Quod de duobus aliis cæcis in pago Coloniensi prope monasterium, quod Brumvillare dicitur, similiter fecit ; et cum videre renuntiarentur, confessus est se quoque sensisse virtutem.

49. In territorio etiam Senonensi, in oppido quod Sancti-Florentini nomine vocant, oblata est Viro Dei mulier surda : cui manus imponens, per spiritum sensit virtutis effectum, cum illa adhuc stupida et tumultuosa (ut est genus istud), et, ut ipsa ante solebat, nihil se audire clamaret. Mane autem facto, cum nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea ; sciens Sanctus divinam illi misericordiam adfuisse, accersiri feminam jubet. Inventa igitur auditum recepisse, venit glorificans Deum, et Dei Famulo gratias agens. Egrediebatur idem pater Metensium civitatem, et ex more devotus eum populus deducebat, cum episcopo eorum Stephano, et fratre ejus Rainaldo Barrensi comite, aliisque personis tam ex clericali, quam ex militari ordine multis. Interim causa exstitit ut rogaret nobilem virum Henricum de Salmis super verbo quodam, quod ipse ei episcopus et alii qui convenerant, suggerebant, ut videlicet Metensi civitati et populo pacem daret, cui graviter inimicabatur. Ille vero renuere penitus et abjurare, nec ullis precibus flecti. Inter hæc supervenientes alii offerebant beato Viro hominem surdum, obsecrantes ut ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdum ob causas necessarias terror quidam et auctoritas supra hominem in ejus facie rutilabat, conversus ad militem : « Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuo coram te audiet surdus. » Et imponens manus homini, signavit eum, et in aures ejus digitos misit. Quo protinus audiente, pavens Henricus et tremens ruit ad pedes Hominis Dei, humiliter satisfaciens, et libere annuens quidquid fuerat postulatus

50. Transiens aliquando servus Christi Brenam oppidum, mendicantem in platea vidit feminam cæcam. Quam aliquantisper intuitus, cum ex more a transeuntibus eleemosynam flagitaret : « Tu, inquit, petis argentum, et Deus tibi visum donabit. » Accedens ergo tetigit eam, et oculos ejus aperuit. Quæ beneficium sentiens insperatum, non minus misericordiæ magnitudinem, quam lucem insolitam mirabatur. Inter primas propagines, quas hæc abundantissima vitis emisit, in Remorum parœcia monasterium Igniacense plantatum feliciter radicavit. Quod aliquando visitans idem Sanctus, vicum Maternæ fluvio proximum, quem Rivolium nominant, pertransibat. **1150** Vir quoque magnificus, et devotissimus ejus amator, Samson Remorum archiepiscopus, comitabatur illum, solita veneratione deducens. Senex autem claudus ad mendicandum positus erat in via, cui unus e fratribus eleemosynam dedit. Secutus Abbas sanctus, cum jam hominem pertransisset, convertit se ; et paulisper intendens in eum, quid patiatur interrogat circumstantes, et sibi illum præcipit exhiberi. Suspicati homines quod esset ei amplius aliquid ipse daturus : — « Domine, inquiunt, claudus est, nec moveri potest ; nos ad eum feremus quod volueris dare. » Quo respondente verbum et dicente, « Tollite eum, et afferte ad me ; » primo quidem præ admiratione mutue sese intuebantur, ignorantes quid esset facturus. Demum agnoscentes eum, clamabant ad invicem : « Abbas est Claræ-Vallis, et protinus illum sanabit. »

51. Nimirum solitus erat, quoties poterat, operam dare ne in vicis agnosceretur, et interdicere sociis ne cui ex occurrentibus manifestarent eum, aut de eo aliquid loquerentur ; sed quærentibus quis transiret, dicerent monachos esse, aut aliquem de personis simul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei Famulo ruunt undique, et levantes hominem ferunt, et offerunt ei. Qui imponens utramque manum capiti ejus, et in cœlum suspiciens ac breviter orans, deponi illum jubet, et ambulare. Excusante eo et dicente, « Non possum : — Ego tibi, ait, in nomine Domini et ejus virtute præcipio, vade, et sanus esto jam ab hac hora. » Quid plura ? Statim depositus, statim sanatus est, statim libere gradiebatur repletus stupore et exstasi in eo quod contigerat sibi. Sed et vicini ejus et noti pariter congratulantes Dominum collaudabant, qui miserabilis hominis et meritum simul et votum abundantia suæ pietatis excessit. Unde etiam usque hodie locus ab incolis demonstratur, ubi signum tam evidens divinæ virtutis effulsit, ubi senex claudus ex multis annis, tota inferiori corporis sui parte præmortuus, et a renibus deorsum omni prorsus membrorum destitutus officio, dum stipem postulat, sanitatem recepit. Hic fuit Viri sancti novissimus in Remorum partes ingressus : siquidem factum est hoc ante sacram ejus depositionem corporis anno uno. De qua felicium ejus actuum felicissima consummatione erit nobis jam, sed sub alia narratione dicendum. Nimis enim fallitur, si quis arbitratur hujus sanctissimi viri facta mirifica posse cuncta narrari : et tam necesse est multa sileri, quam impossibile omnia comprehendi.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

CAPUT PRIMUM.

De pace inter civitatem Metensem et vicinos quosdam principes opera beati Bernardi reformata; editisque ea occasione miraculis.

1. Cum post tantos et tam multos jam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Claræ-Vallensi abbati diu desideratum pretiosæ mortis somnum dare disponeret, et fidelem servum in requiem introducere suam; cœpit magis ac magis promptus in ipso proficere spiritus, et caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, et terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus aspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis, et ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat, sicut in sanctis animalibus per prophetam inter cætera describuntur *scintillæ quasi aspectus æris candentis* (*Ezech.* I, 7). Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis: animus tamen nihilominus liber et potens, quæ Dei erant exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione Hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream militem Templi, qui et regionis Jerosolymitanæ maxima **1151** columna habebatur, epistolam scribens inter cætera ait: « Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram (Epist. 288).

2. [In illis diebus causa exstitit, ut fratrum aliquis in remotas Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos le Constantiensis diœcesis partibus cum pluribus aliis idem pater sanctus adduxerat. Hic ergo dum mitteretur, longioris itineris pericula timens (nimirum hiems erat), illud tamen maxime verebatur, ne contingeret, ut idem pater sanctus, priusquam ipse rediret, ab hac vita migraret, et absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur. At ille benedicens ei, et dicens, « Ne timeas, et incolumis reverteris, et me quoque sicut desideras, invenies; » consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium astrictum glacie fluvium A pertransibat. Tum subito fracta glacie sub pedibus muli, quo vehebatur, corruit, et sub glaciem vehemens illum unda trahebat. Quid faceret mersus flumine, glacie clausus? Recordatus est Patris sui, recordatus est promissionis ejus, quæ inanis esse non potuit. Continuo siquidem, ut hodie quoque fatetur, Patrem sanctum sibi visus est habere præsentem: tantaque suavitate perfusus est, ut nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec ullum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora, contra fluminis impetum sine suo conatu divina virtute reductus, ad ipsum, per quod ante ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus evadit, expleto negotio redit incolumis, et fideli promissio- B ne, sicut ipse promisit, inventa, multiplices gratias agit: ad sacrum cujus tumulum tam devotus hodieque persistit, quam certus est ejus sese meritis, velut de tumulo, et quidem satis horribili, revocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alii antiqua miracula conferant: nec minus hunc mirabiliter, quam beati Benedicti puerum Placidum, nec minori asserent a periculo liberatum; qui etiam, si viderent quem astrictus glacie reddidit fluvius, ei compararent, quem evomuit cetus: nobis sufficit brevis et pura narratio.]

3. Cum adhuc Pater sanctus in suo Claræ-Vallensi cœnobio, licet lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, gravis admodum plaga Metensi populo supervenit. Egressi enim in multitudine C gravi adversus vicinos principes, a quibus præter morem lacessitam se esse tanta civitas indignabatur, traditi sunt multi in manus paucissimorum. Conclusi denique inter Frigidi-Montis (sic enim eum appellant) et Moselle amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidentes, una hora, sicut dicebatur, plus quam duo millia corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures amne submersi. Vehementi igitur indignatione concepta, nobilis illa civitas totis ad ultionem viribus parabatur, cum e regione adversarios quoque et fortiores præda copiosa, et audaciores fecisset eventus. Imminebat totius provinciæ certa vastatio, cum venerabilis eorum metropolitanus Illinus archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formi- D dans, et dignam gerens suorum sollicitudinem filiorum, unicum in tanta necessitate petiit refugium, et expetiit Virum Dei. Veniens ergo Clarum-Vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus, rogabat et obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo

Digitized by Google

posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quibus diebus cum ad litteras venerabilis Hugonis Ostiensis episcopi rescriberet, ait : « Verum est quod audistis. Infirmatus sum usque ad mortem, sed interim, ut sentio, revocatus ad mortem, atque hoc, ut me sentio, non diu (Epist. 307). » Vitam quippe mortalem mortem magis quam vitam reputans, non a morte, sed ad mortem revocatum se sentiebat, cum ab exitu revocaretur, licet sentiens haud diutius differendum.

4. Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cujus manu placita erat anima illius, ut **1152** quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, et robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina adfuit virtus ut ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem, cum in prædicti Moselle fluvii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera, ex tanta siquidem hostium strage ferocior, quod exigebatur, obstinata animositate renueret. Subito denique tanquam agitati furiis discesserunt, Virum Dei insalutatum, solum vero cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex motu reverentiæ ejus iniere fugam : siquidem verebantur, ne præsentium mentes, quamlibet improbas, facile flecteret ; minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrinque meditabantur arma, sola inibant consilia malignandi, cum Vir sanctus eos qui secum venerant consolatus fratres : « Ne turbemini, inquit ; licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet. » Quibus etiam unde id nosset innotuit, dicens : « Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solemnem. Cumque, expleta paulo minus oratione prima, recordarer angelicum ex more canticum, id est *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, et quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi. » Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione suscepta, jucunde satis conversus ad suos. « Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ et cantici pacis præparationem. » Interim ergo partibus convocatis, per dies aliquot de pace tractatum est, et ob maximas difficultates occurrentes utrinque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio. Nec parum ipsa dilatio profuit, his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne, seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoque negotium componendæ pacis pene desperabiliter impedirent : donec quæsita tandem in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt ; ubi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter definivit, datis sibi invicem dextris reconciliati sunt in osculo pacis.

5. Inter omnes sane quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutiens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis quam miserabilis, et omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante denique Dei Famulo, sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam adepta est protinus sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permovit, ut percutientes pectora sua, per horam fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus et concursus procidentium et deosculantium Viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, et imponentes in naviculam a terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant : « Oportet nos libenter eum audire quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit et exaudit : et audito eo multa facere, pro quo tanta faciat Deus in oculis nostris. » Quibus ille (ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare). « Non propter me, inquit, sed propter vos facit. »

6. Simili quoque miraculo et in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinavit **1153** ad pacem. Ingressus enim Sanctus Metensium civitatem, episcopum simul et populum ad ea quæ pacis erant, vehementer urgebat. Graviter autem urebat illos vulnus acceptum : quibus enim valide satis reponere cogitaverant, secus quam vellent, remittere cogebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica, de civitate eadem : cui manus imponens, et orans, dignatus est palliolum quoque proprium, quo utebatur ipse, superextendere ei, tenendumque episcopo tradere prope astanti, et sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione et benedictione data, exexit illam : omnibusque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoque Mosella, dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem Vir beatus navicula veheretur, unus ex his qui curari desiderabant, cæcus clamabat in littore, obsecrans ut duceretur ad eum. Cumque ille jam pertransiret, audiens homo navigantem post

Digitized by Google

eum in navicula altera piscatorem, diffibulatam protinus chlamydem, qua erat opertus, porrigens dabat illi, ut in navicula reciperetur. Factum est : et ut pervenit ad Sanctum, juxta suæ fidei magnitudinem magna velocitate sub manu ejus visu recepto, miratus clamabat videre se colles, videre homines, videre arbores, et cætera universa.

7. Paucis ab eodem loco milliariis distat cœnobium, quod Sancti-Benedicti nomine vocant ; ubi puer claudus, et a renibus infra omni prorsus membrorum destitutus officio, solis ad movendum manibus utebatur et renibus, pedes emortuos post se trahens : quem ex Burgundiæ partibus pater advectum ante annos quatuor ibi reliquerat, et extunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cum beati Patris adventum, et virtutes Dominus operabatur in ipso, per omnem circa provinciam celebris fama vulgaret ; impositum plaustro eumdem puerum fratres prædicti cœnobii adduxerunt ad eum, rogantes ut solita pietate misero subveniret. Acquievit, imposuit manus, oravit, et eadem hora sanum reddidit, firmiter stantem, firmiter ambulantem. Denique, sicut ab ejusdem loci abbate nuper accepimus, usque hodie fratrum pecora idem puer incolumis sequitur et custodit ; et si quis desiderat scire, Joannes est nomen ejus. Alter etiam claudus, in ejusdem monasterii vicinia degens, eodem tempore ad prædicti Patris sancti benedictionem sanatus est, et gressum recepit. Sed et prope Leucorum urbem, loco cui nomen est Gundervilla, idem vir Dei feminam cæcam illuminavit sub oculis plurimorum, qui de tota confluxerant regione. Cæterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili quam difficili, nec minus desperatæ, quam necessariæ pacis, labores tuos gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, et nomen suum in te glorificans, Rex gloriæ Dominus Deus tuus.

CAPUT II.

De felicissima, sed fratribus tristissima, beati Viri morte.

8. Ut expleta Metensium reconciliatione, et provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat : « Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, non vobis esse quod adhuc timeretis : æstate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. » At quam evidenter proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Evangelia sacra testantur, quod dum suam illis prædiceret Dominus passionem, erat verbum absconditum ab eis, et capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum et ipse compatiens filiis ejusmodi verba supprimeret. Cæterum factis quodammodo clamans, « Opera consummavi, quæ dedit mihi Pater ut facerem, » magis ac magis actus omittere, affectus retrahere, et sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hærere firmius, et commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, et minus apponere animum miraretur : « Ne mireris, inquit, ego enim jam non sum de hoc mundo. »

9. Videns autem Pater sanctus, compassionis et misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi fratres, et filios miserabiliter admodum tabescentes et arescentes præ timore et exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ et lamentabilis orbitatis dulcissimis eos consolationibus refovebat : et monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei fideique suæ anchoram per inconvulsibilem charitatem firmius radicare, se quoque promittebat nec post mortem aliquando defuturum. Propensius autem, quam noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lacrymas, timorem Dei, et sacræ puritatis, ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur. Sed et monebat, et cæsa lacrymis obtestabatur, ut si quid forte virtutis, aut exemplo nobis aliquando commendasset aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, et proficeremus in eo ; aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud apostolicum loquens : *Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo per omnia, sic et ambuletis, ut abundetis magis* (*I Thess.* IV, 1). Atque utinam tam efficaciter persuaserit quam affectuose suasit. Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola, quam ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictavit : quam nimirum huic nostræ narrationi duximus inserendam, quod videlicet etsi aliena quoque de ipso, amplius tamen nos ipsius de se verba delectent.

10. « Suscepimus charitatem vestram in charitate, et non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi sibi totum vindicat amaritudo ? nisi quod solum nihil comedere, utcunque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die et nocte exigit confortari modico admodum qualicunque liquore : nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit ; sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere

Digitized by Google

solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis : ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, et vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum (88). »

11. Hoc exemplar epistolæ, quam, ut nos diximus, et ipsa quoque ejus verba declarant, Pater sanctus exitu jam imminente dictavit. Ex cujus tenore posset nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiduciæ culmine radix humilitatis. Sed nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare, ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si pie senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsangues, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. [Quis enim **1155** apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cum thesaurus tam amabilis raperetur a nobis, et præsentibus, et cernentibus, quia nec spes esset retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat : sed qualis pater qui videbatur abire? Nobis quodammodo proprius, verius tamen toti mundo communis. Erat enim omnium et bonorum gloriatio, et malignantium metus, ut de eo non incongrue videretur esse psallendum : *Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum* (*Psal.* CVI, 42). Quo præsente, sanctitas omnis jucundabatur, præsumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo præsente celebris quisque conventus, velut quodam sole resplenduit; absente, caliginosus et quodammodo mutus apparuit. Quam devote, quam pie singulis nostrum et tunc hodieque clamandum : *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus!* (*IV Reg.* II, 12.) Tu fluctuantium portus, clypeus oppressorum; et, ut de seipso beatus Job loquitur, cæco fuisti oculus, et pes claudo (*Job* XXIX, 15). Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, speculum sanctitatis. Tu gloria Israel, tu lætitia Jerusalem, tu deliciæ tui sæculi, et unicum tui temporis decus; oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, et vas honoris in domo Dei; vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, fide et sanctitate solidum, et variis charismatibus tanquam gemmis ornatum. Tu Ecclesiæ sanctæ fortissima splendidissimaque columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulcissimum sancti Spiritus organum, pios oblectans, desides excitans, debiles portans. Cujus medicinalis manus et lingua morbos utraque curabat : illa, corporum; ista, animorum. Cujus erat simplex habitus, simplex vultus, dulcis facies, gratiosus aspectus. Cujus denique vita fructuosa, cujus mors pretiosa : quia tibi quoque Christus vivere fuit, et mori lucrum. Quod si nobis alterum fortassis utilius, sed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, si pie sapimus, non potest non esse jucundum. Cæterum etsi pium est congaudere tibi, Pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introisti : non tamen impium super nos ipsos flere, quos nimirum, abeunte te, solito gravius horror geminus circumsepsit, dum nobis est vita tædio, mors timori. Et si pium congaudere tibi, qui beato transitu mortis ad torrentem voluptatis, quem ardenter sitiebas, accessisti : nostram tamen vicem dolere non impium, quibus et vivendi omnis pariter est sublata suavitas, et moriendi necdum collata securitas. Et si pia tibi impenditur gratulatio, felix anima, quæ in plenitudine lucis exsultas : non tamen impia super nos assumitur lamentatio, qui relicti sumus; post mirificam, in qua hactenus exsultavimus, claritatem, horrere magis tenebras subintrantes; post aurea, quæ paulo ante vidimus, sæcula gravius ferre hoc plane ferreum, quod successit. Sed reflectamus stylum ad ordinem narrationis, et Patroni, quibus possumus votis, exitum prosequamur, exitum nobis lugubrem, nam illi potius triumphalem.]

12. Igitur ante Patris hujus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium ipse genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, et hæc atque hujusmodi loquebantur : « Nunquid non misereris huic monasterio, Pater? nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti? Quomodo sic exponis labores tuos, quos in loco hoc laborasti? quomodo tam dilectos hactenus filios sic relinquis? » Tunc vero flens ipse cum flentibus, et columbinos oculos in cœlum porrigens, ac mente tota apostolicum illum concipiens spiritum, testabatur coarctatum se e duobus, et quid eligeret ignorantem (*Philipp.* I, 23, 22), et divinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam et hinc paterna illum urgebat charitas, filiorum votis annuere, ut maneret : et inde trahebat Christi desiderium, ut migraret. Cui tamen ab olim jam atque altius radicata in pectore ejus humilitas persuaserat, ut ex intimo cordis affectu servum inutilem se esse diceret, et arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi **1156** fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam et solitus erat in familiari collocutione fateri, vix credere se hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent ut dicebant. Sed nec parvum sese in suis super hoc cogitationibus perhibebat aliquando sustinuisse conflictum, quod nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli posse verisimile videretur. cum alterutrum

(88) Epistola hæc ordine 310, in quibusdam mss. ita inscribitur : *Epistola ad Arnoldum Bonæ-Vallis abbatem, qui ei quædam xenia mittens, de ejus valetudine sollicite fuerat sciscitatus.*

Digitized by Google

excusare non posset. Quem enim totus mirabatur Orbis, solus ipse (quod erat mirabilius) non videbat suæ videlicet operationis opinionisve splendorem, sicut ille quondam vir simplex et rectus, nec solem cum fulgeret, nec lunam incedentem clare vidisse se memorabat (*Job* xxxi, 26).

13. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago, desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies, ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. Hora autem diei pene tertia singularis lucerna suæ generationis, sanctus ac vere beatus abbas Bernardus, a corpore mortis in terram viventium feliciter Christo duce migravit, ex filiorum circumstantium et inter graves singultus ac lacrymas uberes utcunque psallentium choro ad multorum, quos ipse præmiserat, cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequebantur inferiorum vota; sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix illi et vere serenus dies, quo plenus ei meridies Christus illuxit: dies cunctis vitæ suæ diebus tantis ab eo exspectatus desideriis, expetitus suspiriis, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus! Felix transitus de labore ad refrigerium, de exspectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem! De quo etiam transitu ejus multa novimus apparuisse quam multis, et quidem non indigna relatu, sed difficile nimis singula vestigare, et scribere omnia nimis longum. Nam et usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor, vere etiam nunc, imo nunc verius vivens et vigens, crebris revelationibus eorum dignatur solari lacrymas, relevare mœstitiam, ut quo dulcius ei congaudent, minus anxie doleant sibi. Si qua tamen ex his, minus prolixam desiderantia narrationem, lector scire desiderat, proprio magis et novissimo cœdimus reservanda capitulo.

14. Interim cætera prosequentes, quanta possumus violentia animos avertamus ab illo tam gravi gemitu et rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus paginæ, et quantum possumus, stringamus oculos, palpebras complodamus adversus lacrymas, quibus in illo suæ claritatis abscessu vallis nostra fluebat. Ecclesiæ protinus universæ calicem sui propinatura mœroris, cui hactenus consueverat stillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere consolationes. Dum fidelis minister et sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei, sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium et ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, et vallem totam ploratus et ululatus multus implebat. Amarius tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici Ordinis disciplina (89) inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, **1157** nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione, et variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium solemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam, copiosius undique conventuri. Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, et tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederant, ut nulla pene episcopis reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, et mane divina ex more Sacrificia consummantes, sicut et biduum jam in celebratione Missarum et jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

15. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus et annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-Vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater (90), decimo tertio kalendas septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo. Sepultus est autem undecimo kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis matris, cujus fuerat devotissimus ipse sacerdos. Sed et pectori ejus ipso tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi: eo utique fidei et devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. [Prius tamen, quam sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, unus e fratribus, qui ex multis annis caduco morbo

(89) Eadem apud Claram-Vallem, uti et apud Cistercium vigebat disciplina, quæ olim apud Cistercienses communis fuit, excepto festo Dedicationis, quo mulieribus concessus est in Ordinis ecclesia daitus.

(90) Nempe tam per se, quam per abbatias Claræ-Vallis subjectas. Nam Bernardus per se tantum septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit, nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Sabaudia et in Hibernia, in Italia 4, in Germania duo, duo item in Suecia, ac demum unum et alterum in Hungaria et Dania, ex Chronologia nostra.

Digitized by Google

graviter laboravit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc usque superstitem novimus, et nihil unquam ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum.]

16. Facta sunt hæc eodem anno quo beatus Papa noster Eugenius tertius, ejusdem patris sancti in conversatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipsa cui insigniter præfuit urbe miraculis pluribus illustrata coruscant: successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum imperio Friderico illustri; in Francorum regno piissimo rege Ludovico, filio Ludovici; principatum Ecclesiæ universæ ac totius creaturæ visibilis et invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab Incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De revelationibus diversis post sancti Patris obitum factis.

17. Jam de supra memoratis revelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium quod prædictum est anno septimo ante quam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati Patris vita et felicibus ejus actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: « Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? » Cui ille: « Nescio, » inquit. Et alter: « Ego, ait, novi eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. » Hoc autem unde sciret, minime jam scire possumus, quia nec tum indicavit, et ante Patrem sanctum ipse decessit. Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est se audisse, quando ut ab olim audierat, ita vidit. Talis vero ille est, de cujus testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri qui eum noverit, credimus dubitandum. Neque id solum, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque et personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, extunc innotuisse testatur. Manifeste enim eadem hora frater ille prædixit, « quia dominus Robertus, qui hodie abbas est de Dunis, post hunc beatum Patrem abbas futurus est Claræ-Vallis. » Nam quod disjunctive sex vel septem annos victurum dicebat, ad **1158** hoc pertinuisse videtur, quod inventus sit terminus idem ultra sextum annum, intra septimum tamen.

18. Prope erat jam tempus, et festinabat Pater sanctus ad metam. Infirmabatur enim, sicut in hujus libelli principio memoravimus, adeo ut illa jam infirmitate ipsius perfici virtus, jam imminere exitus videretur. Interea fratres instare supplicationibus et obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est: « Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, et invaluistis. Parcite, quæso, parcite, sinite me abire. » Prius tamen cum in summo periculo et timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, uni eorum visio talis apparuit. Occurrebat cum multa exsultatione Viro Dei extra monasterii claustra innumerabilis multitudo. In qua tamen processione, solos quatuor præeuntes idem frater qui videbat agnovit: magnum illum dilectorem ejus atque dilectum, cujus et ipse in libro quarto de Consideratione cum laude meminit. Gaufridum episcopum Carnotensem; Humbertum quoque, qui Igniacensis cœnobii fuerat primus abbas; et duos ejus fratres germanos, Guidonem scilicet et Gerardum. Exceptus itaque reverenter, et post osculum pacis amica diu colloquia miscens Pater sanctus ac beatus, cum his quatuor stabat, exspectante seorsum multitudine cæterorum. Novissime salutantes eum prædicti viri, ex hoc sibi jam redeundum esse dicebant. Tum vero expalluit ille, et circumfusa sibi mœstitia internum declarans animi dolorem: « Quid ergo, ait, sine me vultis abire? » Et illi: « Non potest adhuc tuo, et nostro satisfieri desiderio, donec veniat tempus novorum. » Dicebant autem tempus novorum, quo fruges novæ colligerentur, sicut evidenter postmodum probavit eventus, dum in Augusto mense decessit. Mane ergo frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est cæteros, velut jam imminentem Patris obitum formidantes, et quod viderat et audierat indicavit. Adhuc autem hiems erat.

19. Eodem tempore altera quoque visio prioris confirmatio fuit: nisi quod evidentius jam utriusque completa veritas probat, quam evidenter in utraque quod futurum erat, Dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, et ecce parabat Vir beatissimus ascendere Jerosolymam, jamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo, qui a primis fere annis strenue satis et laudabiliter conversatus in monasterio, absentium consueverat præpositorum supplere vices, reverenter accedens, dicebat se præcessurum. Cujus visionis sic ostensa est veritas, ut prædictus vir Deo dignus ad cœlestem Jerusalem, ubi vere visio pacis, parantem jam egredi, et paulo post secuturum Patrem sanctum, felici functus legatione præiret.

20. Sed et abbas quidam, satis ei habitatione vicinus, nec minus affectione devotus, paucis diebus ante felicissimum Patris hujus excessum, videbat eum pretiosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis, et excellenti perfusum gloria, cum ingenti solemnitate ad altare deduci. Ad cujus introitum ecclesia magna magnis resultans vocibus conclamabat: *Puer natus est nobis* (*Isai.* IX, 6). Vere etenim puer ipse erat mitis et humilis corde; et, sicut parvulus, accipiens regnum Dei: in cujus merito gratulabunda natali angelica multitudo, et

Digitized by Google

omnis pariter Sanctorum ecclesia, dum nobis videretur mori, sibi illum nasci; dum hic consummaretur, ibi incipere, non tam sonoris vocibus quam votis paribus concinens exsultabat. Si enim ad unius pœnitentiam peccatoris tota illa cœlestis regio in lætitiam suscitatur; quænam illi gaudia exhibuisse credendus est, per quem gaudia tanta receperat de tam multorum conversione et pœnitentia peccatorum? Quis enim valeat æstimare, quantis in sæculari habitu et conversatione manentibus, quantis etiam ad alias virorum seu feminarum congregationes transeuntibus, **1159** per hujus fidelis famuli ministerium dedit Dominus pœnitentiam ad salutem? Aut quis numeret eos qui sub ejus cura in centum sexaginta monasteriis per Dei benignitatem ad pœnitentiam sunt adducti? Nam ex his solis, qui speciales ejus filii videbantur, præter eos qui jam cursum vitæ feliciter consummaverant, præter eos qui per alia loca fuerant propagati, ea die qua felicissimus Pater ex Clara-Valle montem ascendere meruit Clariorem, reliquit habitantes in ea septingentas ferme animas, Domino Servientes (91). Quid igitur mirum si gratus curiæ, si acceptus Regi, si exceptus cum lætitia et exsultatione credatur: in quo gratia Dei usque adeo vacua non fuit, qui tam feliciter, tam efficaciter, plus omnibus sui temporis, et multarum retro generationum laboravit; qui talentum sibi traditum tam copiose multiplicavit, tanta denique lucra retulit de negotio? Sed de his hactenus, ne quis nos arguat ejus, quam polliciti sumus, metas excedere brevitatis.

21. Sane in monasterio prædicti illius abbatis, qui sic ejus natalem præviderat ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit, venerabili ejus præposito apparens, valefecit illi, et ait: « Noveris quia jam migro, nec ulterius hic morabor. » Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas et Claram-Vallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse.

22. Frater Guillelmus de Monte-Pessulano, cujus et supra fecimus mentionem, vir magnificus olim in sæculo fuit, sed magnificentior in sæculi fuga. Hic in monasterio Grandis-Silvæ monachus factus, Patrem sanctum devotissime visitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui Vir Dei: « Ne timeas, ait, adhuc sine dubio me videbis. » Hujus effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus exspectans, ipsa nocte cum beatus Pater ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-Silvæ apparentem sibi videre meruit, et dicentem: « Frater Guillelme. » Et ille: « Ecce ego, domine. » « Veni, inquit, mecum. » Ibant igitur pariter, et ad montem quemdam altissimum pervenerunt. Interrogabat autem Sanctus an sciret quo venissent. Ille vero se nescire professus est. Cui ipse: « Ad radices, inquit, montis Libani venimus. Et nunc manebis hic, ego autem ascendam in montem. » Interrogatus qua de causa vellet ascendere: « Discere volo, » inquit. Miratus ille: « Quid, inquit, vis discere, Pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? » Ad quem Sanctus: « Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio: sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis. » Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, et occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Joannem olim de cœlo sonuit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ut ergo mane locutus est abbati suo et fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem ac diligentius inquirentes, ut audierant invenerunt. Euge, Pater sancte, qui ascensiones in corde disposuisti in valle lacrymarum, feliciter jam ascendisti de Clara-Valle in montem Libani, montem candidationis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus et mundo corde ascendisti in montem Domini, ad divitias salutis: ad thesauros sapientiæ et scientiæ pervenisti, ubi pure puram videas veritatem, ubi unus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus, ubi omnes jam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, et de monte excelso misericorditer respice Vallem tuam. Adesto laborantibus, subveni periclitantibus, ascendentibus manum porrige. Dat fiduciam tua nobis ab olim experta, nec exinanita modo, sed amplius cumulata benignitas. Quin etiam visio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

23. Proxima nocte postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus, et quomodo suos quos in mundo dilexerat, in finem quoque diligeret, evidenter ostendit. **1160** Apparens enim cuidam fratri in multa gloria, et fulgore magno vestis ac vultus, et desiderantem tenere cito pertransiens, aiebat: « Quia pro quodam fratre simplice veni. » Audierunt hoc fratres et mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater laudabilis admodum simplicitatis; et, sicut omnino credibile est, animam ejus tanto duce felicem, qui pro eo se venire dixerat, secum tulit. Paucis quoque expletis diebus, alteri cuidam fratri magnifice satis apparens, et arguens de suo nos doluisse discessu, post verba multæ consolationis, et promissionem felicitatis æternæ in sua perseverantibus obedientia et doctrina: « Hoc etiam scito, ait, et dicito fratribus, cujusdam vere sancti corpus, cujus et ego habeo vestem, in oratorio esse sepultum. » Dicebat autem episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormierat, ad Missarum sibi servaverat celebrationem, et moriturus, in ea sese jusserat sepeliri, sicut et sanctum illum

(91) De numero Novitiorum vide infra lib. VII, capp. 12 et 29.

Digitized by Google

in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum et ipsi fratri, et quampluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. Felix pontifex, cujus merita Pater sanctus et vivens prædicaverat, et defunctus. Felix charitas, quæ in morte non excidit. Felix societas, quam nec illud divortium tam crudele diremit. Gloriosi siquidem Patres quemadmodum in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

24. Nam et post dies circiter quadraginta abbas quidam ex majoris Britanniæ insula, sacræ illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum cæteris coabbatibus suis ex more Cistercium petens, in Clara-Valle remanserat, gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuresis scilicet, et febris quotidianæ. Jamque eatenus longa vexatione defecerat, ut solum animæ ejus exitum fratres, qui ei nunquam decerant, observarent. Cumque animum ejus angeret non tam desiderium vitæ præsentis quam absentium desolatio filiorum, quod peregre moreretur, obnixe petiit ut ad tumulum sancti deportaretur Abbatis : ubi cum orasset tota devotione qua potuit, beati quoque episcopi Malachiæ in aquilonari ipsius oratorii latere positum cogitavit visitare sepulcrum, auxilium flagitare; sed fatigationem veritus, et quasi jam securus de incolumitate, quod cogitaverat non implevit. Die altera iterum fratres advocans, ut ad oratorium veniat opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis : periculum siquidem verebantur : « Omnimodis, inquit, oportet ut sancti Malachiæ tumulum petam. Cum enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subito audiebam vocem dicentem mihi : Sanatus jam ab altera ægritudine tua, si ab altera vis sanari, episcopum pete. » Fecerunt illi ut ille voluit, et continuo factum est sicut dictum erat ad illum. Eadem die sanus factus, post paucissimos dies iter arripuit et incolumis reversus est ad suos.

25. Tuum in hoc opere spiritum, tuum agnoscimus, Pater dulcissime, zelum, tuam considerationem : tuum hoc opus, sic deferre collegæ tuo, ut hunc quoque ei communicares honorem et amorem cum quo verius et felicius honorificaris in cœlis. Imo vero tui sunt hæc omnia operis, tui muneris, Deus noster. Tu enim omnem replesti ab initio temporis terram præsentia tuæ divinitatis, omnem aliquando repleturus gloria majestatis : cujus tamen partes interim quasdam, et æterno præelecta loca consilio excellentius visitans, reples speciali gratia sanctitatis. Fac, Domine, spirituali semper abundare frumento Vallem, quam ut faceres re quam nomine clariorem, dignatus es tam eximiæ claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi donum, in qua tibi geminum hoc tam pretiosum depositum custoditur. Fiat nobis denique juxta verbum tuum, ut ibi est thesaurus tuus, ibi sit et cor tuum (*Matth.* VI, 21), ibi gratia et misericordia, et respectus assiduæ pietatis omnibus adsit in tuo ibidem nomine congregatis, quod est super omne nomen, sicut et tu super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

In codice Vaticano, n. 676, *hic liber constat capitulis* 23, *quorum ultimum deest in vulgatis. Sic autem habet :*

26. In memoria æterna justus Domino constitutus et suorum non negligit memoriam filiorum; agens post **1161** mortem peragensque miraculis quod suis adhuc vivens oraculis prædicebat. Cernitur in operibus virtutis ejus sermo ille vivus et efficax, et testamentum fidele, quod disposuit dilectis suis : « Agam, inquit, assidue Claræ-Vallensis familiæ curam, et plantationem meam continue fovens benedictionis irriguo, sic me præsentem beneficiis exhibebo, ut inde non videar aliquando recessisse. » Undique nobis materiam consolationis exquirit : ita ut nuper in ipsis partibus transmarinis, nostris inventus sit inhiare subsidiis. Factum enim post annos plurimos ab obitu sancti hujus, ut sanctitatis suæ signa de crucis signaculo radiarent, et quam pia cupiditate virtutem vivificæ crucis ambiret, ipse crucis consecrator ostenderet. Cum enim Sarracon dux Turcorum urbem Alexandriam, et adjacentem Ægypti provinciam disposuisset invadere, suæque subjicere ditioni; et rex Jerusalem christianissimus Amalricus, requisitus a Saracenis Ægypti, repentino impetu in præsidia subvectionis accingitur, timens videlicet et præcavens in futurum, ne si forte Turcos in Ægypto dominari contingeret, et majorem in Christianos agerent pro locorum vicinitate perniciem, et ipse interim ex Ægypto tributariam perderet functionem. Electis igitur militibus et instructo progressus exercitu, in occursum properat Sarraconis, vadens et progrediens usque ad alveum Nili fluminis, quod de paradisi fonte dissiliens, aridas Ægyptiorum irrigat regiones. Cumque venisset ad flumen, fecit illud navium potestate meabile, et relinquens in custodia pontis ex utraque parte fluminis milites peditesque non paucos, et ipse cum trecentis equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum et exercitum ejus grandem, quatuordecim millia Turcorum, et tria millia pugnatorum Arabum contrahentem. Illis autem itinere diei unius ante Regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde nuntii de medio concurrentes, quorum alii suggerebant Regi ut multitudinem illam contritam et fame et lassitudine dissolutam jam jam consumpturus invaderet : et alii e contrario Turcos hortabantur, ut starent; facile admodum fore concludi paucos in manu tantæ multitudinis affirmantes. Convertitur ergo Sarraconis exercitus, et exspectato Rege instruuntur ad pugnam, qui prius præcipites ferebantur in fugam. Adveniente autem nocte castrametati sunt juxta aquas, quæ utrumque exercitum stricto satis alveo dirimebant. Cumque obdormisset Rex, in ipso clypei sui concavo requiescens, confestim sibi in somnis beatus Bernardus apparuit, expro-

Digitized by Google

brans et improperans ei peccata sua, et quod non esset dignus vivificæ crucis lignum (quod de consuetudine appensum collo gestabat) in illo certamine circumferre. Statimque Rex territus et turbatus veniam **1162** petit, et Sancto qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc beatus Bernardus admota propius manu crucem sanctam quæ collo Regis pendebat, accepit, et benedicens ei trino signaculo sanctæ crucis, consolabatur eum dicens : « Confide, Rex, in hoc signo vinces, et in periculo timoris magni, quale nunquam hactenus expertus es, sine læsione tui hostes evades. » Cumque hoc dixisset, visus est velle discedere, crucem quam a collo Regis acceperat portans secum. Rex autem apprehendens eum ait : « Non dimittam te nisi crucem dimiseris mihi. » Ad quem Sanctus : « Noli, inquit, noli, Rex, alios filios habeo quos oportet crucis hujus signaculo benedici. » Et his dictis somnus abiit, et fulgor matutinus illuxit, factaque copia splendoris et lucis, uterque exercitus sibi invicem ad ineunda certamina propinquavit. Aggreditur Regis cuneus multitudinem copiosam, et in medio ejus qui in pelago maris absorptus inimicos crucis Christi sub crucis vexillo prostravit. Cadunt a latere suo mille, et multa millia a dextris ejus, et discurrunt undique triumphantes in Christi nomine Christiani, ita ut dum illi diversis pugnæ partibus dividuntur, Rex ipse solus in quodam congesti sabuli tumulo remaneret tam morti et internecioni proximus, quam longe erat suorum omnium solatio destitutus. Cernebat ex eminenti stationis suæ loco Turcos undique concursantes. Nam jamque imminentem sibi exspectabat interitum, nisi quia in eo quodammodo confidebat, quod se illis non ignorabat ignotum. Recordatus illico præteritæ visionis, et pia intra se vota conficiens, polliciius est Deo et beato Bernardo, quod si de manu inimicorum vivus evaderet, crucem quam Sanctus petierat filiis ejus Claræ-Vallensibus destinaret. Continuo igitur triginta de militibus suis Regem ipsum a longe cognoscentes, acri in se certamine Turcos provocant ad pugnandum, ut vergente in illos fortitudine tota, conflictus Rex iterum ab hostibus et ignotus persisteret et securus. Quod cum quindecim milites de sacra Christi militia conspexissent, per confertissimos hostes violenter irrumpunt, persequentes juxta quod scriptum est, unus mille, et duo fugantes decem millia in millibus suis (*Deut.* XXXII, 30). Associati ergo aliis triginta militibus, divisis et cæsis occurrentibus inimicis, ad Regem suum cum lætitia et victoria pervenerunt. Sicque factum est, quod et Rex juxta verbum sancti Patris nostri de beneficio sanctæ crucis donum ejusdem sancti Patris meritis apprehendit. Porro supradictæ ordinem visionis idem ipse rex Richero abbati Salvationis ore proprio diligenter exposuit, qui eam postmodum in Gallicanis partibus fideliter nuntiavit; vir utique testimonii boni et conversationis honestæ, tam a mendacii suspicione remotus quam a vitæ corruptionibus alienus. Deo gratias. Amen.

A

B

C

HORSTII PRÆFATIO IN LIBRUM SEQUENTEM,

De miraculis per sanctum Bernardum editis.

I. *Inter Sanctos miraculorum gloria celebres, eminere mihi Bernardus videtur, aut paucos sibi habere pares. Ut vel hinc facile sit obstruere loquentium iniqua et miracula posterioris ævi cavillantium ora. Nimirum non desunt etiam nunc Pharaones, qui obdurant corda sua ad visa vel audita tot prodigia, ne cogantur agnoscere Deum mirabilem in sanctis suis : sunt quoque nunc serpentes et aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant vocem incantantis sapienter. Quin etiam hodie reperire est cæcos et contumaces Pharisæos, aut pejores, qui potestati Satanæ isthæc ausint ascribere. Nempe otiosa censent miracula post claram Evangelii lucem toto orbe diffusam, et quæ postmodum facta, etiam a viris fide dignissimis accepimus, etsi toto orbe spectante et attestante, hæc ipsi inter fabulas et figmenta, imo inter præstigias deputant. O cæcum et miserum hominum genus ! qui videntes non vident, et audientes non intelliguni. Sed non est abbreviata manus Domini etiam hodie facere per fideles servos suos, quæ sensum et naturam superent, cum ita necessum fuerit. Hoc vero definire, nostrum non est, sed ejus qui omnia in pondere et mensura facit, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Temerarium et impium foret, hic leges ac limites divinæ potentiæ seu providentiæ præfigere. Hanc ipsam tantummodo sancti Bernardi vitam inspicite, vos, **1163-1164** inquam, sanctorum gloriæ mastiges, cujus sanctitatem prorsus eximiam, præter quam quod scripta ejus, nedum gesta, ad vivum exprimunt, tot ac tanta irrefragabilis fidei testimonia comprobant, ut vel ipsa calumnia eam inficiari non audeat, sed et invitis, ac quantumvis invitis venerationem extorqueat. Miracula vero, etsi alias indubia, ac infallibilia sanctitatis argumenta non sint, in Bernardo tamen vitæ sanctimonia et miraculorum gratia, tam arcto sibi fœdere connexa fuere, ut aut stolidos, aut impios esse necesse sit, qui vel alterutram, vel utramque Viro sancto detrahere ausint.*

II. *Quocirca alii aliis eum ornent elogiis : ego libens omnibus applaudo, quia nullum par ejus meritis invenio. Attamen Thaumaturgum per excellentiam non possum non appellare, visis scilicet tot ejus miraculis, et operantis tam familiariter, nec minus mirabiliter in eo virtutis divinæ testimoniis. Esto, sit non nemo sanctorum, qui hunc sibi titulum longi temporis præscriptione vindicet : non ægre tamen is Bernardum in hujus tituli et honoris consortium recipiet. Quamvis vindicandæ sibiipsis hac in parte laudis et gloriæ nulla viris sanctis æmulatio esse soleat. Bernardus certe studiose eam semper a se amoliri solitus est, scieus uli omnem deberi gloriam. qui operatur omnia in omnibus, et facit mirabilia magna solus. Nostrum nihilominus est, Deum laudare in sanctis suis, eoque diligentius recolere miracula, quæ divina virtute, cum Dei glo-*

Digitized by Google

via, aut fidei ac religionis confirmandæ causa, aut christiani populi salus id exigeret, sancti homines fecerunt, ne fine suo frustretur, si a nobis neglecta, aut inofficioso, seu potius irreligioso silentio præterita fuerint, Præcipuus autem finis est, divinam asserere gloriam, ostendere potentiam, et orthodoxam potissimum fidei veritatem, seu ad, confutandos incredulos, seu ad confirmandos fideles estruere. Ut vero jam alia infinita præteream, per unum certe Bernardum tam frequentia et illustria ad astruendæ fidei argumenta edita video, ut illis Richardi de Sancto-Victore (lib. 1 *de Trinitate*, cap. 2) *verbis christiano cuivis, si quando infidelitatis tentatione quatitur, cum Deo agere liceat : « Domine, si error est, a te ipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ nonnisi per te ipsum fieri possunt. Certe a summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita et cum summa et authentica attestatione probata teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Ita ille. Vereor ne excursus sit longior : non possum tamen quin sancti Gregorii Magni* (homil. 11, *in Ezechielem*) *verba valde hic opportuna recenseam. Ille postquam miracula sanctorum comparasset propugnaculis, virtutes eorumdem clypeis, quibus utrisque etiam nunc Christiani sese muniant ac defendant, sic ait : « Hi itaque (viri sancti) quam vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent : et quam pii, quam humiles, quam benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, et in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula ? quia et muniri per illa possumus, et tamen hæc in manu arbitrii nostri non tenemus. Nam talia facere non valemus, » etc. Hæc paulo prolixius afferre visum in gratiam eorum qui parum tribuunt aut fidunt miraculis, et sanctorum gloriam calumniis lacerant, nec honorant quos Deus sic voluit honorare. Spero hæc non ingrata aut inutilia lectori fore : certe ingenuus Bernardi cultor non improbabit.*

III. *His ab Horstio dictis addere licet, adeo Bernardi miracula illustria et omnibus ipso vivente, imo ante prædicationem crucis seu sacræ expeditionis, de qua in libro sequenti, comperta fuisse, ut Berengarius, ille Abælardi discipulus et defensor, in Apologia pro magistro suo, quantumvis Bernardo infensus, ea ut indubitata agnoscat. « Jam dudum, » inquit, Bernardum alloquens, « sanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama dispersit, præconizavit merita, miracula declamavit. Felicia jactabamus moderna sæcula, tam corusci sideris venustata nitore ; mundumque, jam debitum perditioni, tuis meritis subsistere putabamus. Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio cæli sitam clementiam, aeris temperiem, ubertatem terræ, fructuum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat ; et, juxta vulgare proverbium, rami tui umbras montium transcendebant. Sic diu vixisti, sic Ecclesiam castis institutionibus informasti, ut ad semicinctia tua rugire dæmones autumaremus, et beatulos nos tanto gloriaremur patrono. » Hæc ille, testimonium vel invitus veritati perhibens : etsi in consequentibus Bernardum traducat, quod Abælardum impugnaverit.*

LIBER SEXTUS,

Seu miracula a sancto Bernardo per Germaniam, Belgium Galliamque patrata, anno 1146, in tres partes distributa, quæ singulæ suos præferunt auctore

NARRATIO HERBERTI (92)

ABBATIS COENOBII MORENSIS,

De libro Miraculorum S. Bernardi, per insigne miraculum servato.

1165 Visitante nuper venerabili abbate Claræ-Vallensi Petro (93) monasteria sua (94), quæ in Remensi provincia, flante spiritu Dei, venustissime florent, nos quoque cum illo profecti venimus die quadam una cum ipso ad monasterium Vallis-Regis (95). Invenimus autem ibidem miraculorum sancti Bernardi multitudinem copiosam, quæ propter legentium tædium in codice vitæ ejus inseri non potuerunt. Nam si prolixius scriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo Miraculorum librum, quem in Clara-Valle non habere comperimus, acceptum mutuo nobiscum ferre curavimus, ut eum transcribi faceremus. Portabatur autem in mantica, cum aliis septem libris, tam majoris quam minoris voluminis. A Venientibus itaque nobis ad monasterium Longi-Pontis, contigit ut eorumdem librorum portitor equus cum cæteris ad aquam duceretur. Qui dum incaute dimissis habenis vadum exceederet, lapsus in profundum stagni fluctuando et natanto ferme unius horæ spatio huc et illuc anxie pervagabatur. Exclamantibus autem qui aderant, quod equus ille librorum atque vestimentorum sarcinam habens cum puero superposito mergeretur ; accurritur undique ut ei succurratur. Interim autem quadrupes, et ipse puer sub aqua latebant, nisi quod ora protensa modice superius apparebant. Quidam vero juvenis in-

(92) Is postea archiepiscopus Turrium in Sardinia, qui tres libros de Miraculis, tum Bernardi, tum aliorum ejus discipulorum scripsit, de quibus infra.

(93) Fuisse hunc octavum abbatem Claræ-Vallensem, ac obiisse anno 1186, — scribitur in serie istorum abbatum apud Jungelinum lib. 1, pag. 25. Dictus etiam fuit *Monoculus*, de quo Manricus ad an. 1183, cap. 4, cui præsens miraculum innectit. In prætermissis apud Bolland. ad diem 18 maii refertur idem Petrus. B

(94) Scilicet Fusniacum, Bonum-Fontem, et Signiacum.

(95) *La Valroy*, in diœcesi Remensi, filia Iguacii de linea Claræ-Vallis fund. an. 1148.

Digitized by Google

dementis exutus, et natando diutius insecutus pereuntes, eripere voluit, sed fugiente caballo minime potuit.

Tandem vero quæsita et de longe adducta navicula, miserante Domino, reducti et liberati sunt simul adolescentulus **1166** et caballus. non modo viventes, verum etiam salvi et alacres : mantica vero continens ipsos libros inventa est aquis, in modum utris, plena atque distenta. Quæ dum postmodum incuria ministrorum clausa diutissime permaneret, tandem ea reserata inventi sunt libri a minimo usque ad maximum, ita madefacti atque deleti, ac si in profundo stagni diutius jacuissent. Verumtamen solus ille Miraculorum liber, cum tamen cæteris aqua imbutis atque submersis esset immistus, ita repertus est incorruptus et siccus, ita pulcher ac floridus, ut minime tunc extractum de vivario crederes, sed potius assumptum de armario diceres. Nam quemadmodum usque hodie cernitur, ne unam quidem in eo litterulam magnam vel modicam aquæ stilla delevit, aut tetigit ; cum cæteri, sicut dictum est, libri ita fluctibus oblitterati, et pellium more confecti viderentur, ut nullis deinceps usibus judicarentur apti. Unde mirati et magna jucunditate repleti, gratias egere multimodis divinæ clementiæ, qui dilecti sui Bernardi merita veneranda voluit etiam nunc hujusmodi signo glorificare. Nos quoque magnifice consolati, proprium damnum de submersione librorum non modo levissime, verum etiam lætissime tulimus : quippe qui in ejus restitutione, jucunda vere piscatione, tantum et tale miraculum de immensitate aquarum cum libris extulimus. Et quidem duplex nobis incubuit exsultandi materia : tum pro ipsa miraculorum gloria commendata, de quorum certitudine præsenti miraculo certiores existimus ; tum pro ipsa pueri vita donata, cujus liberationem sanctissimi confessoris hujus precibus et meritis attribuendam esse non dubitamus.

PHILIPPI DE CLARA-VALLE PRÆFATIO

IN EUMDEM LIBRUM,

Ad Samsonem (96) *archiepiscopum Remensem.*

Charissimo Patri et domino Samsoni, Dei gratia Remorum archiepiscopo, frater Philippus de Clara-Valle, ambulare a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.

Multa esset præsumptio, si non multa esset dilectio, quod vestræ præsumo scribere Sublimitati. Quid enim servus ad dominum, discipulus ad magistrum, ad episcopum monachus? Nihil mihi et illi, cum illum summa dignitas, me vilitas alta componat. Sepultus inter homines, non est revocandus ad homines, nec revocari debet ad phaleras gloriamque verborum, qui silentium imposuit ori suo. Scitis et vos, domine pater, quia scribere nec monacho in usu, nec indocto in promptu, nec pœnitenti esse debeat in affectu. Durum quoque est, ut cum alii vacent et videant quoniam ipse est Dominus, ego stylum tabulasque involvam, quem non ignoratis durioris pœnitentiæ martyrio confringendum. In veritate didici nihil esse efficacius ad promerendum divitias gratiæ Domini, quam sedere et tacere, et semper humilibus consentire. Humilitas virtutum regina, primogenitum filium suum silentium parit ; in quo, et de quo cultus justitiæ pendet, justo attestante qui ait : *Cultus justitiæ silentium* (*Isai.* XXXII, 17). Sed nimis progredior et interrumpendus est cursus sermonis; quia fortassis incommoda prælibatio est, si quos pluribus debetis oculos detineam pagina longiori. Id ipsum autem quando præsumpsisset pusillitas, vel pusillanimitas mei, servi vestri, nisi prævenisset vel intervenisset vestra humilis sublimitas, imo sublimis humilitas, amantissime pater? Rogatis igitur. ut scribam vobis quæ comperta habeo de miraculis patris nostri, amici vestri, qui vos diligit non verbo neque lingua, sed opere et veritate. Et illa quidem egebant diligentiori disputatione et doctiori disputatore ; cum illa tamen ego non scripserim, sed collegerim : certus autem quod auribus meis audierim et **1167** perspexerim oculis universa ; ipsa tamen, quæ in itu et reditu Stampensis collocutionis effecit, ego nec vidi, nec audivi, sed viderunt et audierunt qui ministri fuerunt sermonis et quibus credo sicut oculis meis. Ego enim tunc intravi scholam Jesu, et valedixi sæculo in sæculum et in sæculum sæculi. Decrevimus autem et hæc, et alia quæ fideli stylo a principio itinerarii ipsius excerpta sunt, alicui de linguis insignibus et religiosis commendare, qui potenti virtute verborum facta lucida perducat in lucem. Vos quoque, cum hanc epistolam susceperitis, orate pro Philippo vestro, qui vester ero, quandiu fuero, in visceribus Jesu Christi.

(96) Apud Sammarthanos Rainaldo a Pratis anno 1137 vita functo, successisse ponitur, ac diem ultimum clausisse anno 1161, apud Alberici chronicon ; ex cœnotaphio autem anno 1160. Laudatur a S. Bernardo in epist. 210 et 247.

Digitized by Google

PARS PRIMA

Auctore Philippo monacho Claræ-Vallensi.

CAPUT PRIMUM.

De profectione Bernardi Constantiam versus; item de personis et nominibus eorum qui miraculorum oculati testes fuerunt.

1. Cum in regno Teutonicorum verus crucis servus Bernardus verbum crucis annuntiaret, necesse fuit ut regi Conrado pro quodam pacis negotio loqueretur. Occurrit autem Franckevœrt, quod in territorio Moguntino super Mogum situm est castrum, et a Francorum vado nomen accepit. Ibidem quoque Constantiensis episcopus, Hermannus nomine, vir religiosus adfuit, obnixius supplicans ut ad partes suas ascendere dignaretur. Cujus petitioni multa quidem negotia resistebant; maxime tamen Claræ-Vallensium suorum intima sollicitudo et præcordialis affectus, ad quos redire omnimodo festinabat: neque enim filiorum uteri sui mater poterat oblivisci, sed toto fere anno avelli a se viscera sua gravissime querebatur. Vicit tamen constantia domini Constantiensis, cum opportune, importune, modo per se, modo per Regem et episcopos supplicaret. Sic nimirum intolerabile sibi indicat vir benignissimus pro se anxios contristari. Magis autem prævaluit timor Domini, et spiritus ejus suggerens apertum sibi esse ostium magnum. Hoc enim studium ejus, hæc consuetudo est, ut licet animum habeat affectione plenissimum, nullum tamen apud eum propria obtineat affectio locum in deliberatione faciendorum, sed totum sibi vindicet divinæ inquisitio voluntatis. Acquievit ergo venire cum episcopo. Et Dominica prima adventus Domini ingressi sumus fines episcopatus Constantiensis; et in villa cui nomen est Kentingen [*al.* Kentzigen, *prope Friburgum Brisgoiæ*], maxima populi devotione suscepti. Multa ex hoc divinæ miracula virtutis claruerunt, quæ, etsi nos tacuerimus, lapides clamabunt. Propterea qui præsentes fuimus, dignum duximus annotare ea vitandæ gratia confusionis, et dubitationis abigendæ. Singulorum enim præscripsimus nomina; et singuli quod vidimus et audivimus, certa veritate testamur. Eramus autem cum eo ego, Hermannus Constantiensis episcopus, et Eberhardus [*al.* Everardus] capellanus ejus [*al.* meus]; abbates duo Baldowinus, et Frowinus (97-98); monachi quoque duo, Gerardus, et Gaufridus: clerici tres, Philippus Leodiensis archidiaconus, Otto, et Franco: quibus additus est in ipso itinere Alexander (99) Coloniensis. Romam enim proficiscebatur; sed videns opera divinæ virtutis, et audiens crebram Patris exhortationem compunctus est et conversus. Singulorum nomina ex præscriptione primarum invenies litterarum.

(97-98) Frowinus ex monacho Einsidlensi factus est abbas in Monte-Angelorum apud Helvetiæ Subsilvanos, idemque nonnulla opuscula erudite scripsit, quæ vidimus in Bibliotheca Einsidlensi.

(99) Vid. de eodem sup. lib. IV, n. 48 et lib. I de Viris illustribus ord. Cisterc. c. 27. Item inf. lib. VII, c. 20. De Alex-Menol. cist. 29 Jul.

CAPUT II.

De miraculis per beatum Bernardum factis Friburgi, Basileæ, locisque vicinis.

2. Hermannus episcopus. Mihi sacerdos villæ Herenheim, ob hoc ipsum vocatus, indicavit hominem cæcum jam annis decem, qui de domo sua erat, Dominica prima Adventus (100) signatum in transitu, ubi domum **1168** rediit statim illuminatum esse. Hoc ab alio prius audieram et in tota regione certissimum est. Eberhardus. Ego a duobus honestis viris, quorum alter sacerdos, alter monachus erat, audivi duos in villa Lapenheim [*al.* Kipenheim] ipsa die signatos similiter illuminatos. Philippus. Secunda feria me præsente cæcus senex adductus est in ecclesiam, et post manus impositionem, sicut omnes audistis, illuminatum eum populus acclamavit. Frowinus abbas. Ego hominem illum videntem vidi, et frater Gaufridus mecum. Franco. Tertia feria in Frienburg puerum cæcum mater obtulit mane in hospitio; dumque reportaret eum post manus impositionem, jussit pater inquiri a puero an videret: et ego ipse secutus sum; et cum interrogassem puerum, clare se videre respondit: quod et in multis probatum est argumentis. Gaufridus. Statim ut ingressi sumus ecclesiam, adolescens claudus per signum vitæ gressum accepit. Episcopus. Omnes vidimus cum ante altare cum populus in Dei laudibus acclamaret. Eberhardus. Ego illa ipsa die tres alios claudos erectos vidi. Franco. Mulierem cæcam, quæ in ingressu ecclesiæ illuminata est et populo præsentata, omnes vidistis. Gaufridus. Et puellam, cujus arida manus restituta est sanitati, de qua inter oblationes cantatum est. Gerardus. Ego ipsa die puerum illuminatum vidi. Otto. Quarta feria, cum post Missarum celebrationem Pater regrederetur ecclesiam, mulieris manus aridas tetigit, quæ post paululum incolumitatem recepit. Cantum omnes audistis: ego et Franco vidimus ipsas manus. Gaufridus. Sic et puero, cum egrederetur vicum, manus reddita est coram om-

(100) Dominica illa anno 1146, quo hæc miracula evenerunt, incidit in diem primam Decembris, concurr. lit. Dom. ac prima mensis Dec. die F. Hinc feriæ, quæ deinceps occurrunt, uti et Dominici dies ac festi, facile suis quæque mensium diebus aptantur.

Digitized by Google

nibus nobis. Sed et mulier claudа, quam Patris jussu, dum consequi nos non valeret, reversus Henricus noster super equum suum attulerat, nobis videntibus, gressum recepit in ipso loco, ubi puella clauda ex utero cœperat ambulare, et simul duæ currebant. Franco. In ipso itinere puellæ cuidam manus arida restituta est. Et ego ei baculum Abbatis tradidi, et fortiter eum tenebat.

3 Episcopus. Quid illud omisistis, quod prima die in Frienburg pro divitibus jussit fieri orationem, ut auferret Deus velamen de cordibus ipsorum; quia, pauperibus accedentibus, ipsi crucem suscipere cunctarentur? Neque enim otiosa fuit oratio; sed, ut scitis, ditissimi quique, etiam pessimi, vici illius signati sunt. Philippus. Meministis etiam cæci illius senis, qui in via signatus est, et quemadmodum sensit Pater sanctus exisse virtutem, non a se quidem, sed a verbo virtutis et signaculo vitæ: remisit enim, cum paululum processissemus, qui inquirerent an videret, et inventus est videns. Gaufridus. Ipse nobis secreto confessus est, quod sæpius futura erga eos, quos signabat, beneficia præsentiret: et de surdis illis mulieribus, quæ eadem illa die in villa Crocingen, per quam transivimus, videntibus nobis auditum receperunt, ad tactum Prioris, sicut ex ipsius ore audivi, locutus est Deo, quod nullum adhuc surdum hac vice beneficium sensisse cognovisset, et sine hæsitatione tetigit eas. Eberhardus. Ego cum duabus illis etiam adolescentem vidi, qui in ipsa hora fuerat illuminatus. Episcopus. Herzeretheim [*al.* Heyreresheim, *ut cap.* 4, *n.* 30] quarta feria (101) mane, post missarum solemnia, puellam, cui restituta manus est, ego obtuli. Philippus. Et ego puerum surdum et mutum ab utero, quem protinus audistis recte loquentem et audientem clare.

4. Episcopus. Ego ipse allocutus sum puerum, ubi signatus est: et libere statim respondit, et omnes audistis populi vociferationem. Gaufridus. Unde ei verba quæ nunquam audierat? Episcopus. Ab eo qui linguas infantium facit disertas. Gerardus. Hoc erat quod præcedente vespera secreto colloquentibus Pater dixerat, neminem adhuc mutum in hac vita se vidisse loquentem. Et post paululum: « Cum soleant, inquit, qui muti sunt a nativitate, etiam surdi esse; mirum valde est an aliquando sic curentur, ut linguam, quam penitus ante non noverant, subito intelligant et loquantur. Philippus. Puellam claudam, quæ ibidem erecta est, et gressum recepit, et puerum illuminatum omnes vidimus. Frowinus abbas. Infantulum cæcum mater attulerat, et signatus receperat **1169** visum; sed illa adhuc nesciebat, donec ego puero pomum obtuli, et extensa manu apprehendit illud. Et ex hoc probatus est videre.

A Eberhardus. Cum educeretur Vir sanctus de ecclesia, imo deportaretur magis, ante ostium me præsente et vidente claudum signavit, et tulit baculum ejus, et ille exsiliens ambulabat. Philippus. Cæcum a nativitate puerum, cujus, dum egrederemur, Pater beatus aperuit oculos, et ego vidi, et populus multus qui aderat, et nos fere omnes. Similiter ex media parte corporis paralyticum, cui etiam osculum dedit post signaculum, et statim sanus factus est coram nobis; nam et manum ejus aridam ante curaverat. In villa Stieng cæca ab annis quatuor mulier in aquæ transitu illuminata est coram populo, et omnes fere vidimus eam. Gerardus. Ego in eadem via puellam vidi, cujus manus arida sanata est, videntibus et acclaB mantibus multis.

5. Episcopus. Sexta feria, Basileæ, post sermonem habitum et datas cruces, mulier muta oblata est Viro Domini: cujus cum tetigisset linguam, statim solutum est vinculum oris ejus, et loquebatur recte. Hanc ego vidi, et ei locutus sum; sed claudum qui antea gressum receperat, de quo sic acclamavit populus, quis vestrum vidit? Otto. Omnes vidimus eum. Eberhardus. Ego et milites domini mei ipsa die, id est sexta feria, puerum vidimus, quem ad hospitium sancti Viri cæcum mater adduxerat et reducebat videntem. Gerardus. Multa eo maxime die facta sunt, quæ præ tumultu scire nequivimus. Audivi enim ipsum dicentem, quod cæcos eo die tetigisset, quos credebat omnino illuminatos C esse, aut cito illuminandos. Episcopus. Sabbato juxta castrum Rinvel, puer claudus erectus est: et ego, cum audivissem vociferationem, præcedebam enim, redii et inveni ambulantem claudum in medio populi exsultantis. Eberhardus. Secking vespere sabbati, dum ingrederetur ecclesiam Homo Dei, puer, cujus erant nervi cervicis indurati, et caput erigere aut circumducere non valebat, oblatus est, et ubi signatus est rediit solutis nervis, erexit caput et libere circumspexit. Serviens meus, qui in ipso hospitio pernoctavit et puerum vidit, mihi hoc indicavit, cum aliis sociis meis.

6. Gaufridus. Ipsa est villa, ubi mane die Dominica, puero manus restituta est; et alter claudus D a nativitate gressum recepit; et duo claudi, alter vir, et altera mulier, in egressu villæ erecti sunt, et baculis quibus sustentabantur abjectis, libere incedebant magnificantes Dominum. Nec longe processeramus, et ecce mulieris manus invalida signata est, et sanata. Omnes hoc vidimus, et ad singula clamor factus est, et exsultatio magna. Hominem etiam mente captum, quem in eadem villa Pater signaverat, et statim quietum ac sane loquentem et agentem gratias vidimus, et ex hoc sanum permansisse audivimus. Redeuntes iuxta

(101) In notis Tornacensibus signatur feria quinta, id est 5 Decembris. Et vero in lectionem feriá quinta satis perpendeo, quia illæ ephemerides distribuuntur in ferias hebdomadæ singulas, uti licet videre in sequentibus. In Mabill. autem ac Horstian. exempl. feria quinta vacat et bis ponitur feria quarta

Digitized by Google

eamdem villam sacerdoti locuti sumus ; et dixit ex his de quibus certi erant, ipsa die ibi aut erectos aut illuminatos. Vesperi quoque, ut dux Conradus occurrit, claudus puer coram eo et militibus gressum recepit, videntibus etiam nobis. Episcopus. Ibidem contigit, quod modo sileo, sed suo loco a vobis velim commemorari. Eberhardus. Ipso die in ingressu ecclesiæ Doningen, alterum claudum erectum vidimus et ambulantem. Mane secunda feria, ex utero claudus in ingressu ejusdem ecclesiæ, me præsente et vidente, gressum recepit. Puer quoque, quem in hospitio nostro mane mutum videramus, coram nobis locutus est. Sed et hospita nostra nobis testabatur, neptem suam, quæ quadraginta annis cæca fuerat, a quarto anno ætatis suæ, ipsa die illuminatam. Gerardus. Ego in hospitio die ipsa puerum cæcum illuminatum vidi. Philippus. Et ego adolescentulam cæcam, quæ prope villam illuminata est, quam et ex nostris, et ex populo multi viderunt.

7. Gaufridus. Multa eo die vidimus, quorum jam non possumus recordari. Unum tamen occurrit, ipsa quam vidi lætitiæ magnitudine ad memoriam revocante. Dico autem de muliere, quam diu claudam in villa quadam, per quam transivimus, erectam vidimus omnes. Eberhardus. Ego cum militibus domini mei contuli, et ex his quæ tam illi viderunt, quam ego ipse, numeravimus triginta sex miracula, quæ facta sunt ipso die. Cæci **1170** undecim illuminati sunt : claudis decem et octo gressus redditus est : mancis undecim manus restitutæ : surdus unus audivit. Si plus in summa veniunt quam triginta sex, inde est, quod prius personas numeraveram, modo signa. Nam erga puellam unam multa sunt facta, quæ cæca, clauda utroque pede, et muta erat et alteram manum aridam habens : ad multa etiam alia cantantem audivimus populum qui sequebatur nos ; sed quia reverti nequivimus, non vidimus ea.

8. Philippus. Tertia feria Schafhusen multa amisimus, quia tumultus intolerabilis erat, et omnino abstinere oportuit Patrem a benedictione infirmorum, et fugere, adeo se populus invicem comprimebat. Eberhardus. Ego ipse ante altare rogabam obnixius, ne cui manus imponeret, prorsus ignorans qua ratione posset educi. Philippus. In ingressu tamen ecclesiæ clauda gressum receperat, me præsente, et populi cantum omnes audistis. Vidimus et alteram claudam, quæ egredientibus nobis de villa supra montem signata est, et confestim solutis nervis, libere ambulavit. Eberhardus. Me vidente in eadem villa surdus recepit auditum, et mulier gressum, quæ clauda fuerat utroque pede. Audivi etiam a milite quodam domini mei, qui in ipsa turba Sanctum Domini defendebat, et præsens erat omni hora, quod aridum brachium cujusdam sanatum sit, et claudus ambulaverit. Episcopus. Feria quarta mane in ingressu ecclesiæ, me præsente, et vidente cum populo, et fratribus nostris, claudus utroque pede, et manum habens unam aridam, ab utroque incommodo liberatus est, et libere ambulabat, et movebat manum. Philippus. Cæcum puerum, qui ibidem illuminatus est, ego vidi.

CAPUT III.

De miraculis Constantiæ, et per vicinam a beato Bernardo editis.

9. Baldowinus abbas. Ubi Rhenum transivimus, cantus ille quem audistis, omnes enim in altera parte remanseratis, populo præoccupante naves, fuit pro erectione claudi cujusdam pueri, quem ego vidi. Gaufridus. Cæcum senem, qui in eodem itinere, dum transiremus villam, lumen recepit, ego vidi, et mulierem claudam longo jam tempore, quæ sub manu benedicentis exsiliit : cui sic congratulabantur omnes qui noverant eam prius ; curru enim venerat, et pedibus revertebatur. Philippus. Puerum utroque brachio impotentem Pater signaverat, cujus dum alterum brachium extendisset, unus ex militibus alterum, dum ei offerre vellet, coram omnibus nobis extendit. Gaufridus. Omnes vidistis quantum exsultavit mulier insolitam lucem mirata, quæ juxta lacum illuminata est. Episcopus. Puerum paralyticum parte media signatum atque sanatum milites nostri se vidisse testantur. Filium quoque militis cujusdam, cujus erat manus arida, ut videbatur, fere duodennem, cum adduceretur ego vidi : statim vero cantantes audivi, et inquisivi quid accidisset. Miles autem quidam respondit sanatam manum filii domini sui. Alexander. Ego hunc sanatum vidi. Gaufridus. Ego alterum vidi pauperem adolescentulum, cui manus arida restituta est, in villa proxima Constantiæ.

10. Frowinus abbas. Quæ Constantiæ facta sunt, præ tumultu pauci viderunt : ego tamen cæcum illum, qui feria quinta ante altare illuminatus est, vidi. Abbas Augiensis adduci præceperat eum cujus mendicus erat. Puer quoque de hospitio nostro, quem ego ipse adduci feceram, ipsa die signatus, claudus enim erat, gressum recepit. Sed et pro tribus aliis signis in ecclesia cantatum est, et campanæ pulsatæ sunt, licet nemo nostrum viderit quid ageretur. Gaufridus. Nulla sic ignoravimus, sicut ea quæ Constantiæ facta sunt, quia nemo nostrum se turbis immiscere audebat : et nos hæc quæ vidimus, loqui proposuimus. Ex eis quæ feria sexta facta sunt, nihil vos vidisse arbitror ipsa die. Nam Sabbato mane inter oblationes puerum vidimus cum multa devotione gratias agentem Patri, cujus oratione ipsa feria sexta amissum recepit gressum. Cujus devotionem Vir sanctus intuens, ad meipsum conversus, ait : « Non est inventus **1171** qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi puer iste. » Prius autem in ipsa oblatione, adolescens surdus jam duodecim annis, sicut ipse confessus est, sub manu signantis beneficium sentiens exclamaverat in gaudio et exsultatione, quod recepisset auditum. Omnes eum vidimus : aliqui etiam ex nostris locuti sunt ei. Sic et

Digitized by Google

mulierem claudam, quæ ibidem gressum recepit, vidimus, et puellam claudam, quæ similiter est erecta. Altera quoque puella quæ surda erat, ibidem recepit auditum. Hæc, ut scitis, Constantiæ in capella domini episcopi facta sunt Sabbato.

11. PHILIPPUS. In solio, cum jam pararet exire, mulieris manus invalida sanata est, et hanc ego vidi. BALDOWINUS ABBAS. Ego adolescenti illi qui in exitu civitatis auditum receperat, locutus sum, cum populus exsultans vociferaretur. PHILIPPUS. Vespere Sabbati in hospitio apud Winterthur puellam mutam vidistis, cum eam mater adduceret; et quomodo postea redierit loquens, ipsi scitis: de multis enim interrogata libere respondit. Nam mane Dominica die præ tumultu omnes existis ecclesiam, nec vidistis quæ flebant, licet clamorem populi vociferantis audiretis. Ego autem vidi puerum media parte corporis paralyticum, cui et brachium, et manum, et tibiam simul, et pedem, quæ omnia invalida erant, virtus divina restituit ad Patris benedictionem. Duabus quoque claudis, alteri quidem pede uno, alteri vero utroque, gressus redditus est, et has præsens vidi. ALEXANDER. Ipsa die in via nobis videntibus puer claudus gressum, et mulier surda auditum recepit; sed prope Turegum (102) coram multis qui occurrerant, claudus erectus est. GAUFRIDUS. Turegi secunda feria mane in ecclesia cæca mulier illuminata est. Hanc ego vidi cæcam cum adduceretur; et cum manus ei imponeretur præsens adfui, et protinus illuminatam vidimus universi. FRANCO. In eadem ecclesia, puella clauda gressum recepit, et mutus loquelam præsentibus et videntibus nobis. PHILIPPUS. Similiter et puella cæca, visum. Multa quoque ibidem facta sunt, quæ nemo ex nobis videre potuit præ tumultu.

12. GERARDUS. Ubi fluvium Lindemach (103) transivimus, cui superpositus est vicus ille, infra dimidium milliare, duo pueri manci manus, mutus unus loquelam, surdus unus auditum, senex cæcus visum, coram omnibus receperunt. Hæc nos omnia vidimus, et certissime ac diligentissime probavimus acclamante ad singula multitudine, quæ Sanctum Domini deducebat in lætitia et exsultatione. PHILIPPUS. In ipso itinere clauda erecta est, quam in humeris deportatam ubi signavit Pater, deponi jussit et ambulare. Hæc erat cui sic congratulabantur vicinæ mulieres, et omnes qui noverant eam. Sed et surdus quidam ipsa die juxta viculum per quem transivimus, coram nobis recepit auditum. GERARDUS. Feria tertia profecti mane a viculo cui nomen Birbovermesdorff, priusquam fluvium Rufam transivimus, duas mulieres claudas vidimus in itinere erectas. Utriusque directionem Pater, dum eas agitaret, sine ulla hæsitatione cognovit. Substitit enim, et utramque deponi fecit, et libere ambulabant magnificantes Deum. ALEXANDER. Ipso die juxta viculum puer intorto et rigido collo, sanatus est coram nobis, et libere caput movebat. EBERHARDUS. Unum omisistis quod ego vidi, et populus multus villæ quæ dicitur Frichen, omnes enim præcedebatis. Ibi clericus quidam de villa quæ dicitur Seckingen, obnixius rogavit Sanctum Domini, dum ingrederetur villam, ut aliquod faceret signum, quia populus durissimus erat: et ecce mulierem, claudam ab annis viginti, offerebant; quam, ubi signavit Pater, jussit deponi, et libere ambulavit.

13. ALEXANDER. Mane quara feria apud castrum Rinvelt, ubi pernoctaveramus, priusquam intravit Vir sanctus ecclesiam, in atrio exteriori intortum collum pueri sanavit: et puellæ manum invalidam reddidit sospitati. GAUFRIDUS. In ecclesia, post missæ celebrationem, puellam ei obtulimus, quæ ex utero matris suæ cæca, vix lucem solis videre poterat, nec aliud discernere. Cujus oculos sputo linivit Pater beatus, et continuo clare vidit, et omnia discernebat. Ibidem quoque surdus auditum, et cæcus quidam visum recepit. ALEXANDER. Puer etiam alter, **1172** cujus nervi cervicis obdurati et retracti caput circumducere non sinebant, in ecclesia sanatus est ipsa hora. In via quoque, contracta mulier et omnino impotens, quam in ventilabro deportaverant in occursum sancti Viri, ut signata est, exsiliit clamitans, et facta est lætitia magna in populo. Sed et prope Basileam, vir quidam, qui graviter audiebat, clarum recepit auditum.

14. Quinta feria ante lucem egressi festinavimus Ronascle. In ipso autem itinere surdus quidam recepit auditum, et puer altero oculo cæcus, vidit utroque: nec latuit Patrem, sed cum paululum pertransisset eos, misit qui scrutarentur, et inventum est ita. EBERHARDUS. Cum misisset te, inquit ad Alexandrum, ut videres an puer illuminatus esset, conversus ad me qui propius incedebam, ait: « Deus aperuit oculum pueri illius. » Sexta feria in ecclesia Ronascle, ubi intravit, puer allatus est, altero oculo parum, altero nihil videns: et continuo clare vidit utroque. Omnes vidimus eum. Nam continuo etiam alio signo conclamatum est, et dicebant cæcum illuminatum esse, sed videre eum nequivimus præ tumultu. FRANCO. Puerum quemdam claudum, qui post sermonem habitum ad plebem, erectus est in ipsa ecclesia, de quo etiam vociferati sunt, ego ambulantem vidi in medio populi acclamantis. EPISCOPUS. Sabbato in ecclesia Berche post missarum celebrationem, clericus altero oculo cæcus jam per quinquennium, visum recepit. Et ego eum vidi agentem gratias et exsultantem. OTTO. Prius ibidem convaluerat puer intortum habens collum, cujus, sub manu Patris, nervi crepuerunt et relaxati sunt, et pueri pater et puer ipse incredibiliter lætabantur. Omnes audistis cantantem populum: ego puerum vidi. GERARDUS. Adolescentem, cujus arida erat manus cum brachio toto, et ibidem curatus est; omnes vidimus.

(102) Alias, *Tigurum*. Prius nomen mediæ ætatis Scriptoribus usitatum fuisse testatur Bertius in Germania sua.

(103) Lindemagus, *al.* Limagus, amnis qui Tigurum secat, cujus utraque pars tribus pontibus jungitur.

Digitized by Google

puellam, quæ Dominica quarta Adventus (104) Argentinæ in ecclesia post missarum celebrationem erecta est: de qua sic exsultabat pater, sic populus acclamabat. PHILIPPUS. Ipsa die, priusquam navem ingrederemur, puer claudus erectus est, et coram populo libere ambulabat, et qui aderant vociferabantur cum gaudio, sicut omnes audistis. Secunda feria in navi proficiscebamur, et non poterant accedere qui infirmabantur. Vespere tamen Bagenbach in hospitio mulier clauda gressum recepit. GERARDUS. Ipsa hora, qua mulier supervenit, querebamur invicem nihil nos ea die vidisse: et illa statim sine baculo ambulare cœpit gratulabunda et laudans.

CAPUT IV.

Beatus Bernardus venit Spiram in vigilia Natalis Domini ad conventum Imperatoris et principum, et de miraculis ibidem patratis.

15. Tertia feria, vigilia fuit Dominicæ Navitatis, et navi venimus Spiram: ibi enim diem festum celebravit rex Conradus, ibi coronatus est: ibi adfuit episcoporum principumque conventus. Illuc Pater sanctus advenit, inter principes quosdam pacem cupiens reformare; quorum inimicitiis ab exercitu crucis Christi multi detinebantur. Verumtamen non crebra solent in illis conventibus apparere miracula, nec dignatur Deus, ubi tantus est concursus multitudinis curiosæ, revelare gloriam suam. Sed non fuit otiosus Patris adventus: ibi enim factum est, ut ipsius verbis utar, miraculum miraculorum. Siquidem Rex signatus est præter spem omnium, qui convenerant: cucurrit velociter sermo vivus et efficax; vere ibi probatum est quod cor regis in manu Dei est. Prius enim apud Frankenvœrt Regem secreto convenerat Vir beatus (105), admonens ut ipse saluti propriæ provideret in tempore misericordiæ uberis. Cui, cum respondisset nullum sibi hujus militiæ inesse propositum, tacuit Vir mansuetissimus dicens, non esse parvitatis suæ importunius instare regiæ majestati. Sic et Spiræ cum in sermone publice jam secundo Regem, sicut prius, peregrinationis admonuisset ex nomine, die tertia cum beati Joannis festivitas ageretur, secreto aggressus cum solita mansuetudine, suggerens providendum omnino, ne sic præteriret eum pœnitentia levis, brevis, **1173** honorabilis, salutaris, quam ad salvandos peccatores divina pietas excogitaverat. A quo hoc tandem responsum obtinuit, quod deliberaret secum et consuleret suos, sequenti die su er hoc responsurus.

A Exinde intra Missarum solemnia, beati Patris animum cœpit Spiritus stimulare divinus, ut præter morem, nullo rogante, diceret, non oportere sine sermone præterire diem. Quid multa? locutus est, et in fine sermonis Regem, non ut regem, sed ut hominem tota libertate convenit. Proponebat enim futurum judicium, hominem ante tribunal Christi astantem, imperantem Christum, et dicentem: « O homo! quid debui tibi facere, et non feci? » Ex hoc autem numerans regni culmen, divitias, consilia, virilem animum et corporis robur; his et hujusmodi verbis commovit hominem, ut in medio sermone non sine lacrymis exclamaret: « Agnosco prorsus divina munera gratiæ; nec deinceps, ipso præstante, ingratus inveniar: paratus sum ser-
B vire ei, quandoquidem ex parte ejus submoneor. » Dixit, et ecce populus rapiens verbum de ore loquentis, exclamat in laudem Dei, et resonabat terra in voces eorum. Continuo signatus est Rex, et vexillum ab altari per manum Patris susœpit, quod ipse in exercitu Domini manu propria deportaret. Signatus cum eo nepos ejus dux Fridericus junior; signati alii principes, quorum non est numerus. Ipsa autem die juxta capellam, ubi Pater sanctus Missam celebravit, puer claudus me præsente gressum recepit (106).

16. EBERHARDUS. Sabbato mane, cum Innocentium festus ageretur dies, exeunti de hospitio Patri sancto occurrebam, adducens mecum militem qui
C signari volebat, et ecce in media turba puerum cæcum intuens: « Quid vult, inquit, puer iste? » Cujus verba cum minus intellexissem, quod Romana lingua loqueretur: « Adduc, inquit, puerum ad me. » Factum est ut imperavit, et confestim signatus puer visum recepit. Egoi pse in multis probavi quod clare videret. GERARDUS. Post Missæ celebrationem in capellam, quæ dormitorio canonicorum adjacet, inductus Vir Dei, virum signavit uno cæcum oculo, et visum statim recepit: cujus et cæcitas prima, et illuminatio secunda diligentissime probata est. Sic et surdum, dum ab ecclesia rediret, impresso crucis signaculo fecit audire, immittens digitos in aures ejus: et hoc vidimus, et probavimus. EPISCOPUS. Sic et cæcum illum, qui Domi-
D nica ante altare illuminatus est, dum graduale cantaretur, quem ego ipse obtuleram. EBERHARDUS. Multa ibidem facta arbitror quæ non vidimus. Sæpe enim cantantem audivimus populum, et nemo ex

(104) In notis Tornacensibus observantur sequentia: Domin. quarta Advent., et in omnibus feriis illius hebdomadæ, usque ad Sabbatum, id est a 21 [*leg.* 22] die Decemb. usque ad 28 Decemb. quo celebratur festum SS. Innocent., nihil est in ms. cod.; unde collige illa quæ illis diebus facta fuere miracula esse amissa, ut et adventus S. Bernardi Spiram, ubi illis diebus moratus est, ut assisteret dietæ imperiali.

(105) Vid. Otton. Frising., lib. II, *De Frid. imper.*, c. 39.

(106) Otto Frisingensis in lib. I *de Gestis Friderici*, cap. 39, hujus rei meminit; testaturque, tunc Bernardum, cui alias nequaquam favere solet, plurima in publico vel occulto fecisse miracula. Addit Rudolfum seu Radulfum illum monachum, qui Judæos necandos esse palam prædicabat, apud Bernardum Epist. 322, ab eo accersitum, compulsumque, ut omisso in posterum prædicationis officio in cœnobium suum rediret, populo graviter indignante, et seditionem movere volente. Denique subdit in consequentibus, Bernardi epistolam, Ratisbonæ in conventu a Conrado lectam, infinitis hominibus cruce signationem persuasisse.

Digitized by Google

nobis irrumpere potuit, ut videret quid ageretur. Unum tamen surdum, qui ibidem recepit auditum ego vidi, et ego obtuli eum.

CAPUT V.

De aliis miraculis Spiræ factis.

17. Philippus. Ipso die conventus factus est, ubi manifeste Spiritus adfuit: neque hinc cuiquam dubitare licebit. Convocavit enim Rex omnes principes et milites qui signati erant, simulque residentibus universis, exhortatus est eos Pater sanctus, non humanis sermonibus, sed divinis. Ubi vero egressi fuimus, et Rex ipse cum principibus Sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turbæ, puer claudus oblatus est ei coram Rege. At ille signo crucis edito puerum erigit, et jubet coram omnibus ambulare. Quanta lætitia, quanta exsultatione puer deductus sit, quis loquatur? Conversus autem Pater sanctus ad Regem: « Propter vos, inquit, factum est hoc, ut noveritis quia Deus vere vobiscum est, et acceptum est ei quod cœpistis. » Ipsa hora priusquam egrederemur hospitium, puella erecta est, et cæca mulier illuminata. Eberhardus. Mane secunda feria, cum ad ecclesiam Vir sanctus proficisceretur, multitudo languentium **1174** impediebat nos, et omnes præcedere jussimus. Nec mora, claudus quidam ante altare erectus est: utrum esset signatus, ignoro. Ambulantem tamen vidi, et ligni pedem in ecclesia pendentem. Otto. In capella Regis ipso præsente puer claudus ex utero gressum recepit. Eberhardus. Eadem die alii duo, claudus alter, et alter curvus, erecti, et me præsente ad majorem ecclesiam ab universo populo sunt deducti. Nam vociferationem et sonantes campanas omnes audistis. Vix redieram domum, et ecce iterum clamor, iterum compulsatio. Festinavi ad ecclesiam, et duos iterum claudos adduxerant, qui ipsa hora receperant gressum.

18. Gerardus. Vespere, dum rediret Pater a curia Regis, multitudo languentium hospitii januas obsidebat: quos in ordinem fecimus residere, et singulos tetigit ac sanavit. Ibi puer claudus ex utero gressum recepit. Alter cæcus uno oculo illuminatus, et vir claudus ab annis decem erectus. Hos ego vidi statim sanatos sub manu benedicentis. Unus e fratribus nostris, unum adhuc surdum qui auditum recepit, se vidisse testatur, et mulierem gratias referentem, quod a dolore capitis convaluisset. Eberhardus. Feria tertia puer cæcus illuminatus est, quem ego vidi. Philippus. Item vir quidam in præsentia Regis et principum, unius oculi visum recepit. In ipso loco factum est unde plurimum congratulabamur, eo quod præsens esset dux quidam Græcus, missus a Rege Constantinopolitano. Hic in capella Regis loquebatur Patri nostro, cum mulier cæca oblata est: ubi vero signata est coram eo, statim illuminata est, et homo ille compunctus est plurimum in hoc verbo. Sic et circa vesperam astante A Rege, et ipso Duce, et principibus multis, puer claudus offerebatur. Protinus autem fiducialiter loquens vir fidelis, audientibus omnibus ait: « In nomine Jesu Christi tibi præcipio, surge et ambula. » Sonuit vox virtutis, et secuta est virtus: surgensque puer, libere ambulabat, et prius quidem trementibus membris vel tibiis ibat, sed paulatim sub oculis omnium roborabatur.

19. Gerardus. Anselmus episcopus Havenbergensis (107) in fronte et faucibus gravissime patiebatur, ut vix aliquid gustare posset, aut loqui. Hic ergo rogabat beatum Virum dicens, « Quia deberes etiam me curare. » Cui jucunde respondens: « Si eamdem, inquit, haberes fidem, quam habent mulierculæ, posset tibi forte prodesse. » At ille: « Et B si ego, ait, fidem non habeo, salvum me faciat fides tua. » Tandem signavit eum Pater et tetigit: et continuo dolor, omnisque tumor abscessit. Philippus. Victa est curiositas nostra, quia crebra miracula quotidie coruscant. In octavis Nativitatis Mariæ, dum ad ecclesiam proficisceremur, in claustro canonicorum puer claudus gressum recepit, et coram ipso Patre nostro ambulabat exsultans. Gerardus. Inter Missarum solemnia curvus puer erectus est: et hunc vidi cum ad altare deduceret mater incolumem, ut offerret pro adepta salute candelam. Otto. Post Missarum celebrationem mulier clauda gressum recepit, quam nos vidimus omnes ambulantem. Gerardus. Multa quidem et hac die, et sequenti collata beneficia languentibus vidit Rex ipse, vidit curia, vidit universa civitas Spirensis, a cujus memoria deleri non poterunt in æternum. Nostra quidem schedula, ubi hæc annotaveramus, negligentia cujusdam fratris amissa est: parcat ei Deus. Tria tamen occurrunt memoriæ; nam cætera investigare non vacat. Feria quinta pueri duo, quorum uterque oculi unius lumen amiserat, in hospitio illuminati sunt, et paralyticus curatus est, quem deportaverant in grabato. Philippus. In capella Regis, dum perficeretur reconciliatio, pro qua nominatim venerat Pater beatus, signavit hominem, cujus caput sine intermissione tremebat, et sanatus est ipsa hora. Puer etiam claudus ibidem erectus est. Gerardus. Vespere in hospitiis **1175** duo cæci illuminati D sunt coram nobis. Mane sexta feria coram nobis cæcus visum recepit.

20. Sed eundum est nobis; et qui hæc deportaturus est, nuntius jam festinat. Quærimus proinde, quid dominus episcopus reservavit. Episcopus. Optime factum est, ut me commoneres: nam mihi, fateor, prorsus memoria exciderant. Sagittarius quidam serviens ducis Conradi, cum nobis Dux occurrisset, detrahebat verbo crucis, et sanctum Dominum blasphemabat, dicens: « Quia non plus ille signa facit quam ego. » Ubi ergo ad imponendam manum infirmis Pater substitit, accessit homo, et vidit cui derogaverat: statim cecidit

(107) Hic est Anselmus episcopus Havenbergensis seu Havelbergensis, cujus dialogi tres adversus Græcos editi sunt in Spicilegii tomo XIII. De eo Eugenius III, apud Ottonem lib. 1 de Frid. cap. 61.

Digitized by Google

animis, et diu jacuit sine sensu. ALEXANDER. Ego ille proximus eram quando cecidit, et equus quidem immobilis stabat. Iniquus autem ille impulsus, subito virtute divina cecidit retro. Obstupuimus omnes, et advocavimus Patrem : nec prius ille miser surrexit, quam descendens et orans erigeret eum. Sic in seipso cognita virtute, cui prius detrahebat, incredulus, sequenti die signatus est ad præceptum Patris nostri, in exercitum Domini profecturus.

A EPISCOPUS. Per omnia benedicta miseratio Domini, qui novissimæ huic generationi unum saltem ex antiquis sanctis reservavit, ut tanquam lucerna ardentissima temporis hujus tenebras vita, doctrina, miraculis consecraret. Felices vos, qui sub pennis ejus speratis, et satiamini ab uberibus consolationis ejus! felix congregatio, quæ tanto Patre lætatur; cujus nos miseri sæculares tenui saltem notitia gloriamur!

PARS SECUNDA.

Auctoribus variis.

CAPUT VI.

Epistola Monachorum Claræ-Vallensium et comitum sancti Bernardi ad clericos ecclesiæ Coloniensis.

Dominis et amicis suis clericis ecclesiæ Coloniensis, salutem dicunt fratres et amici eorum, Everhardus, Gerardus, et Gaufridus monachi qualescunque; Philippus Leodicensis, Volmarus (108) Constantiensis, et cæteri tirones spiritualis militiæ, quos Vir sanctus eripuit de medio Babylonis.

21. Ante omnia decet nos ex ipsis medullis cordium tibi gratias agere, Domine Deus noster. Multiplicasti enim super nos misericordiam tuam, et magnificasti facere nobiscum, immemor omnium iniquitatum nostrarum, quibus digne puniendis nec ipsa quidem gehenna sufficeret. Et unde hoc nobis, peccatoribus utique pessimis omnium, quos tua ordinante patientia, tellus invita cogitur sustinere? unde hoc nobis, ut sub tantæ sanctitatis patrocinio respiremus? O vere inæstimabilis cumulus miserationis! o incomprehensibilis divinæ pietatis abyssus! Accumulavit gratiæ suæ munera super Virum quem elegit, ut ad eum colligat undique desperatissimos peccatores, in quo securius habeant sibi repositam sanctitatem. Vos autem, charissimi, usquequo gravi corde? (*Psal.* IV, 3.) Nonne si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ in vobis factæ sunt his diebus, egissent pœnitentiam in cinere et cilicio? (*Matth.* XI, 21.) Ad signum unum aliquando conversa legimus de populo, utique duræ cervicis, hominum tria millia, cum in porta templi mendicantem claudum de ore Petri prolata vox virtutis ambulare fecisset (*Act.* III, XIV). Quantos in brevi civitas Coloniensis vidit erectos? Et multi quidem de populo, ad quod vocabantur, conversi sunt, et oblatam sibi a summo Pontifice indulgentiam, et indictam pœnitentiam devotissime susceperunt.

22. Sed certe, nisi abundaverit justitia vestra plus quam eorum, non intrabitis in regnum cœlo-

B rum (*Matth.* V, 20). Laici de mundo sunt : licite cogitant quæ mundi sunt. Apostolis dictum est: *Vos de mundo non estis, sed ego vos elegi de mundo* (*Joan.* XV, 19) : quorum vos hodie occupatis loca, quorum stipendiis vivitis, quorum potestatem tenetis, quorum auctoritate polletis, quorum vobis vindicatis honorem; cum quibus, ut pace vestra dixerimus, communia vobis **1176** sunt omnia, præter conversionem et conversationem, præter opera et voluntatem, præter vitam denique et opinionem. Si in terra pasci gregem viderit, quis miratur? Pastorem autem similiter incurvari deorsum, similiter inhiare terrenis, et quæ inferius sunt quærere, numquid non ridiculum est, et abusio magna? *At nunc erubesce, Sidon, ait mare* (*Isai.* C XXIII, 4) : *Publicani et peccatores præcedunt vos in regnum Dei* (*Matth.* XXI, 31). Desperata est plaga cleri hujus : a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ditata est Ecclesia terrenis possessionibus, sed virtutibus spoliata. Neque enim longa eis esse potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex gloriæ ita paupertatem elegit ut diceret : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Heu! heu! videmus venenum additum Ecclesiæ, sicut dictum est Ludovico, quem nominatis Pium, qui præcipue ditavit ecclesias. Legimus enim in historia ejus, quod audierit vocem dicentem sibi : « Venenum Ecclesiæ addidisti (109). » An forte vobis videtur absonum, venenum interpretari D divitias? Christus etiam in Evangelio *spinas* vocat (*Marc.* IV, 18, 19) : et Apostolus eas *laqueum* definit esse *diaboli. Quicunque*, inquit, *divites volunt fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (*1 Tim.* VI, 9). Evadant ergo, qui volunt fieri pauperes, et secure decantent, quia *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII, 7). Agnoscite vocem jucundam, qui laqueum hunc transilistis : fratres vestros loquimur, qui adhuc inter vos solo tantum corpore detinentur.

(108) Al. *Wolkemarus*, de quo infra, num. 24 seqq.

(109) Alii id Constantino tribuunt. Vide Baronium fer. 4 Domin. 1 Quadrag.

Digitized by Google

Neque enim otiosus fuit, videlicet ad clerum, sermo Domini, ut magis inexcusabiles sint, qui adhuc in perditione persistunt : imo facilius trahat cæteros funiculus triplex, qui difficile rumpitur ; cum verbo et signis, etiam proximorum accedat exemplum. Protrahunt epistolam, ut videtis, ubertas materiæ et desiderium fervens, quo vos omnes habere cupimus socios in visceribus Jesu Christi. Veruntamen supersedendum est nobis, præsertim quod copiosius hæc et efficacius ab ipso Patre nostro annuntiata sunt vobis, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Multi ex vobis curiose legerunt exemplar libelli, quod ad illustrem Henricum (110), regium spiritu magis quam sanguine, misimus de signis quæ vidimus a prima Dominica Adventus usque ad discessum nostrum a curia, quæ nuper Spiræ habita est. Multi adhuc petunt, ut quæ facta sunt apud vos, non negligamus adjungere : quod hæc vobis dulcius sapiant quæ præsentes ipsi vidistis. Quod triplex nobis consideratio persuasit, ut et novi fratres, dum sæcularibus adhuc terminandis negotiis detinentur, in lectione hac recalescant; et cæteri cogitent quale sit quod admittunt, qui tanto Patri, quem profecto, ubi Deus sustulerit, multi lacrymabiliter plangent, quod eum dissimulaverint, dum vocaret, animas suas committere, aut illecti voluptatibus nolunt, aut trepidant cordis pusillanimitate retracti. Sed et habeat, ut dignum est, nobilis ecclesia Coloniensis memoriale sempiternum earum rerum, quarum præsentia meruit exaltari. Non quidem ut nostrum hoc scriptum reservandum sit; sed ut luculentius hæc et dignius scribant, qui scientiam habent, et possunt diligentiam adhibere. Nec dubitamus multo plura et apud vos, et in itinere miracula claruisse, quam tunc potuerimus nosse, aut possimus nunc recordari. Sed certissima tantum et probatissima scripsimus : ea quoque addere proposuimus, quæ singulis adhuc diebus per fidelem servum et devotum famulum virtus Omnipotentis mirabiliter operatur. Sed et pauca ex his, quæ vidimus a Spira usque ad Coloniam, huic annotationi præmittenda credidimus, ut priori narrationi ista cohæreant. Nonnulla quoque ex his quæ præsentes viderunt venerabiles abbates Theodoricus Campensis, et Herwinus Steinveldensis (111), sicut ab eis accepimus, sub eorum nominibus sunt descripta.

1177 CAPUT VII.

De miraculis a Spira Coloniam usque per beatum Bernardum editis.

23. Jam quia reverendus episcopus Constantiensis abest, locum ejus clericus ipsius, noster jam frater, Wolkemarus suppleat in hac relatione, et primus ipse loquatur. Wolkemarus. Utinam inter nomina electorum nomen meum jubeat Deus ascribi ! Utinam in libro vitæ vel ultimum inveniatur ipsius oratione et meritis, in cujus laude præsenti, primum id fieri vestræ placuit Sanctitati. Sexta igitur feria, sicut prioris libri finis declarat, soluta est curia Spiræ, et nos Wormaciam festinavimus : ubi Pater sanctus, licet obnixius rogaretur, moram facere noluit dicens : « Quia oportet me et aliis civitatibus evangelizare. » Transierat enim per Wormaciam ante duos menses, et sermone habito innumerabilem ibi signaverat populum signaculo militiæ christianæ. Prius tamen quam egrederemur die sabbati, infirmos tetigit, qui convenerunt : ubi inter manus meas surdi duo, quos offerebam, astante populo et acclamante auditum sibi redditum fatebantur cum multa exsultatione. Philippus. In itinere (112) puer claudus erectus est, quem omnes vere vidistis. Gaufridus. Secunda feria, die festo Epiphaniæ apud castrum Gruzenach, regrediens ab ecclesia Pater beatus, puerum tetigit et erexit, quem sex annis penitus claudum fuisse parentes sui, et alii plures de populo circumstante, qui eum noverant, testabantur. Hunc nos ipsi statim vidimus ambulantem, dum ad ecclesiam deduceretur, in laudem Dei acclamantibus universis. Wolkemarus. Tertia feria Pichenbach (sic enim nominant viculum ubi pernoctavimus) die Apparitionis mane tria apparuerunt miracula, quæ præsens vidi oculis meis. Siquidem in ingressu ecclesiæ surdus oblatus est, a quo statim Vir Domini sacratis digitis suis surditatem repulit, et immisit auditum. In ingressu quoque gressum puella altero pede clauda recepit. Necdum exierat villam Pater beatus, et ecce offerunt ei paralyticum in grabato, qui, audita fama virtutum ejus a vico magno, qui supra Rhenum situs est, et nominatur Bobardus, plaustro sese fecerat deportari : et hunc quoque signavit, tetigit, et erexit, et ad propria misit incolumem.

24. Gaufridus. In parochia Treverensi situs est famosissimus vicus, ubi Rhenus et Mosella confluunt, unde et Confluentia nominatur. Ibi multa coram omni populo ostensa sunt signa, quæ nostram noti tiam aut memoriam effugerunt. Claudum tamen puerum, qui in ecclesia sancti Florini post Missarum celebrationem erectus est, memini me vidisse. Sed et cæcum ibidem illuminatum asserit Fredericus noster, qui ab eodem vico secutus est Sanctum Domini una cum Adulfo optimo adolescente. Hic, ignorantibus propinquis et amicis, nobiscum transiit Mosellam, indutus tantum superpelliceo, sicut venerat ab ecclesia sancti Castoris, in qua canonicus erat. Reliquit alter Joseph pallium cum adultera,

(110) Fratrem Ludovici Junioris Francorum regis.

(111) Theodoricus electus est abbas Campensis anno 1156. Herwinus ipse est præpositus, post abbas Steinveldensis, de quo infra num. 26 : cujus epistola ad Bernardum Sermoni 65 in Cantica præmissa est, ubi Evervinus appellatur.

(112) Hic legendum videtur *die Dominica*, quam signatam lego in proxime dictis exeerptis, post sabbatum, et ponendum ante τό *in itinere*, ne alioqui Dominica dies omittatur hic præter morem, quæ incidit in diem 5 Januar.

Digitized by Google

fugitque Ægyptios, et effugit. In eodem itinere cum paululum processissemus, claudus quidam notissimus in terra illa equo advehebatur. Hujus ita nervus femoris aruerat, ut replicato genu quantum mensura est palmi unius, tibia illa brevior altera videretur. Signavit autem eum Vir sanctus, et nihil hæsitans de virtutis effectu deponi jussit, et ambulare ; sed non fuit qui obediret, forte quia minus speraverunt id qui astabant, aut quia minus intellexerunt verbum. Siluit ergo Pater, sed non siluit vox virtutis : subito siquidem exclamavit homo laxari sentiens nervum, et extendi genu super equum quo vehebatur. Statim vero depositus libere ambulabat magnificans Deum, et tota illa die suum secutus est curatorem. Alter quoque, cujus similiter femoris nervus aruerat, ut vix summis digitis pedis unius terram tangeret, sanatus est in via eadem, ita ut libere talum deponeret, et sine baculo graderetur. Wolkenarus. Feria quinta apud viculum Riegemach, mane priusquam egrederemur, me præsente puer quidam gressum recepit, qui sex annis claudus exstiterat, sicut ab ipsis parentibus ejus accepi. Ibidem **1178** etiam mulier surda audivit, et vir cæcus illuminatus est, cui unus tantum oculus erat, et hic quoque ad nihilum valens.

25. Cauvidus. Memor sit in æternum diei hujus civitas Coloniensis, qua suscipere meruit Hominem sanctum, quem semper optaverat. Quia tamen insperatus advenit, minor eo die fuit frequentia populorum. Sic nimirum gloriæ calcator humanæ solemnes semper exceptiones, quoad in se est, fugere consuevit, et elegit magis occulte ingredi civitates. Raro tamen id potest, quia sequitur major gloria repellentem. Mane, sexta feria, priusquam ingrederemur ecclesiam, in hospitio nostro mulier cæca oculo uno ab annis decem, ad tactum beatæ manus coram nobis visum recepit. Hæc in ecclesia statim præsentata est clero, et diu jacuit ante altare gratias agens Deo. Interea puer quoque cæcus in ipso hospitio est illuminatus. Ex quo ingressus ecclesiam Pater sanctus ad altare beatæ Mariæ, quod in orientali parte locatum est, Missam celebravit : ubi vero complevit, coram omni populo puella cæca illuminata est, et matrona dives et nota in civitate, cujus crura arida ab annis tribus extendi penitus non valebant, resolutis nervis ad signum vitæ sine dilatione stetit erecta. In pulpito quoque, dum sermonem habiturus ad populum ascendisset, cæcus senex visum recepit. Multa quidem et alia signa facta sunt in ipsa die, et sæpius acclamabant. Sed nemo nostrum inquirendi exstitit curiosus. Sabbato quoque multa in hospitio vidimus, et cognovimus ea ; sed, quia annotare neglexius superveniente multitudine cæterorum, nobis jam penitus exciderunt. Verba tamen quæ ad clerum habuit (neque enim exire voluit ad populum ea die), et quomodo formam hanc clericorum, imo vitam prorsus informem, omnibus divinarum testimoniis Scripturarum probaverit esse contrariam, non omnibus eis arbitror excidisse. « Vos, inquit, propheta notabat, cum diceret : *In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia* (*Psal.* LXXII, 5, 6). Et Isaias eodem spiritu, imo Deus per Isaiam : *Misereamur*, inquit, *impio, et non discet facere justitiam ; in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini* (*Isai.* XXVI, 10). Et expressius ac nominatim in alio propheta : *Principes populi mei*, inquit, *ejicientur de domibus deliciarum propter pessimas voluntates suas, et cleri eorum non proderunt eis.* » Sed hæc alias. Jam ad narrationis ordinem revertamur.

CAPUT VIII.

De variis miraculis Coloniæ-Agrippinæ factis.

26. Dominica, priusquam Missa celebraretur, cæcus quidam per signaculum lucis et vitæ illuminatus et adductus est ad altare. Ea siquidem die ad promissum sermonem convenerat populus inæstimabilis, quantum nemo clericorum sese aliquando in ecclesia illa vidisse dicebat. Celebravit autem Missam Pater sanctus ad altare beati Petri, quod in occidentali parte situm, obtinet in ecclesia principatum. Ibi post Missæ celebrationem, innumera coram omnibus miracula contigerunt. Honorata mulier et notissima in civitate, quæ per quinquennium uno oculo cæca, multa sese in medicos fatebatur inutiliter expendisse, sub manu signantis visum recepit. Altera quoque similiter illuminata est. Abbas Campensis. De multis quæ ibidem vidi, duo tantum occurrunt memoriæ. Dico autem de puella surda et muta quæ confestim audivit et locuta est : et de juvene claudo, quem ad servi sui orationem divina virtus erexit. Hervinus abbas Steinveldensis. In platea ubi sermonem habuit Vir beatus, eo quod ecclesia populum capere non sustineret, nobis astantibus cæcus quidam visum, et mancus aridæ manus simul et brachii adeptus est sanitatem. Abbas Campensis. Ubi finito sermone domum regressi sumus, ex quo januam intravit exteriorem, priusquam hospitii limen attingeret, me præsente, curvum erexit puerum : mulieri insanæ reddidit mentem : claudam ambulare fecit, et cæcam uno oculo matronam Pater beatus illuminavit. Gerardus. Hæc fuit de qua sic **1179** mirabatur unus e fratribus nostris, quod et diviti beneficium tam facile præstaretur ; et vere digna fuit omni admiratione celeritas. Prius enim quam signata videretur, illuminatam se esse clamavit.

27. Eberhardus. Ex quo pransi sumus, nunquam nobis illa die miracula defuerunt. Et hæc quidem certius novimus, diligenter probavimus ea. Stabat enim Vir sanctus in fenestra, et per scalam offerebantur infirmi : siquidem ostium domus aperire nullus audebat ; tantus erat impetus et tumultus. Ibi quoque filia divitis cujusdam viri notissimi in civitate auditum recepit, quem ex multis annis prorsus amiserat. Hanc in claustro quodam parentes ante locaverant, sed remiserant eam sanctimoniales, eo quod penitus amisisset auditum. Diu quoque sic manserat nihil audiens, donec ad tactum sacratæ

Digitized by Google

manus Deus aperuit aures ejus. Post paululum quoque contracta mulier erecta est, et ambulalat. Gerardus. Puerum curvum, qui erectus est ipsa die, et cæcos multos qui illuminati sunt, omnes vidistis. Wolkemarus. Ego ex iis quos vidi, et quorum memini, numeravi quinque, quosdam uno oculo cæcos, quosdam utroque. Abbas Campensis. Circa vesperam illuminata est mulier, quæ post manus impositionem duabus aut tribus horis residebat cæca. Tandem abire volens, nec habens a quo deduceretur, palpabat miserabiliter ad parietem cum fletu et ejulatu. Omnes miserabamur eam, sed statim congratulati sumus. Acclamavit enim subito, quia videret: et festinantes ad eam multis hoc probavimus argumentis.

28. Gerardus. Dum hæc intus agerentur, ego foris astabam, nec ullatenus poteram introire: ab hora nona, usque ad vesperam sic permansi cum quibusdam fratribus nostris, nec accedere quidem valens ad ostium, vel ad scalam; tanta erat undique multitudo. Vix tandem nocte secedentibus turbis ingressus, vidi confestim hominem surdum qui recepit auditum. Ubi cœnavimus, quia languentium convenerat multitudo, rogavimus Patrem, ut ad signandos eos egrederetur. Protinus autem puellis duabus surdis et mutis ad tactum sacratæ manus coram nobis Deus auditum reddidit et loquelam. Eberhardus. Ibidem puer quidam, et matrona de civitate ipsa, ambo claudi, ambo erecti sunt. Philippus. Secunda feria summo mane, vir surdus auditum, et cæca puella visum recepit. Post paululum quoque mulier cæca illuminata est, et tantus ibi tumultus factus est et concursus, ut vix potuerit in hospitium retrahi Vir beatus: et nescio an fuerit ibi majus miraculum, quam quod evaserit incolumis. Gerardus. Circa horam tertiam exiturum virum Dei exoptabat languentium multitudo, eo importunius instantes, quo modicum jam tempus viderentur habere. Egressus igitur in plateam signavit ex ordine residentes, et sub oculis omnium ipsa hora quatuordecim sunt sanati: claudi septem, surdi quinque, puer mancus, et mulier cæca, optatum quique beneficium perceperunt. Ad singula populus acclamabat, et in laudes Dei voces tonant per nubila: « Christ, uns genade. Kyrie, eleison. Die Heiligen alle helffen uns (113). »

29. Porro archiepiscopus civitatis in ipso residebat hospitio, et coram eo quoque Pater sanctus ubi egressus est, puerum cæcum illuminavit. Abbas Campensis. Ex hoc jam turba erat intolerabilis, ut nemini prorsus egredi domum ingredive liceret. Consilium ergo fuit, ut in domum archiepiscopi deduceretur, liberius exinde profecturus. Ibi vero nobilis puer filius sororis advocati Coloniensis, ex longo jam surdus et mutus, coram omnibus nobis per manus impositionem recepit auditum pariter et loquelam. Ibidem quoque cæcus quidam visum, et alter cujus erat crus aridum et inutile, adeptus est sanitatem. Sed et puella quædam, cujus adhæserat lingua faucibus, et vix poterat loqui, curata est ipsa hora soluto vinculo oris. Horum omnium testes sumus, testis est civitas Coloniensis. Neque in angulo facta sunt, sed in publico, ut ab omnibus Deus glorificetur, qui in sanctis suis gloriosus est. Si quis forte aut incredulus aut curiosus exstiterit, multa ex his facile ei probare licebit, præsertim quæ in personis facta sunt non infimis, nec ignotis.

(113) Id est, *Christe, miserere nobis. Kyrie, eleison. Sancti omnes adjuvent nos.*

1180 CAPUT IX.

De miraculis in itinere, Colonia Leodium usque; id est Juliaci, Aquisgrani, Trajecti, factis.

30. Vix tandem egressi Coloniam venimus Brunwiler, quod est monasterium duobus a civitate millibus distans. In via quoque præsente populo Coloniensi, qui devotione debita Sanctum prosequebatur, surdi duo oblati sunt, quorum Deus aperuit aures, cum injecisset Pater beatus digitos, et ore sacrato inspirasset auditum. Eberhardus. Tertia feria, mane in ecclesia beati Nicolai, in ipsius siquidem honore dedicatum est monasterium Brunwiler, quod Nigrum-Villare interpretatur (114), coram altari puer cæcus illuminatus est, quem offerebat dominus abbas Campensis. Vix adhuc exsultantis populi siluerat vociferatio, et ecce surdus et mutus auditu donatus est, et loquela. Wolkemarus. Alter etiam surdus astantibus nobis recepit auditum. Abbas Campensis. Primum quod in via ipso die vidimus miraculum, aridi cujusdam brachii et manus restitutio fuit. Gerardus. Crebra vidimus in ipso die miracula: plena siquidem erat populis, et campus omnis nobis civitas erat. Secundum, nisi fallor, miraculum fuit cæcus uno oculo, qui confestim illuminatus est. In ipso autem loco contigit unde magis constupuimus universi. Obtulit enim mulier filiam jam adultam, quam ex utero surdam et mutam esse dicebat, et id ipsum multi ex circumstantibus, qui eam noverant, testabantur. Hæc autem per manus impositionem curata est ipsa hora, et audivit, et locuta est libere coram nobis. Nec longius adhuc processeramus, quando vir surdus recepit auditum. Gaufridus. Usque ad hæc miracula ego turbas præcedebam: audiens autem tam crebros populi cantus substiti, et quæ deinceps facta sunt in itinere diligentissime probavi. Surda et cæca mulier audivit et vidit; surdi tres audierunt, clauda una ambulavit; illuminati sunt quinque cæci, alii quidem uno oculo, alii vero utroque; et unius quidem pueri, qui omnino cæcus erat, illuminationem certi sumus Patrem sanctum in spiritu cognovisse. Substitit enim et ad eum conversus, inquiri fecit utrum videret.

31. Abbas Campensis. Sic et de cæco alio fecerat prius, et meipsum, cum pertransissem, remiserat ad inquirendum: cumque redirem, et illuminatum eum nuntiassem, « Et ego senseram, » inquit. Vespera venimus Juliacum, quod a Julio Cæsare castrum ædificatum, et ejus nomine est insignitum.

(114) Alii malunt sic dictum a Brunone primo ejus fundatore, quasi Brunonis-Villa.

Digitized by Google

Ingressus autem ecclesiam Pater beatus, et intuitus mulierem claudam jacentem coram altari, novo quodam fervore spiritus, ita ut omnes miraremur, apprehendit manum ejus, et elevavit eam quanta fide, tanta etiam facilitate. Sic et in atrio ecclesiæ, cum ingrederetur, coram nobis et omni populo cæcum illuminavit. GERARDUS. Mane in ecclesia post Missæ celebrationem cæcus puer visum recepit, et vir surdus, auditum. Honorata quædam mulier, neptis Comitis Juliaci, ab annis quinque altero oculo nihil, altero tam parum videns, ut vix posset sine duce tenere viam, ubi signata est, clare vidit utroque. Advocatus etiam castri illius viginti annis vixerat cæcus, et illuminatus est ipsa die. Multa quidem et alia facta sunt, sæpiusque clamabat populus suum illud, « Christ, uns genade, » et in castro, et in itinere : sed nobis e plurimis pauca sufficiunt. EBERHARDUS. In via, quorum ego memini, surdus puer auditum recepit; mulier cæca, visum; altera quoque claudа, gressum, coram omnibus nobis. Est autem Aquisgranum sedes, celeberrimus et amœnissimus locus, voluptati corporum accommodatior, quam animarum saluti : siquidem prosperitas stultorum occidit illos, et væ domui indisciplinatæ. Non ad destructionem loquor, sed utinam legat qui corrigat! utinam et aliquis ipsorum recogitet, et convertatur, et vivat! Illic ergo in capella regia, ad altare beatæ Mariæ, feria quinta, puella cæca visum recepit : ego ipse Patri astabam, sed tantus illice tumultus ut cedere oporteret. PHILIPPUS. Claudus quidam senex ibidem erectus est, cujus baculos in ipsa statim ecclesia ad testimonium suspenderunt. Hunc ego ipse diu repueram, ad quid vellet accedere, aut quid expeteret ignorans. **1181** EBERHARDUS. Mulieres duæ, quarum manus omnino aruerant, ibidem sanatæ sunt ipsa hora.

32. ABBAS CAMPENSIS. Alterius quidem manum Pater sanctus sua extendit manu, sed altera sanata est velut in fimbria vestimenti. Stabat enim post tergum ejus, et conquerebatur quod ad manum accedere non valeret. Cui ego : « Applica, » inquam, « vestimento ejus manum, si forte palpare possis. » Fecit ut ei consului, subitoque cœpit tenere cuculam : et dum traheret eam, digiti extendebantur, et sanata est statim. GERARDUS. Nusquam in itinere illo sic compressus [*al.* comprehensus] est Pater, ut in capella illa, quia locus angustus erat, et turba impellebat turbam, sicut unda solet undam præcipitare. Propter hoc multa ex his quæ facta sunt, ignoramus. Gerardus noster, tunc canonicus ipsius ecclesiæ, qui eadem die præbendam sæculumque pariter reliquit, illuminatos ibidem asserit cæcos quinque. WOLKEMARUS. Trajectum vocatur locus, ubi quondam sedes Leodiensis erat a beatissimo confessore Servatio a Tungrensi civitate translata. Illic feria quarta pernoctavimus in Ecclesia beatæ Mariæ. Mane vero feria quinta post Missæ celebrationem, in eminentem locum Patrem deduximus, ut sine oppressione sanaret infirmos. Ego illi proximus eram, et quæ fiebant novi plenius, et diligentius universa probavi. Ibi cæci illuminati sunt quinque, vir surdus audivit, mutus locutus est. Item surdus alter auditum, et manci manuum incolumitatem receperunt. GERARDUS. Ipso die in hospitio surdus et mutus puer oblatus est : cumque signaret eum Pater sanctus, honestus quidam juvenis Conradus, Coloniensis canonicus, abrenuntians sæculo sese reddebat in manus ejus. Elevavit se ut susciperet eum, et continuo puer locutus est, et audivit. Populus autem præstolabatur foris : et ecce puer audiens et loquens parentibus redditur, et sequitur exsultatio copiosa. Notus enim erat in civitate puer : et hoc famosissimum fuit in populo. Nec mora, etiam claudа mulier gressum recepit; tres quoque cæci illuminati sunt, et singuli quique deducti in populum cum lætitia et exsultatione.

33. PHILIPPUS. Cum egrederetur Vir sanctus Trajectum, causa exstitit ut ad ecclesiam beati Servatii declinaret pro negotio fratris Norberti qui canonicus erat ejusdem ecclesiæ : sed is continuo et præbendæ abrenuntiavit et sæculo. In ipso autem itinere puer claudus erectus est coram nobis. In ecclesia quoque beati Servatii offerentes claudum hominem Patri nostro, rogabant ut ei manum imponeret. At ille : « Nescio, inquit, si displicebit beato Servatio, si id in domo ejus præsumimus. » Acclamantibus omnibus et dicentibus, « Domine, non displicebit : — In nomine, » inquit, « Domini nostri Jesu Christi et beati Servatii surge, et sta super pedes tuos. » Surrexit igitur sine mora et cunctatione, et facta est lætitia magna in populo. Heri facta sunt hæc apud Trajectum. Hodie Leodii clerus convenerat universus, qui in civitate illa copiosissimus est, et in camera episcopi Patrem præstolabantur, ut sermonem haberet ad eos : et ecce prævenit eos Dominus sermone virtutis, et claudus quidam clericus ab renibus deorsum sic dissolutus, ut omnino non posset stare super pedes suos, oblatus est Viro Dei. At ille debilia membra signans et attrectans : « Ambula, inquit, in nomine Jesu Christi. » Protinus autem confortatus ambulare cœpit. Et egressus est sermo in clerum, et exclamaverunt : « Tua sunt hæc, Christe, opera, qui sanctos tuos ita glorificas. » Ipsi gloria et imperium nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen (115)

(115). Notæ Tornacens. indicant : « In mss. nihil haberi de eis quæ egit Leodii, nec quot diebus ibi manserit, sed sine ullo titulo sequi miracula quæ fecit a Leodio usque ad Claram-Vallem. » Verum quæ a Viro sancto Leodii acta sint statim referetur a Gaufrido.

Digitized by Google

PARS TERTIA

Auctore Gaufrido monacho Claræ-Vallensi.

CAPUT X.

Epistola Gaufridi monachi Clarævallensis ad Hermannum episcopum Constantiensem.

Domino dilectissimo et reverendissimo Patri Hermanno, Dei gratia Constantiensi episcopo, puer sanctitatis ejus Gaufridus Clarævallis monachus qualiscunque, in orationibus suis filiorum mêminisse suorum.

1182. Ea quidem miracula, quæ a Spira usque Leodium facta vidimus et cognovimus, ad clerum Coloniensem eo descripsimus modo, quo priora fuerant ante descripta, ut, ad instar collationis, vicissim ea, quibus adfuimus, singuli loqueremur. Quia ergo libelli illius exemplar vestram, pater beatissime, diligentiam effugere non poterit, ut confido, reliqua describere, et Sanctitati vestræ dirigere non neglexi. Multa quidem nos et ex prioribus ignorasse certissimum est. Nemo quippe in transcursu prosequi poterit universa. Maxime tamen nocuit, ubi Teutonicorum eximus regionem, quod cessaverat vestrum illud, « Christ, uns genade : » et non erat qui vociferaretur. Neque enim secundum vestrates propria habet cantica populus Romanæ linguæ, quibus ad singula quæque miracula referrent gratias Deo. Multa proinde tecta silentio ad nostram non pervenere notitiam : licet ex his quoque quæ certissime novi, omiserim non pauca scienter, veritus equidem ne forte quamlibet curioso pareret copia tanta fastidium. Illud sane non tam vobis loquor, de cujus credulitate non dubito, quam cæteris, in quorum manus hæc poterunt devenire : nihil me scripsisse, nisi quod aut vidi oculis meis, aut fratrum nostrorum qui præsentes fuerunt certissima relatione cognovi.

CAPUT XI.

De miraculis Leodii, Gemblaci, Villarii, Montibus, Valencenis, etc., factis.

35. Igitur Dominica post octavas Ephiphaniæ, et secunda feria, Leodii mansimus, dum Philippus noster ea quibus tenebatur implicitus, sæcularia negotia consummaret. Factum est autem dominica die, cum ad altare beatæ Mariæ, in majori ecclesia Pater sanctus Missarum solemnia celebrasset coram universo populo, puer oblatus est, quem ex utero claudum esse dicebant : ubi vero signavit tibias ejus et renes tetigit, apprehendens manum ipsius erexit eum protinus, et deduxit. Conclamatum est statim a clero, « Te Deum laudamus : » sed mugitus fletuum et singultus vociferationem laudis evicit. Dabat pro cantu lacrymas plebs ignara canendi. Duas A quoque aridas manus ibidem tetigit et curavit, ut sensum pariter motumque reciperent. Necdum ab altari dimotus, senem cæcum per signum crucis illuminavit, et alterum claudum ambulare fecit in facie totius ecclesiæ, quæ convenerat. Feria secunda in domo episcopi mane, post Missarum celebrationem, cæcus uno oculo juvenis ad tactum sacræ manus illuminatus est, et sub manu signantis exiliit clamitans, quia visum recepit. Nec mora, afferebatur alter utroque oculo cæcus, et hic quoque ibidem illuminatus est ipsa hora. Aderat autem episcopus civitatis, explorator diligens omnium quæ fecerat. Audiens igitur adolescentem illuminatum se esse gratulabundis vocibus acclamantem, ut probaret an verum esset, de multis interrogabat B eum, et incunctanter ille ad singula respondebat. Ipsa die circa horam sextam exiit Pater sanctus ut signaret ægrotos, et ibi statim claudus quidam gressum recepit. Audientes autem quia semel exisset ad infirmos in spatiosiorem domum, multo plures prioribus pervenerunt. Post horam igitur nonam egressus ad eos, signavit ex ordine residentes. Et continuo ex his, de quibus certi sumus illuminati sunt cæci quinque, et claudi tres receperunt gressum, digne admirantibus universis : vespere quoque in capella episcopi surdus quidam recepit auditum. Tertia feria priusquam egrederemur, tres in ipsa episcopi domo claudi erecti sunt, mulieres duæ et puer unus. Multa quidem et alia signa Leodii et in itinere facta sunt : sed e multis pauca C sufficiant.

36. Feria quarta profecti ab oppido cui nomen Huy, festinavimus ad monasterium quod Gembolium (116) vocant. In ipso autem itinere senex cæcus uno oculo, et adolescens eodem laborans incommodo, ambo simul illuminati sunt. Feria quinta mane in monasterio prædicto Gembolio, puer claudus oblatus est Viro Dei, et confestim signatus ab eo gressum recepit, et coram omnibus ambulabat. Post paululum quoque in ingressu ejusdem vici, puer alter pedibus manibusque contractus, sub oculis **1183** omnium utrorumque membrorum adeptus est sanitatem. Nec longe processerat, et ecce puer mutus ex utero offerebatur in via : et hunc quoque D signavit et sanavit, statimque solutum est vinculum oris ejus, et loquebatur recte. In ipso itinere oblati sunt surdi duo, et qui mutum fecerat loqui, surdos fecit etiam audire. Novum in partibus illis ædificatur monasterium, cui Villare nomen est, et ante paucos menses illuc Pater sanctus congregationem

(116) *Forte* Gembollum, ordin. S Bened. monast, Gallice *Gembroux*.

Digitized by Google

miserat monachorum. Voluit ergo plantationem novellam vel in transitu visitare, et peregrinantes filios consolari. Factum est autem cum monasterio appropinquare cœperat, claudam mulierem tetigit, signavit, erexit, et præcepit libere ambulare. Duabus quoque claudis in ipso loco gressum, et juveni cuidam amissum unius oculi visum reddidit coram fratribus ipsis, et aliis plurimis qui convenerant.

37. Exinde festinabat ad oppidum, cui Fontanæ nomen est, ubi Philippus noster apud propinquos suos eum rogaverat hospitari. In eodem vero itinere offerebant ei cæcum a nativitate puerum, qui nec ipsas quidem poterat aperire palpebras oculorum. Desperarant omnes, etiam qui plurima viderant maximaque miracula : at ille nihil cunctatus manum imposuit puero, factaque oratione brevissima, ut solebat, digitis suis palpebras ejus aperuit, et sciscitatus est an videret. Cui puer : « Video, inquit, domine, video vos ; et omnes homines video capillatos. » Plaudensque et vehementer exsultans aiebat : « Deus, Deus, ultra non offendam ad lapidem pedes meos. » Feria sexta, Fontanis priusquam egrederemur, puellæ contracta et arida manus sanata est et extensa. In via quoque juxta vicum quemdam, puer claudus gressum recepit. Ex hoc accessimus ad castrum quod nominant Bins, unde tanta occurrit hominum multitudo, ut totam camporum planitiem populus operiret. Illic pueruli claudum humeris offerebant, quem Vir Domini signans deponi jussit ut ambularet. Vix potuit novis gressibus via parari ; tantus erat concursus, tantusque tumultus : depositus tamen ambulare cœpit in medio populi, et deducentes eum in liberum campum plurimi successerunt. Aderat enim mater, aderant propinqui ejus et multi qui noverant eum, ipsa sua exsultatione fidem miraculo facientes. Interim sane dum secessisset cum puero pars non modica populi, geminata lætitia est, et alter quoque puer similiter claudus similiter gressum recepit. Tertius in eadem planitie claudus vir erectus est, et coram omnibus ambulabat, et currebat gratulabundus et laudans. Prope idem castrum cæcus unus illuminatus est, et surdi duo receperunt auditum ipso loco ubi substiterat, ut populo benediceret, et dimitteret eos. Mons vocatur castrum primum in provincia Haynonensium, ubi sexta feria pernoctavimus. Illic mane sabbato, priusquam proficisceremur, senex quidam de proxima villa multis eorum qui aderant, et Philippo nostro non incognitus, quod a multis jam annis amiserat, oculorum lumen recepit. Sed et puer quidam scholaris cæcus altero oculo illuminatur tanta celeritate, ut non prius amoveret Pater beatus manum, quam puer clamaret, « Video, domine, » stupentibus universis.

38. Hæc in hospitio facta sunt coram venerabili episcopo Cameracensi Nicolao, et clericis ejus etiam, et multis religiosis viris qui de tota provincia occurrerant Viro Dei. Iisdem quoque astantibus, cum egrederetur castrum, mulieris aridam manum sanavit, et gressum reddidit claudo. Plurima ipso die miracula coruscaverunt, adeo ut multa ex ipsis a memoria elaberentur. Horum tamen certissime recordamur. Surdæ duæ auditum receperunt in via, et puer quidam unius oculi visum. Nec longe processeramus, et ecce in campo mulier amissum ex longo unius oculi lumen recepit. In eadem strata, capellula quædam est duobus a prædicto castro millibus distans : illuc in occursum Viri Dei venerabilis convenerat multitudo, ut faciem ejus videret, et susciperet benedictionem. Nec fraudavit Dominus populi sui devotionem, quin desiderata eis virtutis suæ magnalia demonstraret. Ibidem enim coram ommibus senex quidam, qui viginti, ut dicebatur, annis cæcus manserat, factus est 1184 videns, et mulier surda audivit non sine multa ipsorum et populi exsultatione. Alio quoque in loco cum substitisset, oblati sunt pueri duo, quorum uterque uno tantum videbat oculo, et mulier surda. Nec ante dimotus est, quam et pueris visum, et mulieri reddidisset auditum. Adhuc autem in eodem itinere prope torrentem Huns ante transitum puer cæcus illuminatus est : post transitum duæ surdæ receperunt auditum. Jam appropinquabamus hospitio, et ecce clauda mulier per manus impositionem gressum recepit coram multitudine copiosa plebis, quæ in occursum beati Viri de tota venerat regione. Alii quoque debiles et ægroti desiderata adepti sunt beneficia. Sed longum est singula quæque referre. Valencenas nominant oppidum, ubi ea nocte mansimus, oppidum grande et populosum. Illic sane, priusquam ingrederemur hospitium, mulierem claudam, notissimam populo, signans et erigens Pater sanctus, fecit coram omnibus ambulare. Inde profecti, dominica die venimus Cameracum.

CAPUT XII.

De miraculis Cameraci, etc., patratis.

39. Plurima autem et in castro ipso, et in itinere miracula contigerunt : sed e pluribus pauca collegimus. In ecclesia beati Joannis, post Missæ celebrationem, puer surdus et mutus ex utero matris suæ audivit, et locutus est, et admiratæ sunt turbæ. Hic juxta me resederat mutus et surdus, et coram me præsentatus audivit et locutus est ipsa hora. Vix cessaverat cieri jubilatio, et ecce senex claudus erectus est et ambulabat. Ibidem contigit, unde præ cæteris miraculis obstupuimus. Puer enim cæcus a nativitate, opertis albugine oculis (si tamen oculi dicendi erant quibus nec color, nec officium, nec ipsa saltem cavitas inerat oculorum), ad impositionem beatæ manus visum recepit. Multis hoc indiciis probavimus, vix credentes oculis nostris, quod talibus oculis visus posset inesse. In ipso loco etiam arida mulieris manus adepta est sanitatem. Ex hoc cum beatum Virum turbæ comprimerent, vix deductus est in domum Regularium canonico-

Digitized by Google

rum. Ibi quoque plurima languentium beneficia contulit : sed hæc sunt quorum certissime recordamur. Claudi duo ibi erecti sunt, puer cæcus et mulier cæca visum receperunt

40. Secunda feria in urbe Cameracensi, in ecclesia beatæ Mariæ ad altare sublimius Pater sanctus Missarum solemnia celebravit, ut in eminentiori loco positum videre posset populus, et non comprimeret. Accedentibus ergo cæteris ad oblationem, puer adductus est surdus et mutus ex utero matris suæ. Hic in proximo vico natus, multis eorum qui astabant non incognitus erat. Cœperant autem, qui adduxerant, obsecrare Hominem Dei, ut puero manum imponere dignaretur : sed nos concursum populi metuentes, prohibuimus, dicentes, ut finita Missa, adducerent eum. Prævenit tamen exspectationem virtutis effectus. Offerens enim puer, sacratam manum ex more osculatus est, et pertransiit. Nec mora, accedens unus ex militibus prædicti fratris episcopi interrogavit puerum dicens : *Os tu?* quod latine interpretatur, « Audis tu? » Protinus autem ad ipsum puer quoque respondit dicens : *Os tu?* Surdus nimirum ex utero ea tantum loquebatur, quæ ex ore interrogantis audivisset. Addidit ergo miles loqui ad eum, et docebat invocare Deum et beatam Virginem nominare, etc. Singula vero incunctanter puero respondente, qui propius astabant clerici convenerunt : cognitaque miraculi veritate, levaverunt vocem magnificantes et laudantes Deum qui dedit potestatem talem hominibus. Elevatus puer salutat populum, et exsultat in gaudio civitas Cameracensis, loquentem audiens puerum, qui ex utero matris suæ nec locutus est aliquando, nec audivit. Ipsa die in domo episcopi, ubi Virum sanctum magna cum devotione susceperat, puellæ manus invalida ad tactum ejus sanata est et extensa. Vespere quoque claudam longo tempore filiam pater obtulit, et recepto gressu lætus reduxit ad propria. Tertia feria aridas manus duas sanavit, et mulier clauda experta est quia efficax in Bernardi manu gratia **1185** curationum. Puerum quoque cæcum, cum jam egrederetur, illuminavit in porta, et in campo adolescentem surdum fecit audire, et mutum loqui coram universo clero et populo civitatis.

41. Valcellam vocant monasterium tribus ab ipsa civitate millibus distans, quod idem Pater noster missis olim a Clara-Valle fratribus ædificaverat. Illic feria tertia pernoctavit, nolens fraudare filios visitatione et consolatione paterna. In ipso sane monasterio mane feria quarta, priusquam egrederetur, militem quemdam de regione eadem, qui a diebus multis debilis pedibus simul et cruribus ambulare non poterat, benedictionis virtute sanavit, referentem gratias ad sua remisit incolumem. In via quoque surdus vir aure altera recepit auditum. In oppido cui nomen Gom, juxta monasterium canonicorum Regularium, quod Montem-Sancti-Martini vocant, novo temporis nostri Martino claudam puellam offerebant. At ille signo crucis edito : « Vade, inquit, in nomine Jesu Christi. » Statim vero deposita exsiliit ; et ambulabat, currens et laudans Deum. Feria quinta in monasterio quod Humblerias vocant, paralyticam media parte corporis filiam pater obtulit Viro Dei. Hæc et manus, et brachii, et tibiæ simul et pedis, etiam et linguæ officium morbo invalescente perdiderat : ubi vero signavit eam Pater beatus, sanata est, evidentissime loquens et ambulans, et libere movens manus. Ipsa die Laudunum venimus, ubi sexta feria in monasterio beati Joannis (illic enim hospitabatur) coram omnibus vir surdus auditum recepit. Sabbato quoque Remis, cum jam pararetur iter, cæcum uno oculo puerum per signum crucis Pater sanctus illuminavit, astante clericorum et civium multitudine

CAPUT XIII.

De miraculis in itinere versus Claram-Vallem editis.

42. Dominica die festum erat Purificationis beatæ Mariæ : et Francorum rex Ludovicus, devotissimus et christianissimus princeps, Catalaunum occurrebat Viro Dei. Plurimi quoque ex principibus utriusque regni convenerant, et legati regis Romanorum, et Wolfonis inclyti ducis, ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur : quo Vir Domini colloquio sic detentus est per biduum illud, ut ad populum exire nequiverit, licet vehementissime desideraretur. Oportebat enim generale bonum votis anteferre privatis. Egredienti vero feria tertia, mulier quædam occurrit aridæ manus postulans curationem : et juxta fidem ejus factum est ei, ut fieret ipsa hora sana. Et hoc quidem miraculum jam inter vicinos et notos factum est, ne quis objiceret illud de Evangelio : *Quanta audivimus facta in Capharnaum? fac et hic in patria tua* (*Luc.* IV, 23). Aderat enim venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, beati Viri quondam filius professione, nunc pater officii dignitate. Aderant et principes quidam, et milites terræ nostræ non pauci. Quarta feria, cum jam desideratæ Valli magis appropinquaret desideratus et ipse, multiplicata sunt miracula manifesta : ut plus quam propheta probaretur, propheticus honor non deerat, ne ipsa quidem in patria sua. Ipsa siquidem die in vico Campaniæ cui nomen Davamant, in honore beatæ Agathæ, cujus festivitas agebatur, Missarum solemnia celebravit. Necdum secesserat ab altari, et ecce vir quidam cæcum filium offerebat, cujus oculos sputo liniens tetigit, et illuminatus est ipsa hora.

43. In oppido cui nomen Rosnay, languidum et penitus debilem virum plaustro deportabant, cui solum videbatur superesse sepulcrum : et huic quoque coram omni populo et militibus multis manum imponens, ambulare eum fecit sine dilatione ; et stupentibus universis, quo prius fuerat deportatus, plaustrum sequebatur incolumis. Similiter et puerum, qui et ipse a diebus multis ne unum quidem passum poterat ambulare, signavit, ubi castrum est egressus ; et statim libere ambulavit. In eadem strata, aliud situm est castrum, quod Brena

Digitized by Google

ab indigenis nominatur. Illic transeunte viro Dei, per orationem et benedictionem ejus puella clauda gressum recepit. Ubi vero egressus est, stipem quærebat ab eo cæca mulier et mendica. Intuens **1186** autem Vir in eam misericorditer, « Tu, inquit, argentum quæris, sed Deus tibi visum restituet : » accedensque signavit eam, et coram omnibus illuminata est ipsa hora. Interrogata vero quandiu cæca fuisset, ab his undecim annis nihil penitus se vidisse respondit. Sic apostolicus Vir apostolicum imitatus exemplum, et petitionem mendicantis, et spem liberalitate sanctissima superavit. Nec longe processerat, et ecce puer uno oculo cæcus benedictionem flagitat, tactum requirit. Quid ei negaret, qui dederat non petenti? Nihil cunctatus signavit oculum cæcum, et eum quo videre solebat manu claudens movit digitum coram eo, et quid ageret inquisivit. Audientes peregrini quidam quod Homo Dei transiret, socium suum surdum ei cum precibus obtulerunt : cujus aures sputo liniens, et immittens digitos suos, auditum reddidit ei ipsa hora. Exinde cum paululum processisset, secutus homo eum, gratias egit, et signum crucis ab eo accepit, ut in exercitum Domini proficisceretur.

44. Ipsa die venimus Barrum super Albam, quod nominatissimum oppidum est, tribus a Clara-Valle millibus distans. Quinta igitur feria Vir sanctus Missarum solemnia celebravit in ecclesia sancti Nicolai. Illic ad nova divinæ virtutis magnalia obstupuere Barrenses (117). Addidit adhuc magnificare famulum suum Dominus, et oculos pueri cæci nati sub manu ejus aperuit. In eadem basilica post Missarum celebrationem, puella contracta, cujus tali adhæserant renibus, erecta est, et libere ambulabat. Altera quoque puella, quæ stare omnino non poterat, ibidem adepta est sanitatem. Item mulier clauda gressum recepit, et quam cito signata est, virtutem sentiens, jussit pulsari campanas, sicut ad singula quæque miracula faciebant. In eodem loco, duo surdi et muti a nativitate receperunt auditum pariter et loquelam : alter quidem puer, alter adolescens erat notissimus in oppido illo. Adhuc autem surdus unus auditum recepit, et puella ex utero matris suæ impos manibus, sanata est ipsa hora. Alteri quoque manum aridam ante domum eleemosynariam, cum jam proficisceretur, restituit sanitati. Ipsa die dispensator bonus multiformis gratiæ Dei fuit redditus Claræ-Valli, reportans manipulos pretiosos, instar patriarchæ Jacob cum duabus turmis regrediens. Nam et triginta secum adduxit, et totidem fere, facto jam voto et constituta die, venturos præstolabatur. Quid ergo dicemus ad hæc? Felix nimirum, cujus oratio tam accepta, tam saluhris tactus, sermo tam vivus et efficax invenitur! felix anima, quam implevit Dominus oleo gratiæ præ participibus suis! felix lingua tot animarum medens vulneribus desperatis! felix manus gratia sanitatum, et tot virtutum affluens signis!

(117) *Siquidem inter oblationes claudi quatuor erecti sunt et puer cæcus illuminatus est coram eis*, quantum ex varia lectione ab Henschenio notata conficio, quæ ex incauta abscissione aliquid passa est.

CAPUT XIV.

De miraculis Claræ-Valli, Trecis, Stampis, Senonis, et vicinis locis per Bernardum patratis.

45. Paucos dies Claræ-Valli faciens Pater sanctus, ne intromitterentur infirmi, fratrum quieti providens, interdixit. Ipsa tamen die qua exiturus erat, juvenem Lingonensem, cujus auris altera ab annis multis penitus obsurduerat, venerabilis episcopus noster obtulit : et confestim audivit homo, et gratias egit celeri medicinæ. Egrediens autem pater monasterii januam, invenit languentium multitudinem cæcorum, claudorum, aridorum; plurimique in tumultu illo sub manu signantis desideratam adepti sunt sanitatem. Ubi vero montem ascendit, obvium habuit puerum surdum et mutum, qui diebus multis inter fratres nostros Fontarciæ manserat, tantum innuens eis. Hujus linguam sputo liniens, et auribus ejus immittens digitos suos, Deum nominare jussit, cœpitque puer paulatim loqui : sed adhuc vox in gutture laborabat. Quod advertens unus ex fratribus nostris, rursum obtulit eum, rogans ut gutturi ejus manum imponeret. Statimque locutus est libere, cum multis lacrymis gratias agens Deo. Tandiu siquidem surdus et mutus exstiterat, ut ei nomen proprium penitus excidisset, et nesciret quis vocaretur. Vix recordatus civitatis nomen unde fuerat oriundus, Parisiensem se esse dicebat. In eodem itinere surdus alter audivit, pueri duo claudi gressum **1187** receperunt; et prope Mundivillam (sic enim vocatur viculus, duobus ferme a monasterio millibus distans) curatus est paralyticus senex nobis astantibus, turbis acclamantibus vehementer. Villa super Arnam nominatur, ubi pernoctavimus ipsa die. Mane vero in basilica post missæ celebrationem adolescens altero crure contractus, ubi a Viro Dei signatus est, extendit nervum, et coram omni populo gradiebatur exsultans. In eodem vico ingressus hospitium, et irruentibus multis, cæcum uno oculo puerum, et puellam mutam a nativitate, consueta benedictione sanavit. Siquidem et puer illuminatus, et puella locuta est audientibus et admirantibus universis. In platea quoque cum detineret eum populus egredientem, sanati sunt manci duo : quorum alter etiam unius oculi lumen recepit amissum, duplicique liberatus incommodo duplex gaudium reportavit.

46. Eadem die juxta castrum Barrum, quod alluit Sequana fluvius, coram multitudine copiosa plebis, quæ de tota regione convenerat, curati sunt puer cæcus, et vir cæcus, puella manca, et paralyticus senex. Hunc in plaustro detulerant, et ab annis sex sic elanguisse dicebant, ut nec sedere

Digitized by Google

quidem, nec sine alio posset mutare latus. In ingressu villæ, quam Bargonium vocant, erectus est puer claudus ex utero matris suæ : in egressu quoque mulier quædam amissum ab annis quatuor gressum recepit. Nec longe progressi eramus, et ecce currebat post nos mulier cæca uno oculo : et hæc quoque ubi pervenit ad virum Dei, ab eo signata est continuo, et visum recepit, et revertebatur gratulabunda et laudans. In ingressu diœcesis Tricassinæ, in vico cui Fulceriæ nomen est, oblatus a populo puer a nativitate surdus et mutus, ab utroque morbo sanatus est ipsa hora. In via quoque, cum egrederemur, puellæ manum a nativitate aridam et contractam benedicta Bernardi manus extendit, quasi esset cerea : et sanata est statim, ita ut teneret fortiter baculum, quem tradidimus ei. Mirabantur omnes, qui deducebant Sanctum Dei, viri de eadem regione nobiles et potentes. Magis autem mirati sunt, juxta vicum qui Wanda vocatur, puellam claudam, mutam ex utero matris suæ, benedictione percepta ambulantem videntes, audientesque loquentem.

47. Altera autem die in majori ecclesia Trecensi congregatus est populus innumerabilis, ut audiret a Dei Homine verbum ejus. Factus est ergo tumultus intolerabilis comprimentium sese turbarum, et periculum metuens egressus est Vir beatus; cumque in hospitium episcopi se recepisset, sequebatur eum languentium multitudo, et pro foribus exspectabat. Ingressa est autem puella clauda, et sub oculis omnium signante Viro Dei adepta est sanitatem et libere ambulavit. Erat autem nota in civitate puella, et ex propinquis ejus aderant eadem hora nonnulli. Post paululum quoque cæcus uno oculo puer illuminatus est : et alii duo, quorum erant aridæ manus, sanati sunt admirantibus et exsultantibus universis. Vespere quoque exspectantes infirmos juxta cancellum ecclesiæ seorsum poni præcipiens, exivit ad eos, et signavit ex ordine residentes. Aderant autem venerabiles episcopi Godefridus Lingonensis, qui fere omnia, quæ scribimus, præsens vidit, et Henricus Trecensis : aderant clerici et laici de civitate non pauci. Coram his omnibus puella clauda et muta oblata est viro Dei. Cumque signatam apprehensa manu deduceret, loqui cœpit, et ait : « Non possum, domine, ambulare, non possum. » Obstupuimus omnes : iterum signari rogavimus eam, et gressum quoque recepit. Ibidem quoque cæcum oculum pueri sputo liniens, illuminavit. Mulierem claudam ab annis quindecim, quæ in ecclesia beatæ Mariæ a sanctimonialibus alebatur, signans et attrectans curavit protinus : ita ut quod ante non poterat, et sederet, et libere graderetur. Exsultans igitur vehementer tulit baculos, quibus antea utebatur, in beati Petri ecclesia suspendendos. Item juvenis quidam, ejusdem ecclesiæ servus, amissum ab annis quinque ibidem recepit auditum. In eadem civitate facta sunt quæ sequuntur. Faber quidam longa ægritudine claudicans, ut sine baculo incedere omnino non posset, ubi **1188** a beato Patre signatus est, lætus rediit gradiens pedibus suis. Deinde mulier epilepticam ei obtulit filiam, cui morbus ille loquendi prorsus ademerat facultatem : cui Vir beatus manus imponens signavit eam, statimque locuta est coram nobis.

48. Mane egressus Trecas, dum transiret Vir sanctus villam, quam Prunetum vocant, oblatus est ei puer, cujus pedem retracti nervi torserant in perversum, ita ut ambulare omnino non posset. Acclamabant autem qui convenerant, levantes manus in cœlum, dum Vir Domini puerum attrectaret. Nec mora, signatum pedem omni facilitate detorquens, deponi jubet : et coram omnibus ambulare cœpit incolumis. In oppido quoque, quod Romana lingua Triangulum vocant, post Missarum celebrationem feria sexta, coram omnibus ad altare adducta est mulier cæca ejusdem indigena castri. Cumque ei Vir beatus imposuisset manum, interrogata a circumstantibus, « Jam cito videbo, » inquit : et post paululum, « Video, ait, clare, omnes vos video; benedictus Deus qui fecit mecum misericordiam. » Altera quoque illuminata est, quam ab annis decem cæcam fuisse testabantur. Ibidem clauda mulier gressum recepit, et mutus loquelam, acclamantibus omnibus, maximeque illius castri, qui nulla prius similia viderant. Ipsa die transeunti prope castrum Braium (quod Lutum interpretatur) occurrit vir quidam filiam portans in humeris, quæ nec loqui unquam potuerat, nec stare supra pedes suos : statimque sub omnium oculis ab utroque est incommodo liberata.

49. Apud Monasteriolum, ubi Iona fluvius in Sequanam influit, præsente comite Theobaldo, et multis aliis nobilibus pariter et ignobilibus, mulieres tres, prima auditum recepit, secunda amissum ab annis septem unius oculi visum, tertia paralytica sanitatem. Hæc in grabato in ecclesiam fuerat deportata : et ubi signata est, et jussa stare supra pedes suos, in medio populi stetit incolumis, et relicto grabato suo gratulabunda repetiit domum suam. Ipso die apud Moretum oppidum, juxta leprosorum domos, surdum et mutum a nativitate puerum offerebant, cujus statim aures apertæ sunt, et solutum vinculum oris ejus. Ubi vero castrum egressi, flumen transivimus quod Luten (118) vocant occurrit Viro Dei populus innumerabilis : et ibi quoque puer, quem bene noverant circumstantes, amissam loquelam ejus benedictione recepit.

50. Stampis negotio Jerosolymitanæ expeditionis, et regni Franciæ, tam ipse quam cæteri qui convenerant, intendebant. Reddidit tamen illic auditum surdo : phrenetico, quem ligatum attulerant, men-

(118) Legendum, Luen, latine Lupa, vulgo *Loin*, amnis agri Wastinensis, in Sequanam influens infra Moretum, de quo supra.

Digitized by Google

tem; mulieribus duabus visum, alteri quidem unius oculi, alteri utriusque. Exiens quoque, finito concilio, cæcam puellam per signum crucis illuminavit. Apud viculum Messam, qui tribus a Stampis milliaribus distat, coram universo populo qui convenerat, surdis duobus, viro et vetulæ mulieri, restituit auditum. Milliacum oppidum transiens ipsa die, mulierem languidam et viribus corporis adeo destitutam, ut nec ambulare, nec stare posset, signavit atque sanavit; propriisque pedibus est reversa, quæ fuerat apportata pedibus alienis. Illic etiam clericus quidam amissum unius oculi lumen adeptus est, et puer claudus incessum : sic et Moreti vir cæcus uno oculo, qui Viro Dei occurrebat ingredienti, confestim illuminatus est ad ejus benedictionem. Senonis, quæ Galliæ olim maxima civitas erat, in conspectu Cleri qui ad eum fuerat congregatus, mulierem surdam et cæcam per manus impositionem auditu donavit : et præter alia, quæ scribere supersedimus vitantes prolixitatem; ingredienti oppidum, cui Joviniacum nomen est, oblata est mulier cæca. Confestim in habitum versa privatione, de cæca facta est videns, exiitque sermo in populum, et undique acclamabant, « Anna videt : » quia omnes noverant eam. Ubi vero egressi sumus, geminata est populi lætitia, et sub oculis omnium puer a nativitate cæcus uno oculo, negatum a natura munus adeptus est gratiæ beneficio.

1189 CAPUT XV.

De miraculis Autissiodori, Molismi, etc., factis.

51. Adveniens igitur Autissiodorum Vir beatissimus, orationis causa monachorum basilicam introivit, ubi pretiosus ille thesaurus jacet, ubi Germani gloriosi corpus sacratissimum requiescit. Regredienti vero mulier clauda, quæ genibus tantum et manibus gradiebatur, occurrit in porta, tenensque vestigia ejus misericordiæ viscera miserabili supplicatione pulsabat : cujus renes et genua signo crucis edito Vir beatus attrectans, elevavit eam in nomine Domini, et ad sanctissimi Confessoris altare misit suis pedibus gradientem. Ipsius etenim nomen, dum mulier elevaretur, universus qui convenerat populus invocabat. Hoc in civitate illa notissimum celeberrimumque miraculum fuit. Omnibus siquidem nota erat mulier illa, et tribus ferme annis in grabato viderant eam deportari. Hospitatus est autem Vir sanctus in domo episcopi, et illic quoque videntibus multis aridam manum mulieris extendit libere, et sanavit. Sic et mane, cum egrederetur, simili incommodo laboranti beneficium simile contulit manus benedicta. Ipsa die Cableiam pertranseunti claudum puerum offerebant, quem sanatum protinus, et erectum in beati Martini ecclesiam deduxerunt. Ad eum siquidem et illa ecclesia pertinet, et vicus ipse, quem in Bernardo revixisse mirabantur. Adhuc enim prosequentibus eum turbis, puella clauda et alteram manum invalidam habens, ab utroque incommodo liberata est coram eis. In castro Tornodorensi, eadem die videntibus nobis in hospitio mulier cæca uno oculo per signum crucis illuminata est; et exiit magnificans Deum. In ecclesia etiam beati Aniani feria quarta, dum ad oblationem inter Missarum solemnia resedisset, obtulerunt puerum cæcum : cujus statim oculos sub manu fidelis servi, divina virtus aperuit. Similiter et puella cæca, cum jam egrederemur castrum, coram omnibus, qui prosequebantur beatum Virum, amissum ab annis multis signante eo visum recepit, et altera cæca uno oculo illuminata est prope fluvium qui Armantia nominatur.

52. Ipsa die Molismum venimus, quod est monasterium unde egressi sunt olim Patres nostri, a quibus Cisterciensis ecclesia sumpsit exordium. Exstat liber Usuum Cisterciensium (119), ubi plenius id scriptum diligens lector inveniet. Illic ergo, ut dictum est, quarta feria Virum Domini magna cum devotione susceperunt; cumque in hospitio resedisset, vir quidam cæcus uno oculo ingressus est, et genu flexo misericordiam precabatur : ubi vero signavit eum sacris digitis, cæcum tetigit oculum, et confestim illuminatus est, et gratias egit Deo. Factum est autem post unam horam, cum advesperasceret, essetque inclinata jam dies, egressus est Vir beatus ut signaret infirmos qui pro foribus exspectabant. Primus illic convaluit puer cæcus oculo dextro, qui signatus sinistrum claudebat oculum quo prius videre solebat, et clare discernens omnia sciscitantibus nobis, quidquid ostenderetur continuo respondebat. Id ipsum tribus aliis eodem laborantibus incommodo, per manum Bernardi sui beneficium præstitit Deus; puellæ videlicet, et seniori viro et mulieri, similique et in eis probatum est diligentia. Adhuc autem in ipso loco puellula debilis pedibus et clauda ex utero matris, sanata est per manus impositionem, et exsultabat in gaudio mater, quod tunc primo stantem eam et ambulantem cerneremereretur

53. Feria quinta egredientem Molismense cœnobium Hominem Dei, devotione debita prosequens innumerabilis multitudo, quæ de tota convenerat regione, mulierem claudam quæ plaustro subvecta fuerat, ubi signata est ab eo, suis gradientem pedibus gratulabunda reduxit. In eodem itinere dum silvam ingrederemur, adolescens surdus auditum, et mulier quædam amissum ab annis duodecim alterius oculi visum, per manus Hominis Dei impositionem receperunt, præsentibus et videntibus multis. Occurrentes deinde viri duo, et ipsi quoque 1190 quod amiserant, singulorum lumen adepti sunt oculorum. Nec longe processeramus, et ecce concurrentibus turbis undique puer claudus, quem attulerant, ad tactum beati Viri sanatus est, et libere

(119) Hæc leguntur in parvo Exordio Cistercienси, a quo diversus modo est liber Usuum Cisterciensium, qui tunc forsan cum Exordio unicum librum efficiebat. Hinc probata libri Usuum antiquitas, quem variis additionibus subinde auctum existimamus

Digitized by Google

gradiebatur exsultans. Confinium dicitur villa nostris proxima finibus, per quam transivimus ipsa die. Ibi quoque sub oculis omnium qui convenerant, puerum cæcum et mulierem claudam ex utero matris suæ signans Vir Domini et attrectans, amissum reddidit alteri visum, alteri novum contulit gressum. Ingredienti denique Claram-Vallem unus de nostris occurrit, adducens surdum et mutum puerum, qui in monasterio diebus jam quindecim Sancti præstolabatur adventum. Nec fraudatus est a desiderio suo puer fidelis, sed continuo ut signatus est, recepit auditum pariter et loquelam. Et primo quidem vix potuit nominare Deum ; ac deinde præcipientibus nobis invocare cœpit beatæ Virginis nomen : tandemque soluto penitus oris vinculo omnia loquebatur, ubertim gaudii lacrymas fundens. Multi etiam fratrum qui eum noverant prius, nec audientem penitus nec loquentem, locuti sunt in auribus ejus, et audierunt eum ad plenum verba omnia formantem. Interrogatus autem quandiu mutus et surdus pertransisset : « Tertius, inquit, annus transivit ex quo obsurdui et obmutui, et eram innuens tantum. » Et hæc dicens cum lacrymis benedicebat Dominum qui fecerat cum eo misericordiam. Ipsi et nos pro tanto Patre et patrono quantas possumus gratias referimus, glorificantes semper et laudantes Deum qui est super omnia benedictus in sæcula.

CAPUT XVI.

De miraculis quibusdam Treviri, Rutilæ, et Francofurti per Bernardum editis.

54. Sexto kalendas aprilis, ingrediente Viro Dei Treverim, obviam ruit ex more populus universus ; et ecce offerebant ei puellulas sorores duas ex eadem civitate, alteram quinque, alteram quatuor annis miserabili cæcitatis incommodo laborantes : ubi vero signavit eas Vir sanctus, ambæ illuminatæ sunt ; et in ecclesiam beati Petri deductæ, ubi eadem hora Missarum solemnia celebravit. Illic eas vidit clerus et populus : illic probavimus diligenter miraculi veritatem. Consummato demum sacrificio, Vir Domini juxta altare resedit, ut super ægros manus imponeret et bene haberent. Protinus autem claudus oblatus est, et ambulavit : oblatus est cæcus, et vidit : oblata est mulier surda, et audivit. Et hæc quidem in somnis admonitam se esse dicebat, ut festinaret ad eum, cujus benedictione receptura esset auditum. Non dubito quin et alia multa diligens inveniat investigator : sed hæc ad memoriam arbitror posse sufficere. Adhuc tamen in domo archiepiscopi puerum cæcum uno oculo coram nobis illuminatum certissime recordamur.

55. Veritus autem molestam vobis esse brevitatem, ex his quoque quæ Rutilæ facta sunt, nonnulla subjunxi. Viderat Pater sanctus in somnis, quod nobis secretius intimavit mulierem claudam in ecclesia quærentem se, cum nec ab ea, nec a populo cognosceretur. Gloriabatur autem quod ignotus esset, et accedens clanculo signabat eam, et pertransibat : subitoque admirans illa erigebatur. Hujus autem visionis effectus apparuit manifestius. Siquidem dum in ecclesia illa Missarum solemnia celebraret Vir beatus, allata est contracta mulier, quæ a diebus multis per terram repens erigi penitus non valebat, sed genibus et scabellulis, quæ gestabat manibus, utcunque gradiebatur. Guntrannus de Sirco, quod super Mosellam situm est castrum, a prædicto monasterio paululum distans, mulierem illam in ecclesia fecerat deportari. Necdum ad beati Patris manum accesserat, et ecce accessit ad eam spiritus ejus occulte, sicut præviderat, subitoque curvata exsiliit, et ambulabat laudans et magnificans Deum. Videns autem populus, qui claudam prius noverat eam, exclamavit in laude Dei ; tollentesque scabellula ad altare protinus detulerunt, ut sisterent eam 1191 Domino, et Bernardo servo ejus. Ibidem sane ad tactum ejus mulier de eodem vico clauda ab annis septem, et puellula contracta, cujus obstupuerant nervi femoris utriusque, ut extendere genua, aut erecta stare non posset, desideratum gressum coram omnibus receperunt. Oblati sunt ei vir quoque cæcus et mulier cæca, et confestim edito signaculo crucis ab utroque repulit tenebras, et utrisque lucem restituit. Sed forte hæc nostra descriptio, licet studiosis brevior, obliviosis prolixior videatur. Et ipsis itaque providentes, instar proverbii, quæ dicta sunt, perstringamus. Resultabat canoris vocibus ecclesia Treverensis ad Bernardi tactum ambulante claudo, audiente surda, cæco vidente. Duas quoque sorores cæcas idem Vir Domini in ingressu civitatis illuminavit ; et in domo, puerum cæcum uno oculo. Rutilavit Rutilæ in Bernardi præsentia lux cœlestis, cujus benedictio claudis duabus gressum, visum reddidit cæcis æque duobus. In eadem ecclesia, mulier clauda, quæ genibus et scabellulis ferebatur, erecta est, priusquam perveniret ad Hominem Dei

56. Residebat aliquando Frankenvœrt in solio Pater sanctus, et per fenestram ad manum ejus admittebantur infirmi, quorum innumerabilis multitudo undique fuerat congregata. Et ecce oblatus est inter cæteros adolescens quidam surdus et mutus ex utero matris suæ : cui Vir beatus manum imponens confestim curavit eum, et libere audiebat, et loquebatur. Nullam tamen noverat linguam, sed ea tantum proferebat verba, quæ ex colloquentis ore audivisset. Hoc fuit quod maxime nostrum movit Hugonem, ut describi hoc miraculum postularet ; sed nos multa similia videramus. In ipso quoque solio matrona quædam dives et honorata de regione eadem deportata est, quæ ex longo tempore jacuerat paralytica. Et hanc quoque signans Homo Dei, tenuit manum ejus et erexit eam, præcipiens ut libere ambularet in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus sancti. Dixit, et factum est ; exsiliensque ambulabat. Tunc vero acclamabant omnes ; sed specialiter exsultabant milites qui propriis humeris deportaverunt, quam

Digitized by Google

videbant regredientem pedibus suis. Nimirum videbatur sibi quodammodo miraculi particeps pia devotio. Et hæc quoque excitavit amicum nostrum, ut sileri miraculum hoc, nefarium judicaret.

57. Tertium autem simile est huic. Erat siquidem in proximo vico vir paralyticus ab annis octo, notus omnibus, et omnium dignus miseratione. Neque enim movere poterat membra, nec si domus in qua jacebat undique flagrare cœpisset incendio. Hic ergo coram nobis et aliis quampluribus qui beato Patri tunc assidebant, subvectus in culcitra, depositus est coram eo : cujus debilia membra edito signaculo salutis attrectans, confestim erexit eum, et tam perfecte curatus est, ut ad exercitum Domini profecturus illico susciperet signum crucis; nimirum, cujus virtutem tantam et tam celerem esset expertus. Cumque tollerent alii lectum ejus, « Non sic, ait venerabilis Hugo, sed magis ipse portabit : » et imponens in humeros ejus dimisit eum, et tam viriliter ambulabat, ac si nihil prius sustinuisset incommodi. Quartum quod describi Hugo miraculum postulabat, puellæ cujusdam erectio fuit. Hanc in hospitium vespere obtulerunt humeris deportantes. Cujus cum signaret genua Vir beatus, contractos et obduratos quasi in modum virgæ ligneæ nervos sentiens, « Heu, inquit; hujus ex toto retracti sunt nervi, et flectere genua, imo flexa extendere omnino non potuit. » Et certe sic erat, nec poterat a diebus multis gradi pedibus, sed manibus et pedibus reptabat utcunque. Igitur ad Patris benedictionem laxatus est statim nervus uterque, et elevavit eam unus e fratribus; ipse vero tenebat tibias, et paulatim extendebantur : eamque ambulare cœpisset incolumis, obstupuimus vehementer omnes, sed et Sanctus ipse præ admiratione se signans, Domino virtutum gratias referebat.

1192 CAPUT XVII.

De miraculis quæ Tulli per beatum Bernardum contigerunt.

58. Jam ad ea quæ Tulli facta sunt, veniamus. Quater siquidem hoc in anno Vir sanctus illam ingressus est civitatem; nec unquam transiit absque miraculis. Primum siquidem Dominica ante Pentecosten in ecclesia beati Stephani ad altare majus Missas celebranti, oblatus est puer cæcus notus in civitate eadem, qui per manus impositionem visum recepit; et hunc usque hodie Tullensis habet ecclesia virtutum beati Bernardi speculum testimoniumque fidele. Secundo quoque accedens civitati, proximam villulam, quam Calmas nominant, pertransibat. Et ecce ruit obvia plebs devota, aquam afferens signandam atque benedicendam, quam protinus evangelici instar miraculi sapore pariter et odore vini benedictione ipsa donavit : et qui gustaverunt, omnibus perhibent testimonium. Unde et nunc in tota regione illa certissimum est celeberrimumque miraculum, apud villam Calmas sub Bernardi manu aquam in vinum esse mutatam. Nam super vestem cujusdam sparsum est vinum novum, dum undique concurrentes certatim traherent vasculum, et multis diebus vini pretiosissimi servavit odorem.

59. Tertio deinde prædictam Tullensium civitatem ingressus timuit turbas, et quia grandis ei restabat via, nocte egredi festinavit. Idipsum autem suspicati nonnulli de populo observabant eum, nec exire vel nocte potuit sine turba : inter quos oblata est paralytica mulier in grabato, quam protinus elevans Vir beatus, in nomine Domini signavit, atque sanavit. Hujus quoque curatio universæ innotuit civitati, quam nimirum adhuc hodie incolumis mulier inhabitat, quæ in ea diu jacuerat paralytica. Similiter autem et altera mulier cæca uno oculo, quæ ad eum deducta est extra civitatem, signante eo visum recepit, quod in hoc adventu veriasime certissimeque probavimus. Nuper sane apud beatum Aprum Vir Domini susceptus hospitio, monasterium illud plurimis miraculis illustravit, claudum erigens puerum, auditum surdo reddens adolescenti; tres quoque cæcos, uno visionis munere donans in ipsius nomine qui Trinus adoratur et Unus : ubi plurima quoque miracula claruisse non dubito, sed hæc coram me facta novi certius, fiducialiusque scripsi.

EPISTOLA GAUFRIDI
MONACHI CLARÆ-VALLENSIS,

Quædam sancti Bernardi miracula recensens.

Magistro suo charissimo Archenfredo, et utrique Capitulo, fratribus suis uterinis, frater Gaufridus, memores ejus esse, qui diligit vos in veritate.

1. Nullis mihi ad te, magister, verborum blanditiis utendum esse certis experimentis cognovi. Latere enim non potuit familiarem filium, quem præcæteris fovere solebas tenerius, et amplecti charius, non quod dignum, sed quia indignum esse sentires : adhærentem, inquam, lateri tuo latere non potuit, quam parum acceptes eos qui verba venantur, sentiens plane cum Apostolo, regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute (*I Cor.* IV, 20.) Utquid ergo verba multiplicantur? Tu scis, domine, quia amo te; tu scis quia tuis et tuorum orationibus egeo, et quantum diligam, et quantum egeam, non ignoras. Sileo proinde de me ipso, sciens quod scienti me scribam. Cæterum cum memor sum in quanta sollicitudine reliquerim vos, et totam pariter Claram-Vallem, eo quod dubia videretur domini Abbatis de itinere isto voluntas, scribo vobis de quo magis præsumo, quæ in eo vidimus et audivimus, ut habeatis consolationem, et vestris eam nihilominus præbeatis. Hoc autem scitote nihil me scribere, nisi veritate compertum.

2. Dum appropinquaremus Pictavim, cœpit dominus Abbas infirmari, ita ut paulo minus eum pœnitere inciperet oneris, non itineris hujus. Ibi ad nostram et ipsius consolationem facta vox ad eum in visione cantans : **1193** *Et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII, 3). Erat autem

Digitized by Google

cantus ut versiculi, et tantummodo punctum ultimum deerat in hunc modum (120) : *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Quo defectu quid significatum credamus, sequentia manifestant. Altera die cum iterum decubaret, sic in os ejus missum est canticum novum, *Lætabitur justus in Domino* (*Psal.* LXIII, 11), ut evigilans sæpius nil aliud posset cogitare. Pictavi, dum nocte sederemus, et ipse cum candela solus deambularet, exstincta est candela, et abbas Chari-Loci vidit eum sine lumine ambulantem. Proinde autem cum sonitu quodam, ut ipse confessus est, candela reaccensa est, et ardentem eam usque ad nos deportavit.

3. In urbe Burdegali res facta est digna miraculo, quod obstinatissimos animos clericorum convertit, ut concederent in sede episcopali Regulares ordinari canonicos, pro qua re per septem annos excommunicati parvipendebant omnino : ita ut quinquennium exsularet archiepiscopus, vacaret ecclesia, reditus illi violenter diriperent, et tam exosus esset omni populo archiepiscopus, ut in ingressu etiam omnibus nostris exprobrarent, dicentes, « Quoniam isti sunt de patronis archiepiscopi. » Sed mutavit animos eorum sermo Dei vivus et efficax, præter spem universorum, qui noverant negotii difficultatem et obligationes pessimas nimis. In castro quod dicitur Bragerach, allatus est ad eum vir nobilis, gravissima infirmitate laborans, et ex illa hora convaluit, ut postea didicimus. Homo civitatis illius, pauper et inops, laudat hodie nomen Domini, qui longa infirmitate fractus viribus, laborare non poterat, aut operari quidquam : sed benedicto pane vescens, cum per aliquot dies sequeretur nos, fortis et incolumis est reversus. In Caturcensi urbe quidam serviens episcopi percussus in capite, oculi unius lumen amiserat : sed signante eo visum recepit. Ibidem burgensis quidam bibit aquam ab eo benedictam, et visum est ei ac si projiceretur super caput plenum vas aquæ; et ex hora convaluit a febre, qua per septem annos laboraverat.

4. Jam vero Petragorici populi devotionem quis explicet? Paulo minus suffocabant eum; adeo ut necesse habuerit clam discedere ab eis. In Tolosana urbe satis devote susceptus est; sed per paucos dies plus quam satis, et etiam plus quam nimis fuere devoti. Paucos quidem habebat civitas illa, qui hæretico faverent : de textoribus, quos Arianos ipsi nominant, nonnullos. Ex his vero qui favebant hæresi illi plurimi erant, et maximi civitatis illius. Denique non longe ante adventum nostrum unum e ditioribus civitatis illius cum uxore ejus seduxerant, ut relicta substantia sua et parvulo filio in villam secederent, quæ hæreticis plena est, et nullis deinceps propinquorum persuasionibus reduci potuerant. Vocatus est ergo Henricus, vocati sunt Ariani : et pollicitus est populus, quod nemo eos deinceps susciperet de cætero, nisi venirent et palam loquerentur. Fugas Henrici, et Arianorum latibula longum est enarrare. Fugerunt siquidem qui in civitate erant Ariani, audientes signa et mirabilia quæ fiebant. Fautores eorum abnegaverunt eos, et credimus omnino perfecte liberatam civitatem ab omni hæreticæ contagio pravitatis. De militibus promisere nonnulli, quod deinceps expellerent, et non manu tenerent eos. Si qui vero cupidi fuerint, et aliter voluerint agere, hæreticorum munera diligentes, data est sententia in hæreticos et in fautores eorum, atque in omnes qui manu tenuerunt eos, ut neque in testimonio, neque in judicio suscipiantur, nemo communicet in convivio, neque in commercio. Henricum fugientem (121) secuti et persecuti sumus, sed ille eo amplius fugiebat.

5. In ipsis sane castellis quæ seduxerat, locutus est dominus Abbas, et libenter audiente populo crediderunt qui erant præordinati ad vitam. Milites quidem nonnullos invenimus obstinatos, sed non tam errore, ut nobis videtur, quam cupiditate et voluntate mala. Oderunt enim clericos; et gaudent facetiis Henrici, et quia id loquitur eis unde occasionem habeant et excusationem malitiæ suæ. Omnes tamen affirmabant quod deinceps non manu tenerent eum, siquidem domini Abbatis colloquium **1194** refugisset. Data proinde sententia est in hæreticum et in fautores ejus, et patefacta est omni populo pessima ejus vita, et quomodo in Pisano concilio omnes quas nunc prædicat hæreses abjuraverit, et redditus domino Abbati, litteras acceperit ab eo in Clara-Valle, ut ibi monachus fieret. Credimus annuente Domino malitiam ejus finiendam brevi. Terra tam multiplicibus errorum doctrinis seducta, opus haberet longa prædicatione : sed dominus Abbas nec tanto labori sufficere videtur, et multo magis timet molestus esse fratribus suis; et hic est, ni fallimur, ejus quem prædiximus puncti defectus in cantu versiculi quem audivit.

6. Acceptis ergo a Clara-Valle multis hinc inde litteris, cum omni festinatione revertetur : et credimus annuente Deo quod non longe post octavam Assumptionis beatæ Mariæ visuri sitis desiderium, merito desirabilem virum. Utinam enim nossemus quantum et quam inæstimabile donum dederit nobis Deus Patrem sanctum, advocatum fidelem, patronum potentem, pastorem bonum, plenum gratia et virtutibus coram Deo et omni sæculo! Denique quod in certis locis virtutes occultet humilitate, certis didicimus experimentis, quando per ejus discessum continuo sanabantur infirmi, uti sic esset illis bene, ut ipsum nemo magnificaret. Ubi vero

(120) In apographo quod signatur *ex ms Marchianensi vetusto*, sequitur series punctorum; unde suspiciendum aliqua esse omissa.

(121) Confer superiorem librum tertium Vitæ, cap. 6.

Digitized by Google

necesse fuit, maluit, ut ipse confessus est, sustinere proprium periculum, quam saluti eorum non providere.

7. Erat in ecclesia sancti Saturnini, in qua hospitabamur, canonicus quidam Regularis, Joannes nomine, peritissimus medicæ artis. Is ergo septem, ut dicebatur, mensibus decubans, a sancto Pascha ita languebat, ut quotidie solum ejus obitum exspectarent. Defecerant tibiæ ejus, ita ut nequaquam viderentur puerilibus brachiis grossiores. Specialiter sane dextri femoris nervus aruerat, ut a sancto Pascha ad modicum quidem posset extendere genu. Languebat miser semivivus, et quotidie responsum mortis habens in se ipso, et ne ad urinam quidem aut egestionem surgere omnino valebat. Ob fetorem denique et languorem extra monasterium factus, erat in burgo collocatus, non sustinentibus canonicis præsentiam ejus. Rogat ergo obnixius ut prope dominum Abbatem deferatur, et portant sex viri in grabato in cameram, quæ proxima erat hospitio nostro. Ibi visitatus a domino Abbate, confessus est ei peccata sua, et pro sua liberatione et sanitate obnixius obsecrabat. Ubi ergo benedixit ei dominus Abbas, exivit de camera, et ivimus nos quoque cum eo. Ibat autem secum cogitans et dicens tanquam servus fidelis : « En, Domine, signa quærunt, et nihil proficimus aliter; quousque dissimulaveris? » Et continuo exsiliens ille cucurrit post nos, ita ut vix ingressi essemus hospitium, quando sequentem nos vidimus, et ambulantem, ut ipse dicebat, non viribus, sed virtute divina. Exinde pergit ad ecclesiam gratias agens Deo, et fratres cantantes cum eo, « Te Deum laudamus. » Quanta devotione domini Abbatis oscularetur pedes, scire potest nemo, nisi qui vidit.

8. Puer quidam septennis, ut dicebatur, languens inter brachia matris ignorantis quænam esset passio, cum benedictus a domino Abbate reverteretur, continuo vomuit lapidem, quem multi quoque viderunt, et sanus factus est ex illa hora. In ipsa civitate hominem jam senem, qui unius oculi lumen amiserat, per signum crucis illuminavit. Sic et puerum, qui utroque oculo cæcus erat, alterum vero jam majoris ætatis cæcum similiter illuminavit. Fuit in ipsa urbe mulier quædam, quæ subitum in capite dolorem sentiens dixit, « Quia non comedam donec veniam ad Virum Dei : » dehinc cum cogeret eam vir ejus ut comederet, ubi primum gustavit panem, paulo minus suffocata, et arctata gutture pervasa est a dæmonio. Exinde per triduum non poterat comedere aut bibere quidquam, donec præsentata domino Abbati, benedictum panem et aquam sumpsit de manu ejus. Præcepit deinde dominus Abbas, ut juxta nos in capella pernoctaret, volens ad eam sine turba venire secretius. In nocte vero conqueri cœpit vehementius, ita ut nunc quidem dæmon, nunc femina loqueretur, et modo in sinistram, **1195** modo in dexteram partem vertebatur lingua, secundum quod mutabatur loquentis persona. Dicebat dæmon audientibus universis qui astabant, « Quia non egrediar donec veniat Abbas, donec veniat Abbaticulus. » Admonitus interim dominus Abbas in somnis venit ad eam; et quam in tanto cruciatu invenerat, quietam omnino dimisit. Et protinus mane facto celebrans Missarum solemnia, dedit ei communionem sanctam, et incolumem remisit in domum suam

9. Ex his qui manus habebant intortas in partem alteram, et digitos in partem replicatos, tres sanavit Tolosæ, tres in confiniis ejus. Allata est enim ad eum puella quædam dum oblationem susciperet; et signans manum, atque apprehendens digitos cum omni facilitate aperuit. Id ipsum quoque de duobus aliis fecit, nisi quod alterius, cujus erat manus contracta utraque, erubescens propter episcopos qui præsentes erant, parumper aperuit, et sic tradidit militi cuidam de Templo qui præsens erat, ut ipse perficeret. Quartum ab hoc incommodo liberavit infantem quemdam apud Dameyseriam, vidente domino Engolismensi episcopo, et stupente quod ubi signavit manum et dimisit, ipsa quasi esset chorda quædam, in bonum statum conversa est, et digiti aperiri cœperunt. Ibidem sane in hora eadem et surdum fecit audire, et mutum loqui. Quintum mancum sanavit in castro quod dicitur Viride-Folium, ubi sedes est satanæ; et ipse pessimi, ni fallor, hæretici puer erat. Sextum sanavit in castro quod dicitur Sanctus-Paulus, quos ex servientibus domini legati remanere in terra aliena febris gravissima coegisset, nisi subvenisset eis cœlestis medicina panis benedicti.

10. In Albigensi civitate factum est, quod cæteris non immerito miraculis credimus præferendum. Erat enim populus civitatis illius super omnes qui in circuitu ejus sunt, hæretica pravitate contaminatus, ut audivimus; ita ut domino legato, qui per biduum ante nos venerat, cum asinis et tympanis exierint obviam, et cum signa pulsarent ad populum convocandum, ad Missarum solemnia celebranda, vix convenere triginta. Tertia die dominus Abbas cum multa populi lætitia susceptus est. Sed tanta mala de illis audierat, ut penitus non acceptaret devotionem eorum. Sequenti vero die, cum beati Petri solemnitas esset, tanta ad audiendum verbum Dei multitudo convenit, ut non caperet eos grandis ecclesia. Quos allocutus dominus Abbas : « Seminare, inquit, veneram, sed præoccupatum a semine pessimo agrum inveni. Verumtamen, quia rationalis est ager, Dei enim agricultura vos estis, ecce ostendo vobis semen utrumque, ut sciatis quid eligere debeatis. » Et incipiens a Sacramento altaris per singula capitula, quid hæreticus prædicaret, quæve esset fidei veritas, diligentius exponebat. Demum interrogavit eos quid eligerent : et respondens omnis populus cœpit abominari et detestari hæreticam pravitatem, et cum gaudio suscipere verbum Dei, et catholicam veritatem. « Pœnitemini, inquit, igitur quicunque contaminati estis, redite ad Eccle-

Digitized by Google

siæ unitatem. Et ut sciamus quis pœnitentiam agat et suscipiat verbum vitæ, levate in cœlum dextras in signum catholicæ unitatis. » Factum est ergo, ut levantibus omnibus dextras in cœlum cum exsultatione, ipse sermoni finem imponeret. Et nos quoque epistolam terminemus (122). Valete.

LIBER SEPTIMUS

Excerptus ex libro cui titulus : *Exordium magnum Cisterciense*, distinct. 1, 2, 4, 6.

CAPUT PRIMUM

De apparitione monachi defuncti et revelatione salvandorum e Clara-Valle, Bernardo facta.

1. Postquam, divina largiente gratia, vinea Domini sabaoth, Cisterciensis videlicet ecclesia, propagines suas emittere cœpit, fundatis jam domibus de Firmitate, et de Pontiniaco, tertio loco in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinto decimo fundata est domus Claræ-Vallis, cui etiam beatæ memoriæ dominus Stephanus Cisterciensis abbas beatissimum patrem nostrum Bernardum primum ordinavit abbatem : de cujus admirabili conversatione, singulari sanctitate, speciali signorum atque virtutum prærogativa, liber licet Vitæ plenius edisserat, tamen aliqua, quæ illic prætermissa sunt, ad memoriam tanti Viri simul et ad ædificationem legentium scribere congruum puto, ne in hoc libello, qui de viris virtutum cuditur, splendidissimam columnam, cui universitas Ordinis nostri innititur, sub silentio transisse videamur.

2. Accidit aliquando in Clara-Valle, dum Missa in conventu celebraretur, eodem venerabili Patre præsente, ut, lecto Evangelio, sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset; quæ cum aliquantulum diutius exspectaretur, conventus interim versis vultibus ad Orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallo suo inter gradum presbyterii staret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit; et stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cœpit : quem Famulus Dei videns, agnovit, et quare caput contra se agitaret, quæsivit. Cui ille : « O si sciretis quantos et quales socios haberetis in cœlis! profecto caveretis vobis ab omni negligentia. » Quod verbum Sanctus gratanter audiens respondit : « Verene putas quod omnes qui in hoc monasterio sunt fratres, salvabuntur? » « Etiam, inquit, salvabuntur. Et non solum ipsi, sed et omnes qui in Ordine nostro (123) obedienter et humiliter fuerint conversati, salvabuntur. » Recordatus vero pius Pater cujusdam fratris, quem pro negligentia et duritia cordis sui frequentius corripi oportebat, et ob hoc super eo multum contristabatur, subintulit dicens : « Nunquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? » Respondit : « Nec ipsi deerit misericordia Dei. » Quo audito Vir Domini vehementer gavisus est, et tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodiebat vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat.

CAPUT II.

De quodam fratre defuncto, orationibus et Missarum oblationibus e purgatorii pœnis liberato.

3. Defunctus est quadam vice Conversus quidam in Clara-Valle. Cumque concurrentibus fratribus commendationis officium ex more fieret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per catervas suas incedentium, cum magni strepitus vociferatione **1197** clamare, et dicere : « Eia bene, eia modo bene! solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. » Cum vero idem senior, qui hæc audierat, per noctis quietem sopori membra dedisset, frater defunctus ei in visu apparuit tristi et lugubri vultu, dicens ad eum : « Quia audisti heri dæmones de meis suppliciis exsultantes, veni et vide, quam terribili tormento Dei omnipotentis justo judicio traditus sum. » Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis et horrendæ profunditatis, et dixit ei : « Ecce in hunc puteum frequenter a dæmonibus mittor, quorum tanta est crudelitas, ut si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quam semel a dæmonibus hic immergi. »

4. Mane autem facto, dum quæ audierat et viderat præfatus senior beato patri Bernardo retulisset, licet ipse quoque per spiritum ea cognovisset, ingemuit, et ait : « Scio quia nisi gravis causa existeret, nunquam dæmones talem ausum præsumpsissent. » Itaque capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem fratris defuncti exponit : dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens, monebat ut cautius in via sanctæ religionis ambularent; multam esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, tamen præcipue contra monasticæ religionis professores, affirmans. Post hæc fratris animæ in suppliciis constitutæ subvenire eos attentius monens, psalmis et orationibus

(122) In apographo not. 120 citato additur : *Apud Sanctum Anthonium sanavit puellam cujus brachium totum aridum erat.*

(123) Eamdem sententiam Bernardo tribuit Herbertus in lib. I, cap. 11.

Digitized by Google

Missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatur, si forte pius Pater pulsatus precibus eorum per salutaris hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, et ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare. Quod cum fratres devotissime facerent, paucis evolutis diebus idem frater defunctus supradicto seniori iterato apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente vero sene, quomodo se haberet, respondit: « Deo gratias, bene. » Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait: « Veni et vide. » Et continuo introduxit eum in oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria sacerdotes stabant, hostiæ immolationem summa devotione celebrantes. « Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum: hæcce est virtus misericordiæ Dei, quæ invincibilis permanet. hæc est Hostia illa singularis, quæ totius peccata mundi tollit. Et vere dico tibi, quod his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic hostiæ salutari, non est quidquam quod resistere valeat, nisi cor impœnitens. » Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppido gavisus est: modum quoque visionis ejusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem hostiæ salutaris reddidit, quanto certius ejus efficaciam in fratris ereptione meruerant experiri.

CAPUT III.

De visione beato Bernardo oblata, quæ diversa in choro psallentium merita ipsi repræsentabat.

5. Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus, ea puritate et devotione qua solebat, Deo tantum nota et sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus: et ecce respiciens vidit singulos Angelos juxta singulos monachos stantes, et quod quisque eorum psallebat, in schedulis more notariorum, tam diligenter excipientes, ut nec minimam syllabam, quantumcunque negligenter prolatam, omitterent. Scribebant vero diverso modo. Nam quidam eorum scribebant auro, alii argento, nonnulli atramento, aliqui etiam aqua, quidam vero penitus nihil scribebant. Spiritus autem qui hæc revelabat intelligentiam quoque diversitatis scripturæ cordi ejus inspirabat. Qui enim auro scribebant, ferventissimum in Dei servitio studium, et absolutam cordis intentionem, in his quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen psallentium devotionem declarabant. Qui vero atramento, continuum quorumdam bonæ voluntatis usum in psalmodia, licet non cum multa devotione, notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos qui somnolentia seu pigritia **1198** pressi, vel variis cogitationibus a se abducti, videntur quidem aliquid sonare, sed cor eorum longius abstractum, non concordat voci. Et, o mira Dei clementia! sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quantumcunque modicum, quantumcunque negligenter factum, erit irremuneratum. Cæterum illi qui nil scribebant, lamentabilem quorumdam duritiam cordis redarguebant, qui obliti professionis suæ, timoris Dei immemores, aut lethali somno prona se voluntate immergunt, aut certe vigilantes clauso ore, vanis et noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, et in conspectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimescunt. Pater itaque sanctus qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, quoniam *omnes administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I, 14), sicut proficientium congratulabatur fervori, sic paterno pietatis affectu deficientium miserabatur tepiditati.

CAPUT IV.

De divinis hymnis pie et devote canendis, et quam id gratum angelis.

6. Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, et Vir Domini cum cæteris fratribus aderat. Cumque hymnus, « Te Deum laudamus, » cantaretur, vidit sanctos Angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos, qui utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modo illum excitabant; cantantibus aderant, et quasi congratulantes astabant, et ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum vere esse familiarem ipsis, quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, et sursum conscendebat.

CAPUT V.

De pusillanimitate fratrum, notabili verbo ad fiduciam divinæ misericordiæ per beatum Bernardum erecta.

7. Loquente aliquando verbum Dei fratribus beato Bernardo, cum vehementer vitia corriperet, terroremque tremendi judicii Dei mentibus incuteret, sensit in spiritu quosdam de sedentibus graviter in conscientiis suis turbari, et fere in barathrum desperationis prolabi. Tunc vero spiritu fraternæ charitatis totus flammescens, mirantibus omnibus qui aderant, in hæc verba prorupit: « Quid est quod in conscientiis vestris turbamini, fratres mei? Utquid enormitatem, et innumerositatem criminum vestrorum sic intuemini, ut inexhausta viscera miserationum Domini obliviscamini? In veritate dico vobis, quod si filius ille perditionis Judas, qui vendidit et tradidit Dominum, in hac Christi schola sederet, et huic Ordini incorporatus esset, per pœnitentiam veniam consequeretur. » Audito itaque tam magnifico consolationis verbo, non solum illi qui præ pusillanimitate spiritus jam fere desperabant, sed et omnes qui aderant, in spem divinæ gratiæ respirantes Dominum glorificabant.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De monacho quodam veritatem sacramenti Corporis et Sanguinis Christi negante, sed cura Bernardi mirabiliter ad fidem perducto.

8. Quidam monachus hujus sancti Patris, per fallacias dæmonum, et per proprii sensus simplicitatem, in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret panem et vinum aqua mistum, quæ proponuntur in altari, nequaquam transubstantiari posse in verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Quapropter vivifica Sacramenta, tanquam nihil profutura sibi, sumere despiciebat. Notatus denique a fratribus, quod Sacramentis **1199** altaris non participaret, convenitur secreto a senioribus suis. Requisitus causam non negat: dicit Sacramentis se nequaquam fidem adhibere. Quibus docentibus et monentibus, dum non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet, ad venerabilem Abbatem res delata est. Cumque vocatus venisset, et Abbas sanctus secundum datam sibi sapientiam infidelitatem illius confutaret, ille respondit: « Ego nullis assertionibus ad hoc potero induci, ut panem et vinum, quæ in altari proponuntur, credam verum esse corpus et sanguinem Christi; et propterea scio me in infernum descensurum (124). »

9. Quod audiens Vir Dei, sicuti semper rebus in arcto positis mirabilem solebat auctoritatem ostendere, dixit: « Quid? monachus meus in infernum descendet? Absit! Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, communica fide mea (125). » O pium Patrem! o vere sapientem medicum animarum, per unctionem gratiæ docentem se de omnibus, qualiter infirmantium tentationibus mederi deberet! Non dixit, « Fuge, hæretice; vade, damnate; recede, perdite: » sed confidenter dixit, « Vade, communica fide mea: » credens indubitanter, parvulum filium suum, quem sacri desiderii vulva parturiebat, donec Christus in eo formaretur, sicut nequaquam a visceribus charitatis suæ, sic nec a fundamento fidei suæ alienum existere. Constrictus itaque virtute obedientiæ monachus, peenitus sine fide, ut sibi videbatur, ad altare accessit: communicavit, sanctique Patris merito confestim illuminatus, fidem Sacramentorum recepit; quam etiam intemeratam usque ad diem mortis suæ conservavit.

CAPUT VII.

De crucifixo Bernardum amplexante.

10. Dominus Menardus abbas de Moris, quod est monasterium vicinum Claræ-Valli, vir religiosus, mirabilem quamdam rem, quasi de alio, retulit familiaribus suis, quam tamen sibimet evenisse putamus; ita dicens: « Notus est mihi monachus, qui beatum Bernardum abbatem aliquando reperit in ecclesia solum orantem. Qui cum prostratus esset ante altare, apparebat ei quædam crux cum suo crucifixo super pavimentum, posita coram illo, quam idem vir beatissimus devotissime adorabat, ac deosculabatur. Porro ipsa majestas, separatis brachiis a cornibus crucis, videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque astringere sibi: quod cum monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, et quasi extra se erat. Tandem vero metuens ne Patrem suum sanctum offenderet, si eum, veluti secretorum suorum exploratorem, ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit, intelligens nimirum ac sciens de illo homine sancto, quod vere supra hominem esset tota ipsius oratio, atque conversatio. »

CAPUT VIII.

De beneficio seu gratia quadam epileptico divinitus impetrata.

11. Exiit aliquando Pater sanctus ad visitandum fratres suos metentes in agro. Sed quoniam infirmus erat, et pedes ire non poterat, perrexit asello. Porro monachus quidam cum eo tunc ambulans, atque asinum minans, cum ab olim pateretur caducum morbum, subito coram eo in ipso itinere corruit, et cœpit ab eadem epilepsia graviter torqueri: quo viso Vir sanctus condoluit ei; unde et deprecatus est Dominum pro eo, ut passio illa non apprehenderet amplius improvisum. Igitur ex eodem tempore usque in diem mortis suæ, per viginti et eo amplius annos, quibus postea supervixit, datum est ei quod antea non habebat, quodque cæteris epilepticis vix contingit. Quoties enim ex eodem morbo cadere debebat, passionem ipsam per aliquantum temporis spatium **1200** præsentiebat, ita ut opportune posset lecto decumbere, et repentini casus elisionem jugiter præcavere. Et quidem Pater sanctus, qui hoc ei munus a Domino impetravit credimus quia perfectam ei sanitatem obtinere potuisset, si hoc saluti animæ expedire cognovisset. Sed quia homo ille gravis moribus ad portandum, et duri admodum cordis erat, cui salvando et virga correctionis et baculus consolationis semper necessaria videbantur, concessum est ei misericorditer, ut subitanei casus periculum præsciendo jugiter declinaret, et salutiferi morbi stimulo non careret.

CAPUT IX.

De quodam moribundo, ex mandato beati Bernardi mortem differente.

12. Quidam de fratribus Claræ-Vallis, cum esset positus in extremis, ingressus est ad eum visitandum beatus Bernardus post Completorium; et videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, dixit ad eum: « Nosti, charissime frater, quod conventus noster modo fatigatus est labore; et jam post modicum habet ad vigilias surgere: quod

(124) Vide haud absimile factum apud Herbertum, lib. III, cap. 26.

(125) Erat ergo involuntaria tentatio, nam alias Bernardus laudat factum Malachiæ erga quemdam presbyterum in simili errore contumacem, qui erroris tandem in morbo extremo pœnitens « confessus reatum absolvitur, petit Viaticum. »

Digitized by Google

si te interim obdormiente operteat illum suam interrumpere dormitionem, nimis vexabitur, et prægrandes vigilias minus solemniter exsequetur. Ut ergo bene tibi sit, et æternaliter vivas in terra viventium, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, quatenus usque ad horam divini officii exspectes nos. » Cui æger respondit : « Faciam, domine, libenter, ut imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffrageris. » Abiit itaque abbas sanctus cum silentio in dormitorium : et ille qui extremum fere anhelitum trahebat, non obiit ante terminum constitutum. Mox itaque ut signum ad vigilias pulsari cœpit, pulsata est etiam tabula, et ille decessit. Quod non modo de isto fratre, sed etiam de pluribus aliis pluries accidit, ut ad nutum et voluntatem beatissimi Patris eorum finis protelaretur.

CAPUT X.

De fratre magis rei familiaris, quam fraternæ charitatis studioso, et in vœnam extra Claram-Vallem mortuo.

13. Cum audisset aliquando Vir Domini, quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum et religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem, decrevit mittere et reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo moreretur, et desiderata sibi sepultura non privaretur. Verumtamen unus de fratribus ejus carnalibus, nomine Guido, nitebatur huic obviare consilio; quia cum esset unus ex provisoribus Claræ-Vallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui et labori. Qui cum pertinaciter hujusmodi persuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus : « Nunquid major cura est tibi de pecunia vel jumentis, quam de fratribus tuis? Quia ergo non vis ut fratres nostri nobiscum requiescant in valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. » Et factum est ita : nam idem Guido, quamquam alias vir bonus et religiosus esset, tamen ut sermo Sancti impleretur, non est consummatus in Clara-Valle; sed apud Pontiniacum præventus ægritudine lecto decubuit, ibique disponente Deo terminum vitæ, et locum sepulturæ accepit.

CAPUT XI.

De sancto Bernardo, spiritu suis in Clara-Valle fratribus præsente, etiam dum foris ageret.

14. Venerabilis pater Bernardus cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma atque in partibus Italiæ, pro sedando schismate Petri Leonis, in quo videlicet tempore eumdem famulum suum Christus Dominus magnifice honestavit, tandem reversus Claram-Vallem, **1201** statim post factam orationem, capitulum fratrum intravit : et quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat, brevem quidem sermonem, sed consolatione plenum protulit, ita dicens : « Benedictus Deus, qui vos dilectissimos fratres meos mihi reddidit, et me qualemcumque patrem vestrum vobis. Et ego, quidem, filioli, quamvis per hoc triennium visus fuerim longe remotus a vobis, non tamen puteris me semper absentem fuisse. Sciamus enim quod tribus vicibus interim reversus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, et semper exhilaratus et consolatus abscessi, videns unanimitatem atque instantiam vestram in proposito Ordinis vestri. »

15. Innumera sunt alia quæ iste famulus Dei dixit et fecit, in quibus manifeste apparebat eum prophetali gratia præditum, quoties ibi præsentem esse spiritu, ubi absens corpore videbatur; multaque abscondita et etiam longius posita Domino revelante cognoscere, quæ ipsum latere videbantur. Hæc autem significavit nobis dominus Gerardus, quondam abbas Longi-Pontis, qui unus ex antiquis senioribus Claræ-Vallis, dicta et facta sancti Patris rimari studiose satagebat. Ipso quoque referente audivimus, quod iste Dei Sanctus, dum in quodam monachorum capitulo Verbum Dei prædicaret, duo ex fratribus, qui aderant, viderunt eum in subsellio, in quo residebat, in aere suspensum, et quasi mensura unius pedis a terra sublevatum.

CAPUT XII

De gratia beato Bernardo divinitus concessa, qua absens suorum necessitates noverat.

16. Iste fidelis et prudens dispensator annonæ Dominicæ quodam tempore pro causis Ecclesiæ solito diutius foris moratus fuerat. Siquidem pro pace facienda, pro schismate resarciendo, pro hæresibus confutandis, frequenter ex mandato summi Pontificis, licet invitissimus, exire cogebatur. Explicitis itaque causarum nexibus, pro quibus exierat, ad monasterium revertitur, et quam citius opportunitas datur cellam Novitiorum ingreditur; quatenus novelli et teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutius sacræ exhortationis ipsius dulcedine caruerant, tanto copiosius ab uberibus consolationis ejus reficerentur. Quaquaversum enim sanctus Pater exibat, verbum Dei seminabat super omnes aquas: et vix unquam absque fenore spiritualis lucri redibat; implens cellam probationis multitudine Novitiorum, quorum numerus aliquando ad centum extendebatur, ita ut ad horas divini officii, Novitiis chorum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ providebant, monachi foris stare cogerentur (126).

17. Cum ergo, sicut prædiximus, cellam Novitiorum intrasset, et in lingua sua illa placabili et ædificatoria cunctos hilares, et ad observantiam sacri propositi ferventiores reddidisset, unum ex eis seorsum revocans dixit ad eum : « Fili charissime, unde tibi hæc tristitia, quæ intimos recessus cordis tui tam perniciose depascitur? » Novitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait ille vere mitis et

(126) Septingentos apud Claram-Vallem monachos fuisse tum, cum Bernardus mortuus est, tradit Gaufridus supra, lib. v, num. 20.

Digitized by Google

humilis corde, qui se pastorem, et non mercenarium omnibus exhibere noverat : «Scio, fili dilectissime, scio quæ circa te agantur ; et propterea paterno pietatis tibi compatior affectu. In hac namque tanta mora absentiæ meæ, cum desideratissima semper mihi fratrum meorum præsentia corporali carere compulsus fuissem, et per Domini gratiam concessum mihi esset, ut quod corporaliter non poteram, spiritualiter supplerem ; rediens in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligentius explorans, etiam ad cellam Novitiorum accessi : in qua cum universos in timore Dei exsultantes, et ad pœnitentiæ labores accinctos invenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi te mihi astringere vellem, tu me aversatus, et faciem a me avertens, amarissime flebas, ita **1202** ut cuculla nostra lacrymis tuis infunderetur.» Hæc dicens Pater sanctus, et spiritualibus monitis aggressus captivum, mœrorem fugavit, et in spiritualis lætitiæ libertatem, jam pene tristitia absorptum revocavit.

18. Vere mirabilis Deus in sanctis suis : vere ineffabilis Deus, et ineffabilia opera ejus. Quid enim in hoc beatissimo Patre nostro magis admirer, nescio : an quod tantam et tam insolitam gratiam a Domino percipere non semel, sed pluries meruit : seu quod tam excellentem gratiam percipiens, non eam apud se servavit, teste conscientia ; sed nec paucis familiaribus suis eam revelavit, quod certe et ipsum sine periculo vix fieri posse videretur. Verum in publico conventu, sicut supra retulimus, coram universitate fratrum, eam sibi collatam esse manifestavit, et tamen mentem adeo in timore Dei solidatam habuit, ut vanitatis spiritu nequaquam pulsari timeret. Invenitur etiam in Gestis (127) hujus beati Viri, quod adhuc in carne degens, Novitio cuidam in Clara-Valle graviter ægrotanti, cum multitudine monachorum in spiritu apparuit, prædicens ei quod quinta die foret moriturus ; et quod ipsa quinta die, sole jam ad occasum vergente, visitans eum jussit confidere, et nihil timere, sed recto protinus cursu pervingere ad Dominum Jesum Christum, et offerre ei humilem suæ Clarævallensis familiæ salutationem. Ad quam vocem Novitius, qua potuit capitis inclinatione, et motu annuens labiorum, clausis oculis eadem hora obdormivit in Domino.

CAPUT XIII.

De vocatione plurium clericorum Parisiensium ad religionem.

19. Quadam præterea die cum vir Domini Bernardus, causa exigente Parisios adisset [*alias*, Parisius adesset] rogatu clericorum ingressus est de more scholas eorum. Quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, et subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito vero sermone, cum nemo ex eis converteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum, et præter A solitum id ei accidisset : veniensque ad domum cujusdam archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, recessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cœpisset orare in spiritu vehementi, validissima compunctione totus in lacrymas resolutus est ; ita ut gemitus et singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto præfatus archidiaconus a sociis ejus requirere cœpit, quænam esset causa tanti mœroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam abbas Fusniaci, nomine Rainaldus, qui secretorum Famuli Dei magis conscius erat, et ejus etiam relatu ista cognovimus, dixit ad eum : «Homo iste mirabilis, totus igne charitatis accensus, et totus in Deum absorptus, nihil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, B ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, et eorum animos Christo acquirere : et quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, et de conversatione clericorum (128) fructum verbi sui non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie in sua prædicatione non sensit respectum. Hinc ista procella gemituum ; hinc effusio lacrymarum : proinde hinc certissime spero, quod hodiernam sterilitatem crastinæ satisfactionis ubertas grandi fenore compensabit.»

20. Mane itaque facto cum scholas repetisset prædicator egregius, ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, et sacræ Scripturæ retia laxavit in capturam. Finito vero sermone, plurimi ex eisdem clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tanC quam de marinis fluctibus extractos, et vehiculis conductis impositos in salvatorium Claræ-Vallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate cum comitatu suo usque ad villam Sancti-Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane, cum eum recto itinere profecturum fratres illius æstimarent, **1203** dixit : «Redeundum est nobis omnibus Parisius, quia sunt adhuc ibi aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde abducere, et jungere huic ovili dominico, ut fiat unus grex, et unus Pastor.» Cum ergo cœpissent introire civitatem, vidit clericos tres a longe in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos : «Expedivit nos Dominus ; jam in viam nostram proficiscemur. En isti sunt clerici, propter quos venimus.» Illi vero accedentes, cum eum adesse cognoscerent, gavisi sunt gaudio magno, et dixerunt : «O quam desideratus advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te, et vix putabamus abeuntem consequi posse!» Qui respondens, dixit ad illos : «Et ego noveram, dilectissimi ; propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri.» Adjunctis ergo cæteris supra nominatis, secuti sunt Hominem sanctum adhærentes ei, et sub disciplina magisterii ejus spiritualem militiam exercentes cunctis diebus vitæ suæ.

(127) Quæ sint hæc Gesta, necdum nobis compertum. Consimile refertur ab Herberto in lib. II, cap 40.
(128) Sermo ille de Conversatione, ad Clericos, exstat tomo II.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De mirabili dono prophetiæ in sancto Bernardo, et de prædictionibus ejus impletis.

21. Ad benedictionem hujus sancti patris Bernardi, quidam aliquando Novitii ejus veterem hominem cum actibus suis exuentes, novum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, induerunt; de quibus Vir beatus in spiritu Dei loquens prædixit, omnes eos gratiam spiritualis dignitatis adepturos, nomen et officium abbatis sortituros. Cumque succedentibus annis, temporibus opportunis in singulis eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur, unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suecia ad domum Novæ-Vallis Abbas sanctus direxerat, post obitum ipsius per annos quamplurimos, usque ad senectam, imo pene decrepitam B ætatem absque hoc munere gratiæ vixit, eo quod simplicioris esset naturæ; et ad tantum officium administrandum minus idoneus existimaretur. Sed quid? nunquid vel in extremis finibus mundi latens, vel gravioris ætatis incommoda sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere potuit, quominus impleretur de eo, quod per os prophetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto ante prædixerat?

22. Denique per tanti temporis spatium, cum jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc columbinæ simplicitatis homine Pater sanctus prædixerat, accidit ut fratres de quadam domo Novæ-Vallis, in insula, quæ Gotlandia dicitur, sita, destituti pastore, secundum generalem consuetudinem Ordinis ad matrem suam recurrerent, quatenus per providentiam et sollicitudinem patris abbatis domui ipsorum dignus dispensator constitueretur. Et volente Domino, sine cujus nutu nec folium arboris, nec unus passerum in terram cadit; tam patri abbati, quam cæteris, qui electioni intererant, placuit, ut prædictum senem in hanc partem sollicitudinis assumerent, qui tanto fiducialius de pietate Dei sanctissimique Patris sui meritis confideret, quanto humilius de sua insufficientia diffideret. Quod ubi factum est, et verbum quod olim Sanctus prædixerat, ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est; mirati sunt omnes qui audierunt, dicentes promotionem tam senis et simplicis hominis ad hoc tantum divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus, quæ per spiritum prophetiæ locutus est Homo Dei, unum saltem iota vel unus apex incassum prolata viderentur

CAPUT XV.

De latrone a crucis supplicio per sanctum Bernardum liberato, sed cruci religiose deinceps addicto.

23. Contigit aliquando, eumdem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. **1204.** Cum appropinquaret oppido, ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui jubente Comite latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo A viso clementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser astrictus, ait tortoribus ejus: « Dimittite mihi sicarium istum: ego enim volo manibus meis suspendere eum. » Audiens autem Comes adventum Hominis Dei, festinavit illico occurrere ei: miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque eum honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit vehementer, et dixit: « Heu, venerabilis pater, quid est quod facere voluisti? ntquid enim furciferum istum millies condemnatum a porta inferi revocasti? nunquid eum salvum facere poteris, quia jam totus diabolus factus est? Desperata est penitus correptio illius, nec unquam bene facere poterit, nisi moriendo. Sine ergo, domine pater; sine perditionis hominem perditum iri, quoniam de pestifera vita ejus multorum vita periclitatur. »

24. Respondens autem Pater sanctus dixit: « Scio quidem, virorum optime, scio hunc latronem esse sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere; quin potius cogito ipsum tortoribus tradere, et dignam ex eo capere ultionem, quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio et momentaneo interitu consummari: sed ego eum faciam diuturno cruciatu, et morte longissima mori. Tu furcis appensum per unum, aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres: C ego crucifixum per annos plurimos faciam in pœnis jugiter vivere et pendere. » Quo audito Princeps christianissimus siluit, nec ausus est ultra contradicere sermonibus Sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta tunica sua, ex ea induit captivum suum, et attonsa coma capitis ejus (129) sociavit illum ovili dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claram-Vallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulchre nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui: Constantius enim vocabatur. Itaque triginta, nisi fallor, et eo amplius annos in ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri a duplici morte, corporis videlicet et animæ, misericorditer D eripere dignatus est.

CAPUT XVI.

Qua reverentia sanctus Bernardus susceptus est Mediolani.

25. Domno Rainaldo, cujus supra mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exsultatione universorum susceptus est, ut tota civitas fere per unam leucam rueret in occursum ejus. Multi vero eorum per quatuor aut quinque milliaria processerunt. Ita denique sibi in ipso com-

(129) Hinc non immerito infert Manricus ad annum 1146, cap. 3, tunc temporis jam morem fuisse, ut Novitii in veste non sæculari, quod Regula præcipit, et Bernardus tradit epistola 1, sed religiosa induerentur, tunicæ et cappæ addita tonsura

Digitized by Google

placuerunt, ut cum eum antea non vidissent, ingressum in urbem mox in archiepiscopum unanimi consensu raperent potius, quam eligerent. Quod cum ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi fuga latenter evasisset. Cum ergo ibi sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. Interea quidam de civibus ejusdem urbis, vestitu et vultu honorabilis, cum Dei Hominem omnimodis adire cuperet, et nusquam aditum reperiret, mediis se turbis ingessit, manibus ac pedibus reptans, et super colla sedentium gradiens, quousque ad ipsum quem desiderabat perveniret. Cumque apprehendisset pedes ejus, cœpit eos mira devotione amplecti, et deosculari. Quod videns supradictus Rainaldus, qui propius assidebat, accessit ut amoveret eum, sciens utique quia Vir sanctus hujusmodi **1205** venerationibus et obsequiis nimis gravabatur. Ille vero conversus dixit ad eum : « Dimitte me, obsecro, dimitte me videre et tangere hominem proximum Deo, et vere apostolicum virum : dico enim tibi, et in fide christiana testificor, quia vidi illum inter Apostolos Christi. » Quod audiens monachus ille miratus est, et cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus, sed præ pudore propter astantes non præsumpsit : verumtamen magnam exstitisse revelationem ipsam certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga Famulum Dei.

A

B

CAPUT XVII.

De petulantia hæretici cujusdam, Bernardo insultantis, lepide retusa et confusa.

C

26. Quodam tempore, cum legatus domini Papæ, aliqui quoque episcopi pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas sanctum Domini Bernardum secum traherent, paraverunt ei fratres equitaturam solito meliorem, quæ tam longo itineri sufficere posset. Qui cum ad illas partes comitantibus episcopis devenisset, Henricus quidam, quondam monachus niger, tunc autem apostata vilis, et eorumdem hæreticorum princeps, cognito adventu Famuli Dei, veritus est a facie ejus, sciens quod non posset resistere sapientiæ et spiritui qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, et minime potuit usquam eo tempore reperiri. Ibi quoque glorificavit Dominus servum suum in conspectu totius populi et principum terræ, faciens quotidie per manus illius signa et prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest, quanta turbarum infinitas apostolicum virum tota die prosequebatur, dum alii eruditionem, alii curationem, universi ab eo benedictionem postularent. Quadam igitur die, præsente innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide catholica conservanda, et de immunda hæreticorum societate vitanda commonuisset, contigit quemdam adesse de hæreticis illis, qui potentior cæteris atque prudentior videbatur : qui cum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei Famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, et daret maculam in gloriam illius. Jamque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, Vir Dei equum suum ascenderat, ut abiret ; et ecce, prædictus hæreticus, quasi coluber tortuosus, erecto capite venit ante Hominem Dei, et clamans coram omnibus ait : « Domine abbas, sciatis quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus et pinguis est, sicut iste sonipes vester. » Quo audito, Vir mitis et patiens respondit ei mox tranquillo vultu et animo, dicens : « Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit ; nihil inde justitia læditur, nihil Deus offenditur : quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego et magister tuus de cervicibus jumentorum, sed unusquisque de collo suo judicabitur. Nunc ergo, si placet, respice collum meum, et vide si grossius sit collo magistri tui, unde me juste forsitan reprehendere poteris. » Hoc itaque dicto caputium exuit (130), et capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat productum et gracile : quod quamvis esset carnibus exesum et tenue, erat tamen ex dono cœlesti pulchrum et candidum nimis, sicut collum oloris, quod cum viderent universi qui aderant, lætati sunt lætitia magna, benedicentes Dominum, qui dedit in ore Famuli sui tam paratum et conveniens responsum, unde confunderetur et obstrueretur os loquentis iniqua.

D

1206 CAPUT XVIII.

De cæco, mirabili fiducia et devotione erga pia sancti Patris absentis vestigia, visum recipiente.

27. Dum adhuc in eadem regione reverendissimus Pater moraretur, et tanquam ex Apostolis unus circuiret per castella et civitates evangelizando et curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima deliramenta redarguendo, convincendo, confutando : accidit ut cæcus quidam in vicinia eadem, comperta fama virtutum atque signorum, quæ per manus Hominis Dei multiplicabantur per dies, spe recuperandæ sanitatis animatus, eumdem Dei famulum adire decreverit, si forte beneficio cœlestis gratiæ, quæ per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque cæcitatis caligine detersa lumen dulce restitueretur. Accelerans ita-

(130) Huc referri potest id quod de cœnobitis sui temporis scribit Otto Frisingensis in Chronici libro 7, cap. 35 : « Ponunt ad carnem tunicas asperrimas, superque eas alias (id est cucullas) cum caputiis latiores. Differunt autem in hoc, quod alii ob contemptum mundi exprimendum eamdem vestem nigram tantum gerunt : alii vero de colore vel grossitudine nihil causantes, albam vel griseam, aliamve, abjectam tantum et asperam, ferre consueverunt. »

Digitized by Google

que, et ubinam Sanctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audivit eum in quodam celebri conventu, in medio magnæ multitudinis consistere, verbumque vitæ disseminare. Quo cum pedibus offendens, et anhelus currens pervenisset, tristi rumore percellitur, quoniam Vir Domini jam inde recesserat, et ad alia loca transmigraverat. Quid tamen ageret? siquidem desiderium recipiendæ sanitatis cum eum ulterius currere compelleret, densissimæ tenebræ quæ ejus oculos obsederunt, pigrum et minus expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis multa tristitia tabesceret, subito divina gratia inspiratus, et de meritis beatissimi Viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait, « Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stetisse certissime scitis. » Quod cum benevolentia eorum, qui aderant, continuo consecutus fuisset; veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, mira devotione pulverem ipsum, in quo sacra Veri Dei vestigia steterant, deosculando, Dominique misericordiam per merita Servi sui enixius implorando. Quod cum diutius faceret, et de ipso pulvere fide plenus oculos suos confricaret, repente miserante Domino, qui sanctitatem Famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solum Catholicis fidei orthodoxæ firmamentum contulit, verum etiam malegloriis hæreticis confusionis et opprobrii notam adauxit. Cæterum quis digne referre sufficiat, quam fundatus in humilitate, submissus in timore, pavidus circumspectione fuerit hic Vir beatus, in omni gloria et honore, quo colebatur a populis, tribubus, et linguis, quocunque cum negotiorum ecclesiasticorum causa devenire contigisset? Ut enim de cæterarum regionum nationibus taceam, quæ catholicæ fidei puritate illustrabantur, certe hi ipsi Gasconiæ populi, quos de faucibus profundissimæ hæreseos Pater sanctus verbo prædicationis, signis etiam et prodigiis admirandis, tanquam de ventre inferi revocabat, ipsum tanto devotionis venerabantur fervore, ut cedens aliquando importunitati eorum, et in cathedra residens, seipsum voluntati eorum exponeret. Tantaque fuit multitudo irruentium populorum benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut tenerrima prorsusque attenuata carne ipsius compressionem et impetum crebro deosculantium ferre non valente, manus et brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, et unde alii benedictionem sibi, per virtutem quæ de illo exibat, procurabant, inde ipse debilitatus, et penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret. Per omnia benedictus Deus, qui his novissimis diebus in Cisterciensi Ordine, tam perfectæ religionis et consummatæ justitiæ hominem suscitare dignatus est, per quem monasticus Ordo in antiquam sacræ religionis vigorem reflloresceret, et Ecclesia Dei per apostolicam gratiam ipsi collatam divinæ misericordiæ beneficia plurima consequeretur.

1207 CAPUT XIX.

De impio quodam et blasphemo, a mortuis per beatum Bernardum resuscitato.

28. Terram Jerosolymorum tempore quodam occupantibus Sarracenis, beatus Bernardus (cujus animam christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat) circumquaque discurrens, ad ulciscendam Salvatoris injuriam, et ad expugnationem gentis incredulæ, turmas fidelium non verbis tantum, sed signis et virtutibus hortabatur. Accidit autem cum in Alemanniam deveniret, et egredientem die quadam de Friburg, oppido memorabili in partibus Brisgaudiæ constituto, a quodam Henrico viro nobili et adhuc juvenculo, ad quamdam mansionem ipsius, ubi erat in vespera pernoctandum, deduci, præeunte copiosa multitudine, et sequente. Cum autem idem Henricus accepto jam crucis signaculo non equitare, sed pedes proposuisset incedere, donec expensarum apparatu collato, propositæ peregrinationis iter arriperet: nihilominus Abbas sanctus ipsum ascenso equo secum comitari præcepit. Ascenso igitur equo secutus est protinus Abbatem. Videns hoc, et invidens quidam vir Belial, serviens ejusdem Henrici, homo totius pravitatis amator, et boni totius incredulus, in servum Dei cœpit graviter blasphemare, et dominum suum talibus insequi maledictis: « Ite modo, et diabolum illum sequimini, et ipse vos diabolus apprehendat. » A latere vero duæ mulierculæ venientes, inter se tertiam deportabant, pedum et quorumdam membrorum destitutam officio et contractam, Virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmæ et bajularum angustias curationis optatæ remedio relevaret.

29. Porro Henricus hanc intuens et misertus: « Ægram, » inquit, « super collum equi mei mihi porrigite, et vos ad servum Domini properantes subsidium implorate. » Præfatus vero serviens ad hoc etiam pietatis opus domini sui indignans et impatiens, usquequaque ipsum invectione arguit acriore, quia ad incantatorem et maleficum et mentium eversorem esset miseram delaturus. Cui Henricus: « Non, » inquit, « sed defero, ut ad benedictionem Viri Dei recuperet sanitatem, et ex certissima ejus salutis fiducia tibi polliceor, quod si non eam sanaverit, equum cui insideo, tibi dabo. » Verbum igitur hoc ille gratanter et gratulanter accipiens, tota diffidentia faciendæ virtutis risit pariter et irrisit, tam de curatione diffidens, quam de equi adeptione prægaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, et desideratam sibi benedictionem illius adepta, illico surrexit incolumis, alieno jam, sicut hactenus, ministerio non gestanda. Viso hoc serviens stupefactus, in impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore, festinavit præire parumper, ut conversus in faciem Viri

Digitized by Google

Dei, quidquid nequius vel turpius aspirante Satana concepisset interius, in ipsum toto conamine maledicens et convicians jactitaret. Verum ultione Domini protinus concurrente, ipse retro corruit resupinus, et cervice collisa spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore perculsus Henricus, casum lugubrem et occasum nuntiavit Abbati, supplicans ut cum paulum processisset, ad tam triste spectaculum remearet, dicente quoque eodem Henrico : « Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse et contumeliosus non timuit. » « Heu, inquit, nolit hoc Dominus, ut propter me quispiam moriatur. »

30. Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit, et ad longitudinem unius *Pater noster*, super eum silenter oravit ; et mox præcepit adstantibus illum erigere : qui erectus, utpote jam defunctus, caput, carens cervicis suffragio, agebat miserabili circumflexu. Rursusque ait : « Tenete, tenete firmiter ei caput. » Demum appropinquans, et saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens et consignans : « In nomine Domini, ait, surge. » Et iterum : « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Deus tibi spiritum tuum reddat. » Ille vero recepto mox spiritu factus est in animam viventem, vel potius redivivam, 1208 mirantibus præ gaudio, et in cœlum voces ac laudes tollentibus universis qui aderant, et viderant tam manifeste mortuum revixisse. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum : « Domine, ait, modo quo jusseris vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. » Ab astantibus utrum esset jam mortuus [interrogatus] : « Mortuus, inquit, eram, et sententiam damnationis acceperam, ac nisi Abbas sanctus festinasset accurrere, eram ad inferna ducendus. » Ad exhortationem quorumdam astantium crucis accepit signaculum, et cum cæteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo et beato Bernardo se reddidit, et in Clara-Valle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus vitæ sancti Patris esse notissimum ; deprehenso tandem fuisse silentio missum, indoluit, et ad gloriam Dei et Sancti sui, juxta quod præsentanee fuerat contemplatus, narravit, ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat et intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura.

CAPUT XX.

De Alexandro canonico et doctore Coloniensi, per sanctum Bernardum ad religionem mirabiliter vocato.

31. Apud Coloniam-Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ secundæ, fuit magister quidam Alexander nomine, (131) canonicus, doctorque famosissimus in eadem urbe. Accidit autem ut Dei famulus beatus Bernardus Claræ-Vallensis abbas jubente Eugenio papa Germaniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado imperatori, et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coruscaret, videns Imperator mirabilia magna quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu illius accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi scissuras et fimbrias de vestimentis Famuli Dei, qui propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicunque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles et sapientes viri per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claram-Vallem ab eo deducti, et monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum Deo attulerunt. Ex quibus etiam erat unus supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore vivens, et sæcularis scientiæ typho turgens, divitiarum quoque et transitorii honoris infulis adornatus, nihilominus conversionem, quam non cogitabat, sed Deus qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit.

32. Cum enim beatissimus pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens, respondit se ad præsens nihil minus cogitare vel velle, quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo, erigens eum de grabato, in quo graviter languens jacere videbatur, ac restituere sanitati. Deinde tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, et ex eo contexit Alexandrum : qui cum eumdem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum, et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit. Evigilans autem Alexander, nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat.

33. Eodem vero die cum ille beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeretur. Quo viso Vir Dei, erectis in cœlum oculis, super eumdem piscem diutius oravit, et benedicens illum præfato Alexandro pro pitantia transmisit : quem cum ille gustare inciperet, ad primum illico 1209 morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio Famuli Dei. Nam repente mutatus in alium virum, compunctus est valde, et cœpit super eumdem piscem lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis, quam nocte

(131) Vide de eo supra lib. VI, c. 1. Eadem apud Herbert. lib. II, cap. 23.

Digitized by Google

præterita viderat, intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei Famulo incontinenti se reddidit. A quo benigne susceptus, et in Clara-Valle monachus factus, et deinde Grandis-Silvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis cœnobii abbas, ac totius Ordinis Pater universalis (132). Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione deprompsimus.

CAPUT XXI (133).

De mira sacerdotis concubinarii, et monachi quondam Claræ-Vallensis, conversione.

34. Monachus quidam de monasterio ejus et disciplina exiens, rejecto habitu, suadente diabolo ad sæculum rediit, et parœciam quamdam regendam suscepit. Erat quippe sacerdos : et quia sæpe peccatum peccato punitur, desertor Ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, sicut multis consuetudinis est, ad sibi cohabitandum accepit, de qua et liberos genuit. Accidit ut post annos plurimos, miserante Domino, qui neminem vult perire, sanctus Abbas per villam, in qua morabatur idem monachus, transiret, et ad domum illius hospitandi gratia diverteret. Quem ille cognoscens, et quasi proprium patrem cum multa reverentia excipiens, devote ministravit, et tam ipsi, quam jumentis necessaria copiose procuravit : non tamen cognitus est ab Abbate. Mane cum Vir sanctus dictis matutinis paratus esset ad eundum, nec posset loqui sacerdoti, eo quod matutinis surgens isset ad ecclesiam, ait filio ipsius sacerdotis : « Vade, defer nuntium istud domino tuo. » Erat autem puer idem mutus a nativitate. Qui præcepto obediens, et præcipientis sentiens in se virtutem, ad patrem cucurrit, et sancti Patris verba verbis valde absolute expressit, dicens : « Hæc et hæc mandat tibi Abbas. » Pater primam filii vocem audiens, et præ gaudio lacrymans, ut secundo ac tertio eadem verba repeteret, admonuit ; et quid sibi Abbas fecerit, inquisivit. Cui ille : « Nihil aliud mihi fecit, sed solummodo mihi dixit : Vade, dic domino tuo verba hæc. » Ad tam evidens miraculum sacerdos compunctus, festinanter ad sanctum Virum venit, seque cum lacrymis ad pedes illius prostravit : « Domine, inquit, pater, monachus vester talis ac talis fui, et tali tempore a tali monasterio recessi. Rogo igitur Paternitatem vestram, ut liceat mihi redire vobiscum ad monasterium, quia Deus in adventu vestro visitavit cor meum. » Cui sanctus : « Exspecta me hic, et ego peracto negotio citius revertens ducam te mecum. » Timens ille mortem, quam prius non timebat, respondit : « Domine, timeo interim mori. » Ad hæc ille : « Hoc, inquit, pro certo scias, quia si in tali conditione ac proposito mortuus fueris, coram Deo monachus invenieris. » Recessit, illumque recenter mortuum ac sepultum audiens, sepulcrum aperire præcepit ; dicentibus quid vellet facere, respondit : « Volo videre utrum in sepulcro jaceat monachus, an clericus. » Clericum, inquiunt, in habitu sæculari sepelivimus. » Rejecta terra, non in veste qua sepultus fuit, sed in tonsura et in habitu monachi cunctis apparuit : et magnificatus est ab omnibus Deus.

1210 CAPUT XXII.

De vocatione Arnulfi viri nobilis in Flandria, et pœnitentia ipsi a beato Bernardo imposita.

35. Dum reverendissimus pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, et retia Dei quaquaversum in capturam animarum laxasset, et nobiles et litteratos viros multos de fluctibus sæculi ad littus conversionis attraheret, inter cæteros illustris quidam Arnulfus nomine de Majorca, dives et delicatus nimis, secreto in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium rem silentio tegere propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem quo egressurus esset de terra et cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumpere se non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret. Interea vero dum silentium istud tenerent omnia, et arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent, factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens : « Vade, dic Arnulfo de Majorca, ut secum ducat te in Claram-Vallem, quo proxime iturus est ad conversionem ; et tu cum eo convertere. » Audivit vero vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cœpit pauper ille attentius orare, ut si a Domino sermo fuisset, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundo loqui ad ipsum, repetens eumdem sermonem. Accepto itaque secunda vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, et ait : « Verbum mihi ad te dominum meum. » A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua ejus, dicens : « Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claram-Vallem tuam, ut salves tecum animam meam ; et si scire desideras, Dominus pius et misericors secreta tua, causa salutis meæ, mihi revelare dignatus est. »

36. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus et lætatus est valde ; acceptumque hominem conduxit ad seipsum : quem etiam postmodum individuum comitem itineris pariter et conversionis habuit, habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis. Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claram-Vallem, tam submissus humilitate,

(132) Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cisterciensis, de quo vide epistolam 4, num. 3, et epistolam 5, num. 1, ubi Commissor appellatur. Conf epistolam 6, num. 1. Idem abbas « Ordinis Pater universalis » item ab Herberto appellatur, infra, num. 17.

(133) Desumptum ex cod. Barbelliano ordin. Cisterc. in diœcesi Senonensi.

Digitized by Google

quam sublimis divitiarum affluentia : multaque eidem monasterio de suis facultatibus contulit; sed et aliis nonnullis cœnobiis dona etiam largitus est. Sanctus vero Bernardus de conversione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: « De conversione fratris Arnulfi nec minus glorificandus est Christus, quam de resuscitatione Lazari quatriduani, eo videlicet quod in deliciis tantis clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, et quasi vivens mortuus erat. » Huic autem confitenti cum gemitu et lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, beatus Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei ut orationem dominicam tribus (134) vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad mortem perduraret. Quo ille audito, contristatus respondit : « Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime pater. » « In quo te, » ait, « irrideo? » At ille ait : « Jejunia septem annorum, vel decem quoque, non sufficerent, mihi etiam humiliato in sacco et cinere; et tu mihi præcipis orationem dominicam tertio dicere, et in Ordine perseverare? » Et sanctus ad eum : « Ergone tu me melius nosti, quid te oporteat facere ut salveris? An tibi forte parum videtur, Ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare? » Ille vero respondit : « Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio : sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti, ut melius parcas in **1211** futuro ; et talem nunc impone pœnitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine pœna perveniam. » Cui beatus Pater ait : « Fac ut locutus sum, et securum te facio quia deposita mole corporis mox ad Deum sine molestia pervolabis. » Hoc itaque responso quasi divinitus accepto confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset a cursu desiderii sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari.

37. Erat autem circa observantias Ordinis et custodiam cordis et sollicitus, et timoratus nimis, ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum conscientiæ propriæ mundatorem. Mirabantur siquidem omnes, præsertim confessionum illius auditoros, quotidianam instantiam, vel potius importunitatem, qua eos quiescere non sinebat, sicut nec ipse quiescere poterat confitendo, plangendo, plorando nonnunquam de otioso sermone aut signo, si quando illi vel raro subreperet : verum etiam super vana et levi aliqua cogitatione, quod cæteri hominum, exceptis paucis perfectis, parvipendere solent, seipsum scrupulosissime dijudicabat, et quasi de crimine arguebat. Quia vero veraciter scriptum est : *Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6), nunquam huic venerabili viro paternæ misericordiæ correctio defuit, semper in eo vitia carnis resecans, et virtutes animæ pullulare et fructificare faciens. Denique per plures annos usque ad exitum suum gravibus et diuturnis incommodis flagellatus est, quæ omnia non solum æquanimiter tolerabat, verum etiam gloriabatur in illis, sicut in omnibus divitiis. Factum est quodam tempore, dum conquassatus et debilitatus esset usquequaque, ita ut non sine gravi dolore inclinis stare posset, nec propter hoc unquam omitteret, ut non ad omnem « Gloria » decantationem profunde et devote divinæ majestati inclinando reverentiam exhiberet, ut vespertina synaxis in ecclesia celebraretur. Ipso stante retro in choro juxta quemdam monachum virum æque sanctissimum, ecce angelus Domini apparuit ibi in specie pulcherrimi monachi adolescentis, cuculla indutus nive candidiore, quem tamen idem Arnulfus minime videbat. Cumque more solito ad « Gloria » psalmi devote inclinaret, angelus Domini stabat coram eo, et supplicantis caput suppositis manibus sustentabat. Quem cum prædictus monachus collateralis ejusdem fratris Arnulfi cerneret, et ex fulgore vultus et habitu angelum esse deprehenderet; lætatus est valde super angelico aspectu, accessitque ut teneret eum, et devote amplexaretur. Cumque expansis manibus vellet tenere atque constringere sibi, ille subito evanescens recessit ab eo : sed subito iterum apparens stetit in alio loco. Videns vero illum monachus, denuo cucurrit ad eum : et simili modo nitebatur apprehendere eum : sed mox angelo disparente, et protinus alibi reapparente, frustratus est homo a conatu suo. Quod cum pluries factum fuisset, tandem angelus ex toto disparuit, et qui se videndum obtulerat, teneri omnino non pertulit.

38 Laborabat aliquando athleta Dei Arnulfus doloribus viscerum, quibus frequenter nimium aretabatur : et erat languor fortissimus, ita ut deficiente vitali spiritu pene usque ad mortem angustiaretur. Cumque aliquandiu mutus et insensibilis jaceret, de vita ipsius desperatum est, et ob hoc oleo infirmorum inunctus est. At ubi primum respirare potuit, erumpens in vocem confessionis et laudis, ait : « Vera sunt omnia quæ dixisti, Domine Jesu. » Quod cum sæpius iteraret, stupentibus qui aderant, et percunctantibus quomodo se haberet, aut quare ista diceret, nihil aliud respondebat, nisi, quia vera sunt omnia quæ locutus est Deus. Quidam autem ex ipsis dicebant, quod præ acerbitate doloris cerebro turbatus esset, et quasi aliena loqueretur. Quibus ille respondit: « Non est ita, fratres, sed sa-

(134) Huic facto obstare videtur Petri Damiani Opusculum 13, ubi quosdam monasteriorum rectores arguit, « quod quibuslibet a sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi sint, aliam pœnitentiam non imponant, nisi ut communem monasterii Ordinem servent. » Et id quidem verum esse potest de monasteriis laxioris disciplinæ, non strictioris, qualis erat apud Claræ-Vallensis, maxime ubi conversi animus magno pœnitentiæ sensu afficitur. Vide tomum 2 Analectorum pag. 346 sqq.

Digitized by Google

no capite et mente sobria dico, quia vera sunt omnia, quæ locutus est Dominus Jesus. » At illi dixerunt : « Et nos hoc verum esse fatemur: sed tu cur nunc ista commemoras? » Respondit : « Dominus dicit in Evangelio, quia si quis affectibus parentum et divitiis mundi propter amorem ipsius renuntiaverit, centuplum accipiet in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro (*Matth.* XIX, 29). Ego itaque vim sermonis **1212** hujus in præsenti experior, et centuplum meum jam nunc in hac vita recipio. Siquidem immensa doloris istius acerbitas adeo mihi sapit propter spem divinæ miserationis, quæ in ea reposita est mihi, ut hac ipsa caruisse me nolim pro centuplicata mundi substantia, quam reliqui. Quod si ego peccator et indignus, ita confiteor, adeo lætificor etiam in angustiis meis : quomodo, putamus, sancti et perfecti viri tripudiant et exsultant in consolationibus suis? Vere etenim spirituale gaudium, quod modo est in spe, centies millies exsuperat sæculare gaudium, quod nunc est in re. Si quis autem sæculum relinquens, et ad conversionem veniens, centuplum istud accipere non meretur, constat profecto quod adhuc omnia perfecte non reliquit, sed ex propria voluntate, quæ est mala proprietas, secum retinet aliquid. » Hoc illo dicente, mirati sunt universi ab homine laico et illitterato sententiam talem esse prolatam; nisi quia manifeste dabatur intelligi quia Spiritus sanctus, qui eum flagellari in corpore graviter permittebat, intus suaviter in anima inungebat : cujus nimirum sacratissima unctio, quemcunque tetigerit hominem, docet de omnibus quæ oportet. Iste ergo vir sanctus, cum jam de manu Domini suscepisset duplicia pro omnibus peccatis suis, tandem longo cruciatus martyrio et tanquam aurum in fornace probatus, pacatissimo somno obdormivit in Domino: de quo certissime credimus quia juxta beati Bernardi sententiam, mox ut a corpore exivit, ad Deum sine pœna pervenit. Quid ergo huic pauperi Christi unquam defuit in die certaminis sui? qui secundum prophetam confidens in Domino, mutavit fortitudinem carnis in robur spiritus, non considerans quid caro posset, sed quid Ordo et Regula præciperet : et quasi signaculum posuit super cor suum verbum consummans et abbreviatum, quod a sancto Patre acceperat, ut scilicet pro omnibus peccatis suis Ordinem servaret.

CAPUT XXIII.

De monacho quodam laico sub disciplina Bernardi fervore ad perfectionem virtutum anhelante.

39. *Non glorietur*, ait Dominus per prophetam, *sapiens in sapientia sua, neque dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quoniam ego sum Dominus* (*Jerem.* IX, 23, 24). Hanc divinæ scientiæ formulam perfectius imitati sunt hi, qui sub beato patre nostro Bernardo in Clara-Valle cœlestis philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solum litterati et in mysteriis sacræ legis eruditi viri multi, verum etiam laici et illitterati quamplures. Qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minime consecuti sunt, habebant tamen gratiam illuminantem, et Spiritum vivificantem, qui de omnibus quæ oportebat, sæculari scientia incomparabiliter efficacius eos docebat. Talium quidam monachus laicus, non littera doctus, sed spiritu, cum esset fervens in opere Dei, charismatumque meliorum haud segnis æmulator, didicerat sancti Spiritus magisterio, non altum sapere, sed semetipsum in omnibus humiliare, sacræ religionis studia, quæ in moribus contubernalium suorum duce humilitate sedulus scrutabatur, magna et præexcelsa æstimare; suas vero virtutes, quibus non mediocriter pollebat, eorum comparatione prorsus despicere. Sicque factum est ut eminentia sanctæ humilitatis illos præcelleret, quibus in aliis virtutibus fortassis impar non erat; dum, quod rarum valde in humano genere est, continue quod sibi deesset vel quibus alii florerent virtutibus, non invidiosus, sed pius scrutator attenderet.

40. Contigit autem ut taliter affectus, quadam vice solemnibus fratrum vigiliis interesset. Tum vero lethali negligentia seu somnolentia propulsata, consuetudinaria corripiens arma, quibus ad debellandum inimicum nihil efficacius esse sciebat, cœpit sibi peccata proponere, negligentias quotidianas districte discutere; se miserum, se reum, se peccatorem coram oculis summæ Majestatis accusare, consequenter etiam fratrum suorum, sicut solebat, vitam conversationemque magnificare et beatificare. **1213** Cæterum unum quem gratia virtutum multos alios excellere non semel notaverat, secretario cordis humiliter inducens, ipsius humilitatem, charitatem, patientiam, et continentiam, cæteraque spiritualis gratiæ charismata, quæ in illo servo Dei inveniebat, religioso usque ad unguem scrutinio rimabatur, seque in ejus comparatione nonnisi pulverem et cinerem reputabat. Denique sanctæ humilitatis ardorem, quem in tam sublimi contemplatione ceperat, ferre non valens, summo diluculo, tempore quo regulariter loqui posset, vix exspectato, reverendissimum patrem Bernardum, signo in auditorium trahit, veniam petit, circumfusa sibi mœstitia internum prodens cordis dolorem. Requisitus quid causæ haberet : « Væ, inquit, misero peccatori, omnibus bonis prorsus vacuo, ut qui hac nocte in illo tali fratre nostro triginta virtutes, quibus omnibus pollet, numeravi, quorum ne ultimam quidem seu minimam in me mendico reperire prævaleo. Rogo ergo te, domine pater, ut digneris intercedere pro me ad Dominum, quatenus tuis sanctis meritis et precibus virtutum opera consequi merear, quæ peccatis meis exigentibus hactenus habere non potui (135). »

(135) Serm. 36 de Diversis, n. 2.

Digitized by Google

41. Audiens spiritualis magister altissimam discipuli humilitatem, cujus religionem optime noverat, licet ipse qui ea clarus erat, felici ignorantia se eam habere nesciret, gavisus est gaudio magno valde, desiderans et optans cunctos sibi commissos ita semper in virtutibus proficere, ut tam religiosa infirmitatis suæ consideratione se proficere quodammodo nescirent. Quanta vero admiratione dignum censuerit tantæ humilitatis præconium, per hoc evidentius innotuit, quod in Sermonibus in conventu fratrum habitis, ejusdem fratris aliquoties debita cum laude meminit; asserens nullam ex omnibus virtutibus, quas idem vere monachus in simplicitate cordis sui enumerarat, tantæ fortassis excellentiæ fuisse, quantæ pia contemplantis erat humilitas, qui negligentiores et infirmiores quosque juxta se positos nec videbat, nec attendebat, solos illos pertinaci studio præ oculis habens, quos vita et moribus spectabiles esse sciebat, quatenus eorum comparatione sibimetipsi vita sua in oculis suis vilesceret.

CAPUT XXIV.

De mirabili dono visionis propheticæ, qua alterum arcana, etiam absentium, cognovit.

42. Instabat aliquando sanctissima solemnitas Assumptionis, si recte memini, intemeratæ et immaculatæ virginis Dei genitricis Mariæ; et fratres granglarum Clarævallis, ob reverentiam tantæ diei, ad abbatiam festinabant. Verum in una ex iis grangiis, quæ viciniores erant, fuit Conversus quidam religiosus ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua perfectiora quæque sacræ religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis et devotionis existens, piissimam Dei Genitricem dominam nostram sincero venerabatur affectu. Cum autem magister grangiæ ordinaret quisnam ad abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remanerent, inter cæteros qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est : quam commissionem licet ægerrime ferret, quoniam sperabat et multum desiderabat, divinis hymnis et cantilenis spiritualibus interesse, quos in honorem Reginæ cœli a sancto illo conventu devotissime persolvendas fore sciebat; nihil tamen ausus contradicere, obedientissime paruit imperanti. Unde accidit ut devotio sancta, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenæ occupationis, quam obedientiæ injunxerat, perdere timebat; eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remunerante, velut ignis scintillans et æstuans, in præcordiis ejus magis ac magis dilatata, ferventior efficeretur.

43. Nocte itaque sacratissimæ celebritatis, dum sollicitus excubias supra gregem suum in pasculis quiescentem servaret, factum est ut sonitus signi matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in coenobio excitabantur, quodque ob conticinii silentium procul audiri poterat, aures ipsius reverberaret. Tum vero concaluit cor ejus in ipso, et in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis frequentiam, sed et fervorem ac devotionem, qua scilicet sincero affectu piissimæ Matri misericordiæ cœlestis harmoniæ odas in commune persolverent; seu qualiter singuli quique ad se in secreto suo ejusdem beatæ Virginis patrocinium votis et suspiriis implorarent. Protinus ergo exsurgens, tantæque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam cœli, qua monasterium situm erat, vultu et animo intentus stabat. Dehinc consuetudinariis precibus, quæ Conversis vice matutinarum statutæ sunt, quanto potuit devotius expletis; cum in paupere armariolo cordis sui enixius quæreret quid precis, seu quid laudis sanctæ Theotoco dominæ nostræ offerret, unde protelatas et in longum valde productas fratrum vigilias aliquo modo recompensare potuisset; nihil aliud præter salutationem ejusdem piæ Dominæ, quam utcunque didicerat, se scire invenit. Hanc itaque tanquam verbum consummans et abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis inveniri posset, assumens, et oculos ad cœlum dirigens, veniæ (136) venia, suspiria suspiriis, salutationesque salutationibus superaddidit; et in tali negotio reliquum noctis, et diluculi partem sine tædio transegit. Divina namque cooperante gratia, quæ tantum fervorem in corde sui pauperis accenderat, identitas mater fastidii, noverca devotionis, mire et contrario modo fastidium propulsabat, et devotionem exacuebat, dum verba illa suavissima, et omni melle dulciora simplici corde prolata, itidemque crebrius repetita, favorem et gratiam universalis Dominæ oranti et suspiranti celerius impetrarunt.

44. Denique quod non frustra in gemitu suo laboraverit, nec incassum misericordiam a Matre misericordiæ quæsierit, Dominus reverendissimo abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est : qui divinis hymnis expletis, sacrisque mysteriis in honore præcelsæ Dei genitricis et virginis Mariæ a singulis sacerdotibus devotissime celebratis, cum in conventu fratrum ob tantæ solemnitatis prærogativam commendandam sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitum, inter cætera sic ait : « Et quidem, fratres mei dilectissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu Christo vero regi, necnon et speciali patronæ nostræ gloriosæ virgini Matri ipsius sanctum beneplacens et acceptabile devotionis nostræ sacrificium hac nocte obtulisse; ideoque fructum laboris vestri, mercedem æternam apud Dominum, et eamdem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis. Verumtamen scire vos volo, unum ex minoribus et simplicioribus fratribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus et silvis istis sub dio tantæ festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum,

(136) Id est, genuflexiones.

Digitized by Google

tam festivum Dominæ nostræ matutinarum exsolvisse servitium, ut nullius nostrum, quantumcumque suspensa contemplatio seu intensa devotio, ipsius devotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctæ simplicitatis humilitas effecit, præferri potuerit. » Quo audito mirati sunt universi, præcipue vero non solum mirati, sed et gratulati sunt, et vehementer ædificati fratres laici, quos obedientia tam festivis, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebat : certissime scientes, quoniam sicut septa claustri et parietes templi sanctum non faciunt timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quæ causa terrenæ necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt puras manus in oratione levanti, puraque conscientia Domino servire cupienti.

CAPUT XXV

De monachi tertio apostatantis conversione, monitis et precibus sancti patris Bernardi obtenta, ejusdemque paterna castigatione, et felici morte.

45. Conversus quidam, cum de domo Claræ-Vallis levitate sua tertio fuisset egressus tertioque receptus, tandemque salutaribus monitis, et sanctis precibus beati Bernardi abbatis compunctus, cœpit apostasiæ suæ præcipitium, in quo jam tertio graviter periclitatus fuerat, **1215** totis medullis cordis horrere, et quid pœnitentiæ vel satisfactionis Domino pro tam enormi reatu suo offerre posset, enixius quærere. Et inspirante Domino cogitavit et intellexit ad promerendam veniam delictorum, et ad obtinendam gratiam virtutum nihil efficacius, nihil in conspectu Domini acceptabilius esse sacrificio cordis contriti, et spiritus humiliati, quod solum regno cœlorum vim facere prævalet. et formidabilem cunctis divinæ justitiæ districtionem gemitibus inenarrabilibus flectere consuevit. Hæc itaque pietatis arma corripiens, et seipsum contra semetipsum erigens, primo quidem universas Ordinis observantias sine dissimulatrice negligentia, quantum potuit, observare studuit, et insuper quotidianis precibus et lamentis præterita sua peccata diluere sollicitus fuit, salubri prorsus exemplo stantes, ne laberentur, lapsos, ut erigerentur, informans.

46. Cæterum disponente Domino, qui fortioribus peccatis fortiora solet adhibere medicamina, quique ineffabili pietate sua quandoque vasa contumeliæ transfert in vasa honoris et gratiæ, ingressa est putredo in ossibus fratris prædicti, et percussus est circa femora ulcere pessimo, apostemate canceroso, et crescente in dies angustia languoris, totus contabuit, ita ut carnibus circa locum ulceris undique corrosis, ossa nudata paterescerent, et vulnera vermibus scaturirent. Annis itaque pluribus in grabato carceratus, et divinæ animadversionis flagellis humiliter subditus, quot horis vivebat, totidem pene interitionibus subjacebat. Erat ergo patienti animæ miserabilis dolor et A anger a facie putrescentis corporis sui, simulque servitoribus ejus angustia cordis immensa, præ horrore et fetore, quem tabiosum ulcus continue exhalabat. Sed laboris et patientiæ hujus nihilominus remuneratio copiosa penes Deum utrisque reposita. Satagebat autem frater idem infirmus et doloribus et pressuris suis semper gratias agere, corde credens, et ore confitens, sese recipere longe adhuc imparia meritis.

47. Cum autem jam ad purum fuisset in eo scoria excocta peccati, ut secundum Sapientis dictum, ablata rubigine de argento egrederetur vas purissimum (*Prov.* xxv, 4); tandem educta est anima illa beata conflatorio purgationis, et velut argentum igne examinatum, munda et nitida, cum cæteris misericordiæ vasis translata est ad palatium summi Regis. Sed antequam de lacu miseriæ et de luto fæcis educeretur, ad consolationem omnium vere pœnitentium meruit in hac vita prælibare fructum laboris et patientiæ suæ, et nescio quid ineffabile de illa superna dulcedine, ad quam sine fine fruendam in proximo erat admittenda, prægustare. Qua gustata tanquam musto cœlesti inebriatus, protinus erupit in jubilum præconii cœlestis, et serenata facie cœpit idiota, et qui nunquam cantare aut legere didicerat, cum suavissima melodia quosdam novos multumque delectabiles hymnos ac modulos cantare de canticis Sion.

48. Facta autem hac voce, convenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem tantis miseriis et calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu cantando ac tripudiando insultantem, et quodammodo dicentem : *Ubi est, mors, victoria tua?* (*I Cor.* xv, 55.) Ecce ego magnus peccator, et pauperculus homuncio, quoniam stigmata Domini Jesu in corpore meo pro nomine ipsius patienter sustinui, te, larvalis umbra, mater mœroris, exterminatrix gaudii et perditrix vitæ, non timeo, sed potius contemno, sciens te absorptam et penitus annihilatam in victoria crucis Domini nostri Jesu Christi. Ita ergo præcentor noster modulizans, et Alleluia quod in plateis cœlestis Jerusalem frequentatur, quodammodo præoccupans, quid post mortem carnis facturus esset, in carne adhuc corruptibili positus præsago miraculo declaravit : sicque lætabundus et laudans, in voce exsultationis et confessionis beatam animam illam exhalavit. De cujus felici consummatione beatus Bernardus hilaratus, sermonem devotissimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, et admirabilem patientiam ejus omnibus proponens exemplum.

1216 CAPUT XXVI.

De sancto Bernardo, securitatem sive fiduciam cujusdam moribundi redarguente, seu potius tentante.

49. Conversus quidam de fratribus Claræ-Vallis, innocentis vitæ, et conversationis honestæ, cum graviter aliquandiu ægrotasset, tandem ad extrema

Digitized by Google

devenit. Introivit autem ad eum gratia visitationis beatus Bernardus, et confortans eum ait : « Confide, fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem sempiternam. » Ille vero cum ingenti fiducia respondit : « Quidni pergam ad Dominum et Creatorem meum? Vere confido, et quantum de misericordia Domini mei Jesu Christi præsumere audeo, certus sum quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. » Porro beatus Bernardus, ut erat medicus sapiens, pastorque sollicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magis temeritate, quam de conscientiæ puritate procederet, ait : « Signa cor tuum, frater, signa cor tuum : quid est quod locutus es? Unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimvero tunc es ille pauperculus et miserabilis homo, qui cum nihil aut prope nihil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando? Nos vero causa Dei collegimus inopem, et parem te fecimus in victu et vestitu, cæterisque commoditatibus, his qui nobiscum sunt sapientibus atque nobilibus viris; et factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficit ingratitudini tuæ gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi et regnum ipsius hæreditario jure vindices tibi, quod nullus unquam regum vel principum, quantislibet auri et argenti molibus potuit comparare. »

50. Ad hæc ille respondens blando vultu et tranquillo animo, dixit : « Bene, pater charissime, bene utique perorasti, et vera sunt omnia quæ dixisti : verumtamen, si jubes, loquar ad te dominum et patrem meum, et paucis aperiam unde mihi pauperi et misero suggeri potuit tantæ, non præsumptionis, sed, ut ego spero, devotionis occasio. Nam si vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, quod scilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur; hanc unam sententiam, tanquam verbum abbreviatum a Domino, sedula commemoratione apud me continui, ponens illud quasi signaculum super cor meum, assidue meditando; et super brachium meum, sollicite operando. Quærite, si placet, ab omnibus magistris et sociis, quibus me obsequi ac servire jussistis, et si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo aut signo, vel quolibet alio modo, quantum in me fuit, contristavi. Quod si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctosque per Dei gratiam diligere, quis prohibere me potest, ut de misericordia ipsius non confidam? »

51. Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, et ait : « Vere beatus es, fili charissime, quia caro et sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cœlestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus ingredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. » Defuncto itaque fratre et exsequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione et consummatione ejus sermonem in capitulo luculentum sua illa devotione et facundia peroravit, omnesque illius exemplo ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit. Vehementer namque affectus fuit in responsione illius; et magis congratulabatur ei super obedientiæ virtutem, et super ipsius animi puritatem, quam si vidisset eum signis et prodigiis coruscantem.

1217 CAPUT XXVII.

De conventu fratrum in Sueciam per sanctum Bernardum misso, qui et uni eorum promisit, fore ut in Clara-Valle moreretur, et sepeliretur.

52. Postquam aquila illa grandis magnarum alarum, multarumque plumarum, magnus videlicet pater Bernardus, magnus meritis, sublimis sanctæ contemplationis alis, ornatus varietate virtutum, medullam cedri, id est perfectionem religionis, quam de summitate Libani, id est de altitudine divinæ gratiæ, acceperat, in solitudine Vallis absinthialis plantavit, quatenus eadem Vallis mediante amaritudine pœnitentiæ verteretur in Claram-Vallem : cœpit jam religio ipsa transplantari super aquas multas, id est, diversarum nationum cervicosas ac tumidas voluntates, tanquam cœruleos undarum vortices, ad veræ pietatis cultum inclinare. Volens autem idem venerabilis Pater, in populis aquilonarium partium, sicut et in gentibus cæteris, aliquem fructum habere, petente religiosa femina regina Sueciæ conventum fratrum ad illas partes direxit. Cumque monachi et conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus et indomitis formam religionis et disciplinæ traderent, nimio mœrore consternati, precibus quibus valebant, agerent, ne tanti Patris præsentia carituri ad exteras et barbaras mitterentur regiones, sanctus Abbas respondit : « Quid est hoc, dilectissimi fratres, quod facitis? u quid irrationalibus fletibus et precibus affligitis animam meam? Aut nunquid voluntatem meam, et non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio? » Erant autem coram eo posita vestimenta et vasa sacra cæteraque utensilia, ad ministerium divini officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere, quoniam a Domino egressus esset sermo, elevavit pelvim, quæ ad recipiendam aquam sacerdotis manibus fundendam deputata erat, et digitum fundo ejus imprimens dixit : « Ecce hoc vobis erit signum, quod Spiritus Domini miserit vos. » Mirum in modum rigor et inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est, adeo ut cujus quantitatis sacer articulus fuit, usque hodie liquido valeat dignosci : quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videtur. In

Digitized by Google

testimonium enim tanti miraculi, eadem pelvis in secretario domus, quam tunc Pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes, gavisi sunt : et licet remotissimas, et in ultimo climate aquilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine quodam horrore spiritus adire possent, tamen eamdem gratiam Dei, meritis et precibus sancti Patris nostri intervenientibus, se comitaturam pia confidentia præsumebant

53. Erat vero inter cæteros adolescens quidam honestæ indolis, et columbinæ simplicitatis, Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto; qui impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad Virum Dei : « Beatissime pater, ego miserabilis juvenculus relicta domo paterna, spretisque omnibus quæ mihi in hoc sæculo desiderabilia et amabilia esse poterant, religionis amore Paternitatem tuam adii, sperans me tua dulcissima præsentia debere perfrui, tuis doctrinis et exemplis informari, tuis meritis et precibus adjuvari, subque sanctæ hujus multitudinis umbraculo, a turbine tentationum, et ab æstu juvenilium desideriorum tutari; quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cœmeterio quiescentium diem exspectare novissimum. Et ecce ejicis me hodie a facie tua, sacrique collegii hujus consortium perdo; et insuper desiderata mihi sepultura privabor. Hinc prorsus, hinc vehementer doleo, quia cor meum conturbatum est in me. »

54. Compassus adolescenti Vir beatus, afflictam mœrore animam affatu blando mulcere curavit, et quæ post annos quinquaginta futura erant spiritu prophetico prævidens, ait ad eum : « Vade, fili charissime, quo te Spiritus sanctus **1218** mittere dignatur, et in agro dominico tanquam strenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, et securum te facio, quia, sicut desideras, in Clara-Valle morieris, et cœlestis Sponsi gloriosum adventum una nobiscum præstolaberis. » Hanc ergo tam beatam pii Patris sponsionem, velut arrham sui desiderii, frater ille suscipiens, gavisus est valde, sciens utique nec falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ et veritatis secretarium esse manifesta signorum et prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, et in domo quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, Prioris et cellerarii administrationes strenue percurrens, divina largiente gratia nomen pariter et officium abbatis sortitus est. Cujus dignitatis apicem licet invitus conscenderet, malens in humili loco salvari, quam in sublimi periclitari, susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. Quia vero propter paucitatem clericorum vix aliquis de terra convertebatur, Dominus fideli servo suo de partibus Germaniæ et Angliæ litteratas et discretas personas mittebat, per quas disciplina monasticæ religionis in regno illo fundata crescebat, et fructificabat competenter in populis, qui monachi quidem nomen audierant, sed monachum antea non viderant. Ipse etiam dominus abbas cellerario suo, Abraham nomine, viro prudenti, universa domus ordinatione in temporalibus cunctisque negotiis exterioribus commissis, totum se spiritualibus studiis mancipavit : animabus lucrandis intendere, in servitio Dei vigil et sollicitus inveniri, frequens esse in labore, dum alias vacaret, frequens etiam in lectione, corporale subsidium de communi quærere, et per omnia formam pietatis, et religionis fratribus suis studens exhibere.

55. Tanta quoque mansuetudinis et patientiæ gratia pollebat, ut cum quadam vice monachus quidam, quem pro culpa castigarat, maligno spiritu afflatus, descendentem eum per gradus dormitorii pugno tam valide percussisset, ut dolor non modicus ictui succederet; tantæ perversitatis hominem non solum non ejiceret, seu gravi culpæ subjiceret, sed e contrario seorsim eum trahens veniam coram ipso peteret, supplicans ut rancorem quem adversus se habebat, propter Deum dimitteret. Cæterum quidquid virtus, quidquid religionis, tam in se, quam in subditis suis deprehendebat, non hoc suæ industriæ, sed gratiæ Dei, meritisque sanctissimi patris sui Bernardi tribuebat.

56. Jam vero si forte agendorum causa negotiorum certa necessitas eum de monasterio progredi postulasset, tantum se ac talem in omni disciplina et continentia sæcularibus exhibebat, ut tam rex, quam principes terræ illius, sicut revera hominem Dei ipsum venerarentur et colerent, et audito eo multa facerent, et libenter eum audirent. Dux etiam terræ illius, vir strenuus et potens, se ad reverentiam beati viri submittebat, fastigiumque principatus sui celsitudini sanctitatis ipsius adeo humiliabat, ut aliquoties familiaribus suis diceret : « Quacumque hora abbatem Gerardum me videre considero, tanto timore concutior, ac si omnia secreta et abstrusa pectoris mei patent oculis ejus. »

57. Cum autem jam senuisset, et usque ad decrepitam ætatem pervenisset, quadragesimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur, cœperunt eum fratres rogare, quatenus sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit : « Ne, quæso, loquamini ita, filii mei : oportet modis omnibus ut in Clara-Valle moriar, et secundum sponsionem Deo dilecti Patris mei, cum sanctis qui ibi pausant in pace, in id ipsum dormiam et requiescam. » Causantibus illis, et dicentibus, « Quomodo te, Pater, illuc reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda tot et tantis infirmitatibus quassatus et debilitatus sis, ut vix ad proximos terminos Danorum spirantem te pervenire posse putemus? » cum multa fiducia respondit : « Verbum Dei validum et forte, vivum

Digitized by Google

et efficax, quod per os reverendissimi Viri auribus meis infusum, penetralibus cordis mei arrham bonæ spei hujus qua **1219** feror, indidit, prosperos in hoc itinere successus præstabit; vos tantum quod præcipio, implere curate. » Itaque gestario inter duos equos composito, in eo collocatur, et non sine grandi miraculo a finibus orbis per tanta terrarum spatia, per tot maris et fluminum pericula Claram-Vallem pervenit, ibique in infirmitorio aliquandiu recubans, in bona confessione spiritum exhalavit. Accepit vero desideratæ sepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni benedicti Humberti tumbam, qui eum familiariter in vita sua dilexerat. Cujus decessum cum rex Sueciæ comperisset, cum gemitu protestatus est regnum et terram suam dignam non fuisse, ut in ea tanti viri sacra ossa requiescere debuissent.

CAPUT XXVIII.

De felicissima morte sancti patris Bernardi, et operatione miraculorum eidem per abbatem Cisterciensem inhibita.

58. Dilectus Deo et hominibus venerabilis pater Bernardus, dum in Clara-Valle sua feliciter consummasset dies suos, plenus dierum, sed plenior virtutum, requievit in pace : ad cujus exitum episcopi et abbates, aliique religiosi viri multi convenere. Cumque biduum exsequiæ celebrarentur, tanta multitudo hominum convenit, ut pene nulla episcopis, nulla fratribus reverentia haberetur. Nam gratia sanitatum quæ affuerat vivo, nunquam recessit a defuncto. Cum enim sanctum corpus sacerdotalibus indumentis decenter ornatum, revelata facie, manibus quoque discoopertis in medio positum esset, frater quidam diuturno et gravi morbo epilepsiæ detritus, reverenter et humiliter accedens, Patrem sanctum, tanquam adhuc viventem, lacrymosis precibus, ut sui misereretur, orare cœpit. Nec poterat pius Pater adhuc in medio filiorum positus, tam gravem filii sui calamitatem dissimulare; sed tanquam diceret, « Fili, ego dormio, et cor meum vigilat; » continuo quod petebatur, per gratiam Dei concessit. Nam ex illa hora frater idem perfecte convaluit, et Abbatem sanctum vivere post mortem felici experientia didicit. Pridie etiam quam reconderetur pretiosissimus ille thesaurus, puer quidam de proximo viculo advenit, præ siccitate nervorum aridum habens brachium et manum contractam : cujus ætati et debilitati, qui præsentes aderant, compassi, tanto hunc fiducialius ad sacri corporis tactum invitavere post horam orationis nonam, quanto id minus innocens ætas per se præsumere audebat. Ubi vero brachium aridum brachio sancto, et manus contracta manui benedictæ applicata est, repente vigore naturæ redeunte, brachium convaluit, et manus libere extendens, et reflectens digitos sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus quaquaversum circumdederat, perfectæ sanitati restituta est. In cujus curatione tantus illico factus est clamor omnium qui aderant, vociferantium in laude Dei, ut vix eum potuerit fratrum disciplina reprimere. Superveniente nocte allatus est alius toto corpore debilis, procubuit loculo, et coram psallentibus erectus est, et deductus ad altare.

59. Enimvero dominus Cisterciensis, qui cum pluribus aliis abbatibus sui Ordinis ad exsequias Viri Dei venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, et ex præsentibus futura conjiciens, vehementer timere cœpit, ne, si, crebrescentibus signis, tam intolerabilis turba populorum concurreret, eorum improbitate disciplina periret Ordinis, et sanctæ religionis fervor in eodem loco tepesceret. Quapropter habita super hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit. Sed cum dicat Apostolus de Domino nostro Jesu Christo, quia factus est obediens Patri usque ad mortem (*Philip.* II, 8); et ipsius exemplo Legislator noster sanctus Benedictus obedientiam nobis usque ad mortem in regula proponat (*Cap.* 7) : sancta et vere humilis anima Patris nostri, mortali homini etiam post mortem carnis obediens fuit. Nam signa quæ tunc jam radiare cœperant, ita cessavere, ut ex illa die et deinceps nunquam publica miracula facere visus sit, **1220** licet quibusdam fidelibus, præcipue sui Ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamitantibus usque hodie deesse non possit. Namque sola illa signa, quæ disciplinam Ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, domnum Cisterciensem fieri noluisse, manifestum est.

60. Evolutis dehinc post transitum beati Viri pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quædam, quam correptam spiritus malignus atrociter vexare cœpit. Quo tam lamentabili casu propinqui et amici ejus vehementer consternati, si quid remedii foret, sedula meditatione pensare cœperunt. Erat autem in vicinia eorum cœnobium quoddam Ordinis Cisterciensis : et sicut mentibus in angustia constitutis spes undecumque concepta solet parare fiduciam, ad eamdem domum dæmoniacam illam causa curationis ducere communi consilio decreverunt. Quod et factum est. Sistitur misera ad portam, et aliqui ex simul comitantibus, qui tantum malum abbati et fratribus nuntiarent, opemque flagitarent, mittuntur. Abbas vero quosdam de senioribus, quos magis noverat spirituales, assumens, cum cruce dominica et sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque malignus ille spiritus per Domini crucem et sacra sanctorum pignora conjuratus non moveretur, recordatus est abbas se habere venerandas reliquias de capillis et barba sancti Bernardi, quos eodem, ni fallor, anno ad capitulum vadens, in Clara-Valle pro benedictione acceperat, et ad tutelam continua secum ferebat : et nihil dicens, manus sub cuculla silenter misit, quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has urgeret. Quod pestifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuo scabellum pedibus tenere.

Digitized by Google

sputa jacere, totius quoque corporis indecenti motu, quid intus pateretur, prodebat invitus; et erumpens in vocem : « Eia, inquit, abbatule, quid vis facere? quid modo mali contra me sub illa veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum laboras : serva Bernardum tuum, nec enim proficies quidquam. » Dicente vero abbate, « Per Domini gratiam, et hujus sanctissimi Viri merita modo egredieris; » ille respondit : « Quid? an excidit tibi quod prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo sciens, securus in hoc meo domicilio requiesco. » Audiens ergo abbas et fratres, qui cum eo erant, hæc verba, valde mirati sunt, quod scilicet spiritus nequam interdictum illud in scutum suæ defensionis tam celeriter invenerit. Hæc nos de virtutibus beati Bernardi abbatis breviter perstrinximus, Domini misericordiam postulantes, quatenus dulcissimi Patris meritis et precibus nos ab omni malo custodiat, et post tanti patroni sacra vestigia divinæ gratiæ spicas legentes, æternæ vitæ participio non fraudari concedat.

CAPUT XXIX.

Epilogus librorum de vita et gestis sancti patris Bernardi.

61. Fortissimorum athletarum Christi, virorum in Ordine Cisterciensi illustrium, dux et signifer exstitit beatæ memoriæ dominus Stephanus, qui decimo anno instituti Ordinis Cisterciensis, pastoralis curæ officium in eadem domo suscipiens, et propagandæ religionis desiderio fervens, cum per continuos quatuordecim annos paucitatis suæ tædio tam ipse, quam fratres ejus vehementer afflicti fuissent; quinto decimo demum anno, divina desuper aspirante gratia, nostris temporis apostolum beatissimum Bernardum cum turba fratrum et sociorum ejus ad tirocinii spiritualis probationem suscipere meruit, Domino ad dilatandum Cisterciensem Ordinem per universas occidui orbis plagas, ex die illa et deinceps, copiosissimam dante benedictionem. Iste reverendissimus pater Stephanus post aliquantos annos fratres beati Bernardi ad ædificandum domum Claræ-Vallis mittens, ipsum venerabilem virum sanctum Bernardum, in juvenili adhuc ætate constitutum, sed sapientiæ et religionis maturitate multos canos transcendentem, ideoque reverendum, illis abeuntibus præfecit abbatem; jam tunc, ut credimus. Spiritu revelante prænoscens, quantæ proceritatis, quantæque pulchritudinis cedrus illa futura esset in **1221** paradiso Ecclesiæ Dei, quantæ etiam multitudinis cœtus, ex diversis mundi partibus collectus, sub umbra condensarum frondium, id est multiplicium meritorum ejus, ab æstu carnalium illecebrarum foret refrigerandus.

62. Sed quis æstimare sufficiat, quam grandis multitudinis fuerit beatorum ille cœtus, vel ex quam diversis provinciis et insulis coadunatus? Nempe, ut de mediterraneis Italiæ, Germaniæ, Galliæque provinciis taceam, ipsæ extremæ insulæ Hiberniæ, Britanniæ, Daciæ et Sueciæ, quæ finem orbis faciunt, ad hunc cœtum perficiendum crebras personas mittebant; et propter Abbatem sanctum etiam locum sanctum celebri devotione venerabantur. Ut etiam de Conversis taceam, quorum longe copiosior erat numerus, quam monachorum; post decessum beati Viri simul in uno loco reperti libelli professionum octingenti octoginta octo, exceptis quampluribus aliis, qui negligentia et longinquitate temporis dilapsi, non poterant inveniri. Ubi vero aliqui de hoc sacro cœtu, disciplinæ vomere exculti, virtutumque seminibus receptis adeo profecissent, ut jam fructificare, aliisque prodesse posse sperarentur; sicut ex diversis regionibus colligebantur, ita etiam mox ad diversas regiones causa ædificandorum cœnobiorum emittebantur. Sicque fiebat, ut licet persæpe nonagenarium, nonnunquam vero centenarium numerum excederent Novitii; nunquam tamen sacer ille conventus nimiæ multitudinis angustias pateretur

63. Sanctæ recordationis dominus Henricus, Vitæ-Scholæ, quod est cœnobium in Dacia de linea Claræ-Vallis, primus abbas, referre solebat, quia cum esset Novitius in Clara-Valle, et nonaginta tirones in cella probatoria sub disciplina beati Bernardi instituerentur; quadam vice discumbentibus eis intravit ad visitandos filios suos idem piissimus Pater, quem sequebatur. Conversus cum sporta inciso caseo plena : et accedens ad præfatum Henricum, qui tunc Prior Novitiorum erat, dulcissima manu sua frustum casei posuit ante eum, commonitorium hoc verbum dicens : « Frater, comede; grandis enim tibi restat via. » Dehinc fidelis minister magni illius Patrisfamilias, qui faciet servos suos discumbere, et transiens ministrabit illis, per ante universos Novitios transiens, ac singulis pitantiam charitatis porrigens, eumdemque sermonem per singulos repetens, et corpora eorum jucunde refecit, et mentes ad sollicitudinem arctæ et angustæ viæ, quam terere cœperant, excitavit. Licet vero frequenter viri virtutum de sacro collegio Claræ-Vallis, ad propagandam Cisterciensis Ordinis disciplinam, per distincta orbis climata emitterentur; nunquam tamen aut Iberici æstus, aut Scythici frigoris horror, seu altera quælibet inclementia cœli, animos eorum inclinare poterat, ut non formam Ordinis, quam in Clara-Valle didicerant, in habitu et victu, cæterisque corporis necessariis virili constantia retinerent, pulchre Horatianum illud sibi vindicantes :

Constantes animi, quos non locus alterat alter.

64. Nec solum diversarum provinciarum episcopi et magnates cœnobia de disciplina Viri Dei in suis regionibus fundari postulabant, sed etiam superbarum urbium populi ex discipulis ejus archiepiscopos et episcopos sibi eligebant : felices se arbitrantes, si de tantæ perfectionis fonte, pastores animabus suis providere potuissent : cum tamen perfectæ

Digitized by Google

ejusdem multitudinis perfectissimus institutor hanc apud Deum et homines specialem gratiam obtinuisset, ut cum dignissimus esset cogi, et aliquoties in archiepiscopum vel episcopum electus fuisset, minime tamen de amica sibi paupertate raptus, dignitatis hujus apice contra voluntatem suam insigniri cogeretur. Sed quare nos ista de cæteris urbibus replicamus, cum ipsum caput mundi, ipsa quæ est cæterarum omnium Ecclesiarum mater, sancta Romana Ecclesia, de hac humili societate, de hac beati Bernardi disciplina, summum Pontificem in plenitudinem potestatis assumpserit, et ipsa apostolica curia cardinales aliquos in partem sollicitudinis adsciverit? Tua sunt hæc, Christe Domine, opera, qui glorificantes te, et mandatis tuis obsecundantes, ita glorificas, ut servi tui, qui secundum præceptum Apostoli, subjiciunt se omni humanæ creaturæ propter te (*I Petr.* II, 13), pleno pietatis judicio super omnem mortalem naturam, exaltentur a te.

1222 65. Cæterum postquam Clara illa Vallis primum et clarissimum Abbatem suum post unum et triginta annos ad superni Imperatoris transmisit palatium, ut jure tanto esset potentior ad subveniendum, quanto summæ Majestatis faciem vicinius contemplaretur; per sanctos successores ejus, sanctæ religionis vigor conservatus, in eadem gloriosa domo illibatus, duravit, sicut in temporibus venerabilis ac Deo digni viri domini Petri (137) ejusque successoris domini Garnerii, postea Lingonensis episcopi, divina favente gratia nobis probare concessum est. Testis enim nobis est Dominus, quia cum in Clara-Valle disciplinis claustralibus et sacri Ordinis observantiis subditi essemus, tantum ibi religionis et gravitatis, tantumque puritatis et honestatis vidimus, ut sæpius in gratia Dei exsultantes diceremus in cordibus nostris, quia si ipse legislator noster beatissimus Benedictus, cujus Regulam professi sumus, in carne viveret, et per seipsum sanctum illum conventum regeret, districtius sacri Ordinis instituta in illo loco observari non potuissent, incuria nempe vel levitas seu dissolutio, quæ est ruina Ordinis, locum ibi penitus non habebant; sed vernantium virtutum, fraternæque charitatis æmulatio ibi sancta vigebat. quodque magis mirum est, adhuc singulos austeriori aliqua castigatione cogere prælatis opus non erat, quia quasi hæreditaria successione ad se transmissum tenebat sancta illa congregatio, vitia declinare, et virtutibus operam dare. Vidimus ibi etiam ex discipulis beati Bernardi seniores, morum gravitate, religionis integritate, prudentia et simplicitate reverendos; beatæ memoriæ domnum Gerardum Priorem, domnum Gaufridum ejusdem sancti Viri notarium, plurimumque ab eo dilectum dominum Hugonem de Monte-Felici, dominum Petrum Catalaunensem, cæterosque tam monachos, quam conversos, qui a temporibus beati Viri, usque ad nostram ætatem durantes, et exemplum devotionis et fervoris reliquo corpori sanctæ illius fraternitatis effecti, facile in sua amabili conversatione monstrabant, quantæ perfectionis plenitudo in Clara-Valle primis diebus effulserat; quandoquidem paucorum seniorum strenuum in sacri Ordinis observantiis exercitium, paucorum admodum devotio potuerit imitari.

66. Sed ecce dum de puritate religionis, quæ non solum in Clara-Valle, sed etiam in Cistercio, cæterisque bene ordinatis domibus Cisterciensis Ordinis multos ad culmen perfectionis primis diebus provexit, loquimur; quid a præfato venerabili viro domno Gerardo Priore in capitulo Claræ-Vallis aliquando audivimus, non sine multo timore et tremore reminiscimur. Is namque dum quadam vice ad morum gravitatem, disciplinæque custodiam, melliflua nos admonitione adhortaretur, asserebat anteriori tempore animas fratrum defunctorum cuidam spirituali viro, ejusdem cœnobii monacho, visibiliter apparuisse, seque pœnalibus locis deputatos, miserabili querimonia prodidisse: non quia gravius aliquod peccatum commisissent, sed quia quotidianas negligentias vitare minore sollicitudine, quam oportuerat, curassent. Si ergo beatis illis temporibus, quibus negligentia vix per rimulas intrabat, rubiginem culpæ, districti Judicis animadversio pœnalis, nimiumque molesta rasura abradebat: quid de nostrorum temporum miseria sentiendum, et quando negligentia non jam per rimulas, sed per rimas, vel potius per rupturas tepiditatis irrumpit? Quapropter, ne forte post negligentiam et torporis incuriam mors malitiæ et iniquitatis intret per fenestras nostras, quoniam tempus, quod omnia consumit, etiam religionem enervat, cum procliviores sint homines ad sectanda vitia potius quam virtutes; discussa totis viribus ignavia, vestigiis præcedentium patrum viriliter inhærere satagamus, eorum memoriam in cordibus nostris versando, eorumque sacros actus frequenter et libenter relegendo: quatenus per rectitudinem operis ipsorum nobis fortitudo operis, quasi de speculo lucidissimo appareat; sicque salubri verecundia confusi, discamus bona etiam quæ agimus, omnino imperfecta reputare, atque ad ampliorem justiciæ perfectionem semper anhelare. Si quis vero multum proficere volens, sed non valens, ideoque tædio affectus remissius agere cœperit, audiat quid sanctus pater Bernardus **1223** dicat: « Nolo, » inquit, « repente fieri summus: paulatim « proficere volo. » Si ergo in studio proficiendi non continuo sequitur effectus, est tamen omni proficere volenti quodam prodire tenus, si non datur ultra: solumque nolle proficere, totius negligentiæ et dissolutionis, atque ad extremum mortis et damnationis occasio est.

67. Obsecro itaque eos qui ista lecturi sunt, per Dominum nostrum Jesum Christum, ne sola hæc curiositate legisse velint, sed diligenti consideratione pensent, quid in suis moribus a norma justitiæ, quæ in sanctis patribus insigniter refulsit, exorbitet et

(137) Postea abbas ordine octavus, anno 1181

Digitized by Google

quidquid in se a tramite veræ religionis alienum repererint, totum hoc in quotidiano vitiorum et virtutum conflictu ad lineam veritatis corrigere festinent. Nam sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, qui ad arborem viriditate foliorum atque ubertate fructus pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem fareiret, et ab utilitate fructus jejunus remaneret : eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam et fecundissimam seriem strenuæ conversationis patrum sanctorum relegens, velut chronica tantum, vel annales regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit, et nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientiæ suæ rubiginem, et ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neque enim propterea patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ et inquietæ curiositati serviatur : sed, ut per ea rudes instruantur, infirmi confortentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur, et ut per ædificationem et consolationem legentium **1224** sancta Ecclesia roboretur, et laus Dei, cujus dona sunt bona nostra, per gratiarum actionem amplificetur.

68. Cæterum in hac sola parte veniam a studiosis lectoribus petimus, quod aliquibus in locis sensum, vel summam verborum quæ dicta sunt, retinentes, eamdem summam competenti formula orationis vestire curavimus : nam de rebus ipsis absit, ut, quantum in nobis fuit, minimum saltem articulum aliter, quam rei eventus fuit, mentiendi libidine læsa conscientia poneremus. Ipse autem æternus Deus, æterni Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, qui in diebus humilitatis suæ sacramentum perfectæ pœnitentiæ sanciens, et fundamentum veræ religionis jaciens fait : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;* (*Matth.* xvi, 24) ; quique extremis diebus istis, quando senescente jam mundo, fides fluctuat, spes titubat, charitas frigescit, incentivum sancti amoris sui per Cisterciensis Ordinis puritatem multorum cordibus infudit, et ejusdem sacri Ordinis splendidissimam columnam, reverendissimum scilicet patrem nostrum sanctum Bernardum in Clara-Valle erexit : ipse, inquam, Dominus ac Deus noster per merita et intercessionem sanctorum patrum, de quorum vita et moribus ad ædificationem posterorum aliqua conscripsimus, donet nobis ita vestigiis eorum inhærere, ita simplicitatis et innocentiæ sensum retinere, ita per continentiam carnis in humilitate vera roborari ; ut ad illam æternæ beatitudinis gloriam, ad quam eosdem patres indubitanter credimus pervenisse, etiam nos, cooperante gratia Dei, quandoque pervenire mereamur, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

FRAGMENTA

EX HERBERTI LIBRIS DE MIRACULIS CISTERCIENSIUM MONACHORUM.

(Lib. I, cap. 5-7 ; lib. II, cap. 12-14, 25.)

1223 I. — *De Acardo Claræ-Vallis monacho.*

1. In eodem quoque monasterio exstitit religiosus quidam monachus, nomine Acardus, vir quidem genere nobilis, sed conversatione nobilior. Hic autem beato Bernardo abbate suo jubente atque mittente, plurimorum cœnobiorum initiator atque exstructor fuit. Qui dum adhuc esset in probatione, isdem pater beatissimus Bernardus una die venit ad Novitios consolandos, ut sæpe solebat. Terminato itaque sermone, prædictum Acardum cum aliis duobus Novitiis traxit in partem, et præmonuit in spiritu prophetico, ita loquens : « Futurum est, inquit, ut Novitius ille (designavit autem eum ex nomine) ante diem crastinum furtive recedat. Vos igitur vigilate, et estote parati, ut fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser a nobis exierit, quia non erat ex nobis, spolia tamen, quia nostra sunt, retinebitis nobis. » Quo audito mirati sunt illi, et cum silentio præstolati sunt exitum rei. Profunda vero nocte duo ex illis cum fugitivum in lecto firmiter dormientem conspicerent, tunc et ipsi dormire cœperunt : erant enim oculi eorum gravati, illudente eis utique spiritu erroris. Verumtamen Acardus, quia certissime credidit verbum a sancto Patre prolatum haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Et nunc frontem, nunc tempora fricans, modo pilos barbæ et capitis vellicans, modo manus et faciem lotitans, nunc de loco ad locum ambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, evicit. Cumque jam prope esset ut signum ad Vigilias pulsaretur, ecce duo quasi gigantæi Æthiopes, nigerrimis cappis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is vero qui præcedebat, gallinam assatam in spico portabat. Porro in ipso veru coluber ingens per caput et caudam infixus erat, qui gallinam eamdem hinc inde cingebat. Cum tali itaque ferculo accedit ad locum Novitii ; et gallinam fumantem naribus applicat dormientis. Quo statim experge-

Digitized by Google

facto, dæmones egrediuntur, et per 1224 iter quo venerant revertuntur. Ille vero quantocius surgit, et vestimentis onustus post dæmones exit : veniensque ad ostium armarii quod erat in claustro, machinamentis suis moliebatur firmaturam effringere, ac secum tollere libros. Porro prædictus Acardus celerrime socios excitat, et prophetatam apostatæ fugam insinuat. Tunc recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ut ille præsensit, illico datis saltibus evolat; et præcipiti cursu per ostia pomarii ruens, murorum tandem septis retinetur atque reducitur. In crastinum autem cum malorum impœnitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem ut abiret in locum suum. Eadem vero die arreptus a diabolo dementiam incurrit, et usque ad mortem furere non cessavit. Hæc nobis Novitiis ipse domnus Acardus, cum jam esset ætate decrepitus, plena fide narravit, utpote qui omnia noverat, et perspexerat oculis suis.

2. Idem vero confessus est nobis, quod in primordio conversionis suæ multa dæmonum bella, multa flagella pertulerit, multaque eorum phantasmata viderit. Sæpius quidem etiam cum esset in ecclesia psallens atque orans, copiosa coram eo luminaria quasi cereos et lampades accendebant, quæ protinus ad invocationem nominis Christi tanquam vanitas disparebant. Quadam denique vice apparuit ei diabolus, gladiatorio cum eo conflictu in modum palæstritæ decertans, cui crebros ictus et vulnera infligebat, atque vicissim recipiebat; ad ultimum vero subactum dæmonem colliso capite excerebravit. Quem dum traheret per capillos, partem capitis confracti, cum carne et ossibus evulsam, manu retinuit : moxque ex ea tam intolerabilis putor exivit, ut possibilitatis humanæ modum fere videretur excedere. Quam cum a sua manu longius excussisset, confestim olidum monstrum quod videbatur evanuit : vestigia tamen immunditiæ suæ altius impressa reliquit. Nam per unius anni spatium ex eadem manu tantus fetor jugiter exhalavit, ut præ angustia cordis vix eam valeret vel ori apponere, vel naribus admovere. Hic ergo benignus et magni solaminis vir, multa nobis, cum essemus Novitii, 1225 narrabat exempla, unde nos in amore virtutum sæpius accendebat. De quibus et nos unum saltem stilo mandare decrevimus, eo quod ipsum affectui nostro ardentius inhærere sentimus.

II. — *De Schocelino agri Trevirensis eremita.*

3. Ego, inquit, dum aliquando conversarer in episcopatu Treverensi pro construendo cœnobio, quod Claustrum nominatur, largiente superna gratia merui videre et agnoscere hominem sanctum, hominem vere divitem et vere beatum, nomine Schocelinum. Qui videlicet eo ditior, eo beatior fuit, quo fallaces mundi divitias, tanquam vanitates et insanias falsas, verius despexit, et longius abjecit. Vere enim non qui plus habet, sed qui minus cupit dives est. Tanto namque fervore hic beatissimus eremita mundum deseruit, tanto Christum ardore dilexit, ut temporibus et regionibus nostris neminem fuisse putemus, qui ei in contemptu visibilium et carnis mortificatione possit æquiparari. Vitam quippe illius omnes possumus mirari, multi etiam æmulari, sed nullus imitari; unde et necesse est amplius venerari. Iste enim pro Christo quotidie moriens, non unam tantum, sed innumeras cruces et mortes sustinuit; quia quot diebus in eremo vixit, quasi tot martyria duxit. Quis namque hominum in hac vita mortali, quantumcunque profecerit, vel sine humano cibo, vel sine tecto, vel sine indumento, vel sine omnibus his diutius vivere possit? Porro vir iste virilis, vir veræ virtutis, naturam supergressus humanam, cum careret omnibus istis, confortante se Deo per multa tempora non defecit. Annis siquidem quatuordecim solivagus ac toto corpore nudus, montibus et silvis pro Christi amore oberrans et latitans perduravit, cœlum habens pro tecto, aerem pro vestimento, pecorinum victum pro cibo humano. Herbis namque agrestibus et crudis, earumque radicibus, interdum quoque sagina et glande pro magnis deliciis utebatur, qui utique brutorum animalium pastus magis quam esca hominum esse probatur. Hujus ergo rigorem propositi inexorabili severitate per decennium integrum custodivit. Postmodum autem quatuor fere annis ante suam dormitionem, in corde hiemis, brumis sæviente asperrima, cum tellus nivibus obruta, et gelu acriore coercita, nec herbas foris exsereret, nec radices effodi sineret, tunc a facie famis et hujus frigoris sustinere non prævalens, tandem ut homo jam fere præmortuus, et obeso corpore, pelle sola circumdatus, cogebatur interdum deserta deserere, atque ad proxima rura volendo nolendo descendere. Veniens autem ad excretorias ejusdem viculi casas, si quem ibi pauperculum et honestæ conversationis hominem manere cognosceret, ad eum libentius divertebat : diversorium tamen ipsius ingredi recusabat, sed reclinato capite quiescebat in foribus domatis, vel potius in medio curtis. Hoc autem maxime procurabat, ut profunda jam nocte accederet, horaque antelucana recederet.

4. Porro homines illi, qui digni habebantur tanto hospite nobilitari, magnam ei reverentiam deferebant, ita ut nemo de inhabitantibus auderet ad eum accedere, aut in colloquio molestus existere, nisi forte ab illo permissus, aut etiam vocatus : nimirum metuentes ne ad ipsos amplius non diverteret, si quietem illius aliquis ibidem importune turbaret. Interdum tamen applicabant ei pro foribus modicum straminis, aut veterem saccum, si vel in eo fortasse requiescere consentiret. Porrigebant nihilominus fragmentum ei aliquod hordeacei vel furfurei panis, scientes utique quod aliud nihil acciperet : de quo videlicet pane modicam aliquoties crustulam ruminabat, residuam vero partem ad multorum dierum refectionem secum ad eremum

Digitized by Google

deferebat. Habebat quoque vir ille locupletissimus circumligatam renibus semicinctiam vilem atque brevissimam, quæ verecundas solummodo corporis partes operire vix poterat, cum eum hominibus apparere compelleret ista tam inevitabilis causa. Possidebat nihilominus et saccellum parvissimum collo vel renibus appensum, quo supradictas alimonias inferebat. En tota divitis istius viri proprietas, en gloriosa **1226** servi Christi hæreditas, et nobile patrimonium, cui vere fideli totus mundus erat divitiarum. Ipse enim tanquam nihil habens et omnia possidens, in tali nihilo totum obtinuit : quandoquidem qui in vili semicinctia totum mundum inclusit, de toto et pro toto mundo semicinctiam solam elegit. Denique quid aliud cuivis hominum confert copia thesaurorum, atque infinita possessio rerum, nisi ut præsentem vitam ducere, et aliquandiu producere possit? ad quam videlicet transigendam huic pauperi nostro una vetusti panniculi scissura suffecit.

5. Beatus itaque Bernardus, audita virtute conversationis illius, dedit nobis præceptum adeundi et salutandi ex nomine ipsius virum, mittens etiam ei pro signo charitatis nonnulla munuscula, hoc est, tunicam et caligas, ut pro ejus amore indueret illas. Nos ergo profecti ad easdem partes, una die, cum adhuc tenebræ essent, intravimus locum ubi quiescere putabatur : et non invenientes, sciscitati sumus ab hospite, ubinam ille esset. Ille vero respondit. « Hac nocte, inquit, apud nos in curia mansit. Cui solito tempestivius recedenti et vale facienti C respondimus : Cur, domine pater, tam cito egrederis, cum mediæ noctis adhuc vix hora transierit? Et ille : Modo, inquit, venturi sunt huc propter me viri quidam religiosi ; a quibus nolo me ad præsens reperiri. Hæc autem sæpius et propter alios fecit, quos ad se nihilominus venturos esse prædixit. » Quo audito satis superque mirati sumus, quod tam cito in astutia nostra ab eo deprehensi fuerimus. Callide namque satis putavimus nos egisse, et incautum antequam surgeret prævenisse. In quo videlicet facto manifeste innotuit, quod etiam prophetico spiritu non caruerit. Nos ergo scientes quod absque beneplacito suo reperiri non posset, per prædictum hospitem ei mandare curavimus, obnixe rogantes, ut gratia ipsius qui nos ad ipsum direxerat, suam nobis præsentiam indulgeret. Quo tandem annuente clementer, venimus et vidimus eum, non quasi terrenum hominem, sed sicut angelum cœlestem, cujus conversatio tota in cœlis et de cœlis erat. Tunc eulogiis præsentatis, cum salutationem Patris humiliter et cum reverentia suscepisset, ipsaque indumenta sibi applicuisset, mox iterum ea deposuit, et ait : « Benedictus Deus, qui dedit in corde apostolici viri, ut peccatoris et miseri hominis memoriam habere dignetur. Et nunc pro amore ipsius vestimenta transmissa obedienter accepi, et indui ; diutius tamen ea portare non valeo, quia nec opus est mihi, nec ipse mandavit. Dico autem vobis amicis meis charissimis, quia nihil est mihi molestius, quam ut curæ carnis sarcinam odiosam ; cum tanta difficultate depositam, lassatis et dolentibus humeris denuo imponere cogar. »

6. Nos itaque videntes hominem benignum atque affabilem, cum jam ei fiducialiter loqueremur, sciscitati sumus ab eo, cum reverentia tamen, utrumne adhuc de carnis illecebris vel dæmonum irritamentis aliquid molestiæ toleraret. Tunc ille, ut erat homo jucundus, et boni solatii, cum paululum subrisisset, ita loqui exorsus est. « Jam diu est, amantissimi fratres, ex quo per gratiam Dei a passionibus vitiorum sentio me non mediocriter exoneratum ; sed quoniam tentatio est vita hominis super terram, quis glorietur castum se habere cor? Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. In medio siquidem laqueorum ambulantes, et hostilibus gladiis circumquaque patentes, nisi scuto divinæ protectionis assidue muniamur, nunquam cavere poterimus ad his qui sagittant in obscuro etiam rectos corde. Confidimus tamen in Domino, quia fidelis est, et non patietur nos tentari supra id quod possumus. Et nunc vobis aliquid exempli gratia refero, in quo poteritis advertere, cujusmodi tentationibus aliquoties inquietor. Quadam itaque die cum brumalis asperitas solito intensiore pruina rigesceret, et nix copiosa de nubibus flueret, tunc torpentibus membris in terra jacebam. Verumtamen rerum Sator omnipotens, qui dat nivem sicut lanam, et nebulam sicut cinerem spargit, ipse mihi pro laneo amictu, qui deerat, niveum opertorium dederat ; magnum quidem et amplum, atque ad unius cubiti mensuram fere condensum. Quo circumquaque **1227** latius expanso ita operiebar, ut de corpore meo nihil penitus appareret. Tantummodo circa faciem meam virga fumantis anhelitus ab ore procedens, superjectam nivem paulatim undique reliquabat, et modicam fecerat aperturam. Interea lepusculus quidam ante faciem frigoris et nivis fugitans, atque ad pausandum latebras quæritans, casu venit ad ipsum foramen. Qui suavitate caloris illectus illico substitit, et super caput meum ibidem accubavit. Tunc ipsa novitas rei subridere me compulit, et subripiente mihi levitate dejectus est animus meus a statu solitæ gravitatis, et prolapsus in gaudium vanitatis. Non solum autem, sed et desiderium incidit eumdem lepusculum, ut facile poteram, manu injecta corripere ; non ut eum occiderem aut retinerem, sed quia est animal innocens atque lenissimum, ut contrectatione et visu illius aliquandiu delectarer, et dicatum pœnitentiæ tempus hac inepta lætitia interim consumere non vererer. Diutius autem suggestori reluctans, desiderium vanum donante Deo superavi ; tranquilloque corpore manens, pavidam bestiolam secure quiescere feci, donec tandem utronea voluntate recessit. En id est unum de majoribus tentamentis, quæ a multis retro diebus tolerasse me memini.

Digitized by Google

Quod videlicet quamvis jocose, et velut exhilarandi vos gratia fortasse videar vobis alacrius quam oportuit retulisse, erubesco tamen et doleo cogitationes meas interdum a vanitatibus istis velut a muscis volitantibus inquietari, etiam sine consensu vanitandi. »

7. Cum hæc et similia nobis ædificandi et solatiandi causa vir ille mirabilis enarraret, tunc beatum patrem Bernardum legatione nostra humillime resalutavit, seseque orationibus ejus devotissime commendavit. Moxque benedicens ac valefaciens nobis, tanquam cervus emissus a Deo liberis saltibus ad opaca saltuum recucurrit, et veluti avis de manu tenentis elapsa, laxatis in aera pennis ad avia nemorum cantando revolavit. Nos igitur videntes, et spiritum loquendi ulterius non habentes, in comparatione talis ac tantæ perfectionis, assimilavimus nostras turres favillæ et cineri; et qui antea putabamus nos aliquid esse, cum nihil essemus, tunc universas justitias nostras quasi pannum menstruatæ existimavimus : sicque percutientes pectora nostra, humiliati atque compuncti nimis ad propria remeavimus. Referuntur et alia pene innumera de viro illo magnalia, quæ quoniam a nobis tanquam longe remotis diligentius investigata non sunt, silentio claudimus; illa tantummodo proferentes quæ fide oculata percepimus. Hic itaque ter beatus cum revelante Deo diem dormitionis suæ jam jamque imminere conspiceret, ad unam de propinquioribus villis accessit, ibique percepto dominici Sacramenti viatico, lætantibus angelis, angelicæ puritatis animam reddidit. Ad cujus exsequias venerandas viri religiosi, et populi innumerabiles catervatim undique confluentes, corpus ejus honorifice sepelierunt, et super ipsum novam ecclesiam construxerunt. Postea vero translatum est inde corpus ejus apud quoddam nobile castrum, quod nominatur Luceleburgum, et in ecclesia beatæ Mariæ honorifice tumulatum. Porro ad ipsum tumulum ejus miracula frequenter usque hodie fiunt, et sanitates ac beneficia multa ipso interveniente fideliter postulantes accipiunt. Hæc et similia nobis neophytis domnus Acardus sæpius referebat exempla, quibus rudimenta tirocinii nostri magnifice roborabat, atque in amore virtutum non mediocriter ascendebat. Ad postremum autem etiam ipse deficiens, in senectute bona migravit ad Dominum, et sepultus est in sepulcro fratrum suorum.

III. — *De fratre laico et Converso Claræ-Vallis.*

8. Frater quidam laicus et Conversus in eodem cœnobio exstitit, vir religiosus ac summæ mansuetudinis, qui Deo magistrante didicerat esse mitis et humilis corde. Huic omnes testimonium perhibebant, quod nunquam visus fuisset irasci, nunquam quibuslibet injuriis affectus ad impatientiam provocari. Hic inspirante Deo statuerat firmiter in animo suo, ut quoties a **1228** quibuslibet fratribus suis juste sive injuste proclamaretur, toties pro illis oraret, et pro singulis *Pater noster* prima vice ad minus diceret. Cujus exemplo salubriter instructi multi Claræ-Vallensium fratrum, eamdem consuetudinem usque hodie quasi pro lege custodiunt. Quadam itaque die cum esset in via directus, necesse habuit transire per fauces cujusdam nemoris solus. Contigit autem ibidem eum incidere in latrones, qui eum despoliantes, caballum quoque cum sarcinulis rapuerunt, et nihil ei penitus præter solam charitatem dimiserunt. Illa vero quia non fuit in sitarcia, neque in forulo foris incaute relicta, sed firmissimæ patientiæ nodis intus in intimo cordis sapienter astricta, sicariorum violentiam timere non poterat. Salva igitur charitate nihil Dei serv mittere potuit, quia pro nihilo illi erat quidquid ea remanente amisit. Recedentibus vero latrunculis, ipse cum paululum processisset, prosternitur ad orationem, obsecrans Deum, ut hanc eis remitteret impietatem. Quidam ex ipsis a longe subsecutus, curiosius observabat, volens scire quid ageret; et videns eum orationi diutius insistentem, celeri cursu revertitur ad socios, percutiens pectus suum et dicens : « Væ nobis miseris et damnatis ! En moriemur omnes, qui hunc tam sanctum hominem, et tam sancti monasterii fratrem (siquidem ipso revelante cognoverant quod esset de Clara-Valle), nostro malo tam male tractavimus. Hinc enim ex quo recessit a nobis, non cessat orare cum gemitu et lacrymis : nec dubium est quin ipse Dominum roget etiam pro suis inimicis. » Quod audientes compuncti sunt animo, et venientes inveniunt illum adhuc in oratione flexis genibus intentum. Cui mox universa restituunt, et venia suppliciter postulata, in pace dimittunt. Quo viso, gavisus est frater ille gaudio magno, Salvatori Christo immensas gratias referens de compunctione prædonum, magis quam de receptione spoliorum.

9. Hic ergo vir bonus cum in sancto proposito perseverasset, tandem vocante se Deo collectus est ad populum suum, recepturus amodo cum eis præmia meritorum. De cujus glorificatione visio talis apparuit, eadem qua defunctus est die. Erat in quodam monasterio longius a Clara-Valle remoto, monachus quidam religiosus et magnæ opinionis vir, quem pro sua sanctitate omnes sinceriter diligebant, omnes singulariter honorabant. Hic igitur eodem die, quo prædictus frater mortuus est, etiam ipse moriens ad extrema devenit. Cumque jam morti proximus videretur, raptus est ab humanis, ita ut omni membrorum officio destitutus, a mane usque ad nonam in ecstasi positus, tandem ad seipsum revertitur, et virtute recepta, lingua tantum in verba laxatur. Stupentes vero qui aderant, causam ab eo repentinæ discessionis, ac reversionis efflagitant. Quibus ipse respondit : « Hodie cum a sensibus corporis in spiritu sublevatus abstraherer, inveni me subito introductum velut in paradiso voluptatis, in loco glorioso atque præclaro nimis; cujus aptitudinem, pulchritudinem, atque amœnitatem humani sensus angustia æstimare non sufficit. Ibi pretiosa vasorum congeries atque ornamentorum; ibi infi-

Digitized by Google

nita præparatio deliciarum, quomodo fieri solet in adventu cujuspiam potentissimi regis aut imperatoris. Erant igitur sancti innumerabiles immensa gloria coruscantes, quorum alii jam advenerant, alii adhuc de cunctis partibus veniebant, quasi ad grande spectacuium certatim properantes, et velut ad diem solemnem undique confluentes. Audiebatur etiam ibi suavitas harmoniæ cœlestis, et resonabat undique gratiarum actio et vox laudis. Ego vero cum nimis obstupuissem, sciscitatus sum ab angelo ductore meo super his quæ videbam. Ipse autem respondit : Hæc est celebritas nova, novi cujusdam sancti hodie de domo Claræ-Vallensi assumpti, et in gaudia ista modo solemniter introducendi. Hoc itaque dicto jussit me citius egredi, atque ad humana reverti. Quod cum ego nimium deterrerer, obsecrabam medullitus, ut ab illa felicitate ad miserias corporis amplius non remitterer. Ille vero respondit : Modis omnibus oportet te ad fratres tuos regredi, donec annunties quæ vidisti. Quo facto protinus reverteris, et æternæ istius lætitiæ participium **1229** obtinebis. Hujus rei gratia missus sum ad vos, indicare ista quæ vidi, ut et ipsi benefacientes proficiatis, et perseveretis in bono, scientes utique quia non deerit merces operi vestro. » Et cum ista dixisset, valefecit, atque obdormivit in Domino. Planxit autem eum omnis congregatio monasterii, utpote sanctissimum et magnæ utilitatis virum ; de cujus exemplo omnes erant informati, et de cujus consilio pendebant universi. Illi ergo sollicite tempus horamque notantes, cum requisissent in Clara-Valle, cognoverunt fratrem supra memoratum eadem die, qua visio demonstrata est, fuisse defunctum. Cujus nimirum inventa est talis ac tanta conversatio, ut fidem facile faceret tali et tanto miraculo.

10. Beatus vero Bernardus cum quidam de fratribus suis hanc visionem coram eo cum grandi admiratione referrent, ita respondit : « Et vos, fratres, ista miramini ? Ego vero magis admiror in vobis incredulitatem et duritiam cordis, qui adhuc minime creditis, aut minime forte advertitis vocem illam, qua de cœlo clamatur : *Beati mortui qui in Domino moriuntur : amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur illos* (*Apoc.* XIV, 13). Mihi siquidem luce clarius, et vita qua vivo certius constat, omnes qui in cordis hujus puritate obedientes et humiles perseveraverint, mox ut carnem exuerint, ab omni miseria protinus exuendos, et immortalitatis gloria vestiendos. »

IV. — *De Simone abbate Caziacensi.*

11. Vir venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat ; adeo ut de consilio et voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem desiderium magnum inerat curam pastoralem deserere, et fieri monachus in Clara-Valle. Verumtamen beatus Bernardus sciens viri virtutem, et gratiam qua commisso cœnobio valde idoneus et necessarius erat ; quandiu vixit in carne, nunquam ei voluit super hujusmodi petitione præbere consensum. Quadam igitur die dixit ad eum idem abbas : « Domine pater, ego jam senex et pene decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, et urgentibus undique morbis jam jamque resolvi me sentio. Quod si extra Claram-Vallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis, et irreparabile damnum. Unde necesse est ut vel nunc abire me jubeas, vel satisfacere votis meis ; quia mors accelerans moram amplius facere non permittit. » Cui Vir Dei respondit : « Mane in loco tuo, et noli timere. Ego securum te facio quod morieris in Clara-Valle. » Credidit homo sermonibus Sancti, et mansit interim in sua prælatione securior pluribus annis. Post transitum vero Famuli Dei, cum jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claram-Vallem se contulit ; ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit

V. — *De Gunnario, ex Sardiniæ tetrarcha monacho in Clara-Valle.*

12. Simili modo Gunnarius vir illustris, quondam judex et dominus Sardiniæ tetrarchalis, cum venisset aliquando orationis gratia ad sanctum Martinum Turonensem, in revertendo transitum habuit per Claram-Vallem : ubi a sancto Bernardo devote susceptus, et de salute animæ copiose prænonitus, converti ab eo minime potuit, quamvis beatissimus Pater, ipso ibi præsente, et multum gratulante, cæcum quemdam illuminasset. Cumque recessisset, dixit ei Sanctus : « Ego rogavi Dominum instanter pro tua conversione, sed ad præsens exaudiri non merui : et nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum. Verumtamen scias te huc iterum de Sardinia reversurum. » Abiit ergo vir in terram suam, de ignito Viri Dei colloquio scintillam æmulandæ paupertatis et religionis secum reportans : quæ in ejus pectore **1230** per cogitationem interim coalescens atque exæstuans, opportuno tempore postmodum in flammam operis erupit. Cumque reversus fuisset in Sardiniam, stimulabant ejus animum incessanter verba illa prophetica, quæ de ore sancti Viri prolata, quasi cœleste oraculum retinebat ; et cum quiescere non sinebant, juxta quod Salomon ait : *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccle.* XII, 11). Post modicum vero tempus audito transitu sancti Viri, consternatus est animo vehementer ; arguens semetipsum et pœnitens, quod ad illius prædicationem conversus non fuisset. Sed quod ipso vivente non egit, post ejus obitum implere festinavit. Mox ergo dispositis omnibus quæ necessaria videbantur, primogenitum suum Barasonem in regno suo principari constituit, cæteris tribus liberis patrimonio sue communiter distributo. Quorum etiam prior natu, vocabulo Petrus, illico post discessum patris, regnum Caralitæ

Digitized by Google

num conjugio sortitum potenter obtinuit, hodieque nobiliter regit. Ipse vero Gunnarius, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis et animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omnique gloria mundi deposita, pauper et humilis ingressus est Claram-Vallem : ubi jam annum quinquies quinum peragens, in disciplina suscepti Ordinis assidue militat, et exspectat donec veniat immutatio ejus. Qui cum tanta pro Christi amore reliquerit, nihil omnino se reputat amisisse; quin potius gratulatur, et magni lucri existimat pro cœlesti terrenum abjecisse.

VI. — *De reditu sancti Bernardi ex Urbe ad suos.*

13. Isdem quoque venerabilis Abbas cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis, in quo videlicet opere eumdem famulum suum Christus magnifice honestavit; tandem reversus Claram-Vallem, statim post factam orationem capitulum fratrum introivit : et quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat; brevem quidem sermonem, sed plenum consolatione protulit eis, dicens : « Benedictus Deus, qui vos mihi reddidit, et me vobis (138), » etc. Hæc autem signavit nobis domnus Girardus quondam abbas Longi-Pontis, qui unus ex antiquis senioribus Claræ-Vallensibus, dicta ejus, et facta studiose rimari satagebat.

14. Ipso quoque referente audivimus, quod ille Dei Sanctus dum in quodam monachorum capitulo verbum Domini prædicaret, duo ex fratribus illis qui aderant, viderunt eum cum subsellio, in quo residebat, in aere suspensum, et quasi mensura unius pedis a terra sublevatum. Hic ergo venerabilis Pater, cum esset aliquando in itinere, haud longe a castro Pruvinensi, revelatum est ei divinitus, quemdam de filiis suis Claræ-Vallensibus tunc migrasse. Statimque de vehiculo descendens, fecit obsequium pro defuncto, commendans animam ejus Deo. Cumque vespere divertisset ad oppidum, quod Cantamerula nominatur, domina ipsius loci, quæ illum in hospitio suo devote susceperat, obtulit ei filiam suam quartano incommodo jamdiu laborantem, ut ei benedicendo manum imponeret, et bene haberet. Ipse vero benedicens eam atque consignans ait : « Adhuc unam accessionem passura es, filia, et liberaberis. » Atque ita contigit ei. Alia autem vice cum idem vir beatissimus de Laviniaco [*fort.* Latiniaco], nobili villa in episcopatu Meldis posita, egrederetur, oblata est ei grandiuscula puella quædam surda et muta. Quam cum imposuissent super collum jumenti sui, respiciens in cœlum breviter oravit. Cumque saliva sua linisset labia ejus atque auriculas, benedixit illam, præcipiens ut vocaret sanctam Mariam. Mox ergo puella, quæ nunquam fuerat locuta, aperiens os suum clamavit, et dixit : « Sancta Maria. » Rogerius ergo quidam, vir religiosus et monachus Claræ-Vallensis, cum adhuc esset in sæculo, videns miraculum istud factum in oculis suis, compunctus est valde; et hæc erat, ut nobis asseruit, maxima causa, pro qua seipsum reddidit in Claram-Vallem.

1231 VII. — *De Fastrado abbate Claræ-Vallensi tertio.*

15. Venerabilis ac piæ memoriæ Fastradus (139), quondam Cisterciî abbas, vir eximiæ sanctitatis; nobilis quidem genere, sed morum elegantia nobilior fuit. Qui liberalibus studiis non mediocriter initiatus, sacris tamen Litteris ardentiori desiderio semper inhæsit; ita ut postmodum cum sapientia et ætate proficeret, eas præ oculis et manibus incessanter haberet, et ne ad mensam quidem sine lectione divina discumbere vellet. Quod non modo faciebat in propria domo, verum etiam in scholis peregrinando. Hic dum esset abbas Camberonensis, decedente piæ memoriæ domno Roberto, qui beato Bernardo successerat, electus est ad regimen Claræ-Vallis. Ad quam tamen electionem venire dissimulavit, quamvis ex nomine vocaretur; timens utique ne hoc illi accideret, quod semper accidere verebatur. Verumtamen antequam Legati Claræ-Vallenses ad eum requirendum pervenire potuissent garrula fama prævolante cognovit, quia in ejus personam omnes unanimiter convenissent. Hoc itaque rumore turbatus et anxius, fugam arripuit; veniensque ad domum Vallis-Sancti-Petri, quod est monasterium Ordinis Carthusiensis, per dies aliquot ibidem latitavit : ubi cum die noctuque in oratione persisteret, factus est in mentis excessu; et ecce apparuit in magna gloria Virgo puerpera, domina Angelorum, portans in manibus Regem gloriæ, parvulum suum Jesum. Quam cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, obsecrans ut sui misereretur. Cui Beata respondit : « Quid turbaris, o homo? » Et imponens ei in ulnas suas, velut alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam quam gestabat, ait : « Accipe Filium meum, et serva mihi illum. » Quo facto, sublata est visio ab oculis ejus : et rediens ad seipsum, intellexit quoniam a Domino egressus est sermo, et quia vere filii Dei, et membra Christi essent qui ejus providentiæ committebantur. Hac igitur tam læta visione præmonitus, jam non est ausus ultra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere.

16. Suscepto autem præfato regimine, quam sollicitum, quam discretum, quamque benignissimum pastorem exhibuerit se, non est meæ simplicitatis exponere. Nam quemadmodum alios præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat religionis exemplo, et merito sanctitatis. Castus, pius, et humilis, mansuetus atque modestus super omnes quos in diebus ejus vidisse me memini. Parcimoniam vero, ait ille Severus de beato Martino, non est necesse in eo laudare, cum adhuc in sæculo positus ita frugaliter vixerit, ut non jam scholasticus, sed monachus

(138) Ut supra, Vita I, lib. VII, cap. 11.

(139) Insignem ejus epistolam habes inter Bernardinas. modo numero 478, ubi appellatur Fastredus. Roberto Claræ-Vallensi post Bernardum abbati successit anno 1157 : mortuus anno 1163.

Digitized by Google

putaretur. Nam sicut ipse quibusdam intimis suis secrete innotuit, biennio ante conversionem suam, licet ætate nondum adultus, ita abstinentiæ operam dedit, ut nunquam voluerit saltem pane et aqua saturari. Carnium autem edulium, quamvis in ipso tempore ad mortem pene ægrotasset, nunquam sumere acquievit. Jam vero monachus factus, quam sobrie vivendo, imo quam rigide abstinendo corpus in servitutem redegerit, supersedeo dicere; quia, ut verum fatear, vehementior fuit in hac parte. Satis etenim illum super hujusmodi novi atque notavi; quippe qui pluribus annis eidem in sua mensa ministravi. Nam cum in seipso vitia carnis sine miseratione persequeretur, ipsi quoque miseræ carni, cui naturaliter insitus erat, minus quam oporteat, compati videbatur.

17. Cæterum in exteriori habitu et cultu, pro officii dignitate, quam humilis et quam temperans exstitit, hoc uno quod dicturus sum, facile advertere erit. Quadam siquidem die cum vestiarius monachus in lectulo ejus cucullam nescio, an tunicam, qua ipsum indui vellet, solito meliusculam apposuisset, increpavit eum, audiente me, pater, et dixit: « Quid est, dilecte mi frater, quod facere cupis, ut a communione fratrum nostrorum me separes, et notabili habitu decolores? Ecce qui mollibus **1232** vestiuntur in domibus regum sunt. An quia abbatis nomine censeor, propterea monachus esse non debeo? Nunquid idcirco constitutus sum minister et servus aliorum, ut lautioribus epulis debeam saginari, et cultioribus ornari? Si ergo me diligis, si pacem meam quæris, si præceptis meis obedire non despicis, precor atque præcipio ne id amplius facere velis. Nam cum ego sim apud Deum indignus, et omnium minimus, magnum est mihi si communi omnium victu atque vestitu fuero honoratus. Ex quo enim assumptus sum ad regimen animarum, hoc unum est quod præ cæteris timui semper, et timeo; ne occasione hujus administrationis, pauperem vitam, quam professus sum, deseram, et monachi præmium perdam. » Hic itaque dilectus a Deo et hominibus, et charismatum donis principaliter adornatus, non solum verbo et exemplo proficiebat, verum etiam gratissima corporis habitudine, mira devotione intuentes afficiebat. Tanta siquidem Spiritus paracleti gratia in ipsius vultu angelico radiabat, ut vix posset fidelium aliquis desiderabili ejus aspectu satiari: præsertim qui puritatem animi ejus, et singularem mansuetudinem cogitabant, quam in exteriori homine, velut in proprio sigillo, divina manu impressam cernebant. Qui videlicet vir venerandus, cum jam factus esset Cisterciensis cœnobii ac totius Ordinis Pater universalis (140), magnum in eo, ut credimus, fructum fecisset, nisi peccatis nostris exigentibus tam cito subtractus fuisset. Sed quia ejus sanctissima vita diutius frui digni non fuimus præcisa est velut a texente, dum adhuc ordiretur. Verumtamen ipse consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima ejus, et angelico consortio digna

18. De cujus felici transitu mox futuro, beatæ memoriæ Petro Tolosano, de quo superius multa retulimus, facta est hujusmodi revelatio. Videbat in visu noctis: et ecce in nubibus cœli Filius Dei, sanctorum frequentia comitante, de cœlo adveniens, et in ipso aere consistens, in throno gloriæ residebat, et splendor ex eo procedens mundum illuminabat. Porro ad dexteram majestatis illius monumentum quoddam gloriosissimum in aere suspensum apparebat, quod miro opere fabricatum intuentium oculos admodum delectabat. At vero ante fores basilicæ Claræ-Vallis multitudo promiscui sexus innumerabilis assistebant, qui sursum erectis vultibus regem gloriæ Dominum nostrum Jesum Christum, ipsumque mausoleum intente respiciebant. Præfatus autem monachus Petrus accedens ad eamdem turmam, de sepulcro illo quod coram Domino apparebat, cœpit interrogare quid esset, aut quid signaret. Tunc unus ex eis respondit ei taliter, dicens: « Sepulcrum istud, de quo sciscitaris, constat esse sanctissimi cujusdam viri de terra proxime assumendi: de cujus recessione magna in partibus istis longe lateque desolatio erit; cujus etiam mors futura est in conspectu Domini pretiosa, et in conspectu hominum præclara. » Evolutis postea viginti circiter diebus, cum dictus sanctus abbas Parisius pro negotiis monasterii ac totius Ordinis sui, domino papæ Alexandro assisteret, correptus ægritudine lecto decubuit, et infra diem quintum sancto fine quievit. Tandem apud Cistercium corpus ejus cum ingenti honore reductum magna devotione conditum est. Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum, magnæque virtutis virum existere, qui in ipsa die qua beatus Bernardus abbas in Clara-Valle de mundo migravit, cum esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam angelum de cœlo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, et eam cum ingenti gaudio secum ad astra deducentem. Postmodum autem cum ipse beatus Fastradus abbas exiret a corpore, eadem die vidit ille qui supra, supradictum angelum ad terram venientem, assumptamque ex ea quamdam animam ad cœli fastigia sublevantem: quæ quamvis maxima videretur, prioris tamen animæ magnitudini non æquiparabatur (141).

(140) Vide supra, lib. VII, cap. 20.

(141) In omnibus S. Bernardi miraculorum libris nulla uspiam mentio de miraculoso illo lacte, a beatissima Virgine in Bernardum expresso: quod tamen miraculum præ aliis certissimis a pictoribus et ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus.

Digitized by Google

ADMONITIO

IN RELIQUOS SCRIPTORES VITÆ S. BERNARDI.

1233-1234 *I. Superioribus libris visum est mantissæ loco adjicere auctores subsequentes, qui de gestis sancti Bernardi scripserunt. Primus est Alanus, ex abbate Aripatorii episcopus Autissiodorensis ab anno* 1153 *ad* 1161 *: quo anno ad Claram-Vallem denuo se recepit, ibidem mortuus anno* 1181. *Is ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum a Bernardo gestarum seriem contexuit, adhibitis propriis auctorum verbis, quos ad temporum ordinem utcunque reduxit. Nam ubi Gaufridus in lib.* III, *cap.* 4, *infelicem expeditionis Jerosolymitanæ exitum præponit synodo Senonensi contra Abælardum habitæ, quæ decem annis præcessit : Alanus contra expeditioni synodum præponit. Item idem Gaufridus in ejusdem libri* I, *cap.* 6, *Gilberti Porretani confutationem in concilio Remensi factam refert ante Bernardi prædicationem contra Henricum hæreticum ; et post ea omnia Bernardi ex Urbe reditum lib.* IV, *cap.* 1. *Hæc autem omnia recto ordine describuntur ab Alano, qui etiam sancti Doctoris testamentum, ab aliis scriptoribus omissum, primus commemorat. Sane Gaufridus ipse in Præfatione libri tertii fatetur, in sua narratione « cohærentiam magis similitudinis rerum gestarum, quam temporis observari. » Quin etiam ex eodem Alano Gaufridi Carnotensis episcopi vulgatum annorum calculum emendare licet. Cum enim is Alberico cardinali Ostiensi episcopo et legato, in Tolosanas partes adversus Henricum hæreticum, « diebus, » inquit Alanus, « Eugenii exortum, » et quidem anno* 1147 *proficiscenti, una cum Bernardo comes Gaufridus adhæsisse dicatur ; extrema Gaufridi vitæ periodus non quidem ad annum* 1138, *ut præfert Gallia Christiana, referenda est, sed post annum* 1147 *differenda, id est, in annum sequentem : tum quia Gaufridus legationis munere, quod Innocentius papa II post annum* 1131 *ipsi commisit, functus est per quindecim annos, ex Actis episcoporum Carnutensium editis Analectorum tomo II ; tum quia Goslenus, ejus nepos et in sede Carnutensi successor, in litteris monasterio Josaphatensi anno* 1151 *concessis, annum sui episcopatus tertium dicit. Quid in reliquis Alanus præstiterit, docet ejus Præfatio ad Pontium Claræ-Vallensem abbatem quintum : qui anno* 1158 *Gaufrido successit ; post annos quatuor ad sedem Claromontensem promotus. Ac proinde ad annum circiter* 1170 *revocanda hæc Alani scriptio, de quo vide plura in notis ad epistolam* 280.

II. Secundus auctor, qui Alanum proxime subsequitur, ab erudito Petro Francisco Chiffletio Parisiis editus anno 1679 *inter quatuor Opuscula, videtur ipsi esse Gaufridus, ille, cujus tres posteriores de S. Bernardi Vita libros cum parte altera Miraculorum superius retulimus. Nec levis de auctore conjectura. Is quippe in cap.* 6 *testatur, se « in corpore » Bernardi « epistolarum primam eam » constituisse, quæ ad Robertum scripta est, ob miraculum, quod « ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia, » acceperat : quod quidem videtur fuisse notarii officium, quo Gaufridus fungebatur. Idem auctor de se addit cap.* 9, *conversionem suam contigisse ex sermone quem in scholis Parisiensibus Vir sanctus habuit. Id si Gaufrido aptari potest, Sermo ille de Conversione ad clericos, qui inter Opuscula tomo secundo habetur, anno* 1140 *assignandus est : siquidem Gaufridus ipso anno ad conversionem venit, nempe anno tertio decimo ante Bernardi obitum, ut ipse in Præfatione ad librum tertium de Vita ejus testatur. Certe eodem fere modo loquitur Gaufridus tum in Præfatione ad librum tertium, tum in Sermone de S. Bernardo, ubi de sua ipsius conversione, atque auctor in Vitæ sequentis cap.* 6. *Porro ex hoc auctore tantum Excerpta quædam retulit Chiffletius, quod cætera cum aliis auctoribus conveniret, et quidem de verbo cum ea parte libri sexti miraculorum, quæ ipsum Gaufridum habet auctorem. Hæc porro censet vir doctus quædam collectanea fuisse de vita et rebus gestis Bernardi, ac veluti materiem scribendæ ejus historiæ præparatam : cujus historiæ primum et secundum librum cum elaborassent duo viri eruditi et graves, Guillelmus et Ernaldus ; noluerit Gaufridus pios eorum labores opere suo obscurare : sea intactis quæ illi tractaverant, reliquam sancti Bernardi vitam tribus libris prosecutus sit, ad priores duos adnectendis. Hæc sane verisimilia.*

III. Excerptis Gaufridi (sic eum postmodum appellabimus) succedent libri duo Joannis Eremitæ de Vita itidem sancti Bernardi, sed imperfecti : quos Chiffletius mox laudatus vulgavit eo in Opusculo, quod Diatribæ de illustri S. Bernardi genere præmisit. Joannes ex nomine Eremita dictus videtur, non ex vitæ professione. Nec fortasse monachus fuit, sed « apud quosdam discipulorum ejus, » scilicet Bernardi, « olim assiduus, adhuc puer, » ut de se ipse testatur in Præfatione secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia episcopum : nam prima ad Petrum Tusculanum episcopum scripta est. Ex hac duplici præfatione tempus, quo Petrus hos libros scribebat, colligi potest. Herbertus quippe libros suos scribebat anno 1178 *: quo anno Petrus ab Alexandro III creatus est cardinalis episcopus Tusculanus. Adde quæ habet Joannes de Roberto abbate, Bernardi consanguineo. « qui magis, » inquit lib* I, *num.* 5, « *quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo disciplinæ regularis vixit.* » *Ergo post annum* 1180 *scribebat Joannes, cum Robertus non ante annum* 1113 *Bernardo se adjunxerit, ante oblatus in monasterio Cluniacensi.*

Digitized by Google

SECUNDA VITA
SANCTI BERNARDI ABBATIS
AUCTORE SEU COMPILATORE ALANO
QUONDAM EPISCOPO AUTISSIODORENSI.

1235 PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando Patri Pontio, Dei providentia Claræ-Vallis abbati, frater Alanus Autissiodorensis ecclesiæ humilis quondam sacerdos, æternam in Christo salutem.

Vitæ beatæ recordationis Bernardi Claræ-Vallis abbatis, virtutibus et miraculis tam admirandæ quam imitandæ, plures in describendo exstiterunt auctores, sumpta nimirum materia, quæ se copiosa inquirentibus offerebat. Quod autem nos ex eadem narratione nonnulla omittentes, et apponentes perpauca, breviori perstringimus schedula; non tam præsumptio, quam, ut credimus, ratio persuasit Primo quod scriptorum, tametsi vera sint, prolixitas onerosa solet esse legentibus. Deinde quod Godefridus, venerabilis Lingonicæ sedis antistes, ejusdem patris Bernardi secundum carnem propinquus, secundum spiritum in conversione socius et in laboribus coadjutor, quædam in pagina, quam breviandam suscepimus, minus veritati consona denotabat, utpote qui ab infantia cum Sancto illo nutritus, visa melius, quam alius narrata didicerat. Morte vero idem venerabilis sacerdos præventus, quod inde cœperat et optaverat, imperfectum reliquit. Sed et in serie ipsa descriptionis multiplex sensuum recapitulatio est, dum plures eadem sæpe dixerunt, etsi aliquando dissimilibus verbis. Necnon etiam, si quis diligenter advertat, ibidem quædam aspera inserta reperiuntur, verbi gratia contra ecclesiasticæ et sæcularis potestatis authenticas sublimesque personas. Absit autem ut quidquam asperum vel amarum Oliva illa, suavitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat! cujus studii semper fuit, dum vixit in sæculo, omnes homines mansuetudinis suæ oleo demulcere. Sane narrationis nostræ veritas non incertam apud nos obtinet firmitatem, cum etiam plura ex his quæ vel ex ejus ore sacratissimo, vel fideli religiosorum relatu comperta cognovimus, sicut et miraculorum multitudinem scienter prætereuntes, studio brevitatis duximus sequestranda. Si igitur puritatis vestræ examini nostra placuerit abbreviatio, subtractis vel appositis aut emendatis quæ vestræ visa fuerint Sanctitati, cum Dei beneplacito, vestroque favore, ni fallimur, sine offendiculo poterit transcribenda exponi. Sin autem; nostræ humilitatis est, idem opusculum penes nos potius occultare quam prodere, ne minime profutura timere velle pandere videamur.

A

B

C

D

CAPUT PRIMUM.

De parentibus, pueritia et moribus sancti Bernardi.

1. Bernardus Burgundiæ partibus, Fontanis oppido patris sui oriundus fuit, parentibus claris secundum sæculi dignitatem, sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tescelinus, vir antiquæ et legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque, secundum instituta Præcursoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis (*Luc*, III, 14), quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater ejus Alaidis ex castro cui **1236** nomen Mons-Barrus, et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro (*Ephes.* v, 22), sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit, non tam viro suo quam Deo; sex mares, feminam unam; mares omnes monachos futuros, feminam sanctimonialem. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent aliquandiu sub manu ejus, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos præparans et instituens Domino aspirante, quasi continuo ad Dei servitium transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, et latrantem, in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consuluisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal.* LXXVI, 24), trepidanti et anxiæ re-

Digitized by Google

spondit : « Ne timeas ; optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. » Quo responso mulier pia et fidelis quasi a Deo suscepto, læta efficitur, et jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans eum sacris Litteris erudiendum tradere, secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur.

3. Quod et factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat : sed, sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, que petitum a Domino et acceptum filium in tabernaculo ejus destinavit perpetuo serviturum (*I Reg.* 1), sic et ipsa eum in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus. Unde et quam citius potuit, in ecclesia Castellionis, quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in Ordinem regularium canonicorum promota cognoscitur, magistris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus, et ingenio naturali pollens, cito in hoc matris desiderium implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem et præ coætaneis suis proficiebat ; sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippe simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens et subditus, omnibus benignus et gratus, domi simplex et quietus, foris rarus, et, ultra quam credi possit, verecundus, nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram ei pueritiam suam conservaret ; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret et cognosceret.

1237 CAPUT II.

De ejus pietate, misericordia, ac studio castitatis.

4. Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectulum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam cum ille appropinquantem sentiret cum quibusdam carminalibus instrumentis, cum indignatione magna exclamans, a se repulit et abjecit.

5. Aderat aliquando solemnis illa nox Nativitatis Dominicæ, et ad solemnes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem exspectantemque Bernardum cum cæteris inclinato capite paululum soporari. Adfuit illico puero suo se revelans pueri Jesu sancta nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, et divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim ei velut denuo procedens sponsus e thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris Virginis Verbum infans, speciosus forma præ filiis hominum, et pueri sancti in se ra- A piens nimine jam pueriles affectus. Persuasum autem esse animo suo fateri solebat quod eam crediderit tunc horam fuisse Dominicæ nativitatis. Sed et facile erat advertere his qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta eum benedictione ea hora prævenerit Dominus, cum in his quæ ad illud pertinent sacramentum et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videretur. Unde et postmodum in laudem ejusdem Genitricis et Geniti, et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatuum, sumpta materia ex eo Evangelii loco ubi legitur : *Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ* (*Luc.* 1, 26), et cætera quæ ibi sequuntur. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus B annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, pro ætate, imo supra ætatem pietatis opera sectabatur.

6. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines, puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus liberis fideliter educatis, et vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. Obdormivit autem psallentibus clericis, qui convenerant ; et ipsa psallens, ut in extremis quoque, cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, et lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter litaniæ supplicationes, cum diceretur, C « Per passionem et crucem tuam libera eam, Domine, » elevans manum signavit se, et emisit spiritum, ita ut manum non posset deponere quam levarat. Ex hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui, tanquam ingredienti sæculum, plures se viæ sæculi ipsius offerre cœperunt, et in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, et magnæ spes undique arridere. Obsidebant animum juvenis benignum sodalium dissimiles mores, et amicitiæ procellosæ similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue D invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur.

7. Circa idem tempus instinctu dæmonis, in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace et silentio, partem ei lectuli, quam occupaverat, cessit, et in latus alterum se convertit, ac dormivit. Misera vero illa aliquandiu jacuit, sustinens et exspectans, deinde palpans et stimulans. Novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit, et horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospi-

Digitized by Google

taretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est 1238 laqueo oculorum suorum, et in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tanquam honoratiori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare cœpit : « Latrones, latrones. » Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exsurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant cæteri, sed non illa misera requiescit. Exsurgit denuo, et Bernardi lectulum petit; sed denuo ille proclamat, « Latrones, latrones. » Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem, seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille : « Veraciter, inquit, aderat latro, et mihi castitatem hospitá subripere nitebatur. »

CAPUT III.

Mundi contemptum ac fugam concipit, aliisque persuadet.

8. Inter hæc tamen cogitans et perpendens, quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum et principem ejus exterius multa sibi offerentem, multa promittentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, et vanitatem vanitatum, et omnia vanitatem. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem, et dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28, 29). Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere et investigare, ubi certius et purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cisterciі innovatæ monasticæ religionis nova plantatio, messis multa, sed operariis indigens, cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius et paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitatione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere et abscondi. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, et qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestione, sicut fateri solebat, propemodum retardati fuerant ejus gressus. Et cum aliquando ad eosdem pergeret fratres, in obsidione castri, quod Granceium dicitur, cum Hugone duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxiari. Inventaque in itinere ecclesia quadam, divertit, et ingressus oravit cum multo imbre lacrymarum, expandens manus in cœlum, et effundens cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

9. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis. *Qui audit, dicat, Veni* (*Apoc.* XXII, 17). Siquidem ab illa hora, sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progreditur : sic ignis quem Dominus miserat in cor servi sui, volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo, ad conversionem minus adhuc habili, seniori patri ad solatium derelicto; deinde cognatos, et notos, socios et amicos, et de quibuscunque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, in sententiam ivit nepotis, et consensum conversionis; vir honestus et potens in sæculo, et in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio Æduensi, quod Tuillium dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens junior cæteris fratribus, et necdum miles, sine difficultate, eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas, Bernardo etiam ipse junior, et novus eo tempore miles, verbum fratris difficilius admittebat, donec subito exclamavit : « Video matrem meam. » Visibiliter siquidem ei apparuit, serena facie, subridens et congratulans proposito 1239 filiorum. Itaque et ipse continuo manus dedit, et de tirone sæculi factus est miles Christi. Guido vero primogenitus fratrum conjugio jam alligatus erat, vir magnus, et præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens et recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili, et parvulas filias nutrienti, pene impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter ei spopondit, aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, imo jam ea præventus virtute fidei, in qua postmodum excellenter enituit, virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret, et uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum esset sibi contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, et prior ipsa conversionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata a viro, interveniente pariii voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose serviens Deo usque ad mortem.

10. Secundus natu post Guidonem Girardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, et qui ab omnibus diligeretur. Qui

Digitized by Google

cæteris, ut dictum est, primo auditu et prima die acquiescentibus, levitatem reputans, ut mos est sapientiæ sæcularis, obstinato animo salubre consilium et fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, et fraternæ charitatis zelo mirum exasperatus in modum. « Scio, inquit, scio, sola vexatio dabit intellectum auditui. » Digitumque lateri ejus apponens, « Veniet, inquit, dies, et cito veniet, cum lancea, lateri huic infixa, pervium faciet iter ad cor tuum, consilio salutis tuæ, quod modo aspernaris; et timebis quidem, sed minime morieris. » Sic dictum, et sic factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus et vulneratus, juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco, cui Bernardus digitum applicuerat, trahebatur, et mortem quasi jam præsentem metuens, clamabat : « Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. » Nihilominus tamen captus et reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. « Sciebam, inquit, et prædixeram quod durum foret ei contra stimulum calcitrare : nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. » Et factum est ita : siquidem de vulnere præter spem cito convaluit; propositum vero seu votum, quod voverat, non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, et hoc solum esset quod ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito adfuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut erui posset, et non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit : « Scito, frater Girarde, quia ituri sumus in proximo, et monasterium introituri. Tu vero, quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis et non potes, pro facto reputari. » Cumque Girardus magis ac magis anxiaretur, paucis diebus interpositis audivit vocem dicentem sibi in somnis : « Hodie liberaberis. » Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat compedes suas tetigit, et ecce ferrum ex parte in manu ejus crepuit; ut minus jam teneretur, et aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, et pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, et non tam spe evadendi quam jacendi tædio, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus et clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, et ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus astabant, videntes quod fiebat, et divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius **1240** a quo custodiebatur, videnque ad ecclesiam properantem, « Tarde, inquit, Girarde, venisti. » Expavescente Girardo, « Festina, ait : adhuc superest quod audias. » Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageret intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Girardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid ageretur agnovit, et conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Girardus a captivitate amoris sæculi hujus, et captivitate filiorum sæculi hujus liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, a quanta perfectione et sanctæ conversationis gratia iste Dei famulus Bernardus cœperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea apparebat, quando digitum applicuit, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

11. Cum die quadam Bernardus cum cæteris, secum in eodem spiritu congregatis, quamdam intrasset ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur : *Fidelis Deus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Christi Jesu* (*Philipp.* I, 6). Quod devotus juvenis haud secus accepit, quam si de cœlo sonuisset. Exsultans itaque spiritualis jam pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, et manum Domini secum operantem intelligens, cœpit ex hoc prædicationi insistere, et quoscunque poterat aggregare. Cœpit novum hominem induere, et cum quibus de litteris sæculi seu de sæculo agere solebat, de seriis et conversione tractare, ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis seu in malis perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei et verbo virtutis ejus, et oratione et instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant et consentiebant. Inter quos adjunctus est ei Hugo Matisconensis, qui postea raptus a Pontiniaco cœnobio, quod ipse ibidem abbas ædificavit, Autissiodorensi Ecclesiæ præfuit merito et honore pontificis. Hic audiens de conversione socii et amici charissimi Bernardi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem data est utrique primo facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas et gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, et res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dexteris in sodalitium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum et anima una in Christo, quam in sæculo ante fuissent. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo subversum ab aliis eumdem Hugonem a proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiat. Observantes autem prædicti sodales et subversores Hugonis, viso Bernardo

Digitized by Google

prædam ambiunt suam, et omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum. Quo orante cum lacrymis, subita et vehemens inundatio pluviæ mox erupit. Consederant autem in campo, quod aer serenus esset, et nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens : « Mecum, ait, sustinebis hujus pluviæ guttas. » Cumque soli remansissent, Dominus reddidit eis continuo et aeris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus et propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

12. Videbat ista peccator, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat; justus autem confidens in Domino, gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur : *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino* (*Act.* IV, 32), *et habitabant* **1241** *unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis* (*Act.* V, 12, 13). Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cohabitabant, et colloquebantur, quam ingredi vix audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed et si quis intrabat, videns et audiens quæ ibi gerebantur, convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus : et adorans Dominum, et confitens quod Deus vere esset in illis, aut ipse unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus, et in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex, post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut perinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur.

13. Cum autem jam suspecta esse inciperet multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspiciebat enim quidam eorum in visu noctis, et videbat quasi omnes consedisse in domo una, et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis : quem cæteris omnibus optime suscipientibus et cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat a cibi illius participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat; alter quidem sumere videbatur, sed tanquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum abiit, et in sæculum rediit : alter cœpit quidem cum cæteris opus bonum, sed non perfecit.

A

B

C

D

CAPUT IV

Bernardus cum sociis Cistercium ingreditur, ubi de ejus mortificatione tempore tirocinii.

14. Jam vero adveniente die reddendi voti et complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernardus pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum fratrem suum, minimum puerum, cum pueris aliis in platea : « Eia, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. » Ad quod puer non pueriliter motus : « Vobis ergo, inquit, cœlum; mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est. » Quo dicto abeuntibus illis, modico post tempore et ipse fratres secutus, nec a patre, nec a propinquis seu amicis potuit detineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus. Eo tempore novellus et pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens, viro venerabili Stephano cum jam graviter tædio ei esse inciperet paucitas sua, et omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc a Spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur : *Lætare, sterilis, quæ non paries; erumpe et clama, quæ non parturiebas : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1) : de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes.

15. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, a constitutione domus Cisterciensis quindecimo, servus Dei Bernardus annos natus circiter duo et viginti [*al.* tres et viginti], Cistercium ingressus cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines ejus. Hæc quidem fuere Viri Dei conversionis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu; de quo ille vixit. Solius quippe donantis et accipientis est nosse, quantum ab ipso mox conversionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ; quanta repleverit gratia electionis, quomodo **1242** ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum; Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis præparante, non solum ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed ad portandum nomen suum coram regibus et gentibus, et usque ad extremum ter-

Digitized by Google

ræ. Ipse vero nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam cordis sui et propositi constantiam hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat : « Bernarde, ad quid venisti ? » Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1) : a prima die in cellam Novitiorum ingressus sui, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat docturus.

16. Ipse cum Novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per corpus fiunt, sed et sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiori sensu illuminati amoris, dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum sibi spirantem suavitatem, sensui illi interiori timens a sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ipsa quodammodo vertebatur in naturam : totusque absorptus in spiritum, sæpe [*al.* spe] tota in Deum directa intentione, seu in meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat ; nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat ; vel si eum forte aliquando contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertebat. Sine memoria quippe sensus sentientis minus efficax est

CAPUT V.

De Bernardi dotibus, et corporis habitu.

17. Natura quoque non dissentiebat in eo a gratia, ut in eo quoque impletum quodammodo videretur esse quod legitur : *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam ; et cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII, 19, 20). Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii ; sortitusque est etiam ipse in hoc animam bonam, sensualitatem non curiose lasciviam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus bonis et studiis, et in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui et servientem : corpus etiam nullius contaminatum consensu flagitii, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis : in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cœlestis : in oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum et sine carnibus erat. Ipsa etiam subtilissima cutis in genis modice rubens ; illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio, et studium sacræ compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur et candido ; barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, adjutorio subsequentis naturæ, et usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet ; spiritus supra vires, supra virtutem carnis et sanguinis tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere, resurgere non valeret.

1243 CAPUT VI.

De fundatione Claræ-Vallis, et Bernardi ordinatione in abbatem.

18. Cum autem placuit ei, qui eum segregavit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, et multos filios Dei qui erant dispersi, per eum congregaret in unum ; misit in cor abbatis Stephani ad ædificandum domum Claræ-Vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum præfecit abbatem, mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-Vallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Alba, antiqua spelunca latronum, quæ Absinthialis vallis antiquitus dicebatur. Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum, templum Dei et domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebantur. Panis instar prophetici illius ex hordeo et milio et vicia erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines. At virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ a prima die conversionis suæ usque in finem tam singulariter sacrum illius pectus noscitur possedisse, ut erga omnes animas maternum gerere videretur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus sancti desiderii et sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret : modo oblitus sui æstuabat flagrantissimo ardore, ita ut nullam sibi nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam charitas pariebat, sed eamdem castigabat humilitas.

19. Contigit aliquando peractis vigiliis, ut egres-

Digitized by Google

sus foras, et loca vicina circuiens, oraret ad Dominum, quatenus acceptum haberet obsequium suum et fratrum suorum. Subito vero stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. Quæ visio quid portenderit, jam omnibus manifestum est. Hac ergo Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est fratres suos, commonens eos de misericordia Dei nunquam desperare.

20. Cum autem quadam die Girardus frater ejus, cellarius domus, apud eum conquereretur ad necessaria fratrum multa deesse; Vir Dei, quantum interim ad præsentes angustias sufficere posset, inquisivit. Ille vero duodecim [*al.* undecim] libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Girardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, et velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægrotanti. Quam breviter allocutus, dimisit a se: « Vade, inquiens, sanum invenies virum tuum. » Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem cellarii sui, ad sustinendum Dominum de cætero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc, sed sæpe, cum hujusmodi instaret necessitas, ei certum est divinum adfuisse auxilium, unde non sperabatur. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus, quasi a deliciis paradisi nuper egressi, rerum exteriorum sollicitudine inquietare pertimescebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, et eum tantummodo de spiritualibus et interioribus consulentes

1244 CAPUT VII.

De Bernardi prædicatione, et patris ac sororis conversione.

21. Ipse si quando pro ædificatione sermonem ad eos habebat, hominibus supra hominem loquens, vix intelligebatur. Tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putantes contradicere sermonibus Sancti (*Job.* VI, 10), non excusabant infirmitatem suam, sed accusabant. Cumque ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles et subjectos zelus suus esse suspectus. Unde factum est ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cogitabat enim eos multo meliora et viciniora saluti suo in silentio meditari, quam ab ipso audirent; devotius et efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent. Timebat vero ex prædicatione sua eos scandalizari potius, quam aliquid ædificationis concipere. Cumque super hoc turbaretur et constristaretur, et diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus; post multos cogitationum fluctus et cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora se recolligere, et in solitudine cordis et secreto silentii continere, donec misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret Dominus voluntatem. Paucis autem postea evolutis diebus, vidit in visu noctis personam quamdam cum claritate sibi astantem, et magna auctoritate præcipientem, fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus Dei loqueretur in eo. Et extunc manifestius in eo et per eum loquens Spiritus sanctus, et sermonem ei potentiorem et sensum ei in Scripturis abundantiorem suggerens, apud auditores quoque gratiam ei addidit et auctoritatem. Inde erat quod tam confidenter quam utiliter loquebatur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ut, dum prædicaret verbum Dei, quidquid afferebat in medio, sic patens et placens efficiebat, et circa id unde agebatur, efficax ad movendum, ut mirarentur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.

22. Præfatus quoque pater illius, qui domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. Qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona. Soror quoque eorum in sæculo nupta et sæculo dedita, cum in divitiis et deliciis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem Bernardum fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu; ille detestans et exsecrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquiescebat exire ad videndum eam. Quod audiens, illa confusa et compuncta vehementer, cum nullus ei fratrum suorum occurrere dignaretur, tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco colloquium et consilium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat; quidquid præceperit, facere parata sum. » Hanc ergo promissionem audiens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam a viro separare non poterat, primo verbo omnem mundi gloriam in cultu vestium et in omnibus sæculi pompis interdixit; et formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixerat cum viro, ei indixit; et sic eam dimisit. Illa vero obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant autem omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam, instare jejuniis, et vigiliis, et continuis orationibus, et ab omni sæculo prorsus se facere alienam. Biennio sic vixit cum viro suo: qui etiam virtute ejus perseverantiæ victus, tandem liberam a se dimittens, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo ser-

Digitized by Google

vientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus **1245** gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo, quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

CAPUT VIII.

Abbas consecratur a Guillelmo episcopo Catalaunensi, qui valetudinis ejus curam suscipit

23. Cum autem missus noviter Claram-Vallem Bernardus ordinandus esset, et sedes Lingonensis vacaret (142), ad quam ordinatio ipsa respiciebat; quærentibus fratribus, quo eum ducerent ordinandum, obtulit se bona fama venerabilis Catalaunensis episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum definiunt. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum assumpto secum Elbodone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo prædicti episcopi domum juvenis exesi corporis et moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, et magnitudine et robore corporis eleganti; aliis ridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quæreretur quis eorum esset abbas; Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnovit servum Dei, et suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio, omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi; intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui, nec defuit hospitalitatis pia instantia: sumptaque familiaritatis fiducia et libertate loquendi, habito ad alterutrum sancto colloquio, melius eum commendabat conscientia, quam verba. Ex illa ergo die et ex illa hora facti sunt cor unum et anima una in Domino, in tantum ut efficeretur Claræ-Vallensium non sola domus Episcopi, sed per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quin etiam Remensis provincia et Gallia tota per eum in devotionem excitata est, et reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto episcopo cæteri didicerunt suscipere eum et revereri tanquam angelum Dei, ita ut futuri temporis præsensisse in eo gratiam videretur homo tantæ auctoritatis, sic . ectus erga ignotum monachum, et monachum tantæ humilitatis.

24. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam nonnisi mors, aut omni morte gravior vita speraretur, ab eodem Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitæ ejus, sed et sanitatis spem habere diceret, si concilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum, aliquam corpori suo curam pateretur impendi; ille vero a rigore vel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset; profectus Episcopus ad capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate et sacerdotali charitate toto corpore in terram prostratus, petiit et obtinuit, ut toto anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque Claram-Vallem, extra claustra et terminos monasterii domunculam unam fieri ei præcepit, ordinans et mandans in cibo et potu, sive in aliquo hujusmodi, circa eum nullam teneri Ordinis districtionem, nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sibi eum vivere ibi secundum modum ab eo præstitutum. Sic igitur ex præcepto episcopi et abbatum feriatus ab omni sollicitudine domus, Deo vacabat et sibi, quasi in deliciis paradisi exsultans. Regium autem illud cubiculum considerantibus tantam sui reverentiam incutiebat, ac si altare Dei ingrederentur. Sane cuidam homini rusticano traditus erat ab episcopo ad obediendum, qui se curaturum eum jactitans polliceabatur. Et licet tam graviter infirmaretur, offerebantur ei cibi quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret, admirantibus et tabescentibus qui videbant. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbabat. Sensu quippe corrupto, et emortuo pene sapore, vix aliquid discernebat. Solam enim aquam sibi sapere dicebat, eo quod dum sumeret, fauces ei et guttur refrigerabat.

1246 CAPUT IX.

De visione transferendæ Claræ-Vallis, ac mira ejus sub Bernardo disciplina.

25. Nocte quadam solito attentius orando effuderat super se animam suam, cum tenuiter sopo ratus, voces audivit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Evigilans autem, et easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egressus, prosecutus est abeuntes. Haud procul aberat locus, densis adhuc spinarum vepriumque frutetis abundans, sed nunc longe mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant velut alternantes chori, hinc inde dispositi, et Vir sanctus audiebat et delectabatur. Cujus tamen mysterium visionis non prius agnovit, quam translatis post aliquot annos non sine divinis revelationibus ædificiis monasterii, eodem in loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audierat.

26. Erat tunc temporis videre Claræ-Vallis aurea sæcula, cum viri virtutis, olim divites in sæculo et honorati, in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore et ærumnis, in fame et siti, in frigore et nuditate, et angustiis multis; sanctæ illi valli eam, quam postea habuit, præparantes sufficientiam et pacem. Erat cernere quasi novos cœlos in terra, et antiquorum Ægyptiorum monachorum, patrum nostrorum, antiquas semitas, et in eis recentia sanctorum vestigia. Prima facie ab introeuntibus Claram-Vallem per descensum montis, Deus in domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate et humilitate ædificiorum, simplicitatem et humilitatem inhabitantium vallis muta loqueretur. Denique in valle illa hominibus plena, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus et singulis circa

(142) Nimirum per absentiam Josceranni, qui sedit ab anno 1112 ad an. 1125.

Digitized by Google

injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut etiam ipsi, non tantum prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem attineret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hinc inde montium angustias, in quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti patris Benedicti quodammodo repræsentabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est; ut cujus imitabantur vitam, habitationis etiam ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus ordinis ratione charitas ordinata singulis solitariam faciebat, quia sicut unus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est; sic ibi unitate spiritus, et regularis lege silentii in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat. Domibus vero et habitaculis simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Hæc ergo fuit in tempore illo sub abbate Bernardo et magisterio ejus in clarissima et charissima valle illa spiritualium schola studiorum, hic fervor regularis disciplinæ, omnia Deo faciente et ordinante, et tabernaculum ædificante, secundum exemplar quod ei superius monstratum est.

CAPUT X.

De mira Bernardi mortificatione in somno, cibo, potu et labore, ac de studio sacrarum Scripturarum.

27. Et utinam post rudimenta primæ conversationis, circa semetipsum talem se exhibuisset qualem erga cæteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum. Sed continuo cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus et sui juris effectus est, velut arcus distentus ad pristinum rigorem, et sicut torrens detentus et dimissus ad prioris cursus consuetudinem reversus est, quasi repetens a semetipso pœnas diusculæ illius quietis, et damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillem et languidum conari et aggredi quæcunque vellet, minus considerare quid posset; sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem; omnibus aliis in omnibus **1247** obedientissimum, sed de ipso vix aliquando seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, majora moliebatur, ad non parcendum corpori, et ad studiis spiritualibus robur addendum, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper et vigiliis sine intermissione atterendo.

28. Quid dicemus de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectio laborum et sensuum, aut mentium recreatio? A principio suæ conversionis vigilabat, quoad vixit, ultra possibilitatem humanam; nullumque tempus magis se perdere conquerebatur, quam quo dormiebat, idoneam satis reputans comparationem mortis et somni, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. In ipso namque tenuem victum tenuis somnus comitabatur. In neutro indulgebat corpori suo satietatem; nisi quod in utroque sumpsisse aliquid, sat ei erat. Quantum enim ad vigilias, modus erat ei vigiliarum, non totam noctem ducere insomnem. Porro ad comedendum vix aliquando voluptate trahebatur, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comederet, sola cibi memoria satur erat. Sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis; molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ, præter alias sæpius incidentes. Natura enim ejus cum teneræ nimis semper et delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis et vigiliis, frigore et labore, durioribus et continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os quod ingerebatur rejiciebat. Quod si quiddam naturali decoctione digestum transfundebatur ad inferiora, ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, nonnisi cum gravi tormento egrediebatur. Si quid autem residuum erat, ipsum erat alimentum qualecunque corporis ejus, non tam ad vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper autem post cibum quantum comedisset, quasi pensare solebat: si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendisset, non impune patiebatur. Sed et usus parcimoniæ sic ei versus fuerat in naturam, ut si aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito vellet indulgere, vix posset.

29. Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata a jejunio, et pedes ejus a labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, et quandiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est: ubi vero sciri contigit, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Summum enim erat ei studium fugere admirationem, et tanquam unum sese agere cæterorum. At persequebatur gloria fugitantem; sicut e regione captantes eam, fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper erat in corde: « Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes. » Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, et devotio non communis.

30. Cibus ejus cum pane lac vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent; aliquando buccella panis in aqua penitus emolliti cum exiguis sorbitiunculis erat. Cætera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parcimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro

Digitized by Google

et nimis modico, cum magis aquam et infirmitati suæ et appetitui competere testaretur. Videbant eum, et conversationem ejus medici mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ crudidatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen illico collectas fratrum deseruit; sed juxta locum stationis suæ, procurate ac defosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquandiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum 1248 collectas deserere, et seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum consolationis gratia, sive disciplinæ claustralis, aut certa necessitate conventui eum fratrum oportebat interesse.

31. Sic autem fuit ab initio spiritu validus, corpore infirmus; nil tamen indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Cæteros namque sanctos arbitrabatur et perfectos; se vero sicut novitium et incipientem nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis et remissionibus indigere, sed fervore novitio, et Ordinis districtione, et rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum actitarent fratres, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat; fodiendo, seu ligna cædendo, et propriis humeris deportando, vel quibuslibet æque laboriosis laboribus illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate recompensabat. Et mirum in modum is qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed et plurimum delectabatur. Sed et mortificata, ut dictum est, sensualitate, ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul et totus quodammodo exterius laborabat, et totus interius Deo vacabat: in altero gascens conscientiam; in altero, devotionem.

32. Laboris ergo tempore et intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam quidquid in Scripturis spiritualiter sentiebat, maxime in silvis et in agris meditando et orando se accepisse confitebatur: et in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus et fagos joco illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Feriatus autem a labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur; sin autem, ubicunque seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter ac seriatim libentius ac sæpius legebat; nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat, et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis fonte magis, quam in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam sensibus eorum suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: et vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte, unde illi hauserant, et ipse bibebat.

CAPUT XI.

De mirabilibus a Deo per ipsum in infirmitate patratis, ob quæ a suis increpatur.

33. Sic voluit Sapientia Dei per infirma hominis illius, tot tantaque confundere fortia mundi hujus. Quid enim aliquando pro infirmitate qualibet ejus remansit imperfectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret? Quis nostra ætate, quantumvis robusti corporis et accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste moribundus et languidus, ad honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ utilitatem? O quantum postea numerum hominum verbo et exemplo traxit de sæculo, non solum ad conversionem, sed ad perfectionem! Quantas ex eis per totum christianum orbem constituit domos, ceu civitates refugii! Quicunque enim peccaverunt ad mortem, et æternæ mortis rei judicandi fuerant, reminiscuntur, et convertuntur ad Dominum, et fugiunt ad eas, et salvantur in eis. Sed et quæ bona innumeris hominibus singillatim præstitit, pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret? Vita vero ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo Servus Dei etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Sane non confundebatur ex hoc accusare seipsum, utpote qui 1249 verebatur omnia opera sua, arguens se quod servitio Dei et fratrum suorum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddidit ac pene inutile.

34. Infirmus tamen, in opere Dei potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, digniorem quamdam apud homines ei effecit reverentiam, et in reverentia auctoritatem, et in auctoritate obedientiam. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est, ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus (cap. 1, n. 2). Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ Religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo et verbo intra sepia monasterii ad fratrum salutem omni studio vacans. Postmodum cum eum a communi conversatione conventus, infirmitatis necessitas plus solito sequestraret; hæc prima cœpit esse occasio, ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius accommodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque longius a monasterio pro causis Ecclesiæ com-

Digitized by Google

manibus interdum obedientia traheretur; et quocunque veniret, de Deo silere non posset, et agere quæ Dei sunt non cessaret: sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcunque oportebat, non dissimularet. Ab eo tempore copiosius addita est ei de die in diem manifestatio spiritus, qui erat in eo ad utilitatem; sermo scilicet fecundior sapientiæ et scientiæ cum gratia prophetiæ, et operationes virtutum, et diversarum opitulationes sanitatum.

35. Erant autem hujus beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his, quæ audiebant et videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati et novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, et Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant; ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant verbis durioribus, exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signia omnia annihilantes, et hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas improperiis et opprobriis affligentes. Narrare solebat venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti Viri et propinquus sanguine, et in conversione socius, et extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manum ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus adfuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis in territorio Senonum, et juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti patris Bernardi tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum atque incolumem invenerunt. Cæterum sæpe dictus beati Viri frater ne ipse quidem poterat compesci miraculo, quominus increparet eum, et præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem: tanta siquidem charitate pro eo sollicitus erat.

36. Cum autem aliquantum in Clara-Valle tempus vir Domini Bernardus explesset, contigit virum nobilem, ipsius secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Claræ-Vallensi monasterio, graviter infirmari. Qui subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter et loquelam. Unde et filius ejus Josbertus junior et omnes simul amici eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione et Viatico vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, et invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, sed et motus lacrymis filii ejus, et simul lugentium cæterorum, confisus de misericordia Dei, sermonem magnificum protulit eis, dicens: « Notum est vobis quod homo iste in pluribus gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi **1250** creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, et usurpatæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur; loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet Sacramenta devotus. » Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exsultat; quidquid præcipit Homo Dei, firmiter ei promittitur et impletur. Verum frater ejus Girardus et Galdricus avunculus, qui erant cum eo, non parum territi et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens: « Facere, inquit, potest facile Deus, quod difficile credere vos potestis. » Itaque post secretam orationem ad oblationem sacrificii immortalis accessit. Quo offerente nuntius supervenit qui indicaret, præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius ut Vir Dei festinaret ad eum. Cui post oblatum Sacrificium veniensi cum lacrymis et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit, et duobus aut tribus post hæc diebus vivens et loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractatione servari. Sed et disposuit domui suæ, et eleemosynas dedit: et sic demum christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit. Et hoc quidem signum in manu servi sui effecit Christus mundo celebre.

CAPUT XII.

De Galdrici curatione, et morte, ac fratris invatientis e Purgatorio liberatione.

37. Circa idem tempus accidit ut avunculus ejus Galdricus, qui zelo piæ sollicitudinis, ejus mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili supplicatione compellit, ut sui misereatur, et opem sibi ferat quam cæteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, et imponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tamen manum imponit, et febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in cæteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-Valle aliquantos jam peregisset annos, fervens spiritu et totius boni æmulator, ex hac luce migravit. Qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, et toto corpore terribiliter motus infremuit: sed ad pristinam statim serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari: siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, et in magna sese gratularetur felicitate locatum; demum interrogatus est, quidnam sibi voluit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem, quod

Digitized by Google

ea hora duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent, unde territus ita contremuit : sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

38. Longum esset cuncta narrare, quæ super his qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate, seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen ex eis fuit, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse Pater commemorare solebat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conversationis, et minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri et habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem ab eo quid sibi esset, quatuor dilaceratis sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus a facie Viri Dei. Qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit : « Præcipio, inquit, tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur in proximo mihi iterum innotescas. » Et conversus ad orationem pro eo, et oblationem hostiæ **1251** salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem subvenire monebat. Nec vero destitit, donec, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione meruit consolari.

CAPUT XIII.

De Bernardi morbo, et raptu ante tribunal Dei, ac morbi curatione.

39. Infirmabatur aliquando ipse Vir Dei, et velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore confluebat : unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii et amici ejus velut ad exsequias tanti Patris. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit et satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, et Viro Dei pro sua fuit parte dicendum ; nihil territus aut turbatus, ait : « Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat ; ex cujus dono jure illud mihi vindicans non confundor. » In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, et Homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta. Siquidem velut in littore quodam positus, videbatur sibi navem, quæ se transveheret, exspectare. Cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, et illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, et non revertebatur. Intellexit autem protinus necdum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique magis molestus, quominus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut cæteris fratribus, juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, et supra vires dolor excresceret, advocans alterum e duobus, jubet citius oratum ire. Excusantem denique et dicentem, « Non sum ego talis orator ; » obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, et oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria : primum, in honore beatæ Dei Genitricis ; duo circumposita, in honore beati Laurentii martyris, et beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio et beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate et suavitate quæ eos decebat, et tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ personas quoque discerneret singulorum : imponentesque ei manus, et loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim illico phlegmatis rivus, et dolor omnis abscessit.

CAPUT XIV.

De quotidiano ejus exercitio, eximiisque virtutibus, ac de modo concionandi.

40. Minus quidem jam stare poterat, sed erat sedens pene jugiter, et rarissime movebatur ; quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens, aut insistens doctrinæ, et fratrum ædificationi, aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali gratiam obtinuerat singularem : ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret, libere secum habitans et deambulans in latitudine cordis sui, et ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, vel charitatis compellente spiritu, studium hoc lucris uberioribus postponebat, doctus quærere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Desideraverat autem ab initio omni modo subtrahere se negotiis, et nusquam egredi, sed in monasterio residere. **1252** Quod et postmodum ex defectu corporis occasionem se reputans invenisse opportunam, aliquando statuit et aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas gravis Ecclesiæ Dei et summi Pontificis, atque omnium abbatum sui Ordinis jussio, quibus per omnia tanquam patribus deferebat. Ex quorum etiam mandato, novissimis quidem annis, præter cucullam et tunicam, laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, et pileo simili utebatur ; inter tantos languores corporis et labores nullis unquam uti pellibus acquiescens.

41. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam. Nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam affectantis humanam. Incessus ejus et habitus omnis modestus et disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam,

Digitized by Google

exigens reverentiam, solo visu lætificans et ædificans intuentes. De risu frequenter auditum est ex ore illius, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se a primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret. De otiositate verborum vel nugis cautus erat artificiose observare, quod ad papam Eugenium scribens, de sui cordis plenitudine eructavit. « Nugæ si incidant interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, et supersedeant otiosis : interveniendum caute et prudenter nugacitati. » Tanto studio fugisse nugas, quanto odio persecutus sit detractiones, facile potest adverti.

42. Quam vero invitus, et non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile ejusmodi impetum cohibebat. Siquidem mirabatur quorumdam improbitatem et duritiam hominum, quos aliquando forte turbatos excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæ turbationis passio sic eos delectet, ut oderint omne remedium, et omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat et sanari. Increpatione rarius utebatur, monitis potius et obsecrationibus agens. Et quidem in libertate spiritus excellenter enituit, cum humilitate et mansuetudine tamen; ut quodam modo videretur et vereri neminem, et omnem hominem revereri. Quam vero placabilem et persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem; quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret: nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Vocem in invalido corpore validam satis intelligibilemque ei contulerat, qui in opus prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occasio, ad quascumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores et studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus : sic cæteris quibusque generibus hominum, velut si omnem vestigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis et sapientiæ affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu; et ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam expertissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem. Cuius rei certa probatio tunsio pectorum erat et effusio lacrymarum. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, uberius tamen fructificaret, quam plures alii in sublime porrecti, et lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de sub modio suæ humilitatis, quam multi super candelabrum constituti. Quoties eum necessitas aliqua foras monasterium trahebat, seminabat super omnes aquas, **1253** publice et privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat, ad nutum quoque præsulum cæterorum, ubicunque eorum aliquem contigisset adesse, in omnibus eo magis sacerdotibus deferens, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur. Innata enim erat ei a puero verecundia, quæ et in eo usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet esset magnus et excelsus in verbo gloriæ, nunquam tamen, sicut sæpe testatus est, in quamlibet humili cœtu sine metu et reverentia verbum fecit, tacere potius desiderans, nisi aut obedientia, aut conscientiæ propriæ stimulis urgeretur cum timore Dei et charitate fraterna.

CAPUT XV.

De ejus fama sanctitatis, Claræ-Vallis incrementis et fratrum suorum cura et amore.

43. Cumque dilectus Deo et hominibus Bernardus in illa valle sua, et vicinis civitatibus et regionibus, multis et magnis floreret virtutibus et miraculis, cœpit magis ac magis in oculis omnium mirabilis et venerabilis apparere. Postmodum vero feliciter in eo proficiente et usu sanctæ prædicationis, et exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est, ut in brevi, majori miraculo præ omnibus, quæ in hac vita gessit, miraculis, per unum hominem languidum, cooperante gratia Dei, obscura usque ad illud tempus illa vallis, re et nomine Clara-Vallis efficeretur. Jam vero ad eamdem claritatem confluente quotidie diversarum regionum et ordinum multitudine copiosa, de locis augustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis non sine divinis quibusdam revelationibus translatæ, spatiosiorem et planiorem locum inhabitantibus præbent. Jam domus Ordinis illius filiæ, et filiæ filiarum domus ipsius, citra ultraque Alpes et maria, deserta plurima impleverunt, quotidie confluentibus quibus locus erat quærendus. Siquidem petebantur undique fratres, et mittebantur ab eo; cum beatos se æstimarent reges gentium et præsules Ecclesiarum, civitates et regiones, quæcunque de domo illa et disciplina Viri Dei meruissent contubernium aliquod adipisci. Nam usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, Religio hæc per eum profecta est, ubi per eam bestiæ silvæ homines fiunt, et cum hominibus assuetæ conversari, discunt a finibus terræ cantare Domino canticum novum. Cooperante

Digitized by Google

siquidem gratia Spiritus sancti, quocunque ibat, plenus redibat, et sua eum plenitudo comitabatur; et aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum ipsorum, nunquam in diebus ejus sanctæ illius congregationis plenitudo minuebatur.

44. Nec tamen dimittebat suos, quos a se transmittebat : sed ubicunque essent, ipse semper paterna sollicitudine erat cum eis. Ad eum enim quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum revertebantur. Sæpe etiam sine omni relatione carnis et sanguinis ei divinitus innotescebat, quid circa aliquos eorum longe a se distantes ageretur; si quid eis providendum, si quid in eis emendandum fuisset, tentationes quoque et excessus eorum, infirmitates et obitus, et diversarum tribulationum incursus. Nam et pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indixit : nonnunquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus et licentiam postulantes, nimirum agente hoc et obedientia missorum, et charitate mittentis. Aderat aliquando coram ipso monachus quidam Fusniacensis, continuo ad suos rediturus. Cumque accepto responso super his pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur; in spiritu et virtute Eliæ revocans eum Propheta Dei, et nomine fratris cujusdam de domo illa præmisso, de occultis quibusdam, audientibus nonnullis, mandavit illi ut ea corrigeret; sin autem, judicium super se Dei in **1254** proximo exspectaret. Stupefactus ille cui loquebatur, quis hoc ei dixerit, inquisivit. « Quisquis, » inquit, « dixerit mihi, tu vade, et dic quæ ego dico tibi; ne, si dissimulaveris, te quoque involvat par pœna peccati. » Guido frater hominis Dei, major natu inter fratres suos, cujus gravitatis et veritatis fuerit vir, omnes noverunt qui eum noverunt. Hic aliquando cum de hujuscemodi viris religiosis loqueretur, licet suo more et solito studio fraternas virtutes deprimeret, tandem cum eis, inter quos tunc sermocinabatur, nollet esse molestus : « Quæ, inquit, nescio non dico vobis; sed unum scio et expertus sum, multa ei divinitus in oratione revelari. »

CAPUT XVI.

De rebus gestis in accessu ad sanctum Hugonem et Cartusienses, ac Stephani de Vitreio ficta conversione.

45. Cum jam Dei Famulus annos aliquot in Clara-Valle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, et Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus sanctus episcopus tam gratanter et tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis sui visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem Servus Christi episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, expavit vehementer. Ipse quoque corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Cartusiæ quoque a viro reverendissimo Guigone Priore venerabili, et a cæteris fratribus eodem effectu et veneratione susceptus est servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit; stramentum videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente concepit : sed locutus uni e fratribus ejus aliquantulum se moveri confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, eo quod a Clara-Valle pergens usque Cartusiam, nunquam illud attendisset, et usque in horam illam quale esset omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi commodatum, et erat sicut sternere sibi ille solebat. Quod verbum audiens Prior, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus Abbas foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non advertisset. Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens; penitus non attendit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos, ubi lacus ille esset, et mirati sunt universi.

46. Cum Abbas sanctus memorati gratia Guilelmi episcopi Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium et litteratorum clericorum et laicorum. Quibus in domo hospitum demorantibus, dum novellas plantationes cœlestibus rigaret eloquiis, supervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreio magistrum eorum adesse ad renuntiandum sæculo, et cum eis manendum. Quis alius de talis viri adventu non exsultasset? præsertim cum vallis illa hujuscemodi frumento non multum adhuc abundaret. Ipse vero revelante sibi Spiritu sancto insidias spiritualis nequitiæ tacitus aliquantulum ingemiscens, erupit in vocem, mirantibus universis : « Malignus, ait, spiritus huc eum adduxit; solus venit, solus revertetur. » Obstupuere omnes, qui prius audito ejus adventu non se poterant capere præ lætitia. Verumtamen ne pusillos adhuc filios scandalizaret, suscepit hominem et de perseverantia, aliisque virtutum **1255** studiis studiose commonuit : et sciens et prævidens omnia promittentem nihil acturum, cum perseveraturis in cellam Novitiorum probandum intromisit. Vidit postea idem Stephanus (sicut confessus est), cum in cella Novitiorum demoraretur, maurulum quemdam puerum, ab oratorio se extrahentem. Ubi novem ferme mensibus

Digitized by Google

degens, novissime tamen defecit; et ut de eo prædictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit.

CAPUT XVII.

De mira Bernardi apud omnes auctoritate et fama.

47. Ut ergo ad hunc Dei hominem Abbatem sermo recurrat, tot et tanta sunt facta per eum miracula, ut si quis omnia velit aut verbo pronuntiare aut scripto, vel incredulitatem incredulis, vel fastidiosis possit generare fastidium. In omnibus autem verbis et operibus suis quam purus ei fuerit oculus intentionis, manifeste denuntiabat corpus lucidæ ejus operationis. Cum enim mundi hujus fugerit semper honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem. Cujus enim aliquando voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis potestas, tam sæcularis quam ecclesiasticæ dignitatis? Reges superbi, principes et tyranni, milites et raptores sic eum timebant et reverebantur, ut videatur in eis impletum quod in Evangelio legitur: *Ecce*, inquit Dominus discipulis suis, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.*, x, 19). Porro inter spirituales et ubi spiritualia spiritualiter examinabantur, longe ei alia auctoritas erat. Loquente enim eo seu tractante, sensibus ejus humiliter vel intelligentiis submittebant cæteri sensus et intelligentias suas. In hujus pectore Viri Dei pari fœdere puritas suavitasque consederant, satis quidem utraque mirabilis, sed mirabilior utriusque complexus. Inde est quod et puritatem in eo suavitas amabilem faciebat, et suavitatem puritas acceptabilem; ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conversationis, qui Bernardum Claræ-Vallensem non revereretur abbatem? quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur? Dulcissimis siquidem affectibus plenum pectus ipse gerebat; alios tamen arguens libere, quoties opus erat, in spiritu lenitatis. Humanissimus erat in affectione, magis tamen fortis in fide: et ut hinc breve proferatur exemplum, sicut ipse quoque testatur, germani sui Girardi et amici tam necessarii, siccis oculis celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Talem autem illum uberius perinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori?

48. Difficile omnino videtur ex historiis aliquibus invenire hominem unum conversantem adhuc cum hominibus in universa terra, tam celebre et amabile obtinuisse nomen a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus monumenta certiora superesse noscuntur, et in ecclesia Orientali, et apud soles occiduos Hibernorum, et a meridie in remotis finibus Hispaniarum, et ab aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, et reddebat. Undique illi xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Unde non incongruum aliquid episcopus ille usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cætera quoque veraciter in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis. Denique, sicut sæpius fatebatur, inter summos quosque honores et favores populorum vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, familiariter loquebantur, amica ejus humilitate fruentes, ibi se invenisse **1256** gaudebat, et in propriam rediisse personam. Et cum tanta Virum hunc sanctum apud Deum et homines commendarent sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallarent sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrarent; charitas, quæ totum eum possidebat, patiens et benigna, sapientia vincebat malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate.

CAPUT XVIII.

Ejus auctoritate Innocentius papa suscipitur.

49. Laborabat ea tempestate sub schismate Petri Leonis Romana Ecclesia. Eapropter convocato Stampis colloquio (an. 1130), Abbas sanctus specialiter ab ipso Francorum rege, et præcipuis quibusque pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus et tremebundus advenit, periculum quippe et pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem: unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, et precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex et episcopi cum principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei Famulo imponeretur, et ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille timens licet ac tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens, suscepit; et diligenter prosecutis electiones ordinem, electorum merita, vitam et famam prioris electi, aperuit os suum, et Spiritus sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit, et ratum esse omnes pariter acclamaverunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

50. Interea idem dominus Papa multis in Pisis et Tuscia, et in aliis provinciis salubriter et potestative dispositis, valefaciens Pisanis et gratias agens, in Provinciam navigio delapsus est. Et Burgundiam transiens, Aurelianum Franciæ urbem pervenit, ubi occurrentibus episcopis a rege piissimo Francorum Ludovico alacriter et honorifice susceptus est. Inde

Digitized by Google

Carnotum deducitur : ibi gloriosus rex Anglorum Henricus ei cum maximo episcoporum et procerum comitatu a venerabili Abbate Claræ-Vallensi adductus occurrit ; quem etiam Papam potenti ejusdem Abbatis admonitione persuasus in patrem suum et pastorem suscepit. Reversis interim de Germania domini Papæ legatis, tam episcoporum quam regis Lotharii consensum et litteras deferentibus, postmodum apud Leodium eidem Romanorum regi occurrit. In omnibus his dominus Papa Abbatem sanctum a se separari non patiebatur, qui ubique opera pietatis exercens, oppressis patrocinia exhibebat. Itaque papa Innocentius a Rege honorifice susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejusdem prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana Ecclesia vindicarat. Nec consilium suppetebat, expavescentibus Romanis Regis potentiam, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit. Unde dominus Papa reversus, nec longas in Galliis faciens moras, præfato regi postea Romam occurrit, et ab eo in Lateranense palatium deductus est. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias Imperator digreditur. Intelligens vero Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, rursus Pisas revertitur, ibique aggregatis totius occidentis episcopis, aliisque viris religiosis, magnæ gloriæ synodus celebratur. Adfuit per omnia consiliis et definitionibus Abbas sanctus, eique reverentia ab omnibus impendebatur.

1257 CAPUT XIX.

De Mediolanensium reconciliatione, et miraculis ab ipso patratis.

51. Soluto concilio ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa Virum Dei, quem multis supplicationibus expetierant, a latere suo direxit (an. 1134), qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum ablueret, et ad unitatem Ecclesiæ devios revocaret. Transcenso itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliaribus septem omnis populus obviat : nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et distinctis agminibus incredibili devotione et reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes illius pariter delectabantur aspectu, felices se præ aliis judicantes, qui ejus possent frui auditu. Deosculabantur etiam pedes illius, licet hoc ille moleste acciperet : sed nulla poterat pronos et devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Et cum tractatum esset in publico de negotio propter quod Vir Dei advenerat, oblita fortitudinis suæ civitas, omnique ferocitate deposita, obedientiæ se Abbatis substravit.

52. Pacatis igitur omnibus, reconciliata Ecclesia, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt ei nasci negotia. Insanienti quippe diabolo, et in quibusdam obsessis debacchanti, oppositum est Christi vexillum ; et increpante Viro Dei, de possessis atriis, superveniente eminentiore virtute, territa et tremebunda diffugere dæmonia. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, et honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii, post beatum Virum a multis tracta est. In cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, et jamjam ita suffocaverat eam, ut visu et auditu et verbo privata, frendens dentibus, et linguam protendens, monstrum, non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fetidus, inhabitatoris satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei et inviscatum diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus igitur ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, et clericis et monachis secum juxta consistentibus, mulierem ibidem jubet constitui et teneri. Illa vero reluctans, et vi diabolica non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuete ille contempsit, ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica et humili supplicatione Deum invocat adjutorem, et ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eamdem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit, et recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, et mulieris capiti superponens, talia loquebatur : « Adest, inique spiritus, Judex tuus ; adest summa Potestas ; jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus : *Nunc*, inquit, *princeps mundi ejicietur foras* (*Joan* XII, 31). Hoc illud corpus quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. » Cumque eam invitus deserens, et manere ultra non valens, atrocius afflictaret malignus, tam magnam iram quam modicum tempus habens, rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit, et confestim pax et salus integra reddita est mulieri. Fugato **1258** diabolo, mulier mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua Deum confessa, gratias egit, et intuita curatorem suum, pedibus ejus advo-

Digitized by Google

luta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, et servum Dei gratulabunda civitas, liquefacta charitate incredibiliter veneratur.

53. Jam Papiam advenerat, et fama virtutum adventum ejus præcesserat, et cum debito gaudio et apparatu tantæ gloriæ virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre : advenit repente post eum rusticus quidam, qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem dæmoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus, lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates, deposuit. Nec mora in contumelias Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, et irridens servum Dei : « Non, » inquit, « me de canicula mea hic porrulos edens poterit expellere. » Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemiis provocatus, impatienter ferret opprobria, et confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus lacessiri. Sed Vir Dei astum ejus intelligens, irrisorem irrisit, et ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Sancto, et primitias operationum virtuti ejus adscribi. At vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec ir ecclesia sua quidpiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os ejus diabolo et dicente : « Non me Syrulus ejiciet, non expellet Bernardulus. » Ad hæc servus Dei respondit : « Nec Syrus, nec te Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus Christus. » Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata : Quam libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestatus in ea ! quam libens egrederer ! sed non possum. » Interrogatus causam : « Quia necdum vult magnus Dominus, » ait. Cui sanctus : « Et quis est magnus Dominus ? » Et ille : « Jesus Nazarenus. » Ad quem rursum Vir Dei : « Unde enim Jesum nosti ; aut si unquam vidisti eum ? — Vidi, inquit. » « Ubinam eum vidisti ? — In gloria. — Et tu in gloria fuisti ? — Fui quidem. — Et quomodo inde existi ? — Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. » Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto : « Nunquid in illam redire gloriam velles, et restitui in gradum pristinum ? » Rursum voce mutata, et miro modo cachinnans : « Hoc, inquit, tardatum est. » Et nihil ultra locutus. Orante autem attentius Viro Dei, nequissimus ille victus abscessit, et mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit. Revertitur igitur vir cum muliere, et per totam viam incolumitati ejus congaudens, exspectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierant, sed repente gaudium vertitur in mœrorem : quia ubi domus suæ limina mulier attigit, rursus intrat diabolus, et infestior solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmonio molestissimum : relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, et assumpta secum muliere rursum Papiam revertitur. Ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat quid factum sit ; et ut gratiam inveniat lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia, sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur, orans exspectet donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, et tota nocte illa orationi vacans, obtinuit a Domino quod petebat : et impetrata mulieri sanitate, jubet eam secure reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcipit : « In nomine Domini nostri **1259** Jesu Christi præcipio tibi, dæmon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. » Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria nunquam deinceps appropinquare præsumpserit.

CAPUT XX.

De fuga dignitatum in Bernardo, ac discipulorum ad eas promotione.

54. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus, et quo minus in corpore vel corporalibus poterat delectari, amplius delectabatur in Domino ; nec aliqua sæculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis cœlestibus inhiabat. Quot ecclesiæ destitutæ pastoribus eum sibi in episcopum elegerunt ? Elegit eum domestica mater Lingonensis ecclesia, elegit Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis ; et Mediolanum, Ligurum metropolis, hunc pastorem et magistrum optaverunt. Remis nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus prælationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animum ejus honor oblatus, nec motus est pes ejus ut se ad sublimia inclinaret. Promotionem tamen, quam in sua persona quoad potuit evitavit, in filiis, quos de diversis regionibus congregatos divino manciparat servitio, Dominus adimplevit. De his enim Roma Eugenium summum meruit habere pontificem : Præneste Stephanum habuit totius gloriæ virum : Ostia, virum magnum Hugonem. Prope urbem sub Osberto pontifice Nepa refloruit. In Tuscia Pisis magnum Ecclesiæ lumen Balduinus præsul effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno Guarinus, Lingonis Godefridus, Alanus Autissiodoro, Nannetis Bernardus ; Belvacis, itemque Remis Henricus, Tornaco Gerardus, Eboraco Henricus, Andreas Atrebati : in Hibernia episcopi duo, re et nomine Christiani : in Alemannia, civitate

Digitized by Google

Curia, Algotus, sapientia, ætate et gratia reverendus. In ipsa quoque Romana curia Henricus et Bernardus, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Hæc luminaria de Clara-Valle et doctrina viri Dei Bernardi abbatis assumpta, fulgore religionis prædictas illustravere civitates.

CAPUT XXI.

De ejus profectione in Aquitaniam, ac Guillelmi comitis conversione.

55. Rediens a montanis partibus Pater sanctus jam Alpes transcenderat (an. 1135), et descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, et agreste hominum genus, et conclamabant a longe benedictionem petentes. Regredientes autem ad caulas cum gaudio, colloquebantur ad invicem: gratias Deo agentes quod Sanctum Domini vidissent, et optatæ benedictionis gratiam accepissent. Inde Chrysopolim transiens, et usque Lingonas solemniter deductus, tandem Claram-Vallem advenit. Adsunt fratres congregati in unum, et mira devotione dilectum Patrem suscipiunt : agitur sine tumultu cum omni gravitate lætitia.

56. Laborabat adhuc eo tempore sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis provincia: et non erat qui posset resistere principi, qui, annuente Girardo Engolismensi episcopo et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus erat schismatis defensor et auctor. Hic enim Girardus diu apostolicæ Sedis in Aquitania legatione functus, et nunc a magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius Ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem et magistrum. His igitur duobus ob hanc malitiam in unum convenientibus, quicumque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus mulctabantur, alii a sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Audiens hæc et hujusmodi vir venerabilis Gaufridus Carnotensis episcopus, cui a papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, et succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem **1200** igitur Claræ-Vallensem petit et obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit Vir Dei, et se in proximo congregationem monachorum in Britanniam, in locum quem juxta Nannetum comitissa Ermengardis paraverat, ducturum intimat, et præmittit, disposita illa domo, se cum eo in Aquitaniam profecturum.

57. Ibant igitur simul, et pariter Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ a quodam petulante diabolo vexabatur. Habebat autem virum, hujus tamen tam exsecrabilis commercii prorsus ignarum. Abutebatur igitur ea, etiam in eodem lecto cubante marito, invisibiliter impurissimus ille adulter, et incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno confusa est in se ipsa, et expavit propter timorem Dei, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi et damnari. Confugit ad sacerdotes, et piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, et sanctorum implorat suffragia : sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie ut prius et importunius a dæmone infestatur. Denique in publicum scelus tantum effusum est. Quo audito et cognito, maritus ejus contubernium exsecratur. Interea ad locum prædictum Vir Dei cum comitatu suo advenerat · cujus ut audivit adventum infelix mulier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrymis perfusa passionem horribilem, et ludificationem inveteratam, et quod nihil ei profecissent quæcumque sibi a presbyteris imperata fuerant. Addit sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, et minaciter interdictum ne ante ejus veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset; et ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem, et de cœlo promittens auxilium, præcipit ut die altera, jam enim nox instabat, confidens in Domino revertatur. Reversa mane, cum Viro Dei blasphemias et minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset ; « Ne cures, inquit Vir Dei, minas ejus ; sed vade, tolle baculum hunc nostrum, et pone in lectulo tuo, et si quid potest, agat. » Egit mulier quod jussum fuerat, et recubans in lectulo suo signo crucis munita, juxta se baculum ponit. Adest ille continuo : sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumit accedere; minatur tamen acerrime, quod discedente Viro Dei, ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies dominica, et voluit Vir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam convenisset, inter Missarum solemnia, comitantibus episcopis Gaufrido Carnotense episcopo et Brictio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit ; et ut omnes qui in ecclesia erant, candelas accensas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod et ipse cum episcopis et clericis faciens, inauditos diaboli ausus publice aperit, et fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematisat, et auctoritate Christi tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Exstinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, exstincta est deinceps tota virtus diaboli ; et mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

58. Significatum est interim Comiti per viros illustres et ei familiares, quod Abbas Claræ-Vallensis, et episcopus Carnotensis, aliique episcopi et religiosi viri colloquium ejus expeterent; quorum erat studium, ut de pace sanctæ Ecclesiæ tractarent, persuasumque est illi ne tantorum devitaret colloquium, quia poterat fieri ut communicato cum

Digitized by Google

eis consilio, et facile esset quod videbatur difficile, et quod videbatur impossibile, possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum hinc inde conveniunt. Cumque ageretur de divisione Ecclesiæ et de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis et rationibus a servis Dei Comiti est intimatum, quod Ecclesia una est, et quidquid extra eam est, quasi extra **1261** Arcam judicio Dei necesse est interire et dilui. Adducta quoque exempla Dathan et Abiron, quos reatu schismatis terra vivos absorbuit (*Num.* xvi, 31, 32), nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus est consilio, et respondit se in obedientiam Innocentii papæ posse dare consensum : sed in restitutione episcoporum, quos de sedibus expulerat, nulla ratione posse induci ; quoniam implacabiliter eum offenderant, et juraverat se eorum pacem nullo tempore susceperum. Diu per internuntios protractus est sermo : et dum vicissim verbis se mutuo occupant, Vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus et supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam quibus licebat divinis interesse mysteriis : Comes sustinebat pro foribus. Peractis igitur consecrationibus, et pace data et diffusa in populum, Homo Dei jam non se agens ut hominem, corpus Domini super patenam ponit, et secum tollit : atque ignea facie et flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, et verbis terribilibus aggreditur Ducem. « Rogavimus te, inquit, et sprevisti nos : supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu servorum Dei ante te adunata multitudo, et contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput et dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Adest judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet. Numquid et ipsum spernes ? numquid et ipsum sicut servos ejus contemnes ? » Lacrymabantur universi qui aderant, et orationibus intenti præstolabantur exitum rei, et omnium suspensa exspectatio aliquid divinum fieri cœlitus exspectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, et sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit et diriguit, membrisque tremebundis metu et dissolutis, quasi amens solo provolvitur : elevatus a militibus, rursum in faciem ruit, nulli quidpiam loquens, aut intendens in aliquem. Tum Vir Dei ad eum propius accedit, et pede pulsans acclinem surgere jubet, et stare supra pedes, et Dei audire sententiam. « Præsens est, » inquit, « Pictaviensis episcopus quem ab ecclesia sua expulisti : vade, reconciliare ei, et in osculo sancto pacis cum eo jungens fœdera, ipse ad sedem suam eum reducito ; et satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, et in universo principatu tuo diviso a discordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio papæ, et sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo a Deo tanto Pontifici obedire non differas. » Audiens hæc Comes auctoritate Spiritus sancti, et sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere nec poterat : sed statim in pacis osculo recepit episcopum, et eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exsultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed et deinceps Abbas cum Comite jam familiarius et suavius loquens paterne eum monuit ne ad tam impios et tam temerarios ausus ultra exsurgeret, ne Dei patientiam in tantis irritarct flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Pace itaque omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, solus Girardus perseverabat in malis ; sed non multo post adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter exstinctus est. Subita enim morte præoccupatus, sine Confessione, sine Viatico reddidit spiritum. Tanto igitur malo obruto et schismate Girardi redacto in nihilum, Vir Dei cum gaudio magno Claram-Vallem revertitur.

CAPUT XXII.

De iterata ejus profectione in Italiam, ac Rogerii Siculi obstinatione, et Petri Pisani reconciliatione.

59. His ita patratis (an. 1136), vix inter fratres suos circiter unum fecerat annum · et ecce litteræ apostolicæ Virum Dei evocant, et ut adsit laboranti Ecclesiæ supplicant cardinales. Nihil obedientiæ præferens Vir Dei, valefaciens fratribus, flentibus universis discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quam fratres (143) lætati sunt, et communicatis cum eo consiliis secundum **1262** rerum proventus et statum causarum Abbas alia via opus aggreditur. Rex enim Siciliæ Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire papæ Innocentio detrectabat, mittit ad eum, petens, ut ad se Abbatem mitteret Claræ-Vallensem : nihilominus idem petens a Petro Leonis, ut Petrum sibi Pisanum a suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis, quæ jamdiu induraverat, velle scire originem ; et cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Audierat enim Petrum Pisanum eloquentissimum esse, et in legum et canonum scientia pene nulli secundum. Unde putabat, quod si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis obrui posse, et silentium ei vi verborum et pondere rationum imponi. Venit itaque pars utraque Salernum.

60. In illis diebus paraverat ad bellum idem Rogerius rex innumerabilem exercitum adversus Rannulfum ducem. Cum autem primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas sanctus adveniens Regem in castris positum invenisset, utpote qui jam armatas produxerat acies, per multos dies ne committerent, impedivit, denuntians Regi : « Quia si conflictum « inieris, victus et confusus abibis. » Novissime vero

(143) Scilicet cardinales. Sic Petrus Venerabilis lib. II, epist. 48 Albericum cardinalem non semel vocat fratrem suum et monachorum.

Digitized by Google

cum ejusdem regis plurimum crevisset exercitus, A ignorans quod non multitudine foret eventus belli, Virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit. At ille ducem Rannulfum et Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est et triumphum. Subito itaque viso Duce audacter obviam procedente Rex territus fugit, effusumque exercitum prædæ et cædibus exposuit, innumeris militibus captis et interfectis, et ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim ipse Abbas ad proximam villulam declinasset, et instaret orationi, repente fugientium et insequentium clamor auditur : siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Ranulfus dux persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, B uni ex militibus occurrit, et quid accidisset, interrogabat. At ille, siquidem litteras noverat : *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum, et elevatum sicut cédros Libani : et transivi, et ecce non erat ; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* (*Psal.* XXXVI, 35, 36.) Nec mora, Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit, et ejus pedibus advolutus, « Gratias, inquit, Deo et fideli servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est ; » iterumque insiliens equo hostes insequebatur.

61. Post finem prælii Vir Dei a villula ad quam declinaverat, venit Salernum ; venit et Petrus Pisanus. Itaque stipata militibus curia Rex utramque C partem accersiri, et de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem Petri Leonis domini sui canonicam probare contendit, et verba sua multis legum et canonum assertionibus munire laborat. At vero Vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens : « Scio, inquit, Petre, virum te sapientem et litteratum esse : et utinam sanior pars et honestiora te occupassent negotia; utinam te patronum causa justior obtineret : sine dubio enim rationabilia te allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem, tanquam indocti et minus eloquentes, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scin- D dere, nec Judæus, fautore hoc domino, Petrus Leonis lacerat et dirumpit. Una est fides, unus Dominus, unum Baptisma (*Ephes.*, IV, 5). Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit : in hac octo animæ cæteris omnibus pereuntibus evaserunt, et quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Ecclesiæ nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est ; et cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram; et in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est ut arca quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi et Angli, et Barbara regna in profundum pelagi demergentur ! Religio Camaldulensis, et Carthusiensis, et Cluniacensis, et Cisterciensis, et Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum et ancillarum Dei collegia necesse est ut sub uno turbine corruant in abyssum ! Episcopos, et abbates, et reliquos Ecclesiæ principes pelagus vorax excipiet ! Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerius, et cæteris omnibus enecatis solus ipse salvabitur ! Absit ut totius mundi religio pereat ; et ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cœlorum obtineat. » Ad hæc verba tenens manum Petri, elevavit eum, et simul ipse surrexit : « Tutiorem, inquiens, si mihi credas, intrabimus arcam. » Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit ut ad Urbem rediens Innocentio papæ reconciliaretur. Soluta concione venerabilis Abbas Romam revertitur, prædictum quoque Petrum Pisanum, et quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, et Innocentio papæ confœderat.

CAPUT XXIII.

Anacleto exstincto et schismate, Bernardus Canticorum explanationem resumit, ac Theobaldum comitem Regi reconciliat.

62. Aderat tempus quo divina clementia Petri Leonis interitu finem imponere schismati disposuerat (an. 1138). Eo tempore pars ipsius Papam sibi alterum statuerunt pro illo, quatenus videlicet opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum servi sui Abbatis Christus effecit. Nam et ille substitutus ad eumdem Virum Dei nocte se contulit, et ille nudatum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus, ut pastorem et dominum suum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-Vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur

63. Sedatis omnibus et compositis, vix paucis diebus potuit detineri, qui septem annis et ultra pro D resarcienda eadem scissione sudaverat. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, honorat populus, universa nobilitas comitatur. Neque enim poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia secum retulit pretiosa, haud modicum hunc inter cætera sui reputans fructum esse laboris. Tanta vero exsultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita nuntiare lætitiam. Sic igitur firmata pace Vir Dei ad suos regreditur, et quocumque rediens venit, specialiter a filiis cum ingenti gratulatione suscipitur. Meminit idem Pater illius temporis et operis in sermone super Cantica

Digitized by Google

canticorum vigesimo quarto sic scribens: « Hoc demum, fratres, tertio reditum ab Urbe nostrum clementior oculus e cœlo respexit; et vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc fere octennium diro schismate conturbarat. Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro : quorum vivo meritis, volo vivere studiis et saluti. » Hoc ipse de se quod vivebat, quod bona agebat, fratrum meritis totum adscribens, ad studia sancta reversus, cœptum amplectitur epithalamium. Quam efficaciter vero quamque evidenter in tempore iræ facta fuerit reconciliatio, Innocentii papæ super hoc scribentis ad eum verba demonstrant. « Quam firma, ait, perseverantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defendendam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum et principum et aliarum tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri ac nostram **1264** obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit, utilitas manifestat. »

64. Post reditum Patris ab Urbe, vix per triennium optata quiete potitus, regno Franciæ vehementer turbato ob simultates, quæ inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum emerserunt, rursus ad labores reformandæ pacis expetitur. Is enim comes potens in regno, totus eleemosynis deditus, et studio pietatis intentus, omnium servorum Dei et sanctæ religionis promptus amator, devotissimæ sanctitatis ejus consiliis adhærebat. Cumque adversus eum insurrexissent non solum vicini principes adjuncti potentiæ Regis, verum etiam fere omnes sui recessissent ab eo; Comitis evasio in dispersionem jam venerat. Hæc audiens Vir sanctus qui in talibus sibi parcere nesciebat, utpote pietatis visceribus affluens, decrevit se tantis malis opponere. Tandem multorum adjutus orationibus Religiosorum, assidue clamabat ad Dominum, et allegationibus divinis intercurrentibus, eo mediante detumuere procellæ, et reversa est inter Regem et Principem tranquillitatis et pacis desiderata serenitas. De qua videlicet pace spem bonam ab initio Vir Dei conceperat, sicut quidam fratres sui se ab ipso audisse testati sunt, concito venturam ejusdem principis evasionem, quæ quasi incredibilis videbatur, evidenter eis prædixisse.

CAPUT XXIV.

De ejus patientia in morbis, contumeliis et bonorum jacturis.

65. Inter tantas itineris ac laborum fatigationes, quas Vir sanctus pro necessitatibus Ecclesiæ Dei susceperat, quotidiana et multiplex eum avertere non cessabat infirmitas. Unde constat patientiam ejus maxime quidem flagellis dominicis exercitatam esse atque probatam. Nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his qui noverant, nonnisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterum erga homines etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum; videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem; de singulis saltem singula proponantur, quæ interim exempla occurrunt. Scripserat aliquando idem Dei famulus ad episcopum aliquem (144) de curia et de consilio Regis, monens eum super quibusdam negotiis Regi suadere et consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam : ad quam Christi servus, dominicæ benignitatis sedulus imitator, mansuetissime respondens, non minus postea charum, nec minus familiarem eumdem episcopum habuit; sed durum præsulis responsum apud eum sic fuit quasi non dictum.

66. Abbas Farfensis conventum fratrum a Clara-Valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus : sed Romanus impedivit Antistes, et eos in loco altero ordinavit. Unde plurimum dolens prædictus ille vir magnus, et magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit in patria sua sub chirographo, quas ad Dei Hominem veniens obtulit ei, rogans ut mitteret pro argento; et quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, sed ad mandatum venerabilis Abbatis nihil inde redditum fuit. Nec respondit aliud Homo Dei cum ei nuntiaretur, quam, « Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere. » Gratulari etiam consueverat decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans injuste sibi ablata, dum contendere nollet, et magis eum vinci, quam alios vincere delectaret.

67. Veniens aliquando Claram-Vallem clericus quidam habitu canonicus regularis, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere **1265** eum : « Utquid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere? » Et iracundiæ spiritu vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit : « Jam, inquit, si illos tenerem, discerperem libros. » Cui Vir Domini : « Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene meminì, in libris omnibus commendavi. » Tum vero impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut

(144) Vide epist. 224, ad Joslenum.

Digitized by Google

succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant, in sacrilegum involabant : sed prævenit eos servus Domini, clamans et adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, et curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut ille timens et tremens absque omni injuria eductus sit et deductus. Nimirum doctus erat vincere in bono malum. Sic et ad quosdam scribens (145), inter cætera ait : « Adhærebo vobis, etsi nolitis : adhærebo, etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentes me. » Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse.

CAPUT XXV.

De ejus moderata correptione, mansuetudine, charitate ac scriptis.

68. Cæterum objurgationem ejus non minus facile aliquando compescebat gravis et turbulenta responsio, quam humilis et modesta, ut ab aliquibus perinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat, ubi resonat utrique modestia, dulce esse colloquium ; ubi vel ex parte altera, utile ; ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio ; nec disciplina, sed rixa : ut deceat magis interim dissimulare prælatum, et commotione sanata utilius castigare subjectos. Loquens etiam interdum ipse de increpationibus minus utiliter prolatis, minusve patienter acceptis, asserebat hora vespertina nullatenus utendum objurgationibus vel insistendum, ne frater turbatus noctem duceret insomnem, et solemnibus vigiliis minus se devotum exhiberet. In sermone etiam super Cantica canticorum quadragesimo secundo, inter cætera dicit : « Utinam neminem objurgare necesse sit ! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget charitas. Quod si arguero et fecero quod meum est ; illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua, tanquam jaculum feriens et resiliens : quid me animi tunc habere putatis, fratres ? Nonne torqueor ? Prorsus coarctor e duobus, et quid eligam nescio, placerene mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui, feci ; an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui non recepi. » Et infra : « Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Etsi innumera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quæsierim, et non magis illius. Quæ enim mater, etsi omnem, quam potuit curam et diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, et omnes labores suos esse penitus efficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fletibus temperabit ? Et hæc hactenus.

69. De cætero tantus æmulator erat mansuetudinis et pacis, ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum ; et gravamen cujuslibet hominis sustinere ei admodum grave, 1266 non sentire impossibile erat. Plus ejus piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem dolebat, et minus sperabat posse sanari, quod unde procederet non videbat; magnum sibi e regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine, etiam sine occasione turbato. Adeo neminem sprevit, nullius hominis scandalum parvi pendit. Nam et quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut ipsi quoque, qui læsi viderentur, abundanter haberent, unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Ex ipsis autem nonnulli, et de quibus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus postmodum vel obsequiis deservierunt, vel etiam adhæsere vestigiis. Erga omnium quoque hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur; et summum ei desiderium, summum gaudium erat, animarum fructus et conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu. Non solum corporum, sed etiam morum infirmitates in charitate patientissime supportabat. Nam eorum qui in hujusmodi laborabant, se maxime profitebatur abbatem, calamum quassatum non conterens, et linum fumigans non exstinguens.

70. Cæterum si quis nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator exstiterit, primum opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Inde si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad Homilias in Laudibus Virginis matris, et ad illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus ; legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo cordis, et circumspecta discretio, de Præcepto et dispensatione disserens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator fuerit et adjutor, exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de Gratia et Libero Arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam discretus et in re-

(145) Epist. 252, ad Præmonstratenses.

Digitized by Google

rum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples; in his quæ ad papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quam devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, diligenter episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam in Sermonibus super Cantica canticorum, et indagator mysteriorum, et morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, et omnem æque oderit injustitiam. Fidelis etenim servus Christi non quærebat aliquid suum; quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis, aut laudabilis disciplinæ, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit charitas, diligentia non promovit? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit? quid forte collapsum non totis pro loco et tempore viribus egit, ut repararetur? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis de quacunque tribulatione fideliter clamaturus accessit, et inefficaciter laboravit? Mœstus ab eo solatium, afflictus auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens, tanquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui. Eo præsente omnis sanctitas exsultabat, omnis erubescebat impietas, juxta illud: *Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum* (*Psal.* CVI, 42). Eo præsente celebris quisque conventus, velut quodam sole resplenduit, absente caliginosus et quodammodo mutus apparuit. Hujus denique medicinalis manus et lingua morbos utraque curabat: illa, corporum; ista, morum. Hæc interim de moribus sancti Patris, licet ex parte, sub brevitate perstricta sufficiant.

1267 CAPUT XXVI.

Abælardum impugnat, et Henricum hæreticum.

71. Cum jam multis pressus esset laboribus, nec minus quotidianis laboraret incommodis, jam inter fratres sibi requiem affectabat: sed divina providentia aliter providente, ut meritis ejus præmium cresceret, alterius certaminis ei labor accessit. Fuit enim in diebus illis Petrus Abælardus, magister insignis, et celeberrimus in opinione scientiæ: cujus scripta minus consona fidei, cum undique volitare cœpissent, viri eruditi atque fideles nonnulla ex his capitula ad Dei Hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cum itaque in hujus correctionis exspectatione Dei Famulus permaneret, eo penitus ignorante, consilio domini Henrici Senonensis archiepiscopi, dies est celebris constituta (an. 1140), qua prædictus magister et Abbas disputaturi super præfatis capitulis Senonis convenirent. Illa autem dies erat, qua idem pontifex Regi Franciæ, et principibus, et universæ plebi sanctas erat ostensurus reliquias: ad quam Abbas vocatus, venire penitus recusavit, non hoc suum, sed episcoporum, fidei negotium esse renuntians. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, et auctoritate tractus, tristis quidem, nec sine lacrymis, demum pergere acquievit, sicut in epistola ad Innocentium papam ipse testatur, ubi plenius lucidiusque negotium omne prosequitur (146). Adfuit dies ubi Rex et venerabilis Samson Remorum archiepiscopus, multique de episcopis utriusque provinciæ cum copiosa ecclesia convenerunt. Porro quam magnifice egerit servus fidelis et prudens, et quam utiliter in illo conventu, ecclesia propter hoc congregata evidenter agnovit. Sed et Dominus papa Innocentius in epistola de hoc ad episcopos transmissa in Galliis plenius attestatur (147): qui videlicet Pontifex non multo post tempore viam universæ carnis ingreditur. Eo defuncto, et successoribus ejus Cœlestino et Lucio quam velociter consummatis, Eugenius papa Urbis efficitur.

72. In diebus pontificatus illius (an. 1147) Henricus quidam, qui olim exstiterat monachus, perniciosæ doctrinæ verbis persuasibilibus Tolosanæ gentis occupaverat levitatem; et, sicut prædixit de quibusdam Apostolus, in hypocrisi loquens mendacium (*I Tim.* IV, 2), fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter et ministris. Adeo pravæ suggestionis ejus malignitas invaluerat, quod omnes institutiones ecclesiasticæ spernebantur. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab Ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, et tunc demum a reverendissimo viro Alberico Ostiensi episcopo et legato Sedis apostolicæ persuasus pariter et deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cœlo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset; tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, et in cæteris locis quæ Henricus ille frequentasset amplius, et gravius infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores et obstinatos auctoritate sua premens et opprimens; ut non resistere, sed nec assistere quidem et apparere presumerent. Cæterum etsi tunc fugit a facie ejus hæreticus ille, et latuit; ita tamen per gratiam Dei impeditæ sunt viæ ejus et semitæ circumseptæ, ut postea vix alicubi tutus, tandem

(146) Epist. 189.

(147) Epist. inter Bernardinas 194.

Digitized by Google

captus et catenatus Tolosano episcopo traderetur.

73. In quo itinere plurimis signis in servo suo Abbate glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans. Est locus in regione eadem, Sarlatum nomen est illi, ubi **1268** sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei Famulo offerebant. Quos ille elevata manu et signo crucis edito in Dei nomine benedicens : « In hoc, inquit, scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. » Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium, magnus ille Gaufridus ; siquidem præsens erat, et proximus Viro Dei : « Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. » Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans : « Non hoc ego dixerim, » ait ; « sed vere qui gustaverint, sanabuntur, ut perinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant. » Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et Vir sanctus per vicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinaverit, et timuerit illo ire. »

CAPUT XXVII.

Quid Bernardus de mirabilibus a se factis senserit. Ubi de Jerosolymitanæ expeditionis infelici successu.

74. Cum autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, et multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui a Christo humilitatem cordis et mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, et ex abundantia cordis locutus, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat : « Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines et perfectos ; facta sunt et per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur : confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, et a Domino ignorantur. » Hæc et hujusmodi crebrius secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissime vero opportunum sibimet visus exitum reperisse : « Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem, et Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc per quos fiunt, sed pro eis magis qui vident illa vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet cæteris sanctiores, sed ut cæteros magis amatores et æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi et signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis quam vitæ noverim exhiberi ; nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum. » Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum, quisquis hæc diligenti consideratione pensaverit ; nec præstantius aut sublimius reputabit æstimator quisque fidelis signa atque prodigia per eum mirabiliter operari, quam perpetrata taliter ab eo interpretari. Sibi quoque non minus utile christianus animus judicabit, imitandos ejus affectus, quam mirandos actus ; et morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sic igitur divina cooperante gratia multipliciter Ecclesiæ Dei Viri sancti doctrina profuit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis.

75. Sane antequam idem Dei famulus a Tolosa rediret, multorum animos, et præcipue regis Ludovici Junioris, permovit Orientalis Ecclesiæ audita necessitas (an. 1146). Propter quod servus Christi a præfato rege semel et iterum expetitur : nec sic acquievit voluntati et petitioni ejus, donec ipsius tandem summi Pontificis generalem epistolam jussus est ab eo exponere populis atque principibus. Cujus tenor epistolæ fuit, ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Nec tacendum quod ex prædicatione ejusdem itineris Jerosolymitani **1269** contra eumdem venerabilem Abbatem quidam minus intelligentes scandalizati fuerunt, quod tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum certum est, ut prædiximus, ab eo quidem initium non sumpsisse. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater in libro de Consideratione ad Eugenium papam, inter cætera ita dicens : « Quasi levitate in opere isto usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed te jubente ; imo per te, Deo. » Et post pauca : « Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi si dignetur me uti pro clypeo (148). »

CAPUT XXVIII.

De Gisleberti Porretani confutatione, ac instante Bernardi morte.

76. Erat in tempore illo (an. 1148) magister Gislebertus Pictavorum episcopus, in sacris Litteris plurimum exercitatus ; sed sublimiora se scrutatus, quasdam novitates et ipse conscripserat. Super quibus cum jam fidelium scandalum et murmur invalesceret, in Remensi concilio, a venerabili Eugenio papa celebrato, vocatus ad medium est, et librum tradere jussus. Ibi venerabilis Abbas adversus novitates per biduum agens, sanctorum testimoniis tam modeste, quam fideliter eas redarguebat. Domum apostolico judicio et auctoritate universalis

(148) Lib. II, cap. 1.

Digitized by Google

Ecclesiæ, præfatæ novitates damnabantur : episcopus eidem damnationi consentiens, et publice refutans quæ scripserat, indulgentiam correctus consequitur ; maxime quod ab initio promiserat, sine ulla obstinatione se pro arbitrio Ecclesiæ sanctæ correcturum suam opinionem.

77. Sic Vir sanctus jam corpore quasi deficiens, mente tamen promptus et alacer, zelum Dei, quo fervebat interius, per annos aliquot bonis operibus exercebat, ac divini servitii laborabat insistere studiis indeficiens ejus sancta devotio. Et cum post tantos labores huic dilecto suo diu desideratum pretiosæ mortis somnum Dominus dare disponeret, et fidelem servum in requiem introducere suam, cœpit magis ac magis promptus in ipsum proficere spiritus, caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, et terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus aspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis ; et ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat. Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis ; animus tamen nihilominus liber et potens, quæ Dei erant, exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid, aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream militem Templi epistolam scribens, inter cætera ait : « Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram. » Dumque solito gravius laboraret, fratres insistebant supplicationibus et orationibus ad Deum pro eo. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est : « Quid tenetis miserum hominem ? fortiores estis et invaluistis Parcite, quæso, parcite ; sinite me abire. »

CAPUT XXIX.

De Metensium pace per ipsum composita.

78. Jam itaque Pater sanctus in suo Claræ-Vallensi cœnobio consummationem cursus sui viriliter exspectabat, cum gravis admodum plaga Metensi populo supervenit, graviter oppresso a vicinis principibus (an. 1153). Imminebat totius provinciæ certa, ut putabatur, vastatio ; cum **1270** venerabilis eorum metropolitanus Hillinus archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formidans, unicum in tanta necessitate refugium petiit et expetiit Virum Dei. Veniens ergo Claram-Vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus rogabat et obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cujus manu erat placita anima illius : ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, etiam robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque interdum negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in hoc opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina adfuit virtus et gratia, ut ex laboribus vires capere videretur.

79. Accidit autem, cum in Mosellæ fluvii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera ex strage hostium, qui dudum ab eis conclusi corruerant, jam ferocior, quod exigebatur obstinata animositate renueret. Subito denique tanquam agitati furiis discesserunt, Virum Dei insalutatum, solam vero cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex metu reverentiæ ejus iniere fugam. Siquidem verebantur ne præsentium quamlibet improbas mentes facile flecteret, minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem, posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrinque meditabantur arma, sola inibant concilia malignandi, cum vir sanctus eos qui secum venerant, consolans fratres : « Ne turbemini, inquit ; licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet. » Quibus etiam unde id nosset, innotuit dicens : « Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solemnem. Cumque expleta paulo minus oratione prima recordarer angelicum ex more canticum, id est, *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, et quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi. » Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione suscepta, jucunde satis conversus ad suos : « Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ et cantici pacis præparationem. » Iterum ergo partibus convocatis per dies aliquot de pace tractatum est, et ob maximas difficultates occurrentes utrinque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio.

80. Nec parum ipsa dilatio profuit his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne ; seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut

Digitized by Google

multitudine pariter atque importunitate sua, ipsum quoque negotium componendæ pacis pene desperabiliter impediret, donec quæsita in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt. Inter omnes sane, quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutiens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis quam miserabilis, et omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante Dei Famulo sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam se sentiens mulier sospitatem adeptam, exclamans : « Serve Dei, inquit, convalui. » Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permovit, ut percutientes pectora sua, per **1271** horam fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus et concursus procidentium et deosculantium Viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, et imponentes in naviculam, a terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant : « Oportet nos libenter audire eum, quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit et exaudit ; et audito eo multa facere, pro quo tanta facit in oculis nostris. » Quibus ille, ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare : » Non propter me, inquit, sed propter vos facit. « Ibi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis. Difficile foret itineris illius, sicut et alia per eum a Domino perpetrata, magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hac ergo seposita narratione, pie animadvertendum videtur, quod hic viarum suarum finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili quam difficili, nec minus desperatæ tunc pacis quam necessariæ, labores ejus gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit eum in laboribus suis.

CAPUT XXX.

De statu et monitis sancti Viri in extremis, ac de pretiosa ejus morte.

81. Ut autem expleta Metensium reconciliatione, et provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum, jamjamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat : « Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem : non vobis esse quod adhuc timeretis, æstate proxima imminere nujus corporis dissolutionem. » At erat verbum istud abscondi- A tum ab eis, et capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum et ipse compatiens filius ejusmodi verba supprimeret. Cæterum factis quodam modo clamans, « Opera consummavi quæ dedit mihi Pater ut facerem ; » magis ac magis actus exteriores omittere cœpit, affectus retrahere, velut et sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hærere firmius, et commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, et minus apponere animum miraretur : « Ne miremini, inquit ; ego enim jam non sum de hoc mundo. »

82. Videns demum Pater sanctus, compassionis B et misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi filios miserabiliter tabescentes, et arescentes præ timore et exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ et lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refovebat : et monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei anchoram, fideique suæ per inconvulsibilem charitatem firmius radicare, se quoque promittebat, nec post mortem eis aliquando defuturum. Propensius autem rogans et obsecrans per multas lacrymas, timorem Dei et sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem eorum imprimere animis conabatur. Sed et monebat, et cum lacrymis obtestabatur, ut si quid virtutis aut exemplo commendasset aut verbo, id æmularentur, id firmiter tenerent, et in eo proficerent. Videns C itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutius adhæserant, seorsum advocans alloquebatur, talia dicens : « Quia non arbitror me magna vobis religionis exempla posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri, me pro possibilitate mea memini observasse. Minus sensui meo quam alterius credidi. Læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui ; et si quando incidit, sedavi ut potui. » Ecce quam breviter, quamque **1272** luculenter in his Dei Famulus humilitatem, patientiam, charitatemque discipulorum mentibus inserere nitebatur, imitanda proponens eis non tam verbo et lingua, quam opere et D veritate.

83. Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola scripta ad Arnaldum Bonæ-Vallis abbatem, in qua sic ait inter cætera : « Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus, dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die et in nocte exigit confortari, modico admodum qualicumque liquore : nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne

Digitized by Google

quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, et vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam nobis manum agnoscatis affectum (*Epist.* 310). » Ex hujus ergo tenore epistolæ potest nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiduciæ culmine radix humilitatis.

84. Sed et filiorum ejus inter hæc animos aliquatenus æstimare licebit, vultus exsangues, singultus graves, crebra suspiria, anxias cogitationes. Nimirum cum thesaurus tantus et tam amabilis adhuc in eorum manibus esset: et tamen nec spes esset diutius retinendi, nec facultas pariter commeandi. Nec tamen lugendum eis ullatenus super illum, qui in gaudium Domini Dei sui feliciter invitatus, jam jamque intraturus erat, sed super se ipsos, quibus erat vita tunc tædio, et adhuc mors timori. Gravis quidem erat in hac separatione conditio, post mirificam lucem horrere magis tenebras, post ejus transitum subintrantes. Igitur ante Patris ejus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium Christo genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, et hæc atque hujusmodi loquebantur: « Nunquid non misereris huic monasterio, pater? nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti? » Tum vero flens ipse cum flentibus, et columbinos oculos in cœlum porrigens, testabatur coarctatum se e duobus, et quid eligeret ignorantem, divino totum tribuere arbitrio pietatis. Nam et hinc paterna illum urgebat pietas, filiorum votis annuere ut maneret; inde trahebat Christi desiderium ut migraret. Radicata tamen ab olim in pectore ejus humilitas persuaserat ei, ut ex intimo cordis affectu servum se inutilem esse diceret et arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam et solitus erat in familiari collocutione fateri, mirari se, et vix credere hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent, ut dicebant; quod nec homines veraces fallere velle, nec tam prudentes falli posse verisimile videretur, cum alterutrum excusare non posset. Quem enim totus mirabatur orbis, solus ipse, quod erat mirabilius, non videbat, suæ videlicet vel operationis, opinionisve splendorem. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago desideranti animæ liberum præstaret egressum, post sacræ Unctionis celebrationem, et sacratissimi corporis Dominici perceptionem, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies. Ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati.

85. Hora igitur diei pene tertia, singularis lucerna suæ generationis sanctus ac vere beatus abbas Bernardus a corpore mortis in terram viventium, ex filiorum circumstantium, et in graves singultus ac lacrymas uberes **1273** utrimque psallentium choro, feliciter Christo duce migravit, ad multorum quos ipse præmiserat cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina Angelorum (an. 1153). Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum; quam sic pia filiorum prosequebantur vota, sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix transitus de labore ad refrigerium, de exspectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem.

CAPUT XXXI.

De Bernardi apparitione post mortem, ac de ejus sepultura.

86. De quo transitu ejus multa audivimus apparuisse quam multis, et quidem non indigna relatu; sed difficile nimis singula vestigare, et scribere omnia nimis longum. Unum tamen ponimus, quod tam verum quam manifestum is cui hoc contigit, frater Guillelmus de Monte-Pessulano, ante obitum suum patri suo spirituali reserando et attestando effecit. Is vir magnificus olim in sæculo, sed magnificentior in sæculi fuga, in cœnobio Grandis-Silvæ monachus factus, Patrem sanctum aliquando devotissime visitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui Vir Dei: « Ne timeas, ait, adhuc sine dubio me videbis. » Hujus ergo effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus exspectans, ipsa nocte cum ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-Silvæ apparentem sibi videre meruit, et dicentem: « Frater Guillelme. » Et ille: « Ecce ego, domine. — Veni, inquit, mecum. » Quo interrogante quo irent: « Veni mecum, ait, usque ad radices Libani montis. » Quo cum pervenissent, dixit ad eum: « Tu manebis hic; ego autem ascendam ad montem. » Interrogatus qua de causa vellet ascendere: « Discere volo, » inquit. Miratus ille: « Quid, ait, vis discere, pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? » Ad quem Sanctus: « Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum est vera notitia veritatis. » et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est: et occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Joannem in Apocalypsi de cœlo sonuit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV, 13). Ut autem mane locutus est abbati suo et fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem, ac diligentius inquirentes, ut audierant, invenerunt.

87. Dum itaque fidelis Minister et Sacerdos Altis-

Digitized by Google

simi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis ad altare Dei, sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium et ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, et vallem totam ploratus et ululatus multus implebat. Amarius tamen præ foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici disciplina Ordinis inexorabiliter eis negaret ingressum. Biduo autem mansit in medio gregis Pastor exstinctus, dum pristina dulcissimi gratia vultus **1274** nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat supra modum ruens undique populorum multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles Sancti tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, annulos, nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione et variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium, per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam solemnem, copiosus undique conventuri. Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, et tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederat, ut nulla pene episcopis astantibus reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile, aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, et mane divina ex more sacrificia consummantes, sicut et biduum jam in celebratione Missarum et jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

88. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-Vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum Pater, decimo tertio kalendas septembris inter filiorum manus obdormivit in Domino. Sepultus est autem undecimo kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis matris, cujus fuerat devotissimus ipse minister. Sed et pectori ejus ipso in tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continebantur : quas eodem anno ab Jerosolymis sibi missas suo jusserat corpori superponi, eo utique fidei et devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhæreret coresuscitatus.

89. Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus papa tertius Eugenius, ejusdem Patris in sancta conversatione filius, ab hac luce migravit ad Dominum : cujus merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Urbe miraculis plurimis illustrata coruscant, successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum imperio Frederico Illustri, in Francorum regno piissimo rege Ludovico filio Ludovici, principatum Ecclesiæ universæ, ac totius creaturæ visibilis et invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

FRAGMENTA

EX TERTIA VITA SANCTI BERNARDI

AUCTORE, UT VIDETUR, GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSIS

1275 I. — *Ortus et genus S. Bernardi.*

In territorio Lingonis civitatis situm est castrum, nobile quondam et inclytum valde, cui Castellio nomen est, multos habens proceres armis strenuos, sed multo magis legalitate præcipuos : inter quos excellebat Tecelinus quidam, cognomento Sorus; quo nomine, vulgari lingua subrufos et pene flavos appellare solemus. Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives, suavis moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, et incredibilem habens justitiæ zelum. Denique et mirari solebat, quod multis onerosum esse videret servare justitiam; et maxime (adversus quos amplius movebatur) quod aut timore, aut cupiditate desererent justitiam Dei. Erat quidem miles fortissimus, sed non minori studio laudes ipse fugiebat, quam cæteri captare videantur. Nunquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo, duce scilicet Burgundiæ, cui plurimum familiaris et intimus erat : nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. Erat quidem indigena Castellionis, sed dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum. Huic sane uxor erat, Elizabeth nomine, ex optimo genere Burgundionum, Bernardi de Monte-Barro filia, digna tanto genere et tanto viro, imo et gloria utriusque..... Elisabeth filium hunc, divino edocta oraculo, tenerius omnibus di-

Digitized by Google

lexit. Unde et patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans.

II. — *Visum divinum in nocte Nativitatis Domini Bernardo puerulo oblatum.*

Erat autem in Castellione ecclesia, tunc quidem sæcularium canonicorum, sed in maxima disciplina viventium, in qua Bernardus est educatus a parvulo. Vigilia ergo Dominicæ Nativitatis, dum adhuc puerulus dormiret in domo patris, videbatur sibi videre Virginem parientem, et Verbum infans nascens ex ea. Protinus autem pulsatum est ad Vigilias : et excitans eum mater, induit accurate vestibus canonicalibus (149), et secum pariter ad ecclesiam duxit, ut solebat. De qua visione dicere ipse solebat, quod eam crederet Dominicæ nativitatis horam : et quod sibi ostensum est, signum fuisse multorum quæ sibi de eadem postmodum nativitate revelata sunt mysteriorum.

III. — *De ejus patre, et fratribus.*

Andreas Bernardo dixit : « Ecce, date operam ne quis fratrum nostrorum in sæculo maneat : alioqui scinde medium, quoniam nec a vobis, nec ab illis separari tolerabile est. » Quid virilem illius patris animum loquar? qui una die sex filios, et filios tales videns abire, non modo non doluit, sed et gavisus est valde; illud tantum monens, ut in omnibus modeste agerent : Quoniam ego, inquit, novi vos, quod aut vix, aut nunquam possit zelus vester cohiberi. » Proficiscentibus itaque fratribus, unus tantum, et ipse puerulus, remanebat, qui cum parvulis aliis in platea jocabatur. Videns ergo eum senior frater Guido : « Ecce, inquit, Nivarde, secure potestis ludere, quoniam terram multam habiturus estis. » At ille subsannans : « Cum maledictione, inquit, fiat hæc distributio, ut vos cœlum habeatis, ego terram. » Fugiebat ergo quotidie puer ad **1276** fratres suos, volens conversionis eorum socius fieri. Sed quia parvulus erat, remittebant eum, et reddebant patri suo. Tandem non ferentes importunitatem ejus, tradunt eum sacerdoti cuidam, ut disceret litteras : et ubi paululum crevit, factus est et ipse Novitius apud Cistercium; et suscepto post anni spatium habitu, redditus est fratribus in Clara-Valle.

IV. — *Guidonis primogeniti conjux, abbatissa Elariaci prope Divionem.*

Senior frater ejus Guido, cum de conversione loqueretur ei, excusare se cœpit de uxoris vinculo, quod solvere non liceat. Promisit tamen in fide, et dextram dedit, venturum sese cum fratre, si posset ab uxore licentiam obtinere. Ad quem illico frater ait : « Ut meliori sis animo, ego quoque in eadem tibi fide promitto, ante proximum Pascha, aut licentia, imo et petitione, aut certe morte ipsius, solvendum te a lege uxoris. » Et promisit in manu ipsius. Nec multo post factum est uti prædixit : et cœpit juvencula nobilis et decora, cum omni instantia lacrymarum, in cubiculo, stupenti viro pro conversionis licentia supplicare. Ipsa est quæ usque hodie in monasterio Lairiacus, quod prope Divionem situm est, perseverat mulier virtutis, et multarum in Christo virginum mater.

V. — *Ludovico seniori regi prædicit mortem Philipp filii ejus primogeniti.*

Querelam episcoporum adversus regem Francorum Ludovicum seniorem, patrem ejus qui nunc est Ludovici, manifeste explicant epistolæ beati Viri ad apostolicam Sedem pro hoc ipso directæ. Factum est autem, ut die quadam congregarentur ad regem episcopi, et vocatus ab eis Abbas Claræ-Vallensis, qui licet adhuc juvenis, summa tamen totius Ecclesiæ columna jam tunc videbatur. Procidentes autem episcopi ad pedes regis, humiliter supplicabant ei, ut qui satis ante dilexisset et honorasset Ecclesiam, parceret etiam in hac parte, ne forte durius quam vellent, contra eum agere cogerentur. At ille non satis eorum precibus acquievit. In crastinum autem durius arguebat eum venerabilis Abbas, manifeste deminans : « Quia offendisti terribilem, et eum qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ; certus esto quoniam offensa hæc primogeniti tui Philippi morte mulctabitur. Vidi enim nocte præterita, et ecce tu cum filio tuo Ludovico procidebas ad pedes episcoporum. Intellexi autem continuo moriente Philippo supplicaturum te eis, quod non possis nisi per manus eorum substituere Ludovicum. » Erat enim Philippus jam unctus in regem, magnæ omnino spei adolescens, et patri (quod ex abundanti est dicere) omnino charissimus. Unde et audito sermone commota sunt viscera patris super filio suo. Et promisit satisfacturum se episcopis : sed consiliis seductus iniquis a promissione resiliens, non post multum temporis, miserabilem satis obitum filii sui Philippi ipse et tota cum eo Francia deploravit.

VI. — *S. Bernardi epistolam ad Robertum nepotem, in pluvia sine pluvia scriptam, Gaufridus ejus notarius primam inter ejus epistolas constituit.*

Nepos ejus Robertus, quemadmodum seductus fuerit, cum adhuc puer esset, ipsius, de qua loqui volumus, epistolæ verba declarant. Cum enim in alio **1277** Ordine jam per aliquot annos demoraretur, scripsit ad eum epistolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra monasterii septa, ut dictaret secretius : et Guillelmus, qui postea in Angliis Rievallensem ædificavit abbatiam, quæ dictabantur excipiens scribebat in charta. Subito autem inundante pluvia timuit qui scribebat : erant enim sub divo. Cui venerabilis Abbas : « Opus, inquit, Dei est; fac quod facis. » Res mira! madebant vestes eorum, et scribebatur grandis epistola, et chartam omnino non tetigit imber. Extat adhuc epistola : et ego ipse primam eam constitui in corpore Epistolarum, cum audissem tam grande miraculum ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia.

(149) Ut solent scilicet nonnullæ piæ matres vestes monasticas filiolis suis aptare.

Digitized by Google

VII. — *Ducissæ Lotharingiæ ad vitam meliorem conversio duplex.*

Ducissa Lotharingiæ (quæ nunc in monasterio sanctimonialium feminarum, quod Tartum vocatur, servit Deo in humilitate et paupertate multa) cum adhuc corporis voluptatibus supra modum dedita esset, contigit venerabilem Virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipsam. Dumque loquens extenderet manum, casu factum est, ut Ducissæ chlamydem tangeret. Cui unus de astantibus arridens · « Super religiosam, inquit, mulierem extendisti manum, pater. » At ille : « Nondum venit hora ejus (*Joan.* VII, 30). » Audiens Ducissa (siquidem litteras noverat) compuncta est vehementer, et usque ad medullas animæ ejus sermo vivus et efficax penetravit. Eodem quoque tempore somnium vidit, quo amplius animata est, Virum Dei sentiens ab ejus utero septem serpentes horribiles manu propria extrahentem. Cui non longe post committens animam suam, sæculo abrenuntiavit : et usque hodie gloriatur se esse, de qua Pater sanctus ejecit septem dæmonia.

VIII. — *Reginæ Alienordi S. Bernardus promittit obtinetque a Deo prolem.*

Et præcipuus hujus incentor odii [inter regem Ludovicum Juniorem, et Campaniæ comitem Theobaldum] comes Viromandensium fuit, Radulfus de Perona, sororem Reginæ tenens, dimissa quadam affini comitis Theobaldi. Factum est in festivitate beati Dionysii, regina Alienordis in ecclesia ipsius martyris cum Patre nostro loquebatur, conquerens quod conclusisset Dominus vulvam ejus ne pareret. Jam enim annis fere novem vixerat cum Rege : et a primis quidem annis conceperat, sed fecerat abortivum, et exinde sterilis permanebat, jam de fecunditate desperans. Cui miserabiliter conquerenti Pater venerabilis ait : « Sollicite quære quæ ad pacem sunt, et ego tibi, confisus de divina miseratione, partum promitto. » Hoc et ipse Rex per Reginæ verbum cognoscens, ubi perfecta est reconciliatio, secretius **1278** alloquens beatum Virum, quod Reginæ promiserat, exigebat, etc. Ipso denique anno Regina concepit, et peperit.

IX. — *Conversio Gaufridi ipsius, et aliorum de schola Parisiensi.*

Contigit aliquando Virum Dei pro quibusdam negotiis ad partes Galliæ proficisci. Cumque in itinere et in reditu scholaribus Parisiensibus, ut solebat, fecisset de conversione sermonem, vespere cœpit contristari et mœstus esse, dicens Deo in orationibus suis : « Quia timeo omnino ne forte oblitus sis mei, cum præter morem, infructuosum penitus factum sit iter meum, et neque de his propter quæ veneram, aliquid obtinuerim, nec apud clericos istos in verbo tuo apertum sit mihi ostium ullum. » In ipsa enim hora ita consolatus est eum Deus, ut manifeste præscierit et prædixerit, « Quia nequaquam vacuus hinc abibo. » Sit benedicta dies illa a Domino, qua sedenti in tenebris et in umbra mortis lux orta est mihi. Sit benedicta dies, qua Sol justitiæ, imo misericordiæ, oriens visitavit ex alto miseram animam meam : adversum et perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dexteræ Excelsi, prorsus in alium hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviscar miserationis hujus, qua tam copiose præventus, tam subito mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi vero in illa captura dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi et in itinere adjuncti nobis ; ita ut transacto probationis anno, ex hoc collegio monachi facti simus viginti et unus. Eodem sane tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, cœpi corpore infirmari, et affligi mente. Scio quia satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum : sed non latuere Patrem quæ circa me agebantur ; et perfecte omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus. Gratias tibi, Domine, gratias tibi. Unde enim tali animæ in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio-Dei, de se, cum Novitius esset, accidisse testatur.

X. — *Mors Guidonis fratris primogeniti S. Bernardi in Pontiniaco, in festo Omnium Sanctorum.*

Senior frater ejus Guido (150), dum cum eo a Bituricensi territorio redit novam quippe illuc deduxerat abbatiam [*Fort.* Coloniam], febre acuta correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus est ; et ipsa nocte, qua Sanctorum Omnium festivitas agebatur, felici eorum consortio meruit aggregari.

XI. — *Hugonem de Vitreio ad monachatum adducit* (151).

Dehinc profectus ibat ad constitutum locum, ubi etiam multos undique collegit. Ait quadam die ad fratres suos . « Habeo amicum Matisconi, Hugonem de Vitreio (152), et ipsum oportet adducere, ut sit et ipse unus ex nobis. » Erat autem clericus nobilis, et jam maturioris ætatis, sæcularibus pariter et ecclesiasticis facultatibus affluens. Cœperunt ergo qui noverant eum temeritatis arguere : nihilominus ipse confidens sine omni hæsitatione festinavit ad ipsum. Erat autem fama in regione, quod Jerosolymam esset iturus : sic enim ipse fingebat, non in eam in qua fuit, sed in qua est Dominus, Jerosolymam profecturus. Videns ergo eum prædictus Hugo, flens et ejulans in amplexus ejus ruit : sed Vir Dei lacrymas ejus penitus non attendebat. Ubi vero paululum respiravit, revelat ei propositum suum : et ecce in-

(150) De eo supra, lib. VII, c. 10.

(151) Quæ sequuntur, prætermissa a Cisfletio, in editione Mabillon. ad calcem Vitæ quartæ subjecta sunt ; nos vero hic ea, ut in opportuniori loco, reposuimus.

(152) De eo lib. I Vitæ, n. 13.

Digitized by Google

novatus est dolor, et fons lacrymarum fluxit uberior, ita ut tota die illa non acquiesceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in angustissimo strato, ita ut vix caperet alterum. Nec tunc ergo cessabat a lacrymis Hugo, ita ut argueret eum Vir sanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi vero obdormivit, videbatur sibi, invocato ex more Spiritu sancto, habere ad eum de conversione sermonem, et non deesse voci suæ vocem virtutis. Mane autem facto cum rursum fleret Hugo, moleste jam accipiens cœpit durius objurgare eum. At ille : « Non mihi, «inquit, eadem hodie lugendi causa, quæ fuit heri : heri enim super vos flebam ; hodie super me ipsum. Novi enim conversationem vestram, et mihi quam vobis conversionem esse magis necessariam non ignoro. » Ad quem Bernardus exsultans : « Flete, » inquit, «nunc satis, quoniam optimæ sunt lacrymæ «istæ ; nolite cessare. » Exhinc cum vidissent eos clerici ambulantes pariter, et exsultantes simul, nec ad momentum ad invicem separari, conati sunt Hugonem avellere a Bernardo, timentes, imo jam aperte cognoscentes, quam uno spiritu agerentur. Tenentes ergo Hugonem, jam nulla ratione pati voluerunt ut Vir Dei cum eo de cætero loqueretur. Abiit ergo tristis : sed et nihilominus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Post aliquot dies sane conventum audiens episcoporum, festinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici vero cum vidissent eum, præter morem torvo oculo respicere, et stipare Hugonem undique, ne quis pateret accessus. Sedentibus ergo in campo, et colloquentibus episcopis, in medio clericorum juxta Hugonem sedens, loqui ei non poterat propter astantes, sed tamen flebat uberrime super collum ejus : et ecce inundaverunt aquæ, et cœlum dedit pluvias, ita ut dispersi cum omni festinatione ad proximum vicum currerent. Sed Beatus Hugonem manu tenens : « Mecum, inquit, in pluvia stabis. » Statimque serenitate reddita, soli stabant in campo, et confessus est Hugo juramentum quod fecerat, minime se monachum fore usque ad annum. Hoc autem fecerat, ut deciperet clericos, annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro sodalitio spirituali redierunt, manu esse tenentes alterutrum : et jam desperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit.

A

B

C

D

XII. — *Galeramnus abbas apparet S. Bernardo.*

In iisdem annis Viro Dei demoranti in sua Clara-Valle vir religiosus, primus abbas Ursi-Campi Galeramnus, cum obisset apud Igniacum, beato Patri apparuit, et ab eo licentiam et mandatum accepit introeundi in requiem Domini (153). Quod certe et de multis aliis factum esse certissimum est, adeo ut pro nonnullis antequam ei nuntiaretur obitus, etiam Missarum solemnia celebrans divina obtulerit sacrificia, stupentibus his qui cum eo erant, et sollicite notantibus diem.

XIII. — *Andreæ fratris S. Bernardi obitus.*

Eodem denique tempore, quo pacis quærendæ negotiis occupabatur, frater ejus Andræas in Clara-Valle transitoriam hanc finivit vitam ; et is quoque priusquam aliquid de infirmitate ipsius Pater sanctus audisset, per nocturnum soporem assistens ei una cum Gerardo fratre suo, dedit ei osculum pacis. Intellexit autem signum licentiæ esse, et post paucos dies obitum ejus audivit.

XIV. — *De Herveio abbate Ursi-Campi, Galeramni successore.*

Sed quia super venerabili Galeramno fecimus mentionem, quæ de Herveio, non minus moribus et religione, quam genere illustri, prædicti Galeramni successore, facta sunt, non arbitramur prætereunda silentio. Herveius itaque puer de sanguine regio in domo avunculi sui Noviomensis episcopi (154) nutriebatur. Hunc Pater sanctus cum apud prædictum episcopum hospitaretur, cantantem aliquando audiens, sicut optime puer noverat, ex occasione cantus illius more suo multa astantibus locutus est de spirituali conversatione. Eadem vero nocte in somnis ei videbatur, quasi Missarum solemnia celebraret ; et accedens angelus acceptum ab ore ipsius pacis osculum puero traderet. Unde et manifeste prædixit, sine dubio Religiosum eum futurum, adeo ut nec puer ipse datam de se ignoraverit prophetiam. Cujus indubitatus exspectabatur adventus, ut post multos annos, cum jam adolevisset, et gravissima a propria conscientia argueretur ; tota tamen fiducia in memoria verbi illius respiraret, dicens secum, sicut nobis ipse postea testabatur : « Sine causa times : impossibile est ut pereas ; omnino beati Viri sermo implebitur in tempore suo. » Et certe ita jam factum esse videmus. Porro angelus ille, abbas Galeramnus fuit, qui acceptam ab ore Patris sancti pacem dedit Herveio. Ab eo siquidem, cum adhuc adolescens esset, fugiens domesticos inimicos, habitum conversationis accepit. Cui deinde in abbatia succedens homo dulcissimi spiritus et ferventissimus sui corporis castigator, consummatus in brevi explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima ipsius. Præcognovit autem obitum suum sanus adhuc et incolumis, ipso ei prædecessore suo revelante. Nec mora gravi cœpit corporis molestia prægravari : et infra sextum diem beato fine quiescens, appositus est ad patres suos.

XV. — *Aliorum conversionem prænoscit S. Bernardus.*

Quod autem de eo diximus, præcognitam a Sancto Domini conversionem ejus, super aliis quoque plurimis novimus contigisse. Ex quibus fuit etiam Macelinus Teutonicus adolescens illustris, et Albero vir venerabilis, qui postea abbas factus est in Suecia, et magnus vir ille Gaufridus de Peronia, qui in Clara-Valle Prioris officio functus et defunctus est. Huic quoque Gaufrido, dum adhuc esset in cella Novitiorum et sollicitus esset pro Patre suo, etc.

(153) Vide Vincent. Belvac. *Specul. hist.* lib. XXVII c. 5.
(154) Silvanectensis.

Digitized by Google

VITA QUARTA

SANCTI BERNARDI ABBATIS

DUOBUS LIBRIS SCRIPTA A JOANNE EREMITA.

1279 *Incipit epistola Joannis Eremitæ ad Petrum Tusculanum episcopum, de vita beati patris nostri Bernardi, primi Claræ-Vallis abbatis.*

1. Juxta petitionem et desiderium vestrum, pater dilectissime Petre, ad vestram et aliorum ædificationem, pro modulo nostro vitam beati Bernardi, primi Claræ-Vallis abbatis, litteris commendare duximus dignum; ut per ejus imitationem et exempla, ad æternam beatitudinem pervenire possimus. Sine dubio dignus est Sanctus iste, de quo volumus facere mentionem, laudari et coli: quoniam cum sanctis et electis Dei, regni cœlestis adeptus gloriam, in medio Ecclesiæ laudem habere meruit et honorem; unde nomen in sanctitate sortitus est et in benedictione vivit ejus memoria. Scriptum namque est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Vere justus est iste Sanctus, et fidelis inventus in numero sanctorum, quasi ignis effulgens, et quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Ideoque fecit illum Dominus crescere in plebem suam, et semen ejus multiplicavit sicut arenam maris. Sermo ejus non frustra humanis auribus insonabat, sed rebus et factis causas rerum faciendarum inferebat, signis et virtutibus gloriosus. Multi etiam inventi sunt in numero sanctorum, quos ipse per Evangelium genuit. Numerum vero miraculorum, quæ per eum facta sunt, si volumus explicare ad hoc non sufficiet ingenii nostri parvitas. De cætero, si ea ad plenum et sciremus, et possemus evolvere, dicentibus fortasse non crederetur. Unde pauca in præsenti, quibus fides neganda non est, volumus explicare.

2. Monachus quidam, venerandi Abbatis verax dilector et sincerus, forte cum quodam laico fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-Vallensi deambulabat, librum Miraculorum sancti Patris tenens in manibus; exponens ea secundum idioma romanæ linguæ, tam suæ quam illius ædificationis causa. Contigit ergo eos, modicæ pausationis gratia, consedere sub arbore piro, secus viam, per quam quotidie vadunt et veniunt laborantes in horto. Cumque non post modicum tempus consurgerent, supradictus monachus oblivione subripiente, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit. Abiit itaque, et regularis disciplinæ studiis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, et quando perdidisset illum, nullam omnino spem recuperandi concipiens (tum quia prope viam dimiserat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiamsi reperiretur, nihil amplius quam perditum valere crederetur), post aliquantum tempus ab illius inquisitione cessavit, imo etiam penitus desistere visus est; maxime tamen constrictus, quod per negligentiam suam Miraculorum sancti Viri volumen amisisset. In hunc modum transigens unum circiter mensem, cum post modicam per hortum deambulationem, sub arbore prædicta resedisset, non tamen proposito quærendi, vel spe recuperandi quod perdiderat: miro et inaudito modo librum, tanquam ab aliquo conservatum, et tunc de recenti, et ex industria juxta se positum, subito in medium proferri miratus est. Et ut mirabilius esse credatur quod contigit, tam charta, quam scriptura adeo sana et incorrupta permanserat (nisi quod pauculis guttis cæterius operimentum respergi videbatur), ac si cum cæteris libris in bibliotheca liber idem fuisset repositus. Quid super hoc audientibus visum fuerit, nescio: ego autem pro parte mea asseverare non dubito, rem talem, tamque insolitam, nequaquam sine miraculo contigisse; quod siquidem beati Viri meritis ascribere et ratio persuadet: et veritas compellit.

3. Nocturni temporis silentio, cum post fatigationem diurni laboris, modicæ repausationis gratia recubuisset in lectulo, apparuit ei vigilanti vir venerabilis, amictus stola nivea, et staturæ mediocris, ætate grandævus, crine candidus, angelica facie revenrendus. Is in manibus suis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad fratrem supra memoratum, porrexit ei utrumque, dicens: « Accipe, vide, et lege. » Qui repentinæ visionis horrore, sicut fieri solet, attonitus, securitatem tamen ex affatu benigno, aspectu tranquillo, vultu quoque angelico sumens, respondit: « Domine pater, nescio litteras. Simplex et illitteratus quomodo legam? » At ille, « Fili, noli timere: ecce Dominus tecum est, et docebit te, et me intercedente, bene erit tibi. » Hujusmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit, et legit; mirans et obstupescens in semetipso, quonam modo id fieret. Persona deinceps assistens, quasi alterum volumen secum deferens, alterum fratri relinquens, valefaciens ei data benedictione disparuit. Quid igitur? Mirabile quidem dictu est quod dicemus. Quid enim mirabili hoc mirabilius? Fratrem no-

Digitized by Google

vimus omnes quotquot sumus. Laicus quidem erat paulo ante, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante, ejus intelligentiam, et quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut non solum legere, verum etiam cantare satis docenter et convenienter sciret. Exinde tam usu quam gratia cooperante, dictionum significationes aliquantum intelligere cœpit, et in hujusmodi scientia paulatim proficere. Visionem itaque supradictam scripsit in spe adjutorii divini, et subventionis beati Viri, quem credimus ei apparuisse. Nonnulla miraculorum ipsius, quæ vel scriptoribus ignota, vel per negligentiam fuerant prætermissa, tam decenter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut subinde rapti in admirationem, dicamus cum propheta David: *A Domino factum est istud,* **1280** *et est mirabile in oculis nostris.* (*Psal.* CXVII, 23). Quis ergo neget hoc miraculose factum esse? Quod apertius, quod evidentius miraculum? Ascribimus igitur in primis gratiæ Dei illud, attribuimus deinde meritis Sancti, assignamus denique fidei et obedientiæ fratris.

4. Quid plura? Revera Sanctus iste magnus est in numero sanctorum, inter Angelos et Archangelos, inter Apostolos et martyres, inter confessores et virgines, quia nunquam fuit pollutus, sed semper virgo permansit et immaculatus. Semper ejus meas erat in Deo, et Deus erat cum eo. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis. Mortuos suscitavit, dæmonibus imperavit, claudis gressum reddidit, mutis loquelam, ægrotis sanitatem. Semper apud se erat modicus, apud summos magnificus, scriptis et fama mirificus, placidus bonis, malis terrificus, clarus meritis, exemplar morum, lux et speculum Christicolarum, maxime monachorum et omnium religiosorum. Lex Dei in corde ipsius, et doctrina sua, sicut sol in diebus æstatis. fulgens in Ecclesia Dei. Baculus fuit claudo, oculus cæco, compatiens ægrotis, munificus pauperibus et benignus, jucundus ad omnes, fons sapientiæ et columna justitiæ, pater Ordinis Cisterciensium et virtutis forma. O pietas Conditoris nostri! o benignitas Jesu Christi, qui talem triumphatorem nobis tribuisti! Venite, charissimi, bibite, et inebriamini. Potus quippe et cibus animæ sunt exempla sancti Patris, quorum nonnulla referimus adjuvante Domino nostro Jesu Christo. Rogo vos, Pater, ut oretis pro me eumdem Dominum nostrum, qui est Alpha et Omega, ut inchoator sit et consummator hujus operis.

Incipit epistola secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia archiepiscopum.

Petis a me, miles Christi H. fiducia et charitate qua me diligis, ut de vita vel actibus venerabilis patris beati Bernardi, propter quod ego apud quosdam discipulorum ejus olim assiduus fueram adhuc puer, aliquid tibi per litteras edam: quatenus memoriam suavitatis ejus os tuum frequenter eructet, et scriptura de operibus tantæ sanctitatis expressa, tuos jugiter visus et auditus oblectet. Ego autem, licet multa et magna viderim in actibus Viri Dei, quæ et memoratu digna sunt, et imitatione dignissima; ea tamen ex parte non modica potuerunt subripi, et a memoria mea excidere, vel facilitate ipsa lubricæ ætatis effluere, vel puerilis animi teneritudini non hærere. De cætero si quid exinde mihi vel stupore miraculi, vel operis dignitate non excidit, quis sum ego, qui inertem stylum laudibus tanti Patris enucleandis admoveam, et in præconia Viri Dei labiis incircumcisis erumpam? Illis narranda dentur gesta sanctorum, quos non dubites doctos a Domino, quibus dedit Deus linguam eruditam, ut sciant in tempore proferre sermonem. Mihi autem inenarrabiles sunt amici tui, Deus: ita ut tutius elegerim, Virum sanctum non tam prædicare quam colere; relinquens prudentioribus explicandum quod fecit, contentus ipse vel æmulari quod docuit. Cæterum ne spes tua quam, sicut arbitror, de affectione, magis quam de eruditione mea conceperas, usquequaque fraudetur, accipe breviter de moribus pii Patris quod ipse jam noveras: et dum apponis in ejus narratione scientiam, appone tibi pariter ab ejus actionibus disciplinam. Erat enim vir iste mira simplicitate purissimus, ita cœlestibus intentus oraculis, ut juxta evangelicam fidem, universum mundum æternorum amore contemneret, et nihil hic retinens præter corpoream mansionem, mente et animo in cœlestibus habitaret. Hic est in cujus pectore patientia ædificavit sibi domum, adeo ut omne gaudium existimaret, quoties robur animi sui actus cujuslibet adversitatis impeteret. Humilitas in eo supra humanum modum, tanquam jurasset ejus virtutis perfectione recuperare se cœlum, cujus defectu diabolus lapsus est in infernum. Hunc in omni vita sua nec temperantia, nec fortitudo deseruit; ne in prosperis per læta dissolutus effluere, nec fractus adversitatibus elangueret. Corpus ejus candor castitatis induerat, mentem charitas inexstinguibilis **1281** inflammabat; ut esset foris lucidus, intus accensus, et totus desiderabilis. Jesu bone! quanta illi in obediendo solertia, in imperando modestia, in exhortationibus gravitas, in exsecutionibus disciplina! Non illi de magisterio typhus, non de reverentia fastus; sed ita se submittebat omnibus, qui omnibus eminebat, ut illius se probaret esse discipulum, qui non ut ministraretur, sed ut ministraret advenerat. Blandus, pius, affabilis: non omittens in hilaritate censuram, non admittens in districtione sævitiam. De fide vero ipsius et pia credulitate quid dicam? Hæc est per quam meruit ut revelarentur ei sæpius arcana cœlestia, et per effectus visibiles divina illi sese proderent sacramenta.

Incipit prologus in Vita sancti Bernardi.

Qui vitas sanctorum, fratres charissimi, vult scribere, debet se primum de mendaciis et iniquita-

Digitized by Google

tibus emendare. Non enim amant sancti mendacia, sed damnant eos qui ea loquuntur. Ipsi enim sunt qui potius asserunt quod scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Offendit is qui vitas sanctorum scribit, sicut et ille qui byssum texit, si et manus habet maculatas; quia opera eorum coinquinantur. Texere byssum, est vitas sanctorum scribere. Manus maculatas habere, est vana gloria vel conscientia prava depravari, per quam mendacia confinguntur. Qui mendacium habet in mente, quomodo potest recta loqui de operibus sanctorum? Dico vobis, dilectissimi, quia multum me coarctat hic labor, scilicet vitas sanctorum scribere. Nec immerito: me namque nec propria commendant merita, nec scientia ornat. Malo tamen temeritatis notam subire, quam pudoris inordinati nebu a, laudes sanctorum contectas silentio præterire. Contestor igitur divinitatem, quæ omnia novit, quia nihil frivolum, nihilque humanæ laudis, vel avaritiæ causa scribere propono; sed quæ vera, simplex, et sancta confirmat relatio seniorum; quibus credere tam pium est, quam non credere impium. Servis et amicis Dei scribo, quos fallere periculosissimum est, sancti Viri gloria pariter et virtutibus delectatus, quem etiam me tacente præconizant homines, miraculorum ejus magnitudinem vehementer admirantes. Nemo itaque contemnat quæ leguntur: quia licet rationem et possibilitatem humanam excedat magnitudo dicendorum, tamen omnia possibilia sunt apud Deum, et nihil est impossibile credenti. Verumtamen qui de his hæsitaverit, pie potius ignoscat, quam mendacii me arguat. Nihil est enim in rebus humanis quod non possit aliquo modo infamari, vel sinistra interpretatione perverti. Ecce in quo humanum judicium, vel falli, vel fallere nequeat. Quare? Quia et rei certitudo ambiguitatem removet, et mendacium, sicut ait Seneca, tenue est, et ut vitrum perlucet (*Epist.* 79). Item dico vobis, fratres, quia minus affligit me hic labor; sed Dei, ut spero, erit adjutorium, quo bene impleri possit quod incœptum est. Te igitur invoco, Verbum, per quod omnia creata sunt, ut des mihi, sicut decet, de beato Viro dicere quæ vera sunt.

Incipit Vita sancti Bernardi.

1. Beatissimus igitur Bernardus, in pago Lingonensi, Fontanis oppido patris sui, digna propagine oriundus fuit; carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine, genitrix vero Aalays, filia Bernardi Montis-Barri domini, viri potentis et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiquorum, sicut asserunt multi, Burgundiæ ducum generositate trahens originem. Sed quia de ejus genere historiam in præsentiarum explicandam non suscepimus, ad id quod potius dicendum est, revertamur. Aalays igitur filiam suam idem Bernardus, avus scilicet beati Bernardi, litteris erudiri voluit, ut in futuro monacham faceret: sed Dei providentia aliud de ea disposuit. Nam cum ad quintum decimum ætatis suæ annum pervenisset, a Tescelino Fontanensis oppidi domino, viro nobilitate et dignitate conspicuo, et in rebus sæculi satis locupletissimo, requisita est ad conjugium. Pater vero ejus, quoniam honeste negare non potuit, requisitam concessit.

2. Quæ postquam conjuncta fuit viro suo lege conjugali **1282**, dedit ei Deus gratiam, ut de fructu ventris sui poneret super mensam suam, sicut et fecit. Sex namque filios, et unam filiam genuit, non tam viro suo, quam Deo; sicut pius Dominus demonstrare dignatus est in sanctis operibus eorum. De suo namque sanctissimo Spiritu mentes eorum illuminavit. Illi vero degustata spirituali dulcedine, militiam diaboli et pompam sæculi abnegantes, cooperante pia admonitione fratris sui Bernardi (qui erat lux ardens, sed adhuc sub modio, non super candelabrum), ad fortissimam vitam cœnobitarum in eremum venerunt, et monachilem habitum susceperunt. Omnes itaque monachi facti, vitam Deo placitam simul aggressi sunt, Filia vero monacha facta in monasterio Juilleii. O beatus venter, qui tales portavit! o beata ubera, quæ lactaverunt tales! o beati generis origo, unius uteri gloriosa fecunditas! Vos ergo unanimiter, viri Deo digni, pro cœlesti gloria præsentia contempsistis, et agis elegistis cum Christo æternaliter vivere, quam in hoc mundo infelici feliciter ad tempus vivendo gaudere. Sed hoc de conversatione vestra, quoniam plura dicere stylus historiæ non permittit. Ad nativitatem, a qua dicendi initium sumpsimus, revertentes, cœpta prosequimur in hunc modum.

3. In ordine filiorum primogenitus fuit Guido, homo disciplinatus et a Deo dilectus, sapiens in verbis simul et opere; secundus, Girardus, vir vitæ venerabilis, honestus moribus, sapientia clarus, consilio providus; tertius, Bernardus, lux et speculum fratrum suorum, et sanctæ Ecclesiæ columna sublimis; quartus, Andreas, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo; quintus, Bartholomæus, qui primævæ indolis florentibus annis senum anticipans vitas, ætatem immaculatam mentis sinceritate decoravit; sextus, Nivardus, qui terrena hæreditate contempta, cœlestia prælegit. Femina vero beatum Bernardum nascendi ordine subsecuta, in sacro Baptismate Humbelina nomen accepit. Hos omnes Deo, ut dictum est, non sæculo mater generans, singulos mox ut partu ediderat, in illa ipsa angustia et afflictione corporis, et in contritione cordis, de terra propriis manibus elevans sursum, Domino offerebat. O mulier firma in fide, et sabilis in Dei dilectione, perseverans in oratione! Felix es, felixque uterus tuus, feliciorque fructus ventris tui. Alias vero mulieres, quæ ad partum ejus convenerant, sicut mos est, oblationem supradictam facere non permittebat. Scripturas enim noverat, et maxime Davidicum psalmum, ubi canitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L, 19). Beatissimum vero Bernardum non tam cito quam alios, sed in

Digitized by Google

provectiore ætate Domino obtulit. Obtulit utique, et hoc devotissime fecit : et ut ille erga Dominum devotior existeret, litterarum studiis eum tradidit instruendum. Iis ergo in hunc modum decursis, simul ad utrumque parentem tam gloriosæ sobolis stylum reflectamus.

4. Fuit in partibus Burgundiæ, ut supra texuimus, vir vitæ laudabilis, Tescelinus nomine, et uxor ejus Aalays. Fueruntque ambo generosi secundum sæculi dignitatem, clariores tamen fide et operatione; et quanto altiores, tanto humiliores, sicut scriptum est: *Quanto major es, tanto te humilia in omnibus* (*Eccli.* III, 20.) De fide, spe, charitate, justitia et aliis virtutibus eorum, cuncta narrare difficillimum est. Pauca tamen eruditionis causa ponemus. Cum quodam tempore vir memoratus, diversis emergentibus causis (sicut inter sæculares frequenter contingere solet), cum quodam sibi adversante, multo inferiori genere, et substantiæ minoris, monomachia firmaverat decertare; adest statuta dies, et præfixa certamini. Convenitur utrimque. Recordatus autem vir venerabilis Tescelinus timoris Dei, et judiciorum divinorum, in quibus dicitur : *Juste judica proximo tuo* (*Levit.* XIX, 15); et item : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV. 16) : quamvis fortior et potentior esset, et hostem superare, et de victoria lucrum maximum reportare valeret; ultro tamen se pacavit cum adversario, quidquid erat in controversia, sine disceptatione resignans et relinquens. O magna pietas, magna viri clementia! Magna sunt quæ narramus, sed majora quæ sequuntur.

5. Venerabilis quoque Aalays uxor ejus consueverat inter 1283 cætera virtutum insignia, circuire domos, exquirere pauperes, infirmos, et egenos, eisque de suo proprio erogare quod necessarium erat. Claudorum etiam atque debilium maximam habebat curam; non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, et unicuique quod opus erat præbens, per ecclesiarum xenodochia devotissime discretis infirmis ministrabat; ollas eorum extergens, cibos porrigens, calices diluens, et alia cuncta faciens, quæ servis et ministris mos est serviliter operari. Quid plura? Volumus omnes virtutes ejus narrare? Minime, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu dignissimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec sine admiratione a nobis auditam, referente quodam abbate religiosissimo, nomine Roberto, qui magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit; nepos siquidem ejusdem matronæ, de qua volumus pertractare, filius autem sororis suæ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit.

6. « Mater, inquit, sancti Patris nostri religiosissima exstitit. Consuetudo autem ejus erat per singulos annos in solemnitate sancti Ambrosii [*al.* Ambrosiniani], universos clericos, quos invenire poterat, congregare, eosque in eadem die, ad honorem Dei, et beatæ Mariæ; et memorati sancti, omniumque sanctorum, cibo et potu solemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa sancto suo exhibebat annis singulis, eidem remunerare volens, mortis suæ, quæ in anniversario ejusdem festivitatis die futura erat, illam præsciam fecit, die quadam ante festum : unde ipsam Spiritus prophetiæ participem fuisse non incredibile est. Illa autem viro suo et filiis suis, et omni familiæ suæ, quod sibi revelatum fuerat, indicavit. Cunctique admirantes, et primo non credentes contingere sicut prædixerat, postea magis admirati sunt. Porro vigilia festivitatis imminente, febris artus occupavit. Die autem festo, post celebrationem Missæ, corpus Domini sibi afferri devotissime petiit : quod et factum est. Deinde sacrosanctæ Unctionis munita sacramento, cum accepisset Eucharistiam, universos clericos secundum consuetudinem ad cœnam convocari fecit. Illis autem recumbentibus, filium suum Guidonem primogenitum advocavit; intimans ei, et sollicite inculcans, ut statim clericos refectione completa, ante se convenire faceret. Ille autem benignæ matri suæ benignissime obediens, post refectionem clericos in unum convocans, fecit ut mater petierat. Adsunt clerici : quibus congregatis, in spiritu congratulans ancilla Christi, nuntiat dissolutionem sui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea suppliciter exorantes, litaniam incœperunt : cum quibus ipsa, quousque ultimum exhalaret spiritum, devotissime psallebat. Cum vero chorus psallentium jam pervenisset ad illam litaniæ supplicationem, « Per passionem scilicet, et crucem tuam libera « eam, Domine, » necdum cessans a supplicatione, in ipso mortis articulo, in manus Domini commendans spiritum suum, elevata manu signans se signaculo sanctæ crucis, in pace reddidit spiritum : procul dubio receptum ab Angelis, collocatum a Deo cum animabus sanctis, exspectantem cum magna felicitate et quiete resurrectionem corporis sui in die generalis resurrectionis, quando judex et advocatus noster Christus Jesus adveniet judicaturus vivos et mortuos, et sæculum per ignem. In hunc modum sancta illa anima de templo sancti corporis egressa, manus, sicut erat erecta ad indicandum signum crucis, videntibus et admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. »

7. O feminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe patientissimam, charitate devotam! o felix mulier et beata, quæ talem honorem erga Deum acquisisti, ut et diem depositionis tuæ prænosceres, et in tuo felici transitu adeo evidenter super te claresceret signum redemptionis nostræ; signum, inquam, in quo Deus ac Dominus noster pius Jesus, pro salute humani generis pati dignatus est. Fit itaque de migratione felicis animæ gaudium angelis in cœlo; econtra dolor et luctus pauperibus

Digitized by Google

Christi, viduis et orphanis, quorum mater erat in sæculo.

1284 8. Fama autem nuntiante circumquaque obitum illius, abbas Sancti-Benigni Divionensis, Gerannus nomine, vir vitæ venerabilis, statim advenit, sacrum corpus petiit, reliquias ejus thesaurum reputans gloriosum. Impetrato ergo quod petierat, tum pro reverentia sua, tum filiorum cooperante benevolentia, ipse et qui cum eo erant pietatis affectu lacrymis ubertim fluentibus, corpus sanctum, tanquam thesaurum pretiosum, submissis cervicibus secum reportantes, ad castrum Divionense tandem perveniunt. Et ecce omnis populus exierat obviam eis cum crucibus, et cereis, atque ingenti gaudio et veneratione, sacri corporis glebam usque ad basilicam beatissimi atque præclarissimi martyris Benigni, prosequentibus ibidem universis, cum magna reverentia illam sepulturæ dederunt. Post hæc prædictus abbas super sepulturam ipsius sex imagines, in memoriam sex filiorum suorum, fabricari fecit; sicut usque in hodiernum diem evidenter ostenduntur. Illa vero deinceps per quinque annos apparere consuevit filio suo Andreæ, sicut narrat historia domni Guillelmi hominis Dei. Et cum de conversione sua tractare inciperent fratres, apparuit beato Bernardo, dicens : « Fili Bernarde, noli timere, sed viriliter age, et efficaciter imple quod inchoas, quia opus Dei est. Ex hoc enim beatos vos dicent posteri. Ego vero exspecto vos in gloriam Dei » Quo dicto disparuit, et beatus Bernardus magis ac magis in Dei servitio proficiebat.

Incipit prologus in secundo libro.

Pauca de virtutibus beati Bernardi, primi abbatis Claræ-Vallis, pia intentione ad medium deducere volumus, ut per ejus exempla possimus gaudere cum gaudentibus, laudare Deum cum laudantibus. In parte opusculi prima, ingressum nativitatis illius protulimus : hic vero nonnulla miraculorum conferimus, quæ Deus per manus ejus operari dignatus est. Sed quid nobis agendum est? Possumus omnia comprehendere? Nequaquam; quia nobis non crederetur. Perversi sunt filii Adam, sicut fuerunt ab initio. Sed quid inde? Debemus propter incredulitatem eorum silere? Non : quin potius nobis pro posse nostro laborandum est in agro Dominico. Ex abundantia cordis os loquitur. Nos autem quod habemus in corde prolatione dignum, prout ad propositum nostrum pertinet, stylo colligabimus.

Incipit liber secundus.

1. Bonæ indolis puer Bernardus, jam tamen evoluto, ut a patribus nostris accepimus, viginti duorum annorum spatio, eremum petens, fortissimum monachatus propositum cum sociis a Deo sibi datis assecutus est apud locum cui nomen Cistercium : ubi tanta erat tunc temporis penuria temporalium, ut vix possent habere vestes ad utendum ordinate qui ibi convenerant. Enimvero ante adventum ejus eo in loco habitare cœperant nonnulli viri religiosi, sed paucissimi, quibus pius Dominus noster a tempore illo et deinceps procul dubio propter servum suum Bernardum, quem ad eos miserat, benedixit, et sanctificavit locum ipsum; et omnibus inibi commorantibus quidquid necessarium fuit, satis abunde largitus est. Igitur cum esset juvenis sanctissimus in cella Novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt ut visitarent eam, et locuti sunt cum eo. Post signum vero horæ nonæ, reversi sunt unusquisque ad sua, et religiosissimus juvenis ad opus Dei in ecclesiam. Tunc secundum consuetudinem elevans oculos ad cœlum, putans se invenire gratiam Dei sicut et prius, non invenit. Excogitavit itaque in se ipso, hoc sibi pro qualicunque delicto seu peccato contigisse, et non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulo ante per imprudentiam se exposuerat. Qua de causa cum se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta altare, dicens cum propheta : *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc. (*Psal.* VI, 1.) Et cum hoc fecisset per viginti et quinque dies, apparuit ei gloria Domini, et replevit eum, et dedit ei scientiam sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. Sed et alii venerunt visitare eum, et acceperunt **1285** licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cum ad eos duceretur, accepit stupas, et misit sub capucio in aures suas; ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset immunem : sicque venit ad hospites, et fuit cum eis per totam horam, et nihil audivit; non locutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campana, gaudens, et relinquens eos, venit in ecclesiam, gratia sua sibi taliter a Deo conservata. O virum præcipuæ sanctitatis, et dignum memoria, qui sibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, et ædificabit usque in finem, non sibi solummodo, sed infinitis proficuus existens!

2. Post non multum vero temporis abbas Stephanus, honestate morum conspicuus, secundum dispositionem Dei novellæ illius plantationis pater, de fructu quem sibi Deus dederat, cum multiplici augmento oblationem Deo facere decernens, transmisso conventu, inchoavit abbatiam, Firmitatem dictam. Duas quoque alias in brevi, Pontiniacum scilicet et Valiem-Absinthialem, quæ nunc Clara-Vallis dicitur : cui ordinavit abbatem, juvenem sanctæ conversationis, Bernardum nomine, qui fuit ibidem cum sociis suis, multis diebus degens et orans, in fame, in siti, in jejuniis, in vigiliis, in frigore et nuditate, in laboribus plurimis, in diversis augustiis animæ et corporis; divinorum tamen eloquiorum meditationi incessabiliter intentus, de die in diem sensus suos vigilanter emundans, et animam liberans ab omni passibili affectu, impassibilitatis lumine illustrabat. Tantam in primis qui ibi fuerant congregati, passi sunt penuriam, ut cibus eorum esset panis, non de avena (pretiosum namque tale edulium reputarent), sed de mistura qualicunque multo viliori, imo vilissima, utcunque conglobatus potius quam confectus. Folia quoque arborum cocta in æstate pro pul-

Digitized by Google

mentis habebant; in hieme vero, radices herbarum. O quot labores, quot angustias, quot ægritudines, quantas tribulationes, quantasque anxietates, quam graves infirmitatis et indigentiæ passiones in loco prædicto sustinuit Vir beatissimus, et qui cum eo missi fuerant fratres! Fagina, et cæteri fructus silvestres, et quædam alia, quæ terra sponte procreare solet, fercula illis erant mellora; cum carnem, et omnem pinguedinem, ova, et caseum, et vinum omnino non gustassent. Indumenta vero eorum, tam in æstate, quam in hieme, cuculla et tunica, quæ rarissime innovabuntur. Caligis quoque utebantur vilibus, et calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus et dissutis, antequam reparentur, quæ præ nimia corii paupertate ligabant funiculis. O viri generosi et magni in sæculo! Quis ad hæc loca arida et periculosa vos adduxit, nisi ille qui dives erat in cœlis, et pauper humilisque in terris in præsepio recubuit; cui unumquemque vestrum felix mater vestra cum produxisset in lucem, cum maxima devotione obtulit? Quis ergo inseruit vobis animum, ut relinqueretis possessiones vestras, villas scilicet et castella, servos et ancillas, cognatos et affines, conjuges et liberos; nisi ille qui Angelorum et Archangelorum conditor, humanam naturam assumpsit pro salute humani generis?

3. In illa tanta penuria, de qua supra diximus, inter cæteras necessitates, sal die quadam defuit eis. Et vocavit sanctus Abbas unum de fratribus suis, Guibertum nomine, dixitque ei: « Fili Guiberte, accipe asinum, et vade ad nundinas, et eme nobis salem. » At ille respondit: « Ubi est pretium? « Ad quem homo Dei: « Crede mihi, fili, quia nescio tempus, quod aurum vel argentum habuerim. Sursum est enim qui habet peram meam, et thesauros meos in manibus suis. » Tunc frater ille quasi subridens ait: « Si vacuus perrexero, vacuus redibo. » Cui ait Sanctus: « Noli timere, fili mi, sed vade securus. Ille enim qui habet thesauros nostros, sicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, et præbebit omnia propter quæ mitto te. » Ad hæc verba, sumpta pii Patris benedictione, perrexit cum asino ad nundinas, ad castrum cui nomen Risnellum, plus quam oportet incredulus. Sed pius et clemens Dominus non respexit suam incredulitatem, sed consideravit servi sui fidem, et tribuit ei omnem rem, pro qua missus fuerat. Itaque cum castro appropinquasset, **1286** et venisset ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui salutavit eum dicens: « Unde es, frater? aut quo pergis? » At ille respondens, exposuit ei diligenter itineris sui causam, et paupertatem loci, in quo habitabat Pater sanctus cum filiis suis. Quæ cum audisset presbyter, vehementissime compunctus est: et duxit fratrem in domum suam, deditque illi medietatem modii salis, et quinquaginta solidos vel amplius, sicut sæpe narrare consueverat idem Guibertus. Quibus acceptis, cœpit gratias agere Deo immensas, et dicere in animo suo: « Procul dubio verus est sermo quem audivi a Patre meo: sed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, sed incredulus veni huc. » Et valefaciens presbytero, reversus est ad monasterium: quod cum ingressus fuisset, cucurrit ad Hominem Dei, et retulit ei omnia quæ sibi in via contigerant. Cui dixit Pater sanctus: « Dico tibi, fili, quia nulla res tam necessaria est omni christiano, quam fides. Habe ergo fidem, et bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. » A die illa et deinceps, tam frater ille quam alii, verba sancti Patris in majori habuerunt reverentia. O bone Jesu, fidem quam habuit iste Sanctus, quis enarrare potest? Scio, Domine scio, et in me agnosco, quia hoc facere non possum. Si quis tamen super hoc sollicitus est, eat ad bibliothecam, et legat in Scripturis sanctis: quarum lectione plurimum dignoscere poterit, quam charitativus fuerit Sanctus iste et timoratus, ut non offenderet erga Salvatorem suum. Ego enim in præsenti historia non suscepi laudes ejus scribere, sed tantummodo quædam miraculorum sive operum mirabilium referre, quæ Dominus per eum mundo palam facere dignatus est.

4. Quidam de Clementini-Prati fratribus adveniens, visitandi gratia novellam Christi plantationem, honorifice susceptus est, prout fieri potuit: cui, qui in promptu erat, oblatus est dimidius panis avenaceus. Quo suscepto, et cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementinum-Pratum, omnibus inibi habitantibus annuntiavit servorum Christi voluntariam in maxima paupertate abstinentiam, in abstinentia patientiam, in egestate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, et compatientes Clementini-Prati fratres, in eorum subsidium communiter assenserunt. Tunc magister loci illius, Odo nomine, vir venerabilis, dilectus a Deo et hominibus, oneratis equis et asinis panes et cibaria in quadrigis detulit. Tunc vero a die illo usque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communio inter Claram-Vallem et Clementinum-Pratum, quod quando fratres Clementini-Prati Claram-Vallem adveniebant, ita eis deferebatur, sicut uni Claræ-Vallensium in spiritualibus et humanis. Defunctis etiam vicissim redebatur obsequium. In hunc modum pius Jesus magis ac magis providebat servis suis.

5. Advenit etiam mulier quædam centum solidos afferens, quibus contecta est pedum eorum nuditas. Cunctis animalibus carebant, excepto asino, quo Abbas ad visitationes suas deferebatur, lignaque ad necessitates comportabantur. Coacti vero fame, frigore, et aliis indigentiis, Abbati suo conquesti sunt, quod pro nimia paupertate discedere cogerentur. Quo audito, Abbas blande ac leniter consolans eos, Dei timorem et amorem, spem quoque vitæ æternæ et remunerationis divinæ, quantum potuit, insinuavit. Illi vero maxime angustiati, et angustiati dolore multiplici, nullatenus volebant consentire, sed magis volebant Cistercium reverti. Cumque Vir

Digitized by Google

Dei desperationem illorum vidisset, demum convertit se ad orationem. Quo facto, audivit vocem de cœlo dicentem sibi coram omnibus : « Surge, Bernarde, exaudita est oratio tua. » Quod cum audissent fratres, glorificaverunt Deum et sanctum suum Bernardum, dixeruntque ad eum : « Dic nobis, pater, quid petisti a Domino? » At ille respondit : « Quid vultis scire, modicæ fidei? State hic, et scietis postea. » Et cum fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, sed sermonibus sanctis, venit quidam, et obtulit sancto Patri decem libras. Nec mora, Barrensis quidam, cujus filius usque ad desperationem vitæ præ nimia ægritudine **1287** cogebatur, attulit ei tredecim libras, suppliciter postulans ut misereretur filii sui. Quem sanctus Abbas hilarem dimisit, pollicens filium suum sospitem ab eo inveniendum. Revertens homo, invenit filium suum sanitati restitutum, sicut promiserat Vir Dei : qua de causa, postmodum servo Dei uberes gratias exsolvit. Modico tempore interjecto, copiose ac benigne Dei misericordia super hos respexit, ut abundantes æternis et temporalibus subsidiis nihil eis deesset in ulla gratia, secundum illud : Nihil deest timentibus Deum (*Psal*, XXXIII, 10).

6. Post duodecim annos fames in partibus Burgundiæ exorta est adeo valida, ut homines membra propria pene consumerent. Eadem vero necessitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Claræ-Vallis devenit. Unde pro tanta multitudine sanctus Abbas et fratres ejus inierunt consilium, et ex consulto duo millia acceperunt sub signaculo, quatenus et aliis eleemosyna daretur, sed minor. Non enim habebant substantiam, unde omnes sustentari possent usque ad messem : quam tamen pius Dominus sic multiplicavit, ut sufficeret eis post messem, trium scilicet mensium spatio. Acceperunt itaque duo pueri signaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans quid faceret, cogitavit tandem quasi puerum pannis involutum formare de musco, ut hac arte se ab imminenti famis periculo redimeret : quod et fecit. Accepit itaque aliquandiu hoc modo eleemosynam, donec dolus denique deprehensus est. Qua imminuta, cum non sufficeret sibi quod accipiebat, postmodum tam famis angustia, quam morbo periclitans de medio facta est. Qua defuncta, sanctus Abbas prætergrediens, audivit pueros ejulantes pro morte matris suæ, et unumquemque ex itinerantibus causam planctus inquirere jussit. Pueri vero ordinem rei exposuerunt. Quo autito, Vir beatus locum subiens, in quo corpus jacebat, ad orationem se prostravit. Quo orante, mulier tanquam a somno expergefacta, cunctis videntibus et audientibus, qui præsentes astabant, vitæ reddita est, gratias agens Deo et Sancto suo, cujus meritis et precibus ad vitam redierat, prænuntians etiam quanta tormenta pro culpa sua sustinuisset.

7. Quadam die distribuebatur pauperibus in latere montis eleemosyna, pluvia ingruente : ubi forte Sanctus Dei assistens, manu elevata, signum crucis opposuit. Quo facto, visa est pluvia a dextris et a sinitris inopinatum sui ipsius pati discidium, ita ut nec gutta quidem tangeret eos. Rursus tempore messis contigit hoc miraculum. Quadam nocte dormiens Vir beatus monachis circumquaque dormientibus, audivit Angelos in ecclesia voce clara et delectabili Deum collaudantes, et beatam virginem Mariam. Quod cum audisset, occulte surrexit, et pedetentim profectus est ad ecclesiam ; ut in proximo constitutus, videret manifestius quidnam esset. Vidit itaque sanctam Dei genitricem in medio duorum Angelorum, quorum unus in manu sua thuribulum aureum, alius incensum tenere videbatur. Horum altero eum deducente, Vir sanctus quasi a dextris gloriosæ Virginis incedens, ad altare usque pervenit : ubi voce angelica audivit decantari antiphonam, « Salve, Regina, » ex integro usque ad finem. Quam corde tenus retinens, et postea scripsisse, atque Domino papæ Eugenio transmisisse refertur, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias solemnis haberetur, in honore beatæ et gloriosæ Virginis Dei genitricis Mariæ : quod et factum est, ut adhuc plerique testantur (155). In dedicatione vero ecclesiæ Vir Deo dignus proposuit filiis suis sermonem valde probabilem in capitulo Claræ-Vallis ; ostendens mirabiliter, illo suo modo admirabili, quid dedicationis tam solemne mysterium prætenderet in rerum sacratarum superficie, et in actionibus consecrationis tam devotæ. Quædam præterea verba retulit, quæ in ecclesia de recenti acciderant : « Nunc, inquiens, sancti Angeli solemnizationi vestræ interfuerunt, et vos divinitus in suæ cura custodiæ susceperunt. » Adjungens etiam quædam verba, quibus dabatur **1288** intelligi, quod antequam lapidem lapidi in constructione superædificasset, idem locus designatus fuisset. Alio quidem tempore sedens in capitulo Claræ-Vallis, dixit mirabile et valde consolatorium verbum, verbum siquidem amabile, verbum gaudio plenum et consolatione, et valde necessarium. Fortassis namque aliquis erat, quem de recordatione transgressionum, et peccatorum suorum nimietate pœniteret et paveret. « Unde, inquit, desolationem habetis, fratres, et

(155) Paulo aliter hanc historiam refert Albericus in Chronico ad annum 1130 : ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum, audivisse ante horologium circa altare ab Angelis antiphonam, *Salve, regina*, dulci modulamine decantari, primoque credidisse fuisse conventum, ac dixisse Abbati die sequenti : « Optime decantastis Antiphonam de Podio hac nocte circa altare beatæ Virginis. » Dicebatur autem Antiphona de Podio, eo quod Haimerus episcopus Podiensis eam fecerit. Vide notam 14 in serm. in antiph. *Salve, Regina*, supr. tom. III operum S. Bernardi.

Digitized by Google

filii mei? Dico vobis in veritate Christi, si Judas hic esset qui tradidit Deum, ubi vos estis; et ipse misericordiam consequeretur. »

8. Burgundiam, adibat, comitem Forensem et comitem Viennæ pacificaturus. Transiens autem per quamdam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immanissimas, quæ vulgo dicuntur varoli, in nemore proximo desævire. Quod cum audissent socii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dietis vel multo amplius divertere, quam se periculose feris objicere: quibus nolens consentire, respondit, se nunquam divertere tali causa. Nec mora; et ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu, quasi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad sanctum Virum fugerunt, latitantes circa eum, clamaveruntque una voce: « Pater sancte, libera nos. » At ille: « Quid timidi estis, modicæ fidei? » Ad hanc vocem manu elevata, signum crucis feris opposuit: quæ statim factæ sunt tanquam lapides, tanquam nullam penitus habentes nocendi potestatem. Quo signo viso, omnes qui aderant, gratias exsolverunt Viro Dei immensas. Hoc vero audito, vicini valde lætificati sunt: præ timore enim ferarum, egredi non audebant pauciores quam duodecim. Proficiscens inde sanctus Bernardus, venit ad dictos comites. Qui cum pacem ab eis quæsisset, Forensis comes ei humiliter consensit. Comes autem Viennæ improbe refragatus est, dicens, quod nunquam esset cum adversario pacem habiturus, donec eum exsulare coegisset: collectoque exercitu terram illius aggressus est. Tunc Forensis comes timore perterritus sanctum Bernardum exoravit, quatenus ab omnipotente Deo victoriam impetraret. Beatus vero Bernardus victoriam ei confidenter promisit. Hac fide confortatus hostes suos invasit, cepitque comitem; et hostium tantum numerum prostravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujusque victoriæ gratias reddidit sancto Bernardo.

9. Quadam die sedens Vir sanctus in suo Claræ-Vallis capitulo, fecit magnum et mirabilem sermonem: dixitque inter cætera quoddam verbum, in quo omnes qui audierunt valde lætati sunt. « Non, inquit, expaveatis, vos qui præcepta mea tenetis, tormenta gehennæ, nec vos terreat labor quem sustinetis. Dico enim vobis, si perseveraveritis usque in finem, in die iræ Domini reddam animam meam pro animabus vestris. » Quo audito, fratres gratias exsolverunt Deo immensas, qui talem patrem dedit eis. Tunc vero a die illa et deinceps, omnes qui hoc audierunt, firmiter ejus præceptis obtemperaverunt. Et vos, dilectissimi, qui eum non vidistis, scrutari debetis ejus præcepta, et illis diligenter obsequi, ut ejus interventu ad paradisi gaudia pervenire possitis. Vigilate igitur, et orate ne in tormenta veniatis; nam ille qui circuit quærens quem devoret, quærit vos. Scit enim quia per ejus instituta, Deo auxiliante liberati estis de manibus suis. Ait enim apostolus: *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I. Petr.* v, 8).

10 Monachus quidam, nomine Christianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus est Claræ-Vallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris Guido scilicet, et Gerardus, et excommunicaverunt eam (156), dixeruntque ei: « Frater Christiane, ubi est mens tua, et ubi cor tuum? Quare non considerasti **1289** scripturam dicentem, quoniam vinum non est monachorum? » At ille: « Vos fratres spirituales estis, et vinum bibere non vultis; ego peccator sum, et volo bibere vinum. » Tunc dixit Gerardus: Dico tibi, frater Christiane, non videbis fructum ejus. » Post hæc verba reversi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit, et excoluit multis temporibus. Denique mortuus est, et non vidit fructum ejus. Post multum vero temporis, venit custos vineæ ad sanctum Bernardum, et dixit ei: « Pater, vinea nostra anathema est, nec potest facere fructum. » At ille: « Quare, fili? » Respondit: « Fratres tui excommunicaverunt eam, et deinceps fructum non fecit. » Ait illi: « Affer mihi aquam in pelvi. » At ille obtulit ei. Tunc Vir sanctus fecit signum crucis, et sanctificavit aquam. « Vade, inquit, fili, et sparge per totam vineam. » Recessit frater, et fecit juxta præceptum Abbatis; et vinea crevit et multiplicata est, ita ut videntes mirarentur.

11. Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit ponticulum, cui puer supererat: qui statim in fluvium delapsus est, et necatus. Et excitati accurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes: quem sanctus Vir jussit sibi afferri; eoque defuncto oblato, oravit Sanctus. Puer itaque videntibus cunctis qui aderant, et Deum una voce collaudantibus, ad orationem Sancti statim suscitatus est. Tunc a die illa et deinceps Hominem Dei, ut patrem filius affectuosissime diligens, postea profectus in Claram-Vallem, ibi Conversus factus est, dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, et piscatus sicut piscis.

12. Cum pertransiret die quadam circa horam sextam Vir venerabilis, finagium de villa, cui nomen Columbeium in fossa, invenit fontem in itinere suo, a pecoribus conculcatum. Cumque ibi consisteret, jussit sibi et discipulis suis panem ministrari in eodem loco. Illi vero quia locus ille inhonestus videbatur, volebant potius in alium locum transire; dixeruntque ad Hominem Dei: « Non est, inquiunt,

(156) Et tamen ubi actum est de translatione Claræ-Vallis veteris, Bernardo a Fratribus expositum est, alium locum esse spatiosum « ad vineas, » etc., teste Ernaldo in lib. 2, num. 29, supra, qui auctor item num. 48 tradit monasterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias Cisterciensibus ab Innocentio assignatum « cum agris et vineis. » Quanquam apud Cistercienses tunc rarus vini usus erat. Lege Gaufridum supra, num. 2.

Digitized by Google

pater, hic locus idoneus ad manducandum. Transeamus hinc, donec ad locum veniamus, ubi honestius manducare possimus. Locus enim iste coinquinatus est a pecoribus, et juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. » Vir autem Domini noluit acquiescere sermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate et opibus, qui obviam occurrerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos suas. Qui nullatenus voluit eis assentire, præcipiens magis ac magis, in prædicto loco escas sibi præparari. Tunc vero unus ex discipulis suis, Hemericus nomine, dixit ad eum : « Quid est hoc, pater, quod vis facere, quia hic locus fetet, et a pecoribus est coinquinatus ? et tu vis in eo manducare ? » Hunc igitur sermonem cum audisset Vir Dei, ultra sustinere non potuit, sed aperuit os suum, et prophetare cœpit coram omnibus, dicens ; « Audite me, fratres, et qui mecum estis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirent, ut in eo ab infirmitatibus variis curentur. Sanctus est locus, utpote a Domino sanctificatus : « Hoc cum audissent discipuli, acceperunt panes et cibaria, comederuntque cum eo et alii multi ; plures namque venerant obviam, ut supra diximus. Tunc Vir Dei elevans manum suam, signo crucis super fontem edito, benedixit eum, et sanctificavit, dicitque ministris : « Haurite, propinate comedentibus. » Ministri autem hauserunt aquam, et impleverunt scyphos ; et versa est in vinum : biberuntque omnes qui aderant, et gratias exsolverunt Deo immensas, dicentes cum gaudio magno, « Vere homo iste sanctus est, vere Spiritus sanctus habitat in eo. »

13. Igitur Vir beatus post cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Joannem, vocavit, qui dives et abundans erat valde : præcepitque ei ut prædictum locum curaret, et a sorde mundaret, et de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens : « Si hoc, inquit, adimplere nolueris, scias te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvi possis, panniculum non habebis. » Illo autem pigritante, imo nolente jussa beati Viri adimplere, res prout Sanctus **1290** ei prædixerat subsecuta est. Nam in morte de tota possessione sua sudarium habere non potuit, juxta verbum Hominis Dei. Quis hæc sine spiritu prophetiæ Virum sanctum prædixisse dubitet ? Multa quoque dum adhuc viveret prophetavit, quæ in effectum succedere vidimus longo tempore post gloriosum transitum ejus. Nam de fonte prædicto, sicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, si cujuspiam corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione fuerit perfusum, cognitum est a multis, in melius reformari. In potu quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitati prosunt. Nam et si quis febris gravi laborans incommodo, inspirante confessore Christi Bernardo, desiderium habuerit hauriendi, protinus et hauserit convalescit, et ita exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis universa incendia repente exstingui. Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accensis, ut potatæ fuerint, dolores compescunt.

14. Fuit vir quidam religiosus. Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is post mortem beati Viri ad eumdem fontem perrexit. Cumque eo infirmitatis locum perfudisset, sanus et incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, et omnino sensu privatus, fonte irrigatus sanatus est. Alius per septennium languerat, qui a parentibus ad sanctum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam, Suynus nomine, longo tempore febri quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit. Quidam vero maxima infirmitate gravatus, cum gustasset de eadem aqua, vermiculus quidam similis locustæ, per os illius omnibus videntibus egressus est, et statim convaluit Mutus etiam, ut aiunt qui viderunt, ad fontem venit, et loquelam recepit. Hæc et multa alia tam a nobis quam ab aliis visa, quibus non credere impium est, ne forte narrationis prolixitate audientibus fastidium generetur, perstrinxisse sufficiat

15. Igitur apud Barrum super Albam erant duæ feminæ, quas duo dæmones vexabant. Deinde parentes adduxerunt eas ad Hominem Dei in Claram-Vallem, ut ab eo curarentur. Et cum portæ Claræ-Vallis appropinquassent, dixit unus ex diabolis ad alterum diabolum per os mulieris : « Oportet me exire de hac muliere. — Quare, inquit alter dæmon, oportet fieri ? » Qui ait : « Bernardum, inquit, non possum videre, nec vocem ejus audire. » Cui ille : « Quam ob rem ? » Qui ait : « Cum esset Bernardus in sæculo, volui eum tentare, et virginitatem ejus auferre. Et cum hoc facere tentarem, dixit mihi : Vade retro, satana. Adjuro te per Jesum, ne me lædas, nec me unquam videas. Et propter hanc conjurationem, oportet modo me exire. » Et confestim egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora. Qui vero præsentes erant, laudantes Deum, dicebant : « Vere sanctus est homo ille, et Spiritus sanctus habitat in eo. » Et cum hæc dicerent, venit servus Dei ad portam, et narraverunt ei omnia quæ audierant et viderant de his duobus dæmonibus. Quæ cum audisset Vir Dei, gratias agens Deo, dixit : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia nunquam dereliquisti me. Tu es Deus solus, tu facis mirabilia magna solus. Tu creasti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te veniat. » Post hanc orationem conversus ad alteram mulierem, dixit ad dæmonem : « O dæmon inimice Dei, exi de femina. » Ad hanc vocem egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora. Tunc omnes qui aderant, benedicentes Deum, gratias exsolventes sancto Bernardo immensas, dixerunt : « Non est in hoc sæculo, et non fuit post Apostolos, qui posset facere quæ iste facit. »

Digitized by Google

16. Beatus Bernardus cum esset die quadam in cella sua cum paucis discipulis, et ungeret sandalia sua secundum consuetudinem suam, apparuit ei diabolus in similitudinem monachi nigri, dicens ei: « Abba, quomodo te habes? Ego de longinquis terris veni ut te viderem, et te calceos ungentem invenio. Non debuisses hoc facere, sed servi et ministri tui. » Cui respondit Vir Dei : **1291** « Ego, inquit, servos non habeo, nec volui unquam habere. Filios habeo, quos genui Christo per evangelium, qui mihi ministrant cum magna charitate et mansuetudine; et ego illos in veritate diligo, et viam regni cœlorum doceo, humilians me ipsum exemplo summi Magistri, dicentis : *Qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Ipse autem multimoda humilitatis exhibitione, imo summe et præcipue sese humiliando, nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Imitando igitur Dominum meum, vilia et servilia opera pro amore ipsius exsequi non tantum non gravat, sed et plurimum delectat. Vade, et dic abbati tuo ut faciat similiter. » Cui respondit diabolus : « Da mihi sandalia ut ungam. » Et respiciens eum Vir beatus, cognovit Spiritu sancto revelante, quod esset diabolus; et ait ad eum, cum indignatione insultando illi : « Non est rectum ut ille qui ab initio in summa beatitudine et pulchritudine creatus fuit a Deo, ungat calceamenta mea, cum sim pulvis et cinis. » Et adjecit : « Vade retro, Satana. Adjuro te per Jesum Christum, ne mihi vel filiis meis in aliquo noceas. » Quo dicto, statim transfiguravit se in similitudinem minuti animantis, cunctis videntibus qui aderant : et statim evanuit ab oculis eorum. Hæc narrare nobis solebat domnus abbas Morensis, Girardus nomine, vir sanctus et verax in verbis suis : cujus verbis fidem non adhibere, quasi ipsi veritati repugnare est.

17. Igitur cum esset quadam die Vir beatus in suo Claræ-Vallensi capitulo, facta est conquestio de quodam monacho, qui scutellas in coquina, secundum Ordinis instituta, cum septimanarius esset, lavare negligebat. Ad quem Vir sanctus : « Fili, inquit, adeo negligens es, ubi majorem deberes habere diligentiam! » Ad hæc ille confusus, ineptum quiddam et puerile submurmurans, excusandi se gratia, vile et sordidum nimis esse dicebat coquinæ officium. Cui Vir beatus respondit : « Fili, nunquid non audivisti quid super hoc asseveret benedictæ institutionis nostræ promulgator Benedictus? Dicit etiam Apostolus, quod *unusquisque recipiet secundum suum laboret* (*I Cor.* III, 8). » Et adjecit Homo Dei, zelo sancto suggerente : « O pessima superbia, peccati initium, radix omnium malorum! unde tibi permittitur contaminare qualemcunque sacrosancti gregis mei particulam? Egredere, egredere Deo adjuvante : hic tibi nusquam et nunquam locus. Fuge, refuge ad eum qui tecum et per te de cœlo descendit. » His dictis, itidem monachum taliter aggressus est : « O miser homo, imo miserrime hominum, nisi tibi propitietur Omnipotens! Ubi est mens tua? ubi est religio tua? Vide ne seductor humani generis in superstitionem transformetur. Unde tibi tanta, tamque enormis negligentia? O quam periculosa, quam abominabilis exaltatio! Quare non attendis illud evangelicum : *Qui se exaltat, humiliabitur;* et ab oppositis, *qui se humiliat, exaltabitur?* (*Luc.* XIV, 11.) Fili, audi sermonem meum. Dico tibi in verbo veritatis, testem proponens Deum et conscientiam meam, quod si ex radice veræ humilitatis hujuscemodi humiliatio procederet, lucrum salubrius atque gloriosius operareris animæ tuæ, scutellas et cochlearia lavando, et cætera quæ ad officium coquinæ pertinent diligenter exsequendo, quam frequenter, prout plerisque contingit, assistendo sive ministrando altari. Labora, fili, labora, et in mansuetudine operare quod tibi secundum Ordinis instituta, et ordinem vicis tuæ injunctum est. Quanto enim vilior erit labor tuus in conspectu filiorum hominum, tanto pretiosior erit in conspectu Angelorum. De cætero, secundum apostolicam traditionem laborare nos ex necessitate condecet. Ait namque Apostolus : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III, 10) : item idem de eodem : *Laboret unusquisque operando manibus suis quod bonum est* (*Ephes.* IV, 28). Et quid melius quam servire in commune fratribus suis? Hoc siquidem faciunt coquinæ hebdomadarii. Esto igitur, fili, esto promptus ad lavandum scutellas, sicut strenuus es ad manducandum quæ tibi in eis apponuntur. Labora, et sic securius manduca. Scriptum est enim : *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII, 2). » Hujusmodi verbi sancti Patris, et ille in quem facta est invectio de cætero, correptus, et cæteri qui præsentes aderant, plurimum ædificati fuerunt.

Cætera desunt.

Digitized by Google

PHILOTHEI MONACHI,

DE VITA ET MORIBUS SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

CARMEN ENCOMIASTICON.

1292-1293 PROLOGUS

Inclyta dum tenui molimur gesta susurro
Dicere, Mæoniis emodulanda sonis :
Quid nisi Trinacrios revocare ad littora fluctus
Nitimur, et modicis imposuisse cadis?
Scilicet ipse rudes necdum formare loquelas
Doctus, et agresti concrepuisse lyra,
Principis ætherei titulos, qui laudibus omnem
Excessere modum, sacraque gesta canam?
Quis ferat exsilii Codrum temerasse camœna
Acta, Sophocleo condecoranda sono?
Non secus ac Phœbo si persequar addere lumen,
Hinc atque hinc sannæ rhinocerotis erunt.
Non igitur, Bernarde, tuas mihi promere laudes
Fas erit, et tremula concinuisse cheli.
Candida laurigeri referant tibi carmina vates :
Nos inopes animum corda precesque damus.
Talia jam positis agitaram mente tabellis,
Arguerantque animos crimina nostra leves :
Cum mihi blanda quies victis subrepsit ocellis,
Et tenuit placidus pectora lassa sopor.
Tunc Dea, cui tellus, cœlum cui militat omne,
Virgo mihi tales fundere visa sonos.
Stulte, tui nobis prohibes quid carminis usum?
Quidve sacerdoti munera grata meo?
Incipe : Bernardi, si nescis, gloria nostra est ;
Quidquid habet nostro rivus ab amne trahit.
Hoc mihi Joannes nunquam fuit arctior ille,
Qui datus est vitæ duxque comesque meæ.
Ille quidem dulces mecum permansit in annos,
Virginis intuitu colloquioque fruens :
Hic autem cœli cum jam data sceptra tenerem,
Promeruit vultus cernere sæpe meos.
Ille erat intacti custos mihi corporis unus,
Hic nostri curam nominis usque gerit.
Sed quid plura? animis paribus mihi junctus uterque :
Nec minus ille mihi, nec minus iste placet.
Vixit uterque parem Veneris sine crimine vitam,
Virginitas bini pectoris una fuit.
His Deus æquilocas sublimi in vertice sedes
Contulit, et lateri jussit adesse meo.
Eia age, quosque Pater tribuit mihi laudis honores
Sumat, et alternas detque feratque vices.
1294 Aspicis egregia quos condidit arte libellos,
Quo referant cantu nomen in astra meum?
Spiritus illa animis bene profectura malignus
A Scripta tulit, laudes quæ cecinere meas.
Proque pio Iliadem Danaosque induxit Jesu,
Abdideratque mei mystica dicta senis.
Dumque homines nugas miseri sectantur inanes,
Hæc pene in nullis scripta fuere locis.
Non tulit hoc summi temerata potentia sceptri,
Perfidus ut nostras hostis haberet opes.
Ipsa etenim tacito monui spiramine quemdam,
Qui mihi præcipuo munere vinctus erat :
Ut pia dispersos revocaret cura libellos,
Scriptaque sidereas quæ docuere vias ;
Efficeretque, die caderent ne exesa vetusto,
Imprimeret brevibus sculptor ut illa notis.
Et quia tam longo fuerat vitiata recessu
Littera, judiciis tergeret ante suis.
B Hæc ego quæ tantos illum tolerare labores,
Hæc ego te faciles hortor inire modos.
At metuis ne forte rudi perarata cothurno,
Livor edax tetrico carmina dente petat,
Atque supercilio tua respuat orsa tumenti,
Contendatque leves ista decere viros.
Nec ferat Aonias monachum revocare sorores,
Quas semel inviso jussit abire pede.
Euge, supervacuis horum latratibus obstat
Perpetuo vates junctus amore mihi,
Qui ferrugineis niveos superaddit amictus ;
Inclyta Carmeli tegmina montis habens :
Qui mea dulcisono celebravit carmine gesta,
Stridentesque trucis Costidis ære rotas.
C Ille dabit faciles auras, portusque secundos,
Hoc duce Scyllæos transgrediere canes.
Aspicis ut clara stolidos ratione retundat,
Garrulaque opposita clauserit ora manu?
Hic mihi de mundi revocatus turbine plaudit,
Atque meum dulci concinit ore decus.
Fare, age, virtutum cumulis et laudis honore,
Quem deceat vati præposuisse meo?
Nam si grandiloquo liceat conferre Maroni,
Carmina quod paribus cantet uterque modis ;
Hic tamen æternis tantum virtutibus illo
Clarior est, quantum noctibus alma dies.
1295 Nam quæ dona meo potui præstare clienti,
Quæ minus illustrem constet habere virum?
Quæritur eloquio quantum valet ille nitenti?
D Talis Aristocles, Mæoniusque fuit.
Quæritur innocua quantum probitate coruscat?
Elias ardenti talis in axe fuit.

Digitized by Google

Hic docet angustum virtutis scandere culmen,
Et celerem vitiis imposuisse modum.
Nil nisi quod rigidi possint laudare Catones,
Nil nisi sacrato Christus in ore sonat.
Hic mea dum celebri repetit præconia cantu,
Mille mihi æterno junxit amore viros.
Huic ego sideream tanto pro carmine sedem
Constitui, et regni gaudia summa mei.
Hunc tamen assiduo Bavius livore fatigat,
Ingenio æquarit cœlica tecta licet.
An tibi quem nullo decoravit schemate Christus,
Defuerint avidi murmura torva canis?
Celsior humanos pessundabat ille favores,
Solaque perpetuæ præmia lucis avet.
Illius exemplo nugas contemne loquaces,
Namque magis virtus pressa micare solet.
Invenies omnes florenti laude verendos
Invidiæ facibus succubuisse viros.
Gaude igitur tanto quod te dignamur honore,
Ut tibi sit noster causa ruboris amor.
Incipe jam tali ductus stratagemate, quamvis
Vaniloquus nullam donet Apollo lyram.
Nostra secundabit cursus Cynosura patentes,
Ut levius cœptum perficiatur iter.
Nulla tuæ est, fateor, nulla est facundia linguæ,
Nec Deus eloquium, sed pia corda probat.
Graminibus pecudes pascuntur, rore cicadæ,
Quadrupedum tigris sanguine, corde Deus.
Solve igitur propero tenuem de littore cymbam :
Deducent cursus flamina nostra tuos.
Dixit, et aereas fuerat jam lapsa per auras,
Cœperunt sensus cum vigilare mei.
Grande opus aggredior, veniam date jussa sequenti :
Cogitur invito currere musa pede.
Quæque levi quondam latitans epigrammate lusit,
Nunc graviore meat Calliopæa gradu.
Non tamen acta suo digesta ex ordine dicam,
Pauca sed e plena margine mira loquar.
Interea nostro, Pater o venerande, labori.
Annue, et, o sacri Doctor amoris, ades.

CAPUT PRIMUM.

Divi Benedicti pro instauratione monasticæ religionis ad Deum supplicatio, et accepta a Deo promissio.

Astra decem celeri penetrarant sæcula cursu,
Bis totidemque pari lustra peracta pede,
Ex quo lethiferi resecans contagia morbi,
Christus ab intacta Virgine natus erat :
Cum genus omne boni facinus, mortale fugarat,
Fœdaque terrigenis gaudia numen erant.
Undique livor edax, feritas, discordia, lites,
Pestis, bella, fames, et metus hostis erat.
Omnibus occiderat Superum reverentia terris,
Et decus et priscæ religionis amor.
Quin etiam ruptis errabat pauper habenis,
Sancte, per anfractus grex, Benedicte, tuus.
Rarus et incertus monachus statione peragrans,
Non dabat auctori debita vota suo.

A Tunc proprias Benedictus oves miseratus, Olymp'
Dicitur his Regem sollicitasse modis.
Maxime Rex, parent cœlum cui terra, fretumque,
Omnia qui nutu dasque regisque tuo :
Aspicis ut longo probitas male frigeat ævo!
Aspicis ut toto ferveat orbe scelus!
Cernis ut adversis agitetur fluctibus omnis
Relligio, et nullo milite fulta cadat!
Ille meus quondam teneris bene cultus ab annis
Quo fugit antiquæ religionis honor?
Quemque ego tam lata moriens ditione reliqui,
1286 Ordinis, heu! nostri dic mihi fervor ubi [est?
Jam mea progenies tandem, nisi protinus illi
Prospicis e summo culmine, pulsa cadit.
B Surge, age, jamque hominum sortem miseratus acerbam,
Erue de tantis pignora nostra malis.
Dixit, et ex alto totum qui temperat orbem,
Accepit tales protinus ore sonos.
Optime dux, vario cœlum qui milite comples,
Qui fueras nostræ pars modo prima ratis :
Parce pio, Benedicte, metu, nam morte tuorum
Mœnia sunt ducibus restituenda meis.
Mœnia quæ tantis agitata furoribus ardent,
Mœnia quæ Petri jacta fuere manu.
Respice quem teneris puerum mihi mater ab annis
Obtulit, et patriam Gallica terra dedit.
Spiritus hunc pleno radiatum pectore sanctus
C Efficiet Mosi relligione parem.
Cernis ut ille meis stimulis agitatus amoris
Jam terat assiduo limina sancta pede!
Aspicis ut pulchro rutilet sub pectore virtus!
Inspice venturum ut testificatur opus.
Niligenas tanto monachorum principe cœtus
Restituent septis tempora læta tuis.
Angelicis postquam compleverit omnia turmis,
Desieritque tuam composuisse domum :
Tunc etiam Petri nimium jactata quiescet
Hujus ab auspicio tuta carina Viri.
Solus sic ingentes monachus tractabit habenas
Orbis, et extremo jura sub axe dabit.
Quæque vides tumidis consurgere viribus arma,
Pax erit illius conciliata fide.
D Aurea tunc placidis consurget moribus ætas,
Et mea terrigenis gratia major erit.
Quin etiam extremi bonitas cum tempore sæcli
Nulla erit, et toto fugerit orbe fides :
Aureus ecce tuo surget de vimine palmes,
Siccaque nectareus perfluet ora liquor.
Urbs Patavi illustres præbebit palmitis ortus,
Hinc feret auxiliis germina læta meis.
Ipse etiam tanto producet fenore fructus,
Ut fateare tua non eguisse manu.
Quare age, tam clari proles ne germinis unquam
Deficiat, nullo sollicitere metu.
Hæc ait, et summo Paracletum mittit ab axe,
Bernardumque suo concremat igne Deus.

Digitized by Google

CAPUT II.

Bernardus quatuor germanis fratribus in eadem sententiam adductis, religionem ingredi statuit.

Ille Deo plenus, faciem moresque pudicos
Induit, et mentis improba sensa fugat.
Jamque puer tenero claudebat pectore numen,
Et decor egregii maximus oris erat.
Hunc qui solerti spectabat lumine, dixit :
Et speciem, et mores virginis iste gerit.
Candida cui roseo facies suffusa rubore,
Et gravitas dulcis mista lepore fuit.
Prima juventa gravi volvebat seria sensu,
Quæ solet in faciles luxuriare jocos.
Terræ fixa acies, modici sine murmure risus,
Ista verecundi signa pudoris erant.
Grata quies animi fuerat, solusque peragrans
Sæpe dabat querulo talia corde puer.
Cur, mea mens, brevibus miserisque exercita curis,
Excipis humanas irrequieta faces?
Quando erit ut posita variorum mole laborum,
Discat in auctorem vita redire suum?
Si cupio excelsi spectare cacumina cœli,
Deprimis innata conditione caput.
Hinc pater, hinc genitrix, atque hinc mea cura [sodales
Distrahit, et sensus quæque favilla tuos.
Sed Deus ipse via qua sit mihi monstrat eundum,
Et reserat sacræ relligionis iter.
Nuper structa humilis latitat sub paupere tecto
Sancta quidem, sed non ambitiosa domus :
1297 Cistercique patres habitant ea limina pauci,
Instituunt leges qui, Benedicte, tuas.
Hic ego cœlitibus figam mea limina regnis,
Hæc requies nostri sola laboris erit.
Si mihi nostra ferant peregrinos arva lapillos,
Sitque meum toto quidquid in orbe patet;
His tamen æternos pudeat conferre triumphos,
Gaudiaque extremum non habitura diem.
Quid moror, ah! demens, vel quid data tempora [perdo?
Plurima commissis addidit una dies.
Talia flammato librarat pectore dicta,
Propositique gravem fixerat inde pedem,
Cum juvenis tenera superatus imagine fratrum,
Flevit : Et hæc, dixit, præda petenda mihi est.
Dixit, et in Superum germanos regna ciebat,
Sic repetens animo gaudia nata suo
Nuper in adversis errabam naufragus undis,
Nunc mihi cœlestis meta reperta viæ est.
Meta reperta mihi est, quæ cœlibis otia vitæ
Explicat, et tutum relligionis iter.
Hanc igitur mecum celeri contendite cursu
Arripere, et tanti lucra referre boni.
Et Deus, et cœli nostri sunt causa laboris,
Efficient pugnam præmia tanta levem.
Quis furor est opibus animos servire caducis,
Quos Deus in Superum regna beata vocat?
Cur igitur, fratres, cur vos terrena morantur
Hospitia? infesto solvite colla jugo.

A Nec mora, tam facili germanos voce coegit
Annuere, et proprios deseruisse lares.
Tunc, modo suppressus, vicina involvere tecta
Incipit, et lato spargitur ore focus.
Namque pares sancta socios ut quæreret arte,
Augeretque suo regna superna grege,
Conspicuum forma juvenem, decus omne suorum,
Non puduit medio spargere verba foro,
Et modo cœlestes populis memorare triumphos,
Et modo Cerberei regna tremenda canis.
Artifici innumeras gentes sermone trahebat,
Sola docens summi castra sequenda Ducis.
Illic condensas glomerabant agmina turbas,
Quocunque optatos verterat ille pedes.
Tunc comitum illustris numeroso ex agmine cœtus
B Hæsit, et huic firmo fœdere junctus erat :
In quodcunque velit, pedibusque animisque paran
Deduxisse bonum relligionis opus.
Una omnes parili socios fervore voluntas
Junxerat, immensum compuleratque gregem.
Omnibus una domus fuerat, cibus omnibus unus,
Vitaque divini plena timoris erat.
Utque petens sparsam gelidus gladiator arenam
Apta prius vacuis ictibus arma probat :
Sic juvenes validis monachorum tela lacerti
Torquentes vitiis aspera bella movent.
Sicque prius, sacras posito quam murice vestes
Induerent, veteres deseruere vias.

CAPUT III.

C *Bernardus cum sociis amplius quam triginta in Cisterciensi cœnobio habitum induit, ibique brevi, sanctitate mire proficit.*

Jamque dies votiva aderat, qua sancta renasci
Debuerant animo pectora juncta pari,
Cum puer ipse, virum celebri comitante caterva,
Sidereumque polo jam resonante melos,
Clauditur in septis, veteremque exutus amictum
Tegmina jam sanctæ rusticitatis habet.
Cellula parva novæ capiebat tempora vitæ,
Cellula judiciis semper amata suis.
Hic didicit summi penetrare cacumina cœli.
Hic didicit culto quidquid ab ore fluit.
Hic didicit curare novo ceromate morbos,
Solus et exstinctam vivificare fidem.
D Munera tanta quidem modicos bene culta per annos
Donat amatori cella beata suo.
1298 Dicite vos avido teritis qui compita passu,
Qualia clamoso lucra reperta foro?
Non ille ingenium vario problemate cœpit
Obruere, aut studiis illaqueare novis.
Cura prior stimulos Veneris domitare furentes,
Atque animi motus composuisse fuit.
Cura prior tristi luerent ut crimina planctu,
Quam caperent tumidum pectora læta sophos.
Cura prior Superum nitida caligine pectus
Induere, et sensus mortificare suos.
Christus ob id tanto replevit honore Clientem,
Sæpe ut cœlestes cerneret ille choros.
Quid referam, quoties summi Regina theatri

Digitized by Google

Nectareos illi visa movere sonos?
Sæpe suum Virgo famulum venerata, solebat
Visere, et ambrosias sæpe referre dapes.
Nunc age, qualis erat meditanti in pectore virtus
Accipe, nam brevibus persequar ipse modis.
Ante salutarem curvato poplite Christi
Effigiem lacrymas, vota, precesque dabat,
Confixasque truci spectabat vulnere plantas,
Ossaque distinctis dinumeranda notis.
Jamque gemens tremula fundebat voce querelas,
Verbaque montanas apta movere feras.
O decus, o nostri lumen, Christe, doloris!
O mihi tam duro parta labore salus!
Felix, si tantas in me convertere pœnas,
Et liceat misero si mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus:
Christe, tamen dentes obstupuere tui.
Sidera, terra, fretum, Domini miserescite vestri,
Flete meos casus, sidera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Domini pendentis imago
Solvit in amplexus brachia mota suos.
Talis in excelso regnabat Principe virtus,
Talis in ardenti pectore fervor erat.
Sic novus interno gaudebat nectare miles,
Intimaque æternus strinxerat ossa calor:
Ut mortale nihil saperet, terrenaque semper
Dediscens, Christi raptus amore foret.
Noctibus in lacrymas faciles solvebat ocellos,
Et minimi durus criminis ultor erat.
Carnibus abstinuit, magnique abdomine piscis,
Sedabatque sitim simplicis humor aquæ.
Artibus his summam virtutum venit in arcem,
Sic peragens lætos prima juventa dies.
Vixerat hic dulces jam dudum inglorius annos,
Tempora sed veræ plena quietis erant:
Cum Deus ipse pio disponens omnia nutu,
Bernardum ex humili jussit abire loco.
Nomine Clára quidem, sed clarior omine Vallis,
Consita vicina sub regione fuit.
Missus in hanc sacras referens Pater optimus artes,
Condidit imperio claustra regenda suo.
Perfidus, et scelerum defessus mole suorum
Huc veniens, posito crimine tutus erat.
Quique peregrino rutilabat murice quondam,
Hic didicit cultu pauperiore tegi.
Nec pudor, hic curvis agitare ligonibus arva,
Et trahere invitos sub juga panda boves.
Hic spes vera, fides, probitas, reverentia, cultus,
Et decor antiquæ religionis erat.
Vestis dura, cibus tenuis, rigidique labores,
Semper et exhibitis condita claustra feris.
Vix dabat assiduo defessus vomere fructum,
Sic locus hic sterilis pauperiorque fuit.
Quæque solent miseris præstare cubilia frondes,
Hæc etiam monachis fercula læta dabant.
Omnis odoratis populus virtutibus ibat,
Gaudebatque levi subdere colla jugo.
Nunc ego quæ latitans claustro miracula Sanctus
Ediderit, populis concelebrata canam.

A Non procul inde virum nimio circumdedit æstu
Febris, ut extremam crederet ire diem.
Non ille Æmonio potuit medicamine morbus
Curari, aut medica convaluisse manu.
1299 Itur ad excelsi veneratas militis ædes,
Auxiliumque humili poscitur ore pium.
Ille erat, lacrymisque Deum precibusque rogarat,
Ut celerem moriens sumeret æger opem.
Protinus ex alto languens resilire cubili
Cernitur et valido quolibet, ire pede.
Hinc jam Bernardus toti innotescere mundo
Cœpit, et ex illa clarior esse die.
Undique vicinas volitabat fama per urbes,
Miraturque novæ quisque salutis opus.
Audiit, et læto properat Germania cursu,
B Quique colunt fines, Bœtica terra, tuos.
Ille oculis captam matrem, nunc ille parentem
Advehit, extremo currit ab orbe miser.
Spirituum tetro vexatus quisque furore
Pergit, et infesto liber ab hoste redit.
Loripedes etiam plures lectica vehebat,
Ut pia naturæ dextra novaret opus.
Ille crucis tantum decorabat pectora signo,
Sic poterat placita quisque salute frui.
Æger Apollineas doctique Machaonis artes
Qui coleret, toto nullus in orbe fuit.
Tanta inerat facili sermone potentia Sancto,
Tam celeris sacro venit ab ore salus.

CAPUT IV.

C *Bernardus Innocentium pontificem maximum adversus schisma Petri Leonis egregie tuetur, eumque Sedi apostolicæ mirabiliter restituit.*

Interea Latias gladiis stridentibus urbes
Exagitat stygio missus ab amne furor.
Romaque tartareis nimium vexata colubris
Frendet, et insana seditione furit.
Quodque Panophæi lacerabat templa Tonantis,
Fœdifragum Petri schisma Leonis erat.
Hic male, dum veterum titulis et laude superbit,
Pontificis summos pugnat adire gradus.
Cumque alius, sacro procerum dictante senatu,
Debuerat sedem, Christe, tenere tuam:
Ille tamen diro prosternens omnia ferro,
Immeritum templi jus dabat omne tui.
D Jamque sacerdotes præstanti laude verendos
Expulerat, sancta solus in Urbe potens.
Quique Leonigenas renuerunt sumere partes,
Proh facinus! gladio succubuere truci.
Ensibus hic tum ido bacchantibus agmine, Christi
Viscera, Romanæ diripiuntur opes.
Nec furor hanc belli pestem intra mœnia clausit:
Gorgoneum toto virus in orbe fuit
Nam qui legitimas Pastor retinebat habenas.
Multa dabat meritis templa regenda viris.
Perfidus at contra temeratis legibus alter
Templa sacerdotes jussit habere suos.
Ergo hinc Christicolas volitabant bella per urbes,
Dum cupit alterno quisque subesse duci.
Sicque per ambiguas errabat cymba procellas,

Digitized by Google

Ut foret incerto jam peritura mari.
Ipse Pater veræ fidei, pecorisque magister
Vix poterat propria delituisse domo.
Quid faciat? timido repetat si remige portum,
Certat in adversas ire magister aquas.
Deserat ipse ratem mediis Palinurus in undis?
Hoc prohibet sanctæ relligionis amor.
Sed tandem rabidi defessus marte Leonis
Cedit, et Etrusco vectus ab amne fugit.
Sic tamen interea lacrymis affatur obortis,
Quos dederat profugæ Christus inesse rati.
O socii adversa felices sorte futuri,
Dummodo siderei sint rata dicta Ducis.
Auxilium sancto, nisi sit spes victa, labori,
Fidite, cœlesti semper ab arce venit.
Maximus ille pater Gallorum gloria regni,
Cujus tam toto nomen in orbe micat:
Ille quidem lapsis poterit succurrere rebus,
Hæc requies longis sola reperta malis.
1300 Hunc etenim virtute Virum signisque potentem
Quis nescit facili volvere regna manu?
Hic ego securo statuam sub sidere puppim,
Hic poterit placido tuta latere vado.
Nec mora, Thyrreno spumantibus æquore rostris
Excepit profugum Gallica terra ducem:
Sicque peragrato Gallorum limite summus
Candida per silvas Pastor ad antra venit.
Occurrunt longo venientibus ordine Patres,
Prævia Christiferæ signa fuere crucis,
Psallentesque pio mulcebant nubila cantu:
Talis in abjecto milite pompa fuit.
Hos Romanus eques nimium nimiumque beatos,
Quos videt in tantâ degere pace, vocat.
Et modo continuis celebrata silentia claustris,
Et modo Parthenii laudat honoris opes.
Nil ibi quod rapida cuperet novus advena mente,
Nil nisi præcipui candor amoris erat.
Panis, poma, nuces, hortensisque herba, legumen,
Deliciæ adductis ista fuere viris.
Maximus interea Christi sua fata Sacerdos
Tam longæ causas exposuitque viæ.
Tunc Pater ipse sui veritus mandata magistri,
Accepit profugæ vela tuenda ratis.
Non ego multiloquo septem tolerata per annos
Carmine fata notans singula quæque canam.
Nec referam longos quos pertulit ille labores,
Dum cuperet laceram composuisse fidem.
Summa sequar tantum celebris fastigia facti,
Atque inerit chartis exitus ipse meis.
Imperium tenuit Romano in culmine summum
Lotharius tanti tempore discidii.
Ille Virum merito sanctum celebrabat honore,
Congaudens lateri semper adesse suo.
Hunc adiit, rogitatque senex, ut fortibus armis
Restituat patriæ sacra deosque suæ.
Annuit, et valido glomeratis agmine turmis,
Aggreditur sanctæ Rex pietatis iter.
Hinc precibus meritisque Pater Bernardus opimis,
A Atque hinc Lotharii castra fuere ducis.
Sic graditur summus Romana ad tecta Sacerdos,
Hinc atque hinc duplici tutus ab arce sedens.
Ventum erat ad summi celeberrima templa tonantis.
Vera loquar, facili sed graviora fide.
Non lituos, non castra duci, non bella movere,
Non opus ardentem conseruisse manum.
Unius, o felix, monachi reverentia tantum
Terruit audaces sæva per arma viros.
Ipse autem tanti fuerat qui turbinis auctor,
Audiit hos simili tristis ab ore sonos.
Petre, tuam subito licuit mihi scindere vitam,
Et Phlegetontæo præcipitare lacu:
Tu tamen, ut gemitu veniam merearis acerbo,
Tres tibi pro grandi munere sume dies.
B Dicta fides sequitur: jam tertius ordine Titan.
Fulserat, extremum clausit et ille diem.
Protinus expassis reservantur ovilia valvis,
Et refovent sparsos lata per arva greges.
Quod fuerat rabidi sanctum lege Leonis,
Dejicit hoc summa Præsul in Urbe sedens.
Jam poterant læti tractare negotia cives,
Et rigidam tandem vertere arator humum.
Omnibus hic igitur placida sub pace locatis,
Sanctus in optatos se tulit inde sinus.

CAPUT V.

Bernardus, Romana Ecclesia felici pace donata, in Galliam honorifice rediit: ibique sanctissimam Domino animam reddidit.

Prætereo eximii tacitus miracula Patris.
C Quæ fuerint longæ tempore facta viæ.
Felices etenim nimium, nimiumque fuere,
Hospitio illustrem qui tenuere virum:
Quique sacrum voluit populus retinere parentem,
Obvius in longas ibat ab urbe vias.
1301 Gaudia quisque novo gradiens testatur amictu,
Occurritque pio virque, puerque seni.
Luctus abit, lætis resonat concentibus æther,
Festaque depositis artibus hospes agit.
Undique purpureos spargunt per compita flores,
Et redolent sacris thura perusta focis.
Perque vias pueri ramos stravere virentes,
Compita subjectis tecta fuere rogis.
D Sic quondam Solymis, inopem quem vexit asellus,
Excepit reducem grata caterva Deum.
At postquam optati consedit limine tandem,
Hospitii, plaudens undique turba ruit.
Undique turba ruit tanto glomerata tumultu,
Ut nequeat lassum limine ferre pedem.
Tot quoque difficili languentia corpora morbo
Obtulerant, facili restituenda manu.
Ut male vel modici fuerit data copia somni,
Nec tulerit properas mensa peracta dapes.
Sicque peragratis Gallorum finibus, Abbas
Contigit optato claustra beata pede.
Tunc nemora, et patrii lapidosa cacumina montis
Aspiceres domino plaudere cuncta suo.
Utque solet multo non visam tempore matrem

Digitized by Google

Expetere, et plaudens basia ferre puer :
Sic hilares viso monachi pastore resultant ;
Oculaque alternis dantque. feruntque genis.
Tunc, modo qui fuerat titulis super æthera vectus,
Cernere quem magni concupiere duces,
Ecce virum posito spectares præsule sanctum,
Sarcula jam manibus corripuisse sacris.
Et quibus ipse humeris lassus consederat orbis,
Cernitur in texto vimine ferre lutum.
Bis centum æthereo plaudebant agmina Regi,
Quæ bonus ex omni traxerat orbe Pater.
Hæc fuerant tanto populis celebrata favore,
Sic coluit sanctum virque, puerque gregem,
Totus ut ex illo resonans contenderet orbis,
Sacratum pariter detinuisse ducem.
Tunc Romana suo decoranda Antistite templa
Eugenium ex humili subripuere domo.
Tunc etiam innumeræ diversis partibus urbes
Inde sibi sacrum constituere caput.
Talibus acta viris nulla exagitante Charybdi,
Sancta super tenues cymba fluebat aquas.
Aurea jam posito currebant sæcula fastu,
Temporaque hæc nullis nigra fuere malis
Omnia divinas resonabant compita laudes,
Jam dabat angelicum terra fretumque melos.
Hæc tamen ante alias longe celeberrima valles,
Quam coluit magni duxque paterque gregis.
Jamque decem senos lustris properantibus annos
Clauserat extremo curva senecta pede,
Atque senescenti titubantia corpore membra,
Pondere continui fracta laboris erant
Nec tamen austeri laxavit frena senectus
Culminis, aut celeres sistere visa rotas.
Sed velut in viridi properabat sævius ævo,
Ut levis ad palmæ præmia currit equus.
Utque solet cantu modulos iterare canoro,
Dulcius ad mortis limina ductus olor :
Sic dedit ille sonos supremo in limite dulces,
Scriptaque decrepiti mira fuere senis.
Nam Pater æternos senio confectus amores,
Exposuitque sacris oscula lata modis.
Jamque instare videns cœlestis gaudia vitæ,
Imposuit vili languida membra thoro.
Grex bonus ingemuit, circumfususque jacenti,
Talia sollicito murmure dicta dabat.
Ergone jam miseros, Pater o venerande, nepotes,
Fert animus medio deseruisse mari!
Quisnam igitur tristes, vel quis solabitur ægros
Pastor, et ætherei calcar amoris erit?
Quis, Pater, attonitos inopesque tuebitur agnos,
Ne lanient avido viscera dente lupi?
Quis poterit miseris nodos aperire latentes
Legis, et eloquii mystica verba sacri?
1362 Quis tunc torpentes animos, et frigida corda,
Curabitque levi vulnera, nostra manu?
Ah nimium properata tuæ cita tempora vitæ
Ah nimium lethi fata severa tui!
Quid juvat assiduis defessum vocibus, olim
Clavigeram nobis consuluisse Patrem,

A Ne quis forte suo populus pro præsule nostrum
Subriperet sancta calliditate caput :
Invida si nostros nimium populata labores,
Audet honoratum tollere Parca ducem?
Tu tamen, o facili nutu qui sidera torques,
Necte iterum vitæ fila resecta tuæ :
Ut cum fulta tuo fuerit domus ista labore,
Lætior acceptum cernat abire patrem.
Motus erat dictis senior, paulumque levatis
Luminibus, tenui rettulit ista sono ;
Jam mihi summa quies, jam præmia læta parantur,
Dulcis adest tandem funeris hora mei.
Sed vos femineo quid funditis ore querelas?
Quid juvat immeritum detinuisse senem?
Anne prius toties dixi mea funera vobis,
B Ne subitus nimium læderet ossa dolor?
Christus, Olympiaca fuero cum sede locatus,
Auxilium nostro majus ab ore pluet.
Nunc meus hic luteo circumdatur aggere sensus,
Vix habet unde suas contueatur opes.
Vos tantum superi retinentes jussa Parentis,
Ite per arreptum relligionis iter.
Non vos blandus honor, non vos labor improbus un-
[quam,
Non revocet toto quidquid in orbe patet.
Quid mihi si lituos inter facilesque choreas,
Duxissent lætos tempora nostra dies?
Quid mihi præteriti prodessent gaudia fastus,
Urgerent stygias si modo ferre faces?
Sed tandem tremulum vocat in sua regna clientem
C Christus, et hinc celeri me jubet ire pede.
Vos igitur, fratres, nati, patresque valete,
Et mea sub memori condite dicta sinu.
Talia vix brevibus dederat mandata loquelis,
Saucia sollicito corda dolore levans.
Cum niveus lacrymas inter gemitusque suorum
Spiritus abjecto corpore celsus abit.
Ipsa per aerios Virgo nitidissima tractus,
Visa est cœlestes ducere læta choros :
Purpureamque trahens animam super arce vocavit
Empyrea, latori composuitque suo.

CAPUT VI.

Sanctus Bernardus non tantum antiquis heroibus, sed christianis quoque martyribus jure optimo præponitur.

D Hactenus excelsi mirabar Cæsaris arma,
Cui dedit æthereum Martia Roma decus :
Annibalisque trucem Romano in sanguine dextram,
Et Macedum clari gesta superba ducis.
Mirabar patria pro libertate furentes
Scipiadas, Decios, Æmiliosque graves.
Nec minus ingenti decoratum laude fatebar,
Qui fortem rapido torruit igne manum.
Cuique dedit clarum generoso ex ordine nomen:
Africa, quo felix consule Roma fuit.
Et qui sublicium tutatus pectore pontem,
In Tiberis rapidas desilit actus aquas.
Quique Quirinalis posito modo consul aratro,
Arma triumphato victor ab hoste tulit.

Digitized by Google

Et qui vectus equo radians fulgentibus armis,
Se posuit scisso præcipitare foro.
Quique per adjunctas primævo in Marte catenas,
Ionias Tyrio sanguine tinxit aquas.
Illum etiam titulis rebar super æthera vectum,
Qui tenuit Phrygios obsidione lares,
Iliacosque inter proceres, qui Marte superbo,
Inclytus, Æmonio tractus ab axe perit.
Quique giganteo superavit robore monstra,
Unde Molorchæi signa leonis habet.
1303 Hos ego credideram nimium nimiumque [beatos,
Qui tulerant forti nomen in astra manu.
Hos puer egregio simplex venerabar honore,
Cum legeret numeros prima juventa leves.
Nunc si Bernardo veteris præconia famæ,
Contulerimque meo fortia facta seni,
Quæ modo Threicio fuerant celeberrima cantu,
Visa puellari nunc mihi digna sono :
Fama vetus taceat, cedant veterumque triumphi,
Christigenam meritis sollicitare virum.
His etenim fictæ fuerat virtutis imago,
Huic arete (157) pleno pectore vera fuit.
Hic Marti et Phœbo gelidis libamina saxis
Obtulit, hic vero candida corda Deo.
Illi terrificis domuerunt barbara bellis
Mœnia, et ingenti tecta superba manu :
Hic vada tartarei domuit Phlegetontis, et omnes
Spirituum steterant ad data jussa chori.
Hi varios celebri subierunt marte labores,
Pro patria pulchrum succubuisse rati :
Hic tulit assidua gelidos sub morte dolores,
Discissam cupiens conciliare fidem.
Illis falsus honos et inanis gloria famæ,
Solus at huic Christi causa laboris amor.
Forte triumphatis illi regionibus, ampla
Thesauros patriæ dona dedere suæ :
Hic autem miseros moriens dat habere nepotes
Munera quæ nullo sunt moritura die.
Munera, quæ mores instauravere pudicos,
Hæc sunt quæ sacra scripserat ille manu
Sed quid ego Herculeas Pygmæis carmine vires
Assimilo, et Pharios flumina parva mari?
Optima mutato repetam præconia cantu,
Et, Pater, exemplo te meliore canam.
Nam tibi cur vanos ausim conferre Quirites,
Qui major quovis martyre sanctus eras?
Grande quidem fuerat ferro flammisque necari.
Nec tamen æternam deseruisse fidem.
Majus opus summo versari in culmine rerum,
Nec tamen ulla animos ambitione premi.
Majus opus vitæ rigidum tenuisse cacumen
Semper, et angustum relligionis iter.
Bellaque spirituum telis agitata malignis
Majus opus forti corde tulisse fuit.
Fulmineos alii mirentur martyris arcus,
Laurentique avido quos tulit ore rogos.

A Vulnera Chrysogoni jactent, Paulique catenas,
Euphemiæque truci membra resecta manu.
Mirenturque graves sanctorum funere pœnas,
Bella, crucem, gladios, verbera, tela, faces :
Solus inexhausto mirabor corde labores,
Quos Pater æterno raptus amore tulit.
Nam, si Christigenum cædes, tormenta, labores,
Colligit, et fusi sanguinis omne decus ;
Cedent cuncta oneri, quod pertulit ille, beato,
Lapsuram cupiens sustinuisse domum.
Namque alii lacera senserunt carne dolores,
Hic autem medio vulnera corde tulit.
Ergo animus quantum membris generosior ipsis,
Martyribus tantum celsior ille fuit.

B CAPUT VII.

Pulchra commendatio scriptorum seu librorum sancti Bernardi.

Postquam sancta polos, cœlique decemplicis orbes
Transcenditque novem Virgo parensque choros,
Æthereamque potens sociis spectantibus arcem,
Regna tenet nullo destituenda die :
Humanis nunquam precibus nostræque saluti
Defuit, aut luteas spernere visa domos :
Sed potius summi moderata est Principis iras,
Spiculaque in nostros ejaculanda lares.
Auxilium sceleri visa est præstare nefando.
Sæpius, atque humilés conciliasse reos.
Illa dedit miseris veniam, totumque per orbem
Illius ex miti depluit ore favor.
C **1304** Innumeros etiam populos vix ægra trahentes
Ossa fame, immodicas jussit habere dapes.
Cumque foret Latias pestis male jacta per urbes
Curavit stygiis ulcera missa vadis.
Illius optatos toties experta favores
Testis adest tanti Brixia nostra (158) boni :
Brixia, quæ quondam populis lacerata malignis
Turgebat, medica non adeunda manu;
Brixia, quæ capitis medio confecta gerebat
Ulcera, quæ subitæ causa fuere necis.
Nunc antem Mariæ precibus adjuta triumphat,
Et peragit lætis otia grata choris.
Pulchraque præcipuum Mariæ testantia munus
Templa locat, Parii marmoris instar opus.
Hæc et plura parens Christi sanctissima nobis
D Contulit, in miseras officiosa preces.
Hoc tamen audenti liceat dixisse camœna,
Atque animi sensus exseruisse mei
Humano nunquam generi, nostroque decori
Parthenice tantum muneris alma dedit,
Quantum grata suo nuper cum munere nobis
Protulit hæc brevibus scripta legenda notis.
Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva clienti
Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.
Jussit, et ecce novum fuerant quæ sparsa per orbem
Scripta, volens uno margine cuncta leges.
Scripta triumphales cœli reserantia valvas,
Scriptaque communi suscipienda manu.

(157) Virtus.
(158) Hinc conjicere licet, Philotheum Brixiensem, aut certe Italum fuisse.

Digitized by Google

Omnis namque datis ætas, sexusque libellis
Perfruitur, Latio si tamen ore sonat.
Quisquis ades, si forte tuæ tibi cura salutis,
Hæc fuerint animæ grandia dona tuæ.
Si cupis optata connubia ducere prole,
Atque maritali tradere colla jugo :
Hic potes egregios morum decerpere fructus
Qui tribuant natis nomina rara tuis.
Si tamen eloquii tantum tibi cura nitentis,
Hic fuit eximio non Ciceroni minor.
Quod si forte pio juvat indulgere labori,
Et populos Christi jussa docere rudes :
Hic documenta tibi varias spargenda per urbes
Collige, quæsitus hic meliora dabit.
Cum voluit placido demulsit pectora sensu,
Cum voluit rigido terruit ore reos.
Quod si cœlitibus juvat indulgere tuendis,
Tutius atque humili delituisse casa :
Hic tibi præcipuo semper venerandus honore
Auctor, et æterno dignus amore coli,
Hunc relegens summo lætus spatiabere cœlo,
Et poteris stygios tristis adire lacus.
Ante oculos nostri pinget tibi Principis ortus,
Et pastorali numina nata domo
A Hinc atque hinc dulci resonat modulamine Jesus,
Et Maria illustri nomina culta sono.
Candida tartareo statuisse ex hoste trophæa,
Anguigerumque docet dissecuisse caput.
Et quibus ille dolis miseros, quibus artibus alter
Decipiat pascens sancta per arva pecus.
Qui legit, expleri nequit, ardescitque legendo,
Et dolet assueti cum venit hora cibi.
Efficiunt animos aliorum scripta tumentes,
Et nimium sparsis luxuriare comis.
Hæc autem mundo Paracletum in pectore condent,
Accendentque novis frigida corda focis.
Hæc tibi marmoreo lacrymas de pectore dulces
Elicient, animæ gaudia summa tuæ.
Denique cuncta novi veterisque volumina sensus
B Solus hic eximia continet arte liber.
Hæc igitur toto, monachi, contendite cursu
Arripere et tacito condite dicta sinu :
Ut vos sidereum faciant conscendere cumen,
Cœlestesque inter regna tenere choros.
Vos quoque, Christigenæ, genus immortale, clientes,
Parthenicum medio figite corde senem :
Ut cœli terræque graves eliminet iras,
Et reseret clausi limina celsa poli.

NICOLAUS HACQUEVILLE

SACRI SENATUS PARISIENSIS PRÆSES ÆQUISSIMUS,

DE LAUDIBUS S. BERNARDI, ET SITU CLARÆ-VALLIS.

1305 Abdita vallis erat, mediis in montibus alto
Et nemore et viridi tunc adoperta rubo
Hanc Claram-Vallem merito dixere priores,
Mutarunt nomen, Vallis amara, tuum.
Quem licet umbrosi circumdent undique montes,
Nulla tamen toto clarior orbe fuit.
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.
Ad quam, dive pater, primum, Bernarde, colendam
Mitteris : illo jam tempore tantus eras.
Nondum difficilis juveniles liquerat annos
Mens tamen in tenera carne senilis erat.
Tunc fuit incultis hæc vallis consita dumis ;
Tunc ibi non domitæ delituere feræ.
Illo silvestres produxit tempore fructus :
Viticolæ nulli, nullus arator erat.
Nullæ hominum sedes, vetus hæc spelunca latronum :
Nullus in hac poterat carpere tutus iter.
At postquam Claram-Vallem, Bernarde, petisti,
Et statuis sedes fratribus ipse tuis :
Tunc subito, antiquam mutarunt omnia formam,
Aspera quæ fuerant, fertiliora facis.
Vallis et in medio cellas, Christique dicatam
Ecclesiam, adductis fratribus ædificas.
Instruis angelicam hos in terris ducere vitam,
C Psallere divinas nocte dieque preces.
Protinus immensum discurrit fama per orbem,
Bernardusque pater cuncta per ora volat.
Undique concurrunt, pueri, juvenesque, senesque,
Flectere ad imperium colla superba tuum.
Non illos retinent matres, non mollior ætas,
Non timet austeras alba senecta vias.
Non illos remorantur opes, non denique vana
Quæ venit a claro sanguine nobilitas.
Ipseque mundanos spernens Henricus honores,
Cujus erat frater Gallica sceptra tenens :
Qui licet iste foret regali sanguine cretus,
Se tamen imperio subdidit ille tuo.
Omnia regna tuo nutu, Bernarde, regebas :
Tantum virtuti tunc adhibetur honos.
D Si qua inter magnos fuerat discordia reges,
Omnia sunt voto conciliata tuo.
Tunc etiam insani rabies vesana Leonis
Vexabat rapidis dentibus Ecclesiam.
Sed tua pestiferas fregit prudentia vires,
Et finem tantis cladibus imposuit.
Testis Aquitanas regnans Guillelmus in urbes,
Dum, Bernarde, tuos conci lit ante pedes.
Tu quoque fraternas acies dispergis in orbem,
Nullaque terra tuis fratribus absque patet.

Digitized by Google

Sive ea purpureos tellus quæ tendit ad ortus,
Quæque sub occiduo sole relicta jacet,
Quæcunque aut gelidas terræ flectuntur ad Arctos,
Quæve sub australi noscitur esse polo.
Aut ea quæ extremos nutrit populosa Britannos
Insula, quæ Oceano cingitur ampla mari,
Quam longe Europæ tenduntur denique fines,
Exquirunt fratres omnia regna tuos.
Omnia non possunt nunc carmina nostra notare :
Hæc pauca ex multis disseruisse sat est.
Nam gravis hæc nostras superat provincia vires,
Vena cui fluitat suavior, ille canat.
A Hæc mihi sufficiat raptim tetigisse canendo;
Non facit ad tantum nostra camœna virum.

AD CLARÆ-VALLENSES.

Post præcepta Patris, præsens dum vita superstes,
Pergite; nam tacito jam fugit illa pede.
Nec vos pœniteat mundi sprevisse ruentis
1306 Tractandas parvo tempore delicias.
Tristia quæ modo sunt quæcunque, et amara videntur,
Gaudia post mortem non peritura parant.
Post lacrymas, gemitus, longa et suspiria vallis,
In montem excelsum vos trahet ipse Deus.

CARMEN ENCOMIASTICUM

in vitam et obitum B. Bernardi Claræ-Vallensis cœnobii primi abbatis.

AUCTORE BAPTISTA MANTUANO.

(Ex VIII Fastorum.)

Bernardi lux festa venit celeberrima Belgis.
Belga fuit, sex germanos, unamque sororem
Traxit ad obsequium Christi. Deus omnibus unum
Inspiravit opus, vitæ genus omnibus unum.
Mater adhuc prægnans vidit per somnia, crebris
Se gestare utero catulum latratibus acrem.
Sic Deus ostendit, venturi qualia partus
Ora et corda forent contra genus omne malorum.
Ipse pudicitiam coluit, muliebria passus
Bella tamen juvenis, roseo quia candidus ore,
Corda paroxysmis gravibus torquebat, et igne
Quo Venus accendit teneras incesta medullas.
Cum peteret Celtas, et nox jam pallida cœlum
Clauderet, hospitium subiit : temeraria noctu
Hospita sopito juveni petulanter adhæsit,
Admovitque latus lateri. Scelus ille repente
Horruit, et magno sociis clamore vocatis
Nequitiam facto vicit terrore furentem.
Ingens forma malum, quo nulla nocentior herba
Per juga Thessaliæ legitur, per Phasidis arva.
Tradidit ingenium sacris sermonibus, omne
Quod docuit Christus, quod prædixere prophetæ,
Quod didicit Moyses Panchæo in vertice, secum
Assidue meditans, sine præceptoribus ullis
Scivit, et idcirco silvas habuisse magistras
B Se dicebat; inops vixit : sed munda volebat
Vestimenta, situm damnans, sordemque perosus.
Id curæ quod vulgus habet pro corpore, solam
Transtulit ad mentem, vitiorum acerrimus hostis.
Si populis certamen erat, discordia regnis,
Bernardus pacator erat, legatus ad urbes
Ibat, et ad reges odium fracturus et iram,
Munere fungentem tali videre Alemanni.
Videre Insubres quondam, videre Aquitani.
Si quando in dubiis nutabant pectora rebus,
Ipse erat interpres ducens mortalia corda
De tenebris ad lumen, uti solet ignea lampas
Longinqua de turre micans adducere noctu
Turbine jactatos secura ad littora nautas.
Prodigiis, quot vix numero comprehendere fas est,
Claruit, occultas hominum cognoscere curas,
C Pellere avernales genios, curare jacentes
In languore potens : ideoque impleverat orbem
Fama Viri, nomenque volans peregrina per ora.
Sex decies fundasse decem Cistercia tecta,
Dicitur : unius valuit prudentia tantum.
Sacra igitur meritis hujus vigesima tanti
Est aurora patris, qua sese in summa recepit
Limina supremi quod continet omnia cœli.

S. BERNARDI EPITAPHIUM,

Auctore Adamo de Sancto-Victore.

Claræ sunt Valles sed claris Vallibus Abbas
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,
Claruit eloquio, relligione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum;
Clarior exsultat spiritus ante Deum.

Digitized by Google

Martyrio Magni celebrato, magnus ad ipsum
Colligitur Martyr; par sine morte pari.

In manuscripto codice Aquicinctensi legitur carmen sic inscriptum : « enerabili abbati Claræ-Vallensi Bernardo, Anselmus, in laudem Claræ-Vallis, » sub hoc initio :

Vallis deveza, quam mons devexus opacat.

DESCRIPTIO

POSITIONIS SEU SITUATIONIS MONASTERII CLARÆ-VALLENSIS.

Si situm Claræ-Vallis nosse desideras, hæc tibi scripta sint pro speculo. Duo montes non longe ab abbatia habent initium, qui primo angustæ vallis interjectione distincti, quo magis ad abbatiam appropiant, majore hiatu fauces dilatant : quorum alter alterum abbatiæ latus dimidium, alter totum occupat. Alter fecundus **1307** vinearum, alter frugum fertilis, jucundum visui, et usui commodum ministerium præbet : dum per devexa latera in altero crescit quod comedatur ; quod bibatur, in altero. In summis montium frequens monachis labor est, amœnus quidem et quiete jucundior, ramale vetus colligere, et colligare fasciculos ad comburendum. Squalentes exstirpare dumos, et solis aptos ignibus aptare, eruderare sentes, evellere, destruere, disperdere (ut secundum Salomonem dicam) spuria vitulamina (*Sap.* IV, 3), quæ crescentium arborum vel ligant ramos, vel radices suffodiunt, ne impediatur rigida quercus sublimi salutare sidera vertice, tilia mollis brachia explicare, fissilis et flexilis fraxinus libere se in altum extendere, patulave fagus in latum expandere.

Porro abbatiæ pars posterior in latam desinit planitiem, cujus partem non modicam murus occupat, qui abbatiam diffuso cingit ambitu. Intra hujus septa multæ et variæ arbores variis fecundæ fructibus instar nemoris pomarium faciunt : quod infirmorum cellæ contiguum, infirmitates fratrum non mediocri levat solatio, dum spatiosum spatiantibus præbet deambulatorium, æstuantibus quoque suave reclinatorium. Sedet ægrotus cespite in viridi, et cum inclementia canicularis immiti sidere terras excoquit, et siccat flumina, ipse in securitatem et absconsionem et umbraculum diei ab æstu, fronde sub arborea ferventia temperat astra : et ad doloris sui solatium, naribus suis gramineæ redolent species. Pascit oculos herbarum et arborum amœna viriditas, et pendentes ante se, atque crescentes immensæ ejus deliciæ, ut non immerito dicat : *Sub umbra* arboris *illius, quam desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cantic.* II, 3). Aures suavi modulamine demulcet pictarum concentus avium : et ad unius morbi remedium, divina pietas multa procurat solatia, dum aer nitida ridet serenitate, A terra fecunditate spirat, et ipse oculis, auribus, naribus, colorum, canorum, odorum delicias haurit.

Ubi pomarium desinit, incipit hortus intercisis distinctus areolis, vel potius divisus rivulis intercurrentibus. Nam licet aqua dormitans appareat, pigro tamen decurrit elapsu. Pulchrum et hic infirmis fratribus præbetur spectaculum, dum super viridem puri gurgitis marginem sedent, vitrea videre sub unda pisciculos ludere, et natatu obvio militarem repræsentare congressum. Aqua hæc piscibus alendis, et rigandis oleribus duplici ministerio servit : cui Alba, famosi nominis fluvius, indefesso meatu fomenta ministrat. Hic per multas abbatiæ officinas transitum faciens, ubique pro fideli obsequio post B se benedictionem relinquit : qui ad hoc cum multo quidem labore conscendit, non integer, nec tamen otiose pertransit. Ipse quidem mediam vallem flexuosum intersecans per alveum, quem non natura, sed fratrum industria fecit, dimidium sui mittit in abbatiam, quasi ad salutandum fratres, et se, quod totus non venerit, excusandum, quippe qui totius capax canale non invenit. Et si forte amnis ipse inundans impetuoso excursu proruit, objectu muri retroactus subtus quo eum necesse est fluere, in se ipsum recurrit, et refluum denuo defluus amplexatur. Intromissus vero quantum murus, portarii vice, permisit, primum in molendinum impetum facit, ubi multum sollicitus est, et turbatur erga plurima, tum mola- C rum mole far comminuendo, tum farinam cribro subtili segregando a furfure.

Hic jam vicina domo caldariam implet, se igni coquendum committit, ut fratribus potum paret, si forte sterilis vindemia cultoris industriæ non bene responderit, et defectu sanguinis uvæ, de filia fuerit festucæ supplendus. Sed nec sic se absolvit. Eum enim ad se fullones invitant, qui sunt molendino confines, rationis jure exigentes, ut sicut in molendino sollicitus est, quo fratres vescantur, ita apud eos paret, quo et vestiantur. Ille autem non contradicit ; nec quidquam eorum negat quæ petuntur : sed graves illos, sive pistillos, sive malleos dicere mavis, vel certe pedes ligneos (nam hoc nomen saltuoso fullonum negotio magis videtur congruere)

Digitized by Google

alternatim elevans atque deponens, gravi labore fullones absolvit : et si joculare quidpiam licet interserere seriis, peccati eorum **1308** pœnas absolvit. Deus bone, quanta pauperibus tuis procuras solatia, ne abundantiore tristitia absorbeantur! quanta pœnitentibus pœnæ alleviamenta dispensas, ne laboris violentia nonnunquam fortassis opprimantur! Nam quot equorum dorsa frangeret, quot hominum fatigaret brachia labor, a quo nos sine labore amnis ille gratiosus absolvit, etiam cum sine ipso nec indumentum nobis pararetur, nec alimentum? Ipse vero nobiscum participatur, nec aliud de labore suo, quo laborat sub sole, mercedis exspectat, quam ut, cum omnia diligenter perfecerit, liber permittatur abire. Tot ergo volubiles rotas rotatu rapido circumducens, sic spumeus exit, ut ipse quasi moli, et mollior fieri videatur.

Excipitur dehinc a domo coriaria, ubi conficiendis his quæ ad fratrum calceamenta sunt necessaria, operosam exhibet sedulitatem. Deinde minutatim se, et per membra multa distribuens, singulas officinas officioso discursu perscrutatur, ubique diligenter inquirens quid quo ipsius ministerio opus habeat; coquendis, cribrandis, vertendis, terendis, rigandis, lavandis, molendis, molliendis, suum sine contradictione præstans obsequium. Postremo, ne quid ei desit ad ullam gratiam, et ne ipsius quaquaversum imperfecta sint opera, asportans immunditias, omnia post se munda relinquit. Et jam peracto strenue propter quod venerat, rapida celeritate festinat ad fluvium, ut vice Claræ-Vallis agens ei gratias pro universis beneficiis suis, salutationi ejus resalutatione condigna respondeat! statimque refundens ei aquas quas nobis transfuderat, sic de duobus efficit unum, ut nullum appareat unionis vestigium ; et quem discessu suo tenuem et pigrum fecerat, mistus ei morantem præcipitat.

Sed quia eum loco suo restituimus, redeamus ad rivulos, quos post nos reliquimus, qui derivati a fluvio, passivis per prata vagantur excursibus, ut inebrient terram et infundant eam, et germinare eam faciant : ne cum verna temperie terra prægnans in partum solvitur, renascentia gramina humoris inopia marcescant; nec opus habeant mendicatis nubium guttulis irrigari, sufficienter cognati flumini fota beneficio. Hi rivuli, vel potius sulci post peractum officium, fluvio qui eos evomuerat, absorbentur, et jam totus simul Alba collectus, prono decursu per devexa festinat. Sed quia jam eum longius conduximus, et ipse, secundum Salomonem, ad locum suum revertitur (*Eccle.* I, 7), revertamur et nos unde digressi sumus, et diffusam prati planitiem succincto sermone transiliamus.

Multum habet locus ille amœnitatis, multum quod mentes fessas allevet, luctusque solvat anxios, multum quod quærentes Dominum ad devotionem accendat, et supernæ dulcedinis ad quam suspiramus admoneat, dum ridens terræ facies multiplici colore, vernanti pictura oculos pascit, et suaveolentem naribus spirat odorem. Sed et dum video florem, dum sentio floris odorem, historias veterum memorant mihi prata dierum. Nam cum odoris delicias haurio, occurrit animo fragantiam vestimentorum patriarchæ Jacob, suaveolentiæ agri pleni fuisse assimilatam. Dumque oculos colore reficio, hanc recordor speciem purpuræ Salomonis fuisse prælatam, qui in omni gloria sua liliorum agri decorem æquiparare non potuit, cum tamen nec ars ipsius sapientiæ, nec potentiæ deesset materia : et sic, dum foris fruor ministerio, non parum latenti delector mysterio. Hoc ergo pratum intercurrentis fluvii fovetur irriguo, et ad humorem ejus mittit radices suas : ideo non timebit cum venerit æstus. In longum autem tanto tractu distenditur, ut cum tonsum vellus gramineum sol in fenum torruerit, bis denis diebus conventum lassare sufficiat. Nec tamen solis monachis labor ille relinquitur : sed cum monachis tam Conversorum, donatorum, quam conductitiorum innumerosa multitudo desectas colligit herbas, et tonsam raro pectine vertit humum.

Hoc pratum inter se duæ grangiæ dividunt, quibus Alba ad dirimendam litem æquus arbiter et mensor accedit, qui suam cuique partem in funiculo distributionis assignans, se ipsum limitem facit, quem altera ad invadendam **1309** alterius partem transire non audeat. Grangias has non Conversorum esse habitacula, sed claustra monachorum crederes, nisi vel juga boum, vel aratra, vel instrumenta alia rusticanis apta laboribus, habitatores suos proderent, et nisi quod in eis libri non explicantur. Nam quantum ad ædificia spectat, ea magno monachorum conventui diceres et situ convenire, et decere venustate, et capacitate sufficere.

In parte prati, quæ est muro contigua, de campo solido factus est lacus liquidus : ubi prius æstuans operarius, fenum falce secabat acuta, ibi frater aquarius sedens mobili per lubricam liquentis campi planitiem equo vectus ligneo, levem ramum pro calcaribus habet, quo cursum urgeat, et pro freno quo flectat. Explicatur rete sub undis quo implicetur pisciculus, et parantur ei escæ quibus libenter vescitur, sed latet hamus in illis quo capitur incautus. Quo exemplo docemur spernere voluptates : quia nocet empta dolore voluptas ; cujus tristes esse exitus nemo nescire permittitur, nisi qui vel non peccavit, vel non bene de peccato pœnituit. Longe autem faciat Deus a nobis delectationem, secus cujus introitum mors posita est : quæ secundum sapientis descriptionem, « apum par volantium, ubi grata mella « fudit, fugit, et nimis tenaci ferit icta corda morsu (159). » Laci ambitus per altum ripæ marginem conserti vimineis ligatur radicibus, ne undæ affluenti cedat terra fatiscens. Præterfluenti rivo lacus hic pascitur, qui vix sexies senis pedibus sejunctus, per meatus exiles infundit ei aquas quibus alatur, et ipsas quoque eadem exilitate refundit. Unde et sic

(159) Boetius.

Digitized by Google

in eodem statu permanet, ut nec major sit influentibus, nec effluentibus minor: quia eadem mensurat et recipit, et rejicit eas.

Sed dum per plana cursu feror volatili, dum anhelus in arduis ilia duco, vel purpuream prati superficiem manu ipsius Sapientiæ pictam, vel comata arboribus montium juga describo, arguit me ingratitudinis fons ille dulcissimus sæpenumero mihi bibitus, et bene quidem meritus de me, sed a me male remuneratus. Objicit mihi cum exprobratione, quod sæpe exstinguendæ siti meæ servierit, quod se meis non solum manibus, sed et pedibus lavandis humiliaverit, quod multa mihi impenderit humanitatis ac benignitatis officia: bono merito, mercede mala me respondisse; se in locorum catalogo locum ultimum, et pene nec ultimum fuisse sortitum, cui tamen pro sui reverentia primus deberetur. Et vere diffiteri nequeo sero me ipsius meminisse, quando ante ipsum alicujus memini. Verum ipse per decursus et discursus subterraneos tacite labens, ita ut nec leni murmure transitus ejus valeat deprehendi, instar aquarum Siloe, quæ cum silentio vadunt, quasi prodi metueret, ubique caput suum cooperit, et sui declinat aspectus. Quidni crederem velle taceri, quem video nonnisi sub tecto velle videri? Hic ergo fons (quod boni fontis esse fertur indicium) ex opposito solis orientis oritur, ita ut æstivo solstitio roseam rutilantis auroræ faciem ex adverso salutet. Tugurio, vel, ut majori reverentia dicam, tabernaculo parvo et pulchro cooperitur et clauditur, ne undecunque sordes admittat. Ubi eum mons evomit, vallis deglutit: et in loco quo oritur, eodem quasi moritur, quin et sepelitur. Sed ne exspectes signum Jonæ prophetæ, ut tribus diebus et tribus noctibus delitescat absconditus: statim ad mille passus intra claustrum monasterii, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, et quodammodo redivivus apparet, visui tantum et usui fratrum se offerens, ne cum aliis quam cum sanctis sors illius amodo sit futura.

GAUFRIDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS IV (160)

SERMO (161) IN ANNIVERSARIO OBITUS S. BERNARDI.

1. Quam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria! quam amabilis, quam acceptabilis, quam jucunda, quam celebris! Cum enim sit pretiosa in conspectu Domini mors servi ejus; nullatenus **1310** est negligenda mortalibus, nec sepelienda tanti viri memoria negligentiæ tumulo, nec oblivionis est tumulanda sepulcro. Amplectendum in omnibus, et per omnia nomen sanctum, magnifica ejus opera audientibus, verba legentibus, considerantibus fructum. Nec decet illos corporeum ejus obitum oblivisci, qui ipsius vitam noverunt spiritualem; quam devota Deo, quam pura sibi, quam fuerit utilis et fructuosa quamplurimis. Verumtamen dulcior satis, et longe eis debet esse jucundior hodierna memoria, qui inserti in illius tam bonæ olivæ pinguedine, etiam nunc ab ipsa sancta radice portantur. Super omnes autem dulcissima ejus et omnimodis debet esse devota, qui memoriam abundantiæ suavitatis, quam aliquando gustaverunt, et ruminant, et eructant, dum recolunt et referunt aliis, quæ de illo Dei homine viderunt, et audierunt, et manus illorum forte contrectaverunt. Ejusmodi enim secum loquuntur, et de iis pronuntiant universi quod, de beato Elia quidam Sapiens aiebat: *Beati sunt qui te viderunt, et in amicitia tua demorati sunt* (*Eccli.* XLVIII, 11). Cæterum, in omni veterum jucunditate captanda nobis utilitas, et quærenduş in omnibus devotionis affectus, salutis fructus, ædificationis effectus. Paupertas siquidem nostra refici magis eget, quam delectari: et si non desipit, escas potius quam delicias quærit.

2. Et sane utrasque in hac sancta et fructuosa arbore, si pie quærimus, invenimus. Hoc enim lignum primo quidem plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dedit in tempore suo. Sed jam nunc, ut alibi transplantatum est secus aquas, nec aliquem desinit facere fructum. Vivunt adhuc in nobis exempla conversationis ejus, et frequentantur eloquia oris ejus, orationum ejus suffragia sacra non desinunt. Legimus de filiis Israel, quod *servierunt Domino cunctis diebus Josue, et seniorum, qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel* (*Josue* XXIV, 31). Utinam longo vivat tempore hujus beati Patris generatio, quam præsentialiter per Evangelium genuit ipse, et sæpius parturivit! Utinam ejus vestigia sic sequatur, ne (quod absit!) adversus eam secutura posteritas causas habeat querelarum, quod declinantes cito a via vitæ, quæ ostensa est eis, nec ipsi intraverint nec permiserint nos deinceps introire sequaces! Hoc enim erat, quod a vobis assumendus, studiose monebat. Et nunc quoque, ni fallor, imo quia non fallor, paterna desiderat charitate, *ut*, secundum illud Apostoli, *quemadmodum accepistis* ab eo *quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo per omnia, sic et ambuletis, ut abundetis magis* (*I Thess.* IV, 1). Nimirum sollicitus erat propter illud forsitan Moysi sancti terribile verbum quod legerat, ne forte dicendum aliquibus videretur: *Adhuc vivente*

(160) De eo vide in observat ad lib. III Vitæ S. Bernardi.
(161) Habitus anno 1163, uti colligitur ex num. 5.

Digitized by Google

me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis, cum mortuus fuero? (*Deut.* XXXI, 27.) Nec minus, ut vereor, apostolica eum verba movebant, quod intraturos forte prænoseceret post discessum suum in discipulorum ovilia lupos graves (*Act.* XX, 29). Utinam ergo nobis ille in perpetuum vivat, nec aliquando moriatur! Utinam nunquam discedat, sed firmiter teneatur, nec aliquando dimittat! Utinam noster ille inveniatur Abbas, et vos filii ejus; vester ille pastor, et vos oves pascuæ ejus! Nos enim, ut ipsi scitis, non propter nos, sed propter illum qui dilexit nos, hodie hic sedemus, quod cavere ante omnia volueritis, ne surrexisse videretur in nobis qui ignoraret Joseph (*Exod.* I, 8).

3. Et nunc, charissimi, quæ videntur in nobis temporalia sunt, et continuo transitura: non sic autem quæ in illo credimus, etiam videmus. Invisibilem itaque, tanquam videntes æmulemur et veneremur, in omnibus observantes præcepta ejus, consilia et exempla optantes, etiam et orantes. Utimur interim commemoratione, temporali congratulamur officio, perpetuo lætamur aspectu. Nunquid enim vel modo, sicut videre eum non meremur, sic ab eo ipsi etiam non videmur? Absit a nobis, fratres, absit, ut tale aliquid vel tenuiter suspicemur! Quam multa Vir sanctus, etiam, dum in carne vixit, vidit in spiritu? quanta etiam longe positus comperit? quam multa quoque futura prænovit, atque prænuntiavit? Scio hominem, quem divini sermonis homo cum aliis quidem non paucis ipse piscatus, in cellam **1311** Novitiorum, ubi plures eo tempore juxta legis Dominicæ sanctionem, primitiarum manipuli frangebantur, et torrebantur, induxit. Interim causa exstitit, sicut frequens illum trahebat necessitas, tam suorum, quam totius Ecclesiæ Dei, ut egressus a monasterio per dies aliquot Pater sanctus absens, sed corpore solo, non corde, nec efficaci providentia spiritus, sed præsentia carnis infirma. Regressus denique de via, tirones Domini sui confestim visitat, quos ad militiam ejus (si bene memini) circiter octoginta armis spiritualibus (162) instruebat. Quibus salutatis, non multa locutus, unum illorum nomine evocans, aiebat: « Noveris quia, postquam me non vidisti, ipse te vidi, et quidem mœstum nimis, ac vehementer afflictum, et cum tibi pacem, cupidus pacis osculum darem, lacrymis tuis ipse permadui. » Hæc ait, et propius illum accedere jubens, sua illa plissima dignatione osculatus ac magnifice consolatus est eum. Nec mirum quod mira facilitate, mira celeritate nubem illam radius ille dissolvit; siquidem non jam illa visio fuerat. Nam in multa ante præventum benedictione dulcedinis, post ejusdem beati Patris egressum, gravissima quædam occupaverat ea tempestate tentatio, et propemodum vehemens absorbuerat mœror. Sed gemina quædam sacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, et in osculo charitatis confestim tristitiam depulit, reddidit lætitiam salutarem.

4. Et nunc, fratres, quis dabit capiti nostro aquas lacrymarum, fontes oculis nostris? Suspiremus lumen, suspiremus, charissimi, suspiremus ad Dominum, donec arenti nostræ terræ utrumque adjiciatur irriguum: deducant oculi nostri divisiones aquarum, si forte in illum pluant paternæ clementiæ sinum, si forte etiam nunc ad filiorum fletus paternum madeat pectus. Quem enim velut in cunis adhuc infantilibus vagientis parvuli causa non latuit, quando longe positus, et afflicti tribulationem perceperit, et tristitiam noverit, lacrymas senserit: quid putatis, quanto certius nunc nostra omnia percipit, omnia novit, omnia sentit? Aut quomodo singulis quibusque, cum apparuerit adhuc, si sine ulla hæsitatione viderimus eum: et utinam gaudeat cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, quomodo, inquam, singulos amplectetur, singulos alloquetur, singulis indicabit, «Quia ego tibi, cum nescires, in illa tunc necessitate adfui, illos audivi gemitus, illos conatus adjuvi, illas vidi lacrymas, suspiria illa suscepi?» In qua tamen nimirum exspectatione ipsos, quos Vir sanctus adhuc in carne degens spiritualiter educavit, primos convenit, et non solos: utrumque enim eadem de se ipsa Veritas ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* X, 23); et: *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan* XX, 29).

5. Nonnullis etiam Pater sanctus, cum in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem, tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt; et, sicut eorumdem certa relatione didicimus, cum jam decimus annus transierit (an. 1163), non tantum aquâ illa usque modo manet omnimodis illibata, sed eamdem obtinet et gratiam quæcunque fuerit superfusa. Cum enim pluribus jam ad remedia postulantibus de eodem sacro liquore donaverint (nam et eum multis opem tulisse confirmant), impleto tamen sæpius aqua altera vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. Atque utinam in perpetuum in ejusdem beati Patris congregatione probetur, quod in liquore fieri perhibetur, ut nec color optimus in exteriore conversatione nec sapor in cœlesti intentione, nec odor in opinione mutetur; sed eidem gratiæ in qua Vir sanctus exstitit, quidquid infunditis conformetur. Neque nunc ipsius proposuimus narrare virtutes, sed ad ejus æmulationem et reverentiam vestras, quantum possumus, erigere mentes. Quem nimirum, etsi corporaliter jam non videtis, spiritualiter quæ de illo dilectionis vestræ corda meditantur, adjuvabunt sensus nostri conatus; et quidquid sermoni meo expedire difficile est, vestra sibi pectora propriis cogitationibus eloquentur. Scriptura quodam loco **1312**

(162) Vide lib. V, Vitæ, num. 5.

Digitized by Google

continet : *Sapientia in exitu cernitur*, hoc est dicere : Sapientis conversatio in consummationis fine laudatur. Unde et in alio loco: *Ne laudes*, inquit, *hominem in vita sua ; et* iterum: *Ante mortem ne laudaveris quemquam* (*Eccli.* XI, 30) : tanquam diceret, Lauda post mortem. Viventis enim laudibus laudato locus vanæ exsultationis offertur, et laudatori maxime nota assentationis affigitur.

6. Multis enim modis utile est laudare defunctum. Primum, quia dum abest cui gratificari laudatione possumus, necesse est ut ad largitorem gratiæ Deum laus tota referatur. Deinde, quia sola virtutis admiratio residet, ubi suspicio assentationis aufertur. Defuncti itaque in sancta congregatione fidelium laus prolata plena est ædificationis, jactantia vacuat merita ; in hoc quoque eum, qui laudatur, accusans, quod plures sua laude proficiunt. Nec vereor ne nimis forsitan favorabiliter de eo me loqui credatur, quia, præterquam nihil non inferius dici suis virtutibus potest, nemo est qui illum non suum computet, suum senserit, suumque crediderit. Non tamen ego ingenii fiducia, neque fretus eloquio, ad attingendam tanti Viri vitam manum mitto : quam si quis priscæ eloquentiæ auctor attingeret, non solum nihil facundia ornaret, sed victus materiæ mole succumberet. Vester me amor provocat, vester affectus de illo aliquid loquendi fiduciam subministrat. Animabitur ipsius, ut credimus, merito sermo, quamvis repentis ingenii ; et quod jacet verbis, elevabitur rebus, et effusa in illum charitate vestrorum pectorum condietur.

7. Est illud votum omnibus oratoriæ disciplinæ, quorum laudandam susceperunt vitam, patriam prius et originem prædicare, ut quod in propriis virtutibus deest, in patrum gloria præcessisse videatur. Nos autem in Christo omnes unum sumus, et fastigium est nobilitatis, inter Dei famulos computari : nec addere quidquam nobis ad dignitatem hanc originis terrenæ decus, nisi contemptu suo potest. Nemo in cœlis clarior, quam qui repudiato patrum stemmate, elegit sola Christi paternitate censeri. Prætermitto itaque commemorata avita illius sæcularium honorum insignia, et familiæ suæ nobilitatem majori generositate pectoris fastiditam, nec placuisse illum sibi de supervacuis suorum honoribus, qui per amorem veritatis jam suos non optabat. Ad illud potius mens sermo festinat, quam dulcissima infantia, quam modesta pueritia, quam gravis adolescentia fuerit, quam omnes ætatum gradus supra virtutem transcenderit, majorque semper inventus sit, ut prorsus divino quodam pædagogio educatum putem. Intraverat enim gratia sua omnium sensus ; et cum eum Christus sibi assumeret, terram [*al.* tamen] in suis omnibus certatim mundus tenebat. Alios dulcedo sua alligaverat, alios collegii blandimentum devinxerat, alios juvenum exercitus admiratio sæcularium virtutum tenebat. Quot illi jura prioris gratiæ fuerant, tot a conversione vinculis retrahebatur. Commune quoddam decus præripi omnes timebant. Et vere quis unquam illum habitus non quasi proprius accepit ? Quos aliquando amictus non ornavit ? Itaque velut splendidissimam gemmam et commune omnium decus sibi simul putabant eripi, neque immutanda hæc omnia et reformanda in melius, ut vidimus, sed quasi moritura credebant. Nec immerito eum sæcularis gloria sibi a Christo præripi timebat, quem inter reliquos ornatissimum invenit, velut unicum amplectebatur.

8. Verum fastidiebat adolescens, quo grandævi delectabantur, tali se semper adhortatione compellans : « Delectat hæc vita, sed decipit. Alia in ecclesiis præcepta recitantur ; alia ibi in auribus mandata sonuerunt. Illic modestia, continentia, et pudor traditur : hic luxuria effrenata mittitur. Illic ad æternum regnum Christus invitat : hic diabolus ad temporale sollicitat. Omne quod in mundo est, vanitas et concupiscentia oculorum. Et mundus transit et concupiscentia ejus : qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum (*I Joan.* II, 16, 17), sicut et ipse in æternum. Festinemus erui ab his laqueis, dum adhuc minus tenemur. Diu alligata tardius solvuntur. Facilius est tenera vellere, quam robusta succidere. In monte salvam fac animam tuam, ne forte apprehendant te mala conversationis istius. Cito serpit voluptatis venenum. Servanda **1313** est Christo pro Christi gratia sumpta libertas. Alii aurum argentumque mirantur : dominantur, ut video, metalla dominantibus. Prædia atque mancipia non sine animi sui captivitate possideant alii, honoribus gaudeant, et honori in se divinæ imaginis præferant. Mihi satis est mancipium non esse vitiorum ; mihi salus, gaudium ; mihi in virtutibus, voluptas ; mihi thesaurus sit. Pensabit mihi gaudia mœroribus : dabit et in hac vita, disciplinæ studio oblectari, et ornari ; et inter hæc dignum fieri cœlestibus regnis. » Nec longas talis meditatio moras pertulit, sed illico in flammam conversionis nutrita hujusmodi fomentis scintilla perrumpit. Jugum Dominicæ servitutis subdita cervice suscipiens, jugum libertatis excussit, intelligens summum esse captivitatis genus licentiam juventutis. Transfertur ad nitorem mentis vestium splendor ; cervicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur ; transit lætitia in gravitatem : membrorum vigor animi vigore mutatur. Virtus corporis in virtutem spiritus migrat : pallescit jejunio speciosa facies ; et prius succi, fit plena gravitatis. Et quid plura ? totus de alio alius ostenditur. Assistit tironi suo Dominus, et consolatur : nec dissimulat germanos suos in collegium suscitare, qui exemplo ejus vocati ad conversionem, sicut collegio illum, ita et virtute comitati sunt.

9. Hinc jam inter illos certamina gratuita propositi [*al.* proposita], cujus mens ad pietatem mollior, cujus esset cibus durior, cujus sermo blandior, cujus amictus asperior ; quis loqui rarius, quis orare crebrius posset ; quem minus moveret injuria, quem magis misericordia ; quis daret promptius quod sibi detraxisset ; cui in ore rarior mundus,

Digitized by Google

cui frequentior Christus : quis in illa sublimitate virtutum sibimetipsi minor videretur; et quo magis merito ascenderet, hoc magis compunctione decresceret. Jam quæ illorum gravitas, quæ simul maturitas, quam rara feminarum visitatio, etiam proximarum, et quæ inter tot virtutes totius vanitatis fuga! Industria horum electis Dei templum excitatur, apta monachorum tecta consurgunt, ubi angelica ab illis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Interea amor in illum omnium crescebat, multiplicabatur, disseminabatur, et fama in ulteriora quæque ferebatur. Tota erga illum patria obsequii amore et honore certabat. Pavebat ille interea gloriam suam; et honorem bonæ conversationis longe lateque diffusum licet ad Dei laudem referret, sibi tamen vanitatis periculum metuebat inferre : percepisse se in vita sua mercedem putabat. Certatim jam illi omnis regio quærentes Deum dirigebat : hunc expetiit quisquis Christum desideravit : plane Christum, qui hunc expetiit, invenit. Illic enim totus ille vigebat. Pectus suum quasi præcelsam arcem et splendidissimum templum insederat. Illic castitas, sanctitas, fides, sapientia, et virtus habitavit : ibi justitia fulsit et veritas. Itaque velut effusis ulnis, patentibusque brachiis in amplexum suum omnes, hoc est, in amorem Christi invitabat. Omnes undique ad illum certatim confluebant. Etenim quæ adhuc terra, quæ natio in monasterio illius cives suos non habet? Quem ille rabidum non mitigavit? quoties de immanibus belluis quam mites fecit columbas? quam amaros interdum movit et Christi dulcedine aspersit; et quorum gravitas sibimetipsis pœnalis fuerat, eorum postmodum gratia oblectamento omnibus erat? Degustata denique boni suavitate, non poterant non magis odisse quanta [*fort.* quod antea] fuerant. Nam velut educti in novam lucem, antiquum illum diu insidentium errorum carcerem detestabantur.

10. Pulsa est per orationes ipsius varia pestis animorum. Amaritudo, asperitas, et rabies locum dabant libertati, quam Christus obtulerat : et delectabat requies post longam et gravem Pharaonicam servitutem. Stupenda et admirabilis permutatio! Non circeo, ut aiunt, poculo ex hominibus feras, sed ex feris homines Christi, tanquam dulcissimum poculum ipso ministrante, faciebat. Quid enim non obtineret illa instantia cum alacritate conjuncta? Aut qui lapides non in Abrahæ filios verterentur (*Matth.* III, 9), ubi tanta in **1314** exspoliendis mentibus officina virtutum? Si minus hominem ad salutem suis exhortationibus promoverit, Deum oratione constringeret. Omnium enim ille passiones suas credidit, et tanquam suas flevit, et profectus laboresque omnium computavit suos, sciens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Simul et virtutes, et vitia omnium in meriti sui cumulum transferebat. Sicut enim virtus ad virtutem excitat : ita miseratio miseris impensa sanctificat. Metit ergo in singulis plus quam singuli sibi. Singulorum enim salus summam illi gloriam struit. Impiger, festinans, infatigabilis perseverat, prout uniuscujusque mores naturamque conspexerat. Hunc secreto, hunc palam; hunc severus, hunc blandus aggreditur, et ad castigandi immutationem, ipsam plerumque faciem castigationis immutat. Inde illud erat, quod non facile quemquam tantum vel amari vidimus, vel timeri. Ita enim duos hos affectus in unoquoque suorum collocabat, ut amor suus dilecti metum, et timor disciplinæ amorem introduceret.

11. Incredibile est quantæ illi curæ fuerit, ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio singularis urgeret; quam facile perspexerit quid quemque vexarit, quam singulorum mentes gestarit : quantæ præterea pietatis dispensatione provideret, ne quem nimii labores gravarent, ne quis nimia quiete torperet; ipsos, si dici potest, singulorum fratrum somnos pio pensavit affectu. Valentes corpore a desidia semper discutiens, ferventes spiritu cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium stomachos instinctu, ut credo, Dei noverat, vere servus omnium factus per Jesum Christum. Mirandum est quomodo unus tot simul officia compleverit : tam varia infirmitate præsertim vexatus, fortissimos quosque et recenti adhuc comessatione pervalidos in jejuniis, vigiliisque, impar viribus, pari lege comitatus est. Infirmos ipse infirmior visitans, refrigerium animarum simul providit et corporum; et ne cuiquam minus fuisset impensum, animo semper recurrebat : « Hic alget, hic cogitat, illi labor gravis est, huic esca non congruit, ille ab alio læsus est. Grave quod hic intulit, non minus grave quod iste sensit injuriam. Grandi instantia opus est, ut offensa gratiam consequatur : et hic sibi illatam contumeliam, aut nullam, aut levem putet; hic autem se gravissimam intulisse suspiret. » Hæc illi jugis opera, jugis intentio erat, levigare omnibus jugum Christi; et quidquid diabolus injecisset, avertere : discusso culparum nubilo gratiarum serena revocare; amorem Christi et proximorum amando inserere; et mentes omnium tanquam suum pectus innovare gaudio, et ad Christi desiderium tanquam primo conversionis die inardescere.

12. Hinc illud erat, quod omnis congregatio cupida servitutis, ad nomen ipsius ex diversis terrarum partibus collecta, tam moribus quam linguis dissona, in illius conspirabat amorem. Omnes dominum, omnes patrem vocabant, in illo sibi patrem, ac propinquos, et omnia simul reddita computantes. Didicerant omnes, ipso sibi compatiente, dolores illius suos comportare [*fort.* computare] : ut sicut sol cœli faciem, pro sua sola aut obscuritate, aut serenitate vestit; ita congregatio illa cœlum sitiens, et cœlestibus studiis mancipata, ab ipso

Digitized by Google

vel nubila, vel serenitatem mentium quasi a speculari in Christo sole susciperet, ipsoque congruo congrueret, inspiranti revelaret. Hinc illa erat, et adhuc suis orationibus permanet diffusa in monasterio Spiritus sancti gratia, tanti doctoris exemplo et admissione firmata, et in variis charismatum donis, et humilitate, et mansuetudine, et charitate non ficta : et una capitis gloria in diversitate membrorum. Magna illi inter hæc erga advenas et hospites cura : in squalore eremi, suo conspectu delicias ministrabat, tunc primum agnitos tanquam dudum suos, cum tanto gaudio et alacritate suscipiens tanquam adoptasset. Nullius pene angustiæ ad ipsum pervenerunt, quæ ultra ipsum protenderentur, et non in ipso metam reperirent. Certatim ad ipsum undique litterarum officia perlata sunt. Quibus ille quam novis affatibus variata reddebat, quam gravia, quam blanda, quam dulcia! Quis non se beatam **1315** domum, beata scrinia credidit? Sermo ex ore ipsius tam meditatus, tantum in scriptis illius salutis, tantum dulcedinis fuit, ut non scriniis aut armariis, sed arca patula conderentur. Inde est, quod plurimi ea scripta sensibus ferunt, et ad testimonium amoris sui libentissime proferunt. Denique quis unquam tantos sibi amicorum præsentium alligavit affectus, quantos qui se diligerent, avidissime desiderarent, habuerit ignotos?

13. Interea ego, dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, in me infinitam curam prætermitto : quæ utinam mihi non minus in Christo salutis attulerit, quam inter vos amoris! Nam profusa illius in omnes charitas (quod sine invidia dixerim, quantam in me adjecerat; et leve illud Christi jugum quanto mihi levius blandimentis suis fecerat? Aluit primum lacte, postea vero potavit etiam profluvio illo, quod in se erat, cœlestis sapientiæ. Atque utinam tantum angustiæ spiritus mei, recepissent, quantum ille studebat infundere! Præparasset me profecto vobis, et desiderio vestro dignum dedisset, successorem sibi idoneum erudisset. Sed non facile senseratis [*fort.* sentiretis], quantum amisistis boni, si redintegratum vobis bonum vestrum fuisset. Pius Dominus, qui stimulando animos vestros ad dilectionem parvitatis meæ, dedit ne a sepulcro illius abessem, illud etiam vobis orantibus donet, ne a viis illius longe recedam; sed quidquid illum egisse cognovero, sine exploratione aut disceptatione factorum agere festinem.

14. Interea ego, dilectissimi, perstringens potius cuncta quam referens de solertissimo Patre vestro, ea quæ erant vobis nota, replicavi. Vidistis enim, dilectissimi, illam sollicitudinis vigilantiam, illud disciplinæ studium, illas pietatis lacrymas, illam jugem ac perpetuam mentis serenitatem, cujus testimonium vultus immutabilis erat. Vidistis illam latitudinem charitatis, quæ tanta in illo fuit, ut non immerito, si charitas ipsa exprimenda esset, in vultum hujus potissimum pingi debere vultu videretur. Quis unquam illum sufficienter vidisse sibi visus est? Cui non loco omnium affectuum fuit? Quis ita mistam hilaritate disciplinam propinavit? Quem non cum ipsius, qui corrigebatur, voluptate correxit? Quando lætitia illius lascive quidquam redolens? quando tristitia non salubris? Quis eum non altiorem invenit, quam prius viderat? Semper in summitate virtutum positus, semper quo crescere posset invenit. Jam vero sub exhortatione ipsius quis anxius non dolorem suum sprevit? Quis feris moribus non insaniam exsecratus est? quis lascivus luxuriam suam non detestatus est? Quid plura? *Omnibus omnia*, ut Apostolus ait, *factus* (*I Cor.* IX, 22), communis omnium medicina erat. Nullam pene gratiam non in se tam plenam habuit, ut ipsam specialiter excolere et possidere tanquam unicam putaretur. Non facile quidquam tam forti pectore exhorruit. Inter quælibet aspera et diu tolerata tormenta nec optavit improbe mortem, nec expavit. Nam quem vivere inter quælibet gravia in Christi servitute non piguit, ad novam vitam per communem illam novæ vitæ januam transire non timuit, præmeditata illi ultima hominum necessitas.

15. Jam eum quæ circa vos sunt audire et videre nullatenus dubitatis. Nimirum ipse est, qui prima die, qua felicissimum istud cum Domino fœdus iniit et vovit sacræ conversationis, necdum posito habitu sæculari, in fratris latere nondum infixam lanceam vidit (163), et post dies circiter quindecim infigendi locum vulneris digito demonstravit. Nunc autem corruptibilibus exoneratus exuviis, corporalibus vinculis absolutus, terrenis eductus a tenebris, mundano de carcere erutus, ex his potissimum, quæ ad suorum necessitates pertinent filiorum, aliquid ignorare credatur? Non est ista sollicitudo carnalis, nec spiritualis est æstimanda paternitas in carnis resolutione dissolvi. Sane etiam nunc audire debet a filiis, audire debet e tumulo, qui auditus olim est in utero materno. Unde etiam celebranda cognoscitur in multa benedictione ejus memoria post decessum, cujus magnifice commendata est sanctitas etiam ante ortum. Sicut enim novit qui sunt ejus Dominus, et novit utique quos elegit a principio : sic **1316** etiam sua quibusque tempora et momenta constituit, quibus æternæ suæ dilectionis, vel ipsis, vel de ipsis innotescat arcanum. Cumque alios in pueritia, alios in juventute, alios in senectute vocaverit : nonnullos tamen, sed paucos, velut quodam privilegio gratiæ specialis in benedictione præveniens, imo præripiens, necdum natos, quales essent, quibus voluit signis et indiciis declaravit.

16. Sic electi sui et prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc felicissimo onere gravidam, insolita visione perterruit, sed interpretatione ejusdem consolatus est visionis. Cum enim nobili foret gravida fœtu, somnium vidit quod Religioso

(163) Vid. lib. I, Vitæ, cap. 3.

Digitized by Google

cuidam solitario indicans ait : « Vidi et audivi quasi catulum toto corpore candidum, in dorso subrufum, in meo latrantem utero, et expavi. » Cui ille : « Ne metuas, ait, paries filium acceptabilem Deo, qui prædicator efficax et eximius, magnus et excelsus in verbo gloriæ est futurus (164). » Sic nimirum Bernardus noster ex quo cœpit utcunque vivere, cœpit mirabilis apparere. Necdum parturiebatur, et jam prædicabatur, vel magis jam ipse prædicabat : et nec lactans quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immerito sic commendatur antequam natus est : non immerito, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus gestaretur in utero. Fidelis siquidem viri verbum quam veraciter sit prædictum, quam efficaciter adimpletum, ipsi nimirum hodie recolunt, qui in se ipsis experti latratuum ejus efficaciam et medicinalem linguæ gratiam certius cognoverunt. Et nunc, Domine, qui te diligit, canem tuum utique diligit. Utinam et ipse diligas, quem ille dilexit. In cujus eloquio evidenter probavimus esse completum, quod in laudem sponsæ persequitur in Cantico canticorum : *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (*Cantic.* IV, 3). Paucis siquidem verbis fervor in colore coccineo, in vitta subtilitas et latitudo, sed et cogitationum cordis cohibitio, tanquam capillorum capitis colligatio, evidenter autem et expresse eloquii est commendata dulcedo. Cujus autem doctrina tam fervens, tam subtilis, tam copiosa, tam utilis, tam dulcis denique et acceptabilis fuit?

17. Sed quid dicimus, quod in corpore toto candido dorsum visus est habuisse subrufum? Candor enim castitas ; candor, innocentia vitæ ; candor corporis, puritas est actionis. Quid autem rubor est? Nonne martyrium? Quid si rufus apparuisset, nonne martyr fuisset? Nam dorso portantur onera, dorsum ad flagella præbetur : et quamvis non timuerit cavere [*fort.* currere], quis plus currit in certamine, confessor ista sustinens, quam martyr ictum sufferens? Humano tamen arbitrio post bonos martyres sanctis confessoribus gloria in sæculo tribuitur. Cæterum, si meminimus, quanta tulit et pertulit hic Dei famulus, quam multa, quam gravia, non unius ictus mortificatione sed longa sui corporis maceratione sustinuit : non immerito forsitan, sicut beatum Laurentium Apostolorum supparem, sic Bernardum nostrum supparem martyrum dicimus, quem subrufum in matris utero apparuisse cognovimus. Felix, qui inter cœlestis sponsi membra, tam celeriter suo conformatus est Capiti, ut quemadmodum ille *candidus et rubicundus*, *electus* prædicatur *ex millibus* (*Cantic.* V, 10) : sic iste suo utique modo candidus, et sine passione rubicundus, patientia tamen subrufus exstiterit. Oportet autem nos quoque imitatores ejus esse, sicut et ipse

(164) Ibid., cap. 1

Christi. Nonne enim, etsi non aliis, nobis tamen apostolus est? Nonne signa apostolatus vos estis ante Deum? Nec vos pauci tantum, qui cum eo etiam nunc præsentialiter cohabitare videmini ; sed qui in locis hodie tam innumeris sub umbra nominis ejus vivunt, inter gentes tam diversas, plerumque etiam barbaras et perversas. Utinam non degeneres vos præbeatis filios tanti Patris, sed candidos in sanctimonia, subrufos in patientia, latrantes zelo Ordinis, fervore justitiæ, voce libera veritatis. Sicut enim eumdem Patrem candor excellens totius suæ conversationis et vitæ, confessoribus sanctis et electis virginibus sociavit, dorsum quoque subrufum martyrum supparem fecit, apostolicum virum excellens doctrina probavit : sic ejusdem vox in utero tam **1317** ipsius desiderabili contubernio, quam sæculorum omnium consortio et beata visione donabit. Nimirum non eos solos, quos prædiximus, eumdem Patrem, si mecum, fratres, in hac parte sentitis, aut quærere stupebitis, aut invenire sperabitis. Multas ille in domo Patris, ut a multis multum exoptatus advenit, mansiones sibi paratas invenit : nisi forte ambigimus, feliciter eum in prophetico cuneo esse susceptum, quem in tantis experimentis sæpe probavimus spiritum habuisse propheticum. Sed nec illud incredibile cuiquam videatur, sanctos etiam patriarchas, ut primum ille Vir Dei cœleste palatium et divinum introivit templum, gratanter ei suum non modo aperuisse sinum, sed annuisse consessum. Siquidem non indignum judicarunt in illo sacro numero sui senatus ascribi, in cujus semine tantas undique gentes vident, nec invident benedici.

18. Nostis etiam, dilectissimi, sanctos et summos sensisse doctores, electorum species hominum, pro diversis suorum qualitatibus meritorum, ad sacros provehi ordines Angelorum. Dicuntur enim Angeli nuntii ; Archangeli et Principatus, summi nuntii ; quod per illos minora credantur, per istos summa quædam et præcipua nuntiari. Nihilominus etiam in electis hominibus invenire est alios, qui licet minus eruditi parva capiant, fideliter tamen proximis quibus possunt, eadem ipsi annuntiant : alios, qui sublimiora quædam percipiunt, et ea quoque sine invidia perfectis et capacioribus quibusque communicant. Et illi quidem hinc transeunt ad angelicum ordinem, obtinent isti inter Archangelos mansionem. Neutrum autem doctrinæ genus huic beatissimo Patri nostro defuisse cognovimus. Siquidem spiritualibus spiritualia comparans, sublimia proponebat : nec ineruditis tamen et parvulis condescendere renuebat. At illud in eo forsitan tunc exstitit mirabilius, et nunc sapit dulcius, quod videbatur humilius. Quoties enim et nos audire delectabat, et nunc meminisse delectat, quemadmodum iste homines rusticanos, et mulierculas pauperes ad congrua sibi humanitatis officia provocabat? Nimirum docebat illos, cum vicino alteri suus, ut

Digitized by Google

solet, panis deficeret, hilariter ei, donec reddere posset commendare: alterum vicinum, cum sibi ille, alias forsitan occupatus, non præparaverat escas, cum charitate eum vocare ad olera; magnanimiter ei legumina modica mittere, et exigua communicare pulmenta. Sic et legitimi fidem servare conjugii; nec ingratos divino beneficio, metas transgredi indulgentiæ salutaris. Terrenis etiam dominis stipendia ministrare terrena, et fideliter debita reddere illi, vel decimas sine fraude, qui justius poterat etiam novem partes, quam agricola sibi vel decimam vindicare. Ipse enim et terram condidit, et laceros dedit, et vires contulit laboranti. Ipse etiam jactata semina gelu constringit, pluviis rigat, vernali fovet tepore, sole torret æstivo. Alioquin perdit, qui arat, laborem suum, nisi ille dederit incrementum. Sortilegos etiam et eorum sacrilega carmina studiose monebat oportere cavere: nec debere eos nocentes sibi, cum non possent gladiis, labiis insectari, nec fraudando invicem in magnam perniciem modica lucra sectari: sed illius meminisse, qui cum dives esset, propter nos factus est pauper, et quia ei derelictus est pauper.

19. Cæterum in parvis etiam referendis parvitas nostra deficiens, ad majora ejus insignia quando sufficeret? Itaque melius arbitramur hanc ei suarum laudum cedere portionem, ut spiritualis ejus doctrina, quoniam longe alia intentione scripsisse constat, ex litteris tamen propriis innotescat. Nam et lucerna cum ad hoc magis, ut cætera videantur, accensa fuerit, latere tamen ipsa non poterit. Nobis interim commemorasse sufficiat quod merito creditur in utroque cœlestium nuntiorum ordine constitutus, qui in utroque docendi genere fuerit tam fidelis, tam efficax, tam devotus. Sane per eos Spiritus, quos Virtutes appellant, multiplicia aiunt edi signa: per Potestates, dæmonia coerceri. Quod si eisdem connumerantur ordinibus, qui eisdem pollent operibus: liquet profecto, quod a neutro etiam horum Bernardus noster excluditur, qui tam magnifice in utrisque miraculis enituisse **1318** cognoscitur. Inter Principatus et Dominationes illud forsitan interesse videtur, quod cum utrique credantur electis etiam præesse spiritibus, Principatus tamen velut ex officio cæteris facienda disponant, et tanquam strenui quidam divinorum exercituum duces in ipsa ejus operis executione præcedant. Porro dominationes gradu sublimiore illis etiam sibi obedientibus mira quadam potentia et auctoritate præeminent. Unde etiam inter homines ipsos credimus ad Principatuum ordinem pertinere, qui cæteris fratribus præsunt in sollicitudine administrationis. Illos autem ad Dominationes, qui ipsam magis obedientiam obtinere promerentur speciali quadam reverentia sanctitatis: nimirum de ejusmodi dicitur, quod ipso jure mundiliæ dii inter homines appellentur. Nec difficile est animadvertere, qualiter in hoc beato Patre nostro pariter hæc utraque conveniant. Siquidem et plurimis fratribus pastoralem exhibuit sollicitudinem, et apud omnes pene ecclesias reverentiam et auctoritatem obtinuit singularem. Cui enim sic credebatur, sic deferebatur, sic obtemperabatur a Religiosis, a sæcularibus, a principibus, a pontificibus? Sequuntur Throni, quos nimirum inde nomen accepisse cognovimus, quod in eis sedeat Deus. Et sane pulcherrima hæc dispositio. Siquidem omni dominatione sublimius est et gloriosius, subjacere Domino. Et quamvis, jam post casum ejus, cum suis utique complicibus, qui illi similis voluit apparere, cæteros etiam omnes ordines Angelorum certissime suo constet Auctori voluntaria devotione subesse: videntur tamen nonnihil habere proprium, in quibus dicitur residere.

20. Maxime tamen hoc observandum hominibus ut ipsi potissimum Deo subditi inveniantur, qui inter homines amplius honorantur. Alioquin væ eis, nisi omnem suum illi subjecerint dominatum, nisi suum omnem principatum substituerint Domino dominorum. Væ eis qui præeminere et præsidere videntur hominibus, nisi eis sedeat et præsideat Dominus, necessaria siquidem major humilitas, ubi fuerit major auctoritas. Quam nimirum in hoc ipso, de quo loquimur, Patre nostro, quanto profundiorem et puriorem probavimus, tanto amplius gratulamur, quod beata ejus anima, et in carne posita sedes fuerit sapientiæ, quam firma et stabilis, quam quieta et humilis, tantum etiam acceptabilis. Denique tanto etiam arbitramur, quod multo magis jam carne soluta inter illas cœlestes sedes meruerit apparere sublimis. Jam vero ubi humilitas ista præcesserit, non inflabit scientia, sed implebit, præsertim si accesserit supereminens gratia charitatis. Sic nimirum locata videtur in tuto scientiæ plenitudo, si sustineat eam humilitas, foveat charitas. Unde etiam non immerito octavus et nonus ordo Cherubim et Seraphim appellantur, quibus nimirum nominibus in eisdem ordinibus scientiæ plenitudo et ardor sive incensio commendatur. Nam Cherubim quidem plenitudinem scientiæ, Seraphim autem ardentes, vel incendentes aiunt designare. Quod si credimus ad eumdem ordinem pertinere eos, quibus inveniuntur eorumdem interpretationes nominum convenire; non nos oportet, nec super hoc quidem ordinibus summis atque supremis ambigere, quin beatus Pater et pastor noster locum habeat in utroque.

21. Nimirum quam plenus scientia fuerit, usque hodie sciunt qui de plenitudine ejus acceperunt. Quemadmodum autem, vel magis quam supra modum et amando arserit, et alios loquendo accenderit, vos potissimum meministis, qui sæpius experiendo probastis, ut vobiscum, ni fallor, tacita cogitatione dicatis: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis?* (*Luc.*, XXIV, 32.) Quoties ex hoc auditorio, et qui tepidus forsitan introivit, non mediocriter inflammatus exivit? Ignitum ejus eloquium vehementer: et quis non illud diligeret? quis non ad illud dilectione flagraret? Felix proinde, cui sic in

Digitized by Google

omnibus et inter omnes requiem invenit; sic Agnum sequitur quocumque ierit Felix qui sic multiplicium meritorum præmia recipit: ut multo magis nihil ei jam desit in ulla gloria, cui nihil in ulla gratia ante defuerit. Cæterum super his omnibus divisionibus gratiarum Fraternitatem vestram **1319** admoneo, dilectissimi, sic in ipso tanto, et tam pretioso thesauro gloriari, ita suæ electionis signa venerari, ut A quæ ad nostram magis profuerint ædificationem, et necessaria fuerint ad salutem, æmulari studeamus; magnifice in eo semper laudantes et glorificantes ejusdem salutis auctorem, indulgentiæ concessorem, gratiæ largitorem, gloriæ redditorem Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

EJUSDEM GAUFRIDI

Epistola ad Albinum cardinalem et episcopum Albanensem.

De condemnatione errorum Gilberti Porretani.

Amantissimo patri et domino ALBINO, Dei gratia Albanensi episcopo, domini Papæ vicario, frater GAUFRIDUS de Clara-Valle, minimum id quod est.

1. Injunxerat vestra Paternitas venerabili fratri nostro et vestro speciali filio Augustino, ut de mandato vestro mihi imponeret, vobis per epistolam diligenter notum facere qualiter in Remensi concilio, quod dominus papa beatæ memoriæ Eugenius tertius celebravit, super quibusdam capitulis, in expositione Pictaviensis episcopi magistri Gilberti, cognomento Porretani, deprehensis, et reprehensis tractatum, quid et quemadmodum tandem fuerit judicatum. Unde vobis si tardius videor obedire, non miretur vestra Serenitas; quoniam ante vigiliam festivitatis Omnium Sanctorum verbum aliquod parvum vel grande super hoc non audivi. Eadem die stilum et tabulas apprehendens cœpi scribere, quod optarem vobis, si possem, celerius intimare.

2. Eodem igitur anno, quo prædictus pontifex Eugenius Romanæ Ecclesiæ cathedram sedens, non mediocrem primo statim auditu flagitiosis intulit metum, et honestis omnibus e regione fiduciam; magnus quidam vir et bonorum memoria dignus, Arnaldus nomine, et cognomine Qui-non-ridet, in ecclesia Pictaviensi sub prædicto episcopo officium archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, sed ab ejus prædecessore promotus: difficile siquidem talis arbor fructum ejusmodi protulisset. Accidit autem ut ab eodem archidiacono, satis fideli pariter et diserto, super quibusdam capitulis fidei familiariter, ut credimus, ante commonitus, nec acquiescens, in ecclesia demum palam argueretur. Appellatum denique est ad Romanam Ecclesiam, et coram prænominato papa eadem quæstio ventilata: qui in Gallias descensurus, utramque partem sibi præcepit in solemnitate paschali Parisius præsentari. Adfuit beatissimus pater noster sanctus Bernardus cum eodem papa in eadem solemnitate Parisius: cui omne negotium Christi, ubicumque eum contigisset adesse, tanquam omnino proprium, nemine super hoc ambigente, protinus incumbebat. B Facta est inquisitio secundum prædictum codicem expositionis super Boetium: ab eodem episcopo requisitum ad manus se non habere respondit. Inventa est tamen apud scholares particula quædam, ubi inter cætera continebantur hæc verba: « Si homo, cui diversa conferre [conferunt] ut sit, præ abundanti unius formæ, ut puta sapientiæ, sapientia dicitur ipsa, secundum illud: Tu quantus quantus nihil nisi sapientia es: multo magis Deus, cui diversa non conferre [conferunt] ut sit, dicitur esse sapientia sua, bonitas sua, et cætera. » In hunc modum producta est in medium hæc scriptura, et disputabat sanctus Bernardus adversus episcopum, dicens grave verbum et enorme videri, quo dicebatur, diversa non conferre Deo ut sit, quasi conferat unum. Illam quoque similitudinem locutionis emphaticæ procul esse a Deo, nec sicut quilibet hominum sapientia sua dicitur, sed vere et substantive dicam esse sapientiam suam, essentiam suam, divinitatem suam, et non quemadmodum Davus dictus est scelus. Negabat autem episcopus docuisse, vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, quod divinitas non esset Deus, quod forma vel essentia esset in Deo, quæ non esset Deus; et amplius aliquid faciens, discipulos suos episcopum quemdam Ebroicensem generosum satis, Rothomagensem **1320** archiepiscopum post futurum, Rotoldum nomine, et magistrum Ivonem Carnotensem testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, invitus quidem, ut satis tunc animadvertimus, sed suorum stimulatione compulsus, propter verba tamen libelli sui quæ præmisimus. Et quia aliud alii asserebant, injunxit ei summus Pontifex, quatenus ante concilium, quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat, eumdem sibi libellum transmitteret studiose scrutandum, et paratus esset in eodem concilio ad objecta plenius respondere.

3. Accidit autem, ut expositionem illam sæpe dictus dominus Eugenius, ab episcopo sibi directam, venerabili cuidam abbati Præmonstratensi Godescalco de Monte-Sancti-Elegii, qui postmodum ta-

Digitized by Google

ctus est Atrebatensis episcopus, traderet perscrutandam. Qui diligenter, utpote vir disertus, notavit capitula, et ex libris sanctorum catholicorum Patrum auctoritates paucas manifeste contrarias scripsit in schedula, quas ad idem concilium veniens, domino Papæ cum libello Pictaviensis episcopi præsentavit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem Ecclesiæ, dominum Albericum Ostiensem, cum omni reverentia memorandum, qui legatione functus in Aquitania, super vita pariter et doctrina illius Gilleberti tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab ejusdem Ostiensis episcopi ferventissimo zelo præ cæteris ejusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si advixisset idem vir, Pictaviensis ille, quæ ausus est confiteri, præsente eo nullatenus præsumpsisset. Ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat : sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino Papa traditus Patri nostro sancto Bernardo Claræ-Vallensi. Aderant viri magni nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio, Burdigalensis ecclesiæ archiepiscopus, cujus in Pictaviensi episcopus suffraganeus erat ; Milo Morinensis episcopus, religione et scientia satis insignis ; Joslenus Suessionensis episcopus tam sæculari, quam litterali scientia præditus ; Sugerius abbas Sancti-Dionysii, cui Francorum rex Ludovicus, Jerosolymam proficiscens, totius regni commiserat administrationem. Hi et alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter et Scripturæ sacræ testimoniis arguebant : nisi quod prædictus Gaufredus minus cæteris loquebatur, de industria parcens homini, et judicio se reservans, sicut humiliter est confessus, et pœnitentiam egit, audiens dominos cardinales, quorum principales favisse reo, et evidenter etiam fovisse constabat, super auditis objectionibus sese promittere judicaturos.

4. Ingredientibus vero nobis consistorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos suos Pictaviensis fecisset afferri, et nos paucas auctoritates Ecclesiæ in sola schedula haberemus : occasione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quod decurtata testimonia proferremus, cum ille codices integros exhiberet ; ubi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis præcedentia vel sequentia adhærerent. Prolatum tamen capitulum de ejus codice in hæc verba : « Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. » Quod dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, et adversus eum adhuc tergiversantem non immerito causarentur, sanctus Bernardus ad Episcopum ait : « Quid necesse est circa hujusmodi verba diutius immorari ? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt, et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. » Ausus est dicere : « Forma Dei et divinitas, qua Deus est, ipsa non est Deus. » Ecce, ait sanctus Bernardus, tenemus quod quærebamus : scribatur ista confessio. » Præcepit summus Pontifex ; et domnus Henricus Pisanus, tunc Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Claræ-Vallensis monachus, et ex abbate Sancti-Anastasii sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum porrexit **1321** et attulit chartam, calamum et incaustum. Cum autem scriberet ipsam confessionem : « Et vos, ait Episcopus ad Abbatem, scribite, quod divinitas est Deus. » Nec concitatus ille respondit : « Scribatur, » inquiens, « stilo ferreo in ungue adamantino, vel sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo vere est Deus. »

5. Disputatum est deinde super eodem capitulo, et eousque processum est, ut diceret Sanctus, quod si forma illa Deus non est, melior Deo est, cum ex ea Deus habeat esse ; ipsa autem nec ab eo sit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potissimum credidi memorandum propter eam specialiter causam, quia disputatione completa ecclesiæ Remensis armarium mox ingressus, plures exinde tuli codices, et in libro beati Augustini de Trinitate inter alia plura testimonia eadem pene verba, quæ sanctus Bernardus objecerat, reperi in hunc modum : « Deus magnus est nonnisi ea magnitudine, quæ est quod ipse : alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. » Cæterum cum de primo capitulo prima die disputaretur, ego fui qui objeci eidem episcopo, audientibus universis, quod verba illa, quæ modo profitebatur, eodem anno Parisius coram domino Papa, et majori parte majorum quæ aderant personarum, penitus abnegasset, et testes produxisset quod talia nunquam crediderat, nunquam docuerat. At ille multum confidens, et amplius forsitan quam postea voluisset, quia negare non poterat se negasse : « Quidquid tunc dixerim, modo, » ait, « hoc dico. » Ego vero suspirans graviter, quod viderem coram tantis judicibus paulo minus impune tanta præsumi : « Ergo sicut rex, inquam, vestrum dictum et dedictum habetis ? »

6. Et factum est, ut disputantibus personis, quæ aderant, super primo capitulo prædicto, occurreret secundum, profitente prædicto episcopo, quod nec unus Deus, nec unum aliquid sint tres personæ, licet tres personæ sint unus Deus, id est, una divinitate ; et sint unum, id est, uno. Et adversus hoc capitulum diutius est disputatum, postquam suggerente sancto Bernardo, et domino Papa præcipiente, ipsum etiam cum priore litteris est commendatum. Cui evidens satis opposita est auctoritas Athanasii in hæc verba : « Supernarum virtutum carmina unum tria, et tria unum esse confirmant. » Sequenti die codices tantos attulimus ad disputationem, ut obstupescerent fautores Episcopi, et a

Digitized by Google

nobis audirent, quia ecce schedulas non habemus. Faciebat Episcopus in libris beati Hilarii, et de corpore canonum in quorumdam Græcoruum epistolis verba minus intelligibilia, præsertim in tanta festinatione, et in tanta ac tali multitudine lectitari : nec deerant qui pro eo se opponerent, licet parum intelligentes. Addita sunt eodem die capitula duo prioribus, et litteris pariter commendata, quod personales proprietates, et æternarum rerum multitudinem copiosam episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus esset, nulla a Deo.

7. Quartum fuit capitulum, quod natura divina naturam non suscepit humanam, sed persona Filii naturam nostram suscepit, contra illud beati Gregorii : « Quia venit ad nos calceata divinitas humanitate : » Et beati Augustini in libro primo de Trinitate : « Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque homo. » Item ejusdem super Evangelio Joannis, in Tractatu septuagesimo quinto : « Semetipsum exinanivit, et homo, etc. Quis nisi idem ipse Christus Jesus? Sed hic jam sunt omnia; et Verbum in forma Dei, quæ accepit formam servi; et anima et caro in forma servi, quæ accepta est a forma Dei. » Et Leo papa : « Suscepit nos illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. » Exinde postquam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, ut dicerent domini cardinales, « Quia ecce audivimus quæ proposita sunt, deinceps judicabimus, qualiter debeant definiri. » Quod verbum eatenus movit corda multorum, ut sequenti die apud sanctum Bernardum convenirent archiepiscopi decem, episcoporum quoque et abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia judicium sibi soli videbantur **1322** reservasse, quos noverant fere omnes errantis potius quam erroris fautores; providere oportere, cum capitulis illis Gilleberti episcopi, suæ et fidei symbolum mitti, ut scirent plenius unde judicarent. Scripserunt ergo capitula totidem quam expressius potuere, illius verbis suam confessionem contrariam in omnibus et per omnia proponentes, quam de communi omnium convenientia non sine multa deliberatione dictatam judicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid judicarent : sed credebant, nonnullos eorum ad hoc tendere, ut sine aliqua definitione concilium solveretur. Propter quod eidem scripturæ, quam novissimam vobis mittimus, subscripta sunt nomina singulorum qui aderant archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et magistrorum, de consensu et convenientia universorum.

8. Et electæ sunt tres personæ, episcopi duo reverendissimi, Hugo Autissiodorensis, et Milo Morinensis, et Sugerius abbas Sancti-Dionysii, qui eamdem scripturam domino Papæ et cardinalibus præsentarent, et dicerent eis : « Pro vestra reverentia sustinuimus minus dignos acceptione sermones, donec tandem audivimus quod de eis judicare velletis. Offerimus ergo et nos vobis nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam : convenit ut teneatis et nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur : nos hujusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitus mutaturi. » Quibus sine cunctatione dominus Papa respondit, et universis qui miserant eos, renuntiare præcepit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret; et si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit quod in insigni palatio, cui nomen est Thau, ecclesia universa conveniens,, et interrogatus episcopus Pictaviensis, capitulis singulis libere renuntiavit, hæc eadem verba locutus : « Si vos aliter creditis, et ego; si aliter dicitis, et ego; si aliter scribitis, et ego. » Ibidem dominus Papa auctoritate apostolica, de assensu totius ecclesiæ quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districte præcipiens ne eumdem librum legere, vel transcribere, etiam sic reprobatum, quis auderet, nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus : « Ego corrigam ad arbitrium vestrum. » « Non vobis, ait, hæc correctio committetur. »

9. Erant et alia quæ in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem episcopus tradidisse, licet nos dissimularemus; pro multitudine tamen scholarium, qui testimonium perhibebant ab eo audivisse multoties, hæ coram omnibus scissæ et discerptæ fuerunt chartæ, quæ dicebantur ejus sententias continere : quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tum scire curavi, nec adhuc scio. De cætero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestræ Dignationis accepi, diligenter considerans in libro Glossarum Psalterii, quas idem Gilbertus Porretanus composuit super versum, *Adorate scabellum pedum ejus* (*Psal.* xcviii, 5), ita scriptum inveni : « Caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus spiritualiter manducat, nisi prius adoret. » Huc usque verba sunt Augustini. Quibus continuo addidit Gillebertus declarationem, quod est additamentum eorum : « Non illa dico adoratione, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur, sed illa, quæ in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur : quæ duas habet species, unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. In libro etiam Glossarum ejus in Epistola sancti Pauli super illum locum, *Propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* ii, 9), ita est commentatus : « Quibusdam videtur hoc nomen datum homini : quod nulla ratione convenit. Hoc enim do-

Digitized by Google

num esse Filium Dei, hoc nomen esse Deum, quod non per solam appellationem, **1323** sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem suam, sed potius a Patre, a quo habet omnia, cum generaretur, accepit. Hoc ergo non homini datum; nisi forte quis dicat, per adoptionem omne datum : sed adoptivo Deo non flectitur omne genu, nec est in gloria Dei Patris; nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apostolus : *Dedit illi nomen*, etc. Quod ideo dico, quia natus accepit ut per crucem manifestaretur, quod a Patre, dum generaretur, accepit. » Horum ergo capitulorum nihil ejusdem concilii tempore audieramus, nihil penitus noveramus.

10. Videntur autem his contraria hæc quæ sequuntur in scripturis beati Leonis papæ, quorum auctoritatem sacris canonibus confirmatam optime novit vestra Discretio. Dicit enim in Sermone paschali : « Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, ut ille habitator, et illa esset habitaculum ; sed utrumque Deus de potentia suscipientis, uterque homo de humilitate susceptí. In utraque igitur natura idem est Dei Filius, et nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque. » Item : « In nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, et Verbum in Christo hominem, et Christum adoremus in Verbo. » Et infra : « Utrumque fideliter credite, utrumque fideliter adorate, et in unitate Verbi et carnis non sit ulla divisio. » Idem in Sermone de Natali : « Ab illo tempore, quo Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est, cum nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum. Nec enim divinis humana præjudicant, nec humana divinis : ipse est caro qui Verbum. » Idem ad Flavianum episcopum : » Sententia est Joannis apostoli et evangelistæ : *Qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus.* (*I an.* IV, 3.) Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam a Verbo separare naturam? » Augustinus in Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum (164*) : « Homousion Patri et homini adoratur ab Angelis et omni creatura, sicut Pater et Spiritus sanctus; non homo propter [*al.* præter] Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, et in homine Deus. » Idem de Prædestinatione sanctorum : « Ille homo ut a Verbo in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Nam et ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum didicimus in Apostolo. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, tam celsa et summa subrectio, ut quo attolleretur altius non haberet. » Hieronymus in Breviario Psalmorum, super *Adorate scabellum pedum ejus* : « Licet quidem assumptus sit homo, et ad comparationem Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo. Et de sedili suo videte quam rem audeam loqui : Ego ita adoro scabellum, sicut et thronum. Ego non intelligo aliud sedentem, et aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quomodo sit nescio, et tamen credo quod sit. Sufficit mihi scire quod scriptum est, quod credo : fideles dicimur, non rationales. »

11. Contra capitulum quartum, secundum quod præscripsimus, sentit Leo papa scribens ad Flavianum episcopum ita : « *Hoc*, inquit Apostolus, *sentite in vobis*, etc. usque *in gloria Patris* (*Philipp.* II, 5-11), assumpti non assumentis provectio est quod dicitur : Deus illum exaltat. Idem scientes, quod sempiterna Filii deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudenter advertite, quod nec cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), eidem in Christo dicitur, *Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1). » Idem ad Constantinopolitanos : « Dicant adversarii veritatis, quando omnipotens Pater vel secundum quam naturam Filium super universa provexit, vel cui substantiæ cuncta subjecit; deitas enim Verbi par in omnibus et consubstantialis est Patri : sed minor erat provehente qui crevit. In natura hominis accepit a Patre, quod in natura deitatis etiam ipse donavit. » Item ad Leonem Augustum, et ad Palæstinos : « Exaltationem qua *illum exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, ad eam intelligimus **1324** pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. » Item : « Quidquid ergo accepit, in tempore secundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Forma autem servi in gloria divinæ potestatis evecta est : nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, vel adoretur. » Hieronymus in Breviario super Epistolam ad Philippenses : « Si ita assumptus homo humiliari dignatus est, divinitas, quæ se humiliare non potest, eum qui humiliatus fuerat, merito exaltavit. Sed et illi donatum est nomen, quod ante non habuit. Unde recte locus hic secundum humanam naturam intelligendus est. » Idem super *Dixit Dominus Domino meo* : « Istum locum Salvator, in Evangelio exposuit, dicens : *Si Christus est*, inquit, *Filius David, quomodo in spiritu vocat eum Dominum?* (*Matth.* XXII, 43) huic Domino, cui præcipitur ut sedeat? Deus enim non sedet assumptione corporis sedet. Huic ergo præcipitur ut sedeat qui homo est, qui assumptus est. » Augustinus contra Maximum : « *Donavit illi nomen*, etc. Homini donavit ista, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus est, ipsa exaltata est; ipsi donatum est nomen quod est super omne nomen, homini Christo secundum carnem me tuo, resurgenti, ascendenti. Donatur enim nomen quod est super omne nomen. »

12. De cætero, ut epistola finem deinceps sortiatur, si placuerit vestræ Discretioni super prioribus capitulis quatuor plenius edoceri, in sermonibus beati Bernardi super Cantica canticorum diligentior de eisdem disputatio continetur. Optamus et oramus, ut bene semper in Domino valeat vestra Paternitas. Recommendamus vobis fratres nostros.

(164*) Hic liber non est Augustini : tribuitur Gennadio.

Digitized by Google

de Fossa-Nova. De prosperitate vestra, et statu Ecclesiæ sanctæ certitudinem satis vellemus audire.

13. Vix perfecta erat epistola hæc ab eo, cui tradita fuerat ad scribendum, et ecce eadem hora voluntas Domini fuit, ut mihi occurreret quod volebam. Ab altero siquidem fratre, priusquam mihi præsens epistola redderetur, scriptura alia diu quæsita, jam penitus desperanti mihi exhibita est, quam super eisdem capitulis ante annos pene quadraginta ediderat cum ipso symbolo, quod domino Papæ et Romanæ Ecclesiæ ex parte decem archiepiscoporum, et omnium episcoporum pene, qui in illa adhuc die Remis inventi sunt cum abbatibus maximis atque plurimis, et magistris scholarum, et subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat præsentatum. Unde satis exsultans, illam quoque scripturam adjiciens huic epistolæ, tanquam charissimo domino meo vobis utramque filiali devotione transmitto.

14. Audivi etiam, quod super damnatione Petri Abælardi Diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius papa secundus in urbe Roma, et in ecclesia beati Petri incendio celebri concremavit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam et ante plures annos venerabilis quidam cardinalis et legatus Romanæ Ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ Sancti-Nicolai de Aruasia, Theologiam ejus, Suessione concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, et convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum de vita sancti Bernardi, et per ejus epistolas missas ad curiam satisfiet. Inveni tamen in Clara-Valle libellum cujusdam abbatis Nigrorum monachorum, quo errores ejusdem Petri notantur : quem et olim me vidisse recordor; sed a multis annis, ut custodes librorum asserunt, studiose quæsitus primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium, cujus abbas exstitit qui eumdem librum composuit : et si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, et mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, ut cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata.

EJUSDEM GAUFRIDI LIBELLUS

CONTRA CAPITULA GILBERTI PICTAVIENSIS EPISCOPI (165).

1325 1. Quatuor quædam in his schedulis capitula, lector, invenies, quæ in magna nuper ecclesia propalata et reprobata sunt, tanquam manifestæ repugnantia veritati, nec cuilibet veritati, sed ei cujus injuriam dissimulare non licuit; quod ea vel maxime fidei catholicæ obtineat fundamentum. Hi sunt panes absconditi, quos celebris ille magister, Porreta agnomine, nomine Gillebertus, suis non parvo tempore discipulis venditarat : nec paucos eorum furtivis inebriarat aquis, præsertim animos juveniles novitate gaudentes; sine clave, quæ Christus est, in divinas paginas irruentes; sine Spiritu, qui solus ea novit, scrutantes ipsa etiam alta Dei. Inter ejusmodi, nova dogmata celabantur; sed in lucem aliquando prodiere.

2. Horrebant Catholicorum aures profanam novitatem, et eo usque zelus prorupit, ut prædictus Gillebertus, jam tunc quidem Pictaviensis episcopus, in præsentia summi pontificis Eugenii tertii super his pulsaretur. Elegit autem negare omnia, etiam quæ Pictavis in synodo sua manifeste arguebatur fuisse confessus. Inter negandum tamen anfractuosis quibusdam, more suo, verborum cavillationibus utebatur : ut facile Vir apostolicus animadverteret, prorsus aliquid apud eum de anathemate Jericho latitare.

3. Itaque eodem anno descensurus in Galliam, causam distulit; et Parisius facta est secunda interrogatio de eodem. Agebant quidam pro eo, quidam pro fidei veritate, maxime Claræ-Vallis reverendissimus Abbas : sed cautius forte videbitur simplici narratione contentum, quod ad personas pertinet, silentio præterire. Ibi quoque et objecta negavit, et testes protulit suos olim discipulos, tunc coepiscopos, quod nihil tale aliquando docuisset. Scripserat autem librum super tractatum Boetii de Trinitate satis commentitie commentatus, ubi copiose quidem præfatos errores disseminarat : pluribus tamen locis, sinuosis quibusdam voluminibus caput contegens serpentinum. Postulatus hunc librum, ad manum se habere negabat : nec facile erat, præsertim ob discussionem a suis eum discipulis obtinere. Prolatæ sunt tamen particulæ quædam : sed, ut poterat, etiam manifesta capitula detorquebat, non parvis in hoc patrociniis utens : demum jussus est summo Pontifici integrum mittere corpus libri.

4. Factaque est inquisitio tertia in urbe Remorum, ubi prædictus papa magnum eodem anno concilium celebravit, congregatis quatuor regnorum episcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ et Hispaniæ : ubi jam dissimulandi facultas non fuit, cum ex propriis litteris evidentius argueretur. Sed et ipse, paratis sibi patrociniis, factus videtur audacior, ut ex hoc dedignaretur amplius differi, quod tanto

(165) Ex manuscripto codice Longi-Pontis.

Digitized by Google

tempore docuisset. Itaque quidquid semel et secundo coram tanto judice et testibus tantis negaverat, impudenti temeritate professus, hoc tamen addere cautus fuit, paratum sese ecclesiastico sensui postponere suum, nec contumaciter velle in eo persistere quod dixisset.

5. Disceptatum est aliquantis diebus, quod ibi quoque, etsi pauci admodum pro doctrina illa starent, sed plurimi pro persona, satagentes excusare et extenuare etiam quæ non probabant. Unde et coactus est zelus Ecclesiæ cisalpinæ, secundum prædicti Clarævallis Abbatis sanam doctrinam, adversus eadem capitula fidei suæ Symbolum edere, quam expressius potuit, obvians his quæ dicebantur ab illo. Demum et a summo Pontifice abjudicatis omnibus, timens ille ac pavens, in communi audientia, ore proprio, his, quæ professus fuerat, abrenuntiavit, et singula quæque refutans, promisit sese nihil tale deinceps aut scripturum, aut dicturum, aut etiam creditarum. **1326** Porro volumen illud, in quo manifesta esset inventa iniquitas, lectitari de cætero aut transcribi, sub excommunicationis pœna summus Pontifex apostolica auctoritate prohibuit, nisi forte Romana Ecclesia purgatum illud ederet et correctum : quod quidem nec factum audivimus, nec speramus aliquando faciendum. Quia tamen multorum adhuc scholarium corda videntur eum quo semel imbuta sunt servare odorem; nec destiterunt, eo utique perniciosius sibi, quo occultius, interdictas paginas lectitare : erit forsitan non inutile, si ad correctionem præsentium, et futurorum cautelam, et ipsa pariter confutari erroris capitula, quemadmodum auctor eorum suo illa ore professus, suo deprehensus est inscripsisse libello; et sanctorum testimonia Patrum, quibus confutata sunt, aut confutari posse videntur, in medium proferamus.

DE CAPITULO PRIMO.

6. Initium malorum hoc erat. Forma ponebatur in Deo, qua Deus esset, et quæ non esset Deus : ut humanitas hominis forma est, non quæ sit, sed qua sit homo. Hanc vero formam sive naturam divinam, quam, ut diximus, Deum esse negabat, diversis appellari nominibus; divinitatem, magnitudinem, bonitatem, veritatem, sapientiam, omnipotentiam, qua videlicet una forma, non modo Deus, sed et magnus, et verus esset, et bonus, et sapiens, et quæque similia : eo nempe Creatorem a creaturis differre contendens, quod illæ quidem formis subsisterent pluribus, ipse una. Unde et ejusmodi enuntiationes : Divinitas est Deus, sapientia, veritas, magnitudo, bonitas, vel omnipotentia Dei est Deus ipse; si de simplicissima illa excellentissimaque natura sermo fieret, falsas esse omnino, tam impie, quam libere ausus est profiteri. Porro conversas earum : Deus est veritas, Deus est sapientia, cæterasque ejusmodi, emphaticas esse tradebat, ac si de homine diceretur, Tu quantus quantus, totus sapientia es : eo sane uvoriam magis in Deo figuram A expressionis assignans, quod in homine quidem, cui multæ sint proprietates, abundantia formæ unius, ut puta sapientiæ : in Deo autem singularitas ipsa veram faceret hujusmodi enuntiationem. Et Dei quidem esse in eo constituebat, ut hac forma subsisteret; formæ autem ipsius in eo magis, ut non hæc aliquo, sed hac esset aliquid, id est, Deus. De quo quidem capitulo super Tractatum Boëtii, imo potius contra, non exponens Boetium, sed Boetio se opponens, scripserat in hunc modum : « Sicut non est, quo Deus sit, nisi sola atque simplex essentia, id est οὐσία; sic non est unde οὐσία ipsa sit, nisi quoniam ea simplex et solus Deus est. Unde etiam usus loquendi est, ut de Deo dicatur, non modo Deus est, verum etiam Deus est ipsa essentia. Recte B utique. Si enim qui non modo sapiens, sed etiam coloratus, et magnus, et multa hujusmodi est, ex sapientiæ præ cæteris abundantia dicitur, Tu quantus quantus, totus es sapientia; tanquam nihil aliud sit, quod sibi esse conferat, nisi sola sapientia. Multo proprius Deus, cui diversa non conferunt ut sit, dicitur ipsa essentia, et aliis nominibus. » Idem : « Ut Deus est ipsa divinitas sua, ipsa sua sapientia.

7. « Divinitas in Patre dicitur esse, sicut essentia in eo qui vere est.

8. « Aliqui parvuli sensu audientes quod Deus est simplex, ipsum et quæcumque de eo nominum diversitate dicuntur, ut Deus, unus, æternus, persona, principium, auctor, Pater, Filius, C connexio et hujusmodi alia ejusdem naturæ ejusdemque rationis, esse ita accipiunt, ut essentia, quæ dicitur Deus, sit et unitas qua unus est, et æternitas qua æternus est, et similiter cætera, et e converso : **1327** ipse etiam Pater sit paternitas, et unus unitas, et æternus æternitas, et conversim.

9. « Quæro, an Pater et Filius et Spiritus sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, id est, de illis qui quoniam sola divinitate sunt id quod sunt, non modo Deus, verum etiam divinitas appellantur.

10. « Pater veritas, id est, verus : item Filius veritas, id est, verus : Spiritus sanctus veritas, id est verus; et collectim Pater, Filius, et Spiritus D sanctus non sunt tres veritates, sed sunt una singulariter et simpliciter veritas, id est, unus verus.

11. « Qui homo est, ut Plato, vel Cicero, vel Tripho; vel, qui Deus est, ut Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus; quod dicitur illorum quilibet esse homo, et istorum quilibet esse Deus, refertur ad substantiam, non quæ est, sed qua est.

12. « Cum dicitur Deus, Deus, Deus; primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu sancto, eorum quidem, qui sunt Deus numeratio facta est : ejus vero, qua sunt Deus, repetitio. »

13. Jam si expositorem audivimus, ne forte sit infidelis, ipsum consulamus auctorem. For-

Digitized by Google

mam quippe nominat, sed quid velit intelligi, manifestius exprimit, dicens : « Divina substantia sine materia forma est atque ideo unum est : et est id quod est, reliqua enim non sunt id quod sunt. Unum quodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, id est ex partibus suis : et est hoc atque hoc, id est, partes suæ conjunctæ ; sed non hoc vel hoc singulariter. Ut cum homo terrenus constet ex anima corporeque, corpus et anima est ; non vel corpus, vel solum anima. In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum hoc est ; illud vere est id quod est : et est pulcherrimum, fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest. Forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Nam quod cæteræ formæ subjectæ accidentibus sint, ut humanitas non ita accidentia suscipit eo quod ipsa est, sed quod materia ei subjecta est. Dum enim materia subjecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa hoc suscipere videtur humanitas : forma vero, quæ est sine materia, non potest esse subjectum, nec vere inesse materiæ.

14. « Hoc igitur unum quod solum est id quod est, hoc pulcherrimum fortissimumque quod nullo nititur ; in quo nullum aliud præterquam id quod est, quod subjectum fieri non potest ; forma enim est : quis sanum sapiens Deum esse negaverit ? alioquin si Deo diversa non conferunt ut sit, Divinitas autem nullo nititur, ne uno quidem ; eligat quisque quod judicaverit præferendum (165*). » Sane in judicio si forsitan hæsitaverit, consulat Augustinum. Ait enim : Deus non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est. Alioquin illa erit major magnitudo quam Deus (166). » Sed quid prætergredimur viam ? ad Boetium revertamur. « Catholicis vero nihil [*al. deest* nihil] in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Vides certe non esse catholicum, qui in Deo aliud quidem esse formam qua est, aliud vero quod est opinatur. De forma enim superius monstratum est, quoniam is sit forma, et unum vere, nec ulla pluralitas (167).

15. « Quæso te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. Quonam, inquam, modo ? Ne hunc rerum omnium Patrem illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum dignissime confitemur. Quod si natura quidem idem est, sed ratione diversum ; cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Nullo modo quæ sunt summa bona, eo possunt esse diversa. Atqui et beatitudinem, et Deum, summum bonum esse collegimus : quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa divinitas.

16. « Ergo, et inter summam beatitudinem, quæ est summa divinitas, demum discernere cura : et si placet, edissere nobis, quod et duobus sit summum bonum, cum summa bona a se diversa esse non possint. Durum enim videtur asserere, summam bonitatem, qua bona sunt omnia, etiam ipse Deus, aliquid esse non bonum : sed ne hoc quidem facile admittendum puto, inter bona media aut infima bonitatem hanc numerari (168). » Sed consulatur et unicus ille omnium malleus hæreticorum, an vel istam blasphemiam præterire videatur intactam : ubi et illud simul attende, non novam esse, sed olim tritam et ventilatam, imo et contritam et eventilatam iterum pullulasse.

17. « Nunc tene, » inquit, « inconcussa fide, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse Trinitatem, et tamen unum Deum ; non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas. Divinitas Trinitatis, quæ putatur alia esse quam sit ipsa Trinitas, et propter hanc dici non tres deos, sed unum, quod ipsa una sit in tribus, aut substantia est, aut non est substantia (169). » Augustinus est qui loquitur, et tuam nobis tam diligenter explicat novitatem. Responde quid sentias, utrum substantia sit, an non, tua hæc divinitas, cujus sola unitate tres personas dici asseris unum Deum. Quid obmutescis ? Ille partem utramque prosequitur, utrinque persequitur fugitantem.

18. « Si, » inquit, « substantia est, et alia quam Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, vel ipsa simul Trinitas, procul dubio alia substantia est. Hoc autem veritas repellit et respuit. Item si non est substantia ista divinitas, et secundum hanc Trinitas unus Deus, quod hæc una sit in tribus, non debuit dici Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ, sed unius divinitatis, quæ non est substantia. Agnoscis autem in fide catholica, quia hoc verum, hoc firmatum est, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, cum sit Trinitas, unus Deus est : quia inseparabiliter sunt unius ejusdemque substantiæ, vel, si melius dicitur, essentiæ. Nonnulli enim nostrorum, et maxime Græci, Trinitatem, quæ Deus est, magis

(165*) August. de Trinitat. lib. v, cap. 10.
(166) Boet. lib. de Trinitate, cap. 2.
(167) Boet. lib. de Trinitate, cap. 3.
(168) Id., de Consolatione, lib. III.
(169) August. epist. 222 ad Consentium.

Digitized by Google

essentiam unam, quam unam substantiam esse dixerunt, aliquid inter hæc duo nomina arbitrantes, vel intelligentes; unde nunc disputare non opus est. Quod si divinitatem istam, quæ aliud existimatur esse quam sit ipsa Trinitas, non substantiam, sed essentiam dixerimus, eadem falsitas consequetur. Si enim alia est, quam ipsa Trinitas, altera erit essentia : quod absit ut Catholicus sentiat. Restat itaque ut credamus, unius esse substantiæ Trinitatem, ut ipsa essentia non sit aliud quam ipsa Trinitas (170). »

19. Quid evidentius dici potuit? adhuc tamen eumdem Augustinum audiamus. « Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est. Quid ergo de ea facimus, non quæ est, sed qua est Deus (171)? » Idem : « In Dei quippe forma, sicut non est aliud Filius, aliud vita ejus, sed ipsa vita Filius est : ita non est aliud Filius, aliud doctrina ejus; sed ipsa doctrina ejus Filius est. Aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ capiunt accidentia, quibus fiat in eis vel magna, vel quantacumque mutatio : Deo autem aliquid melius excogitari non potest : et ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia, quæ Deus est; cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. « Hæc Augustinus. Te vero, quisquis adhuc porros esuris et cepas Ægyptiorum, fateri velim, quænam magis proprie dicatur essentia, quæ est, aut qua est Deus. Utraque enim incommutabilis est, et forte magis ei competit nomen essentiæ, qua est quidquid est.

20. Idem Augustinus : « Ipsa enim natura vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est, id ipsum quod est Deus, quidquid illud est, corporaliter videri non potest (172). » Item : « Sicut absurdum est dicere, candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere sapientem non esse sapientiam; et sicut candor ad se ipsum candidus dicitur, 1329 ita et sapientia ad se ipsam dicitur sapiens. Sed candor corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas : unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non est hoc ipsum esse, quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color : et utrumque non in se ipso, sed in aliqua mole, quæ moles, nec forma, nec color est, sed formata et colorata. Sapientia vero et sapiens est, et se ipsa sapiens est. » Item : « Res vero mutabiles, neque simplices proprie dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, in eo inest aliquid tanquam in subjecto, et non est simplex, cui hoc sit esse, quod illi est quidquid aliud de illo ad illum dicitur; sicut magnus, bonus, et si quid ejusmodi de Deo non incongrue dicitur. Nefas est autem ergo dicere, ut subsistat et subsit Deus bonitati suæ : atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia ejus; neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in eo sit, tanquam in subjecto.

21. « Tres personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus : tres autem personas ex eadem essentia non dicimus; quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona (173). » Item : « Est igitur natura non facta, quæ fecit omnes magnas parvasque naturas, eis, quas fecit, sine dubitatione præstantior : ac per hoc, etiam de qua loquimur, rationabili et intellectuali, quæ hominis mens est. Illa autem cæteris natura præstantior, Deus est (174). » Forsitan dixisse debuerat, Illa cæteris præstantiore Deus est. Quid tamen magnum Deo ea esse, qua est quidquid est? Item : « Per veritatem, quæ intellecta conspicitur; et per bonum summum, a quo est omne bonum; et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo; ut natura non solum incorporalis, verum etiam immutabilis, quod est Deus, quantum potest, intelligeretur, admonui. » Item : « Quæ vita dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura, Non itaque vivit, nisi vita, quod ipse sibi est (175). » Quid tibi videtur? huicne credendum est, singulari utique Magistro catholicæ fidei, et expugnatori universæ hæreticæ pravitatis, dicenti : « Natura immutabilis, quod est Deus, et vita, quod ipse sibi est : » an magis ei qui dicit, « non, Quæ est; sed, Qua est? » Sed iterum atque iterum quid Augustinus sentiat audiamus.

22. « Quid factum est in corde tuo, cum dicerem, Deus? Magna et summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendit omnem mutabilem creaturam (176). » Item : « Diximus, ut potuimus, non temporaliter scire Filium, nec aliud esse Filii scientiam, aliud ipsum Filium; et aliud esse Filii visionem, aliud ipsum Filium : sed ipsam visionem esse Filium, et ipsam scientiam vel sapientiam Patris esse Filium. Deo non alia est substantia ut sit, et alia potestas ut possit; sed consubstantiale illi est, quidquid ejus est; et quidquid ejus est, Deus est. » Item : « Legitur quidem, *Et spiritus sapientiæ multiplex*, sed recte dicitur etiam *simplex*. *Multiplex* enim, quia multa sunt quæ habet; *simplex* autem, quia non aliud quam quod habet, est. Sicut dictus est Filius habere vitam in semetipso (*Joan.* v, 26), et eadem vita ipse est. Quid te voluit aliud Scriptura docere, nisi ut dum legeres esse Deum, et quæ in Deo sunt, non naturam intelligas esse compositam; sed secundum compositam intelligas incompositam? » Item (177) : « Nunc veniamus ad ea quæ Deus habere dicitur, quæ non possunt non

(170) Id. *ibid.*, epist. 120.
(171) August. de Trinitate, lib. I, cap. 6.
(172) Ibid., lib. II, capp. 2, 18.
(173) Ibid., lib. VII, capp. 1, 5, 6.
(174) Ibid., lib. XIV, cap. 12.
(175) Ibid., lib. XV, capp. 3, 5.
(176) Id., Tract. 1 in Joannis Evangelium. — Sap. VII, 22.
(177) Gennad. in Regal. diffinit

Digitized by Google

naberi, quæ habere dicuntur, ut ait Apostolus; ita et quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus qui in ipso est (*I Cor.* II, 11). Quæ sunt ergo in Deo pariter requiramus. Nonne sapientia, virtus, lux, providentia, vita, splendor, imago, immortalitas, de qua scribitur: *Qui solus habet immortalitatem?* (*I Tim.* VI, 16.) Habet enim universa quæ diximus; quæ omnia Filius est. Quod autem substantialiter bonum est, non potest extraneæ capax esse bonitatis, cum ipsum tribuat cæteris bonitatem. » Item: « Spiritus sanctus non accipiens aliunde sapientiam dictus est spiritus sapientiæ (178). Hoc enim ipsum quod subsistit, Spiritus sapientiæ est, et natura ejus nihil est aliud, nisi Spiritus veritatis. Una quippe veritas unius Dei, imo una veritas unus Deus, non permittit servitium atque culturam veri Dei, creaturæque conjungi. Deus solus, quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. » Idem: **1330** « Deus autem habet essentiam, habet sapientiam, sed quod habet, hoc est, et omnia unus est (179).

23. « Deus hoc est quod habet: habet enim æternitatem; et ipse est æternitas. Hoc quoque sciendum est, quod omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: et quæ creatura non est, Deus est (180). » Item: « Eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem potentia quæ essentia: eadem vita quæ essentia: et hæc omnia unum et unus Deus (181).

24. « Pati non potest, nisi passibilis creataque substantia: quæ quoniam a summa essentia, quæ Deus est, ut existeret, vocata de nihilo est, inter illud de quo facta est, et a quo facta est, media; ita superioribus affici potest, ut proficiat, sicut inferioribus ut deficiat (182).

25. « Est præterea tertius hic error, ut cum unius substantiæ Pater et Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se duo pares habeant, ac si tres res sermo significet substantiam unam, et duos unius substantiæ velut cohæredes (183) » Idem: « Per Moysen Seth animæ similitudo est: per Joannem Filius Patri æqualis est: et quærimus tertium nescio quid inter Patrem et Filium quod natura non recipit (184). » Idem: « Deus autem immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet; et sua non aliud quam se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur: non autem corporaliter: ut cum alicubi sit, non etiam ubique esse credatur; cum per sua in omnibus esse non desinat: non aliud autem sint, quam quod est ipse, quæ sua sunt (185). « Hæc interim de primo capitulo sufficere videntur.

(178) Fulg. ad Donat.
(179) Isid., lib. Etym., lib. IV, cap. 4.
(180) Greg., Moral. lib. XVI
(181) Alcuin., De Trinit., lib. II, c. 9 et 14.

DE CAPITULO SECUNDO.

26. Secundum autem simile est huic, quod evidenter ex Arii fonte procedens, non unam tantum, quæ Deus sit, asserit esse substantiam. Duo siquidem nomine tradit substantiæ designari, videlicet, Quod est, et quo est, essens, atque essentiam: sicut album et albedinem interdum significare dicitur, et rem albam. Id ergo quo est, unum esse in Trinitate consentit, formam illam scilicet et naturam deificam, matremque, ut ita dixerim, Trinitatis. Porro quod hac essentia est, non unum, in Trinitate esse contendit, sed tria singularia quædam, tres res numerabiles, unitatibus tribus; quarum prima sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus: idque miraculi docet in beata illa Trinitate credendum, et in eo fidei meritum omne constituit, ut formam numero unam in rebus esse pluribus fateatur. Illius nimirum unitas formæ sola in causa est, ne plures dicantur dii, quibus divinitas est una communis. Sic nimirum tres etiam homines, si fieri ullo modo posset, ut una in eis humanitas, aut eadem inveniretur albedo, dico autem, una et eadem numero; non jam tres albi, neque tres homines dicerentur esse, sed unus. Hoccine totum illud ineffabile sacramentum, hæc Trinitatis et unitatis ratio tota? vides monstruosam, quæ nobis pingitur, imaginem Trinitatis: vides, quod fingitur, non plane miraculum, sed ridiculum. Producuntur ex una radice tres rami; uni quodammodo capiti tria corpora subnectuntur. « Una est, inquit, essentia, sed qua sunt, non quæ sunt. » Et qui dixit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), Uno sumus, dixisse debuerat. Neque enim est unum aliquid, quod et Pater sit et Filius et Spiritus sanctus. « Alioquin et Filius, inquit, Pater esset, et Pater Filius, et Spiritus eorum uterque. » Nimirum sic ruit qui irruit; sic percutit qui non videt. Quidni scrutator majestatis opprimeretur a gloria? Hinc illæ erant, non minus ridiculæ, quam sacrilegæ interrogationes. Cum enim sic enuntiaret quis, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, nihil horum concedens simpliciter, de quo diceret, percunctabatur. Plane diligens inquisitor: « Si dicis de Patre, aiebat, Deus est Pater, et hoc sit dicere, Pater est Pater, verum dicis: alioquin verum esse non potest. Sic de Filio, sic de Spiritu sancto. Nulla enim res est, nulla substantia, nihil unum, unde vere dici possit: Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus. » Unde et conjunctum, **1331** Unus Deus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ne Sabellianus esset, imo ne esse desisteret Arianus, negabat. Invertebat autem quas poterat enuntiationes, ut verba convertens, sententiam quoque perverteret ipsam. « Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt, vel

(182) Claudian. ad Sidon., de Statu vitæ.
(183) Hilar., de synod.
(184) Ibid.
(185) Lib. VIII de Trinit.

Digitized by Google

unus Deus, vel una substantia. Nihil horum, » ait, « unquam negaverim. Sed cur hoc? Quia uno sunt, una essentia, una divinitate. Si quis autem sic pronuntiet : Deus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, personas prædicans : Hanc, inquit, plane nego. »

27. Sic Pictavis in sede magni Hilarii, congregata ecclesia, dogmatizavit, qui synodo præsidebat : sic in auribus Romanæ Ecclesiæ, et multitudinis episcoporum, quos ad Remense consilium apostolica convocaverat auctoritas, heu! inter catholicos profitenti non defuere fautores; quem tamen Viterbi, atque Parisius interrogatum similiter, non simpliciter respondisse constabat. Sic usque hodie infelices paginæ continent, e quibus ista proferimus.

28. « Sabelliani, cum audiunt unius substantiæ tres esse personas, et propter eam, quæ ex illarum proprietatibus est, diversitatem, aut æqualitatem, aut cooperationem, aut coæternitatem, aut processionem ostendendam, inductas esse similitudines legunt, scilicet, vel unius animæ mentem, notitiam, amorem; vel unius mentis memoriam, intelligentiam, voluntatem; vel unius radii splendorem, et calorem, et hujusmodi alias : putant quod sicut unus solus est radius, de quo dicuntur splendor et calor; aut una sola est mens, de qua et memoria, et intelligentia, et voluntas; ita unus solus subsistens sit, qui natura cum sit Deus, idem ipse personalibus proprietatibus sit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quos hic error patenter ostendit ignorare hujus nominis, quod est substantia, multiplicem usum, videlicet, et quod est, et quo est, hoc nomine designari. Ne quis Sabellianus secutus ex multivoci, quod est ensis, mucro, gladius, aut univoci, quod est sol, sol, sol, comparationibus, quibus et quod est, et quo est, id est et subsistens et subsistentia, iterata significatione repetitur, in eo quod de Patre et Filio et ipsorum Spiritu prædicatur (186). » Hæc de commentario sumpta sunt : de cætero Boetius ipse loquatur, ut is potissimum fraudis impiæ commenta dissolvat.

29. « Relatio non faciet alteritatem rerum, de qua dicitur, sed, si dici potest, personarum. Quod eisdem fere verbis beatus Augustinus docuerat : Confiteantur, inquiens, Ariani nobiscum, in una divinitatis natura pluralitatem personarum magis quam rerum esse. » Item Boetius : « Nam idem Pater, qui Filius, non est; nec idem uterque qui Spiritus sanctus. Idem tamen Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quæ secundum se poterunt prædicari. Sane sciendum est, non semper talem esse prædicationem relativam, ut semper ad differens prædicetur; ut est servus ad dominum, differunt enim. Nam omne æquale, æquali æquale est; et simile, simili simile est; et idem ei, quod est idem, idem est. Et similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum sanctum; ut ejus, quod est idem, ad id quod est idem. Quod si id in cunctis aliis rebus non potest inveniri, facit hoc cognata caducis rebus alteritas (187). »

30. Idem : « Quæro an Pater et Filius et Spiritus sanctus de divinitate substantialiter prædicentur, an alio quolibet modo. » Et post pauca : « Ex his igitur intelligimus, Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo (188). »

31. Augustinus (189) · « Credimus unum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Jam forte parat invertere cavillator : sed audiat quid sequatur. « Patrem vero, eo quod habeat Filium; Filium, eo quod habeat Patrem; Spiritum sanctum, eo quod sit ex Patre et Filio. » Hæc nimirum adjectio, si quis prudenter advertat, prorsus vetat inverti; et non nisi de uno Deo patitur esse sermonem.

32. Augustinus : « Consequenter intelligitur, non tantum de Patre dixisse apostolum Paulum, *Qui solus habet immortalitatem;* sed de uno et solo Deo, quod est ipsa Trinitas. » Item : « *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus* **1332** *dominantium* (*I Tim.* VI, 16, 15); quod est unus, et solus, et verus Deus, ipsa Trinitas. Recte ergo ipse Deus Trinitas intelligitur *beatus et solus potens* (190). » Idem : « Loquendi causa de ineffabilibus ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a Græcis, una essentia, tres substantiæ; a latinis autem, una essentia, vel substantia, tres personæ : quia in latino non aliter essentia, quam substantia solet intelligi (191). » Idem : « In septimo libro quæstio, quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus et sapientia. Sic et Spiritus sanctus : nec tamen simul tres sunt virtutes, aut tres sapientiæ; sed una virtus et una sapientia; sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicatur una essentia tres personæ, vel, ut a quibusdam Græcis, una essentia tres substantiæ : et inventum est, elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiaretur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse confitemur, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum. »

33. Idem : « Ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quomodo lumen de lumine, Deus de Deo; nec aliud potuimus invenire Spiritum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo Sapientiam, quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, Quomodo credimus : nam hoc inter fideles non

(186) Comment. Gilberti super Boetium.
(187) Boetius, lib. de Trinitate, capp. 5, 6.
(188) Boetius ad Joan. diac.
(189) Gennad., eccl. dog.
(190) Augustinus, de Trinitate. lib. I, cap. 8.
(191) Id., lib. VII, cap. 4.

Digitized by Google

debet habere quæstionem. » Item : « Jam in hoc libro superius disputavi, non sic accipiendam esse Trinitatem, quæ Deus est, ex istis tribus, quæ in trinitate nostræ mentis ostendimus; ut tanquam memoria sit omnium Pater, et intelligentia omnium Filius, et charitas omnium trium Spiritus sanctus : quasi Pater non intelligat sibi, nec diligat; sed ei Filius intelligat, et Spiritus sanctus ei diligat, ipse autem, et sibi et illis tantum meminerit : et Filius nec meminerit nec diligat sibi; sed mimineri ei Pater, et diligat ei Spiritus sanctus; ipse autem et sibi, et illis tantummodo intelligat, ipseque Spiritus sanctus nec meminerit, nec intelligat sibi; sed meminerit ei Pater, et intelligat ei Filius; ipse autem et sibi et illis, non nisi diligat : sed sic potius, ut omnia illa tria, et omnes et singuli habeant in sua quisque natura; nec distent in eis ista; ut in nobis, aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio sive charitas : sed unum aliquid sit, quod omnia valeat, sicut ipsa sapientia. Et sic habetur in uniuscujusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia (192). »

34. Idem : « Res quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res est, communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res, et non rerum omnium causa; si tamen causa. Neque enim facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, inveniri potest (193). » Idem : « Istum unum verum, qui solus est naturaliter Deus; non Patrem solum, neque Filium solum, neque solum Spiritum sanctum : sed simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse diximus. » Idem : « Si una illa essentia Patris et Filii et Spiritus sancti una esset persona, non diceretur, *Ad imaginem nostram;* sed, Ad imaginem meam : nec dixisset, *Faciamus;* sed, Faciam. Quid igitur? quod jam docemur, unam illam essentiam Patris et Filii et Spiritus sancti, ne ullam quidem esse personam. »

35. Idem : « Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est : propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in natura unus est. » Idem : « Principaliter tene, omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate, quæ solus verus et æternus est Deus, creatam ex nihilo. Edissere nobis, si potes, quæ natura sit Trinitas Deus : cum divina natura nec Deus, nec Trinitas sit : aut certe ex nihilo eam fateare creatam, quæ non sit Trinitas Deus. Id enim tenendum principaliter a magno fidei principe commendatur (194). »

36. Augustinus : « Satis est Christiano rerum creatarum causam, sive cœlestium, sive terrestrium, sive visibilium, sive invisibilium, non nisi bonitatem intelligere Creatoris, qui est unus Deus et verus; nullamque esse creaturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso; eumque esse Trinitatem, **1333** Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum; manifesta sunt testimonia, nec ullius egent interpositionis (195). »

37. Augustinus : « Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, et innumerabiliter sapiens, ut scriptum est : *Magnus Dominus et magna virtus ejus.* (*Psal.* CXLVI, 5). Vis ista Deus est, et Deus ipse tria est. » Idem : « Omnis mens quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter duos est, amantem, et quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui et tertius est. Non autem potest negari, hoc totum unam animam esse, et unam animam esse hæc tria. Sicut enim hæc tria vere anima una est; sic hoc unum, et hoc alterum, et hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc et multum supra se amoto, quod omnis bonitas et omne bonum, et omnis bonitatis et boni dulcedo Creatoris a se ipso est (196). »

38. Athanasius : « Illuc mihi necessario video festinandum, ut tres unum esse, et unum tres esse; et si non ratione qua homo sum, tamen auctoritate perdoceam. » Idem : « Supernarum virtutum carmina unum tres esse, et tres unum esse demonstrant. » Sed hic Theologus noster e contra tres quidem unum, sed non unum tres esse demonstrat, ne Sabellianos forte sequatur. Cæterum ad hunc nostrum audiat Athanasium suo Ario respondentem : « Nec Sabellium incurrimus, tres unum Deum fatendo; nec tuæ perfidiæ laqueis irretimur, dum hunc Deum Trinitatem esse ingenue confitemur (197). »

39. Ex istis scientia est Deus, Deus est Trinitas. Idem : « Ibi enim unitas vere est Trinitas, et Trinitas vere est unitas. Tunc perfecte cognoscemus, quod modo salubriter credimus. Neque enim aliter animadvertere merebimur, nisi nunc, quæ vera sunt, fateamur, hoc est, veram, cæternam, incommutabilem, distinctam personis et inseparabilem Trinitatem, replentem omnia simul substantiali virtute sua. Unum simplex, trinumque : hæc tria, unum et hoc unum tres : sed non tres Patres, nec tres Filii, nec tres Spiritus sancti. Tres unum, et unum tres confiteor. Hæc tria unus Deus, et unus Deus hæc tria. » Idem : « Deus et Dominus, vera et sempiterna Trinitas in personis; vera et sempiterna unitas in substantia : quia una est substantia Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si una substantia est Pater et Filius et Spiritus sanctus; quare solus Filius incarnatus dicitur? Quia alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti (198). »

(192) Id., lib. XV, capp. 3, 6, 7.
(193) De Doctrina christiana.
(194) De Reg. Fid. ad Petrum.
(195) Enchirid., cap. 4.
(196) Aug., De creat. hom. ad imag. Dei.
(197) Athan., Contra Ar. et Sabel.
(198) Cassiod., De qual. animæ.

Digitized by Google

DE CAPITULO TERTIO.

40. Tertium radicis viperæ germen proprietates, id est relationes, personis tribus attribuit, quæ non sint ipsæ personæ : res sempiternas et ab invicem, et a divina substantia numero differentes; ut inveniatur, non Trinitas, sed quaternitas : cum divina illa substantia sit hoc unum, et quælibet trium proprietatum aliud unum. Nam et quatuor tradit unitates æternas, quarum prima quidem adsit summæ illi naturæ, qua Deus est; tres residuæ proprietatibus tribus. Porro personas ipsas illa unitate Deum unum dici, reliquis vero tribus unitatibus esse tria. Ubi, si diligenter advertas, quod imparitatem hanc relationis ratio non admittit, quatuor statim proprietates occurrunt. Neque enim referri ad Patrem et Filium Spiritus potest, quin et ipsi referantur ad Spiritum. Sed nec eadem, qua ipse, possunt relatione referri; ne sit una in Trinitate sine proprietate persona. Nempe ut diversa a paternitate filiatio est, sic et a processione productio; si tamen hoc eam nomine placeat appellari. Jam vero huic suam necesse est dare unitatem; et adhuc crescet rerum numerus æternarum, si fuerit qui prosequatur. Multa siquidem hinc pullulare necesse est, ut ex radice colubri regulus oriatur. Sed hæc disputatio supra nos est : majoribus reservetur. Forte tamen ipsa sibi impietas ad omnem confusionem sufficere poterit : dummodo lectoris diligentia perscrutetur glossam obscuriorem textu, adversantem utpote textui, et sectandis involucris laborantem. Si quominus, abundant testimonia Scripturarum, quibus impietas omnis, licet impudentissima sit, obruatur.

41. « Illius enim proprietas prædicationis, qua de quo unum **1334** horum prædicatur, aliud prædicari non potest : satis patenter ostendit, non modo inter se, verum etiam ab omnibus illis, quæ de illorum subjectis communiter dicuntur, et ab eo maxime quod unum de tribus, multis nominibus substantialiter prædicatur, hæc esse diversa. Est autem hæc diversitas non modo in numero, quo scilicet hoc unum est, quodlibet vero illud est aliud unum : verum etiam natura generis, et loco rationis (199). »

42. Substantiam divinam dicit, eam scilicet non quæ est, sed qua est Deus, unam multis nominibus prædicari, cum dicit, Deus magnus, bonus, et omnipotens, et his similia. Eadem enim in Deo est sapientia, et essentia, et veritas, et omnipotentia; et quæcumque de Deo dicimus in hunc modum Ab hac ergo substantia divina personales proprietates (nam de his utique loquimur) numero dicit esse diversas; ut ipsa quidem si hoc unum : quælibet vero illarum proprietatum aliud unum. Nec vero hæc differentia sufficit, nisi amplior quoque diversitas generis et rationis accedat. Vide autem : si enim hic merito verbis Boetii respondemus, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat, qui potest, quis hæc tam diversa conjunxerit? Nam quod sit de proprietate prædicationis, ut de quo unum illorum trium prædicatur, alterum præ icari non possit (unde et alibi quoque res oppositas nomi vit, et unum Deum, tres esse personas negabat), evidenter Boetius ipse confutat.

43. « Quæro an Pater et Filius et Spiritus sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, an alio quolibet modo. » Item : « Ex his intelligimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Dico enim, si de divinitate prædicantur; et de uno, cum non sit nisi una divinitas (200). » Deinde quod personas ipsas relationum subjecta dicit, catholicus horret auditus. Unde et ipse Boetius de Deo utique loquens (neque enim aliud aliquid tam eleganter cæteris omnibus assereret præferendum, sicut et supra meminimus) ait : « Hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est; formæ vero subjectæ esse non possunt (201). » Et ne in hoc quidem a beato Augustino Boetius ipse dissentit; cum et ille doceat, in Dei substantia non aliud esse substantiam, et aliud quod accidit ipsi substantiæ; sed quidquid in ea intelligi potest, esse substantiam.

44. Et an forte proprietates illas non in Deo ponere, sed extrinsecus affingere videatur? ait siquidem quodam loco : « Theologicæ personæ, quoniam ejus quo sunt, et simplicitate id quod sunt, essentiarum oppositione a se invicem aliæ esse non possunt : sed harum quæ dictæ sunt, extrinsecus affixarum rerum oppositione a se invicem aliæ et probantur, et sunt (202). » Ubi, obsecro? Extra Deum : siquidem ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia. Denique si quid illi affixum extrinsecus fuerit, extra veritatem, extra æternitatem esse convincitur. Semel crucifixus pro nobis Unigenitus Dei Patris, nec sibi, nec Patri, nec Spiritui utique suo quidquam a nobis deinceps patietur affingi. Postremo, si vere tres illas affingit extrinsecus, ubi illud erit, quod tanquam sibi maxime suffragaturum protulit : « In substantia unitas, in personis proprietas, et in majestate adoretur æqualitas? Audis, inquit, in personis proprietas : et dubitas credere personales esse prop ietates res æternas, quæ non ipsæ personæ sint, sed in ipsis? » Modo affigebantur extrinsecus : sed fides catholica nec affixas recipit, nec infixas. Nimirum sicut in personis proprietatem, sic in substantia unitatem, sic in majestate æqualitatem adorat : sed hæc omnia per indifferentiam dicta sapit, quicumque non desipit. Nihil enim in Deo est, præterquam id quod est. Sed nec proprietates ait illa scriptura, quamvis et hoc sane posset intelligi, imo vero proprietas in personis, id

(199) Comment. Gilberti super Boetium.
(200) Boetius ad Joan. diac.
(201) Id., lib. de Trinitate, cap. 2.
(202) Gilleb., comment. in Boetium.

Digitized by Google

est, distinctio. Adoratur itaque in substantia unitas, in personis proprietas, in majestate æqualitas; id est, substantia una, personæ distinctæ, majestas æqualis. Alioquin, si verbis insistere libet, adorentur ab eo in personis relationes, res æternæ quæ Deus non sint. Nam a nobis sola fideliter adoratur illa simplicissima substantia et natura, quæ est **1335** Trinitas Deus. Adhuc tamen quemadmodum de his proprietatibus disserat, audiamus.

45. « Quoniam paternitas, et filiatio, et connexio diversa sunt; oportet unitates quoque, quæ illis adsunt, a se invicem esse diversas : et quia, quamvis substantiæ substantia alia, vel accidens adsit; accidenti tamen non potest adesse substantia; unitates quæ adsunt paternitati, et filiationi, et connexioni nequaquam poterunt esse substantiæ (203). »

46. Hic, si diligens lector advertat, nil consequentiæ in eo reperiet quod infert : « Propterea unitates, quæ proprietatibus adsunt, substantias esse non posse, quod accidenti non potest adesse substantia. » Nisi ipsas proprietates accidentia velit intelligi : alioqui si non sunt accidentia, quid rationis habere videtur, eo quod accidenti substantia adesse non possit; quæ illis adsunt, nequaquam posse esse substantias? Atqui accidentia eas esse, ne ipse quidem proprietatum Magister voluit profiteri, medias quasdam res inter substantias accidentiaque constituens. Ad hæc, qua ratione suum hunc ternarium, aut quaternarium magis : quatuor enim, aut forte etiam plures æternas invenit unitates : hunc, inquam, numerum, qua ratione quaternitatem possit negare, non video. Manifeste siquidem numerus est, quo numeramus, numerus rerum ad invicem differentium. Cæterum si hæc ita se habent, tota illa Boetii de numerali differentia disputatio deleatur, quæ non solum differentiam numeri, sed et ipsum quoque numerum quo numeramus, ubi repetitio unitatum pluralitatem facit, ab ineffabili illa removet Trinitate. Triplicem quippe proponens, generis scilicet, et speciei, et numeri differentiam : « Age igitur, inquit, ingrediamur; et unumquodque, ut intelligi atque capi potest, dispiciamus. » Post longam deinde disputationem inferens ait : « Nulla igitur in Deo diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus. Deus vero, a Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel accidentalibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas; quare nec numerus. Igitur unitas tantum : nam quod tertio repetitur, Deus; cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt; si advertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. Illic enim unitatum repetitio numerum facit. In eo autem numero, qui in rebus numerabilibus constat, repetitio unitatum atque pluralitas minime facit numerabilium rerum numerosam diversitatem. Numerus enim duplex est : unus quidem, quo numeramus; alter vero, qui in rebus numerabilibus constat. Etenim unum res est unitas, qua unum dicimus. Duo rursus in rebus sunt, ut homines vel lapides; dualitas nihil, sed tantum dualitas, qua duo homines vel lapides duo fiunt : et in cæteris eodem modo. Ergo in numero quo numeramus, repetitio unitatum facit pluralitatem : in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio; velut si de eodem dicam, Gladius unus, mucro unus, ensis unus. Potest enim tot vocabulis gladius agnosci. Hæc enim unitatum repetitio, iteratio potius est, non numeratio : velut si ita dicamus, Ensis, mucro, gladius; repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum : velut si ita dicam, Sol, sol, sol; non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicaverim. Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto, tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. Catholicis vero [*supr. ad.*, nihil] in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse, cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas unus Deus : veluti ensis atque mucro, unus gladius; velut sol, sol, sol, unus sol » (204).

47. Vere stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi! Hæc enim lectitans et hæc tractans homo tantarum litterarum, nihilominus auget numeros, multiplicat unitates, simplicissimam **1336** æternitatem rerum numerositate dispertit. Trifariam denique constituit Trinitatem, personarum, proprietatum, unitatum : nobis autem sola personarum Trinitas commendatur.

48. Augustinus : « Si enim minus magna est charitas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia. Æqualis est igitur, ut quanta est sapientia, tantum diligatur. Est autem Sapientia æqualis Patri, sicut supra diximus. Æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus; et si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem, quæ in illa substantia est : et ideo non amplius quam tria sunt. Unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio : quæ si nihil est, quomodo. Deus est ipsa dilectio, si non est? » Idem : « Numerus, et mensura, et pondus ipse Deus est. Ipse est numerus sine numero, a quo omnis numerus : ipse est mensura absque mensura, a quo omnis mensura : ipse pondus sine pondere, a quo est omne pondus. *Omnia* ergo *in numero, et mensura, et pondere disposuit* (*Sap.*, XI, 21) : tanquam diceret, Omnia in se disposuit. »

(203) Comment. Gilberti super Boetium.

(204) Boetius, lib. de Trinitate, capp. 2, 3.

Digitized by Google

Idem : « Deus simplex est natura, et immutabilis, et imperturbata; nec aliud est ipse, et aliud quod habet (205). »

49. Isidorus : « Simplex dicitur Deus, sive non advertendo quod habet; sive quia non aliud est ipse, et aliud quod habet (206). »

50. Hieronymus : « Deus simplex est natura et immutabilis; nec aliud est ipse, et aliud quod habet (207). » Idem : « Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Proprium autem Dei est non cœpisse. » Idem : « Quid ergo de proprietatibus dicimus personarum? » Eumdem audiamus. « Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias confitemur. Itaque substantia unum sunt, personis ac proprietatibus distinguuntur (208). »

51. Gregorius Nazianzenus : « Deum cum nomine, uno lumine illuminamini, et tribus : uno quidem, secundum substantiam; tribus vero, secundum uniuscujusque proprietates sive subsistentias, ut aliquibus videtur dicendum, sive personas. Nihil enim pro vocabulorum diversitate distat, cum ad eumdem sensum nominum diversitas provocet intellectum (209). »

52. Alcuinus : « Ingenitus, Genitus, et Procedens una natura est, tres proprietates, unus Deus. Omne quod est, aut semper fuit, et non esse cœpit; aut non semper fuit, et esse cœpit. Quod itaque non cœpit esse, sed semper fuit, Pater et Filius et Spiritus sanctus : quod vero esse cœpit, omnis est creatora (210). »

53. Isidorus : « Trinitas est appellata, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Trinitas; ut memoria, intelligentia, et voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem Trinitatis divinæ. Nam cum tria sint, unum sunt; quia et singula in se manent, et omnia in omnibus. Pater igitur et Filius et Spiritus sanctus Trinitas et Unitas. Id enim unum, idem et tria (211). » Cujus utique testimonii secundo manifeste erroris hujus capitulo pars novissima contradicit, sicut et aliæ multæ ex his auctoritatibus, aut duobus, aut etiam tribus capitulis evidenter opponi facile diligens lector advertet : sed initium quod tertio specialiter adversatur. Ille enim Trinitatem tres unitates exponit, scribens hoc modo : « Quo fit ut nec Trinitas, id est tres unitates, de Deo substantialiter prædicentur. » Isidorus vero Trinitatem trium unitatem fidelius interpretatur.

DE CAPITULO QUARTO.

54. Restat capitulum quartum, primi utique vi-

(205) Lib. VI de Trinitate, cap. 5.
(206) Etymolog., lib. II, cap. 4.
(207) De essentia Dei.
(208) Lib. Definit ad Damas. papam.
(209) Lib. III de 2 Eph.
(210) De Trinitate, lib. II, cap. 4.
(211) Etymológ., lib. III, cap. 4.

rulenta propago. Quocirca non illi diutius immorari necesse est : quippe quod in ipsa jam radice sua confutatum esse videtur. Divinam quippe naturam Deum non esse contendens, eo usque prorupit, etiam non interrogatus, ut incarnationem sic tribueret personæ Filii, ut ipsi divinitati eam omnino negaret. Scripserat autem super eodem capitulo in sua illa expositione, pro libitu bene dicta depravans. Hæc enim sunt verba Boetii : « Sed humana forsitan natura in deitatem videatur esse conversa. **1337.** Hoc vero qui fieri potest, si divinitas in generatione Christi et humanam animam suscepit, et corpus? » Item : « Cum in eadem persona aliud sit divinitas quæ suscepit, aliud quam suscepit, humanitas : non enim natura, sed persona (212). » Utquid ita? A te ipso habes, an alii docuerunt te? crédo proprium est expositoris, cui nec auctor ipse, nec sanctorum quispiam consentire videtur. Propheta dicit in Psalmo : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 2). Expone tu, *Veritas*, id est, verus; et audiant quorum animas non attingit zelus Dei. Dicit Salomon : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX, 1). Expone, *Sapientia*, id est, Sapiens; sed non nobis.

55. Augustinus : « Ergo qui forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo (213). » Idem : « Si enim divina substantia longe distantior, atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret : quanto credibilius, alii et alii homines, sancti et fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus (214)? » Idem : « Neque enim natura æterna atque divina temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram nativitatem temporaliter conceptionem ineffabilis in se divinitas accepisset. » In eodem : « Sic veritas incommutabilis manet humanæ divinæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus divinitas, quam de Patre incommutabilem habet : ita vera semper atque incommutabilis sit ejus humanitas, quam sibi unitam summa divinitas gerit (215). » Idem : « Licet unam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est naturas, fatemur, divinitatis scilicet et humanitatis, assumptricis et assumptæ, creatricis et creatæ. » Idem : « Adveniens divinitas in uterum Virginis, carnem sibi fabricavit ex substantia ipsius, quam pro salute nostra suscipiens, et sibi coadunans, natus est Deus homo. »

56. Fulgentius : « Hic puer sicut veram carnem, sic veram habuit animam : ut vera illa divinitas totam hominis et reparandam susciperet, et susceptam posset reparare naturam (216). »

(212) Boetius, de Persona et Natura, cap. 6.
(213) De Trinitate, lib. III.
(214) De Peccatorum meritis et remissione, lib. II, et Baptismo parvulorum.
(215) De Fide ad Petrum, qui liber non est Augustini, sed tribuitur Fulgentio.
(216) De Myst. Mediatoris.

Digitized by Google

57. Gregorius : « Venit ad nos calceata divinitas (217). »

58. Alcuinus : « Sic est ergo Christus plenus gratiæ et veritatis, ut sicut a divinitate plenitudo humanitatis suscepta est ; ita in ejus humanitate plenitudo sit divinitatis. » Idem : « Non enim alicubi divinitas humanitatem, ex quo in unitatem suæ personæ assumpta est deseruit. (218). »

59. « Utique divinitas suæ carnis conceptione concepta est, et nativitate nata : sensitque participatione humani affectus mortem, quam sponte susceperat ; non naturæ suæ potentiam perdidit, per quam vivificat omnia. » Idem : « Omnium, quæ in Christo gesta sunt, operum auctoritas ex divinitate est : tamen carni convenit dicere, *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* x, 18), non divinitati, Divinitas enim non dimisit animam, postquam assumpsit (219). »

60. Hilarius : « Non enim defecerat natura, ne esset ; sed in se humilitatem terrenæ nativitatis manens sibi natura Dei suscepit (220). »

61. Leo papa : « Salva igitur proprietate utriusque naturæ et substantiæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas : atque ad solvendum naturæ nostræ debitum, naturæ inviolabiliter unita passibili (221). » Idem (222) : « Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumitur, ut ille habitator, et illa esset habitaculum : sed ita vere naturæ alteri natura altera misceretur. Et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia vere quæ suscipit : in tantam tamen convenit unitatem utriusque diversitas, ut unus idemque sit Dei Filius, qui se, et secundum quod verus est homo, Patre dicit minorem (*Joann.* xiv, 28), et secundum quod verus est Deus, Patri profitetur æqualem (*Joan.* x, 30). » Idem : « Verbum caro factum est provectione carnis, non defectione divinitatis ; quæ sic potentiam suam bonitatemque moderata est, ut et nostra suscipiendo proveheret, et sua communicando non perderet (223). » Idem : « Probatissimum esse decebat, Verbum carnem factum, et sempiternam illam essentiam Filii Dei, hominis veram suscepisse naturam (224). » Idem : « Nisi Verbum caro fieret, et tam solida existeret unitas in utraque natura, ut a suscipiente susceptam, nec ipsum breve mortis tempus, abjungeret, nunquam valeret **1388** ad æternitatem redire mortalitas. » Idem : « Suscepit nos in suam proprietatem illa natura, qua se in quas voluit mensuras benignitatis inflexit, nec unquam conversionem incurrit mutabilitatis. Suscepit nos illa natura, qua nec suis nostra, nec nostris sua consumeret. Suscepit nos illa natura, quæ et imaginem nostri generis a communi tramite non abrumperet, et contagionem peccati in omnes homines transeuntem excluderet (225). » Idem : « In ea, licet per nostros, non Verbum aut in carnem, aut in animam, aliqua sui parte conversum est. Cum simplex et incommutabilis natura divinitatis tota in sua sit semper essentia ; nec damnum sibi recipiens, nec augmentum : et sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat (226). »

62. Novissime paucis monemus eos, qui scientiæ magis quam conscientiæ student, ne de cætero tam facile acquiescant nova in fide tradentibus : sed cauti sint non transgredi terminos, quos posuere patres nostri, nec circumferri omni vento doctrinæ. Id nempe solum ad omnem confutationem novitatis, præsertim in ratione fidei, satis esse debuerat, quod novitas est. Nam qui testimonia interdum aliqua Scripturarum exquisita detorquet, novitatis auctor est Quantæ præsumptionis est ! tanquam soli ipsi legerint, intellexerintve Scripturas. Et nemo ante te, frater, catholicus fuit, et perierat fides nostra, quando tertius e cœlo cecidit Cato, et magistri tui ignoraverunt fidem ? et tu ipse ante hos annos, priusquam in Parnasso somnianti novum tibi revelaretur evangelium, in errore fuisti ; et adhuc, præter paucos discipulos tuos, errat Ecclesia universa ? Id ut dicere impudentissimum, sic sentire superbissimum ; credere stultissimum jure censetur.

63. Ut enim ad hæc specialiter capitula, quæ præ manibus sunt, revertamur ; nunquid non audientibus tam nova dogmata considerandum fuerat, quantos sapientes et litteratos viros non longe antehac habuisset Ecclesia sanæ opinionis et doctrinæ, qui manifeste contraria senserant, et docuerant ? Dico autem insignes illos, Laudunenses, Anselmum, et Radulfum ; magistrum etiam Albericum Remensem, post Bituricensem archiepiscopum ; et fidelissimum divini verbi tractatorem Hugonem de Sancto-Victore, sed et Robertum Pullum, apostolicæ Sedis cancellarium, cæterosque quamplures, quorum, aut præsentia adhuc, aut memoria recens in benedictione est ; quorum communis exstat sententia, Quidquid in Deo est, Deum esse. Hinc magister Radulfus Laudunensis in quadam scriptura sua, sic ait : « Per illa nomina, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nullas intelligimus poni proprietates (sicut de τὸ πῦρ superius dictum est) quæ sint aliud quam ipsæ personæ. » Et magister Hugo : « Quia in Trinitate est qui a nullo est, et est ibi qui ab illo est, et est ibi qui ab utroque est ; Trinitas vera est, et unitas manet perfecta : quoniam in Deo nihil esse potest quod Deus non est ; quia unum est totum quod est. » Idem : « In natura di-

(217) Homil.
(218) De Trinitate, lib. IV, tract. 2, et lib. Cod. tract. 16.
(219) Ad Fridegis.
(220) De Trinitate, lib. IX.
(221) De Nativitate Domini serm. 1.
(222) Id., serm. 3.
(223) De Nativitate Domini serm. 4.
(224) De Epiphania serm. 4.
(225) De Passione serm. 4 et 21.
(226) Ad Julian. Coens. epis.

Digitized by Google

vinitatis, ubi multiplicitas aut diversitas nulla est; persona, et id quod est in persona, divisum esse non potest (227).

64. Capitulum primum : Quod divina essentia, substantia et natura, quæ dicitur divinitas, bonitas, sapientia, magnitudo Dei, et quæque similia, non sit Deus ; sed forma, qua est Deus,

65. Capitulum secundum : Quod nec unus Deus, nec una substantia, nec unum aliquid sint tres personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus.

66. Capitulum tertium : Quod tres personæ tribus unitatibus sint tria, et distinctæ proprietatibus tribus, quæ non hoc sint, quod ipsæ personæ, sed sint tria æterna differentia numero, tam a se invicem, quam a substantia divina.

67. Capitulum quartum : Quod divina natura non sit incarnata, nec naturam humanam susceperit.

Explicit libellus contra capitula Gilleberti Pictaviensis Episcopi.

1339 SYMBOLUM FIDEI

Quod adversus eadem Capitula editum est a Patribus decem provinciarum, cum episcopis et abbatibus plurimis dictante reverendissimo abbate Claræ-Vallis Bernardo.

I. Credimus et confitemur, simplicem naturam divinitatis Deum esse, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin sit Deus divinitas, et divinitas Deus. Sicubi vero dicitur, Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi : credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse ; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse ; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse ; non nisi ea unitate, quæ est ipse Deus, unum esse ; non nisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, id est se ipso, sapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

II. Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio, et Spiritu sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur : et e converso, cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur.

III. Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, et hujusmodi alia, adesse Deo, quæ sint ab æterno, quæ non sint Deus.

IV. Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

Explicit symbolum.

(227) De Sacramentis.

EJUSDEM GAUFRIDI EPISTOLA AD JOSBERTUM

Continens notulas in Orationem dominicam. (*Matth.* VI, 9-13).

Dilecto suo, frater Gaufridus, psallere et orare spiritu simul, et mente.

1. Admotationem tibi in Oratione dominica, frater mi Josberte, petisti per capitula singula orationis ipsius quadrifaria partitione distinctam, ut memoriæ firmius hæreat, et nec exilis nimium, nec diffusior videatur. Ego vero tuum mihi quaternarium exhibens, et in hac parte geminam tibi admotationem dare, et cito dare curavi, sciens quod scias, quod bis dedit qui cito dedit. Nec displiceat brevitas forsitan subobscura : ad exercitium proderit, occasionem apponendi ad sapientiam administrans. *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII, 1), ait Dominus. Quod fidelibus universis ex dominica admonitione sectandum, specialiter tamen nostræ professioni noscitur convenire. Ea siquidem Danielis persona significatur et nomine, qui cum Noe et Job in propheta legitur esse salvandus (*Ezech.* XIV, 14). Vir desideriorum etiam vir orationum est. Bene semper orat, qui bene optat sine intermissione. Efficacius apud Deum vota quam verba clamant, et continua cordis affectio jugis oratio est. Felix Daniel, adversus quem occasio nulla, nisi de lege Dei potuit inveniri. Felix, qui maluit periculum mortis incurrere, quam ab oratione cessare (*Dan.* VI). Quanto magis nos, quibus imminet mors dissimulantibus, orantibus repromittitur vita, semper orare, et non deficere convenit? Sed et hoc nihilominus attendendum, ut licet interdum verbis forsitan aliis semper sic oremus, ut nulla nostra optatio, nulla oratio, nulla petitio a fonte discrepet, quam peritissimus dictavit Orator, et singularis instituit Advocatus. *Sic orabitis*, inquit, *Patrem.*

2. *Pater noster, qui es in cœlis.* Ad Patrem dirigenda traditur nobis oratio, quod illius gloriam quærat Filius, et quæcumque ille tribuit, pariter tribuat, qui quæcumque fecerit, similiter facit. Et dicatur plurali numero, ut pro nobis invicem semper oremus. Sicut enim communis adoptio, sic communis oratio est. Illius est singularis oratio, cui propria filiatio, juxta illud : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joan.* XX, 17), etc. *Pater noster, qui es in cœlis.* Præfatio brevis, sed utilis et efficax, tangit quatuor fibras cordis, affectiones lætitiæ et timoris, tristitiæ et desiderii. 1340 Siquidem dum recolimus Patrem nos habere Deum, ex

Digitized by Google

fiduciæ conceptione gaudeamus : sed nihilominus ad reverentiam timor sollicitat, ne nos inveniat tantus Pater indignos, degeneres vel ingratos. Cum dicimus, *Qui es in cœlis*, si non desipimus, animum mordet tristitia, quod in nobis necdum inhabitet : sed quemadmodum exaltantur cœli a terra supra nos : sic a nobis nec modo peregrinemur, sed longe peregrinemur a Domino, donec simus in cœlo : nihilominus etiam merito concupiscimus fieri cives cœli, optamus esse cœlibes cœli, ut perinde sit et in nobis, *Pater noster, qui es in cœlis. Si quis enim diligit me*, inquit, *sermones meos servabit*, etc. usque *faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Liquet necdum mansionem habere qui faciunt, sed ut perficiant, ut inhabitent et permaneant merito concupiscimus et optamus. Super Jesum Spiritus mansit, et hoc signum quod acceperat qui audivit : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Prima ergo petitio est, *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctum equidem nomen Domini, et perpetua ejus sanctitas et perfecta. Sed optandum nobis est et orandum, ut sanctificetur nobis, in nobis, a nobis, ex nobis, per sanctitatis ejus cognitionem, participationem, devotam cordis et oris confessionem, et proximorum ad eadem tria exemplis simul et monitis exercitationem. Nobis enim quodam modo nomen sanctum Domini efficitur, dum cognoscitur ; et in sua semper perfectissima permanens sanctitate, nobis tamen in sanctificatione tanto amplius proficit, quanto verius innotescit. Cujus nos invocatio dum sanctificat, sanctificatur in nobis ; et crescit ipsius sanctitas, dum in nobis diffunditur et augetur. Sanctificatur a nobis, dum ejusdem nomini gloriam damus. Sanctificatur ex nobis, non per nos blasphematur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, ut glorificetur Pater cœlestis ex operibus vestris (*Matth.* V, 16). *Adveniat regnum tuum*. Ad nos veniat, ut a nobis credatur, speretur, ametur, percipiatur, dicente Rege : *Percipite regnum quod vobis paratum est* (*Joan.* XXV, 34). Via nempe trium dierum regni Dei ad nos, et ad ipsum, nostra est fides, spes, charitas : sed in quartam domum perveniet, quando venient benedicti. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Ad illud respicit quod præmittitur, *Qui es in cœlis*, et duabus quoque prioribus adnectendum petitionibus, ut sanctificetur nomen Domini sicut in cœlo et in terra, et similiter veniat regnum ejus. Fiat in nobis voluntas tua, ut nihil nisi post te, propter te, secundum te, per te velimus. Post te, ut in quibus fuerit tua certa voluntas, nostra etiam firma stabilitate permaneat. In quibus de tua ambigitur, merito etiam nostra sit suspensa, et parata sequi, quocunque eam viderit inclinari. Sed quod voluit Pater ut Filius pateretur, voluit Judas, voluerunt et Judæi pariter : et tamen neque illi profuit, neque illis. Velimus ergo, Domine, propter te, ut habeamus in omnibus zelum tuum : velimus etiam secundum te, ut non sit zelus absque scientia, sicut qui tuos persequebantur, tibi arbitrabantur obsequium se præstare. Denique quidquid volumus, per te velimus, ut tua fiat omnis nostra voluntas, ut opereris in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie :* panem necessitatis, doloris, laboris, vitæ, et intellectus, ad hujus vitæ sustentamentum, ad pœnitentiæ fructum, ad justitiæ exercitium, ad delectamentum saporis. Super hoc quarto pane Daniel sanctus dicebat, quod in luctu pœnitentiæ constitutus panem desiderabilem non comedit (*Dan* X, 3). *Et dimitte nobis debita nostra :* quæ quatuor modis contrahimus, debitam non reddentes corpori nostro castigationem, cordi custodiam, humanitatem hominibus, gloriam tibi. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* qui in nos peccaverunt, dando damnum, impediendo profectum, verbo vel opere irrogando injuriam, inferendo quamlibet corporis læsionem. *Et ne nos inducas in tentationem :* sed circumdet scuto veritas tua, ut non timeamus a timore nocturno, a sagitta volante, a negotio perambulante (*Psal.* XC, 5, 6), etc. Hæc autem sunt pusillanimis impatientia in adversis, imprudens in prosperis insolentia ; ista enim ad noctem pertinent. Illa ad diem : hypocrisis, injusta simulatio, intemperans et effrenis impudentia in publicis notoriisque peccatis. Priora duo ad duplicem aciem, quam mundus producit, pertinent : posteriora ad Gog et Magog, tectum et detectum, quoque legimus in Prophetis (*Ezech.* XXXIX). *Sed libera nos a malo :* ab obligatione peccati, ab ultione temporali, a sententia damnationis in judicio, a desperatione remedii in inferno.

Ejusdem Gaufridi epistola ad Albinum, Albanensem episcopum et legatum, exstat apud Baronium ad annum 1186 *: quæ agit de quadam quæstione in Gallia tunc temporis excitata, « de substantia aquæ, vino mista in calice, an et ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur : » cujus controversiæ partem affirmantem tuetur Gaufridus.*

S. BERNARDI CANONIZATIO.

1341 Non est inter Bernardi elogia ultimo loco reponendum, quod primus ex Ordine Cisterciensi in sanctorum album solemni ritu referri meruerit. Poscebant hoc beati Viri sanctitas singularis, immensi pro Ecclesia suscepti labores, cœlestes denique insignium miraculorum attestationes quæis serius subscribere nefas esse videretur. Vix a sacro ipsius obitu anni decem effluxerant, cum in concilio Turonensi, anno 1163 celebrato, sedente et præsidente Alexandro III, ea res primum agitari cœpit. At sum-

Digitized by Google

mus Pontifex, quamvis alioqui pro sua erga Bernardum veneratione libentissime annuisset, tantisper nihilominus differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris Canonizationis postea exposuit. « Cum enim, inquit, « eidem negotio, » scilicet de canonizando Bernardo, favorabili satis intenderemus affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde, cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit, pro scandalo devitando, etiam in hoc differri quod oportebat pro tempore cæteris denegari. » Demum vero ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis et conventus Claræ-Vallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum patrem sanctorum fastis ascribi voluit. Quo autem anno hoc contigerit, cum in litteris apostolicis diserte non exprimatur, non una est auctorum sententia, aliis ad annum 1164, ut Horstio et Henriquez, aliis vero ad annum 1166 referentibus; sed utriusque, ut videtur, contra temporis rationem, cum Gerardus Claræ-Vallensis abbas, cui Alexandri litteræ inscribuntur, anno duntaxat 1172 præfecturam inierit. Melius omnium Ciaconius, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque pontificiarum notitia tutior fides, reponit ad annum 1174: eumque secutus doctissimus Sirmundus in Notis ad Petrum Cellensem, et Manricus in Annalibus; quibus astipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Claræ-Vallensis apud Chiffletium Societatis Jesu, ab auctore anonymo, sed æquali conscripti. « Eodem anno, » inquit, scilicet 1174, « facta est dedicatio ecclesiæ Claræ-Vallensis, et Canonizatio beati Bernardi, et elevatio ejus: ubi adfuit dominus Wicardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno in capitulo generali receperunt cantum beati Bernardi, et cantum de Trinitate. » Incidit ergo Bernardi sacra inauguratio in diem 18 mensis januarii, anni 1174, ab ejus obitu viginti annis exactis, mensibus quatuor et diebus viginti novem. Quod spectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate, in libro Sepulcrorum Claræ-Vallis facta esse dicitur ab ipso Guicardo quidem Lugdunensi, et Henrico abbate Claræ-Vallensi post aliquot annos a canonizatione: sed hoc de alia solemniori translatione intelligendum esse satis ipsa verba declarant, dum prædictum Henricum abbatem insinuant per Guicardum archiepiscopum Lugdunensem curasse « elevari sancti Bernardi corpus, et in tabernaculo marmoreo retro altare beatæ Mariæ virginis, sicut hodie apparet, religiose et honorifice collocari. » Henrici abbatis hac de re litteræ, at sine chronologicis notis, inferius referentur. Sed jam summi pontificis Alexandri III litteras, quibus inter cœlites ab Ecclesia relatus ostenditur Bernardus, proferamus.

A

B

C

D

I.

1342 ALEXANDRI PAPÆ III LITTERÆ APOSTOLICÆ AD ECCLESIAM GALLICANAM, DE BEATO BERNARDO IN NUMERUM SANCTORUM RELATO, EJUSQUE FESTIVITATE DEINCEPS SOLEMNITER IN ECCLESIA CELEBRANDA.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, aliisque Ecclesiarum prælatis in regno Franciæ constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Contigit olim, dum essemus Parisius constituti, ut magni quidam ac venerabiles viri de canonizando sanctæ recordationis Bernardo quondam Claræ-Vallensi abbate facerent mentionem, optantes utique et piis nobis precibus suggerentes, ut in concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic et laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio favorabili satis intenderemus affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde, cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit, pro scandalo devitando, etiam in hoc differri quod oportebat pro tempore cæteris denegari. Nuper autem ex instantia et devotione Claræ-Vallis fratrum, et aliarum sublimium personarum, eisdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam nostram ejusdem beati Viri sanctam ac venerabilem vitam: qualiter ipse singularis gratiæ prærogativa suffultus, non solum in se ipso sanctitate ac religione præfulserit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei et doctrinæ lumine radiarit. Fructum vero quem in domo Domini et verbo operatus est et exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat: cum usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum fundationem extenderit, et infinitam multitudinem peccatorum per viæ sæcularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem revocarit.

Specialiter autem sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore Deo præsidemus, ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quam datæ sibi cœlitus sapientiæ studio sustentavit, ut digne quidem et nobis, et omnibus ejusdem Ecclesiæ filiis in memoria habendus sit, et devotione perpetua venerandus. In afflictione vero corporis sui usque adeo sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus martyrum quoque cum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, et parcimonia vitæ, tam longum constat duxisse martyrium. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, et in concilio fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseveranter et fideliter militavit, necnon et de beatorum Petri et Pauli apostolorum, et ejusdem beatissimi Confessoris meritis præsumentes, eum apostolicæ Sedis auctoritate catalogo sanctorum adscribi mandavimus, et commemorationis suæ

Digitized by Google

festum decrevimus amodo publice celebrandum. Vos ergo, qui et ejusdem Sedis apostolicæ instituta suscipere, et Deum in sanctis suis consuevistis gloriosius honorare, sic memoriam Sancti hujus celebretis in terris, ut precibus ejus et meritis digna præmia recipiatis in cœlis. Datum Anagniæ xv kalend. febr. (an. 1174).

II.

1343 EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS APOSTOLICÆ LITTERÆ AD REGEM FRANCIÆ.

Alexander episcopus servus servorum Dei, illustri Francorum Regi Ludovico, salutem et apostolicam benedictionem.

Novit, ut credimus, regalis tuæ magnificentiæ Celsitudo, quod ea quæ cum honore Dei grata tibi acceptaque cognovimus, ad utilem semper effectum magno et volenti animo promovemus. Maxime autem hoc in illis operibus observamus, in quibus specialiter et honor Dei, et suorum gloria sanctorum declaratur: scientes quoque tibi fore gratissimum quidquid ad decorem Ecclesiæ, et superni Regis honorem auctoritate fuerit apostolica constitutum. Unde quoniam sanctæ recordationis Bernardus quondam abbas Claræ-Vallis, et Deo semper charus, et tam tibi, quam universo regno tuo gratus exstitit et acceptus, eum ad gloriam Dei et exaltationem Ecclesiæ ac totius regni tui, canonizandum decrevimus, et inter beatissimos Confessores festiva celebritate colendum, tam de misericordia Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus confisi meritis, quam suæ conversationis et sanctimoniæ non ignari. Monemus igitur christianissimæ Serenitatis tuæ regiam pietatem, ut hoc cœlestis gratiæ donum, regno tuo te regnante collatum, lætæ devotionis brachiis amplectaris, eique jam cœlesti beatitudine perfruenti solita pietate devotus existas, quem pro sua venerabilli sanctitate adhuc in tenebris positum diligebas. Claræ-Vallense vero monasterium quod fundavit, in quo etiam corpus ejus venerabile requiescit, ita te ob reverentiam ejus habere volumus commendatum, ut eum semper merearis habere patronum. Datum Anagniæ xv kalend. febr.

III.

EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS LITTERÆ APOSTOLICÆ AD OMNES ABBATES CISTERCIENSIS ORDINIS.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Cistercii, de Firmitate, et Pontigniaci, et Claræ-Vallis, Morimundi, atque universis abbatibus Cisterciensis Ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties honesta nobis opportunitas exhibetur, ut fidei et devotioni, quam circa Ecclesiam Dei nostris temporibus habuistis, possimus in aliquo pro meritis respondere, opportunitatem ipsam libenter amplectimur; et in his maxime quæ specialem noscuntur redolere virtutem, vestris occurrere profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, ut verbum quod ab olim fuerat de beati Bernardi quondam Claræ-Vallis abbatis canonizatione propositum, et pro quorumdam similia postulantium scandalo, a Turonensi concilii celebratione dilatum, ad nostram reduceretur Deo volente memoriam; et faciente nobiscum signum in bonum, qui hoc pietatis opus nostris servavit manibus consummandum. Nos enim vitam et sanctitatem ejusdem beatissimi Confessoris recordatione sollicita memorantes, quomodo scilicet et in se ipso religionis et sanctimoniæ prærogativa magnificus, et universæ Ecclesiæ Dei, specialiter autem Ordini vestro fide et doctrina utilis exstiterit, et copiosissime fructuosus: confisi de misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon de ejusdem sancti Confessoris meritis præsumentes, eum, fratrum nostrorum communicato consilio, auctoritate apostolicæ Sedis sanctorum catalogo duximus ascribendum, et diem depositionis ipsius in Ecclesia publice celebrandum. Unde quoniam hoc ita in gloriam et honorem summi Conditoris exuberat, ut in vestram quoque ædificationem consolationemque redundet; vestra potissimum interest omnipotenti Deo gratias agere, qui modernis temporibus virum perfectæ et prædicabilis sanctitatis in vestro **1344** Ordine voluit suscitare. Vos igitur, munificentiæ donum speciali devotione suscipite, et Deum in sanctorum suorum glorificatione mirabilem, in ejus celebratione specialiter honorate. Datum Anagniæ xv kalend. febr.

IV.

EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS LITTERÆ APOSTOLICÆ AD CLARÆ-VALLENSES.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gerardo abbati, et universo conventui Claræ-Vallis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut de religione et pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis restat ambiguum: sic exhibitæ circa robur devotionis et fidei clara semper est certitudine manifestum. Non enim poteratis, sed nec deinceps Deo auctore poteritis a gratia sanctitatis apparere degeneres, quos sancti Patris constat esse hæredes: cui et gratia spiritualis abundavit ad meritum, et operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis namque et pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ Bernardus, cœnobii vestri primus abbas, præcipuusque fundator, Deo quidem pro virtute religionis acceptus, et Ecclesiæ Dei pro plenitudine devotionis et fidei exstiterit gratiosus; ita ut merito deberetis haberi culpabiles, si imitationis et venerationis ipsius essetis in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quod pro eo, tanquam pro pio Patre, sollicitudinem habuistis, et canonizationem ipsius voto laudabili postulastis. Nos quibus cordi semper est pro multis, fili abba, tuæ devotionis obsequiis, et totius domus vestræ studiis religiosis et piis, vestris jugiter obtemperare precibus, et profectibus aspirare, voto huic clementer annuimus, ut nostram circa vos et gratiam et benevolentiam comprobemus. Vita igitur

Digitized by Google

quodem beatissimi Confessoris ad memoriam revocata, quomodo scilicet fide et religione atque doctrina præfulserit, quantoque in Ecclesia Dei perspicuæ claritatis lumine radiarit : eum, fratrum nostrorum consilio habito, confisi de misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, atque de ejusdem Sancti meritis præsumentes, catologo sanctorum duximus ascribendum, diemque depositionis ejus festivum de cætero et celebrem observandum. Unde, quia vestra potissimum interest, et ejus imitari vitam, et gloriam venerari, satagite in omnibus et studete ipsius sancti Patris et inhærere vestigiis, et festum excolere sanctitatis, ut cujus conversationis meruistis esse participes, digni habeamini ejusdem beatitudinis fore consortes. Datum Anagniæ xv kalend. febr.

Non erant satis ad Bernardi memoriam et ingentia merita tantæ commendationis monumenta, nisi etiam supremus Ecclesiæ antistes ore proprio ejus Officium dictaret. Hoc præstitit Innocentius III, ad supplicationem Joannis, ex metropolita Lugdunensi monachi Claræ-Vallensis, simulque Raineri monachi Heisterbacensis Innocentio a Confessionibus, litteris ad Joannem datis anno 1201, *quæ sic habent :*

JOANNI quondam Lugdunensi archiepiscopo.

Negare noluimus quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus a fratribus, ut ad honorem beati Bernardi primi Claræ-Vallensis abbatis, quem apostolica Sedes sanctorum ascripserat catalogo venerandum; nos ipsi Collectam et alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter stylum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus, ad instantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire.

COLLECTA.

Perfice, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis effectum, et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, beatus Bernardus abbas et doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis et precibus intercedat. Per Dominum, etc.

SECRETA.

1345 Grata tibi sit, Deus, hujus oblatio Sacramenti quod in memoriam Dominicæ Passionis tuæ offerimus majestati.

POSTCOMMUNIO.

Suum in nobis, omnipotens Deus, cibus quem sumpsimus operetur effectum, ut incorporet nos sibi esus edentes. Qui tecum, etc.

Datum Laterani vi idus julii.

Ubi vides sanctum Bernardum Doctoris nomine a summo Ecclesiæ Præsule fuisse insignitum ; quod quidem ab ipso etiam Alexandro III in Missa canonizationis usurpatum testatur vetus codex Corbeiensis, in quo Sancti vita continetur : ubi præmissis Collectis, « *Adesto supplicationibus nostris,* » etc. *de Communi; Epistola,* Hæc dicit Dominus : Ego misi ad vos mandatum istud », etc. *necnon Evangelio de Doctoribus,* « Vos estis sal terræ, » *hæc subjiciuntur :* « *Hæc Missa suprascripta de sancto Bernardo, a domino papa Alexandro III in primis est celebrata.* » *De his hactenus.*

V.

TROMUNDI CLARÆ-VALLENSIS MONACHI EPISTOLA AD GERARDUM ABBATEM, DE CANONIZATIONE SANCTI BERNARDI.

Reverendo patri et domino Gerardo Claræ-Vallensi abbati, frater Tromundus Claræ-Vallis dictus abbas (228), salutem et promptissimæ devotionis augmentum.

Quantum apud Deum meritum, quantumve apud homines habeat Paternitas vestra favorem, multipliciter declarat tam operis nostri exitus quam laboris : quandoquidem in utroque utrimque suffulti, nec in labore periculum, nec obstaculum in opere sensimus formidatum. Cæterum, a die exitus de terra nostra, timoris et angustiæ nullus finis, donec et sollicitudo finita est operis, et exsecutio consummata laboris. Benedictus autem per omnia Deus, qui de omnibus nos eripuit, et cum felici exsecutione negotii sanos et hilares ad propria revocavit. Et ecce nunc beatissimus confessor noster omnimoda dignus veneratione Bernardus, suis nimirum exigentibus meritis, vestræque laudabili studio pietatis, ad instantiam fratrum quos mecum pariter ad hoc destinastis, assistentibus etiam nobis amicis vestris, quibus ad promerendum favorem curiæ tam interius quam exterius abundatis, sanctorum Dei collegio non adjunctus est noviter, sed ascriptus : ut sicut inter sanctos sors illius exstitit ab utero matris suæ, ita cum eis titulum sanctitatis obtineat de beneficio matris Ecclesiæ. Erit deinceps nobis de eo et pro eo festum commune cum Angelis, ut non necesse sit jam amplius cantare ei cantus lugubres, quem credimus in supernis et angelicis choris cantus personare solemnes. Quod autem de sancto Malachia opus simile aggredi prætermisimus, consilio factum est principis sacerdotum, qui præmonuit nos in ipsa sermonis origine fieri posse de pluralitate fastidium, quod etiam in uno intentionis nostræ frustraret effectum. Vestrum est igitur gratanter amplecti quod in diebus vestris est collatum in uno, et patienter ferre quod differtur in altero; gratias agendo ei qui cœlestibus luminaribus tempora vicesque constituit, ut non idem sit ortus matutini et vespertini sideris, quamvis in utroque par eluceat gloria claritatis. Dominus abbas Casæ-Marii per se et per suos, imo et per sua, a principio usque in finem nobis astitit et subvenit. Domnus abbas Fossæ-Novæ, et episcopus Verulanus, cum requisiti fuerunt, favoris et consilii subsidia ministrarunt. Frater Franco, frater Petrus et frater Stephanus nobis et negotio in omnibus astiterunt. Frater Guido per multos labores suos et suorum et per non modicas fratris expensas viam nos fecit habere per devia, eo quod rectum iter curio-

(228) Legendum potius *monachus*; nam hic Tromundus monachus Claræ-Vallensis plures epistolas scripsit nomine Henrici abbatis Claræ-Vallensis.

Digitized by Google

sius solito insidiantium malignitas obsidebat. Frater Rocchus non modice laboravit, nos et negotium ipsum fide et oratione sustentans. Ego, quia ex tenore litterarum vestrarum vestris sum prænonitus stipendiis militare, ita in omnibus Romanam moderatus sum parcitatem, ut prodigalitates Gallicas non sectarer. Det nobis Dominus omnibus in commune, ut memoria laboris hujus et operis gratiam vestram et Claræ-Vallensium fratrum nobis conservet in terris, et Dei misericordiam conferat in excelsis. Consulimus ad hoc ut Missa, quam dominus Papa cecinit in solemnitate sancti hujus non mutetur. Mittimus enim vobis easdem Collectas.

VI.

HENRICI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS EPISTOLA AD STEPHANUM REGEM ANGLORUM DE ELEVATIONE CORPORIS S. BERNARDI, EJUSQUE DIGITO AD REGEM TRANSMISSO.

Celebratus est apud nos dies honorabilis et solemnis, nova festivitate jucundus, et ampla jucunditate festivus, utpote quem nobis revelatio sacratissimi corporis **1346** beati Bernardi celeberrimum reddidit, et lumine clariore perfudit. O quam voluimus gaudiis illis, plus utique cœlestibus, quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam! quatenus et nobis de gloria principali decor tantæ festivitatis excresceret, et vobis de meritis illustrissimi Confessoris, miro quodam irriguo uberioris benedictionis, largitas emanaret. Verum quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus, fecimusque Deo propitio, quod vestra ibi, etsi præsentia defuit, memoria non vocavit. Solemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, ut oportuit, et affectionibus fratrum, e cordibus impressimus filiorum: qui ampla illud devotione susceptum, aspectui quodam modo sancti Patris offerrent, et cœlestis aulæ secretario præsentarent. Præterea ne absentiæ corporalis occasio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis, tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus: quam pro eo quod vir justus, ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cœlestis benedictionis implevit. Illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ Claræ-Valli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ subreptionis instinctu, dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

DE SANCTO BERNARDO ABBATE TESTIMONIA.

I. — *Summorum Pontificum.*

Innocentius II, Epistola ad sanctum Bernardum: *Quam firma*, ait, *perseverantique constantia causam beati Petri, et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defendendam, et te murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, amicos regum ac principum, et aliarum tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraveris, magna quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit utilitas manifestat.*

Alexander III, in litteris Canonizationis ad Ecclesiam Gallicanam: *Beatus Bernardus, singularis gratiæ prærogativa suffultus, non solum in se ipso sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei et doctrinæ lumina radiavit. Fructum vero quem in domo Domini et verbo operatus est et exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cum usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit.*

Pius V, in Bulla *Ex innumeris*, etc. inter alia quæ suggerit media reformandi Ordinis Cisterciensis, lectionem Operum sancti Bernardi proponit his verbis: *Ubi sacra lectio juxta concilii Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini officii et chori usum necessarii sunt, saltem Biblia, et Catechismus ad parochos recens editus, item Opera sancti Bernardi, et si qui alii ad honestam monachorum occupationem poterunt, habeantur.*

Gregorius XIV *meditabatur mane hora integra*, inquit Gicarella in ejus Vita, *legens opera mellifui Bernardi; et si quos ex iis erueret mentis conceptus, eos diligenter adnotabat, concinneque scribebat.*

II. — *Cardinalium, et Ecclesiæ Doctorum.*

Jacobus de Vitriaco Tusculanus episcopus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Sedisque apostolicæ legatus, lib. de Historia Occident. cap. 14, sic scribit: *Suscitavit Dominus eis a principio novellæ*

Digitized by Google

plantationis eorum agricolam peritum, prudentem et sanctum virum quem invenit Dominus secundum cor suum... sanctum videlicet Bernardum Claræ-Vallis abbatem, religionis probatissimam margaritam, lucernam Ordinis et stellam in firmamento Ecclesiæ Dei radiantem, qui non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præeminentem sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, et quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cœlestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et quoniam potens fuit in opere et sermone, exemplo sanctæ et præeminentis conversationis, et doctrina cœlestis prædicationis, sed et virtute miraculorum et mirabilium operum multis factus est ordo vitæ in vitam.

Sanctus Bonaventura sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et episcopus Albanensis, Ordinis Minorum in Meditationibus vitæ Christi, quas ubique Bernardi sententiis veluti gemmis insignivit, ita loquitur cap. 36 : *Audisti verba pulcherrima altissimi contemplantis et orationis dulcedinem degustantis Bernardi. Rumines ea, si vis, ut sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc opusculo intersero, quia non solum spiritualia sunt et cor penetrantia, sed et decore plena, et ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, et spiritu sapientiæ plenus, et sanctitate præclarus, quem te desidero imitari, et ipsius monita* **1347** *et verba opere exercere: propter quod sæpe tibi propono eumdem.*

Sanctus Thomas Aquinas Serm. de sancto Bernardo, sic ait : *Fuit ergo os ejus vas pretiosum, os aureum, os gemmeum... Vino dulcedinis inebriavit totum mundum... Aurum fuit Bernardus per voluntatis sanctitatem; multitudo gemmarum, per morum honestatem et virtutum multiplicitatem; vas pretiosum, per virginitatis puritatem... Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis cap. 28. Lapides isti significant novem ordines Angelorum: quibus fuit dotatus Bernardus, quia in se habuit virtutes et officia omnium ordinum Angelorum, sicut dicitur in libro ubi scribuntur acta ejus.*

Augustinus Valerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, episcopus Veronensis, lib. de Rhet. Eccl. cap. 41 : *In sancti Bernardi libris*, inquit, *inest admirabilis quædam suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate semper legantur.*

Cæsar Baronius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis. tomo XII Annal., anno 1130, Bernardum Tubam cœlestem appellat: anno vero 1143, alterum Eliam. Sic autem de eo scribit anno 1153: *Bernardus, vir vere apostolicus, imo verus Apostolus missus a Deo, potens opere et sermone, illustrans ubique et in omnibus suum apostolatum sequentibus signis, ut plane nihil minus habuerit a magnis Apostolis... dicendus totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul ac fulcimentum: Gallicanæ vero in primis Ecclesiæ prædicandus summum decus, summa gloria, summa felicitas. Cujus memoria felicissima in benedictione et sanctificatione ad morum informationem et disciplinam, et in condemnationem hæreticorum in sancta Ecclesia jugiter perseveret.*

Robertus Bellarminus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, lib. de Script. Eccl. ait: *Sanctus Bernardus abbas Claræ-Vallensis, vir plane apostolicus, et non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris.* Item tomo II Controv. lib. IV, cap. 14 : *Idem beatus Bernardus pluribus miraculis claruit, quam ullus sanctorum, quorum vitæ scriptæ exstant.*

III. — *Episcoporum.*

Hildebertus episcopus Cenomannensis, demum Turonensis archiepiscopus, Epist. 24, ad Bernardum scripta : *Maximum duco*, inquit, *atque habeo, quod mihi sacrarium familiaritatis aperuistis. In eo susceptus, multis et magnis expertus sum periculis quantum valeat deprecatio justi assidua.* Et paulo post : *Habeo igitur atque ago vestræ gratias religioni, cujus sinum, quasi reus aram, jamdudum complexus essem, si consultus Papa pontificis munus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam: non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseriæ et luto fæcis.* Vide ejusdem Epist. 72, quæ est 122 inter Epist. Bernardi.

Otho Frisingensis episcopus, lib. 1 de Gest. Frid. cap. 34, ita habet : *Erat eo tempore in Gallia cœnobii Claræ-Vallensis abbas Bernardus dictus, vita et moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia litterarumque scientia præditus, signis et miraculis clarus. Hunc principes vocandum, ab eoque quid de hac re (n. expeditione transmarina) fieri oporteret, tanquam a divino oraculo consulendum decernunt.* Et infra : *Qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut Propheta vel Apostolus habebatur.*

Petrus Cellensis abbas, postea Sancti-Remigii Remensis, demum episcopus Carnotensis, lib. VI, epist. ult. scribens contra Nicolaum quemdam Anglum (non vero notarium S. Bernardi, ut probatum est ad Epist. 284), qui sancti Doctoris pectori maculam post ejus mortem affingebat, quod beatæ Virginis Conceptionem impugnasset, **1348** sic in Bernardi laudes excurrit : *Quæ*, inquiens, *tua Bernardi sanctitas! quæ religio! quæ meritorum prærogativa! Nullus sum ego ad illius sancta præconia referenda. Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula, fides, spes, charitas, castitas, abstinentia, mortificatio demum in membris ejus, sermo, vultus, habitus et gestus ejus, et his similia, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de eo..... Alumnus familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non unam tantum basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis basilicas dedicavit, ad cujus laudem politissimos tractatus et facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominæ nostræ, scribe contra Bernardum suum, cui loquitur ipsa: Qui tangit te, quasi qui tangit pupillam oculi mei.*

Anselmus Havelbergensis in dialogo contra Græ-

Digitized by Google

cos, lib. II : *Nostris temporibus apparuit quidam abbas, in loco qui dicitur Clara-Vallis, nomine Bernardus, vir religiosissimus, virtute miraculorum insignis, ab Occidente usque in Orientem pro sua sanctitate famosissimus quem venerabilis papa Eugenius, quondam sui monasterii monachus, in conciliis multorum episcoporum condigna reverentia plerumque honoravit.*

Guillelmus Tyri archiepiscopus, lib. XVI Belli sacri, cap. 18 : *Dominus Eugenius papa viros religiosos potentes in opere et sermone ad diversas Occidentis partes dirigit... Inter quos vir immortalis memoriæ et honestæ conversationis D. Bernardus Claræ-Vallensis abbas, piæ in Domino et per omnia amplectendæ recordationis. ad prædicti Deo placiti muneris executionem præcipuus eligitur. Qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabilis trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter jejunia pene continua et subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei.*

Guillelmus Parisiensis episcopus, Serm. de sancto Bernardo sic eum prædicat : *Excellentissime vixit, ratiocissime docuit, manifestissimis miraculis fulsit : eum non humana instructio sed divina inspiratio sapientem fecit, quod in Scripturis specialiter sensit.* Et infra : *Sicut Deus Moysi recitavit sua mysteria, et vultus ejus claritate resplenduit radiorum, ut non possent in eum respicere filii Israel : sic beato Bernardo, secreta multa revelavit, ut cœlesti luce illuminatus multum Ecclesiam illuminarit.*

Theobaldus episcopus. seu quisquis est auctor Vitæ Guillelmi Aquitaniæ ducis, cap. 2 : *Eo tempore*, inquit, *fundatum est monasterium Claræ-Vallis, et ibi Spiritus sancti consilio ad regimen abbas est Bernardus ordinatus ; qui in tantum vita, virtutibus et doctrina clarus effulsit, ut nullus ei in orbe secundus existeret ingenio, moribus, ore, stylo et virtutibus. Hic est qui in diebus suis hæreses exstirpabat, hæreticos confundebat, schismaticos revocabat, erroneos instruebat, et principes arguebat.* Et paulo post : *O virtutem viri, o animi puritatem, nec affectantis publicum, nec formidantis tyrannum (Guillelmum) pro ejus salute ! Qui fugiebat publicum, quomodo affectasset cathedræ fastigium ? Deus meus, quot et quantæ Ecclesiæ cathedrales propriis orbatæ pastoribus eum in pontificem elegerunt ? Sed non plus delectabat eum mitra et annulus, quam rastrum et sarculus.*

IV. — *Regum et Magnatum.*

Carolus V imperator, teste Thuano Histor. lib. XXI, *toto biennio quod mortem præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitio, monitore usus Constantino quodam, qui ei a sacris confessionibus erat, præcipue beati Bernardi abbatis lectione se solabatur.*

Ludovicus XIII, Galliarum et Navarræ rex **1349** christianissimus, cognomento Justus, in Diplomate Congregationi Fuliensi pro erectione Fontanensis monasterii a se concesso anno 1618, sanctum Bernardum appellat magnum et celeberrimum Confessorem, Ecclesiæ Patrem et Doctorem, populorum reformatorem, schismatum et dissidiorum conciliatorem, Religiosorum Patriarcham, mirabilium patratorem, ac Deiparæ Virginis cultorem eximium. Videsis apud Henriq. Menolog. Cisterc. ad diem 20 aug. præclara omnium pene regnorum Christianorum, diversorumque statuum elogia, initialibus prædicti monasterii Fontanensis lapidibus inscripta in honorem sanctissimi abbatis Bernardi ; in primis vero Serenissimæ Reginæ Mariæ Medices, matris ipsius Christianissimi regis, quæ beati Bernardi meritis divinitus concessam sibi fuisse fecunditatem, solemni testificatione declarat.

Joannes Franciscus Picus Mirandulæ comes, lib. II de morte Christi, cap. 8 : *Sed et audiamus*, inquit, *Bernardum devotissimum atque doctissimum, sed hoc ultimo titulo vulgo fraudatum, nulla certe sua culpa, nullo demerito, quando et ob ejus scripta, quæ doctrina solida atque salubri undique scaturiunt, et ob validissimas disputationes in Gilbertum et Petrum Abælardum (quarum ope ab distorto calle erroris atque mendacii ad veritatis semitam rediere) Docti sibi nomen vindicavit.*

V. — *Abbatum et Generalium.*

Petrus Mauricius, cognomento venerabilis, Epist. 29, lib. VI, inter Epist. Bernardi 264, sic scribit : *Forti ac splendidæ monastici Ordinis, imo totius Ecclesiæ Dei columnæ domino Bernardo Claræ-Vallis abbati, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas*, etc. *Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset vita ejus, maluissem, charissime, Beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quam vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim ? nonne regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non solum hominibus, sed et Angelis ipsis cohabitatio tua ? Concivem te illorum si dixero, licet nondum spes in rem transierit, per misericordiæ Dei gratiam mendax non ero.*

Burchardus abbas Balernensis, in subscriptione lib. I Vitæ sancti Bernardi, sic de eo loquitur : *In utero matris sanctificationem visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis et doctrinæ.*

Guerricus abbas Igniacensis, sancti Bernardi discipulus, Serm. 3, in Natali apost. Petri et Pauli : *Magister noster sanctus Bernardus, ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali (Cantico canticorum) loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis*, Donec aspiret dies et inclinentur umbræ, *umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ : quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine.*

Gaufridus, primum sancti Bernardi notarius, deinde Igniacensis, postmodum Claræ-Vallensis abbas, lib. III Vitæ sancti Bernardi, seu primo a se con-

Digitized by Google

scripto, cap. 7 : *Cæterum*, inquit, *longe eminentius in suis ille libris apparet et ex litteris propriis innotescit; in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, et exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari : Laude ipse se signet, et laureatus spiritu scriptis coronetur suis.* Vide Sermonem ejusdem de sancto Bernardo in fine tomi VI.

Robertus abbas Sancti-Michaelis in Periculo maris, Ordinis sancti patris Benedicti in Append. ad Sigebert. ann. 1152 : *Venerabilis Bernardus primus abbas Claræ-Vallis, vir admirandæ religionis et doctrinæ efficacis, humanæ vitæ satisfecit moriendo XIV kalendas septembris, relinquens sapientiæ suæ plurima documenta, maxime in Commentariis* **1350** *in Cantica canticorum.*

Pater Claudius Aquaviva, V Præpositus generalis Societatis Jesu, scribente Joanne Bourhesio, in libro cui titulus, *Societas Jesu Mariæ Deiparæ sacra*, cap. 4 : *Coluit certe beatam Virginem et sanctum Bernardum præcipuo cultu, eosque in omni re dubia sensit adjutores.*

VI. — *Doctorum Theologorum.*

Henricus de Hassia, doctor Parisiensis postea Cartusianus, in Tractatu ad Jacobum abbatem Eberbacensem, contra sancti Bernardi maculatores, ita scribit, parte 1, cap. 3 : *Ubi, quæso, talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur; ubi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita et doctrina beatissimi patris Bernardi abbatis Claræ-Vallensis, sideris Ecclesiæ, principalis Cisterciensis Ordinis ampliatoris, et monasticæ vitæ inflammatoris ardentissimi? Et quis penetrabilior virtutum hortator occurrit, quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanum excitans torporem ad cælestia, ardorem elidens ad terrestria, somnum mortis impediens, divinæ lucis radios, fugatis tenebris inclarescere satagens? Cujus insuper fecundis ac decoris Sermonibus Virgo Christi mater tam gloriosis extollitur laudum preconiis, pretiosissimis ornatur puritatis encomiis, integerrimis prædicatur virginitatis signaculis. Et nedum hoc, sed et ejus doctrinis universalis Ecclesiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutilat, et verborum elegantia singulari gloriosius coruscat. Et fecunda facundia cælestis irrigui, gratia influente, Scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, dilucidat obscura, declarat dubia, sicuti beati Bernardi Doctoris Ecclesiæ eximii, qui in gloriam patriæ abiens, sic saluberrimis omnis sanctitatis monitis doctrinæ et exemplis vitæ totam subcœlestem fecundans irrigavit ecclesiasticam hierarchiam. Quem ideo alma mater Ecclesia exuberantis testimonii plenitudine in sanctorum canonizatione requisiti, in miraculis, doctrinis, virtutum exercitiis, luce clarius reperta ejus cælesti vita testimonium afferente, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuissimis, titulo eximium Confessorem et doctorem studiis honorari sollicitis et sonoris efferri præconiis instituit, et honoribus disponit solemnibus venerari, et sanctorum catalogo gloriosius adnotari.*

Joannes Gerson, doctor et cancellarius Parisiensis in quodam Sermone de sancto Bernardo, sic eum affatur : *Te vero beatissimum Bernardum unum esse ex consortio ignitorum illorum spirituum, quos Seraphim Scriptura nominat, ego fide pia tenens, obsecro jam et obsecro per amorem tuum, quatenus sumpto calculo ardenti de altari illius, cujus ignis est in Sion et caminus in Jerusalem..... tu labia mea tangens purges*, etc. Et circa finem : *Consideranti mihi in ea quæ per accidens et velut ab extrinseco juverunt sanctum Bernardum ad amorem Dei capessendum, reperio illa esse quatuor inter cætera, quæ sunt, matris devotio, apta complexio, debita educatio, et solitudinis affectio.* Et infra : *Denique dici potest, omnia ista quatuor juvisse de per acciaens Bernardum, ut propheta et miraculorum esset patrator, inter quæ præcipua ego illa deputo, quæ egit in conversione illorum, qui etiam converti toto nisu fugiebant.*

Jodocus Chlichtovæus Neoportuensis, doctor theologus et canonicus Carnotensis, Serm. 1 de sancto Bernardo, sic eum Joanni Baptistæ comparat : *Tertio*, inquit, *lucerna nostra Bernardus fuit, lucens multiplici sacrorum operum compositione, quæ non solum sui temporis hominibus, sed et posteritati prodessent ad ædificationem fidei et morum.... Illuxit certe omnibus non solum tunc præsentibus, sed et futuris usque ad consummationem sæculi, per multorum librorum elaborationem, ad profectum aliquem spiritualem* **1351** *semper tendentium, in quibus tanta est dictionis suavitas, ut melle dulcior illi fluat oratio; unde et Mellifluus Doctor merito nuncupatus est.* Item in Præfatione quadam Operibus sancti Bernardi præfixa : *Inter opera*, ait, *a probatissimis auctoribus elucubrata, beatissimi Bernardi volumina non postremo loco collocanda sunt. Si enim auctorem spectare libet, et vitæ sanctimonia, et præclara eruditione præstantissimus occurret; Si characterem ipsum rationemque scribendi, comperietur suavissima et sine asperitatis offendiculo cum summa facilitate elegantiaque decurrens, ut melle dulcior videatur ex ejus ore fluxisse oratio. Si denique materia quam pertractat, exquiritur, aliud invenietur nihil, nisi quod involucra sacræ Scripturæ in lucem proferat, aut vitia gravi verborum tonitruo effulminet, aut ad virtutem studiosius invitet.*

Ludovicus Granatensis, lib. II de Relig. Christ. cap. 27 : *Non erit*, inquit, *consentaneum inter tot gravissimos doctores dulcissimum et sanctissimum Bernardum non inserere, qui quo fuit humilior et a vana gloria alienior, hoc majorem gratiam et virtutem ad facienda miracula consecutus est.* Et cap 11 : *De sancto Bernardo etiam legitur quod initio gloriosi sui novitiatus ita in spiritu raptus et extra se positus ibat, quod sensuum usum amisisset.... Vis enim spiritus et divinæ suavitatis gustus, quem secum trahit charitas, ita animæ vires suxerat et secum traxerat, ut ad nihil aliud nisi ad id ullam virtutem haberet.*

Digitized by Google

Carolus Sacci, doctor theologus Parisiensis in Sermone de sancto Bernardo, qui manuscriptus exstat in monasterio nostro de Lyra, diœcesis Ebroicensis, hæc inter alia commemorat : *Exstinxit profecto, ne longius serperent, universi schismatis faces, et quidem tot tamque diuturnis peregrinationibus et vigiliis, ut mirum sit in mortali adhuc viro tantas perferendarum rerum, peregrinationum, lucubrationumque vires fuisse, imo vero superfuisse. Non unam, sed in multas et longas noctes continentes interdum vigilavit. Ægrotationes graves secutæ, quas ille non patienter modo, sed jucundo quoque animo tulit, easdemque vitæ beatæ et cœlestis imitatrices appellare solebat. Interea non temperavit aut intermisit sacrarum Litterarum studium, quas, velut æquissimam planitiem quamdam, oculis suis propositas videre se dicere solebat. Conciones infinitas habuit, libros elegantissimo verborum cultu expeditissime scripsit : De Contemptu mundi librum unum : Meditationum librum unum ; De Passione Christi et resurrectione librum unum ; De diligendo Deum ; De gradibus humilitatis ; De Gratia et libero Arbitrio ; De præcepto et dispensatione ; Ad Innocentium papam de Petri Abælardi hæresibus ; Ad Eugenium papam de Consideratione ; ad Templarios de laude militiæ novæ ; Ad Cluniacenses Apologeticum ; Super Psalmum nonagesimum homilias duas de viginti ; Super Cantica canticorum homilias tres et octoginta ; Super Evangelium Lucæ homilias quatuor ; Super Canticum Mariæ librum unum ; In Vitam Malachiæ episcopi librum unum ; Epistolas quidem innumerabiles, quæ tamen in manibus adhuc versantur, ducentas quinque et quadraginta*, etc.

VII. — *Religiosorum ex diversis Ordinibus.*

Hugo Metellus, canonicus regularis cœnobii Sancti Leonis apud Tullum Leucorum, in epistola ad ipsum sanctum Bernardum hic edita tomo I, col. 1780 : *Oleum effusum*, inquit, *nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis tui clarissimi usque ad fines terræ pertransiit*, etc.

Hugo monachus Sancti-Mariani Autissiodorensis, in Chronico ad annum 1114 : *Eodem anno*, inquit, *Clara-Vallis fundata est, cujus primus abbas exstitit servus Dei Bernardus, vir opinatissima sanctitate præclarus, per quem sui temporis Ecclesia in antiquum religionis decus refloruit.*

1352 Andreas Silvius Benedictinus Marchianensis in Synopsi Historiæ Franco-Merovingicæ, sic scribit ad annum 1126 : *D. Bernardus abbas Claræ-Vallensis quasi stella matutina monachicum Ordinem illustrat, et sanctitate, doctrina, miraculis claret in Gallia, imo Germania, Italia, Anglia ; cujus vita in tantum excellit, ut parum sit omne quod in ejus laudem dictum, vel scriptum fuerit.*

Helinandus, Frigidi-Montis in Gallia Ordinis Cisterciensis monachus, lib. de Reparat. lapsi, cap. 8, sic de sancto Bernardo loquitur : *Lege pulcherrimum librum de Consideratione ad Eugenium, ex cujus nobilissimo stylo poteris intelligere, auctorem libri sapientiorem fuisse Apolline, eloquentiorem Demosthene, subtiliorem Aristotele, moderatiorem Socrate, discretiorem Platone.*

Cæsarius Heisterbacensis monachus Ordinis Cisterciensis, lib. XIV Mirac. cap. 17 : *Bernardus in illa formidolosi schismatis flamma, qua christianus orbis flagrare cœperat, lustravit provincias, infectum reddidit quidquid factum non oportuit, et gladio verbi divini succinctus fregit terrorem armorum. Vir tantæ auctoritatis, ut per unius os Bernardi, purpurati patres, reges, principesque terrarum, quasi per commune mundi oraculum loquerentur.*

Henricus Suso, Ordinis Prædicatorum, in Dialog. de æterna Sap. cap. 14, ita sanctum Bernardum affatur : *Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ doctores benedictus sis, Bernarde melliflue, cujus anima sempiterni Verbi mirifice fuit illustrata splendoribus, qui mellito eloquio tuo, ex cordis manante redundantia, humanitatis Christi Passionem dulcissime deprædicans evehensque ita ais*, etc. *Merito sane, pater sanctissime Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua passio adeo indulcarat.*

Dionysius Cartusianus, Serm. 1 in Festo sancti Bernardi sic eum commendat : *Beatissimum virum sanctum patrem Bernardum Deus omnipotens et benignissimus tam copiosa atque multiplici gratia decoravit, ut vere de ipso dici posset, quod de Paulo apostolo dixit Salvator,* « Vas electionis est mihi iste, » etc. (*Act.* XI, 15), *et quod in Ecclesiastico legitur,* « Non est inventus similis illi » (*Eccli.* XLIV, 20). *Non enim tempore suo habuit æqualem in mundo, sed vere Apostolus fuit temporis sui.* Et serm. 2 : *Electissimus Dei Bernardus, omnium religiosorum excellentissimus doctor, lumen et gloria monachorum, exemplar ac species devotorum, tot et tantis desuper præventus est gratiis, tot excellentiis decoratus, tot privilegiis sublimatus, ut non sint ingenia quæ valeant penetrare, nec loquelæ, neque sermones qui possint exprimere, tantumque virum sufficienter laudare.*

Sixtus Senensis Ordinis Prædicatorum, Bibliotheca sancta, lib. IV : *Bernardus*, inquit, *vitæ sanctimonia et præclara eruditione præstantissimus, sic ab infantia sacras Litteras imbibit, et per omnem ætatem memoria retinuit, ut quoties aut aliquid scribere, aut loqui tentaret, toties in verba et sententias sanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur. Unde et diversa scripta ejus, quæ nihil aliud quam centones divinorum voluminum dici queunt, undecunque Veteris ac Novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus, hisque adeo commode et apte insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis et in moribus formandis fere semper versatur. Oratio ubique dulcis et ardens ita delectat et ardenter incendit, ut suavissima lingua ejus mel et lac verborum fluere, et ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur.*

Hieronymus Platus Societatis Jesu, lib. III de bono

Digitized by Google

statu Relig. cap. 11, hæc inter alia scribit : *Quid de Bernardo dicemus ? quem vere appellare possumus*
1353 *plane mellitum, qui spiritualibus documentis scatens, iisque optimis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stylum immisceat, et contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur. Quæ res una cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem.*

Petrus Canisius ejusdem Societatis, Marial. lib. v, cap. 28 : *Florebat sub Lothario II et Conrado III Bernardus Claræ-Vallensis, vir in Gallia, Germania, Italiaque percelebris : quem omnes non solum ob doctrinam divinitus inspiratam, sed etiam propter vitæ sanctimoniam, clarissimis sæpe miraculis demonstratam, merito suspicerent ac revererentur ; quo uno melius nec scripsit, nec vixit quisquam in universo cœtu monachorum, si Lutheri quidem calculum admittamus.*

Aloysius Gonzaga ejusdem Societatis, ut legitur in Vita ipsius, lib. II, cap. 32 : *Lectionem Bernardi, tam sibi in vita jucundam neque morti vicinus omisit. Nam in morbo qui illi postremus fuit, Bernardum adeo charum habuit, ut quotidie aliquid ex ejus in Cantica Sermonibus sibi prælegi curaret.*

VIII. — *Jureconsultorum et oratorum.*

Franciscus Petrarcha, lib. II, de Vita solit. cap. 14 : *Solebat*, inquit, *dicere Bernardus, omnes se quas sciret litteras (quarum nescio an ullus sua ætate copiosior fuerit), in silvis et in agris didicisse, non hominum disciplinis, sed meditando et orando, nec se ullos unquam magistros habuisse præter quercus et fagos.*

Nicolaus Pithœus in epistola præmissa Thesauro suo ex Operibus sancti Bernardi : *Magna mihi cum D. Karolo Perroto amicitia et familiaritas est. Eam igitur die quodam cum, uti soleo, adiissem, ac variis de rebus multa ultro citroque essemus collocuti, injecta mentio est divi Bernardi Claræ-Vallensis cœnobii abbatis primi : quem tantis ille laudibus extollebat, tantique scripta ejus faciebat, ut ad ea evolvenda animum induxerit meum... Atque ita quod futurum ille prædixerat, verum esse comperi. Tanta enim ex ejus me lectione voluptas cepit, ut omnes pene illas, quæ animum meum tam misere cruciabant, molestias absterserit.* Idem inferius : *Bernardum quoddam quasi Ecclesiæ ruentis columen atque sustentaculum* appellat.

Justus Lipsius, Lovanii regius professor et historicus, rogatus ab Auberto Miræo, quosnam e Patribus legendos formandis concionibus judicaret, hoc responsi dedit, Epist. 49, Centur. 3 : *Mihi inter omnes Græcos placet Chrysostomus.... Inter Latinos Bernardus me capit, et usum habet excitandi, ob acrimoniam ubique et calorem ; tum etiam docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen quas crebro et salubriter miscet.*

Renatus Choppinus, in supremo Parisiensi Senatu advocatus, lib. II de sacra Politia : *Eadem tempestate*, inquit, *D. Bernardus emicuit, cœnobita quercuumque discipulus, et nullo præeunte magistro doctissimus, qui e solitudine in celebritatem, ex umbra in solem, sanctitatem eruditionemque importavit. Is tam πολύγραφος, quam αὐτοδίδακτος ; quod paucis admodum id genus scriptoribus cernimus contigisse.*

IX. — *Illustrium Feminarum.*

Sancta Hildegardis Montis-Sancti-Roberti prope Bingen abbatissa, in quadam epistola ad sanctum Bernardum, sic illum exprimit : *Ego ante duos annos te in hac visione vidi sicut hominem in solem aspicere, et non timere.... Tu aquila es aspiciens in solem.* etc.

1354 Sancta Gertrudis abbatissa monasterii Elpedani, in comitatu Mansfeld. describit modum quo sibi apparuit sanctus Bernardus, lib. VI Insin. cap. 51. Inter cætera vero sic ait : *Pectus quoque ejus sanctissimum, collum et manus videbantur aureis quibusdam laminis, gemmisque rosei coloris valde rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Unde et per laminas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ ejus salutaris, quam corde devoto sedulo retractans, per gutturis sacri ministerium ore sacrato edidit, et manibus sanctis fideliter conscripsit omnibus in eis proficere volentibus ad salutem. Per gemmas vero figurabantur illa dicta, quæ specialius redolent divinum amorem.*

Beata Mecthildis, ejusdem beatæ Gertrudis in eodem cœnobio comes, sic scribit in libro Gratiæ spir. cap. 94 : *In medio Ecclesiæ, sancti Bernardi, singulariter a Deo in benedictionibus dulcedinis prævenit Dominus aperuit os ; quia Spiritus sanctus eum tam affluenter et superabundanter infuendo repleverat, ut velut cum ventus rapidissimo impetu januam aperit, ita Spiritus sanctus impulsu ea quæ sibi divinitus inspirabantur, charitate accensus infudit, et Ecclesiam sua doctrina multum illuminavit, et implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ et intellectus, et supra quam dici potest mente illustratus, licet multa effuderit, multo tamen plura intellectu reservavit.*

X. — *Heterodoxorum.*

Martinus Lutherus, in colloq. Convivial. cap. de Patrib. Eccl. : *Bernardus*, inquit, *omnes Ecclesiæ doctores vincit : sed cum disputat, in altum virum mutatur ; ibi nimium tribuit libero arbitrio.*

Michael Neander de eodem ita scribit, Præfat. ad Gnomolog. Græcorum : *Plus spiritus vitæ, doctrinæ et fidei in paucis aliquot paginis D. Bernardi reperitur, qui philosophiam non attigit, sola Scriptura contentus, quam adeo familiarem sibi fecerat, ut mera Scripturæ verba loqueretur, quam in toto Hieronymo, qui linguarum, artium, philosophiæ, antiquæ sapientiæ cognitione cunctis præstabat.*

Martinus Bucerus, lib. de Concord. art. de Justif. Bernardum virum Dei nominat.

Joannes Œcolampadius, citatus a Guthberto Tonstallo lib. de verit. Corp. Christi in Euch. : *Excellebat*, ait, *Bernardus exactiore judicio omnes suæ ætatis viros.*

Digitized by Google

Joannes Calvinus, lib. IV Inst. cap. 11, § 10, hæc testatur : *Bernardus abbas in libris de Consideratione ita loquitur, ut Veritas ipsa loqui videatur.* Item cap. 10, § 17, Bernardum vocat pium et sanctum scriptorem.

Daniel Heinsius, Orat. 3 : *Quis*, inquit, *suavius Bernardo scribit? cujus ego Meditationes rivum paradisi, ambrosiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare soleo.*

OBSERVATIO.

Horstius hoc in loco refert iniquas et erroneas Centuriatorum Magdeburgensium censuras, ex eorum Centuria 12 excerptas, quibus in sancti Bernardi gesta et dicta nonnulla superstitionis nomine impie aut iniquæ cavillantur. Has vero censuras, quas in 22 articulos distinxit idem auctor, brevitatis ergo in decem capita præcipua revocavimus, ne aliquid prætermisisse videamur. Et quidem primo sanctum Bernardum notant Magdeburgenses, quod Hostiæ in Missa oblatæ et consecratæ cultum adhibuerit, eaque usus sit ad dæmones expellendos. 2, Quod sanctorum reliquias veneratus sit. 3, Quod rebus benedictione sacra munitis quamdam crediderit inesse virtutem. 4, Quod Romanum Pontificem adversus impugnatores defenderit, eique jus investiturarum asseruerit contra Lotharium imperatorem. 5, Quod extra Ecclesiam 1355 catholicam sperandam esse salutem negaverit. 6, Quod expeditionem sacram, quam Crucem vocant, prædicaverit. 7, Quod veritatem a mortuis expiscatus sit, iisque prodesse crediderit Missæ sacrificium. 8, Quod miracula ad errores, ut ipsi loquuntur, confirmandos perpetraverit. 9, Quod vitam monasticam propagaverit, et ad illam induxerit plurimos; in primisque sorori suæ licet conjugatæ interdixerit omni vestium pompa, ejusque a viro separationem probaverit, ut ipsa claustrum ingrederetur. 10, Quod ipse Bernardus in stagnum rigens se injecerit studio castitatis, ac in summa corpus suum iniquius torserit. Et hæc quidem sunt superstitiosa illa, quæ in sancto Doctore hæretici calumniantur opera, quibus singulis acres potius invectiones, quam refutationes Horstius apposuit. Verum cum 1356 illa non tam ipsum Bernardum, quam communem catholicæ religionis causam impugnent, iisque copiose et erudite sit responsum a multis, non visum est illis diutius immorandum. Certe hæc, quæ tanquam superstitiosa criminantur hæretici, longe validius in eos regeri possunt pro Bernardo : quem cum virum Dei appellet Bucerus, Calvinus pium et sanctum; eum superstitiosis ad mortem usque factis addictum fuisse nefas est opinari. Ac proinde ea nequaquam superstitionis nomine in Catholicis notanda sunt, quæ quominus Bernardus sanctus, et miraculis a Deo illustratus fuerit, efficere non potuerunt. Cæterum consulat Lector, si lubet, Confessionem Bernardinam, ex sancti Doctoris operibus expressam a P. Theodoro Petreio Cartusiano Coloniensi, ubi loca doctrinæ catholicæ in certas classes digesta reperiet.

HORSTII PARÆNESIS AD SECTARIOS

De sancto Bernardo cum fructu ab ipsis legendo.

Diversas sectariorum de Bernardo censuras audivimus. Alii laudant, alii vituperant : nisi forte in eo conveniunt omnes, quod adversantem suis ipsorum placitis et moribus omnes æque damnant ac rejiciunt. Hæc tamen quæ ipsi tanquam doctrinæ suæ contraria improbant, nos Catholici vel ideo probanda et amplectenda ducimus, quia Bernardum, aliosque illi similes viros sanctissimos, talia docuisse et fecisse, adeoque diversa ab illis via incessisse novimus. Sanctitas nimirum vitæ doctrinæ astipulatur, et falsa nobis doctrina, aut erronea fides videri nequit, quam viri tanta sanctitate illustres tenuerunt. Cur sibi plus credi volunt, nullo sanctitatis suffragio nixi, quam sanctissimo Bernardo, aliisque orthodoxis Patribus, quorum doctrina et fides tot sanctitatis argumentis, imo tot signis et miraculis comprobatur? Sane non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos. Quis enim sanæ mentis sibi persuadeat, hominem impia, falsa, absurda, erronea docentem; idololatriæ, superstitioni, vanis observantiis deditum, qualia atri isti censores, Centuriatores, Bernardo impingunt; inter hæc nihilominus continuis gratiæ incrementis apud Deum et homines proficere, et ad tantam divini amoris, omnisque virtutis perfectionem emergere potuisse?

Porro, quid de præcipuis orthodoxæ fidei capitibus Bernardus senserit, scripta ejus abunde testantur. Sed etsi nihil litteris commendasset, ipso vitæ tenore satis ostendisset, cui Ecclesiæ adhæserit, quam a vobis doctrina et moribus alienus fuerit. Nam vos modo paulisper affari libet, o sectarii, quibus etiam Bernardum subinde legere lubet; si forte detur et aliquando intelligere, et resipiscere. Missa vobis mera et horrenda idolomania est : at quoties Bernardus Missam, verum Deo sacrificium obtulit? Non facile illam intermisisse ad extremum usque spiritum, testatur Vita; et vos ipsi, etsi non sine calumnia. Nonne ipsa Missæ oblatione dæmones sæpe terruit et profligavit? Nonne Guillelmum ducem Aquitaniæ, pertinacem illum schismatis fautorem, nullis cedentem minis ac monitis, post oblatum sacrificium ab altari veniens, dextra, non ferro, sacra Dominici corporis hostia, armata perculit, et expugnavit? Legite et intelligite, si forte et tandem expugnetur duritia cordis vestri, etc.

Sed longius progredior, quam ferat institutæ ratio : paucis duntaxat vos commovere ferebat ani-

Digitized by Google

mus, ne præ Bernardo vos sapere arbitremini. Cur enim novitatem a veteribus damnatam, veteres damnantem inducitis? cur non tenetis viam, qua Bernardus, sanctique illi viri et confessores, totaque antiquitas cœlum petiit? Si errare vos non creditis, qua isti pergant via videte: si agnoscitis, cur peritos vim duces non sequimini? cur non vel tandem eo reditis, unde discedere nunquam oportuit?

Ego quidem, ut ingenue de me fatear, si vel ab ineunte ætate vestris imbutus essem erroribus; vel si quocunque casu a tramite veritatis et orthodoxæ religionis ad sectas vestras deflectere contigisset, solus mihi Bernardus sufficeret, qui vestra mihi dogmata suspecta redderet; imo, qui devium reduceret in viam veritatis. Sic quippe ratiocinarer mecum. Si vera non sunt, quæ vir tam eximiæ et irrefragabilis sanctitatis tenuit et docuit, quomodo tanta sanctitas cum tanta falsitate consistere potuit? Sanctitatem ejus inficiari non possum, quam video a tot viris gravissimis, et scriptoribus omni exceptione majoribus, quin et ab ipsis ejus æmulis contestatam. Miracula quoque innumera in ejus confirmationem edita conspicio, quæ negare velle, non videtur esse hominis prudentis; calumniari autem tanquam præstigias et opera Satanæ, id prorsus A videtur hominis male sani, nedum maligni, cum talia nonnisi divina virtute fieri potuerint. At vero in confirmationem errorum talia patrata credere, id vere foret hominis prorsus impii, et in Deum blasphemi, ac in sanctos ejus injurii. Liceat hic merito illud sancti cujusdam Doctoris insigne dictum usurpare: « Domine, si error est, a te decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ nonnisi per te ipsum fieri possunt; certe a summæ sanctitatis viris nobis tradita, et cum summa, et authentica attestatione probata, te ipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (229). »

Hæc in gratiam vestri, o sectarii, quia sapientibus et insipientibus me debitorem agnosco: quamvis vobis super docentes vos intelligere et sapere videamini. Sed miror tamen quid vobis sit animi, dum Bernardum legitis, toto a vobis cœlo dissidentem; conscientia haud dubie præjudicatis opinionibus reclamante. Legite deinceps; hoc unice precor, et suadeo: legite, inquam, et si ulla vobis cura salutis, intelligite. En lucem sanctitatis et ducem veritatis Bernardum vobis exhibeo: aut si mavultis, ipsum vobis apprecor, qui est lux vera, imo via, veritas, et vita.

(229) Richard. a S. Vict. lib. I de Trinit. cap. 2.

Digitized by Google

ACTA BOLLANDIANA

DE SANCTO BERNARDO

CONFESSORE

PRIMO CLARÆ-VALLENSI ABBATE, PATRE AC DOCTORE ECCLESIÆ

IN TERRITORIO LINGONENSI IN GALLIA

COMMENTARIUS

Auctore Joanne PINIO *societatis Jesu presbitero theologo.*

(*Acta sanctorum Bolland.*, Augusti tom. IV, die 20, p. 101.)

§ I. *Annus ac locus natalis; illustre genus.*

1. Magnos inter viros, qui, tanquam lucidissima Ecclesiæ Dei sidera, doctrina, virtutibus ac miraculis orbem terrarum illustrarunt, nomen meretur et obtinet S. Bernardus plane singulare, ita videlicet quaquaversus propagatum ac celebratum, ut vix quisquam sanctorum esse videatur, qui tot rerum suarum præcones, tamque egregios ac tam probatæ fidei spectatæque auctoritatis scriptores nactus sit. Perspicuum id fiet tum e tribus potissimum clarissimis biographis, qui præstantissima ejus facta continuato sermone, et quasi ex condicto, ad posteros transmisere, inferius a nobis laudandi; tum ex aliorum documentis, de quibus postea erit sermo. Quæ autem nos per hujus commentarii decursum præter ea, quæ ab aliis dicta sunt prius, dicemus, subservient Vitæ ac miraculis doctoris melliflui vel confirmandis, vel elucidandis, amplificandisve, incipiendo a natalibus ejus, circa quos varia se nobis offerunt expendenda.

2. Ac de anno imprimis natali ipsius ita convenit inter auctores, ut extra omnem controversiam positus sit. Illustrissimus enim Angelus Manrique, Pacensis episcopus, Annalium Cisterciensium tomo I, ad annum Christi 1105, Cistercii octavum, cap. 1, num 3: « De tempore, ait, omnino certum est, natum anno millesimo nonagesimo primo, eo nimirum quo beatus Petrus Cavensis, Cluniacensis cœnobii olim alumnus, oblatum sibi ab Urbano II, in concilio Beneventano usum mitræ, reverenter quidem, sed magnifice contempsit; quod in actis Vitæ ipsius (apud Baronium hoc anno), scriptum videas. Quo videlicet Bernardo offerendarum, contemnendarumque jam tunc in illo præsagia ostenderentur. Natum hoc anno facile convinces, si a millesimo centesimo decimo tertio, quo Cistercium ingressus est, duos et vigenti demas, quos tunc habebat: in quo omnes historici conveniunt. » Adde scriptores recentiores qui sancti natales anno jam dicto 1091 affigunt. Hæc de tempore; de loco autem, in quo vivere cœpit noster sanctus, ita scribit memoratus annalium conditor Manricus num. 2:

3. « Fontanis (alibi locus hic vocatur *Fontes*, vulgo *Fontaines*) oppido, a fontibus sic dicto, patris sui domicilio dominioque Bernardum natum testantur omnes, qui ejus Vitam scribunt, dimidio fere lapide a Divione, nobili et notissima curia Burgundiæ Ducum. Talentum inter (*vulgo Talen*) arcem munitissimam, et Fontanum castellum ea sita: » *Quod e Guilielmo Paradino, lib. de antiquo statu Burgundiæ fol. sibi* 140 *Manricus ibidem describit: in nostra autem editione Basileensi a pag.* 165, *leguntur ista:* « Planities est amœnissima, duobus fluminibus Suzione atque Oscara utrinque muros alluentibus... Urbi imminet Talentum, arx et natura loci, et arte munitissima... E regione hujus situm est castellum, cui a fontibus nomen, quod Bernardus, abbas sanctissimus, suis illustravit clarissimis crepundiis; olim Castellionensium equitum dominis [*leg.* domus], hodie Christo ædes sacra. » Mabillonius Operum S. Bernardi editor, ad calcem voluminis secundi varias ejusdem Sancti Vitas attexit, a columna 1601, aliaque de eo subnectit postmodum documenta. Dicta autem columna postquam in notula de Tescelino, Sancti patre, hæc citasset e Vita tertia, quod nempe ibi vocetur « dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, » etc., observat ibidem paternas (ut creditur) « Bernardi ædes conversas esse in Fuliensium Patrum conventum. » Factum hoc magis expresse affirmat, quam confirmat R. P. Chrysostomus Henriquez in menologio Cisterciensi hac die, sic de sancto scribens: « Feliciter in lucem prodiit Fontanis in domo paterna, quæ ob tanti viri reverentiam, utpote in qua primordia

Digitized by Google

vitæ et sanctitatis suæ habuit, in cœnobium pro Cisterciensibus reformatis congregationis Fuliensis mutata est : in cujus sacræ ædis lapidibus initialibus sanctissimi Patris Bernardi encomia, et præclara elogia pulchris characteribus exarata fuerunt : quæ, ne sub terra lateant, hic describenda censui. » Sed nos ea huc transcribere supersedemus, cum ibidem legi possint. Res gesta innectitur anno 1619, quo « Ludovici XIII Francorum et Navarræ regis Christianissimi mandato et nomine, serenissimæque ejus conjugis Annæ Austriacæ » primus lapis positus fuisse indicatur in ejusdem inscriptione, die 6 Januarii.

4. Verum, quod rursus ad castrum seu oppidum, S. Bernardi natalitium, Fontanas spectat, cavendum monet Manricus num. 2, citato, ne ultra meritum nobilitetur, et locis aliis eidem annexis locupletetur. « Recentiores, inquit, dum oppidum patris legunt, comitatum confingunt, et plures alios pagos illi adjungunt, queis e Fontanis Tescelinus jura daret, » — citatur ab ipso Brito, qui chronicon Cisterciense idiomate Lusitano vulgavit, lib. 1, cap 14, « sed nullo prorsus producto testimonio; imo ipsa reclamante antiquitate, qua potius *militem suis stipendiis contentum lego*, lib. 1, cap. 1, in Vita S. Bernardi, *quibus ad omne opus bonum abundabat*. Nec detraxisset Tescelino Bernardi patri, si quos haberet titulos ampliores, qui paulo inferius in avunculo Galdrico minores etiam ample numeravit. « Vir (inquit) sanctus, et potens in sæculo, et in « sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus « castri in territorio Eduensi, quod Ticilium [*al.* « Tuillium, *vulgo* Tovillon] dicitur. » Non ergo comitatus, alteriusve ditionis pingues redditus, cui præcipui proventus, si non unici, militaria stipendia designantur. Sat magnum est, si curiæ suburbanum, alterius, quam ipsius ducis, juris foret. » Ita ratiocinatur Manricus, et recte, mea quidem sententia.

5. Illis autem, quæ addebat, « cui præcipui proventus, si non unici, militaria stipendia designantur, » non satis consentiunt Fragmenta apud Mabillonium, columna 1275, ex tertia Vita S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido, monacho Clarævallensi (Fragmenta Gaufridi nos deinceps ea vocabimus) ubi dicuntur ista : « Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives. » Ex ante dictis convincitur erroris Vita S. Bernardi, quæ exstat in codice nostro signato P. Ms. 13, dum hæc scribit : « Bernardus... Castellione Burgundiæ oppido oriundus fuit. » Tametsi autem de nobili stirpe Sancti nostri ita certo constat, ut prudens adversus eam controversia moveri neutiquam possit, non abs re tamen egerimus, si hoc argumentum confirmemus ac illustremus.

6. « Parentes habuit, ut scribit Manricus, num. 4, dictum Tescelinum, Alaidemque, e quibus illum ducibus Burgundiæ propinquum genere, adeoque regum Galliæ progeniem claram; hanc ex Cornelii Comitum familia, alta origine regum Lusitaniæ, atque Henrico Lusitano primo Comite, Alfonsi regis patre, in tertio consanguinitatis gradu conjunctam, nostrates referunt : quo Bernardo cunctos Christianos principes arcto sanguinis fœdere devinciant. Ego in Guillermo, sancti Theodorici, lib. 1, cap. 1, atque Alano Altisiodorensi, quondam illo abbate, isto episcopo, atque utroque Bernardo coætaneo solum invenio : « Parentes claros secun- « dum sæculi dignitatem (et Tescelinum, qui) sic « consilio et armis serviebat temporalibus dominis « suis, ut etiam domino Deo suo non negligeret red- « dere quod debebat. » Quibus addi possunt sequentia e Vita quarta, a Joanne eremita scripta, apud Mabillonium, col. 1281 : « Beatissimus igitur Bernardus... digna propagine oriundus fuit, carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine; genitrix vero Aalays, filia Bernardi Montisbarri domini, viri potentis et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiquorum (sicut asserunt multi) Burgundiæ ducum generositate trahens originem. » At redeamus ad Manricum.

7. « Sed et in Guillermo, ait, Paradino, auctore Burgundo, et de Burgundiæ ducibus tractante, Castellionensem Safrensemque familias, queis uterque insignis, inter illustres illius quondam regni (nam reges olim fuerunt, qui post duces) numeratas agnosco; regiam progeniem aut originem non lego. Illius verba fol. mihi, inquit, 93, placet hic describere : « Sunt et aliæ familiæ pleræque illustres, « quales Cornejorum, ex qua Godefredus, flammulæ « signifer. » Et post non paucas alias numeratas, hæc de utraque familia doctoris sancti : « Deinde « Castellionensium, ex qua divus ille Bernardus « Clarævallis abbas sanctissimus, nec minus inge- « nii monumentis clarissimus. . Habetis ergo Cas- « tellionenses atque Safrenses, quo jure gloriari « possitis, qui tam rutilum religionis solem e ve- « stro corpore edidistis reipublicæ Christianæ : de « quo dici solet, quod olim de Nestore cecinit Ho- « merus, melle dulciorem ab ejus ore orationem « fluere. » Hactenus Paradinus, qui Safrensibus, ut credo, Alaidam matrem; Castellionensibus Tescelinum ortos tradit, illustribus quidem familiis Burgundionum, sed regium splendorem non æquantibus. Quamvis non abnuam Castellionenses comites, ex quorum familia Tescelinus, sanguine forte conjunctos Burgundiæ ducibus, et per eos Bernardum, licet remote. Honor regis judicium diligit, honor Sanctorum certam veritatem. Nec ea nobilitas Bernardi patris est, quæ egeat addititia commendari. Nos hæc ex auctore fide digno illius provinciæ, atque antiquorum dictis concordante, tanquam certa scribimus, scripturi majora, si dignis fide testibus fulciantur. » Hæc illustrissimus Manricus candide ac sincere.

8. Unde sequitur, ut plus aliquid in Breviario Romano dici potuerit, ne dicam, debuerit, de S. Bernardi natalibus, quam *honesto loco natus*. P Pe-

Digitized by Google

trus Franciscus Chiffletius noster anno 1660 edidit Divione Diatribam de illustri genere S. Bernardi abbatis Claræ-Vallensis, cui appendicem cum probationibus variisque documentis subjecit. In ejusdem diatribæ præfatione de mox dicta Breviarii expressione merito conqueritur, quæ utique sit nimis humilis, et infra Sancti dignitatem. « Etenim, inquit, qui hæc legens, de Bernardi natalibus aliud nihil norit, facile illum opinetur plebeis ortum parentibus puta agricolis aut opificibus, allisve ejusdem notæ: cum tamen illum utroque parente fuisse constet perquam nobilem.... Adde » præter alia, quæ ibi observat, « et hac Bernardi natalium depressione nonnullam viro sanctissimo, et de Ecclesia quam optime merito injuriam fieri, dum ejus virtuti suus quidam splendor ac sua veluti basis detrahitur, si vere prudens quisque existimat, virtutem nobilitati impositam insitamque, et altius eminere, et fulgere illustrius. » Hujus autem sui operis seriem ita dividit : « Primum illud sibi demonstrandum suscipit, nobilem fuisse Bernardum ; deinde equestris ordinis quem illis temporibus Militiam vulgo nuncupabant ; ad hæc, antiquæ in eo gradu originis : denique et per matrem Aalydem (quæ Bernardi Montisbarri dynastæ filia erat] ex antiquis Burgundiæ Ducibus prognatum. »

9. Rem in pauca contraxit Mabillonius ante vitam primam S. Bernardi auctore Guillelmo abbate conscriptam, et a se editam a col. 1061, de linea paterna sic loquens pag. 1059 : « *Tecelinus*, Bernardi pater, *vir antiquæ et legitimæ militiæ*, id est probatæ nobilitatis, quam equestrem vocamus, fuisse perhibetur a Guillelmo abbate cap. 1. Huic agnomen erat Sorus, id est subrufus, a colore scilicet capillitii, in diplomate Hugonis secundi Burgundiæ ducis pro Cabilonensi S. Marcelli monasterio ; cui diplomati primo loco post Raimerium ducis dapiferum subscribit Tecelinus ante Bernardum de Monte forti, Warnerium de Sumbernone, aliosque nobilissimos viros. (Vide Chiffletium in probationibus ad memoratam diatribam pag. 426.) Guido de acromonte, testante Alberico Trium Fontium monacho, *fuit ex parte matris frater Thesselini Sori de Fontanis, qui fuit pater Bernardi Clarævallensis abbatis ; fuitque ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi.* (Adi Chiffletium in diatriba sectione 7, pag. 416. et 417.) Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum Hescelina domina de Mulleio, Holdoini filia, qui Holdoinus, Gaufridum Jonæ-villæ dominum habuit fratrem. Hæc de linea paterna.

10. « Ad maternam, inquit, quod attinet, Bernardi mater Aleth seu Alaysia, quam tertiæ Vitæ scriptor unus Elizabeth, forte librarii errore, appellat, fuit filia Bernardi Montisbarri domini, etc., » quæ supra nos jam præmisimus, « ut ex Joanne Eremita quartæ Vitæ scriptore discimus. In Necrologio Divionensis monasterii S. Benigni, ubi primum sepulta fuit, simpliciter laica dicitur, efferturque hoc modo ejus memoria : *Kalendis Septembris obiit Alaysa laica :* quo nomine distingui solent in illo Necrologio etiam illustres personæ a sanctimonialibus. In hunc diem incidit festum S. Ambrosii seu Ambrosiniani confessoris, teste Joanne Eremita, apud Fontanas celebrari solitum : quem nonnulli cum S. Ambrosio Mediolanensi antistite perperam hic confundunt, (*Pluribus ista narrat Chiffletius sectione* 6). Rainardus Montisbarri dominus, Bernardi avunculus, et Alaysiæ germanus fuit. Tam illustre cum fuerit ex utroque parente Bernardi genus, non mirum si Guido, ejus primogenitus frater vir Magnus a Guillelmo appellatur in cap. 3 ; uxor ejus *nobilis juvencula ;* soror vero ejus Humbelina *adolescentula nobilis*, quæ *cum comitatu superbo et apparatu* incedebat, ex cap. 6. Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, a Guillelmo vocari num. 10, *potentem in seculo*, etc. (ut ante dictum a nobis est). Et Josbertus *de Firmitate*, quæ super Albam sita est, *vir nobilis et secundum carnem* Bernardi *propinquus erat ;* ex eodem Guillelmo num. 43. Denique *Rainerius miles* erat frater Godefridi, ex priore Claræ-Vallensi episcopi Lingonensis, qui Bernardum consanguinitate attinebat.

11. « Porro Chiffletius probat, S. Bernardi paternum genus, quod a *Fontanis* appellationem habet, per Bartholomæum Sombernionensem (quæ familia in veterum Burgundiæ ducum regium sanguinem e nubentis filiæ heredis affinitate transfusa est) ad nostra usque tempora propagatum fuisse. (Adisis Chiffletium sectione 7, pag. 418.) Cætera, quæ de illustri Bernardi genere apud eumdem Chiffletium vel minus certa, vel minus necessaria videntur, consulto præterimus ; hoc tantum addito, monasterii Claræ-vallensis stemma, quod in scuto nigro balteum auri sive argenti, minii ductu gemino tessellatum præfert, non esse derivatum (ut quidam volunt) a S. Bernardi insigni gentilitio, sed a Campaniæ Ducum familia, ex quibus Hugo Claram-Vallem fundavit ; senas vero fascias ex auro et cyano detrorsus obliquatas in margine purpureo, quod Cisterciensis ordinis symbolum est, petitum a Burgundiæ Ducum familia, quorum maxime beneficiis et auctoritate ordo Cisterciensis fundatus est : » de qua re Chiffletius sectione 1.

12. Audiendi itaque non sunt scriptores, quos ibidem Chiffletius enumerat : « Barnabas de Montalvo, Mariana lib. x Historiæ Hispaniæ cap. 12, Bonifacius Simonetta lib. » Historiæ suæ, et alii nonnulli e recentioribus, qui ortum sanctum volunt ex ea Ducum Burgundiæ gente, cui caput fuit rex Francorum Robertus ; adeoque non Galliæ tantum, sed et Hispaniæ et Lusitaniæ regum consanguineum prædicant, quo Bernardo, uti addit Chiffletius ex Manrico, quem et nos supra citavimus, « cunctos Christianos principes arcto sanguinis fœdere devinciant. — Id vero probare se putant ex ordinis Cisterciensis antiquis insignibus, » sed perperam, sicut mox indicatum est. Hinc Tamayus, toties in nostro Opere castigatus,

Digitized by Google

castigari hic denuo meretur, quando in suo Martyrologio Hispano ad diem 20 Augusti in notis, primam « S. Bernardi causam cultus in Hispania assignat, quia fuit sanguine conjunctissimus Alphonso, cognomento Imperatori, Castellæ regi, » ex Alphonso Sanctio, quem citat. Verum hæc satis et abunde dicta sunto de illustrissimo genere, e quo S. Bernardus originem traxit. Nec vero paternæ ac maternæ duntaxat familiæ splendor, sed etiam magna vitæ integritas, et vera erga Deum pietas, quæ in utroque Sancti parente emicuit, non exigua ei laudum decora conciliant, ut jam visuri sumus.

§ II *Parentes, fratres, soror, vaticinium, educatio, studia.*

13. Manricus hæc refert in rem nostram ad dictum annum 1105 num. 5: « Claros parentes secundum dignitatem sæculi, virtus et pietas fecerant clariores; sive quod hæ rariores in nobilibus, eoque pretiosiores, si inveniantur: sive quod superfluorum abstinentia, utilium abundantia cumulata, non sibi solis, sed aliis sufficientes, claritudinem munificentia comparaverant. Mater præcipue in pauperes benefica, atque operibus misericordiæ incessanter insistens, non solum clara, sed chara omnibus erat. Matrimonium auxere septem filii, [magis] Cisterciensi familiæ, quam suæ nati, Guido, Gerardus, Bernardus (nam tertius ordine), Andreas, Bartholomæus, Nivardus, et Humbelina: sex viri, omnes monachi futuri; femina una, eaque sanctimonialis. » Vide de illis adnotata apud nos ad libri primi Vitæ S. Bernardi caput 2. Felicissimis tam numerosa pariter ac pia prole parentibus apponere hic juvat elogia, quibus a scriptoribus Vitæ doctoris melliflui celebrantur. De Tescelino, ipsius patre, in secunda Vita, auctore seu compilatore Alano, cap. 1, apud Mabillonium, col. 1235, dicitur vir antiquæ et legitimæ militiæ...., cultor Dei, justitiæ tenax. Ibidem col. 1275 inter Fragmenta Gaufridi, de quibus supra, laudatur, quod esset « suavis moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, et incredibilem habens justitiæ zelum... Ad hæc: Nunquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo, duce scilicet Burgundiæ, cui plurimum familiaris et intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. »

14. Vir idem summo, quo fervebat, justitiæ studio adjunxit singularem clementiam, teste Joanne Eremita apud eumdem Mabillonium, col. 1282. Nam « cum quodam tempore vir memoratus.... cum quodam sibi adversante, multo inferiori genere, et substantiæ minoris, monomachia firmaverat decertare; adest statuta dies, et præfixa certamini. Conveniunt utrinque. Recordatus autem vir venerabilis Tescelinus timoris Dei, et judiciorum divinorum..., quamvis fortior et potentior esset, et hostem superare, et de victoria lucrum maximum reportare valeret, ultro tamen se pacavit cum adversario; quidquid erat in controversia, sine disceptatione resignans et relinquens. O magna pietas, magna viri clementia! » Multis illum justitiæ Christianæ officiis conspicuum fuisse, eruitur e brevi illo, sed nervoso elogio, quod præmisi ante num. 4: Facultatibus suis ad omne opus bonum abundabat. Quid deinde? Monitis S. Bernardi sæculo nuntium remisit, et obiit cum odore sanctitatis.

15. Porro Guillelmus libro 1 Vitæ sancti nostri cap. 1, num. 1, de illius matre sic memorat: « Mater Aleth ex castro, cui nomen Monsbarrus, et ipsa in ordine suo Apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina.... Cum autem crevissent, quandiu sub manu ejus erant, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens. » Inter Fragmenta Gaufridi, col. 1375, insignis hæc mulier dicitur « digna tanto genere, et tanto viro, imo et gloria utriusque... Elizabeth filium hunc, divino edocta oraculo, tenerius omnibus dilexit: unde et patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans. » Joannes Eremita a col. 1282. « Venerabilis, ait, Alays... consueverat inter cætera virtutum insignia, circuire domos, exquirere pauperes infirmos et egenos, eisque de suo proprio erogare, quod necessarium erat. Claudorum etiam atque debilium maximam habebat curam; non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, et unicuique quod opus erat præbens, per ecclesiarum xenodochia devotissime discretis infirmis ministrabat, ollas eorum extergens, cibos porrigens, calices diluens, et alia cuncta faciens, quæ servis et ministris mos est serviliter operari. Quid plura? Volumus omnes virtutes ejus narrare? Minime, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu dignissimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec sine admiratione a nobis auditam, referente quodam abbate religiosissimo, nomine Roberto, qui magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit: nepos siquidem ejusdem matronæ, de qua volumus pertractare; filius autem sororis suæ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit. »

16. Summa rei, pluribus in prædicta Vita relatæ, in eo posita est, quod integerrima illa femina obitum suum prænuntiarit, et religiosissime supremis Ecclesiæ subsidiis ad eumdem comparata, « in manus Domini commendans spiritum suum, elevata manu signans se signaculo sanctæ crucis, in pace reddiderit spiritum... In hunc modum sancta illa anima de templo sancti corporis egressa, manus, sicut erat erecta ad indicandum signum crucis, videntibus et admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. O feminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe patientissimam, charitate devotam! » Sed nunc vela contrahamus. De ingenti concursu in felice ejus

Digitized by Google

obitu; corpore a monachis S. Benigni petito ac impetrato, nec non ibidem honorifice deposito; de apparitione item filiis facta, translatione in Claram-Vallem, et anno mortis tractat illustrissimus Manricus ad annum 1105, num. 8 et sequentibus. Documenta quoque de ejusdem vita et obitu, atque epitaphium inserta sunt probationibus diatribæ Chifletianæ a pag. 431. Eam memorari cum titulo Beatæ in Menologiis Chrysostomi Henriquez, Bucellini et Chalemoti, indicavimus jam pridem in prætermissis ad diem 4 Aprilis, tomo I ejusdem mensis, pag. 320: de qua item in libro sepulcrorum Clarævallis ista legi diximus: « Item ibidem jacet piæ recordationis nobilis domina et Deo devotissima Aleydis, mater doctoris egregii, et patris nostri B. Bernardi, primi Clarævallis abbatis. » Mortem ejus ex Manrico affiximus anno 1105, ut videsis apud nos in Annotatis ad Vitæ S. Bernardi caput 1. Nos interim Beatæ titulum piissimæ illi mulieri tribuere non audemus, donec nobis aliunde constiterit e certis documentis, publico ac legitimo cultu eam fuisse honoratam. Habes, lector, quæ hoc loco memoranda censuimus de Sancti parentibus.

17. Ex hac itaque fortunatissima conjugii radice prodiere septem illi flosculi formosissimi, de quibus paulo ante dicebamus. Progredi nunc placet ad S. Bernardi ortum, educationem, rarasque tum divinorum charismatum, tum alias indolis atque ingenii dotes, quibus vel ab ineunte ætate ita emicuit, ut majoribus deinde a se gerendis rebus non obscure præludere videretur. Ac primo quidem illud Vir magnus habuit cum aliis viris magnis commune, quod signa præcesserint ortum ejus. Matri quippe prægnanti visus in somnis catulus pulcher candidus; sed in dorso subrufus, et vel in ipso etiam utero non conticescens. Rem defert ad virum quemdam religiosum. « Continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quod David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, Lingua canum tuorum ex inimicis, trepidanti et anxiæ respondit: Ne timeas, bene res agitur: optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus est animarum, » teste Guillelmo in Vita, cap. 1.

18. Audiatur etiam Gaufridus, abbas Claræ-Vallensis IV, sermone in anniversario obitus S. Bernardi apud Mabillonium, col. 1309 et sequentibus, qui sermo habitus anno 1163, ut colligitur ab ipso ex num. 5. In isto itaque sermone, num. 15, hæc sunt de eodem Sancto: « Cum... alios in pueritia, alios in juventute, alios in senectute vocaverit; nonnullos tamen, sed paucos, velut quodam privilegio gratiæ specialis in benedictione præveniens, imo præripiens, necdum natos, quales essent, quibus voluit signis et indiciis declaravit. Sic electi sui et prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc felicissimo onere gravidam, insolita visione perterruit; sed interpretatione ejusdem consolatus est visionis... Sic nimirum Bernardus noster ex quo cœpit utcunque vivere, cœpit mirabilis apparere: necdum parturiebatur, et jam prædicabatur, vel magis jam ipse prædicabat: et nec lactens quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immerito sic commendatur antequam natus est: non immerito, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus gestaretur in utero. »

19. Hinc Burchardus abbas Balernensis in Subscriptione, quam libro I Vitæ, Guillelmo ejusdem scriptore defuncto, apposuit, « Qui, ait, et in utero matris significationem [*al.* sanctificationem] visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius vitæ pariter et doctrinæ. » At vero mater ejus tali præsagio læta, et jam tum prægustans gaudia sibi obventura ex hujusmodi filio, « in amorem nondum nati, » ut dicit Guillelmus cap. 1, « tota transfunditur, cogitans sacris eum literis erudiendum tradere » (quantumvis alii pro more patriæ, uti cogitare licet, ad militiam designarentur) et obnixe agere, quidquid eo conducere posset, « secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur, » prout adjungit idem auctor, quod et factum est.

20. Interea temporis, « Enixæ Alcidi, » sicut memorat illustrissimus Manricus num. 7, « in more semper fuerat, recens natos infantes offerre Deo, oblatos proprio lacte nutriendos reassumere, sive quod mater integra existens (nam quæ non lactant, dimidiare videntur officia matris) plus sibi juris in oblatos vindicaret, adeoque etiam plus in illis Deo offerret; sive quod ipsa oblatio, utroque illo materno clausa munere, innata potius quam adventitia omnibus esset: quam causam paulo aliter designant Guillermus » (Guillelmum posthac in textibus e Manrico afferendis nos illum vocabimus) « Alanusque, dum ita scribunt lib. I cap. I: Quali [*leg.* Quasi] cum lacte materno materni quodammodo bonis eis naturam infunderet, in Bernardo speciale aliquid legó. Nam primo quod ad oblationem attinet. *Mox ut illum felici partu ediderat, non modo obtulit* [*eum*] *Deo, sicut de aliis agere consueverat; sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis quæ petitum a Domino, et acceptum filium, in tabernaculo ejus dedicavit* [al. *destinavit*] *perpetuo serviturum; sic et ipsa* [*eum*] *in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus* » ex duobus biographis modo citatis. « Præsentatus in templo Bernardus est, ut vel sic ab exordio vitæ inciperet Virginis Matris filius apparere. Deinde quod attinet ad lac, Burchardus addit, non unquam aliud sugere voluisse. *Nam, ut referunt de illo, nunquam suxit ubera nutricis, nisi solius matris.* Quippe jam tunc votorum illius socius antequam conscius, necdum jussus per omnia obtemperabat, cooperarius maternæ pietatis atque oblationis ab ea semel conceptæ, ipse non tantum hostia, sed consacerdos. » Ita Manricus, qui verba Subscriptionis Burchardi, « Nam ut refe-

Digitized by Google

runt de illo, nunquam suxit, etc.,» (vide Surium hac die xx Augusti post librum primum Vitæ; de hac enim re nihil lego in Subscriptione Burchardi a nobis edenda), satis oratorie amplificat. Reliqua, quæ ad lactentis tempus pertinent, idem Burchardus apud Surium prosequitur his verbis : « De matris utero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratiosa, vultus placabilis, oculi columbini. Quid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transiit in virtutem. Infans, nondum fans lingua, fari videbatur gratia jam accepta. »

21. Verum de eximiis naturæ ac gratiæ prærogativis nonnulla singillatim his addenda veniunt ex Guillelmo et Alano, cap 1. Ac de litterarum quidem studio ingeniique præstantia hæc narrant : « Quam citius potuit » pueri mater, « in ecclesia Castellionis (quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in ordinem regularium Canonicorum promota cognoscitur) magistris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus et ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem, et præ cœtaneis suis proficiebat. » Nec mirum, cum præter ingenii vim, qua valebat, declinaret sedulo alia ineuntis ætatis diverticula quæ mentem longe alio distrahunt. « Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus.., foris rarus, » His adde nostrum apographum e ms. Aureævallis, subnisso a R. P. Alexandro Wiltheim, collegii societatis Jesu Luxemburgensis rectore, in quo apograp o leguntur ista : « Fuit autem puer in his, quæ ad litteras pertinebant, perspicacissimi ingenii, facilius discens quæcunque a magistris tradebantur, super omnes cœtaneos suos. »

22. Subscriptio autem Burchardi apud Surium ita habet :«Avulsus a lacte, et transiens jam in puerum, jam aliquid maturum prætendebat, puerilia jura transcendens.»Nec vero studiis duntaxat illis, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, sese excoluit ; « sed litterarum etiam studio fuit deditus, per quas in Scripturis Deum disceret, et cognosceret, » ex Guillelmo et Alano, cap. 1. Hinc videas, inquit Manricus ad annum Christi 1105, cap. 2, num. 6 et 7, « quod de ipso dici solet, theologiam infusam a Deo fuisse sortitum ; quodque ipse etiam dicere solebat, se inter fagos et quercus didicisse; ad incrementa potius referendum, quam ad initia, atque ad superiorem rerum contemplationem, certioremque quam in scholis haberetur. Alias rudimentis theologiæ imbutus fuit, rudibus sane pro qualitate illius temporis ; sed imbutus tamen, atque in sacra Scriptura versatus non mediocriter. »

23. Poesi eum etiam operam navasse vult Manricus, ibidem num. 7 et 8 hæc memorans : « Non me latet, scriptum de illo quondam, a primis fere rudimentis adolescentiæ suæ exercuisse poesim, editis versibus vernaculo sermone, qui longe et late vulgati per totam Galliam, neque post multos annos exoleverant : tum etiam fratres, alias sibi charissimos, nedum cæteros studiorum commilitones, rhythmico certamine, acutæque inventionis experimentis non solum exercuisse, sed superasse. Quæ tamen, ut nullius fidei digna quippe ab auctore damnato (Berengario Abælardi discipulo in Apologia contra beatum Bernardum excusa Parisiis anno 1616 ; quam tamen hoc anno 1632 sacrum Inquisitionis tribunal in Hispania penitus censuit abolendam, » uti idem Manricus ad marginem notat) « et tunc furenti, per convicium objecta, ita vera fortasse esse potuerunt. Certe Bernardi rhythmicæ orationes ad singula Salvatoris patientis membra, ad Christum Dominum, et ejus matrem Virginem, et id genus aliæ, lumen ingenii pandunt. Legitur hodieque libellus ejus, cui nomen Floretus, heroico, neque ineleganti carmine conscriptus, in quo de vitiis, virtutibusque, de sacramentis, deque cunctis mysteriis nostræ fidei luculenter exacteque pertractat

24. « Nec suppositus partus, ut apparet ; quippe a Joanne Gersone, antiquo et gravi theologo, non solum ut Bernardi opus admissum vulgatumque, sed commento illustratum satis prolixo, quod Lugduni in folio apud Joannem Marion anno 1720, sed et alibi etiam excusum lector inveniet. Ergo Bernardus poesim satis coluit, exercuitque in materiis sacratioribus. Nec multum fuit, si, mutata olim materia, et loco et tempori indulgens et ætati, aliquam ejus speciem præ se tulerit. » Ita censet Manricus. Verum huic rei arbitrum me non interpono, tum quia in antiquissimis biographis nihil de ea lego, tum quia sive ea sic se habeat, sive aliter, nihil magnopere confert ad laudem sancti doctoris, qui aliis tot lucubrationibus eam obtinuit gloriam, ut ex hujusmodi poeticis scriptiunculis illa quæri minime debeat Præterea consuli potest Admonitio Mabillonii in versus et rhythmos, S. Bernardo adscriptos, quam Admonitio habetur volumine secundo col. 891 ; in qua refert se non existimare, versus et rhythmos, quos subdit, Bernardo esse tribuendos. At de viri sancti scriptis inferius etiam agemus, quantum fuerit satis pro nostro instituto.

§ III. *Cœlestes in sanctum favores ; propositum monastici instituti ; superata contra illud obstacula ; socii ad idem aggregati ; mirabile in humana corda dominium ; vita ante ingressum ad Cistercienses.*

25. Præter ingenii ac litterarum ornamenta, quibus Sanctus supra quam fert puerilis ætas emicabat, mores egregios, ac peculiares in eo divinæ gratiæ favores suscipere merito debemus. Audiatur itaque Guillelmus in Vitæ ejus apud nos cap. 1, num. 5 ; « In rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat parentibus obediens et subditus ; omnibus benignus et gratus.. et ultra, quam credi posset, verecundus ; nusquam multum loqui amans. Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret, » Hanc in-

Digitized by Google

nocentem vivendi normam divina misericordia benedictionibus prævenit. Etenim, uti refert Guillelmus cap. 1, num. 6 : « Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est mulierecula, quasi dolorem mitigatura carminibus, « seu præstigiis : » quam cum ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans a se repulit, et abjecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti pueri ; sed continuo sensit virtutem, et in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. »

26. Quid, quod præter hanc corporis sanitatem data ei fuerit a Domino gratia animæ plane singularis, quando ipsi puero puer Jesus apparuit... velut denuo procedens sponsus e thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero Matris Virginis Verbum infans, uti ibidem scribitur. Quantis autem divinæ gratiæ fluentis, quanto unctionis melle, futurus postea mellifluus doctor, fuerit delibutus ex illa apparitione, intelligi facile potest cum ex ipsa rei natura, tum e fructu inde postmodum consecuto. Nam statim biographus idem : « Facile est, ait, advertere iis, qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione ea hora prævenerit eum Dominus : cum usque hodie in iis, quæ ad illud pertinent sacramentum, et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videatur. Unde et postmodum in laudem genitricis et geniti et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, » de quo ibidem agitur. Ex his itaque conficitur, favores cœlestes meritis, merita autem favoribus in Bernardo respondisse ab ipsa ejus puerili ætate, et, ut dicebam superius ex Burchardo : « Quidquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transiisse in virtutem. » Quo non mediocriter conduxerit innata quodammodo ei etiam tunc, ac mirifica illa erga pauperes misericordia, referente Guillelmo ibidem num. 7 : « Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam pueribus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, et verecundiæ suæ morem gerebat, et pro ætate, imo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. » Verum hæc, quæ relata jam sunt, sive rerum longe majorum, quæ de sancto sunt memorandæ, exordia, sive præludia nuncupare lubet, cum ita se habeant, videndum nunc est, quam egregie cum crescente paulatim ejus ætate accreverint simul virtutum et gratiarum cœlestium ornamenta.

27. « Cum autem, » uti habet Guillelmus loco citato, « aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus... feliciter migravit ad Dominum. » Post hæc Bernardus, mortua matre, in sæculo relictus magnam de se concitabat exspectationem propter gratias singulares, quibus erat præditus. Spes magnæ ipsi arridebant ; obsident amicitiæ, expugnandæ ipsius castitati horribiles struuntur insidiæ; sed in tam lubrica ætate, tanquam periculoso conflictu triumphat integerrimus, interque medios illos ignes perstat illæsus. At vero cum graphice de his rebus agat Guillelmus cap. 1, satis est, eas obiter hoc loco designasse. « Non tamen hæ victoriæ, » sicut testatur illustrissimus Manricus ad annum 1110, cap 2, num. 6, « sine mercede, quam etiam in hac vita reportavit. Tradit anonymus Gallus lib. VII. cap. 9, in ejus Actis (quod ex Joanne eremita Bernardo subæquali acceptum, ut ipse ait, certiorem adhuc fidem sibi vindicat) post multos annos Claramvallem regenti sancto viro, mulieres quasdam a dæmonibus obsessas, per ipsum liberandas fuisse adductas. Ab altera ante adventum sancti fugatum dæmonem, vel potius ultro abeuntem proclamasse, Bernardo se resistere non posse, quippe cui adhuc in sæculo manenti, atque ejus opera contra castitatem tentato graviter, sed omnino invicto, per omnia obsecuturus fuerit traditus. Hæc et similia trophæa vir sanctus referens, de communi hoste, ex gratia Dei, gloriosus triumphabat. » Vidimus paulo ante Bernardum in sæculo degentem ; nunc vero eum a sæculo ad perfectiorem vitam conversum prosequamur Manrici verbis ad annum prædictum, num. 7.

28. « Tunc veró, ait, in ipso flore adolescentiæ, ætatis suæ anno vigesimo, quo cæteri plus solent retardari, fervore appetitus altius æstuante atque obruente spiritus fervorem ; ipse econtra, prævalente eadem gratia, ac motus omnes rebelles coercente, primas eremi vocationes sentire, sæculi fugam tunc primum meditari, atque Cistercium altius infixum cordi, periclitanti salutare refugium, infirmo remedium, præservativum valenti, meditabatur. Cœlestem orbem in terra tunc fulgentem, quem jam luna et stellis, hoc est Stephano et sociis illustratum, ejus, ut solis radii, quod minime præsumebat, præstolabantur. » Qui primæ hujus conversionis descriptionem apud biographos desiderat legere, adeat Guillelmum cap. 2 ; ubi etiam inveniet conatus fratrum, et amicorum, modis omnibus id agentium, « ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. »

29. Hæc ibi brevissime ; sed illustrissimus Manricus ad annum 1111, capite unico, num. 4, illa amplificans, addidisse fratres memorat, « homines non solis sibi natos, sed reipublicæ, imo orbi profuturos : monachos in eremo latentes, et mundo profugos, neque doctrina alios juvare neque exemplis : quin sub honesto contemplationis nomine palliantes otium, segnitiei potius et desidiæ operam dare, et sustentandos aliorum eleemosynis, quod olim Tiberius imperator de aliis dixerat, sibi ignavos existere, aliis graves. Tunc ut otium excutiant laborantes, ac de proprio sudore quærentes victum, aliorum etiam redimant gravamen ; quod de novo illo monachorum genere, in agro Balnensi recens instituto, fama vul-

Digitized by Google

gaverat: haud tamen tantæ spei adolescentem, indole, moribus, ingenioque præstantem, atque in suæ familiæ gloriam, ut credebant, vel magis in communem usum concessum orbi, ruri et aratro fore mancipandum: colendis agris multos superesse, quibus non alia munia injungi possent; ipsum se debere publicis rebus, ne si talentum sibi a Deo creditum in terra deserta inviaque absconderit, damnationem incurrat, » etc.

30. Quanquam vero fratrum et amicorum molimina juvenem pium, ac propositi sui tenacem non permutaverint, moræ tamen aliquid ei injecerunt. Etenim, referente Guillelmo cap. 2, num. 11, « hac nimirum suggestione, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus ejus. » Plus dicit ms. Aureævallis: « Hortantur eum ad studia litterarum, qua maxime via facilius eum detinere posse sperarent. Placuit sermo in oculis ejus, et constituta est dies, qua providerent fratres itineri ejus necessaria, et sic in Alemanniam proficisceretur. » Sed non est consilium contra Dominum. Vicit enim Bernardus obstacula omnia, Spiritu sancto operante, et in ejus animum revocante piissimæ matris memoriam, spemque et exspectationem melioris et altioris fortunæ, quam de charissimo sibi filio conceperat, ac jam prægustaverat. Audiamus Guillelmum de hac re loco citato: « Matris sanctæ memoria importune animo ejus instabat, ita ut sæpius occurrentem videre videretur, consequentem et improperantem, quia non ad hujusmodi nugacitatem tam tenere educaverat, non in hac spe erudierat eum. »

31. Guillelmo astipulatur ms. Aureævallis: « Festinans autem ad constitutum diem et locum, cœpit subito maternam in animo suo imaginem volvere, et confundi, quod frustraret spem, quam de eo ipsa conceperat, et nihil pro ea ageret, a qua tam tenere fuerat educatus. » Sic itaque Bernardus in priorem cœlestis vocationis orbitam reducitur, victusque tandem est, seu potius sui ac fratrum victor laureatus evasit, dum divinis maternisque monitis obtemperans, Dei se famulatui, cui servire regnare est, penitus addixit, et ita quidem, ut eosdem fratres, quos antea habuerat in piissimo melioris vitæ decreto maxime sibi adversarios, tandem in suam ipse deduxerit sententiam, ac monastici ejusdem instituti contubernio feliciter agregarit, ac genuerit in Christo Jesu, factus e germano fratre, eorumdem in spiritu pater. Pergamus cum Guillelmo: « Primus omnium Galdricus, avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, pedibus, ut aiunt, ivit in sententiam nepotis, et consensum conversionis: » secuti deinde fratres. Quonam autem ordine, quo modo illa acciderent, quam fervido sancti Spiritu, et quam insigni etiam alicubi cum vaticinio, refert singillatim simul hac pathetice idem Guillelmus biographus. Manricus vero ea innectit anno Christi 1112, Cisterciì 15; ubi etiam satis prolixam rerum gestarum narrationem exponit.

32. Mira autem ac omnino cœlestis agebat Bernardum vis, quando verbum Dei intonans pusillum Domini gregem a se collectum novis augere incrementis satagebat. Etenim, auctore Guillelmo, « eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant: quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. » Tam potens acceperat novus ac juvenis hic præco a Spiritu, quo intus agebatur, in humana corda dominium. Verum plures inter mirabiles conversiones non infimo censenda loco est illa, quæ accidit in Hugone Matisconensi, qui a Guillelmo laudatur num. 15, tanquam « nobilitate et probitate morum, possessionibus et divitiis sæculi ampliatus: qui hodie merito religionis et sanctitatis suæ raptus a Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi ecclesiæ præest merito et honore pontificis. » Deinde laudatus biographus subdit vocationem ejus ad perfectiorem vitam. Quandoquidem vero relatio hujus facti, quæ exstat apud Guillelmum, differt ab ea, quæ habetur in nostro exemplari e ms. Aureævallis, ideo lectorem ea frustrandum non putavimus. En itaque textum ejus:

33. *Ait quadam die ad fratres suos: Habeo amicum Matisconi, Hugonem de Vitreio; et ipsum oportet adducere, ut sit et ipse unus ex nobis. Erat autem clericus nobilis, et jam maturioris ætatis, sæcularibus pariter et ecclesiasticis possessionibus affluens. Cœperunt ergo qui noverant, eum temeritatis arguere: sed nihilominus ille confidens, sine omnium hæsitatione festinavit ad ipsum. Erat autem fama in regione quod Hierosolymam esset iturus; sic enim ipse fingebat, non in eam, in qua fuit, sed in qua est Deus, Hierosolymam profecturus. Videns ergo eum prædictus Hugo, flens et ejulans in amplexus ejus ruit. Sed vir Dei lacrymas ejus penitus non attendebat. Ubi vero paululum respiravit, revelat ei propositum suum: et, ecce, innovatus est dolor, et fons lacrymarum fluxit uberior, ita ut tota die illa non quiesceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in angustissimo strato, ita ut vix caperet alterum; nec tunc ergo cessabat a lacrymis Hugo, ita ut argueret eum vir sanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi vero obdormivit, videbatur sibi ex more invocato Spiritu sancto habere ad eum de conversione sermonem, et non deesse voci suæ vocem virtutis.*

34. *Mane autem facto, cum rursum fleret Hugo, moleste jam accipiens, cœpit durius objurgare eum. At ille: Non mihi, inquit, eadem hodie lugendi causa quæ fuit heri: heri enim super vos flebam, hodie super me ipsum. Novi enim vestram conversationem, et mihi quam vobis, conversionem esse necessariam, non ignoro. Ad quem Bernardus exsultans: Flete, inquit, nunc satis, quoniam optimæ sunt lacrymæ istæ: nolite cessare. Ex hinc cum vidissent eos clerici ambulantes pariter et exsultantes simul, nec ad momentum ab invicem separari, conati sunt Hugonem avellere a Bernardo, timentes imo jam aperte cognoscentes, quoniam uno spiritu agerentur. Tenentes ergo Hugonem jam nulla ratione pati*

Digitized by Google

tolluerunt, ut vir Dei cum eo de cætero loqueretur. Abiit ergo tristis : sed nihilominus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Post aliquot dies sane conventum audiens episcoporum, festinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici vero cum vidissent eum, præter morem torvo ocello respicere, et stipare Hugonem undique, ne quis pateret accessus. Sedentibus ergo in campo et colloquentibus episcopis in medio clericorum, juxta Hugonem sedens, loqui ei non poterat propter adstantes : sed tamen flebat uberrime super collum ejus : et ecce inundaverunt aquæ et cœlum dedit pluvias, ita ut dispersi cum festinatione ad proximum victum currerent, sea beatus Hugonem manu tenens : Mecum, inquit, in pluvia stabis : statimque serenitate reddita, soli stabant in campo.

55. *Et confessus est Hugo juramentum, quod fecerat, minime se* [*monachum*] *fore usque ad annum. Hoc autem fecerat, ut deciperet clericos ; annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro sodalitio spiritali, redierunt, manu sese tenentes alterutrum ; et jam desperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit.* Ex hac itaque nova Bernardi victoria, novus in laudes ejus excrevit triumphus, idemque plane singularis, ob virum tam magnum, quem monastico adjunxit instituto. Lubet his attexere clausulam Manrici, quam conversioni Hugonis, ad annum Christi 1112, cap. 2, a num. 3, in hunc subnectit modum : « Quibus videas, vel in ipso suæ conversionis initio Bernardi potestatem pene immensam, cœlum nimirum nubibus claudentis, et rursus aperientis portas ejus pro suo libito, obediente nimirum Domino, etiam ante prolatam vocem, menti hominis, ut Bernardi non solum lingua, sed cor etiam clavis cœli jam tunc comprobaretur. Videas præterea renovata primitivæ Ecclesiæ felicia tempora, et primas illas Christi vocationes, non consanguineis parentes, non extraneis, renovata miracula et prodigia, queis homines trahebantur ad Evangelium. »

36. Quænam interea temporis, antequam Cisterciense monasterium ingrederetur sacer ille grex, acta sint, legi possunt apud Guillelmum, e quo delibo ista num 17 : « Crescente... numero eorum, qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur : *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino*, et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis. Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cohabitabant, et colloquebantur ; quam ingredi vix aliquis audebat, qui non esset de cœtu eorum... Ipsi vero quasi mensibus sex post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur. » Atque hæc quidem initia fuere magnarum rerum, quas S. Bernardus postmodum per se aliosque pro gloria Dei, Ecclesiæ catholicæ bono, ac monastici instituti propagatione egregie ac feliciter gessit. Nos itaque nunc eum cum sodalitio suo cœnobii Cisterciensis tecta subeuntem comitemur.

§ IV. *Tirocinium ; virtutes in eodem exercitæ ; ordinis habitus ; religiosa professio ; animi et corporis exercitationes.*

27. « Anno ab incarnatione Domini 1113, a constitutione domus Cisterciensis 15, servus Dei Bernardus annos natus circiter 33 [*al.*, 22], Cistercium ingressus, cum sociis amplius quam triginta sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. » Ita Guillelmus cap. 3 Vitæ. Manricus ad istum annum cap. 2, n. 1, nonnulla observat de numero sociorum : « Nec inquit, omnes admissi sine delectu : Robertus juvenis repulsus, quia nimium tener ; si revertatur maturior, recipiendus.. Interim adnoto, hinc forte factum fuisse, ut quidam triginta tantum viros, alii Bernardum cum triginta venisse tradant, nempe Roberto inter eos annumerato, quem dilata probatio, non ablata, utrique parti reliquit velut in dubio. » Nec vero libellus, cui titulus, Exordium Cisterciensis cœnobii (quod opusculum ad distinctionem Exordii magni Cisterciensis, parvum vocamus), numerum sociorum auget ultra triginta, uti patet e verbis ejusdem Exordii parvi cap. 17 apud Bertrandum Tissier, pluribus postea memorandum, auctore sancto Stephano, quæ sic habent : « Ergo istis temporibus visitavit Dominus locum illum. Nam tot clericos litteratos, et nobiles laicos, et in sæculo potentes, et æque nobiles, uno tempore ad illam Dei gratia transmisit ecclesiam, ut triginta insimul in cella novitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia, et incitamenta malignorum spirituum, fortiterque decertando cursum suum consummarent. »

38. Et mox, « Eadem, » inquit Manricus, num. 2, « sed paulo altius repetito principio, pangit carmen antiquum, quod hodie etiam Cistercii dicitur permanere, ipsius columnis ecclesiæ appensa tabula. » Carmen autem illud ibidem recitat in hæc verba :

Anno milleno nonageno simul uno
Fontanum castrum Bernardo contulit ortum.
Postea duntaxat septem labentibus annis,
Hoc in cœnobio cœpit Cistercius ordo :
Qui dum quindenos tandem crevisset in annos.
Intus suscepit vir sanctus religiosam
Sub Stephano vestem, socios triginta trahendo.

Quod ibi dicitur de religiosa veste, tanquam spongia indigum paulo post corrigit laudatus Annalium Cisterciensium auctor, ut statim videbimus. Ibidem autem num. 3 et 4 ita pergit :

39. *Cæterum Stephanus divinitus præmonitus, oraculis superius jam relatis, et de exhibitione præsentium firmiorem spem concipiens futurorum, uno Roberto repulso quia parvulo, sed admittendo, si perseveraret, ut notabimus ; cæteros omnes alacris admisit, non quidem statim religionis habitu donandos, quod ante annum probationis expletum tunc non in usu ; sed probandos in veste sæculari, anno tandem transacto deponenda. Utrumque colligo ex epistola Bernardi ad eumdem Robertum, inter omnes ejusdem sancti prima*

Digitized by Google

si non tempore, dignitate miraculi patrati, dum scriberetur, anno, quo contigit, a nobis referendo. Primum ex his verbis :

« *De sæculo, te teste Roberte, venisti Cistercium. Quæsiisti, petiisti, pulsasti : sed tui adhuc teneritudine, te licet invito, dilatus es per biennium.* » *Secundum vero ex subjunctis paulo inferius :* « *Post hæc per annum juxta regulam in omni patientia probatus, perseveranter et sine quærela conversatus, post annum sponte professus, tunc primum sæculari veste rejecta, religionis habitum suscepisti.* »

40. Quanta vero donorum cœlestium affluentia, ac ordinis propagatione novorum istorum ascetarum ac Bernardi in primis adventum cumulaverit Dominus, habemus e Guillelmo in principio capitis 3 : « Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines suas. » His adde quæ paulo ante præmiserat sub finem capitis 2. Et vero S. Bernardi, aliorumque sociorum ejus exemplo plurimos jam tum adventasse Cistercium, humanas utique res pertæsos, Exordium parvum Cisterciense loco supra citato testatur his verbis : « Quorum exemplo senes et juvenes, diversæque ætatis homines, in diversis mundi partibus animati, videntes scilicet in istis possibile fore, quod antea impossibile in custodienda regula formidabant, illuc concurrere, superba colla jugo Christi suavi subdere, dura et aspera regulæ præcepta ardenter amare, ecclesiam illam mirabiliter lætificare, et corroborare cœperunt. »

41. Ferventem spiritum, quem secum Bernardus e sæculo in monasticum tirocinium invexerat, obnixe conatus est conservare, magisque ac magis novo cœlestium flammarum pabulo accendere, et solidarum virtutum ornamentis condecorare. Enimvero Guillelmus cap. 3 de ipsius tirocinio loquens, magnum aperit campum in modum ejus vivendi, ac laudes debitas excurrendi, sicut pluribus ibidem videri potest. Et tibi tamen, benigne lector, pauca e multis, quæ ibi dicuntur, extracta specimina : « Quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Et mox : « Ingressus... est domum illam... intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum, Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis præparante, non solum ad ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus, et gentibus, et usque ad extremum terræ. » Sanctus autem tiro parvulus omnino erat in oculis suis, « nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis, et propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat : Bernarde, Bernarde, ad quid venisti ? »

42. Denique et illa ibidem num. 23 sequuntur : « Cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat A omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed et sensus ipsos, per quos fiunt... Vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam : totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa intentione, seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat ; nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cœlaturam. » Plura ibidem Guillelmus B narrat cum insigni commendatione tirocinii a sancto nostro decursi, et præclarissimis virtutibus ab eodem exornati.

43. Vita quarta apud Mabillonium edita, et a Joanne Eremita conscripta, lib. II, a col. 1284, exemplum commemorat, e quo perspicuum redditur, quanta cum severitate sanctus tiro in culpas etiam levissimas animadverteret. « Igitur cum esset juvenis sanctissimus in cella novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt, ut visitarent eum, et locuti sunt cum eo. Post signum vero horæ nonæ, reversi sunt unusquisque ad sua, et religiosissimus juvenis ad opus Dei in ecclesiam. Tunc secundum consuetudinem elevans oculos ad cœlum, putans se C invenire gratiam Dei, sicut et prius, non invenit. Excogitavit itaque in se ipso, hoc sibi pro qualicunque delicto seu peccato contigisse, et non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulo ante per imprudentiam se exposuerat. Qua de causa cum se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta altare, dicens cum Propheta : *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc. Et cum hoc fecisset per viginti et quinque dies, apparuit ei gloria Domini ; et replevit eum, et dedit ei scientiam sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus.

44. « Sed et alii venerunt visitare eum, et acceperunt licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cum ad eos duceretur, accepit stupas, et misit sub capucio in aures suas : ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset D immunem : sicque venit ad hospites, et fuit cum eis per totam horam, et nihil audivit : non locutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campana, gaudens, et relinquens eos, venit in ecclesiam, gratia sua sibi taliter a Deo conservata. O virum præcipuæ sanctitatis, et dignum memoria ! qui sibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, et ædificabit usque in finem, non sibi solummodo, sed infinitis proficuus existens. » Quod dicit biographus ille in secundo exemplo de capucio, si velit hoc intelligi de sancto tunc adhuc novitio, atque adeo, secundum mox dicenda, monastica veste nondum tunc induto, non videtur satis conforme alteri narrationi, quam illico proferam.

Digitized by Google

Hinc interim colligere licet, quanto studio religiosissimus juvenis in solidam perfectionem incumberet, cum adeo accurate in se castigaret tenuissimos quoque nævos, qui vel tantillum eidem officere videbantur. De professione ipsius solemni ac sociorum nonnulla observat Manricus ad annum Christi 1114, cap. 1, num. 1 et sequentibus, ita scribens.

45. « Sequens annus, videlicet Christi millesimus centesimus decimus quartus, Cistercii decimus septimus, Bernardi et sociorum ejus votis solemnibus... faustus fuit... Bernardum et socios post annum professos regulam, auctores magis supponunt, quam affirmant; quod non crediderim factum sine mysterio; quippe cum habitus non monachum faciat, sed professio; imo cum neque habitum novitii tunc gestarent, ut præcedenti anno jam ostendimus; satis profecto mirabile apparet, quorum ingressus ab omnibus describitur, professionem a nemine referri. Delatum forte constantiæ virorum Dei, quos semel ad aratrum admota manu haud dubium foret peracturos, quod inchoaverant. Professi nihilominus sunt regulam beati Patris Benedicti juxta rigorem conventus Cisterciensis, tuncque primum monachali habitu induti, tonsuratique, quod etiam ultimum placuit adnotare. Nam sicut sine habitu, ita et sine tonsura probationem exigi consuetam illis temporibus, testem habeo Cæsarium Heisterbacensem, post centum adhuc annos scribentem de novitio tunc sibi coætaneo, lib. IV Dialogorum, cap. 51 :

46. « *Novitius quidam cum in Hemmenrode (abbatia ordinis Cisterciensis, diœcesis Trevirensis) satis tranquille annum probationis peregisset, et voluntate stabilitatis expressa in Capitulo, radendus esset in monachum, is, qui eum rasurus erat, rasorium* (i. e. *novaculam*) *ad corrigiam acuens, in eadem hora sic eum contristavit*, etc. Quibus videas, ante voluntatem stabilitatis expressam neminem radi solitum. Quod magis mirum tempore Cæsarii, quo novitii jam cappam caputiumque, religionis insigne præferebant. Forte ne eo signo notandi retinerentur, si medio probationis anno egredi vellent. Primis ergo illis ordinis temporibus probandi in habitu et tonsura sæculari : post, tonsura dilata, concessus habitus, quantumvis monachali valde dissimilis : quoad hodie etiam videmus permanere. Tandem decursu temporis effectum est, ut simul habitum tonsuramque suscipiant, quod forte a mendicantibus inceptum recens exortis, paulatim etiam ad nostros extensum fuit. »

47. At, relicto brevi hoc diverticulo, revertamur cum Manrico ad solemnem professionem, num. 4 de ejusdem ordine ista notantem : « Bernardum primum emisisse vota, sunt qui affirmant; quod mihi, ait, dubium. Tenerior ætas, et profundior humilitas vetabant, quominus aliis præferretur magister omnium. Alias neque Hugo prior missus fuisset, Pontiniacum in Campania fundaturus, neque Bernardo in abbatem præfecto Claræ-Vallis, cæteros omnes occupasset admiratio, quam Guillelmus abbas descripsit in ejus Vita lib. I, cap. 3 : *Mirantibus sane illis, tanquam maturis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus ei tum pro teneriori ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis.* Crediderim ætatis suæ ordine, sive nihil sive parum immutatæ, et ante annum admissos, et tunc professos; nisi quod forte conjugatos clerici, solutos conjugati antecesserunt. Atque hæc de professione ab antiquis omissa brevissime sufficiat prælibasse. »

48. Huc etiam pertinet continuatus sancti fervor, et ars metendi divinitus ei infusa. De his Manricus loco citato a num. 8 hæc memorat : « Interim Bernardus Pater, sociique, quo erant in novo statu ferventes spiritu, instare orationibus, vigiliis, jejuniisque corpus atterere, laudes divinas in choro devote canere, et nihilominus operari manibus, tenere silentium, insistere lectioni, ac reliquis observantiis religionis sine intermissione exerceri, sine querela, Stephano, ut olim docente, tunc mirante, ac vere jam experiente strenuos duces, quos paulo ante tirones nominaverat. Et quidem de virtutibus Bernardi Guillelmus multa, et quotquot scripsere Vitam beati viri, quæ nimis longum esset huc transcribere. Cæterum quod de peritia metendi tradunt, servo Deo per miraculum collata, quia peculiarem continet doctrinam forte minus probatam, saltem minus in usu nostris temporibus, non putamus silentio prætereundum : » præsertim cum hinc pateat ad oculum modus mirabilis, quo divina providentia cum nostro sancto egit, quando virum tam magnum, et ad res quaslibet summas exsequendas natum, a vili ac tenui metendi labore ad altiora tot tantaque facta exordium sumere voluit, prout jam visuri sumus.

§ V. *Ars metendi divinitus sancto concessa; discessus in monasterium Claravallense e Cistercii; variæ de hoc notitiæ; illud quo anno fundatum.*

49. Redemerat vir sanctus metendi inscitiam, uti narrat Manricus num. 9, « anno proximo aliis operibus substitutis messionis loco : quorum etsi non minor labor, facilior usus, et quotidianis operibus promptiores artus, quam non nisi post annum repetendo. Sed a cæteris solus separari, et metentibus fratribus non metere angebat animum ardentem vitæ communis : et neque semper quid aliud faciendum suberat; neque, si subesset, ei permittebatur, debili quippe ac præ nimia abstinentia et vigiliis defecto viribus. Audiant, qui putant opera hæc externa minoris apud Deum esse valoris. Audiant, qui totum negotium menti deputant, corpore adeo a laboribus immuni, ut minus aptum contemplationi censeant, si fatigetur. Bernardus, egregius futurus Ecclesiæ doctor, imo oraculum, fidei columna; quo principe, quo duce, schismaticorum colla subigenda, hæreticorum calcanda parabantur; Bernardus catholicis omnibus firmandis, atque ipsius pontificis Romani stabiliendo solio concessus

Digitized by Google

orbi; Bernardus Pater, qui reges, regnaque, qui denique universum Christianum axem ad sui imperium erat commoturus; cujus verba concilia mutuabantur, dum adhuc viveret, et cui, ut clavigero cœlestium arcanorum, vel ipsa sacra Scriptura erat subdenda (hoc intelligendum accommode, ne nimium dicat Manricus); Bernardus, inquam, ad hæc omnia gradum faciens, a peritia metendi exorsus est, eamque a Deo per lacrymas obtentam, atque collatam non sine miraculo, lacrymæ simul et miraculum commendant utilem etiam acquirendo in Ecclesia doctoris apici. »

50. Factum narrat Guillelmus, cap. 3, num. 27: « Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore et gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens et nescius laboris ipsius, sedere sibi et requiescere juberetur, admodum contristatus ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans a Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi. Continuo namque, quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse, cum quadam jucunditate gratulatur; tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. » Ideo autem gratiam hanc Bernardo datam ad annum Christi 1114 censet pertinere Manricus; « quia, ait, vir Dei post emissam professionem, his tantum frugibus Cistercii adfuit colligendis: quippe mense Junio sequentis anni Claramvallem, ut dicemus, transferendus. » Nobis nunc despiciendum restat, quomodo illuc translatus, seu Cistercio cum aliis eo profectus, cœnobii Claræ-vallensis, quod primus abbas rexit, præfecturam inchoarit. Annus, quo ad dignitatem abbatialem promotus est, confirmatur e versibus antiquis, quos multi codices, uti observat Manricus ad annum 1115, cap. 1, num. 6, subjungunt operibus ejus, quosque ibidem subdit:

Annus millenus ter quinis commemoratur [leg. *connumeratur*],
Nec non centenus, vir sanctus quando creatur
Abbas, et Patrum sequitur decreta priorum,
Fit doctor fratrum, fidei lux, regula morum.

51. Bernardi fratres ad fundandum Claravallense monasterium missi cum eo sunt, sicut testatur Guillelmus biographus lib. 1, cap. 3, num. 28: « Cum autem complacuit ei, qui eum segregravit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam...; misit in cor abbatis Stephani ad ædificandam domum Claræ-vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem. » Manricus alios insuper ei adjunctos memorat num. 5; ac deinde num. 6: « Tantis, inquit, viris a Stephano Bernardum præfici, ætate juvenem, quippe vigesimum quartum annum vix dum egressum, infirmum corpore, verecundia implicatum, aut impeditum, atque omni experientia destitutum, mirabile in oculis omnium visum fuit, et ob hoc forsan serius pronuntiatum. Certe Guillelmus innuere videtur, nequaquam nominatum ante discessum, » ex iis, quæ modo recitabam ex ipso, « Quibus abeuntibus, etiam ipsum domnum Bernardum præfecit abbatem, » et quæ statim ab eodem biographo subnectuntur: « Mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. » Sed non est novum, divinam providentiam infirmis uti instrumentis ad maxima quæque perficienda, prout eventus tot ac tanti in Bernardo id comprobarunt: de cujus e monasterio Cisterciensi egressu quædam hoc loco cum Manrico observare visum est.

52. « Porro, » ait ad annum proxime citatum, num. 7, « egressum novi conventus, prout in Ordine fieri solebat, a Cæsario Heisterbacensi descriptum, quia gravitatem devotioni mistam præfert, non pigebit ad litteram transcribere e dicti scriptoris homilia in Dominicam tertiam post Octavam Epiphaniæ, quam citat ad marginem, his verbis: Duodecim monachi, loco duodecim apostolorum, cum tertio decimo abbate, qui loco Christi eis præponitur, ad novam abbatiam fundandam emittuntur. Crux enim Dominicam habens imaginem, a Patre abbate datur ei in manus, quem de oratorio cum eadem cruce exeuntem, duodecim ad hoc ordinati sequuntur, quasi Christum Apostoli. » Ita ille ex Cæsario; ubi vides novæ hujus coloniæ numerum definiri. « Cruce itaque, » sicut addit idem Manricus, « Bernardo a Stephano Patre in manus data, ipse prior, quasi pater et dux omnium, mox fratres ejus et filii egressi sunt, locum sibi inter Lingonenses quæsituri. Videres, cum jam essent recessuri, in profundo silentio cadentes lacrymas, omnium monachorum et solas voces cantantium resonantes inter singultus: quippe modestia membris exterius imperans, vix in affectus internos prævalebat; nec discerneres remansuros a discedentibus, quoadusque ad portam domus illos stantes a progredientibus cunctatio ipsa divisit. Hæc, Bernardo atque sociis abeuntibus, devota quidem, sed tristis facies Cistercii fuit. »

53. Prius autem quam cum sancto nostro abbate a Cisterciensibus ad Claramvallem discedamus, quandoquidem vir sanctus prima apud illos perfectioris vitæ rudimenta posuit, ac per se aliosque, quos eisdem ascetis adjunxit; cœtum illum deinde magnifice illustravit ac propagavit; quia item de Cisterciensibus toties jam a nobis mentio facta est, ac porro fiet; videmur non abs re facturi, si de piissima juxta ac celeberrima hac vitæ asceticæ palæstra notitias quasdam hic subjicianus, plures tamen designaturi apud auctores, qui de ea scripsere quam prolixe ac singillatim huc coacervaturi, ne nimium excurrat oratio. Fundator ejus fuit S. Robertus, primus abbas Molismensis, cujus acta apud nos jam pridem illustrata sunt tomo III Aprilis, die 29 ejusdem mensis, a pag. 662. Ibidem vero § 2 Commentarii prævii ad ipsius Vitam, pag. 664 et sequentibus, agitur de initiis cœnobii et ordinis Cisterciensis, et de S. Roberti ad eumdem transitu, qui accidit anno

Digitized by Google

Christi 1098. Primus quoque Cistercio abbas præfuit; sed non diu post, abdicata apud Cistercienses præfectura, ad Molismenses revertitur, ejusdem reditum apud summum pontificem Urbanum II urgentes; prout in dicto Commentario, § 3, pluribus licet videre, uti et alia, quæ ad laudatum sanctum fundatorem istum spectant.

54. Loci situm Gaspar Jongelinus in notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis describit pag. 6 : « Cistertium (*Cîteaux*) archicœnobium et caput ordinis, sub regula S. Benedicti, situm in diœcesi Cabilonensi (*Châlons-sur-Saône*) quinque circiter leucis ab urbe Divione (*Dijon*)... distans, in ducatu Burgundiæ. » Cæterum primæ Cistercii filiæ, nomine Firmitati (vulgo *La Ferté*) in diœcesi Cabilonensi ad Gronam fluvium cœnobio; ac filiæ secundæ, cui nomen Pontigniacum (*Pontigny*) in territorio Autissiodorensi sitæ, ut videsis apud Jongelinum a pag. 16, successit tertia ejusdem Cistercii filia Claravallis; ubi sanctissimum abbatem nostrum, quem eo proficiscentem Cistercio tantisper reliquimus, iterum convenimus. Meretur autem locus etiam ille, sancti regimine, virtutibus ac prodigiis adeo longe lateque nobilitatus, ut de ejus situ, fundatione ac elogiis, antequam progrediamur ad alia, præmittamus sequentia documenta.

55. Guillelmus biographus cap. 3, num. 28 : « Erat, inquit, Claravallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Abba (*l'Aube*) antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis Absinthialis, seu propter abundantis ibi absinthii copiam, seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. » Et cap. 4, num. 40 auctor idem de eodem loco hæc narrat : « Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hinc inde montium angustias, quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti Benedicti Patris nostri quodammodo repræsentabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est : ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. » Nicolaus Hacqueville, senatus Parisiensis præses, vallem non solum montibus circumdatam, sed etiam fonte perenni, præter interfluentis Albæ aquas, scatentem memorat in carmine de laudibus S. Bernardi, et situ Claravallis, quod apud Mabillonium, operum ejusdem Patris editorem, recusum est volumine II, col. 1305.

Abdita vallis erat, mediis in montibus, alto
Et nemore, et viridi tunc adoperta rubo...
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.

56. Apud laudatum operum S. Bernardi editorem a col. 1306 habetur descriptio positionis seu situationis monasterii Claravallensis, ubi præter alia plura, quæ legi possunt in eadem descriptione (quæ incerto auctore, monacho tamen, ut apparet Manrico ad annum 1115, cap. 2, num. 1, Claravallensi, inter opera Bernardi circumfertur, nec sine sale), notantur ista in editione Mabillonii col. 1309 : « Hic ergo fons... ex opposito solis orientis oritur, ita ut æstivo solstitio roseam rutilantis auroræ faciem ex adverso salutet... Ubi eum mons evomit, vallis deglutit : et in loco, quo oritur, eodem quasi moritur, quin et sepelitur. Sed ne exspectes signum Jonæ prophetæ, ut tribus diebus, et tribus noctibus delitescat absconditus. Statim ad mille passus intra claustrum monasterii, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, et quodammodo redivivus apparet, visui tantum et usui fratrum se offerens, ne cum aliis, quam cum sanctis sors illius amodo sit futura. » Ita ille alludit ad dictum fontem. Jam vero domus etymon Manricus citatus ita describit num. 5 : « Monasterio Claravallis nomen inditum in claritatem pro modo occupationis et exercitii, veteri commutata amaritudine. Unde versus : »

In vallem claram vallem convertit amaram.

Guillelmus cap. 3, num. 28, de sancto abbate ac sociis, primis loci incolis, hæc refert : « Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei et domum orationis. »

57. Manricus ad annum 1115 supra designatum, cap. 2, num. 1, non videtur exploratam satis habuisse laudati jam sæpe loci fundationem, quando de primis eodem loci advenis ita statuit : « Casu inveneriut, an admoniti quæsierint, incertum : constat pervenisse ad locum satis horridum, latronum, ut ferebant, receptaculum... Crediderim omni ope destitutos elegisse hunc locum, nulli incolarum usui proficientem; noxium potius, eoque longe facilius obtinendum. » De prima itaque loci donatione seu fundatione dicendum etiam nobis est. Volumine I editionis Mabillonianæ, ubi sunt opera sancti Patris genuina, col. 45 exstat epistola 31 ad Hugonem comitem Campaniæ ab ipso scripta, in qua sic loquitur : Possumusne oblivisci antiqui amoris, et beneficiorum, quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Sanctus itaque Pater his verbis profitetur gratam animi memoriam erga Hugonem, primum sui Claravallensis cœnobii fundatorem, prout conficitur ex instrumento, quod Petrus Franciscus Chiffletius inter probationes suæ de illustri genere S. Bernardi Diatribæ, pag. 513, ex autographo Claræ-Vallensi acceptum primus vulgavit. (*Exstat supra in notis ad epistolam* 31 *S. Bernardi, Opp. tom. I.*)

58-59. Apud Mabillonium in notatione ad supra dictam epistolam S. Bernardi, quæ notatio habetur inter alias ad tomum I ejusdem sancti Patris, et ad calcem voluminis I, de quo dicebam paulo ante, observantur ista in rem nostram post tabulas fundationis modo datas e Chiffletio, col. 19 : « Quod spectat ad annum fundationis, qui non exprimitur in his tabulis; idem (Chiffletius videlicet, quem tu consule in Appendice ad Diatribam, cap. 20) auctoris sancti Mariani Autissiodorensis Chronographum secutus, refert ad annum Christi 1114, mense Junio. Et quidem de mense conveniunt omnes : quoad annum vero, cum tam externa quam domestica in-

Digitized by Google

strumenta refragari videantur; inter alia vero Exordium Cisterc. dist. 2, cap. 1, tabella sancti Bernardi tumulo appensa, quæ disertis verbis annum 1115 exprimunt; receptæ jam dudum sententiæ adhærere satius videtur: cum alioqui vix Bernardus professionem emisisset mense Junio ann. 1114, et Hugo ipse, qui locum concessit, adhuc in Oriente versaretur. Claravallis itaque primo quidem ab Hugone Campaniæ duce fundata; postea vero anno 1135 in ampliorem locum translata, opitulante Theobaldo ipsius successore, nova fabrica donata est: unde primi fundatoris nomen obtinuit apud aliquos, translationem cum fundatione confundentes, ut bene monet Manricus in Annalibus ad annum 1115, cap. 1. » Sententiam hanc, quæ mihi magis arridet, quam Chiffletiana, ita declaro et confirmo:

60. Chiffletii ratio alia, quam primo loco ponit pro anno 1114, illo nititur fundamento, quia « cœpit anni ejusdem mense Julio, undecima die mensis, Morimundus, minor natu filia, quippe inter Cistercii filias numero quarta; cum tertia ex ordine natalium censeatur Claravallis. » Verum Morimundi fundatio a Jongelino innectitur anno 1115; idem fit a Manrico ad istum annum cap. 1; idem a Sammarthanis tomo IV Galliæ Christianæ, pag. 673. Monumenta autem Clarævallensia, quæ Chiffletius in Appendice designata sibi objicit contra annum 1114, fundatæ Clarævallis, sunt 1° antiqui versus:

Annus millenus ter quinis connumeratur,
Nec non centenus, vir sanctus quando creatur
Abbas. . . . . . .

« Deinde tabella S. Bernardi tumulo appensa, in qua legitur: *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Junio, missus fuit (S. Bernardus) cum fratribus germanis, et conventu suo, ad locum istum, qui nunc vocatur Claravallis: antea autem Vallis Absinthialis dicebatur.* » Ad versus ita respondet Chiffletius: « Nisi me conjectura fallit, indicant versus illi consecrationem S. Bernardi in abbatem... Quæ ante annum Christi 1115 facta esse vix potuit... Quare a primo eorum in Claramvallem adventu, quod in anni 1114 Junium incidit, monasterii fundationem adnotarunt Morimundensis, et Antissiodorensis chronographi: Clarævallenses ab inauguratione abbatis. » Sed contra est, quod in dictis versibus τὸ *creatur* videatur melius referri posse ad præfecturam Clarævallensis cœnobii, quam S. Stephanus Bernardo, e Cisterciensi monasterio cum suis discedenti, commisit (de qua re actum est supra) conformiter ad verba tabellæ, ad quæ nihil ibi apud Chiffletium responsi invenio, cum in ea clare ac distincte dicatur: « Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Junio, » *missus* noster sanctus cum potestate utique abbatis, tunc quidem a suo superiore constitutus seu creatus, sed dicto mense nondum consecratus ab episcopo. At de ista consecratione dicentur plura § proximo.

§ VI. *Consecratur abbas Clarævallensis, monasterii hujus angustiæ miraculis sublevatæ; citus spiritualis a sancto, per apparitionem monito, Clarævallensibus porrectus.*

61. Guillelmus libro I, cap. 4, de sancti consecratione hæc memoriæ prodidit: « Cum autem missus noviter Claramvallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat; quærentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum esse, diffinitum est. Sicque factum est. Chiffletius in Appendice ad Diatribam superius allegata cap. 20 a pag 676 e textu Guillelmi, quem modo protuli, hanc proponit et solvit difficultatem: « Quomodo, inquit, vacabat sedes Lingonensis anno 1115, cum Jocerannum constet, ex anno 1112 in 1125 Lingonensem fuisse episcopum, ut ex Chronico Benigniano retulimus pag. 505? Sed responsio in promptu est, vacasse tum sedem Lingonensem improprie; non quod nullus tunc esset Lingonensis episcopus; sed quod anno illo 1115 abesset ab episcopatu suo; fortasse in itinere ad limina apostolorum, vel ad synodos aliquas, quæ frequentes illis ipsis temporibus a Guidone Viennensi, apostolico per Gallias legato cogebantur. » Ita Chiffletius. Qualiter autem sanctus noster, « Catalaunum, assumpto secum Elboldone (*al.* Elbodone) monacho quodam Cisterciensi, » ut laudatus Guillelmus ibidem narrat, profectus, « et prædicti episcopi domum » ingressus, ob externam corporis speciem contemptui fuerit nonnullis, ad irrisionem usque; sed episcopo summa in veneratione habitus; quantaque e primo amborum congressu orta inter eos fuerit familiaritas non sine summa Bernardini nominis per Galliam universam propagatione, apud Guillelmum eumdem invenies.

62. Nec his attexam alia, quæ biographus iste præmiserat de angustiis Clarævallensis cœnobii temporibus primis, earumque per varios sublevatione; item de immenso ejusdem cœnobii incremento, quod sancto abbati in quadam visione exhibitum est, rei deinde eventu veritatem comprobante; ac denique de studio perfectionis, et conversione sororis ejus; cum idem Vitæ scriptor consuli de his possit cap. 3 et 4. Quia tamen Joannes Eremita de arctissima inopia, qua visum est divinæ providentiæ, abbatem sanctum ac subditos ejus exercere ac probare, diversa narrat, variisque deinde probat exemplis, ad ejusdem sancti gloriam omnino illustribus, divinitus fuisse prospectum maximis illis rerum temporalium apud Clarævallenses angustiis, idcirco Guillelmum abbatem e laudato Joanne supplendum censeo, qui libro II, col. 1285, num. 2, apud Mabillonium de penuria victus locutus, de vestitu ista subdit: « Indumenta vero eorum tam in æstate, quam in hieme, cuculla et tunica, quæ rarissime innovabantur. Caligis quoque utebantur vilibus, et calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus et dissutis, antequam repararentur, quæ præ nimia corii pauper-

Digitized by Google

tate ligabant funiculis. O viri generosi et magni in sæculo! Quis ad hæc loca arida et periculosa vos adduxit, nisi ille, qui dives erat in cœlis, et pauper humilisque in terris in præsepio recubuit? » En tibi nunc erectum abbatis animum, et summam fiduciam de auxilio Dei opportuno in tot tantisper malis.

63. Idem quippe scriptor Vitæ a col. 1285, num. 3, ita pergit : « In illa tanta penuria, de qua supra diximus, inter cæteras necessitates, sal die quadam defuit eis. Et vocavit sanctus abbas unum de fratribus suis Guibertum nomine, dixitque ei : Fili Guiberte, accipe asinum, et vade ad nundinas, et eme nobis salem. At ille respondit · Ubi est pretium? Ad quem homo Dei : Crede mihi, fili, quia nescio tempus quo aurum vel argentum habuerim. Sursum est enim qui habet peram meam, et thesauros meos in manibus suis. Tunc frater ille quasi subridens ait : Si vacuus perrexero, vacuus redibo. Cui ait sanctus : Noli timere, fili mi, sed vade securus. Ille enim, qui habet thesauros nostros, sicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, et præbebit omnia propter quæ mitto te. Ad hæc verba, sumpta pii Patris benedictione, perrexit cum asino ad nundinas, ad castrum cui nomen Risnellum, plusquam oportet incredulus. Sed pius et clemens Dominus non respexit suam incredulitatem, sed consideravit servi sui fidem, et tribuit ei omnem rem pro qua missus fuerat. Itaque cum castro appropinquasset, et venisset ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui salutavit eum, dicens : Unde es, frater, aut quo pergis? At ille respondens exposuit ei diligenter itineris sui causam, et paupertatem loci, in quo habitabat Pater sanctus cum filiis suis.

64. « Quæ cum audisset presbyter, vehementissime compunctus est : et duxit fratrem in domum suam, deditque illi medietatem modii salis, et quinquaginta solidos vel amplius, sicut sæpe narrare consueverat idem Guibertus. Quibus acceptis, cœpit gratias agere Deo immensas, et dicere in animo suo : Procul dubio verus est sermo, quem audivi a Patre meo ; sed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, sed incredulus veni huc. Et valefaciens presbytero, reversus est ad monasterium. Quod cum ingressus fuisset, cucurrit ad hominem Dei, et retulit ei omnia, quæ sibi in via contigerant. Cui dixit Pater sanctus : Dico tibi, fili, quia nulla res tam necessaria est omni Christiano quam fides. Habe ergo fidem, et bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. A die illa et deinceps tam frater ille, quam alii verba sancti Patris in majore habuerunt reverentia. O bone Jesu, fidem quam habuit iste sanctus, quis enarrare potest? » Aliud deinde Joannes biographus exemplum producit, num. 4 :

65. « Quidam de Clementiniprati fratribus adveniens, visitandi gratia novellam Christi plantationem, honorifice susceptus est, prout fieri potuit : cui, qui in promptu erat, oblatus est dimidius panis avenaceus. Quo suscepto, et cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementinumpratum, omnibus inibi habitantibus annuntiavit servorum Christi voluntariam in maxima paupertate abstinentiam, in abstinentia patientiam, in egestate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, et compatientes Clementiniprati fratres, in eorum subsidium communiter assenserunt. Tunc magister loci illius, Odo nomine, vir venerabilis, dilectus a Deo et hominibus, oneratis equis et asinis, panes et cibaria in quadrigis detulit. Tunc vero a die illo usque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communio inter Claramvallem et Clementinumpratum, quod quando fratres Clementiniprati Claramvallem adveniebant, ita eis deferebatur, sicut uni Clarævallensium in spiritualibus et humanis. Defunctis etiam vicissim reddebatur obsequium. In hunc modum pius Jesus magis ac magis providebat servis suis. » His adduntur ista num. 5 : « Advenit etiam mulier quædam centum solidos afferens, quibus contecta est pedum eorum nuditas. » Sequuntur deinde facta duo alia, quæ Manricus refert ad annum proxime sequentem 1116. Nos tamen, seriem narrationis biographi Joannis prosequentes, utrumque ex ipso prioribus hic subjungimus. Et primo quidem loco quod narrat, sic habet :

66. « Cunctis animalibus carebant, excepto asino, quo abbas ad visitationes suas deferebatur, lignaque ad necessitates comportabantur. Coacti vero fame, frigore, et aliis indigentiis, abbati suo conquesti sunt, quod pro nimia paupertate discedere cogerentur. Quo audito, abbas blande ac leniter consolans eos, Dei timorem et amorem, spem quoque vitæ æternæ et remunerationis divinæ, quantum potuit, insinuavit. Illi vero maxime angustiati, et angustiati dolore multiplici, nullatenus volebant consentire, sed magis volebant Cistercium reverti. Cumque vir Dei desperationem illorum vidisset, demum convertit se ad orationem. Quo facto, audivit vocem de cœlo dicentem sibi coram omnibus : « Surge, Bernarde, exaudita est oratio tua. » Quod cum audissent fratres glorificaverunt Deum et sanctum suum Bernardum, dixeruntque ad eum : « Dic nobis, Pater, quid petisti a Domino? » At ille respondit : « Quid vultis scire, modicæ fidei? State hic, et scietis postea. » Etcum fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, sed sermonibus sanctis, venit quidam, et obtulit sancto Patri decem libras.

67. Alterum vero ita memorat prædictus Vitæ scriptor a col. 1286 : « Nec mora, Barrensis quidam, cujus filius usque ad desperationem vitæ præ nimia ægritudine cogebatur, attulit ei tredecim libras, suppliciter postulans ut misereretur filii sui. Quem sanctus abbas hilarem dimisit, pollicens filium suum sospitem ab eo inveniendum. Revertens homo invenit filium suum sanitati restitutum, sicut promiserat vir Dei. Qua de causa postmodum servo Dei uberes gratias exsolvit. Modico tempore interjecto, copiose ac benigne misericordia Dei super hos respexit, ut abundantes æternis et temporalibus sub

Digitized by Google

sidiis, nihil eis deesset in ulla gratia, secundum illud : Nihil deest timentibus Deum. » Eventibus hisce miris ac seriis subjungamus miraculum spurium et apocryphum ex Manrico ad annum 1116, cap. 1, num. 5, ubi illud his verbis exponit ac rejicit :

68. « Equos sine rectore vagari solitos, et convicinos populos discurrere colligendis fidelium eleemosynis, quas illico ad cœnobium reportarent, ab oppidanis cujusdam villæ proximæ per ludibrium an per rapinam spoliatos, et pro panibus saxis onustos immensi ponderis, traditio est ab incolis recepta. Porro Bernardo patre flagitii conscio (equis quippe sub pondere gementibus, eoque citius rem ipsam publicantibus) atque exsecrante aggressores impietatis, terram repente scissam in duas partes locum cum incolis simul absorbuisse, ecclesia sola immota permanente, pro certo habent. Et sunt qui credant in memoriam tanti miraculi, eam etiam paulatim absorberi, nempe ad unius argentei grossitiem per annos singulos, ecclesia, loco, saxisque monstratis, queis major fabulæ fides astruatur. Adeo nulla omnino terra est, quæ non laboret fabellis incolarum, a quibus ne sancti viri [quidem] omnino immunes. Utrum autem ejusdem rationis sit similis alia quædam maledictio, qua idem sanctus Aquitaniæ prædicans dicitur impetiisse Viridefolium, illius provinciæ locum non exiguum, suo tempore dabimus. Nunc sufficit hæc seriis permiscuisse quasi per otium. » Potuisset addere Manricus nec sine fructu : cum utile admodum sit, traditiones hujusmodi mere populares convellere, ac discernere miracula falsa a veris. Idque locum habet potissimum in S. Bernardo ; qui quoniam pene innumerabilibus abundat veris, palliari nec debet nec potest falsis, ne his illorum fidei quidquam detrahatur.

69. « Supererat secunda, et major fames spiritualis cibi, verbi nimirum Dei, Bernardo Patre aut timidius prædicante, aut omnino silente, ne nimio zelo et rerum inexperto læderet, ut putabat, conscientias fratrum, sive, ut Guillelmi abbatis verbis utar, *ne prædicatione ejus scandalizarentur potius, quam aliquid perciperent ædificationis.* Sed qui priorem miraculo compescuit, posteriorem grassari non permisit, majori Ecclesiæ bono reprimendam ; quippe Bernardo assumpto ab ipso Deo in ministerium verbi, prædicationis officio illi injuncto, eoque ad tantum opus adaptato virtute divina; » ut loquitur Manricus ad annum 1116, cap. 1, num. 6. Res ista plenius tractatur a Guillelmo in Vita sancti lib. 1, cap. 4, unde delibo ista : « Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum charitate [*al.* claritate] quadam divina astantem sibi, et magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui, quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et ex tunc manifestius in eo et per eum loquens Spiritus sanctus... apud auditores quoque ei gratiam addidit, et auctoritatem et intellectum super egenum et pauperem, peccatorem pœnitentem, et veniam postulantem. » Manricus mox citatus superaddit num. 7, ex Cæsario in octava Nativitatis Domini, « Cum tempore quodam nescio quid dictaret, et testimonium haberet in promptu, quod præsenti loco congruebat, velletque reservare in finem, timens ibi defectum, audivisse de cœlo dicentem vocem : *Si istud reservaveris, aliud non dabitur tibi.* Ipse itaque sanctus loquens jam non loquebatur, sed Spiritus sanctus, qui erat in eo. Rebus ergo temporalibus ac spiritualibus novi cœtus Claræ-vallensis ita prospere ac feliciter divino favore compositis, alia quadam videamus, ad ejusdem cœnobii, atque adeo ad primi abbatis ipsius laudem perquam accommodata.

§. VII. *Monasterii Claræ-vallensis incrementum a sancto abbate prævisum ; difficultates ob canonicos Victorinos ad illud admissos ; rei gestæ tempus ; mirabilis cum imperito medico viri sancti infirmi patientia ; patris ejus conversio.*

70. Prævisio abbatis nostri de ingenti sæcularium ac regularium hominum ad Claræ-vallenses cœnobitas accessu (vidit enim undique, ut refert Guillelmus cap. 3, numer. 29, tantam diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset) prævisio, inquam, illa quomodo per hæc tempora impleta sit, accipe. Enimvero « celebri ejusdem domus fama, » inquit Manricus ad annum 1116, cap. 2. num. 1, « per totam Galliam, multi religiosi, relictis propriis sedibus, atque ex veteranis, imo et emeritis in probata militia ducibus tirones efficiendi in Claravalle, Bernardi Patris ductum perquirebant. » Et mox apud laudatum Annalium conditorem hæc probantur auctoritate Exordii magni lib. 1, cap. 4. Sed quia illa non lego ibi in editione Tissieriana, in fide Manrici ea referentis, huc transcribo : « Postquam gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi domus Claræ-vallis fundata est, ut fragrantissima sacræ religionis ejus opinio multis fieret odor vitæ in vitam ; inter cæteros, quos divinæ bonitatis arcanum consilium de diversis mundi partibus vocavit, plures religiosi viri, qui suis in locis perfecti in religionis observantia videbantur, audientes quod tam specialiter et excellenter magnificasset misericordiam suam Dominus cum domo eadem, et ejus sanctissimo abbate, tanquam novi tirones ex eremitæ [*f.* eremiticæ] militiæ laboribus venientes, tantæ sanctitatis collegio sociari ferventissima spiritus devotione cupiebant.

71. « Inter quos primi vel inter primos præcipui exstiterunt Humbertus, Igniacensis cœnobii postea primus abbas, Raynaldus, et Petrus cognomento Tolosanus, Guillelmus ; et Gerardus Farfensis, qui non quidem uno in loco, sed diversis et multum inter se distantibus provinciis habitantes, ita se ab ipsis infantiæ rudimentis

Digitized by Google

divinis obsequiis mancipaverunt, ut in omni virtutum gratia florentes, alienis quasi perfectioribus exemplis institui minus necessarium habere viderentur. » De ratione autem temporis sic Manricus monet : « Porro ex his, qui ibidem numerantur, etsi non omnes, nam id prorsus incertum ; aliqui tamen ad hunc annum referendi, præcipue Humbertus, ingentis sanctitatis vir de quo plura in sequentibus dicemus. Nam ipso Clarævallis initio Claramvallem venisse, ipse etiam Bernardus Pater testis est in sermone speciali de ejus obitu, » qui habetur vulgatus in editione Mabilloniana operum S. Bernardi a colum. 1066, et in quo idem sanctus Pater : « Nobiscum, ait, triginta annis ab ipso pene principio monasterii hujus conversatus est. » Mabillonius in notis huic sermoni subditis observat, dignissimum hunc virum in monasterio Casæ-Dei (sub regula S. Benedicti) viginti a prima ætate annos monachum vixisse, antequam ad Claramvallem se reciperet. Quod factum sub annum 1118. » Sermo vero innectitur apud ipsum anno 1148.

72. Qualis vero quantusque, et quam dignus Bernardi Patris filius exstiterit Humbertus, liquidissime constat primo ex eleganti ac pathetico illo, quem indicabam, sermone, summis utique ipsius elogiis, ac tenerrimis erga eum amoris affectibus ab eodem sancto respersus. Secundo quia idem ipse S. Bernardus, referente Manrico num. 3, ex auctore Exordii Cisterciensis, « Humbertum Dei famulum ad imitandum perfectionis exemplum sibi proposuerat, ipsius virtutes admirari satagens, et merita ejus magna et sublimia æstimare ipsum sanctitatis exemplar, religionis formam, monasticæ puritatis speculum reputare, » etc. De ejus obitu tractat Manricus tomo II, ad annum Christi 1145, cap. 8 ; de Igniaco autem (*Igny en Tardenois*) in diœcesi Remensi, ubi eum abbatem fuisse diximus, Jongelinus antea designatus, pag. 41.

73. « Hoc eodem anno, certe non multo post, additos censeo, » ait Manricus num. 6. « (quo magis impleretur visio sancti Patris), quosdam sancti Victoris Parisiensis regulares canonicos domus fundatæ a Guilielmo de Campellis, antequam Catalauno præficeretur, atque per eum sanctitatis Bernardi præ aliis consciæ, ipsumque venerantis etiam nondum visum. Ili. . . crebris epistolis sui fundatoris... Claramvallem visitant, atque ad Bernardi genua provoluti, suscipi se probandos enixe posulant ; si approbentur, perpetuo permansuros. Ille, ut erat maturus in negotiis, atque juris alieni summe observans, neque omnino admittens neque repellens, Guillelmum ipsum duxit consulendum, ut fundatorem illius congregationis, ut virum æque sanctum doctumque, et, quod aditum fiduciamque præstabat, ut sibi charum. Direxerat devotus præsul viros in Claramvallem, A eisque mutandæ vitæ auctor exstiterat. Quare a Bernardo consultus, sibi conformis, tale fertur responsum tradidisse : Canonicos ejus judicio debere suscipi (propter rationes, quæ apud Manricum legi possunt). Addidit tamen, se supplicem rogare amicum intercedere, quin et episcopum, qua poterat, injungere, neque id pro extraneis, sed pro filiis. Hæc sanctus præsul sine æmulatione : neque quia deesset zelus propriæ fundationis, imo et ordinis (nam et ipse, archidiaconatu dimisso, canonici regularis habitum induerat) sed quia zelus Dei prævalebat in viro sancto, Bernardus Pater tali consilio fretus, vel magis pressus tanta auctoritate (et quosdam alios ad idem consuluerat) canonicos admisit ad probationem.

B 74. « Sed Gelduinus S. Victoris abbas. . , acerbe ferens suis se filiis orbum etiam ignarum.., convocatis suis canonicis, ad Bernardum scribere decrevit humilem sane, ac veneratione viri Dei, et totius conventus Clarævallis plenam epistolam, sed minacem tamen, et excommunicationis gladium aut exerentem, aut, ni resiliant, exerere parantem contra novitios. His susceptis Bernardus Pater, quo erat adversus convitia laudesque æquali semper atque in bonum firmato animo, tale constat responsum tradidisse » quod, si quis integrum videre voluerit, inveniet illud in epistola tertia inter Bernardinas, quæ exstat apud Mabillonium volumine primo col. 13 et 14, ubi eadem innectitur C anno 1120, de quo mox dicam. Interim quid in hoc negotio egerit vir sanctus, satis aperte indicat epistolæ clausula his verbis : « Talibus itaque taliter susceptis, absit ut sinceritatem vestram, aut in suscipiendo læsam, aut in retinendo lædendam esse credamus : dum tamen illos, si forte infra annum probationis... cœpta deserere, et ad vos redire velle contigerit, invitos non detineamus. Alioquin, sanctissimi fratres, vestra non refert, ut spiritum libertatis, qui in eis est ; anathemate inconsulto frustra impedire nitamini, nisi forte (quod Deus avertat !) quæ vestra, non quæ Jesu Christi sunt quærere studeatis. »

D 75. Quid postea circa illos sit actum, si quæras, Manricus num. 10, asserit, se non dubitare, quin retenti fuerint, « quorum non ulla memoria ulterius exstat ; sive id auctoritate Guillelmi delatum sit, sive Bernardi Patris, sive utriusque. » Nec vero prima hæc controversia in hac materia fuit postrema. « Hanc quippe primam litem, « teste Manrico, « agitatam super personis, multæ aliæ, et pleræque graves secutæ sunt : et imminebant plures, si non Bernardus et juris sui retinens, neque alieni invasor, obviasset, multis repulsis, nec dilatis paucis, sed constanter retentis semel admissis ; quod ipsa historiæ series demonstrabit. » Atque hæc de primis flosculis in amœnissimo Clarævallensi horto plantatis sub Patre Bernardo, ejusque cura excultis : qui, ut subdit Manricus num. 11, cœnobium ingredientibus illud monitum dabat ;

Digitized by Google

« Si ad ea quæ intus sunt, festinatis, hic foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis. Soli spiritus ingrediantur : caro non prodest quidquam. » Quæ dictus auctor exponens, « absterruisset, ait, multos verbum hoc, si non teneris parcens, exposuisset de concupiscentia et affectibus carnalibus, quos foris relinquerent, nequaquam ultra ab ipsis resumendos. »

76. Quod paulo ante promiseram de anno epistolæ tertiæ S. Bernardi, nunc solvo, præsertim cum hujus annus sit characteristicus ad figendum tempus controversiæ inter Clarævallenses et Victorinos Parisienses exortæ, de qua modo agebamus. Manricus num. 10, citati antea anni 1116, quod res illæ eo referendæ, aut saltem non sint differendæ per longum tempus, « ipsa Guillelmi acta, cujus hortatu et consilio Bernardus usus, manifeste, ait, convincere; quippe qui vivere desiit mense Januario anni millesimi centesimi decimi noni; quod, uti addit, ex Necrologio S. Agulphi Corboliensis idem Joannes Picardus (quem paulo ante citaverat in notis ad epistolam D. Bernardi) adnotavit. Ut ergo epistola post hunc annum (1116) scripta sit, procedente negotio; at hoc, aut ad summum sequenti incœptum, admissis viris, minus potest in dubium revocari. »

77. Sed non videtur Manricus satis firmum pedem hic figere. Laudatur Guillelmus de Campellis (*de Champeaux*) etiam cum cognomento venerabilis apud Sammarthanos in episcopis Catalaunensibus, et « excessisse e vivis anno 1121, VIII Kalendas Februarii, sicuti docent tabulæ S. Stephani, et Albericus, » ibidem asseritur. Idem annus habetur apud Mabillonium in notis ad epistolam tertiam S. Bernardi. Et vero eumdem præsulem vita functum non fuisse anno 1119, ut volebat Manricus, suadetur in notis ibidem his terminis : « Conon cardinalis et legatus in Mauriniacense prope Stampas cœnobium accessit anno 1120, *habens secum velut auxiliatorem magnum Willelmum Catalaunensem episcopum, qui sublimes scholas* (*id est theologicas*) *rexerat; et tum zelum Dei habens, super omnes episcopos totius Galliæ divinarum Scripturarum scientia fulgebat* ex Chronico Mauriniacensi. Unde redarguas eos, qui ejus obitum reponunt anno 1119. » Non itaque secundum præmissa, debuit necessario accessus canonicorum regularium ad Clarævallenses accidisse anno Christi 1116, aut proxime sequenti; non item epistola Bernardiana fuisse conscripta ante annum 1120. Dicamus ergo, nihil incommodi nobis videri in eo, si utrumque hoc factum ponamus anno Christi 1119 vel 1120.

78. Manricus ad dictum annum 1116, cap. 3, exhibet sanctum Patrem gravi infirmitate laborantem ex nimia vitæ austeritate; Guillelmum Campellensem mirifice sollicitum de restituenda ei valetudine; præparatumque in hunc finem tuguriolum. Deinde ad annum 1117, cap. 1, num 4, memorat viri salutem imperitissimo rustico commissam, et gravissima incommoda quæ sustinuit. Nos gesta illa huc non transcribimus; sed assignamus Guillelmum biographum cap. 4, ubi narrat ea quæ vidit. Ibidem etiam invenies sanctum visione angelica recreatum : capite autem 5, resumptum a viro sancto pristinum vivendi rigorem, eumque valde severum. Quæ vero idem Vitæ auctor cap. 4, num. 34, præmiserat de sancti patre ad institutum monasticum converso, illigat Manricus prædicto anno 1117, ut videre ibidem licet cap. 3, num. 8. Conversionem hanc brevissime perstringit citatus Guillelmus; sed alibi longior est narratio, variis, quæ rem circumstant, ac Bernardo in hac re tribuuntur, adjunctis vestita; sed quæ aliquo examine indigent

79. Capitis tertii modo notati num. 9, Manricus ea recitat e Vincentio Bellovacensi in Speculo morali lib. III, pag. 3, distin. 22, in fine : « Cum beatus Bernardus convertisset omnes suos, et secuti fuissent eum, pater ejus inobediens erat ei, in sua duritia perseverans. Cum autem semel in villa sua prædicaret, nec vellet ei pater suus obedire, præcepit, quod apportaretur ignis. Quo facto, applicavit eum ad quemdam truncum veterem, qui erat ante portam ecclesiæ : et cum laboraret ad eum succendendum, non poterat accendi, sed fumabat. Tunc injunxit omnibus, ut post comestionem illuc convenirent ad sermonem, et quod quilibet apportaret secum unum fasciculum de malleolis sarmentorum projiceret super illum truncum. Quo facto, præcepit ignem apponi, et succensis fasciculis, etiam truncus succensus est, maximum ignem emittens et flammantem. Tunc beatus Bernardus cœpit sermonem de tormentis et igne inferni, quomodo inobedientes, fasciculis peccatorum suorum super eos projectis, torqueretur in inferno. Et de hoc ita excellenter prædicavit, quod ipsum pater suus durus et inobediens ad claustralem obedientiam secutus est. » Hæc Amalium Cisterciensium auctor e Vincentio; qui tamen cum alibi ipse secum non conveniat, vereor ne non conveniat cum vero.

80. Id quod ita exprimit Manricus : « Dum eumdem eventum in eodem opere morali diversimode accidisse testatur; fidem dictis demere videtur sibi contrarius. Certe lignis ad truncum applicatis atque succensis, in quo utrobique convenit, reliqua longe aliter narraverat lib. II, pag. 3, dist. 4. « Quo facto, ligna sicca cito succensa sunt, et truncus tarde circa medium ab extremis emittens humorem fœtidum et fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incœpit sanctus loqui de pœnis inferni, dixitque patri, quod ipse esset similis illi trunco, qui hic non poterat igne divino succendi; sed in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, et fœtentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater compunctus, eum secutus est, et monachus effectus. » Ita Vincentius discordans a se ipso..., » nec concordans cum biographo Guillelmo, qui omni exceptione est major, et sine loco conversionis, sine persona, per quam

Digitized by Google

ea sit facta, sine modo, quo acciderit, simpliciter, de eo dicit cap. 4, num. 34 : « Pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. » Breve autem tempus videtur in monachatu exegisse; nam cum aliquantum tempus ibi fecisset, ut illico addit Guillelmus, obiit in senectute bona. Chrysostomus Henriquez illum inscripsit suo Menologio Cisterciensi ad diem 23 Maii. Mabillonius in notula ad librum primum Guillelmi biographi, hæc breviter de ipsius morte ac monastico instituto observat e Necrologio S. Benigni III : Idus Aprilis obiit Tescelinus monachus, pater domni Bernardi, abbatis Clarævallis.

§. VIII. *Cœnobium Trium fontium vaticinio ac miraculo a viro sancto condecoratum; an Christi anno 1119, suos miserit in Lusitaniam; secessu a negotiis ad res magnas exsequendas præparatur.*

81. Manricus ad annum 1118, cap. 3. num. 1, narrat, aliud cœnobium a Guillelmo Campellensi, de quo antea diximus, constructum esse in sua diœcesi Catalaunensi, ut se Bernardo arctius devinciret, colonia illuc e monasterio Clarævallensi transmittenda, quam abbas sanctus designaret; loco nomen inditum Trium fontium (*Trois-Fontaines*) forte a fontibus ibidem scaturientibus, ac Bernardi patris filiam fuisse primogenitam. De hoc monasterio agit Jongelinus pagina 38. Mentionem porro ejus hic facimus, propterea quod vir sanctus insigni vaticinio, ac postmodum etiam illustri miraculo illud condecoravit. Vaticinium habemus e Guillelmo biographo cap. 7, ubi illud legi potest. Miraculum vero ita breviter refert Gaufridus monachus Clarævallensis lib. IV. Vitæ, caput 7 editionis Mabillonianæ, numer. 41. « Cum venisset aliquando Pater sanctus ad monasterium Trium fontium, oblatus est ei clericus quidam ex his qui regulares nominantur, homo grandævus et cæcus. Imposuit ei manum, et brevem ex more fecit orationem; et eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam. »

82. Annus proxime sequens 1119, apud allegatum identidem Annalistam cap. 3, narrationem continet controversiæ historicæ, an videlicet S. Bernardus ascetas a se lectos miserit tum temporis in Lusitaniam, vitæ monasticæ institutum ibidem propagaturos. Affirmat Brito lib. I, cap. 2, sed eidem varia a gumenta opponit Manricus; factum ex illo sic exponens cap. 3, citato num. 1. « Bernardo Patri post laudes matutinas in sacro Præcursoris festo præsentis anni, eumdem Præcursorem apparuisse, jussisseque ut in ultimas Hispaniæ oras, quæ occidentem respiciunt, monachos mitteret, exigendo [*leg.* erigendo] cœnobio, et sacrando sub ejus nomine, Bernardus Brito constanter asseverat lib. I, cap. 2, neque id ubilibet, sed loco prius e cœlo designando, quo succedentia miraculis miracula, et priora posteriorum spem augerent, et posteriora firmarent priorum fidem. Mittendos rursus eremitam inventuros in illis partibus, cujus consilio et auxilio si uterentur, feliciter negotium consummarent. Tunc Bernardum selegisse monachos octo, Boemundum, Aldebertumque; illum abbatem futurum, hunc priorem; Joannem, Bernardum, Sisinandum, Rolandum, et Alanum (nam octavum anonymum reliquit) atque eos omnes Lusitaniam transmisisse post breve tempus, addita epistola scripta ad eremitam Joannem Ziritam nomine (nam et nomen Baptistæ revelaverat) breviter rem perstringens, » cujus verba recitat ex Brito Manricus qui deinde subdit ista num. 3, et seqq.

83. « Quo tempore Bernardo in Claravalle Præcursor Christi gloriosus apparuerat, Joanni Ziritæ visum in Lusitania eremiticam vitam agenti juxta Barosum fluvium, idem auctor affirmat, auditumque de adventu monachorum, et monasterio per eos ædificando, quo nimirum non quærerent ignarum, aut rogarent invitum, sed exspectantem. Hæc fusius Brito concernentia præsentem annum : nam cætera sub initium sequentis gesta. Verum nos, ne lectorem distrahamus, consecutiva serie hic subjiciemus. Igitur monachi a Bernardo parente missi, superato Pyrene ad medium hiemis et tota fere Hispania peragrata, Lamacæ terminos (*Lamego* hodie appellant) applicuere. Ibi Joannes Ziritus obvius factus, ipsa comprobatione vaticinii confirmavit hærentes, et jam jamque pertæsis longum iter, pretium fecit apparere supra laborem. Lusitanis imperabat Alphonsus primus, Henrici comitis filius, tunc ipse comes, post regio titulo etiam insigniendus. Hic oriundus ex ducibus Burgundiæ, eoque Bernardo Burgundo jam fama celebri, carne simul et spiritu conjunctus, facile potuit a Joanne persuaderi, ut terram, quam eligerent, daret Bernardi filiis, donatione firmata privilegio, quod non post multos ab adventu virorum dies, apud Araducam (vulgo *Guimaranes*) idem rex expedivit in hæc verba, » quæ ibidem proferuntur e Brito. Signatur autem : « Facta charta... Kalendas Martii, æra millesima centesima quinquagesima octava, » quæ coincidit cum anno æræ vulgaris 1120. « Pyrenem vero subjugatum, » uti subdit Manricus, « in ipsa hieme, dies ostendit, quippe prima Martii, seu melius dixerim, prima post tempus hiemis, ut vel totos tres menses otiosos fateri necesse sit, si ante ipsos appulsi nihil fecerint; vel intra ipsos Pyrenem transmeasse, brumali nive et frigore rigentem. »

84. Porro quæ deinde idem Manricus num. 6 et 7, enarrat e Brito, « Boemundum nempe parvas cellas construxisse sibi et suis... ; inde fulgente in media nocte luce signatum locum..., felix auspicium construendo cœnobio; atque horum testes epistolas Boemundi ad Joannem, » et hujus ad illum, quorum exempla ibi producuntur; « Lusitanum illustrem principem... et cunctos proceres (inter quos Bracharensis archiepiscopus) miraculorum conscios contulisse subsidia in opus fabricæ, atque in divini cultus celebrationem; illum marcas argenti septuaginta, ex quibus cruces et alia vasa conficerentur; hunc vestes sacras, quibus utebatur ad missarum solemnia peragenda; » hæc, inquam,

Digitized by Google

ex iis, quæ ibi pluribus deducuntur, hic compendio contraxisse, sufficiat. Quibus ita expositis, operæ pretium est audire argumenta, quibus in dubium revocat Manricus modeste quidem, sed tamen apposite, historiam superius memoratam. Hæc itaque adversus illam affert.

85. « Primo, inquit num. 8, et quod caput omnium est, difficultatem ingerit Bernardus Pater, qui paulo post hunc annum, sed revera post ipsum, ut mox ostendam, contemporaneo, et eo abbati suo Artando [*al.*, Artaldo, Artaudo] abbati Pruliacensi (ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi, vulgo *Prully*) fundationes Hispaniæ dissuadet; quippe in longinquo positas, quo non expediat filios relegare. Habes epistolam Sancti satis apertam, ad eumdem scribentis in hæc verba epistola 75. « Audivi... « ego de te, quod de sancto Conventu tuo abba- « tiam in Hispania construere velis. Quod mihi ni- « mirum in magnam admirationem venit, quid cau- « sæ videlicet sit, quid consilii, quidve utilitatis, « quod filios tuos exsulare cupis, in locum utique « tam longinquum, tanto sumptu et labore et quæ- « rendum et ædificandum. » Hæc Pater sanctus: qui si jam in Hispaniam misisset filios, nunquam ab alio mittendos condemnaret. Siccine enim dissuaderet, quod ipse fecerat? Porro epistolam quod hunc annum scriptam vel inde constat, quod Pruliacum (cujus abbas Artandus erat) præcedenti, nempe millesimo centesimo decimo octavo fundata domus, non potuerit de edenda prole tractare, vixdum professis filiis, quos admisisset, et quos fundatum esset transmissum [*f.* transmissurum]. Certe neque Claravallis, quæ fecundissima, ante tres annos, nec Bonavallis, ut minus ante quatuor, nec reliquæ ante plures parturierunt.

86. « Ergo epistola scripta post hunc annum, sed ante 1122, quo dilatatus ordo per Germaniam sine ullo periculo, minus patebat ejusmodi timoribus. Unde non mirum, si annis subsequentibus, Christi nimirum 1130, idem Sanctus, mutato jam consilio pro modo temporis, et eventuum experimento, monachis suis Hispaniam nobilitaverit, primum Morerolense (Moreruela in diœcesi Zamorensi) de quo inferius, mox plura alia cœnobia fundaturis, sive reformaturis, quod ipsa historiæ series demonstrabit. » His Manricus rationibus, ex dicta sancti Bernardi Epistola, ac tempore petitis convenit Lusitanam historiam. Verum ad tempus epistolæ quod spectat; longe a Manrico dissentit editio Mabilloniana Operum sancti Patris Bernardi col. 76, ubi ea innectitur anno Christi 1127, in qua chronologica ratione quanto magis receditur a tempore, quo Brito alligat miram illam Cisterciensium coloniam Lusitanam, tanto magis ostenditur, seclusis etiam aliis argumentis, illam non satis subsistere.

Præter argumentum vero, quod ex dicta epistola desumpserat Manricus, aliud promit ex ipsa historia rei gestæ, num. 9, ita loquens: « Ipsa historia ex se nobis suspecta, quædam neque pauca involvit, quæ minus redolent antiquitatem illius temporis, quod eo anno Lusitaniam Alphonsus regeret; quem tamen vel ætate imparem tunc, quippe decennem tantum; vel matre retinente sibi dotalia bona, adeoque Lusitaniæ principatum, non ante annum vigesimum octavum evectum solio, producto etiam ejusdem Alphonsi testimonio, probat III p. Monarch. Lusit., lib. VIII, cap. 26, late Brandaonius regius scriptor, et longe callens Lusitanas antiquitates, quod princeps conficiendis ex eis crucibus, septuaginta, et eis amplius, argenti marcas; quod vestes sacras Bracharensis archiepiscopus, quibus ipse utebatur, monachis dederint; quos tamen constat, nec crucibus argenteis illis temporibus, nec ex serico vestibus, quales decebant magnum Ecclesiæ præsulem, juxta propria instituta uti potuisse; quod Bernardus filiorum amantissimus, hiemis medio algentes et pene nudos, quippe duabus tantum laxis indutos vestibus, Pyrenæi nivibus improvidus objecerit, nec tempus opportunius, cum potuisset, sive prævenerit, sive etiam exspectaverit. » Hæc Manricus. Adde, quod Alphonsi cum Bernardo consanguinitas nimis longe quæsita sit, atque adeo non satis apte præsenti historiæ assuta, ex supra allegatis § 1. num. 12.

87. Alterum Manrico num. 10, adversus Briti colonlam argumentum præbet « Morreolæ cœnobium, sanctissimis Froilano et Atilano quondam, illo abbate, hoc priore, præ aliis celebre, quod, ipsa etiam historia fatente, quam hausit Brito, neque ipso id audente denegare, Cisterciense institutum in Hispania primum suscepit. Et tamen constat, nondum suscepisse post annos decem. Certe ut maxime Cistercium ei præluxerit, exspectavit quinquennium, quod suo loco videbimus: sed et huic lustro lustrum aliud additum, ne ipsi, quidem, negant auctores Morerolenses, ea nimirum contenti antiquitate, cui ex instrumentis antiquis certa fides, concordantibus præcipue Claræ-vallis atque Cistercii tabulis, nec reclamante aliquo instrumento sive auctore, quem ego viderim. »

88. Extremum denique argumentum sæpe dictæ transmigrationi Lusitanæ a Manrico oppositum desumitur a conglobata variarum rationum congerie. En tibi illam ipsius verbis numer. 11. « Quid, quod epistola, quæ ex Bernardo Patre profertur, Bernardum minus sapit? Quid, quod in ea revelatione refert, quod nusquam alibi ab eo videmus factum? Quid, quod cæteri auctores eamdem sileant, et tot apparitionum, miraculorumque velut congeriem inveniuntur tacuisse, qui narrant minima? Quid, quod omnes antiquæ memoriæ ordinis monasterium S. Joannis de Taronea in Lusitania post plures annos affirmant fuisse constructum, anno videlicet 1131. Quid, quod cœnobia ab eo anno frequentia, et crebris fundationibus prolifica, etiam per longum tempus ante eum annum aut prorsus inaudita, aut, si quod fuit, sterile permansit? Nam quod de S. Christophoro vulgo de la Foens, Brito subjungit, eam-

Digitized by Google

dem prorsus difficultatem patitur, ut suo loco videbimus. » Tandem Manricus, præsentem controversiam concludens, « Hæc, inquit, dubitandi magis quam decernendi fine a me proposita, lectori perpendenda relinquo, judicii anceps, et neque omnino affirmans, nec plane negans. » Sic ille pro sua modestia. Nos vero, quorum nihil interest, seriusne an citius vinea Cisterciensis seu Claravallensis palmites suos extenderit usque ad mare, in Lusitaniam, inquam; longe potiores partes deferimus Manrico, qui nobis videtur adeo plene ac plane controversiæ præsentis causam evicisse, ut Briti historia, quam hic refutat, valde suspecta censeri debeat. Unde etiam sequitur, ut duæ epistolæ de monachorum Claravallensium per Bernardum in Lusitaniam missione, quarum altera ad Alfonsum regem Portugalliæ; altera ad Joannem Ciritam, utraque sub nomine Bernardi antea editæ, non immerito videantur rejectæ in Appendicem epistolarum ejusdem sancti Patris, quæ in editione Mabillonii col. 371 et 372, post genuinas ipsius epistolas, habetur. At de his plus quam satis. Nunc in Galliam, et ad gesta sancti abbatis nostri in Claravalle revertamur; de quibus Manricus varia edocet ad annum proximum 1120.

89. Postquam igitur ibi cap. 3, num. 1, auctor ille tractasset de claris in sæculo viris, qui sancti abbatis aut magisterio allecti, aut jugi prædicatione sollicitati, Claravallense contubernium amplectebantur, ac de subsidiis ad illud promovendum necessariis; successisse ejusdem familiæ lætis tristia subdit. Nam « inter prospera, ait Annalista idem numer. 2, quo minus sibi fiderent, dura alia et adversa passi sunt, Bernardo Patre a filiis separato, dubium suo, an suorum majori luctu. Causa ex ipso; quippe dum nimio rigori, quem supra diximus, corpore prius quam spiritu succumbit; ac supra vires actæ pœnitentiæ, quantumvis serio, sero tamen pœnitet; Conventum fratrum, quem diutius retinuerat, tandem deserere, et seorsim habitare, coactus est, Deo, ut apparuit, ita disponente, quo a communibus illis expeditus, ex tunc jam non aut sibi, aut suis tantum, sed aliis, imo universæ Ecclesiæ viveret magno totius Christiani orbis profectu, ejus opera in omnibus usuri. » Factum narrat Guillelmus in Vita, lib. 1, cap. 5. Porro de nimio illo austeritatis excessu ipsemet Pater sanctus sese incusabat; sicut ibidem licet videre.

90. « Sed, ut recte observat Manricus numer. 4, qui ab initio nascentis Ecclesiæ infirma mundi eligere consuevit, ut fortia confundat, per hanc ipsius inutilitatem copiosissimum fructum præparavit. Quippe feriato a conventu, ut dicebamus, ipsa ægritudo ex vacatione tempus ad negotia, ex pallore gravitatem in vultu, ex imbecillitate pondus in verbis, atque ex dissolutione velut instante cunctorum æstimationem conciliabat; et erat velut fugitivæ vitæ major usura, timore, ut solet, urgente desiderium, commendante pretium metu jacturæ. » Consule Vitam, capite mox citato, sub finem. Otia itaque illa virum sanctum ad summi momenti negotia, quæ deinde sunt subsecuta, egregie comparârunt.

§ IX. *Præmonstrati locus an Præmonstratensibus a S. Bernardo datus; hujus erga illos, ac S. Norbertum affectus; mutua Ordinum Cisterciensis ac Præmonstratensis officia cum elogiis.*

Sanctos Bernardum ac Norbertum, nobile amicorum par, hoc loco proponere est animus, Manrici exemplo; qui, tametsi de illis agat ante Bernardi a suis separatione, de qua jam dictum est, argumentum tamen præsens intexit eidem anno 1120, in quo et nos modo una cum ipso versamur. Ad hunc itaque annum cap. 2, num. 1, laudatus Annalium Cisterciensium collector in rem nostram congerit sequentia: « Sub idem tempus magnum Ecclesiæ lumen Norbertus. . . regularium canonicorum illustrem ordinem, Præmonstratensem a primo loco dictum, magno totius Ecclesiæ bono instituit . . Hunc beatissimi Patris Bernardi, cui prius traditus, largitate obtentum, multis aliis spretis, Norbertus prætulit, aptum ex se, et commendatum ex donante, jaciendis fundamentis suæ familiæ. Rem quia concernit ordinem illustrem, et Cisterciensi non solum coævum, sed familiarem, paulo altius repetito principio declarabo. » Narrationem itaque hujus facti prosequitur num. 2 et 3, quæ apud ipsum legi potest. Sufficit ad nostrum propositum, quod locus Præmonstrati ante fuerit Cisterciensium, quam transierit ad Præmonstratenses, Bernardi videlicet munere. Id quod ipsemet sanctus doctor expresse affirmat in epistola, ad abbatem de Præmonstrato post obitum S. Norberti scripta, quæ est ducentesima quinquagesima tertia apud Mabillonium colum. 250, hoc inter alia beneficia recensens Præmonstratensibus a se collata: « Primo quidem locus ipse Præmonstrati, in quo degitis, noster fuit, et nostro munere habuistis. Nam nobis frater Wido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum episcopi ante donaverat. »

92. Locus hujus epistolæ non caret difficultate cui occurritur in notis apud Mabillonium hic: « Nonnulli hic hærent in explicando Bernardo, quod certum sit, Præmonstrati primam ecclesiam, sancto Joanni Baptistæ sacram, a Bartholomæo Laudunensi episcopo concessam fuisse Norberto ex commutatione facta cum monachis S. Vincentii Laudunensibus (vulgo *S. Vincent de Laon*) ad quos pertinebat, teste Hermanno (monacho Laudunensi) mox laudato in lib. III, cap. 4. At in cap. 10, tradit idem auctor, testis oculatus « ex altera montis parte majorem ecclesiam » postea ædificatam ab Hugone abbate, cum adjuncto insigni monasterio: cujus locus, aut certe ejus portio, a Bernardo seu Cisterciensibus, qui eam a Widone eremita acceperant, indubie Præmonstratensibus obvenerat. Quid Bartholomæus ipse contulerit, docet ejus epistola in Appendice hujus tomi colum. 385. Vide notas fusiores apud Mabillonium ad supra dictam epistolam 253, colum. 74, ubi citatur Hermannus monachus, lib. III, de Mirac. beatæ Mariæ Laudun. cap. 4, hæc dicens: « *Venientes itaque ad*

Digitized by Google

« *præfatum locum Præmonstratum, ingrediuntur,* « *orandi gratia, quamdam ecclesiam in honore S. Joan-* « *nis Baptistæ ibidem constructam. Hæc erat de jure* « *cœnobii S. Vincentii Laudunensis,* » etc. Ex quibus quidam nuperus scriptor in notat. ad Vitam S. Norberti cap. 19 (Vide quæ dicam paulo post) hærere se testatur in explicanda Bernardi concessione, quam a monachis Vincentianis per manum Bartholomæi episcopi factam legit.

93, « At, quamvis sexcenta id generis in contrarium argumenta starent, Bernardi verbum ineluctabilem obtinere debet auctoritatem : et siquidem rem paulo diligentius consideraveris, pugnantia facile conciliabis. Certum enim est Præmonstrati cœnobium, in prima sui conditione non eo in loco situm fuisse, quo primum a S. Norberto fuerat institutum : sed in altera montis parte, ad quam Hugo Norberti successor, cui hæc epistola dirigitur, illud transtulerat. Cujus rei meminit idem Hermannus tum loco citato, ubi prævisionem sancti Norberti de cœnobii translatione refert ; tum ibidem cap. 10, ubi Præmonstrati mutationem sic describit : « *Videns autem Hugo ecclesiam illam parvam* » (nimirum S. Joannis Baptistæ, quam monachi Vincentiani concesserant, uti præmiserat cap. 4), « *jam non posse sufficere tantæ mul-* « *titudini, quæ convenerat, et per Dei gratiam quoti-* « *die augmentabatur ; sciens etiam dominum Norber-* « *tum, ut superius dictum est, in spiritu prævidisse,* « *quod ex altera montis parte major ecclesia foret ædi-* « *ficanda, inito cum fratribus suis consilio, D. Bar-* « *tholomæum episcopum, utpote loci fundatorem et* « *patrem, advenire rogavit quatenus, dispositis omni-* « *bus officinis, ipse primum lapidem in ecclesiæ fun-* « *damento poneret.* » Fuerit ergo prima illa sedes seu ecclesia a nostris (id est Benedictinis monachis) Vincentianis concessa : sed quid prohibet secundam hanc a S. Bernardo, qui eam a Widone eremita prius acceperat, Præmonstratensibus concessam ? Legantur epistolæ duæ Philippi abbatis Bonæ-Spei, quibus hæc respondere videtur. »

94. Locus itaque Præmonstratensibus a S. Bernardo concessus, et ita explicatus, neutiquam repugnat litteris fundationis Præmonstrati, quæ confectæ fuere nomine Bartholomæi episcopi Laudunensis, et in quibus locus ille dicitur pertinuisse ad Vincentianos monachos, nec non S. Norberto traditus ab ipso Bartholomæo, cui primum ab Adalberone, S. Vincentii abbate, rem postea confirmante Seifrido ejus successore, fuerat concessus ; uti in citatis fusioribus notis licet videre, ubi citantur litteræ jam dictæ. Adisis nostrum tomum I, Junii die VI, ejusdem mensis pag. 862 et sequentibus, ubi inter Analecta Norbertina cap. 2, profertur triplex Bartholomæi episcopi Laudunensis diploma, et expenditur difficultas superius proposita et soluta ; sed modus illam extricandi, qui ibi apud nos pag. 864, datur non adeo mihi arridet, quam ille, quem paulo ante e laudatis notis protuli. Quidquid vero ratiuncularum contra donationem hic controversam protuleris ; Bernardi verbum, ut supra recte dicebatur, ineluctabilem obtinere debet auctoritatem ; qui videlicet optime scire poterat ac debebat, nec non in recentissima memoria habebat, quid dedisset et quibus ; item a quo, quo tempore ac modo id, quod postea dedit, antea accepisset. Neque porro satis perspicio, qui hoc negari possit, nisi viro sanctissimo macula inuratur imprudentiæ simul ac impudentiæ, nec non apertæ falsitatis, ne dicam mendacii. Quod absit. Miror itaque veritatem hujus donationis ab auctore quodam Præmonstratensi non satis cognitam, atque adeo non satis secure approbatam fuisse ; quam alius Cisterciensis defendendam suscepit labore, ut mihi quidem apparet, minime necessario, imo supervacaneo ; quia standum est Bernardi verbo ; si Præmonstratensis hanc quæstionem non sparsisset in publicam lucem. Rem intellige ex sequentibus.

95. Exstat inter notitias, quas apud me habeo de S. Bernardo, manuscripta dissertatiuncula, qua breviter demonstratur, quomodo sanctus Pater Bernardus in epistola sua [252 *al.* 253] vere dicat, DD. Præmonstratenses ipsum locum de Præmonstrato habere munere suo. Accipe Dissertatiunculæ exordium : « R. D. Polycarpus de Hertoghe, religiosus S. Michaelis Antuerpiæ, ordinis Præmonstratensis, in notationibus suis in Vitam S. Norberti (prodiit hæc Vita cum notationibus, anno 1656, typis Plantinianis, Antwerpiæ) ad cap. 19, foliis 346 et 348 scripsit, se non videre, quomodo S. Bernardus, epistola 252 dicat, Præmonstratenses ipsum locum de Præmonstrato habere munere suo : cum ex diplomatibus Bartholomæi episcopi Laudunensis (quorum partes producit) clare pateat, dictum locum, qui prius erat monachorum sancti Vincentii Laudunensis, ab ipso episcopo datum S. Norberto et Fratribus ejus, facta commutatione utiliori ipsis monachis : nisi forte idem S. Bernardus seipsum adnumeret Benedictinis monachis S. Vincentii, ratione ejusdem regulæ ; vel, cum dicitur monachos S. Vincentii, antea diu locum illum incoluisse, illud *Diu* longe in anterius tempus extendendum sit, quo eorum locus iste fuerit. Quæ rationes frivolæ nimis sunt ; in tantum, ut operæ pretium duxerim illas breviter hic refutare, aliasque solidiores producere. » Supersedeo illas huc transcribere. Sufficiunt enim, quæ jam dictæ sunt. Post dissertatiunculæ finem auctor Carolus de Visch, religiosus Dunensis : Componebam, inquit, anno 1663, mense Junio. His itaque frivolis argutiis relictis, priorem semitam relegamus, et sancti doctoris erga S. Norbertum venerationem atque adeo amorem comprobemus.

96. Epistola 8 ad Brunonem Coloniensem electum, postquam S. Bernardus ab eo fuisset consultus de acceptando episcopatu Coloniensi, inter alia sic scribit in ejusdem fine : « Habetis autem dominum Norbertum, quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tanto vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto et Deo propior esse cognoscitur. « Epistola hæc notatur apud

Digitized by Google

Mabillonium scripta anno 1131, apud nos vero tomo I Junii, quem paulo ante citabam, pag. 815, aptatur anno 1132, vitæ S. Norberti antepenultimo. Brevissimum quidem est illud, sed illustre tamen elogium, epistolæ 56, quæ est ad Gaufridum Carnotensem episcopum, insertum: «Quod a me de domino Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Jerosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, et de *Cœlesti Fistula*, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim,» etc. Honorifica prorsus ista expressio est in calamo Sancti, cum De diversis sermone 22 apud Mabillonium col. 1129, ab eodem doctore cœlestis fistula Ambrosius vocetur. Epistola autem illa 56, apud Mabillonium alligatur anno circiter 1128. His addi potest fragmentum sequens, quod subdo ex epistola 253, superius memorata, ubi sanctus doctor ad abbatem Præmonstratensem, mortuo jam pridem S. Norberto, scribens, anno videlicet 1150, cui in Mabilloniana editione affigitur ista epistola, Vestrum, inquit, Ordinem fovi et promovi semper, quod in me fuit; id quod deinde luculentis argumentis probat; ac denique, excusatis omnibus, quæ ansam dederant querelis (et vero querelas non raro inter amicos optimos intercedere, quis ignorat?) arctum amicitiæ nexum cum illis et esse sibi, et fuisse, et futurum profitetur, ita loquens, col. 253.

«Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo, charitate non ficta, illa quæ nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quod quacunque occasione offenderim vos; eritque tristis, usque dum vestra indulgentia relevetur. Si tardaveritis, ibo et excubabo pro foribus; perseverabo pulsans, instabo opportune, importune, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem.» Tam altas egerat in intimo sancti nostri pectore radices contracta jam pridem cum S. Norberto amicitia, ut ea tanto cum affectu postea erga Ordinem ejus perseveraverit.

97. Hinc mirum non sit, imo vero ecquis sat prudenter non cogitet, S. Norbertum sancto nostro adeo intime erga se affecto, mutuis æstimationis ac benevolentiæ significationibus respondisse, amica ambos inter se habuisse non raro commercia, firmatumque inter eos fuisse necessitudinis vinculum ex eo potissimum tempore, quo conjunctis sacræ prædicationis suæ armis errores Petri Abælardi oppugnarunt? Nam de utroque veritatis pugile intelligendum censeo illud, quod ipse dicit in epistola prima, quæ suo et Heloisæ nomine inscribitur, cap. 12. «Quosdam adversum me novos apostolos, quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt: quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se resuscitasse gloriabatur. Hi prædicando, etc. Ita ille, veris eorum laudibus falsam inanis gloriæ maculam inverecunde aspergens. Quibus autem modis regularium canonicorum fundator S. Bernardo pares favoris vices reddiderit sigillatim, non habeo in promptu documenta, quibus id edoceam, præter illa, quæ Manricus allegat a num. 6. «Quod vero, ait, Bernardum Norbertus pater, nec solus solum, sed omnes ejus filii Cisterciensem familiam monachosque non minore coluerint reverentia, duo mihi argumenta persuadent, utrumque efficax, alterum pro Norberto, pro suis alterum.

98. «Certe in Norberto satis mirum est, quod post acceptum Præmonstrati locum, et in loco cœleste illud oraculum; post discipulos plures congregatos, per quos visio ex parte jam impleta, in cæteris adimplenda comprobatur; de assumendo nihilominus Cisterciensi instituto, nec ullo alio edendo consultum ierit, quod Acta vitæ ejus satis indicant, dum tradunt, multos religiosos, tam episcopos quam prælatos (haud dubium quin a viro Dei consultos) respondisse diverse,» e Vita apud Surium die 6 Junii, cap. 22, ubi hæc sunt: «Cum autem multi religiosi, tam episcopi quam abbates, diversa consilia darent, alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cisterciensem ordinem assumendum suadentes.» Sancto itaque Norberto cogitanti de ordine instituendo cecidit in deliberationem Cisterciensis, sive ex S. Bernardo, mirifico ejusdem propagatore, sive ex florentissimæ familiæ Cisterciensis propagatione, sive ex utraque simul hac re ortum duxerit proposita deliberatio.

99. «Verum, ut recte subdit Manricus num. 7, qui novi instituti novum decorem Ecclesiæ suæ parabat per sanctum virum, in eodem vestitu deaurato, varietate religionum circumvallandæ, ne Cistercium Norberto carituram nullam in ipsius familia partem haberet, imminentem occasum vix orti solis imitatione Cistercii reparavit. Nam cum Norberto promoto in archiepiscopum, instaret jam excidium deserto gregi, ea una cunctis concepta spes salutis, si Cisterciensis ordinis statuta, si Capitula annua, si rerum omnium superfluarum contemptum ac rejectionem æmularentur.» Adisis Vitam S. Norberti apud Surium, cap. 46, e quo delibo ista: Positus et consecratus est ille pater (quem videlicet Norbertus sibi substituerat successorem) «in Præmonstratensi ecclesia, et illi duo (de quibus, ut paulo ante ibi erat dictum, præceperat vir Dei, ut alterum in Antuerpiensi ecclesia patrem, alterum in Floreffiensi constitueret) in duabus aliis supradictis. Sed et duo jam alii consecrati erant in duabus aliis ecclesiis, Laudunensi S. Martini et Vivariensi. Isti quinque et sextus, quem ad locum, qui dicitur Bona-Spes, statim post introitum suum abbas Præmonstratensis ablegarat, imminentem dissolutionem ordinis in plerisque locis videntes, et majorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt, et quidquid ad præsens in domibus suis superfluum videbatur esse, recidentes, deinceps ad exemplum Cisterciensis ordinis, annuatim se reversuros simul

Digitized by Google

ad ordinis sui sinistra corrigenda firmaverunt. Quod cum in locis aliis divulgatum fuisset, si in primo anno sex, et in secundo novem fuissent, in tertio duodecim, in quarto decem et octo fuere; ita deinceps multiplicati sunt ubique terrarum, sicut voces et actus eorum et opera usque in præsentem diem testantur. » Superiora confirmantur e Vita S. Norberti apud nos tomo citato, cap. 16, pag. 852; in notis autem ad illud caput indicatur, S. Norberto successisse Hugonem primum ejus socium, de quo supra ibi actum erat ad cap. 5. Antuerpiæ Waltmannum, Floreffiæ Richardum datos, etc. Item in ecclesia Laudunensi ac Vivariensi consecratos Gualterum et Henricum, de quibus, uti et de eorum monasteriis dictum fuerat ad cap. 13. Sextus ille supra anonymus, est Odo, primus cœnobii Bonæ-Spei in Hannonia prope Binchium oppidum, ut videre datur in mox assignatis notis. Observa denique ista obiter de tempore Capituli jam dicti: « Ordinavit ac præcepit vir sanctus, ut ex omnibus ecclesiis, quæ vel in vita sua, vel post obitum institutionis ac regulæ suæ normam sequerentur, universi abbates ac præpositi singulis annis in festo S. Dionysii ad Præmonstratensem ecclesiam. . . convenirent, simulque congregati capitulum generale eodem loco celebrarent, » teste Joanne le Paige, in Bibliotheca Præmonstratensis ordinis, parte 1, lib. II, cap. 34, e quo hæc retuli.

100. « Porro hæc et similia, uti num. 8, concludit Manricus, similitudinis atque item amoris mutui vincula adeo utramque familiam devinxerunt, ut auctores antiqui de utraque, et vix de una loquantur, alia omissa. Audi Robertum, Sigeberti continuatorem: « His temporibus ordo canonicus Præmonstratensis, et monasticus Cisterciensis, quasi duæ olivæ in conspectu Domini, pietatis lumen et devotionis pinguedinem mundo ministrabant, et quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, » etc. Audiatur etiam Laurentius de Leodio in Historia episcoporum Virdunensium, qui tomo XII, Spicilegii Acheriani, editionis prioris, pag. 325, posterioris autem tomo II, pag. 255, utrumque ordinem conjungens charitate, meritis, et laudibus: « Subsecuta sunt, inquit, deinde illa duo cherubim expandentia alas suas in medio Ecclesiæ, et versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia, id est, duo præclarissimi ordines devotione sua Ecclesiam protegentes, et conversis ad Deum cordibus se mutua charitate æmulantes, quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem, jam pene lapsum, ad primam Apostolicæ vitæ normam reparavit: alter merito et nomine a Deo Præmonstratus, duce Norberto Parthenopolitano archipræsule inceptus, ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas hos duos ordines esse de libro Apocalypsis duos prophetas circa finem mundi a Deo missos, et sacco pœnitentiæ amictos, duas olivas clementiæ cœlestis, divinæque duo candelabra gratiæ. Ita se in omnibus A cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant, etc. His de nobili et sancto amicorum pari, et de præclarissima utriusque familia tractatis, vocamur ad res Bernardinas, prout exigit instituti nostri finis, ulterius pro sequendas.

§ X. *Vacatio a negotiis compensata otio sancto; muscæ miraculo interfectæ; mira sermonis vis in conversione aliorum; apparitio de salute eorum, qui rite perseveraverint in ordine Cisterciensi; peccatores per miraculum a sancto Patre ad frugem adducti.*

Annum proxime sequentem 1121, auspicatur Manricus a sancto Bernardo, qui sejunctus a suis filiis, quo negotiis aliorum magis vacabat, eo magis a Deo illustrabatur tam per sapientiam cœlitus infusam, B quam per miracula. De utroque hoc divinæ erga virum munificentiæ charismate consule Guillelmum in Vita, lib. I, cap. 5. Et vero tempus, quo vacabat a negotiis, otio sancto compensabat. Nam, referente Alano, cap. 10, num. 32, col. 1248, apud Mabillonium, feriatus a labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Quænam vero per hæc tempora scripserit, narrat Manricus num. 6 et 7. Ad hæc, quæ refert idem Annalium Cisterciensium concinnator, cap. 3 et 4, de dissensionibus e frequenti monachorum nigrorum ad albos transitu, ac epistolis sancti Bernardi hac occasione exaratis, non video nostra interesse tanti, ut pluribus huc sint transcribenda; uti nec illustre C prodigium de muscis sancti verbo interfectis; cum illud exponat Guillelmus lib. I Vitæ, cap. 6, num. 58. At quid de sancti abbatis prædicationibus?

102. « Vigebat (utor verbis Manrici ad annum 1122, cap. 6.) Bernardi Patris zelus, et multos litteratos, multos nobiles, multos potentes de seculo trahebat. Quippe vix unquam Claramvallem aggrediebatur [*leg.* egrediebatur], quin agmen novitiorum secum reduceret, implendo apibus cœlesti illo alveari, unde examina nova in dies prodirent. Guillelmus Alanusque in Actis ipsius Catalaunensi capturæ (nam sic vocant, a piscatione nomine mutuato) Pariensem subjungunt, quam ideo suspicor contigisse circa hunc annum. (De fructuosa ipsius prædicatione agunt Guillelmus in Vita, lib. I, cap. 7, et Alanus, cap. 15.) D Cæterum Parisiensis, qualis fuerit, et qualiter conatus primum irritus, mox fructuosus, ac demum accessione facta superabundans, novitiis Claramvallem, angelos gaudio, et totam Galliam admiratione repleverit, auctor Exordii magni memoriæ prodidit, idque a Rainaldo tunc Bernardi socio, post Fusniaci abbate. . . veritatem edoctus, qui præsens fuit. » Rem narrat Exordium magnum a Tissierio vulgatum, distinctione 2, cap. 13: *Quadam præterea vice, cum vir Domini Bernardus, causa exigente, Parisius adisset, rogatu clericorum ingressus est de more scholas eorum. Quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, et subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito vero sermone, cum nemo ex eis converteretur, tristis*

Digitized by Google

egressus est, eo quod præter votum, ut præter solitum, id ei accidisset.

105. *Veniensque ad domum cujusdam archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, secessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cœpisset orare in spiritu vehementi, validissima compunctione totus in lacrymas resolutus est, ita ut gemitus et singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto, præfatus archidiaconus a sociis ejus inquirere cœpit, quænam esset tanti causa mœroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam abbas Fusniaci, nomine Renaldus, qui secretorum Famuli Dei magis conscius erat, et cujus etiam relatu istæ cognovimus, dixit ad eum : Homo iste mirabilis totus igne caritatis accensus, et totus in Deo absorptus, nil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, et eorum animas Christo acquirere. Et quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, et de conversione clericorum fructum verbi sui non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie in sua prædicatione non persensit respectum. Hinc ista procella gemituum ; hinc effusio lacrymarum : proinde nunc certissime spero, quod hodjernam sterilitatem crastinæ satisfactionis ubertas grandi fœnore compensabit.*

104. « *Mane itaque facto, cum scholas repetisset prædicator egregius, ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, et sacræ doctrinæ retia laxavit in capturam. Finito vero sermone, plurimi ex eisdem clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tanquam de marinis fluctibus extractos, et vehiculis conductis impositos, in salvatorium Claræ-vallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate cum comitatu suo, usque ad villam Sancti-Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane facto, cum eum recto itinere profecturum fratres illius existimarent, dixit : Redeundum est nobis omnimodis Parisius, quia sunt adhuc ibi aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde adducere, et adjungere huic ovili dominico, ut fiat unus grex, et unus pastor.*

105. « *Cum ergo cœpissent introire in civitatem, vidit clericos tres a longe in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos : Expedivit nos Dominus, jamque in via nostra proficiscemur. En, isti sunt clerici, propter quos venimus. Illi vero accedentes cum eum adesse cognoscerent, gavisi sunt gaudio magno, et dixerunt : O quam desideratus advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te : vix putabamus abeuntem consequi posse. Qui respondens dixit ad illos : Et ego noveram, dilectissimi ; propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. Adjunctis ergo cæteris supra memoratis, secuti sunt hominem sanctum, adhærentes ei, et sub disciplina, magisterii ejus spiritualem militiam exercentes cunctis diebus vitæ suæ.* » Hæc ibi longiuscula quidem, sed fideli narratione : unde lucescit mirabilis in sancto Patre dicendi vis, qua juniorum hominum corda, ad instar sacri magnetis, fortiter et suaviter attrahebat, ut jugum Domini portarent ab adolescentia sua. Porro accidit etiam, ut « Sanctus in his actionibus (sic pergit Manricus num. 6) non præmeditato sermone, sed subitaneo (inspirato *utique* a Deo) atque ex ipsis scholarum materiis quamvis minutis, occasione accepta, philosophiam christianam prædicaret, » ex Vincentio Bellovacensi, quem citat in Speculo morali, lib. II, p. 2, dist. 6. Textus vero, qui ibidem ab ipso producitur, vel eodem, quem citabam, num. 6, vel in ipso potius fonte videri potest ; cum superiora sint satis longa ; et longissima in rebus sancti doctoris illustrandis supersit nobis via.

106. Hinc itaque cum Manrico delabimur ad annum Christi 1123, quo multa et mira de viro sancto at nobis referenda suppeditat. Ibidem cap. 2, num. 1 hoc exemplum recitat ex Cæsario homilia 8, post Epiphaniam : « Tempore quodam cum S. Bernardus abbas Claræ-vallis, adhuc adolescens, ad missam staret, et quædam illic negligentia circa ministerium altaris contigisset, quædam reverenda persona illi tristi vultu apparens, ait : Si scirent monachi, quantum sanctos angelos, qui hic præsentes sunt, contristarent, cum in hoc sacro ministerio tepidi sunt et negligentes, et quantum illos lætificarent, quando illos devotos vident atque ferventes, cautiores efficerentur. Quem cum interrogaret vir beatus de statu monachorum, respondit ille : Omnes, qui in ordine Cisterciensi perseveraverint, salvi erunt. » Hæc e Cæsario ibi ad dictum annum num. 1 ; sive ad eumdem annum, sive ad anteriores, cum sanctus vocetur abbas adhuc adolescens, referenda sint. Porro cujusmodi fuerit ista negligentia, quænam persona sancto Patri spectabilis apparuerit, prædictio item illa quibus verbis extensius declarata, subdit Manricus num. 2 ex Exordio Cisterciensi lib. II, cap. 1, cujus auctoritate confirmantur supra dicta Subdo textum ex impressione Tissieriana distinct. 2, cap. 1 Exordii magni :

107. *Accidit aliquando in Claravalle, dum missa in conventu celebraretur, eodem venerabili Patre præsente, ut, lecto Evangelio, sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset : quæ, cum aliquantulum diutius exspectaretur, conventus interim versis vultibus ad orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallo (id. est sedes in choro ecclesiæ) quo ante gradum presbyterii staret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit, et stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cœpit. Quem famulus Dei videns agnovit, et quare caput contra se agitaret, quæsivit. Cui ille : O si sciretis, quantos et quales socios haberetis in cœlis, profecto caveretis vobis ab omni negligentia. Quod verbum sanctus gratanter audiens, respondit : Verene putas, quod omnes, qui in hoc monasterio sunt, fratres, salvabuntur ? Etiam, inquit, salvabuntur : et non solum ipsi, sed et omnes qui in ordine nostro obedienter et humiliter fuerint conversati, salvabuntur. Recordatus vero pius*

Digitized by Google

Pater cujusdam fratris, quem pro negligentia et duritia cordis sui frequentius corripi oportebat, et ob hoc super eo multum contristabatur, subintulit dicens: Nunquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? Respondit: Nec ipsi deerit misericordia Dei. Quo audito, vir sanctus vehementer gavisus est, et tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodivit vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat. Hæc ibi

168. Alia quædam subjungit Manricus; sed antequam nos ea referamus, juvat hic expendere, quæ habet num. 5, et sequentibus de æternæ felicitatis eorum omnium, qui in ordine perseveraverint, vaticinio. « Cæterum, ait, quod ad promissionem attinet salutis omnium, qui in ordine permanserint; similem plane aliam accipiat lector, sanctissimo cuidam monacho (dubium an Claræ-vallis) Gerardo nomine, in extremis agenti, de cœlo factam, Bernardo Patre vivente et attestante: si tamen ejus est libellus ille, qui sub titulo Doctrinæ beati Bernardi inter opera ipsius circumfertur. Ex illo autem memorantur a Manrico sequentia: Insuper paratus sis ad obediendum alacri animo et vultu. Cogita monachum illum, Gerardum nomine, qui cum de Dei misericordia ultra modum desperaret, infirmatus ad mortem, jacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu: et visitatus ab abbate, oculis apertis ait: Bona est obedientia: ad tribunal Christi fui, animas sanctorum vidi, ipsumque facie ad faciem dicentem mihi: Ecce locus tuus inter fratres tuos Nullus tui ordinis peribit, si ordinem amaverit, aut in morte purgabitur, aut brevi post mortem. Salvi autem qui de ordine tuo sunt, aut in ordine apostolorum, aut martyrum, aut confessorum sortem accipient. Et hæc dicens, communione accepta, discessit. « Manricus, his citatis, Hactenus Bernardus, inquit, seu quicunque est auctor illius libelli, plane antiquus, talisque, qui pro Bernardo Patre haberi meruit. Opusculum illud, de cujus auctore dubitat Manricus, in editione operum S. Bernardi a Mabillonio vulgata habetur volumine II, tomo V, inter opera dubia et Bernardo perperam ascripta, col. 800, et sequentibus.

169. Sed ad vaticinium illud quod attinet; laudatus Annalista rem ita confirmat num. 6. « Simile quid sub abbate Pontio in Claravalle, et contigisse legimus, et suo loco inferius referemus, nempe ut in ore non solum duorum, sed trium testium verbum consistens, altius mentibus omnium imprimeretur. Simile, inquam, ut credo, sed non idem. Nam neque gestum sub Pontio retulisset Bernardus, qui obiit ante ejus præfecturam; et, ut dicamus, non Bernardi opus, sed alterius junioris ex Claravalle. At subjectorum adhuc differentiam arguere videtur distinctio nominum: quippe alter Gerardus vocabatur, ut jam vidimus; alter Bernardus, ut ex magno exordio infra etiam videbimus. » Consule tomum II, Annalium Cisterciensium ad annum 1167, cap. 6, num. 2, et sequentibus, ubi illud factum narratur; uti etiam apud Bertrandum Tissierium in bibliotheca Patrum cisterciensium tomo I, distinctione 2 Exordii magni, cap. 26.

170. Denique idem Annalium auctor hoc argumentum explicat cap. 2, num. 7, ad dictum annum 1123. « Interim adnoto, inquit, has promissiones, et si quæ sunt similes, nostrorum animos ita in spem erigere, ut nihil prorsus possint præsumptionis, nihil securitatis illis afferre; si observantibus, easdem recepturis ex firmiori evangelico sermone; si transgressoribus, jam factis extra ordinem, atque adeo extra spem præmii repromissi. Audi Cæsarium de hoc ita loquentem homilia 8 post Epiphaniam: « *Non nos hæc verba, fratres, seducant. Si aliqui essent inter nos, quod absit! fures, proprietarii, conspiratores, eisque consimiles, tales de ordine non sunt; quia ejusmodi ordo excommunicat. Qui autem non communicat, alienus est.* » Ita Cæsarius. Quod clarius Exordium dicit, saltem facilius, dum non quibusque in ordine manentibus, sed si humiliter et obedienter conversantur, futuræ gloriæ præmium repromisit. Observantibus ergo sanctam regulam, adeoque et Evangelium, facta promissio, transgressoribus in nullo est favorabilis. » Hæc ibi. Prius vero quam hinc alio transeam, obiter monuisse lectorem meum juverit, miras prorsus esse prædictiones, quæ narrantur de morientibus in societate Jesu; prout videre datur in gloria posthuma S. Ignatii, ejusdem fundatoris, tomo VII Julii, ad diem 31 ejusdem mensis, pag. 851 et sequente.

171. En tibi nunc, lector, quæ Manricus præmiserat num. 3 et 4 de peccatoribus a sancto Patre per miracula ad pœnitentiam adductis. Exemplum ibi de fratre, quem a sumenda sacra synaxi suspenderat; quique respectu humano victus, Eucharistiam una cum aliis sumpserat; sed sacram hostiam deglutire non poterat, donec pœnitentem absolvisset Pater sanctus, narrat Guillelmus lib. 1 Vitæ, cap. 6, num. 57. Quid memorem aliud exemplum mirabile pariter et intellectu difficile Manrico, qui num. 4, jam citato, « non virtutis, sed doni opus, atque internæ motionis specialissimæ, nec non admirandum potius vocat, quam imitandum. Rem gestam narro in fide Exordii magni Cisterciensis, in qua illa exstat his verbis: *Quidam monachus hujus sancti Patris per fallacias dæmonum, et per proprii sensus simplicitatem, in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret, panem et vinum aqua mixtum, quæ proponuntur in altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum corpus et sanguinem Christi. Quapropter eadem vivifica sacramenta, tanquam nil profutura sibi, sumere despiciebat. Notatus denique a fratribus, quod sacramentis altaris, non participaret, convenitur secreto a senioribus suis.*

172. « *Requisitus causam, non negat; dicit se sacramentis nequaquam fidem adhibere. Quibus dum docentibus et monentibus non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet, ad venerabilem abbatem res delata est. Cumque vocatus venisset, et abbas sanctus, secundum da-*

Digitized by Google

tam sibi sapientiam, infidelitatem illius computaret, ille respondit : Ego nullis assertionibus ad hoc potero induci, ut panem et vinum, quæ in altari proponuntur, credam verum esse corpus et sanguinem Christi ; et propterea scio me in infernum descensurum. Quod audiens vir Dei, sicuti semper rebus in arcto sitis mirabilem solebat auctoritatem ostendere, dixit : Quid ? monachus meus in infernum descendet ? Absit. Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, communica fide mea. O pium Patrem ! O vere sapientem medicum gratiarum per unctionem gratiæ docentem se de omnibus, qualiter infirmantium tentationibus mederi deberet. Non dixit : Fuge, hæreticæ, vade damnate, recede perdite ; sed confidenter dixit : Vade, communica fide mea, credens indubitanter, parvulum suum, quem sacri desiderii vulva parturiebat, donec Christus in eo formaretur, sicut nequaquam a visceribus charitatis suæ, sic nec a fundamento fidei suæ alienum existere. Constrictus itaque virtute obedientiæ monachus penitus sine fide, ut sibi videbatur, ad altare accessit, communicavit, et per virtutem obedientiæ, sanctique Patris merita confestim illuminatus fidem sacramentorum recepit : quam etiam intemeratam usque in diem mortis suæ conservavit. Hæc apud Tissierium in Exordio magno, distinctione 2, cap. 6. Quæ autem in eis prima fronte videri possunt difficilia esse intellectu, Tissierius exponens in notis, quæ habentur ad finem tomi primi bibliothecæ Patrum Cisterciensium, « Monachus, inquit, de quo hic sermo, fuit scrupulo et involuntaria incertitudine vexatus : alioquin non jussisset eum sanctus communicare, nec se dixisset monachus scire, se in infernum, eo quod non crederet, descensurum. » Fallimur, si hisce non acquieturus est lector, qui rem omnem cum suis adjunctis mature expenderit.

§ XI. *Repentina quorumdam militum conversio; vinea sterilis fœcundata; alia, quæ de hac vinea circumferuntur ; mutua inter Claravallenses ac Carthusianos necessitudo ; sanctus Præmonstratensibus beneficus.*

« Per idem tempus, nam incertus adhuc annus, et sunt qui differant nimium, sed immerito, et nobilioribus Galliæ non pauci proceres, dum militarem gloriam per orbem ambiunt, facientes sibi pericula hostesque ; neque vindictam quærentes, sed offensam in Claravalle auxere numerum fratrum, genus vitæ amplectentes, quod exhorrebant ; » uti scribit Manricus ad dictum annum 1125, cap. 3. num. 1, ex Guillelmo, quem vide infra lib. I Vitæ, cap. 6, num. 61, ubi nobilium illa cohors militum (uti appellat Guillelmus) mirabili metamorphosi repente convertitur. Sed mirabilia sunt, quæ laudatus Manricus ad eumdem annum cap. 4, num. 1, 2, et 3 commemorat de vinea Claravallensi ; « quam, inquit, per hoc tempus satam, ex historiæ ejus serie conjectamur. Sane sterilis primo, mox fecunda ; dein utrumque simul, semper portentum obedientiæ fuit. Hanc quidam frater, nomine Christophorus, externis rebus præfectus a sancto Patre, feriatis, si quæ erant, horis plantaverat, Bernardo inscio : quippe ad quem diximus, multa non deferri, ne animus illius a divinis ad terrena cum minori fructu descenderet. At Gerardus et Guido, Bernardi fratres, vinum nimias delicias arbitrantes, eoque dedecens monachorum austeram vitam, aversari opus, inficiari laborem, Christophorum ab incepto dissuadere quibus poterant modis insistebant. Ille e contra laborantes in agro fratres vix posse sine vino sustentari, et multos esse infirmos debilesque, quibus sumendum vel pro medicina : tum si nulli usui necessarium foret, facile vendi, atque ex pretio ejus emi plura alia, queis procul dubio domus indigebat... Atque hæ Guidoni rationes satis visæ, ne opus illud omnino condemnaret.

114. « Sed Gerardus, quo erat fervens zelo,... versus ad eum (satorem nempe ejusdem vineæ) prorupit in hæc verba : *Tu, frater, vineam planta, coleque; nunquam tamen de illa gustaturus, quam infructiferam semper experieris.* Res mira, et digna quæ versetur in ore omnium. Sata atque industrio labore exculta vinea, fertili solo et propitio sole et aere, sterilis nihilominus permansit per multos annos ; nec prius terra fructum ex illa protulit, quam satorem susciperet, atque ejus defuncti corpus in se haberet... Verum quæ in eadem vinea secuta sunt, duo alia prodigia proferamus. Mortuo satore, cum nec tunc fructificaret, Bernardum patrem monachi adiere, dubium an etiam Gerardo vita functo, et vineam eam sterilem maledictione viri illius sanctissimi in eo statu semper permansuram, si non per ipsum benediceretur, humiles et fideles renuntiarunt. Tunc Pater sanctus aquam in pelvim missam ad se adduci, et benedictam per vineam jussit spargi. Sparsa aqua, quasi rore de cœlo misso, germinavit plantatio, et ut sterilis Gerardo fratri olim, ex tunc opima Bernardo obtemperavit, et compensavit abundantia tarditatem, quo nec primum miraculum nocuisse, et secundum gloriosius appareret. Hæc ex anonymo Gallo lib. VII, cap. 7, quem Silva transtulit, auctore antiquo æque et digno fide. »

115. Factum illud minore cum ornatu, et majore cum simplicitate describitur a Joanne eremita in Vita S. Bernardi apud Mabillonium col. 1288 et sequente, num. 10 ; e quo, tanquam e genuino fonte, illud huc transcribo : « Monachus quidam, nomine Christianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus est Clarævallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido scilicet et Gerardus, et excommunicaverunt eam, dixeruntque ei : Frater Christiane, ubi est mens tua, et ubi cor tuum ? Quare non considerasti Scripturam dicentem : Quoniam vinum non est monachorum. At ille : Vos fratres spirituales estis, et vinum bibere non vultis : ego peccator sum, et volo bibere vinum. Tunc dixit Gerardus : Dico tibi, frater Christiane, non videbis fructum ejus. Post hæc verba reversi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit, et excoluit multis temporibus. Denique mortuus est, et non vidit

Digitized by Google

fructum ejus. Post multum vero temporis venit custos vineæ ad sanctum Bernardum, et dixit ei : Pater, vinea nostra anathema est, nec potest facere fructum. At ille : Quare, fili? Respondit : Fratres tui excommunicaverunt eam, et deinceps fructum non fecit. Ait illi : Affer mihi aquam in pelvi. At ille obtulit ei. Tunc vir sanctus fecit signum crucis, et sanctificavit aquam. Vade, inquit, fili, et aspirge per totam vineam. Recessit frater, et fecit juxta præceptum abbatis; et vinea crevit, et multiplicata est, ita ut videntes mirarentur. » Vides hic narrandi modum a superiore discrepantem, sed utrobique tamen eamdem rei gestæ substantiam.

116. Ad illud narrationis postremæ : Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido scilicet et Gerardus, et *excommunicaverunt eam*, scrupulus moveri potest, et re ipsa is objicitur in notis hic apud Mabillonium contra illam excommunicationem, a col. 1287, ubi hæc sunt : « Et tamen, ubi actum est de translatione Claræ-vallis veteris, Bernardo a fratribus expositum est, alium locum esse spatiosum *ad vineas* etc., teste Arnaldo in lib. II, num. 29; qui auctor item num. 48 tradit, monasterium S. Anastasii ad Aquassalvias Cisterciensibus ab Innocentio assignatum *cum agris et vineis*. Quanquam apud Cistercienses tunc rarus vini usus erat. Lege Gaufridum supra col. 1117, n. 2. » Sed scrupulum hunc conabimur eximere lectori.

117. Respondemus itaque ad Arnaldi locum primo, distinguendo personas. Nam, cum ibi non exprimantur nomina fratrum, cur ibidem necessario debeant intelligi Guido et Gerardus; et cur non possint intelligi duo alii fratres S. Bernardi, videlicet Andreas et Nivardus, qui tunc etiam vivebant? Nam apud Manricum, ad annum 1141, cap. 4, num. 2, Humbelinæ sorori ad mortem usque ægrotanti adfuisse narrantur cum sancto Patre, Guidone ac Gerardo jam vita functis. Respondemus secundo, distinguendo tempora. Fac enim ambos hosce tunc adfuisse, ac de vineis meminisse, quando agebatur de translatione Claræ-vallis veteris, de qua Manricus ad annum 1135, cap. 3; si inde retrocedas ad annum circiter 1123, quo excommunicatio vineæ superius accommodabatur, numerabis annos circiter 12, medios inter hanc et inter translationem illam; ita ut interea ex temporis mutatione facillime mutare potuerint priorem voluntatem vel ipsius sancti suasione, consensu, aut jussu, ut videlicet Cisterciensis seu Claravallensis familia, quæ mirifice accrescebat, ex proventibus vinearum annuis sustentari posset. « Quaquaversum enim Pater sanctus exibat, semen verbi Dei seminabat super omnes aquas, et vix nunquam [*leg.* unquam] absque fœnore spiritualis lucri redibat, implens cellam probationis multitudine novitiorum, quorum numerus aliquando usque ad centum extendebatur : ita ut ad horas divini officii novitiis chorum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ providebant; monachi foris stare cogerentur; » de qua re idem Annalista ad annum 1135, cap. 3, num. 2, ex auctore Exordii magni; cujus textum mox retuli ex editione Tissieriana, distinctione 2, cap. 12. Ex dictis facilis etiam patet responsio ad objectionem petitam ex monasterio S. Anastasii; de quo Manricus ad annum 1140, cap. 8.

118. Ast, ut hinc digressi ad vineam illam prodigiosam, redeamus, supersunt alia nonnulla, quæ de ea circumferuntur, teste Manrico ad annum 1123, cap. 4, num. 4, ubi sic fatur : » Addunt præterea seniores Claræ-vallis, traditione a patribus accepta, eamdem vineam post aliquorum annorum fertilitatem, turgentibus jam granis et pene maturis, grandine e cœlo tactam protritamque adeo, ut vix duos botros retinuerit qui possent in vindemiam reservari. Porro unum ex his datum prægnanti feminæ, appetenti, aut petenti quasi appeteret. Sed ex altero in ingenti vase ligneo, quod hodie perseverat, expresso Bernardi manibus, in tantum mustum crevisse modico tempore, ut redundante vase diffunderetur. Sic Villalpandus in suo Itinerario; qui vas vinarium inusitatæ magnitudinis se ibidem vidisse anno Christi 1599, ac senes traditioni facientes fidem adiisse testatur, illuc a reverendissimo Fiteriensi missum, antiquitates lustratum illius domus. Sic vinea illa nunquam non mirabilis, nunquam non obediens, nec minus sterilitate quam fructu semper illustris, usque in hunc etiam diem, post quingentos et eis amplius annos perseverat, nomine magnæ sortito ab spatio loci, vel ab eventibus. Atque hæc per anticipationem ex parte dicta, quod in his levibus consultius æstimamus. » Verum narrationis hujus tam prodigiosæ fides sit penes auctores.

119. Juvat hoc loco etiam non negligere singulare amoris vinculum, quo S. Bernardus ejusque familia cum ascetis Carthusianis, mutua familiaritatis necessitudine intercedente, constricti sunt. Quædam de hoc argumento innexa invenio huic, in quo versamur, anno 1123, cap. 3; quædam in proxime sequentem dilata. Dicamus hic priora. Ibidem itaque num. 4 et sequentibus auctor laudatus de hac re ita scribit : « Carthusienses monachos, non multo ante Cistercium mundo exortos (magnum Ecclesiæ jubar) sibi devinxit, ut minus nihil Carthusia illius esset quam Claravallis. Carthusianus hospitio ab eo susceptus, et propriis oculis hauriens, quæ fama prius, suis redditus, excitavit eorum animos, et jam olim affectos amantesque in externa etiam signa fecit erumpere. Ergo Guigo Carthusiæ magnæ prior, et fratres ejus, comperta sanctitate Patris filiorumque, et multitudine convenientium ad Claramvallem, venerari viros... et, erumpentibus flammis dilectionis, provocare silentes, et de bonis illorum gratulari, litteris ultro scriptis missisque, queis Bernardum ignotum licet adhuc ardentissimo affectu salutabant. »

120. Exstat viri sancti ad eos epistola responsoria, luculentissima mutui amoris testis, tenerrimi

Digitized by Google

utique erga illos affectus summæque venerationis characteribus respersa, estque inter epistolas undecima; sed, quoniam longa est, et ibi legi potest, hic nos eam non transcribimus. Innectitur autem anno circiter 1125 in editione Mabillonii. Exstat item epistola duodecima illis inscripta, ac priore brevior, in qua se excusat, quod plurimis negotiis præpeditus ad partes illas accesserit, et eos non viderit. Hæc absque temporis nota ponitur in eadem editione; sed apud Manricum aptatur anno 1127, et ibidem profertur cap. 2, num. 6. De itinere autem, quod alias sanctus Pater ad Carthusiam instituit, consuli potest Gaufridus lib III Vitæ, cap. 1, num. 155 editionis nostræ. De viri affectu erga alias ejusdem instituti domus ac ascetas, nec non erga S. Hugonem episcopum Gratianopolitanum, adiri potest annalista Cisterciensis ad annum 1123, cap. 3, num. 8 et 9.

121. Quantum vero idem beatissimus Pater Præmonstratensibus detulerit, ejusdemque ordinis propagationem promoverit, probat idem scriptor ex beneficiis seu obsequiis, ab ipso in eumdem collatis, quæ congerit in annum 1124, num. 7. His autem adde locum quemdam in foresta [*id est* silva], quæ dicitur Orta, a Ludovico Juniore datum interveniente domno Bernardo piæ memoriæ Claravallensi abbate, ut S. Mariani abbas Autissiodorensis agnoscit in epistola 282 apud Chesnium, quæ inter Historiæ Francorum scriptores habetur tomo IV, pag. 666. Sancti autem Mariani Autissiodorensis mentio fit in synopsi ecclesiarum seu cœnobiorum Præmonstratensis ordinis, apud Paigium in ejusdem ordinis Bibliotheca parte 1, lib. II, pag. 326. Tametsi autem superius § 9 actum sit de favoribus quibus sanctus Pater ordinem Præmonstratensem fuit prosecutus; ratio tamen temporis, cui hanc materiem affigit prædictus Manricus, me induxit, ut breviter ejusdem hic memoriam refricarem.

§ XII. *Defunctorum apparitiones; auxilia eisdem præstita; vaticinium de tirone furtive exituro; archiepiscopus ac populus Remensis reconciliati; reformati in Ecclesia Gallicana mali mores.*

Sanctum Bernardum multis ac miris cœli favoribus illustrem repræsentant iterum annales Cistercienses ad annum prædictum 1124, more suo solito, ac meritis beatissimi Patris digno, cujus utpote vitæ series continua fere miraculorum congeries fuit. Ibidem itaque cap. 2, num. 1 et 2, occurrit pretiosa mors Galdrici in Claravalle, qui carne quidem sancti avunculus, spiritu autem filius ejus ac discipulus exstitit. Felicem ipsius transitum ex hac mortali vita ad immortalem turbare conato generis humani hoste, astat morienti Princeps apostolorum, cacodæmonem fugat, animamque Galdrici e periculo eripit: qui post mortem suam Bernardo apparens in gloria, rem gestam eidem manifestavit, teste Guillelmo utriusque familiari, qui hoc factum describit fideli narratione lib. I Vitæ cap. 5, num. 52. « Cæterum, prout ibidem pergit Manricus num. 3, quod attinet ad filiorum decedentium, absentium, præsentiumve prævias vel subsecutas apparitiones, adeo frequentes tradit idem auctor (Guillelmus) ut ægre valeant scriptis commendari. Audiatur loco citato num. 53: Longum esset cuncta narrare, quæ super his, qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate, seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. » Quid, quod vir mirabilis præsentia et absentia, præsensque sæculum ac futurum, per utriusque, ut ita dicam, limen gradiens, pari cum facilitate, et sine ullo discrimine, inspirante Spiritu divino, nosceret, ac suis filiis tam in vita quam in morte paterne provideret. Consule Guillelmum lib. I Vitæ, cap. 7, a num. 69, et cap. 5, num. 53.

123. Quemadmodum vero illos e flammis piacularibus, si quid forte ex hac vita in alteram detulissent humani pulveris, quo vel ipsæ sanctorum mentes sordescunt, vir potens apud Deum eripuerit, probat factum, quod legi potest apud Guillelmum lib. I Vitæ, cap. 5, num. 53. Sed gratiam hanc omnino singularem a sancto Patre in filios derivatam esse, qui apparitionum hujusmodi visu illustrati, sicut pœnarum erant conscii, ita etiam ad placandam divinam justitiam impense incubuerunt, votorum suorum simul facti compotes, et liberationis participes purgantibus animabus a se procuratæ; gratiam, inquam, hanc a Patre in filios derivatam esse, eruimus ex scriptore Exordii magni, distinctione 2, cap. 2.

Defunctus est quadam vice conversus quidam in Claravalle. Cumque, concurrentibus fratribus, commendationis officium ex more fieret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per centurias suas incedentium, cum magni strepitus vociferatione clamare et dicere: Eia modo bene, eia modo bene: solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. Cum vero idem senior per noctis quietem sopori membra dedisset, frater defunctus ei in visu apparuit, tristi et lugubri vultu dicens ad eum: Quia audisti heri dæmones, de meis suppliciis exsultantes, veni et vide, quam terribili tormento, Dei omnipotentis justo judicio, traditus sum. Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis, et horrendæ profunditatis, et dixit ei: Ecce, in hunc puteum frequenter a dæmonibus injicior, quorum tanta est crudelitas, ut, si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quam semel a dæmonibus hic immergi.

124. « *Mane autem facto, dum, quæ audierat et viderat præfatus senior, beato Patri Bernardo retulisset, licet quoque et ipse ea per spiritum cognovisset, ingemuit, et ait: Scio, quia nisi gravis causa existeret, nunquam dæmones talem ausum præsumpsissent. Itaque capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti fratris exponit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens monebat, ut cautius in via sanctæ religionis ambularent: multam esse malitiam dæmonum erga*

Digitized by Google

omnes Christianos, tum præcipue contra monasticæ religionis professores affirmans. Post hæc animæ fratris in suppliciis constitutæ subvenire eos attentius monens, psalmis et orationibus, missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatus : si forte pius pater pulsatus precibus eorum, per singularis hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, et ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare.

125. « *Quod cum fratres devotissime facerent, paucis evolutis diebus, idem frater defunctus supradicto seniori iterato apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente vero sene quomodo se haberet, respondit : Deo gratias, bene. Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait : Veni, et vide. Et continuo introduxit eum in oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria sacerdotes cum ministris stabant, salutaris hostiæ immolationem summa cum devotione celebrantes. Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum : hæc est virtus misericordiæ Dei, quæ invincibilis permanet : hæc est hostia illa singularis, quæ totius mundi peccata tollit; et vere dico tibi, quia his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic hostiæ salutari non est quidquam quod resistere valeat, nisi cor impœnitens. Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppido gavisus est : modum quoque visionis ejusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem hostiæ salutaris reddidit, quanto certius ejus efficaciam in fratris ereptione meruerat experiri.* » Conjicit autem historiam istam in annum Christi 1124 auctor annalium Cisterciensium occasione apparitionis Galdrici dicta, quæ « ut peccatores a vitiis deterrere, sic pœnitentes valent consolari, quibus talia remedia Deus providit. Ergo quia utilia, quia plane singularia, quia eamdem apparitionum materiam, sed ignoto adhuc anno, concernentia, boni consulat lector; » uti monet ibidem cap. 2, in fine.

126. Scriptor idem hinc ad annum 1124, reversus, cap. 3, num. 7, et 8, commemorat vaticinium sancti Patris de novitio furtive exituro, quod horrendo juxta ac mirabili modo contexit e sæpissime jam citato Exordio. Tragica hæc historia sic narratur apud Tissierium distinctione 3, cap. 20. *Senex quidam, Achardus nomine, nobilis genere, sed conversationis dignitate nobilior, novitiorum curam in Clæravalle gerebat : vir potens in verbo ædificationis et consolationis : qui etiam in juventutis suæ robore, jubente simul et mittente beato Bernardo abbate suo, plurimorum cœnobiorum initiator et exstructor devotus exstiterat. Hic jam veteranus, et emeritæ militiæ senex instituendis tyronibus deputatus, officium suum strenue adimplebat : et ex iis, quæ longo usu didicerat, rudes adhuc mentes contra triplicem funiculum, carnis, mundi, et diaboli, qui difficile rumpitur, quotidianis exhortationibus informabat : exemplis etiam, tam veteribus, quam recentioribus, adversus vitia cautiores reddebat : unde et nos aliqua, sicut ex ipsius ore audivimus, perstringemus. Cum adhuc novitius esset idem Achardus, venerabilis abbas Bernardus quadam die intravit ad consolandum novitios suos, sicut frequenter facere solebat. Terminato autem sermone, prædictum Achardum cum aliis duobus novitiis traxit in partem, et præmonuit eos, in spiritu prophetico ita loquens : Futurum est, inquit, ut novitius ille, designavit autem unum ex nomine, ante diem crastinum furtive recedat. Vos itaque vigilate, et estote parati, et fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser a nobis exit, quia non erat ex nobis, spolia tamen, quia nostra sunt, tenebitis vobis. Quo audito, mirati sunt illi, et cum silentio præstolati exitum rei. Profunda vero nocte duo ex illis cum fugitivum in lecto firmiter dormientem aspicerent, tunc et ipsi dormire cœperunt : erant enim oculi eorum gravati, illudente utique eis spiritu erroris. Verumtamen Achardus, quia certissime credidit verbum, a sancto Patre prolatum, haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Nunc enim frontem, nunc tempora fricando, modo pilos capitis et barbæ vellicando, modo manus et faciem lotitans, nunc de loco ad locum deambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, evicit.*

127. « *Cumque prope esset, ut signum ad vigilias pulsaretur, ecce duo quasi gigantæi Æthiopes, nigerrimis cappis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is vero, qui præcedebat, gallinam assatam in spito [id est veru] portabat. Porro in ipso veru coluber ingens per caput et caudam infixus erat, qui eamdem gallinam hinc inde cingebat. Cum tali itaque ferculo accedunt ad lectum falsi novitii, et gallinam fumantem naribus et manibus dormientis applicant. Quo statim expergefacto, dæmones egrediuntur, et quod intus in corde ejus invisibiliter actitarent, horrendo hoc visibili signo demonstrarunt. Cumque evigilasset miser ille, non sicut Jacob de somno contemplationis, sed sicut apostata vilis de somno deceptionis, continuo surrexit, et vestimentis onustus post dæmones exiit, veniensque ad ostium armarii, quod erat in claustro, machinamentis suis mollebatur firmaturam effringere, ac secum tollere libros. Porro prædictus Achardus celerrime socios excitat, et prophetatam apostatæ fugam signis et nutibus insinuat. Itaque recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ubi persensit, ille malignus illico datis saltibus evolat, et præcipiti cursu per ostia pomerii ruens, murorum tandem septis retinetur atque reducitur. Die autem facto, cum malorum impœnitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem, ut abiret in locum suum. Eadem vero die arreptus a diabolo dementiam incurrit, et usque ad mortem furere non cessavit.*

128. Terribili huic pseudotironis miserrime castigati exemplo subjungimus lætius, et ad sancti gloriam prorsus insigne, quod sic proponit Annalium

Digitized by Google

Cisterciensium scriptor Manricus ad annum eumdem 1124, cap. 4, num. 1 : « Sub idem tempus archiepiscopo Remensi discordante cum populo, et neutro alteri cedere acquiescente, cum multi alii pacem procurassent, solus Bernardus in Gallia visus est qui tantum opus posset consummare : quippe potens sermone simul et opere, dum, quæ dicebat, signis confirmabat, confundebantur non parere homines, cui creaturæ etiam irrationales, cui vel dæmones ipsi obtemperabant. Cæcus, surdus et mutus sensibus redditus atque a dæmone simul liberatus, prætulit obedientiæ palmam utrisque partibus. » Illustre hoc miraculum habetur apud Guillelmum lib. 1 Vitæ, cap. 7, num. 73, ubi lego quidem illud accidisse tum temporis, quando contigit... ad conciliandos eos, archiepiscopum nempe ac populum Remensem, adesse virum Dei; item cum in palatio ejusdem civitatis.., de pace tractaretur; sed pacem tunc ex isto Bernardi miraculo, quod ibidem loci, magna cleri plebisque frequentia repleta domo.., coram omnibus indicatur accidisse, subsecutam non lego in dicto capite; sed videtur tamen vel non imprudenter supponi posse, vel credi, quod laudatus biographus implicite hoc subintelligendum reliquerit, quando contigisse... ad conciliandos eos adesse virum Dei, præmiserat; virum enim Dei tot tantisque gratiæ ac naturæ dotibus, nec non summa apud homines auctoritate, miraque eorum animos flectendi facultate præditum adfuisse ad conciliandam concordiam, quid videtur esse aliud, quam vere tunc illam ab eo conciliatam fuisse, patrato præsertim tunc temporis miraculo, de quo dicebam? Credibile etiam est multos alios pacem illam procurasse, sed irrito conatu, sicut referebat Manricus; Guillelmus tamen loco citato id non habet.

129. Ad memoratum etiam annum refert idem historicus Cisterciensis laborem ac fructum S. Bernardi, aliorumque Cisterciensium in reformanda Ecclesia Gallicana. « Cum prælati ecclesiastici, ait num. 3, per Galliam modestiæ habenas aliquatenus laxarent, ac sæculari et paululum profana conversatione apostolicam vitam minus redderent, Stephanus et Hugo, Bernardusque ac Joannes cum cæteris selectis Cistercii Patribus verbo et exemplo cœperunt laborare, ut... ad fructuosiorem conversandi normam reducerentur... Porro quantum labore suo profecerint, Senonensis metropolis episcopi, atque ipse etiam Senonensis metropolita, quin et Sugerius S. Dionysii abbas, totusque ejus conventus testes existunt. » Eminentissimus Baronius ad annum Christi 1127, de hac re sic loquitur num. 13, editionis anni 1629. « Profecerant siquidem episcopi provinciæ Senonensis Cisterciensium monachorum exemplo, atque verbis litterisque sancti Bernardi, præcipue vero, quem diximus, Parisiensis episcopus, atque Parisiensis abbas Sancti-Dionysii Sugerius, qui monasterium illud, monastica penitus disciplina solutum, fibula regularis observantiæ arcte constrinxerat, quo nomine ipsi sanctus Bernardus congaudens,, gratulatoriam ad eum dedit epistolam, « quæ est septuagesima octava, apud Mabillonium recusa col, 77 et sequentibus, ubi eadem innectitur etiam anno Christi 1127. Ratio itaque temporis ista non convenit cum Manriciana. Ad initium autem epistolæ citatæ « Exiit sermo, notantur illa, nempe de ejus, id est Sugerii, conversione, haud dubie Bernardi monitis concepta sub annum 1127, tametsi monasterii S. Dionysii reformatio per Sugerium anno 1123, forsan anticipato refertur in Chronico Nangiano. »

130. De metropolita autem Senonensi hæc subdit Baronius ad annum paulo ante designatum : « Quod vero etiam et ipse metropolitanus Senonensis archiepiscopus Henricus æque admonitus litteris sancti Bernardi, et quidem prolixioribus, ad meliorem frugem conversus, ea, quæ essent optimi pastoris munera, diligenter expleret; eadem ex causa ejusdem principis (Ludovici videlicet Galliarum regis) indignationem incurrit, nec quidem mediocrem, sed plane eam, cujus causa eidem S. Bernardo cum reliquis abbatibus rursus scribendum fuerit eidem Honorio papæ atque cancellario cardinali, et plane exclamandum, quod ob vitam optime institutam persecutionem paterentur episcopi, » etc. Quænam vero fuerit reformatio ista, regi Christianissimo adeo ingrata, videri ibidem potest. De episcopo Parisiensi, cujus supra incidit mentio, tractabimus cum historico Cisterciensi ad annum Christi 1127, interim cum eodem perrecturi ad annum Christi 1125, et proxime sequentem.

§ XIII. *Annona multiplicata; fugatus dæmon; mulier ad vitam revocata; pluvia depulsa; pristina valetudo, Deipara patrocinante, Sancto reddita; refutatio erroris de proximo Antichristi adventu; communicatio litterarum cum aula Romana.*

Annus Christi 1125, apud historicum Cisterciensem cap. 3, num. 1, publicum illustris ac primæ notæ miraculo theatrum aperit. « Ingravescebat, ait, fames per totam Galliam atque utramque Burgundiam; neque annona ex Flandria illuc adducta, quantumvis ingens, sufficiebat alendis populis: cum deficientibus hominum subsidiis horrea Clarævallis, alias tenuia, Bernardi charitas et divina potentia multiplicarunt. » Quoniam vero prodigium illud describitur a Guillelmo lib. 1 Vitæ, cap. 5, sub finem, supervacaneum est, id hoc loco narrare. Nec vero paterna Sancti erga egenos misericordia concludi potuit intra domesticos parietes cœnobii Claravallensis, sed alio sese etiam diffudit; sicut patet ex epistola ad ducissam Burgundiæ, quæ est centesima vigesima prima, et habetur in editione Mabilloniana col. 127, quamque sic concludit misericors pauperum Pater : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; erogate vestrum frumentum pauperibus Christi, ut in æternum cum usura recipiatis. » Epistolam hanc sine nota anni ibidem excusam innectit Manricus anno prædicto 1125

Digitized by Google

132. Ibidem num. 3, subdit aliud miraculum, et rationem assignat, quare ad dictum annum illud memoret. Quia autem id legi potest apud Guillelmum mox assignatum, satis est rei argumentum ex Manrico hic exhibere. Sic habet : « Impetierat veneficiis virum uxoria fraus..., et cujus adultera torum maculaverat, quia semel læserat, implacabili odio prosequebatur. Cruciabat hominem dæmon implacabiliter. Sed vir Dei maleficia per orationes, ac dæmonem presentia corporis Christi dicto citius exstinxit ac fugavit. Id quia sub famis tempus, atque adeo hoc anno, contigisse Guillelmus narrat, » tunc illud ex ipso recitare se significat idem historicus Cisterciensis. Duo autem prodigia famis occasione a viro sancto perpetrata differt ad annum proximum 1126. Sed nos modo narratis ea hic annectemus ex Joanne eremita apud Mabillonium col. 1287, num. 6. « Fames in partibus Burgundiæ exorta est adeo valida, ut homines membra propria pene consumerent. Eadem vero necessitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Clarævallis devenit. Unde pro tanta multitudine sanctus abbas et fratres ejus inierunt consilium, et ex consulto duo millia acceperunt sub signaculo, quatenus et aliis eleemosyna daretur, sed minor. Non enim habebant substantiam, unde omnes sustentari possent usque ad messem : quam tamen pius Dominus sic multiplicavit, ut sufficeret eis post messem, trium scilicet mensium spatio. »

133. « Acceperunt itaque duo pueri signaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans, quid faceret, cogitavit tandem quasi puerum panis involutum formare de musco, ut hac arte se ab imminentis famis periculo redimeret, quod et fecit. Accepit itaque aliquandiu hoc modo eleemosynam, donec dolus denique deprehensus est. Qua imminuta, cum non sufficeret sibi quod accipiebat, postmodum tam famis angustia, quam morbo periclitans de medio facta est. Qua defuncta, sanctus abbas prætergradiens audivit pueros ejulantes pro morte matris suæ, et unumquemque ex itinerantibus causam planctus inquirere jussit. Pueri vero ordinem rei exposuerunt. Quo audito, Vir beatus locum subiens, in quo corpus jacebat, ad orationem se prostravit. Quo orante, mulier tanquam a sommo expergefacta, cunctis videntibus et audientibus, qui præsentes astabant, vitæ reddita est, gratias agens Deo et Sancto suo, cujus meritis et precibus ad vitam redierat, prænuntians etiam, quanta tormenta pro culpa sua sustinuisset. » En tibi aliud miraculum, occasione et gratia egenorum factum, quod ibidem num. 7, sequitur : « Quadam die distribuebatur pauperibus in latere montis eleemosyna, pluvia ingruente ; ubi forte sanctus Dei assistens, manu elevata signum crucis opposuit. Quo facto, visa est pluvia a dextris et a sinistris inopinatum sui ipsius pati discidium, ita ut nec gutta quidem tangeret eos. »

134. Redeamus cum Manrico ad annum Christi 1125, tantisper a nobis intermissum : ubi cap. 3, num. 4 et 5, sermo est de infirma Sancti valetudine, visionibus, ac pristina sanitate obtenta per Virginis Deiparæ, ac SS. Laurentii et Benedicti visitationem, piissimumque attactum. Factum perhibet Guillelmus abbas lib. 1, cap. 6, num. 63, testis omni exceptione major. Prædictæ infirmitatis meminit sanctus Doctor in epistola 37, ad Theobaldum comitem Campaniæ (de qua re notas ad istam epistolam vide apud Mabillonium) quando his verbis ad illum scribit : « Quod de nostra infirmitate vos audivi fuisse sollicitum, non mediocriter gratum habeo. In hoc quippe dum vestram erga me agnosco dignationem, » etc. Epistola illa apud memoratum Mabillonium innectitur anno Christi 1128, unde consequens videtur, ut, si hæc temporis notatio subsistat, serius aliquanto differenda sit adversa, de qua dicebam, Viri beati valetudo, atque ad annum circiter 1127, removenda. Consuli tamen possunt, quæ conjectat Manricus loco citato, num. 8, de tempore istius infirmitatis.

135. Idem auctor ad annum 1126, progressus, cap. 3, num. 1, scribit de errore, quo credebatur, non longe abesse Antichristi adventum tunc temporis ; opponente se eidem sancto abbate. « Sparsus, ait, interea rumor inter fideles de Antichristi adventu jam imminente creduli vulgi mentes occupabat ; et, quod mireris, auctoribus non dubiis, neque vulgaribus ; sed gravissimis sanctissimisque, et inter alios Norberto, rem quasi de cœlo acceptam asseverante. Verum oraculo cum Bernardo patre collato, discussoque temperavit sententiam. Unde et rumor disjectus Bernardi opera. » Huc spectant, quæ in epistola 56, ejusdem sancti Patris ad Gaufridum Carnotensen episcopum, referuntur : « Verum de Antichristo cum inquirerem, quid sentiret (Norbertus) durante adhuc ea, quæ nunc est, generatione revelandum illum esse, se certissime scire protestatus est. At cum eamdem certitudinem unde haberet sciscitanti mihi exponere vellet ; audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. » De rumore autem tunc temporis sparso super dicto Antichristi adventu hæc narrat Baronius ad annum 1106, num. 27, editionis anni 1629. « Quod pertinet ad Antichristum, fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichristum hoc fore sæculo revelandum, et inter alios Norberti, viri temporis hujus fama celeberrimi ; de quo ista S. Bernardus ad Gaufridum Carnotensem episcopum : » e quibus ea, quæ huc faciunt, modo dedimus. Et laudatus Baronius ibidem, « Hæc, inquit, sanctus Bernardus de oraculo : quod in illud relabi est usitatum, quod cum sæpe sancti viri prænovissent ingentes futuras persecutiones Ecclesiæ, putarint rerum magnitudine ipsa affore Antichristi tempora. »

Digitized by Google

136 Annalium Cisterciensium auctor num. 2, de S. Norberti oraculo, circa illam persecutionem pronuntiato ita statuit : « Licet autem Baronius non expresserit, quænam ingens Ecclesiæ persecutio innotuerit per revelationem S. Norberto, facile est conjectari eam fuisse, quam sub Innocentio II passa est a Petro Leone [imo Leonis] pertinacissimo antipapa, inceptam circa annum salutis 1130, adeoque quatuor ante S. Norberti obitum, et per decennium ferme continuatam. Sic et Bernardi Patris doctrinam solidam, et Norberti non falsam prophetiam, atque utrumque divinitus instructum ipsi etiam eventus comprobarunt. » Nec vero defuisse, qui, capta ex hoc rumore ansa, Christi imo et Antichristi nomen affectarent, argumento sunt illa, quæ in medium producit idem Annalium Cisterciensium auctor n. 3, ubi etiam observat futurum fuisse ut pullulassent sine dubio plures, si non Bernardus firmius obstitisset, opponens se rumori, qui prævaluerat. » Sed quandoquidem in pervagatum illum juxta ac maxime noxium tunc temporis de propinquo Antichristi adventu sermonem incidimus, non videmur abs re facturi, si in eruditi ac curiosi lectoris gratiam subjiciamus hic sequentes observationes, propterea quod ad argumentum præsens sunt accommodatæ admodum, tametsi jam pridem typis vulgatæ.

137. In editione Operum S. Bernardi, accurante Mabillonio publici juris facta, volumine I, col. 13 et sequentibus exstant cum ejusdem eruditissimi Mabillonii, tum Horstii, de Sancti operibus a se in lucem datis celeberrimi, notæ fusiores in dicta opera, columna vero 23, apud Mabillonium jamjam citatum occasione epistolæ sancti Doctoris quinquagesimæ sextæ, ad Gaufridum Carnotensem episcopum datæ, varia observantur prolixe quidem, sed erudite ex Horstio laudato : « Non Norberto solum, sed multis antiquiorum Patrum (ut de recentioribus taceam) persuasum subinde fuit, præ foribus Antichristum, et extremum mundi diem adesse; uti videre est apud Hieron. Leonem papam, Gregorium Magnum et ipsum S. August. Nempe ex temporum iniquitate, et signis mundi finem præcessuris, a Christo prædictis, quorum pleraque jam tum apparebant, id sibi haud vane colligere visi sunt. Et, ut rem paulo altius repetamus, jam inde ab Apostolorum temporibus varia semper fuerunt multorum de Antichristo et fine mundi judicia, conjecturæ, opiniones, vaticinia. Philosophi plerique et astronomi, complures etiam impostores, ludiones et nugivenduli; hæretici item fanatici quidam hic vates esse, et ultra cæteros mortalium sapere videri voluerunt : sed quorum vaticinia pleraque jam elusit eventus, et vates istos vanitatis et falsitatis convicit. Reliqua haud dubie, quæ futurum tempus etiamnum respiciunt, similiter sequens eludet ætas; ut pateat quam vere dictum sit : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Item : *De die autem illa nemo scit.* Non erit injucundum lectori, si A ex plurimis paucorum exempla referamus. » Verum ne eorum narratio longius, quam par est, nos abducat a præsenti instituto, lectorem eo mittimus.

138 « Hæc (ita pergit Horstius col. 24) occasione memorati de Antichristo vaticinii commemorare visum est, non tamen in sugillationem Norberti, viri sanctissimi, quem alias *fistulam cælestem* Bernardus appellat. Nec enim solus ipse, sed et plures sanctorum Patrum finem mundi suo tempore haud procul abesse opinati aut ominati sunt; quorum catalogus ibidem contexitur. Sed adverte, longe diversa ratione viros sanctos de fine mundi loculos, quam quos supra meminimus (astronomos). Illi enim vel ex observatione siderum et planetarum B (quæ fere in aliis prædictionibus, sed in hac maxime, nimis fallax est) vel ex quibusdam Scripturæ sententiis in falsum sensum detortis, vel sola mentiendi et fallendi libidine, vel studio popularis auræ et venerationis, hujusmodi commenta sparserunt. At sancti viri horrore scelerum et malorum, quæ passim toto orbe inundabant, vix ultra posse mundum consistere putabant, nec aliud superesse, quam ut propediem, mole criminum et iniquitatum impellente, fatisceret, ira scilicet Dei terminum orbi constitutum prævertente. » Hæc sit satis, ex Horstio circa Antichristi adventum delibasse : qui plura de eodem voluerit, ipsum consulat. Nos itaque, hac digressione relicta, interruptum tantisper C de rebus S. Bernardi filum pertexere pergamus cum historico Cisterciensi.

139. « Sanctum Virum, ait num. 4 fama in dies celebrior, et poli et foris principum favoribus, favores populis passim exposuere, quæcunque optabant per eum consecuturis. Et qui hactenus Gallis tantum notus, Romanæ curiæ ex tunc jam innotescens, apud pontificem, apud cardinales opportunus mediator assumebatur, pro ecclesiis, pro personis intercessurus : res probatur e variis Sancti epistolis tanquam totidem testibus summæ ejus apud viros summos auctoritatis. Exstat ipsius epistola 13, ad Honorium papam, qua Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit. De isto autem Alberico consuli possunt D notæ apud Mabillonium volumine primo col. 33, ubi dicta epistola affigitur anno Christi, in quo nunc versamur etiam nos, 1126, contra ac Baronius censuit : de quo sic scribit Manricus num. 6 : « Cardinalis Baronius epistolam Bernardi, de qua supra, refert in annum millesimum centesimum vigesimum nonum, sicut et alias, quas statim adducemus; sed immerito; quippe hæc ex suppresso Bernardi nomine, imo ex ipso contextu prima ad Honorium scripta comprobatur; cui se tunc aut incognitum putabat, aut saltem notum non habebat, unde præsumeret. Et tamen exstant ante eum annum datæ litteræ ejusdem ad eumdem, quas ipsemet Baronius prius transcripserat, et nos latius reddemus suis temporibus. » An vero vir sanctus

Digitized by Google

voti sui pro Alberico in hac epistola expositi compos fuerit factus, vide apud eumdem Manricum num. 5, qui n. 7 agit de alia ad laudatum Honorium data, quæ est decima quarta, ejusdem exemplari præmittens ista :

140. « Non multo post ecclesia Divionensis sancti Benigni, antiquitate et religione omnibus clara, sed Bernardo adhuc clarior chariorque, Alcidis matris (adde etiam patris, ex notatione apud Mabillonium in hanc epistolam) exuviis commendata, lite pendente cum monachis Lexovii, ejusdem sancti favorem imploravit. Eæ secundæ litteræ ad Honorium, timido adhuc, nec satis currente calamo, sed jam ut noti exprimentes nomen auctoris. » Cæterum quo loco sanctus abbas fuerit habitus apud Romanæ curiæ cardinales, conficitur ex litteris, quæ eisdem scriptæ ab eo sunt, nimirum decima quinta, Haimerico apostolicæ sedis cancellario; decima sexta, charissimo domino suo Petro presbytero cardinali. Quibus addi possunt epist. 17, et sequentes. Quid plura? Dicta itaque hæc sint specimînis gratia, cum tam e viri litteris, quam aliunde satis superque constet, eum apud summos et inios longe æstimatissimum fuisse. Quam vero fortem ac intrepidum se ostenderit adversus potentes hujus sæculi, dum rei æquitas hoc postulabat, indicio sunt, quæ jam dicturi sumus.

§ XIV. *Acta pro Stephano, episcopo Parisiensi, contra Ludovicum Crassum; impletum de filii ejus morte vaticinium; sancti abbatis labores favoribus cælestibus recreati; an S. Felix Valesius ad illum ductus, an sub ipso educatus.*

Chronologus Cisterciensis ad annum Christi 1127, quem nunc cum illo ingredimur, cap. 1, memorat Stephani episcopi Parisiensis genus, potentiam ac mores; Bernardi ad eumdem litteras, earumque fructum; violentam item infestationem a Ludovico Francorum rege eidem Stephano illatam; imploratum præterea Capituli Cisterciensis favorem, ac destinatos a Stephano legatos una cum litteris, queis furens regis indignatio compesceretur. Deinde laudatus chronologus cap. 2, idem argumentum prosequens tractat de ejusdem Ludovici regis ira per Cistercii legatos, et interdicti, cui erat innodatus, metum coercita : sed interdicto per Honorium Papam sublato, mox laxatis frenis illa recruduit. Hæc obiter designasse visum est, quia viam sternunt ad ea quæ de Sancti adversus regem minis ac vaticinio narrabimus. Compendiosa autem illa, quam dedimus, synopsis pluribus apud dictum chronologum, cujus deducitur narratio, conferri potest cum observationibus Mabillonii, quæ in fusioribus notis habentur, ad epistolam, Ludovico regi (intellige Crasso) inscriptam, quæ inter Bernardinas ponitur quadragesima quinta. Inspici etiam possunt ea, quæ habet Pagius in Critica historico-chronologica ad annum Christi 1127, n. 13 et 14.

142. Inter hæc, quid magnanimus et intrepidus justitiæ propugnator Bernardus? Nihil prorsus, uti referunt Annales Cistercienses cap. 2, n. 3, omisere sancti viri, quod non tentarent... « Quin et Bernardum addidisse severas minas, et cœlestem vindictam, ni resipisceret, adfuturam in brevi, Paulus Æmilius in Ludovico, et alii prodidere. « *Episcopos (inquit) deprecantes a genibus suis repulit (scilicet Ludovicus) cui impœnitentiæ Bernardus abbas iram cœlestem vindicem instare, denuntiasse fertur.* » Addit Gaguinus, non mediocri fidei auctor, eumdem Sanctum expressisse supplicii genus, et primogeniti immaturam mortem furenti patri opportune prænuntiasse. « *Hæc, inquit lib.* VI *Hist. Franc., tua, rex, pertinacia filii interitu mulctabitur.* » Porro prædictionis istius veritas stabilitur ex iis, quæ aliunde inserta sunt textui biographi Gaufridi lib. IV Vitæ, apud nos cap. 1, in fine, ubi hæc sunt : Qua ex re (obstinata videlicet Ludovici regis repulsa) « Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denuntiavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum. « *Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte mulctabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum, et protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum.* » Quod quidem non longe post (anno nimirum Christi 1131) miserabilis casus implevit. Nam sicut ad annum modo dictum num. 12 ex Orderico, et pseudo Roberto de Monte refert Pagius, « Philippus puer, nuper in regem unctus, dum in civitate Parisiis equo vehitur, porcus equi pedibus se forte submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, et de ejus subita et miseranda morte Francis luctum induxit tertio Idus Octobris. »

143. An vero tam seria et luctuosa Bernardi denuntiatione ad veram resipiscentiam permotus Ludovicus rex? Nequaquam, forte non reputans vindicandum a Deo crimen, quod summus pontifex inultum reliquisset. Factum sic breviter in notis, quas paulo ante citabam, col. 21, exponit Mabillonius, de Sancti vaticinio, ac eventu ejusdem locutus. « Tanta dicendi libertate a proposito princeps aliquanto dimotus, ad Honorii papæ litteras, quibus interdictum solvebatur, animum refricans, male cœpta ardentius prosecutus est. Quod Bernardus impatienter ferens, tam suo quam Gaufridi Carnotensis nomine litteras ad Honorium justæ querimoniæ plenas dedit (Vide Bernardi epistolas 46 et 47.) Tandem vero, sicut pergit col. 22, tam pertinax, tamque concitata dissensio finem accepisse videtur in concilio Trecensi, anno 1128, vel certe non multo post, ipsius Honorii auctoritate : qua de re Bernardus gratias retulit, ad eum denuo scribens, epist. 49. « *Hinc enim, inquit, gravibus contumeliis et injuriis episcopi Parisiensis constantia pulsata est, sed non quassata : quia Dominus supposuit manum suam, cum vestram opposuit.* » Ad Stephanum vero illum quod attinet, Mabillonius de eo subdit sequentia : « Porro

Digitized by Google

hunc Stephanum Parisiensem, antea cancellarium, distinctum esse a Stephano de Garlanda dapifero, de quo in Annalibus Teulfi, diserte probat Chesnius in notis ad Abælardum: nec obscure intelligitur ex epistola quadam Gaufridi Carnotensis, tom. III. Spicilegii (Acheriani) pag. 160, in qua scribit sanctum Bernardum fuisse electum ad pacem cum Stephano Parisiensi et Stephano de Garlanda componendam. Quod ulterius ad Ludovicum spectat, quem S. Bernardus ad Honorium scribens epistola 49, *alterum Herodem* appellat (quæ phrasis mitigatur apud Mabillonium in nota breviore ad istam epistolam col. 57.) memoria certe dignum est, quanta religione et pœnitentia diem clauserit extremum anno scilicet 1137 » prout in observationibus ad epistolam 45, inter notas fusiores citatas licet pluribus videre col. 22.

144. Verum quo pacto magnas illas molestias, a S. Bernardo masculo prorsus et invicto pectore exantlatas consolatio cœlestis exceperit, quid memorem? Audiantur Annales Cistercienses cap. 3, n. 1. « Ergo Bernardus Claræ-valli et filiis redditus, atque optata quiete, quo tardius rariusque, eo impensiori affectu fruens, nec ultra amplius, si posset, deserenda, duplicem ejus, inter plures alios fructum expertus est, duplici a Deo visione confortatus, utraque angelica, atque utraque monasticum stemma, chorum et cantum eximie commendante. In altera cœlestibus spiritibus transcribentibus psallentium in choro preces, haud dubium quin præsentandas divino numini: in altera ad easdem excitantibus, et satagentibus psallentium devotioni: utramque ad monachorum omnium gloriam solatiumque, imo et cunctorum Ecclesiasticorum. » Facta audi ex auctore Exordii magni Cisterciensis apud Tissierium distinctione 2, cap. 5. « *Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus ea puritate et devotione, qua solebat, Deo tantum nota et sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus (videlicet Patris sancti) et, ecce respiciens vidit singulos angelos juxta singulos monachos stantes, et, quod quisque eorum psallebat, in schedulis, more notariorum, tam diligenter excipiebant, ut nec minimam syllabam, quantumcunque negligenter prolatam omitterent.*

145. « *Scribebant vero diverso modo: nam quidam eorum scribebant auro; alii argento; nonnulli atramento; aliqui etiam aqua; quidam vero penitus nil scribebant. Spiritus autem, qui hæc revelabat, intelligentiam quoque diversitatis scripturæ cordi ejus inspirabat. Qui enim auro scribebant, ferventissimum in Domini servitio studium, et absolutam cordis intentionem in iis quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen psallentium devotionem declarabant. Qui vero atramento, continuum quorumdam bonæ voluntatis usum in psalmodia, licet non cum multa devotione notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos qui somnolentia seu pigritia pressi, vel vanis cogitationibus abducti, videntur quidem aliquid sonare, sed cor eorum longius abstractum prorsus non concordat voci. Et, o mira Dei clementia! Sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quamcunque modicum, quamcunque negligenter factum, erit irremuneratum.*

146. « *Cæterum illi, qui nihil scribebant, lamentabilem quorumdam cordis duritiam redarguebant, qui obliti professionis suæ, et timoris Dei immemores, aut lethali somno prona se voluntate immergunt, aut certe vigilantes, clauso ore, vanis et noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, et in conspectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimescunt. Pater itaque sanctus, qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, Quoniam omnes administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; sicut proficientium congratulabatur fervori, sic paterno pietatis affectu, deficientium miserabatur tepiditatem.* Ibidem cap. 4, ponitur alia beati visio his verbis conscripta: *Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, et Vir Domini cum cæteris fratribus aderat: cumque hymnus* Te Deum laudamus *cantaretur, vidit sanctos angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos: qui utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modo illum excitabant, cantantibus aderant, et quasi congratulantes astabant, et ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum vere esse divinum, et angelis sanctis esse familiarem, quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur.* » Deinde occasione istius hymni sequuntur ista:

147. « Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, et sursum conscendebat. » Manricus cap. 3, num. 4, ad præsens argumentum, « Duo, ait, invenio notata a Fiteriensi, quæ sibi lector facile persuadeat. Alterum est, angelorum excitationem non materialem a somno intelligendam; sed spiritualem ad mentis devotionem, ut, si qui tepidi, in fervidos evaderent fervidi, ferventiores efficerentur. Alterum, incipientem hymnum Te Deum laudamus, de cujus ore flamma ignea erumpens, et sursum volans, a fratre illo devoto visa dicitur, non alium fuisse quam Bernardum Patrem, cui ex injuncto munere abbatis eumdem hymnum incipere incumbebat. Quod ab initio Cistercii usu receptum, hodie etiam videmus observari. » Idem historicus num. 10, refert factum aliquod peculiare de S. Bernardo, quod, sicut ipse recitat ex alio auctore, sic ego illud huc transcribo:

148. « *In Historia, inquit, Segoviæ nuper edita de exordio et progressu sanctissimæ familiæ, quam sub invocatione sacræ Triados fidelibus captivis redi-*

Digitized by Google

undis Deus providit, notatum lege, unum e primis illius institutoribus Hugonem Valesium (Theobaldi comitis nepotem ex sorore) qui post Felix Valesius dictus est, atque una cum beato Joanne, dicto de Matha, insignis operis fundamenta felicia jecit; lego, inquam, hunc sanctum hoc anno natum, et post baptismum, deferente matre, ad Claramvallem ductum, offerendum ibidem per Bernardum omnipotenti Deo, et sancti Patris accepturum benedictionem: quod ab auctore illius Historiæ, lib. 1, cap. 5, traditum omittere non libuit: quamvis nec adhuc sciam, unde hauserit, nec sim ignarus in his quæ alias miscet, a veritate nonnihil aberrare. Certe in tempore nulla est repugnantia et Hugoni aut Felici, si revera Theobaldi nepos fuit, non ullus alius Bernardo parente proprior, quem apud Deum ab ipsis incunabulis intercessorem quæret. Sed et Bernardo non exigua gloria est, tantum habuisse alumnum sive clientem, illustraturum orbem atque illud sæculum miraculis et meritis, sequentia vero repleturum gloriosa prole. »

149. Hanc rem, uti vides, qua hunc sanctum a Sancto nostro ad Claramvallem Deo oblatum spectat, subtilmide Manricus ex alio refert, et non immerito. Quid enim? Origo et educatio S. Felicis Valesii non videntur hactenus satis solide comperta : scriptor rei gestæ, quam retulimus, nimis est recens, nec auctoritatis sat probatæ, quam ut se solo fidem facere possit, cujus ne nomen quidem exprimit Manricus; nec profert monumenta antiqua, quibus factum præsens confirmetur. Quamobrem liceat nobis desiderare probationem melioris notæ, antequam eidem assentiamur. Ne tamen præpropere nimium, re utpote nondum satis matura, quidquam statuamus, eam remittimus ad diem 20 Novembris, quo agendum erit de S. Felice Valesio, pluscula tunc fortasse suboritura luce nostris successoribus ad improbandum vel confirmandum præsens factum. Idem esto dictum ad illa, quæ habentur in Vita ejusdem sancti, auctore R. P. M. Fr. Francisco a S. Augustino Macedo, Minorita Lusitano, Romæ latino sermone edita anno 1660, in qua cap. 2, floridulis quidem verbis, sed nullo citato auctore, argumentum præsens in hæc verba describitur. « Nato Felici Eleonora lac præbuit; sed melle illud condire studuit. Igitur Claramvallem adiit, et Bernardum quæsivit, quem cœlestem favum sciebat. Hic verbis infanti mel instillavit, nec abstinuit amplexu, quod credidit Bernardus in lilia et rosas incidisse. Obtulit ante aram Deo floridum pignus tanquam fasciculum. Apem Bernardum credidit, qui vidit puerum in ulnas gestantem. »

150. Sunt, qui plus dicant, prout intelligo e neoterico auctore, qui Vitas sanctorum vulgavit Gallice tribus tomis. Nam ad diem 20 Novembris, in Vita S. Felicis Valesii, nonnullos esse affirmat, qui velint, eum sacræ instructionis gratia sub disciplina S. Bernardi, petiisse Claramvallem : verum sicut historia superior de S. Felice, quem mater ejus ad Bernardum detulerit infantem, quemque is obtulerit Deo, parum hactenus mihi videtur credibilis; sic multo minus credibilis mihi apparet ea, quæ vult, eumdem S. Felicem sub Abbatis nostri disciplina vitæ religiosæ institutis imbutum fuisse; quandiu hoc non video idoneis testimoniis corroborari.

§ XV. *Opusculum de gratia et libero arbitrio; consessus et auctoritas in synodo Trecensi; Regula Militum Templi an a Sancto condita.*

151. Confectio hujus opusculi, quo de Ecclesia catholica universa sanctus doctor immortali titulo meritus est, innodatur anno prædicto Christi 1127, ab auctore Annalium Cisterciensium, apud quem ibidem cap. 4, nonnulla circa illud observantur. Habetur apud Mabillonium volumine primo, col. 603, et sequentibus, et hac prævia admonitione ibidem pagina 601, illustratur : « *Hoc opusculum Bernardus ante annum 1128 composuit, id est ante annum ætatis suæ tricesimum octavum. Agit de gratia et libero arbitrio, ex occasione cujusdam collationis cum homine nescio quo, cui sanctus Doctor nimium gratiæ tribuisse visus fuerat, quasi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri scopus est, quæ sint gratiæ, quæ liberi arbitrii partes in negotio salutis. Huc multa docentur de libero arbitrio Dei, angeli et hominis, integri, lapsi, et beati : item de gratia primi hominis ante et post lapsum. Parvus liber, sed qui plus succi et solidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ de hoc theologico argumento pertractant. Stylus vegetus, vivaci ingenio et lumine plenus; verba propria et materiæ accommoda; oratio facilis, non arte quæsita, sed quasi naturalis; non obesa et exilis, sed pinguis et nervosa : elegans concinna et jucunda; non trivialibus scholæ verbis languens, non barbara aut inculta. Non ita pressa, ut parce et guttatim fluat, nec tamen ita profusa, ut torrentis instar, quasi rupto aggere, et siccato alveo, erumpat; sed pari tenore et gravi majestate æqualiter profluens, fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus sit, sed ex proprio, imo ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione, præsertim Apostoli, num. 48.*

152. « *De isto opusculo Gaufridus, in libro tertio de Vita Bernardi, capite 8, agens : Quam non ingratus, inquit, gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia et libero arbitrio tam fideliter quam subtiliter disputavit. Nec prætermittenda verba epistolæ 52 ad Haimericum cardinalem, quæ sub annum 1128 scripta est. Quæsivit a me præfatus episcopus (Gaufridus Carnotensis) aliqua ex nostris opusculis, quæ vobis mitteret : sed non fuit ad manum, quod vestro dignum crederem studio. Libellum tamen de gratia et libero arbitrio nuper edidi : illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognovero.* » *Directus est libellus Guillelmo; Sancti-Theodorici abbati, singulari Bernardi amico, ad quem Apologia superius (col. 525, et seqq.) edita, et epistolæ complures.* » Sic de laudatissimo

Digitized by Google

hoc sancti doctoris opusculo lectorem præmonet eruditissimus Mabillonius, qui illud notationibus etiam explanavit. Jam gradum faciamus cum historico Cisterciensi ad annum Christi 1128, sancto Patri valde honorificum, sicut planum fiet ex dicendis occasione concilii Trecensis, quod vel invitus sua præsentia condecoravit.

153. Baronius illud intexit anno Christi 1127, sed a Pagio in Critica ad istum annum num. 11, corrigitur his verbis : « *Concilium Trecense, cui Matthæus, Albanensis episcopus cardinalis, legatus apostolicus, archiepiscopi Remensis et Senonensis, variique episcopi interfuere, anno tantum sequenti celebratum ; cum in ejus præfatione Joannes Michaelensis concilii scriba dicat, illud habitum « in solemnitate sancti Hilarii (nempe die 13 mensis Januarii) anno 1128, ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ (nempe Templariorum) 9 ; » qui annus incarnationis etiam notatus reperitur in codice ms. bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, et in Historia Hierosolymitana Jacobi de Vitriaco. Tyrius quidem ait, concilium istud ordinem Templariorum jam a novem annis fundatum confirmasse : sed cum is annum incarnationis vel a die 25 mensis Martii, vel a die Paschatis ibi incipiat, certumque sit, concilium mense Januario congregatum, Tyrius non nisi de mense Januario sequentis Christi anni interpretari potest ; et male aliqui viri docti, cum ad ejus annos incarnationis numerandi modum animum non advertissent, vel numeros apud Tyrium mendose descriptos esse causati sunt, vel ad vanas interpretationes recurrere. Annus itaque æræ Dionysianæ 1128, mense Januario erat adhuc annus 1127 Tyrio, et nonus exiens a fundatione ordinis Templariorum.* » Hæc de anno concilii, de actis autem ejus tractatur ex Guillelmo Tyrio, lib. XII, c. 7, apud Labbeum tomo XX, Conciliorum, col. 922.

154. Matthæus itaque, sedis apostolicæ legatus ac concilii præses, quo negotiis in eodem pertractandis majus etiamnum auctoritatis pondus adjiceret, præter Remensem ac Senonensem præsules, eorumque suffraganeos, abbates, ex Guillelmo Tyrio, quem modo citabam, Cisterciensem, et Clarævallensem, quibus etiam ab eo additur Pontiniacensis cum aliis pluribus, eidem concilio interesse voluit. « Verum Bernardus, inquit Manricus ad hunc annum, cap. 1, num. 3, qui semel proposuerat monasterio non egredi, ut ad Petrum Leonis, cardinalem item legatum, ante duos annos dederat in litteris, ægre sane, nec sine magna difficultate avulsus est, nihil non causans, nihil non excusans, et neque infirmæ, qua detinebatur, valetudini, nec propriæ insufficientiæ parcens. » Exstat de illis rebus S. Bernardi epistola 21, ad Matthæum legatum, qua se excusat, quod vocatus ad negotia tractanda, non accesserit. Data indicatur apud Mabillonium col. 38, sub finem anni 1127. Quis autem Matthæus iste fuerit, de quo supra recurrit sermo, ibidem observat : « Matthæus, ait, ex canonico Remensi monachus Cluniacensis apud S. Martinum de Campis, dein cardinalis, et episcopus Albanensis, vir miræ sanctitatis, ex Petro Venerabili, is est ad quem hæc epistola scripta est, instante concilio Trecensi anni 1128, ex fusioribus notis col. 16. Porro istius epistolæ characteres sunt hujusmodi, ut mirificam sancti modestiam inspirent lectori, et luculentissimæ sint testes, virum in aliorum oculis tam magnum, in suis vere parvulum fuisse : quibus item hac submissæ obedientiæ clausula finem imponit : Vos tamen (vobis dico, Pater) noveritis, quia paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata vestra. Vestræ autem indulgentiæ erit, parcere mihi, ubi parcendum decreveritis. »

155. Ejus ad Theobaldum, comitem Campaniæ, epistolam quid memorem ? Legi ea potest apud Mabillonium colum. 51, estque numero trigesima nona, anno Christi 1127, ibidem illigata ; in qua eum hortatur, ut erga episcopos, concilii causa in ejus civitate Trecensi constitutos, honorifice et reverenter se gerat. Fragmentum ejusdem postquam recitasset Annalista Cisterciensis num. 5. « Hactenus, ait, sanctus Pater ad Theobaldum ; ut sibi latebras, sic Ecclesiæ honorem appetens, et reverentiam prælatis exhibendam, quorum se dignum consortio non judicabat. » De litteris, quas a Sancto ad Petrum Leonis scriptas citabat paulo ante Manricus, observa nonnulla per transennam, ut ita loquar. Mabillonius in notis ad epistolam 17, col. 35, quæ Petro diacono cardinali et legato inscribitur, hæc animadvertit : « Petrus iste alius sine dubio est a Petro itidem legato, sed presbytero cardinale, ut probavimus in præfatione ad hunc tomum. » Et mox subjicit, quisnam Petrus iste videatur esse. Pagius in critica, Baroniana ad annum Christi 1125, agens de Petro cardinale legato, quem misit Honorius PP. II, contra Pontium, Cluniacensium olim abbatem, ac monasterii eorum invasorem, num. 3, statuit hunc esse « diversum a Petro Leonis, quia is cardinalis presbyter erat jam ab anno 1120, juxta Onuphrium, et certo certius anno 1121, ut eo, ait, anno vidimus. Deinde Petrus hic, cui causa Pontii ab Honorio II, commissa, alius ipsi esse non potest, quam Petrus diaconus cardinalis et legatus, ad quem divus Bernardus scripsit epistolam ordine 17, qui legatio ejus nullo alio per hæc tempora anno peracta esse potuit, quam currenti ; unde deducit, eam divi Bernardi epistolam, quam Mabillonius circa annum 1127, datam notat, ad hunc omnino annum pertinere, » uti et alias duas, videlicet 18 et 19, ab eodem ad eumdem Petrum cardinalem et legatum datas ; « cum anno sequenti, sicut addit, Humbaldus archiepiscopus Lugdunensis, et Gerardus episcopus Engolismensis legatione Gallica functi sint. Mabillonius, in præfatione ad editionem operum S. Bernardi abbatis § 4, num. 39, jam suspicatus fuerat, Petrum diaconum cardinalem et legatum, cui præfatæ Bernardi epistolæ inscri-

Digitized by Google

ptæ sunt, eum fuisse qui, adversus Pontium abbatem Cluniacensem in Galliam, accessit ex mandato Honorii papæ; sed id apud me certum et indubitatum. » Hactenus Pagius, qui etiam ad annum Christi 1127, num. 12, observat, epistolam decimam septimam S. Bernardi male a Baronio revocari ad concilium Trecense; dum enim sanctus abbas excusat in ea, quod vocatus non venerit... ibi... de alia profectione nobis, inquit, ignota sermonem habet.

156. Quod vero attinet ad concilium Trecense, cui sanctum doctorem una cum pluribus aliis dicebamus interfuisse, quid referam viri auctoritatem, qua solis ad instar inter alios ejusdem synodi Patres fulsit? Apud Miræum enim, in Chronico Cisterciensi ad annum 1128, illorum nomina recensentem, habentur ista : « Supra nominatus abbas Bernardus Claræ-vallensis non defuit; cujus sententiam præscripti Patres libera voce collaudabant. » Hæc etiam exstant apud Labbeum tomo X. Conciliorum col. 924. In Prologo autem ad regulam Templariorum ibidem col. 923, et apud Miræum, modo citatum, quæ in dicto concilio Trecensi illis est data, ab eodem fuisse commissam sancto abbati, testatur sæpe memorati concilii scriba : « Ego Joannes Michaelensis præsentis paginæ, jussu concilii, ac venerabilis abbatis Claræ-vallensis (Bernardi) *cui creditum ac debitum hoc erat*, humilis scriba esse divina gratia merui. » Quæri autem hoc loco potest, an Sanctus composuerit regulam Templariis præscriptam Affirmant Manricus ac Miræus; negat Mabillonius volumine primo in admonitione ad opusculum sextum ipsius Sancti, tomi II, *De laude novæ militiæ ad milites Templi* inscriptum, cui opusculo, quod exstat col. 543, et sequentibus, editor ille in rem præsentem ista præmittit :

157. « Templariorum regulam ex codice Victorino typis mandavit Miræus, eamque Chronico Cisterciensi inseruit « *utpote a S. Bernardo, inquit, abbate Claræ-vallensi* (*ut ex Prologo patet*) *dictatam.* » Regula hæc totidem capitulis, quot Regula S. Benedicti, ex qua magna ex parte de verbo sumpta est, constat, id est capitulis 72. Sic vero inscribitur ante prologum : « *Regula pauperum commilitonum Christi, Templique Salomonici.* » Manricus, ad annum 1128, cap. 2, hanc regulam Bernardo auctori cum Miræo tribuit, ad idque probandum duo loca adducit ex prologo. Primus locus sic habet : « *Sane autem prorsus licet nostri dictaminis auctoritatem permaximus numerus religiosorum Patrum, qui in illo concilio divina admonitione convenerunt, commendat; non debemus silenter transire, quibus videntibus, et veras sententias proferentibus, ego Joannes Michaelensis præsentis paginæ*, etc., » quæ nos paulo ante jam dedimus. Verum hæc verba non significant ullam regulam a Bernardo pro Templariis fuisse compositam; sed eum in Joannem Michaelensem rejecisse impositum sibi scribæ officium. Neque quidquam amplius conficitur ex sequentibus verbis, quæ post enumerationem Patrum Trecensis concilii hoc modo referuntur :

158. « *Ipse vero magister militiæ, Hugo nomine, revera non defuit. et quosdam de Fratribus suis secum habuit, verbi gratia, F. Godefridum, F. Rovallum, F. Gaufridum Bisol, F. Paganum de Monte-Desiderii, Archembaudum de sancto Aniano. Iste vero magister Hugo cum istis discipulis modum et observantiam exiguæ inchoationis sui militaris ordinis, qui ab illo, qui dicit : Ego principium, qui et loquor vobis, sumpsit exordium, juxta memoriæ suæ notitiam supra nominatis Patribus intimavit. Placuit itaque Concilio, ut consilium ibi lima et consideratione divinorum Scripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia papæ Romanorum ac patriarchæ Jerosolymitarum, necnon etiam assensu Capituli pauperum commilitonum templi, quod est in Hierusalem, scripto commendaretur et inconcussibiliter servaretur.* » Quibus verbis id tantum a Patribus sancitum fuisse intelligimus, ut militibus regula ex eorum consensu, consultis Romano pontifice et patriarcha Jerosolymitano, præscriberetur; sed Bernardus ejus auctor nequaquam asseritur. Quinimo Albericus ordinis Cisterciensis eisdem militibus regulam sancti Augustini impositam scribit. Unde in monastico Anglicano ad ordinem sancti Augustini revocantur. Permirum esset, si Albericus Triumfontium haud longe a Claravalle monachus Cisterciensis, hanc Bernardi regulam ignorasset, et pro illa militibus, qui ejus tempore supererant, aliam tribuisset. » Hasce ob rationes eruditissimus Mabillonius confectionem regulæ predictæ abjudicat S. Bernardo, quibus non acquiescens, alias istis ita superaddit :

159. « Guillelmus Tyrensis episcopus, in jam dicti libri XII cap. 7, tradit, eisdem militibus, qui ante concilium Trecense « *non nisi novem erant, de mandato domini Honorii papæ, et domini Stephani Jerosolymitani patriarchæ, fuisse institutam regulam, et album habitum assignatum* » cum antea vulgari usi essent. « *Postmodum vero tempore domini Eugenii papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo mantellis suis cœperunt assuere* » tam equites « *quam eorum fratres qui dicuntur, servientes. Quorum res adeo crevit in immensum, ut hodie* (*inquit Guillelmus*) » trecentos plus minusve in conventu habeant equites, « *albis chlamydibus indutos, exceptis fratribus.* » Ex his postremis verbis conficimus, regulam illam, quæ Bernardo auctori tribuitur, nonnisi post Guillelmum Tyrensem scriptam fuisse : quandoquidem in cap. 21 notantur quidam « *pseudofratres ex ultramontanis partibus, mentientes se esse de Templo et quædam apud ipsos milites sine discretione ac consilio communis capituli succrevisse penitus amputanda* » arguuntur, nempe quod « *habebant olim famuli et armigeri alba vestimenta, unde veniebant damna importabilia.* »

160. « Nullum vero generale capitulum Templa-

Digitized by Google

riorum fuit ante concilium Trecense : nullus antea peculiaris militum habitus, sed vulgaris. Albus eis concessus est a Patribus concilii, exceptis servientibus. Plane vel ex his solis verbis intelligitur, hoc saltem capitulum longe post tempus concilii fuisse ascriptum. capitulum 7, « *stando divinum officium audiri* » non solum non laudat, sed etiam vituperat, statuitque audiri sedendo. Quod sane statutum in Bernardi mentem non venisset. In Capitulo 61 statuitur *ut amplius sorores non habeantur.* Quod arguit non fuisse recens institutum. An Joannes Michaelensis istius regulæ auctor sit, aliis judicandum relinquo. » Quod vero Pater sanctissimus etiamsi non in hac re, alibi tamen bene meritus fuerit de Templariis, narrat Manricus, cap. 3, num. 5 et 6.

§ XVI. *Querelæ curiæ Romanæ a sancto doctore dilutæ; famosum schisma pseudopapæ Anacleti ab ipso compressum; annus cædis venerabilis Thomæ, prioris Victorini.*

161. Negotia boni publici, ad quæ Bernardus vel invitus non raro accersebatur, magnas adversus eum querelas, ne dicam odia, concitarunt. Rei hujus summam, ab historico Cisterciensi ad annum Christi 1129 pluribus recensitam, non est necesse huc transcribere; cum satis ea possit intelligi ex epistola sancti 48, quæ est inscripta Haimerico Romanæ sedis cancellario, et in qua injustas contra se querelas forti ac intrepido calamo diluit. En tibi itaque, lector, excerptum ex eadem epistola fragmentum. Observa autem scriptum illud non dirigi ad solum cardinalem Haimericum, sed ad alios etiam cardinales, quos fraternitatis nomine appellat; de quo consule Mabillonii notas ad hanc epist. Unde consequens est, Romanam curiam obloquiis contra eum personuisse, ut non obscure e Viri sancti rescripto conficitur, e quo hæc delibo : « *Etiamne paupertati et inopi veritas odium parit? Et ne ipsa quidem miseria declinare invidiam potest? Querar, an glorier, quod factus sum et ipse inimicus vera dicens? vera dicens, an recta agens?... Quid in me, o boni viri, displicuit fraternitati vestræ? Utrumne, quod apud Catalaunum amotus est a villicatione sibi credita homo usquequaque diffamatus, quia in ecclesia Virdunensi, cui præfuerat, dissipasset bona domini sui? An quod in urbe Cameracensi monasterii sui manifestus destructor Fulbertus cedere compulsus est Parvino, qui omnium testimonio fidelis est servus et prudens? An certe quod Lauduni de prostibulo Veneris suum Deo sanctuarium restitutum est? Propter quod horum me, non dico lapidatis, sed laceratis, ut minus aliquid recipiam a domino meo? Et hoc merito, atque cum omni gloria responderem, si quid in eis meum cognoscerem.*

162. « *Nunc autem, ut quid judicor ego de factis alienis? aut si meis, cur tanquam de malis? Cum cuncta hæc juste atque præclare gesta fuisse, nulla imprudentia dubitare, nulla negare impudentia possit... Novum genus detractionis, et revera simile aliquid habens operi Balaam, qui ductus et conductus ad maledicendum populo, magis benedictionibus cumulabat... At ... nil mea refert de his, quorum auctor non exstiti. Laudent si volunt, vel vituperent, si audent; de primo quidem dominum Albanensem; de secundo vero dominum Remensem; porro de tertio eumdem æque archiepiscopum simul et episcopum Laudunensem, cum rege pariter et multis aliis reverendis personis, qui se utique auctores in his et principes exstitisse minime diffitentur. Si bene egerunt, quid ad me? Si aliter, quid æque ad me? An tota, et sola culpa mea est, quod adfui, homo solis latebris dignus?... Adfui..., negare non possum : sed vocatus, sed tractus. Utinam non issem ad illa! Utinam non irem ad similia! Utinam et nuper non issem, ubi vidissem adversum Ecclesiam apostolica (pro dolor!) auctoritate (Vide epistolam 46 et 47.) violentam armari tyrannidem, quasi non satis per se insanisset. Tum demum sensi juxta prophetam adhærescere linguam meam palato meo*, etc.

163. « Propter hujusmodi, etsi aliud non sit, gravor interesse causis, quarum præsertim mea non interesse cognosco. Gravor, sed trahor. At vere ab hac necessitate per quem melius retrahi posse speraverim, quam per vos, vir optime?... Indicatur, si placet, clamosis et importunis ranis de cavernis non egredi, sed suis contentas esse paludibus. Non audiantur in conciliis, in palatiis non inveniantur : ad causas, ad negotia nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas... Non tamen idcirco etiam me latente et tacente cessare puto murmur ecclesiarum, si non cesset Romana curia pro voluntate assistentium facere præjudicium in absente. Valete. » Sic injustas contra se querelas acriter diluit Vir magnus, eo nimirum ad objecta respondens liberius, quo in culpæ nescia et ingenti virtutum comitatu circumsepta conscientia staret securus obloquiorum. Nonnulla quæ in recitato fragmento occurrunt, explanatur apud Mabillonium tum in notis brevioribus ad dictam epistolam; quibus adde fusiores colum. 22. Manricus ad annum Christi, quem antea ex ipso signabam 1129, cap. 7. numer. 8, refert S. Bernardi vaticinium; sed de eo inferius.

164. Quod scripserat sanctus doctor in epistola ad Haimericum paulo ante citata, « consilium sibi esse et propositum, nunquam (si causa duntaxat nostri, inquit, ordinis non fuerit) exire de monasterio, nisi aut apostolicæ sedis legato, aut certe proprio vacante episcopo, quibus nostræ humilitati, sicut optime nostis, contradicere omnino fas non est, nisi ex quocunque superioris auctoritatis privilegio; » quod, inquam, sanctus doctor tunc scripserat, suum boni publici causa e monasterio ac amata sibi solitudine egressum æquissimis istis conditionibus restringendo, locum habuit anno Christi 1130 occasione famosi schismatis, quod male feriatus ac turbulentus pseudopapa Petrus

Digitized by Google

Leonis, assumpto nomine Anacleti, adversus Innocentium PP. II, in Ecclesia Dei concitavit. Argumentum hoc cum unum sit e præcipuis ornamentis, quibus S. Bernardus immortale apud posteros nomen promeritus est, et gloriam nulla oblivione delendam, mirari non debemus, illud ab eruditissimo Mabillonio secundis curis ad incudem revocatum, et ex variis veterum monumentorum documentis illustratum in egregia illa præfatione generali, quam Bernardi Operibus a se recusis præfixit, § 4. Quam itaque laudato Mabillonio, de republica litteraria tot aliis monumentis, quæ in lucem dedit, adeo præclare merito, debemus lucubrationem, hoc loco non quidem totam, sed quoad in rem nostram fuerit satis, recudere visum est. Ea vero quæ verbis aliorum intexuit de suo idem auctor, parenthesi includam.

165. « Etsi, inquit Baronius, aliique scriptores ecclesiastici, de schismate, post Honorii II obitum anno 1130, Innocentium inter et Anacletum conflato, multa scripsere; nonnulla tamen ampliori explicatione egent, quæ ex veterum monumentorum lectione supplere conabimur. » Deinde, paucis interjectis, præsentem materiem laudatus Mabillonius ita deducit et illustrat: « Petrus Leonis, ex gente Leonina Romanus, ex monacho Cluniacensi creatus est primum, si Onuphrio credimus, a Paschali II diaconus cardinalis tit. sanctorum Cosmæ et Damiani: dein a Callisto II presbyter cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim, tit. Callisti, anno 1120. « *Fuit hic Petrus* (*uti ex Chronico Mauriniacensi discimus*) *Petri filius, filii Leonis. Leo vero a Judaismo Pascha* (*id est transitum*) *faciens ad Christum, a Leone baptizari et ejus nomine meruit insigniri* (*Leonem IX interpretare*). *Hic vir* (*scilicet Leo ex Judæis*) *quia scientissimus erat, in curia Romana magnificus effectus, genuit filium nomine Petrum, magnæ famæ, magnæque potentiæ post futurum.*

166. « *Ea tempestate inter regem Teutonicorum, qui ex successione Caroli Magni Romanorum patricius erat, et Ecclesiam Romanam illa turbulentissima de investituris orta est seditio. In qua vir ille in tantum armis strenuus, consilio providus, et Ecclesiæ Romanæ fidelis exstitit, ut ei cum cæteris munitionibus, quæ Romæ sunt, illam quoque, quæ illius urbis videtur obtinere similitudinem, turrim dico Crescentii, quæ a parte Galliarum in parte Tiberini pontis sita est, Papa committeret, et eum præ cæteris familiarem haberet. Hac occasione mirabiliter accrescens, quotidie sui melior efficiebatur, et divitiis, possessionibus, honoribus augmentabatur.* » Hæc præmittenda fuerunt, quoniam ex Petri genere, judaismo, potentia, turre Crescentii, arcem sancti Angeli appellant, qua Anacletus se tutabatur, pendet rei gestæ notitia. Pergit Chronographus Mauriniacensis. « *Inter cæteram sobolem, cujus plurima multitudine sexus utriusque a quibusdam Antichristus gloriabatur, genuit hunc Petrum, de quo sermo nunc est; qui litteris traditus, a quibusdam Antichristi præambulus appellabatur.* (*Hoc convicium ex consequentibus seu ex eventu ei impositum existimem.*) *Iste, studii gratia, Gallias atque Parisios adiit, et cum repatriaret, apud Cluniacum, ditissimum atque sanctissimum cœnobium, monachilem habitum induit. Aliquantisper ibi regularibus institutionibus imbutus, a papa Paschali II patris admonitione retrahitur ad curiam, et cardinalis effectus tempore Callisti papæ, cum eodem Gregorio, qui postea Innocentius II, missus ad Gallias, Carnoti Belvacique concilia celebravit.* » Nulla hic mentio de titulo diaconi cardinalis, quem titulum Petro Leonis a Paschale concessum fuisse Onuphrius tradit. Qua in re potior est auctoritas chronographi Mauriniacensis, ejus temporis æqualis.

167. « Gregorius diaconus Cardinalis tit. sancti Angeli ab Urbano II creatus dicitur, ac deinde legatus a Callisto II, in Galliam missus cum Petro Leonis anno 1124, Sagiam Neustriæ civitatem cum eo accessit, teste Orderico in libro XII, p. 877. De hac legatione ita scribit Vincentius in libro secundo de Vita Stephani Grandimontensis cap. 42: « *Excellentissimi quoque cardinales, Gregorius et Petrus Leonis, inter quos postmodum de papatu chisma fuit, cum in Galliam missi, in partibus Lemovicis legatione sua fungerentur, ad hunc virum Dei* (*Stephanum*) *pariter convenerunt.* » Et quidem constitutioni Sugerii abbatis anno 1125 subscripserunt ambo ut legati, apud Chesnium tomo IV, pag. 547. « *Ego Petrus, sedis apostolicæ presbyter cardinalis et legatus, laudo et confirmo. Ego Gregorius, sancti Angeli diaconus cardinalis, et apostolicæ sedis legatus,* » etc. Eodem tempore Bernardus quasdam epistolas scripsit Petro diacono cardinali legato, nimirum epistolas 17 et sequentes, quem ipsum esse Petrum Leonis aliquando cum Manrico opinatus sum. At cum Petrum illum, cui Bernardus scribit, diaconum, non presbyterum cardinalem fuisse constet; epistolæ illæ Petro Leonis convenire non possunt.

168. « Interea moritur Honorius pontifex, medio Februario anni 1130. Præcedentem assignat chronographus Mauriniacensis, de more Gallicano, quo novi anni initium a Paschate deducebatur. Tum « *cardinales* (*ait idem chronographus*) *qui cum cancellario* (*Haimerico*) *inibi aderant, et Honorio infirmanti assederant, Gregorium quemdam* (*eum scilicet, quem modo laudabamus*) *scientia ac religione præclarum, sibi præficiunt, et nimis festinanter, ut a quibusdam dicitur, pontificalibus induunt insignibus. Id illius gratia dispensationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui sæculariter ad papatum videbatur aspirare, spe sua frustrarentur. Fuit hic Petrus, Petri filius, filii Leonis* » et cætera, quæ superius de eo retulimus. Factum clarius exprimit Sugerius in libro de Vita Ludovici Grossi, apud Chesnium inter Historiæ Francorum scriptores tomo IV, pagina 317, ubi ait: « *Romanæ Ecclesiæ majores et sapientiores* (*exstincto Honorio*) *ad removendum Ec-*

Digitized by Google

clesiæ tumultum (consensisse) apud sanctum Marcum et non alibi, et non nisi communiter Romano more celebrem fieri electionem. [At] qui assiduitate et familiaritate propinquiores apostolici fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc convenire non audentes, antequam publicaretur domini papæ decessus, personam venerabilem, cardinalem de sancto Angelo diaconum Gregorium, summum elegisse pontificem. Qui autem Petri Leonis parti favebant, apud sanctum Marcum pro pacto alios invitantes convenisse, dominique papæ morte comperta, ipsum eumdem Petrum Leonis, cardinalem presbyterum, multorum et episcoporum, et cardinalium, et clericorum, et Romanorum consensu votive eligisse » sicque schisma perniciosum conflatum fuisse.

169. « Prior itaque erat Innocentii electio, sed præpropera, nec ab universo eligentium cœtu facta. « *Cum autem Petri Leonis pars tum parentum suffragio (addit Sugerius) tum Romanæ nobilitatis præsidio prævaleret (Innocentius Urbem deserit, et ad partes Galliarum navigio descendit) nuntiisque ad regem Ludovicum destinatis (ejus opem efflagitat. Quam ob rem Ludovicus Stampas indicit) concilium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et religiosorum virorum, et eorum consilio magis de persona, quam de electione investigans.* » Innocentio dat manus, auctore Bernardo in cujus suffragium totius concilii vota convenerant, teste Ernaldo in libro secundo de ejus Vita, cap. 1. Sub hæc Sugerius, uti ipse persequitur, mandato regis obviam Innocentio missus Cluniacum usque, cujus loci abbas Petrus Venerabilis et monachi Anacleto, monacho quondam suo, Innocentium prætulerant, ut postea notabimus ad epistolam 126. Rex ipse usque ad Floriacense S. Benedicti monasterium cum regina et filiis suis papæ occurrit, et regium verticem « *tanquam ad sepulcrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit. (Ejus exemplo rex Angliæ Henricus, itidem Innocentio) Carnotum occurrens, devotissime pedibus ejus prostratus (suum suorumque obedientiam ei promittit. Innocentius vero) visitando Gallicanam Ecclesiam, ac partes se transfert Lotharingorum : cui cum imperator Lotharius civitate Leodii cum magno archiepiscoporum et episcoporum, et Teutonici regni optimatum collegio celeberrime occurrisset, in platea ante episcopalem ecclesiam humiliter se ipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tanquam dominum deducebat. Descendente vero tota statione, eum suppodiando deportans, celsitudinem paternitatis ejus notis et ignotis clarificavit.* » Hæc anno 1130 gesta : Ubi Sugerius silet de Bernardo, quem assiduum Innocentii comitem itineris per Galliam fuisse ex Ernaldo discimus. »

170. Deinde observat Mabillonius, « *quid tunc temporis Leodii actum sit, citans Annales Magdeburgenses seu Saxonicos mss. ad annum 1131 : quo Dominica ante mediam Quadragesimam, XI Kal. Aprilis, celeberrimus conventus XXXVI episcoporum et principum fit Leodii, domno apostolico Innocentio et rege Lothario ac regina præsentibus..* » Hoc concilium præcesserat synodus Wirceburgensis, uti habent iidem Annales, ab auctore æquali scripti, videlicet « *concilium XVI episcoporum, mense Octobri a rege accitum, cui adfuit archiepiscopus Ravennæ, apostolicæ sedis legatus : ubi Gregorius, qui et Innocentius... a Lothario rege et omnibus ibi congregatis eligitur et confirmatur.* » Post conventum Leodiensem Innocentius, teste Sugerio, remeat in Franciam, Paschæ festum apud S. Dionysium transigit, et « *transactis tribus post Pascha diebus (Parisios accedit). Exinde Galliarum ecclesias visitando... cum per terram aliquantisper deambulasset, Compendii demorari elegit.* » Subinde concilio Remis habito, ut tradit Sugerius, et quidem « XIV Novembris » testante Dodechino, ibidem Ludovicus Junior regia insignia ab Innocentio accepit VIII Kalendas easdem, prout notavit Robertus Sigeberti continuator. « *Annales Saxonici mss. ad annum 1131 : Innocentius papa, iterum collectis ecclesiasticis viris (id est post synodum Leodiensem) et fidelium turbis, apud Remensem urbem in festo sancti Lucæ grandi synodo per aliquot dies præsidebat.* » Addit Sugerius, papam « soluto concilio » Autisiodori moras egisse, ac demum cum Lothario repetiisse Italiam. Autisiodori moram chronographus concilio Remensi postponit.

171. « Ernaldus, in libro secundo de Vita Bernardi cap. 1, concilium Remense ante Leodiense collocat, atque Innocentium Leodio Claramvallem, ac deinde, post brevem in Gallia moram, cum Lothario Romam contendisse scribit. At synodum Remensem Leodiensi posteriorem esse constat tum ex Sugerii narratione, tum ex Annalibus Saxonicis, sed maxime ex chronico Mauriniacensi, in quo Innocentii iter accurate describitur; cujusque mox textus a Mabillonio subjicitur, uti et alia, quæ ibidem, ne abeamus justo longius, videri possunt. Petrus interea temporis, seu Anacletus, nihil non molitur, ut quoscunque insigniores viros ad partes suas adjungat. Ex episcopis ei adhæsit Girardus Engolismensis, qui cum legati munus sub pontificibus proximis gessisset, illud idem vel ab Anacleto impetrare in votis habuit. Idem Guillelmum Pictavorum comitem ad Anacletum pertraxit. Præterea, Rogerium Apuliæ ducem ut sibi consiliaret Anacletus, sororem suam ei tradidit uxorem, eumque Siciliæ regem coronavit, teste Orderico in libro XII.., Tot tantæque turbæ, quas fusius fortasse quam locus pateretur, hic describimus, multum negotii Bernardo facesserunt, qui varias epistolas circumquaque scripsit ad conciliandos Innocentio schismaticos, et continendos in officio fideles : varia item itinera ejusdem rei causa suscepit, ut ex sequentibus epistolis, et ex Vita lib. II, cap. 6 et 7 intelligitur.

172. « Superest hic agendum de Girardo Engolismensi episcopo, cujus mores egregie descripsit Arnulfus, tum Sagiensis archidiaconus, dein episcopus Lexoviensis, in tractatu adversus eum edito,

Digitized by Google

quem Acherius noster in tomo secundo Spicilegii typis vulgavit. Indignissima ejus facinora deinde pluribus a Mabillonio depinguntur ex eodem auctore. Per funesta porro illa ac diuturna schismatis illius tempora quantos Bernardus labores sustinuerit, quot itinera confecerit, ex ejus Vita et epistolis, ut jam diximus, intelligitur. Hujus rei causa ter in Italiam profectus est, ejusque tandem opera schisma compressum, mortuo Anacleto anno 1138 cui schismatici Victorem antipapam substituerunt « *non tam pertinacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. (Et re quidem ipsa Victor) ad virum sanctum (id est Bernardum) nocte se contulit, et ille eum, mutatum quidem usurpatis insignibus, ad domini Innocentii pedes adduxit* » sicut testatur Ernaldus in Vita, lib. v, cap. 2, num. 137, apud nos. Atque hic funestissimi ac diuturni schismatis finis, quod curis ac laboribus indefessis sancti nostri herois Bernardi felicissime ac honorificentissime compressum fuit, res ab illo in hac causa gestas pluribus memorante Ernaldo, quem modo indicabam, a num. 129, cujusque narrationi lucem afferent ea, quæ antea præmisi e Præfatione Mabillonii. Verum hisce nonnulla sigillatim attexere, præsenti nostro instituto accommodatum censeo.

173. Illud imprimis memorabile pariter ac Sancto admodum gloriosum, quia apparuit os suum et Spiritus sanctus implevit illud, uti testatur Ernaldus cap. 1, num. 85, ab eodem utique Spiritu electus, ut concilii Stampensis in gravissimo hoc negotio unus Bernardus Patrum omnium in illo congregatorum os et lingua foret. « Unus enim omnium ore locutus, ex eodem biographo, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit : et ratum esse omnes pariter acclamarunt, et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt. » Alia vero, quæ vir sanctus in hac causa egit, cognoscimus ex ejus epistolis. Etenim in ea, quæ est numero centesima vigesima quarta, hortatur Hildebertum Turonensium archiepiscopum, ut Innocentium agnoscat legitimum pontificem, et inter alia plura in ipsius favorem ita recenset juris illius prærogativas : « Funiculus triplex difficile rumpitur. Electio meliorum, approbatio plurium, et (quod his efficacius est) morum attestatio, Innocentium apud omnes commendant, summum confirmant pontificem. » Et in epistola 125 ad Gaufridum de Loratorio, de quo consule notam Mabillonii, operam ejus requirit in asserendo pontificatu Innocentii, quem « merito, ait, recipit Ecclesia; cujus et opinio clarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium et numero vincens et merito. » Denique in epistola 127 ad episcopos Aquitaniæ, causam eamdem egregie tuetur adversus Gerardum Engolismensem, schismatici partes agentem, cujus mores depingit, et subterfugia eludit.

174. Cæterum quæ ad Guillelmum ejusdem Aquitaniæ comitem, ad Anacleti partes a Girardo Engolismensi episcopo nefarie pertractum pertinent, Manricus quidem narrat ad annum 1130, cap. 4; sed nos ea uti et alia differimus in aliud tempus, quo agemus de ejus per S. Bernardum conversione ad meliorem vitam. Idem auctor ibidem cap. 5 refert, quidnam vir sanctus egerit in causa venerabilis Thomæ, Sancti-Victoris Parisiis prioris, sacrilege trucidati; sed Pagius, in Critica Baroniana ad annum Christi 1135, num. 5, probat contra varios, quos ibidem allegat, cædem ejus pertinere ad annum 1133, quam temporis rationem ante ipsum etiam ostenderat Mabillonius in notis fusioribus ad epistolam 158 S. Bernardi. Citatus Annalium Cisterciensium conditor cap. 6, num. 8, S. Bernardum a Januensibus postulatum fuisse præsulem scribit (Vide Ernaldum lib. II Vitæ, cap. 3) sed frustra; observans illi evenisse illud Guillelmi lib. I Vitæ, cap. 14 : « Cum dignus esset, ut cogeretur, nescio quo judicio Dei, et singularis reverentia sanctitatis jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra suam voluntatem cogatur. »

§ XVII. *Iter Leodiense Innocentii PP. II cum S. Bernardo; qui jus Ecclesiæ defendit contra Lotharium regem; excursio, ut fertur, in Artesiam; Guerrici ac multorum aliorum conversio; Innocentius PP. visit Clarævallenses; S. Bernardi in concilio Remensi auctoritas; infulæ Catalaunenses ab eo recusatæ.*

175. Chronographus Cisterciensis, relatis ad annum Christi 1131, cap. 1, Innocentii PP. II cum S. Bernardo ad Leodienses itinere, et honorifica post eorum adventum susceptione, quam Lotharius rex vicario Christi exhibuit submissa admodum erga eumdem reverentia, sicut in antecessum § 16 jam diximus; his, inquam, relatis, idem chronographus factum ibidem exponit a num. 3, e quo conficitur, laudatum pontificem valde congrue et opportune sibi in ista profectione comitem adjunxisse virum nostrum sanctum. Nam Lotharius in demissa illa sui abjectione in gratiam Innocentii, in propriam, ut loquitur Manricus, « utilitatem cuncta convertere, et vel ex ipsa pietate quæstum, ex religione potentiam intentare, ne gratis Innocentio famularetur, investituras usurpatas olim Ecclesiæ, sed a Callisto secundo, ut supra vidimus, vindicatas constanter, inter obsequia repetere ausus est, ratus pontificem tunc adhuc Roma exsulem, imo et profugum, eoque ejus ope indigentem adversus æmulum, nihil sibi petenti negaturum, cui vel tacenti solum et acceptanti omnia indulgenda forent ab Anacleto. Hic major Innocentii conflictus fuit, si concessisset, Ecclesiam pene prodentis, quippe ementis tiaram de Petri juribus, imo de vero Christi patrimonio, eoque jam indigni pontificatu, sed destituendi a Lothario si resiliret, atque ipsa illius regis desertione Ecclesiam diu divisam quassatamque, amplius atque hostilius divisuri. Tunc primum sensit, Bernardum nequaquam casu nec humano consilio illuc venisse, neque rebus pacatis adductum, ut frueretur; sed motibus se-

Digitized by Google

dandis, qui jam emergerent, ni reprimantur, violentius grassaturis.

176. « Cæterum qualiter hæc omnia gesta sint, qualiterque imminentem tempestatem Bernardi Patris constantia compescuerit, quo major dictis fides et pondus insit, Bernardi alterius, quem nos cum Mabillonio Ernaldum rectius vocamus, Bonævallis abbatis verbis præstabit. » In Vita ergo, lib. II, cap. 1, num. 87 editionis nostræ ita loquitur : « Soluto concilio, Remensi, Leodium dominus papa Romanorum regi occurrit. (Sed Innocentii iter Leodium ante concilium Remense accidisse, demonstratum est e præfatione Mabilloniana, proxime superiore paragrapho a nobis producta), et honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejus prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana Ecclesia vindicarat. Ad quod verbum expavere et expalluere Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romæ. Nec consilium suppetebat : donec murum se opposuit abbas sanctus. Audacter enim resistens regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit. » Sic ibi biographus ille omni fide dignissimus. Huc etiam respexit ipsemet sanctus Pater in epistola sua 150, quæ dirigitur ad Innocentium PP.; ubi illum laudans ex variis recte factis, ejusque zelum excitans adversus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis sedem Turonensem invadere tentabat, hæc ei in memoriam revocat : « Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquiescere importunis improbisque postulationibus iracundi atque irascentis regis. »

177. Hinc conficitur primo, præsens factum Lotharii regis non satis vere ac graphice narrari ab Ottone Frisingensi episcopo in Chronico, quod anno Christi 1585 Francofurti excusum est, lib. VII, cap. 18, pag. 149, quando de illo sic ibi scribitur : Nil cunctatus, exposito tamen prius *modeste*, in quantum regnum amore ecclesiarum attenuatum, investituram eorum quanto sibi dispendio remiserit, auxilium Romanæ Ecclesiæ promittit. Conficitur secundo, quam longissime aberrasse a vero, et redargui, ut Baronius loquitur ad annum Christi 1131, mendacissimum Petrum diaconum Cassinensem, dum in gratiam ejusdem Lotharii, cui postea (ut suo loco dicturi sumus) inhæsit, adversus tam apertissimam veritatem de investituris, affirmat eas ab Innocentio papa in eo conventu Leodiensi Lothario fuisse concessas, sic dicens Chron. Cassin. lib. IV, cap. 99. « *Innocentius igitur Germaniam ingressus, a Lothario rege juxta Leodium excipitur, virgam ei et annulum antiquo ex more confirmans.* » Chronicon Cassinense inter Rerum Italicarum scriptores ab aliquot jam annis typis Mediolanensibus editus, tom. IV recusum est ac notis illustratum; in quo in notis ad libri quarti, caput 97, pag. 555, terminum mendacii, a Baronio adhibitum, mitigare quidem conatur notarum istarum scriptor; sed ex eo apertissima Petri falsitas purgari non potest. Porro *investitura* est traditio, missio in possessionem, ex verbo *vestire*, mittere in possessionem, suo loco, inquit Cangius, in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis tomo III, col. 1529 novissimæ editionis; ubi deinde plurima subjungit eruditus auctor de variis modis seu formis vel symbolis, quibus traditiones istæ fiebant, atque exemplis confirmat, quæ legi apud ipsum possunt. Rebus autem tunc temporis in urbe Leodiensi peractis accensenda est coronatio regis Lotharii, Bernardo præsente, per Innocentium PP. ibidem facta; sicut Annales Cistercienses ad annum 1131, cap. 1, num. 5, pluribus memorant, et sic pergunt num. 6 :

178. « Dum Innocentius Leodii commoratur, Bernardus Pater Atrebatum, Gallo-Belgicæ provinciæ urbem in Artesia, adiit, miraculosum atque recens e cœlo delapsum cereum, Deipara afferente, visiturus, prout ibidem asseritur e Ferreolo Locrio, qui in Chronico Belgico ad annum 1130 his verbis excursionem illam describit : S. Bernardus, quum aliorum, tum sacri cerei, recens e superis per Virginem Deiparam allati, videndi et honorandi causa venit Atrebatum. Quo quidem viso et suis laudibus ornato, tanta mellifluus doctor spiritus dulcedine repletus est, ut ad perpetuam memoriam in vetere cœnobii Vedastini cœmeterio, et regione Curiæ Comitis, ut vocant, crucem erigi curaverit. Quippe illic recte locus, in quo stans Bernardus compos fuit votorum : juxtim nimirum sacrum pignus reconditorum suum tum obtinebat, vico cui a Picis nomen. Duravit id monumenti (crucem intelligo) in annum 1647; quo tempore, quia in ruinam desinebat, Vedastinis ascetis instaurare visum est, et augustiore, hodie aliud cernimus, donare forma. » Ita Locrius ex monum. D. Pronier, majoris in S. Vedasti prioris. Vellem equidem, quæ de sancti abbatis nostri ad prodigiosum illum cereum itinere narrata sunt, ex aliis videre documentis stabilita.

179. Cerei vero istius historiam prædictus Locrius præmiserat ad annum 1105, hæc de illo scribens : « Atrebati in cathedrali templo cereus ille, per orbem Belgicum memoratissimus, duobus histrionibus seu citharœdis (joculatores Iperius vocat) Iterio Paulinati, et Normanno Brabantino ab ipsa Deipara cœlitus affertur, ardenti igni (de quo ad annum 1092, et alibi diximus) exstinguendo promptissimum et singulare remedium. Ex quo quidem cereo nihil hactenus imminuto (Florebat Locrius ineunte sæculo XVII, et anno Christi 1614, XI Kal. Septembris obiit, e Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ) : quin, licet sæpe ardeat, mirifice aucto, multi alii cerei conflati fuerunt; velut Brugensis, Falcobergensis, Bononiensis, Nigellanus, Arkensis, Blendecanus, etc. Agunt de prædicto cereo Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem VI Februarii, Meyerus in Annalibus

Digitized by Google

rerum Flandricarum lib. IV ad annum 1095, Malbrancus de Morinis lib. IX, cap. 15. « Porro cereus iste Atrebatensis, uti addit Locrius, nobilissima pyramide medium fori minoris occupante (erecta fuit anno 1215) reclusus, pompa admodum solemni ad cathedralem ecclesiam annue defertur, ac redditis ibi votis, cereisque duobus pondere quadraginta librarum oblatis, in oppidum refertur ad proprium sacellum Dominica die infra Octavam solemnitatis Corporis Dominici. » At nos ab hac digressione denuo in viam redeamus.

180. « Crediderim, ait Manricus ad annum 1131, cap. 1, num. 8, hoc eodem anno factum, ut Guericus, magnum futurum incrementum totius Ordinis, qui dudum ex magistro scholæ Tornacensis in canonicum majoris ecclesiæ, sanctitatis et doctrinæ fragrantia promotus fuerat, relictis omnibus, Bernardum sequeretur, per ipsum erudiendus in Claravalle. Quin insignem illam conversionem usque ad triginta juvenum litteratorum, divitum, nobilium, inter quos etiam Gaufredus de Perona, et Robertus de Brugis, uterque magnus, quam Leodiensem capturam auctores appellant, ultra hunc annum nequaquam differendam, argumento est, quod Robertus de Brugis, ex eis unus, non multo post Dunensi cœnobio præfectus legitur, saltem nulla interjecta, quam sciamus, alia Bernardi in Leodium profectione. Eam conversionem quia et numero copiosior, et qualitate clarior.. Godefridi Clarævallensis verbis primum, qui non multo post Bernardo Patri adhæsit, atque ab ejus et conversorum ipsorum ore cuncta perdidicit... declarabo : « *Inter cæteros*, ait in Vita, lib. IV, cap. 2, num. 204, *quos de vana conversatione hujus sæculi per ministerium servi sui Christus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando nobiles, multi sapientes et litterati viri ipsius magisterio sacram professi sunt, servitutem. Quorum primus videbatur Gaufredus ille de Perona, qui postmodum in Claravalle prioris officio functus est, et defunctus in eo.* » anno circiter Christi 1146, ex Manrico ad istum annum cap. 11, num. 9. Idem auctor ad annum, de quo agimus, 1131, cap. 2 historiam conversionis istorum tanquam singularem ac variis etiam rerum adjunctis vestitam resumit et seorsim tractat. Verum quandoquidem adeo vasta nobis superest in tot tantisque Bernardi undequaque maximi rebus percensendis materies; adeat lector Manricum mox citatum, Bernardi epistolam 109, Gaufrido et sociis ejus inscriptam ac biographum Gaufridum lib. IV Vitæ sancti nostri, cap. 2.

181. Rationem vero temporis declarare conatur idem Manricus ibidem num. 5, eorum conversionem innectens anno Christi 1131. Sed Mabillonius in notis brevibus ad istam epistolam, « De his, inquit, intelligendus est Hermannus monachus Tornacensis in Spicilegii Acheriani tomo XII, pag. 479, ubi de S. Bernardo, quem « *tam ex Ecclesia sanctæ Mariæ Tornacensis, quam ex ipsa diœcesi clerici* (*videlicet*) *multi famosi Domnum Bernardum abbatem Clarævallensem conversionis gratia secuti sunt.* » Hoc factum refert Hermannus pag. 476 post annum 24 pontificatus Simonis Noviomensis, qui sedere cœpit anno 1122. Non ergo hæc epistola, ut Manriquez censet, ad annum 1131 (atque adeo nec Gaufridi et sociorum conversio) referri potest. « Deinde Bernardus dicit in ista epistola, Devotus suppono humeros, etsi jam fessos, sarcinæ huic. » Unde conficit Mabillonius, « Bernardum jam senectæ proximum tunc fuisse. »

182. Sed Manricus ad annum 1131, cap. 2, num. 5 citato objiciens sibi eos, qui propter Bernardi senectutem censent, « Gaufridi conversionem post annos quindecim, aut plures contigisse, Sancto nimirum prædicante crucem Leodii sub Conrado et Eugenio, hoc pontifice, illo imperatore..., respondet, hoc mihi, inquiens, probabile apparet, si non obstaret simultanea cum Gaufridi conversione Roberti Bruxellensis (imo Brugensis) memorata conversio, quam non potuisse contingere illo anno, compertum est. Quippe Robertus ante annos octo, Christi nimirum 1138 Dunensi monasterio præfectus, in quo omnes conveniunt, atque eo directus a sancto Patre... nequaquam potuit non antea novitius esse, non professionem emisisse, ac monachum egisse per tempus aliquot. Quod de humeris fessis objicitur, ad probandam tunc sancti senectutem, non urget, præcique in homine, defectu viriura fragili, gravitate morborum pene inutili, et de quo medici longe ante judicassent, vix posse conservari sine miraculo; » quique adeo, secundum Manricum, potuerit ita loqui, etiamsi nondum esset senex. Quod autem asserebat idem auctor, Robertum Brugensem simul cum Gaufrido de Perona conversum fuisse, probarat cap. 2, num. 3 ex sepulcris Clarævallis, in quibus scriptum, ait, legimus. *Quod cum illustri viro Gaufrido de Perona thesaurario ecclesiæ Sancti-Quintini, in hac Claravalle habitum suscepit.* Non video quidem, nodum hunc chronologicum facile extricari posse, si superius a Manrico et a Mabillonio dicta conversio cadat in easdem personas, et in idem tempus; aliud est, si duplex fuerit, temporeque ac personis diversa. Certe in textu, quem citabat Mabillonius, nullius conversi nomen exprimitur : sed tricarum plus quam satis.

183. Historicus Cisterciensis ad annum 1131 cap. 3, agit de Innocentio PP., qui Leodio reduc primo Cluniacum, mox Claramvallem visitarit : de hospitio illic pontifici exhibito (Rem describit Ernaldus lib. II, Vitæ S. Bernardi, cap. 1) de monachis ibidem a cacodæmone turbatis, sed a Bernardo pacatis, ex Ernaldo citato : item de concilio Remensi, ac ratione temporis. (Vide a nobis præmissa, § 16.) Quod autem vir sanctus eidem concilio interfuerit, narrat Manricus cap. 4. « Interim, ait ibi num. 3, Innocentius perlustrans Franciam, condictæ synodi diem præstolabatur; comitante Ber-

Digitized by Google

nardo, an sine ipso, minus expressum. Certe quo tempore concilium agebatur, pondus cunctarum rerum penes ipsum fuit, » teste Ernaldo, lib. II Vitæ, cap. 1, num. 87; qui ista memoriæ prodidit de Innocentio : « Perlustrata igitur Francia, Remis convocavit concilium, in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum, vivente patre (Ludovico Crasso) pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus his dominus papa abbatem a se separari non patiebatur, sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed et privatim quotquot habebant negotia, virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad curiam, et oppressis patrocinia exhibebat. » Itaque sanctus doctor Remensi concilio non solum interfuit, sed egregiis etiam auctoritatis splendoribus inter Patres ibidem congregatos fulsit. Sed an ibidem duos sermones recitavit ?

184. Uterque habetur apud Mabillonium inter opera supposititia S. Bernardi volumine II, col. 735 et sequentibus. Et primo quidem, qui inscribitur ad clerum in concilio Remensi congregatum, sequens inuritur censura : « Non est Bernardi, cui superbum et insolens videretur, episcopos universosque prælatos *fratres* appellare, quanto minus *diabolos*, uti hic fit num. 3. Cujuscunque sit, ex Bernardi centonibus totus constat, coram papa, ejusque jussu habitus, ex num. 1, » Secundo autem ad pastores in synodo congregatos præmittuntur ista : Cujuscunque sit, nec inelegans est, nec lectu indignus. Manricus cap. 4, num. 7, ita de iis statuit : « Crediderim orationes Bernardi in eo concilio, cum aliis ejus opusculis amissas, atque hac, quæ circumferuntur sub ejus nomine, ab inferioris eloquentiæ auctore conditas, habitasque in concilio minus gravi. »

185. Ad splendorem, qui hoc anno abbati nostro æstimatissimo delatus est, addi potest primo electio ejus, ut cathedræ Catalaunensi episcopus præesset, ex Chronico Alberici monachi Trium-Fontium, quod vulgavit Leibnitius accessionum historicarum tomo II, ubi pag. 269 res hæc ita refertur ad annum 1131 : « Cum beatus Bernardus in episcopum Catalaunensem fuisset electus, recusavit, et per ipsum Gaufridus abbas sancti Medardi Suessionensis fit episcopus Catalaunensis. » Addi potest secundo duplex miraculum, quorum altero mulierem diu claudam erexit et sanavit; altero reddidit saluti puerum sine intermissione plorantem. Primum perhibet Gaufridus monachus Clarævallensis in Vita, lib. IV, cap. 4, num. 232; secundum vero Guillelmus abbas in Vita, lib. I, cap. 6, num. 59. Utrumque accidit in monasterio Cariloci, vulgo *Charlieu*, in diœcesi Bisuntina, anno 1131 fundato; quod inter alias Manricus cap. 8, memorat Bernardi filias, de quibus ibidem meminit. De eo etiam Sammarthani in Gallia Christiana tomo IV, pag. 225, S. Bernardus nominat illud in epistola 197, ad Petrum Bisuntinum decanum, et in epistola 198 ad Innocentium papam.

§. XVIII. *Plurimi a sancto Patre conversi; Januenses pacati; scripta deinde ad illos epistola; gratus eorum animus erga Sanctum; annus, quo Romam advenit; gesta vero re monastica, imperii ac sacerdotio.*

186. Anno 1132, insigne sancti Patris vaticinium gitur in Annalibus Cisterciensibus cap. 1, num. 7, his verbis : « Pater sanctus... tirones, quos adduxerat ex Belgio, pluresque ad eum confluentes ex toto orbe (nam usque ad centum novitios exercuisse, idque non semel, antiquæ memoriæ produnt) verbis pariter et exemplis confirmabat. « *Ex quibus cum Godefridus de Perona primo tempore tirocinii sui pro patre suo viro nobili et potenti, quem in sæculo reliquerat, filiali pietate sollicitus Patrem sanctum pro ejus conversione rogare Dominum affectuosius exorabat; cui vir Dei : Ne timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Claravalle sepeliam. Utrumque secutum est,* » prout narrat Gaufridus lib. IV Vitæ, cap. 2, cujus verba produxi, ubi etiam rei eventum refert. Quam impense ac feliciter vir magnus steterit pro pontificatu Innocentii II in Gallia ac Italio propugnando, patet ex præmissis § 16. Verum dicamus hoc loco nonnulla magis sigillatim de rebus præclare ab ipso gestis in Italia, eum cum laudato Innocentio illuc proficiscentem comitaturi.

187. Ernaldus in Vita lib. II, cap. 2, de Innocentii e Gallia discessu ita scribit : « Longas in Gallia facere moras dominus papa non potuit, sed, sicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit. » Iter illud in Italiam accidit eodem anno 1132; quod pluribus describitur apud Pagium in critica Baroniana ad dictum annum, num. 1, et sequentibus; ubi etiam invenies, eos inter se egisse, antequam Romam pervenissent, habito in Longobardia colloquio. Manricus cap. 1, num. 8, ejusdem anni, « Salutato, ait, Lothario post colloquia, Innocentius Bernardum Januam mittit, ipse Pisas progreditur, pacem si posset, inter utramque urbem reformaturus, quæ diu turbida, præter continuas cædes stragesque, non parum officiebat rebus pontificis. » Negotium porro gravissimi momenti e voto utrius que successit : cujus eventum ita commemorat idem Annalista cap. 6, num. 1] : « Longa dissidia turbabant utramque gentem, Januenses nimirum Pisanosque, et dum vel levium ab utrisque offensionum vindicta quæritur, majores obortæ, primo in querelas et jurgia, mox in odia, demum in publica bella transiere... Et Januenses prosperiori tunc fortuna ac majori potentia, eoque tardiores ad pacem sperabantur. Cum, ecce, missus Bernardus ab Innocentio feroces animos in momento compescuit, in instanti sedavit, quæcunque jubeat prompte exsecuturos. Nulla ibi cunctatio, nulla mora. Venit, vidit, vicit, et solo aspectu debellavit quæcun-

Digitized by Google

que voluit. Delatum Innocentio papæ est, atque Pisanis pactis interventuris. Quo minus pax ibi dem firmaretur, Januensibus Bernardo obtemperantibus, et submittentibus seipsos ejus arbitrio, alterius tantum partis absentia fuit. Hinc factum est, ut qui legatus pro negotio pacis venerat, vix de pace tractaret, impetrata pene ante, quam proposita. Sed breve tempus, quo illic moram fecit, prædicationi verbi potius dedit, eo ferventius animarum salutem evangelizans, quo avidius a cunctis audiebatur, quo fructuosius.

188. « Jam qua veneratione susceptus sit, quo in honore, cultum præ se ferente, vel vivus habitus, non aliunde convenientius hauriamus, quam ab ejusdem sancti, post annum licet, ad eos scripta epistola gratulatoria quidem, et confirmatoria in incepto, sed et historica; » quæ est inter Bernardinas ordine centesima vigesima nona. Inde autem excerpo sequentia, quibus confirmentur et jam mox dicta, et inferius dicenda : « Quod adventus noster ad vos anno præterito non fuerit otiosus, Ecclesia paulo post in sua necessitate probavit, a qua missi et fueramus. Honorifice nos et suscepistis, et tenuistis exiguum quod apud vos fuimus... Profecto ut non immemores, sic non ingrati sumus : vicem rependat, qui potest, et qui in causa fuit, Deus. Nos enim unde illum recompensemus venerationis cultum, sed obsequium, sed affectum, plenum amoris et gratiæ ! Non quod nostro delectemur favore; sed vestræ devotioni collætamur. O mihi dies illos festivos, sed paucos ! In æternum non obliviscar tui, plebs devota, honorabilis gens, civitas illustris. Vespere, et mane, et meridie, more utique Prophetæ, narrabam et annuntiabam, et erat tanta audiendi aviditas, quanta audientium charitas. Portabamus verbum pacis : cumque invenissemus filios pacis, requievit super eos pax nostra... Mira celeritas, quia magna necessitas. Nec tarditatem passus sum, nec difficultatem, una pene die et serens et metens, et reportans cum exsultatione manipulos pacis. Hæc quippe messis, quam messui. Exulibus, captivis, compeditis et incarceratis evadendi atque repatriandi lætam reportavimus spem, metum hostibus, confusionem schismaticis, gloriam Ecclesiæ, orbi lætitiam, etc. »

189. « Id vero In æternum non obliviscar tui, experti revera sunt Genuenses anno 1625 Bernardo in auxilium vocato in bello contra Carolum Emmanuelem Sabaudiæ ducem, » ex notis brevioribus apud Mabillonium col. 139. Factum pluribus exponit Manricus cap. 6, supra designato, num. 6 : Januenses, inquit, ea verba Patris sancti : In æternum non obliviscar tui, plebs fidelis, adeo sibi firmasse consueverunt, imo et experti sunt, ut etiam post quingentos fere annos, Christi nimirum millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vix septem elapsis ab eo, quo hæc scribimus, cum excellentissimum principem Carolum Emmanuelem Sabaudiæ ducem... ditionis suæ oppida vastare, et sibi immi- A nere vix quinto ab urbe lapide conspicerent, omni humano auxilio desperato fidem sanctissimi Patris interpellaverint, concepto voto post alia in hunc tenorem : *Post hæc inter Divos Reipublicæ nostræ tutelares, divum Bernardum, qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non obliturum se, suis litteris spopondit, ascribere et connumerare promittimus, et vovemus diem ejus festum celebrare, et a populis nostris et a clero, accedente illustrissimi archiepiscopi, et reverendissimorum episcoporum consensu, celebrari curare : in hac ecclesia majori, vel in alia arbitrio nostro, capellam eidem dicatam construere : eadem die divi Bernardi quotannis in perpetuum solemnem processionem fieri, et sacrum solemne ad ejus altare, nobis pie assistentibus, celebrari* B *facere : et demum manu ducis inter dicti sacri solemnia singulis annis in perpetuum, et pro hoc anno duodecim puellis, ut vocant, dotes, scilicet libras centum unicuique earum persolvere. In cujus rei testimonium has ab infrascripto nostro secretario publice lectas recipi et subscribi, et signo nostro muniri jubemus, datas in ecclesia cathedrali, die Dominica vigesima quinta Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti.* »

190. Hæc Januenses, instante ruina suæ Reipublicæ. At quam ex voto id votum eis successerit, non multo post eventus demonstravit. Nam Pater sanctus, dilato solum auxilio, quoadusque ipsius esse comprobaretur, in ipsa solemnitatis suæ vigilia, Hispana classe auxiliari propitius adfuit, hostiles C copias ocius fugaturus. Nec quisquam in populosa urbe fuit, qui non Bernardi cognosceret tutelam, præsentem sanctum, cui beneficium acceptum reddendum foret. Hæc obiter epistolæ occasione, suis temporibus latius commemoranda. Quin et addiderim hujus beneficii memoriam recentem adhuc, non tantum Genuæ, sed ubique etiam terrarum Januensibus festivam atque devotam. Certe in Hispania in curia regis Catholici ob negotia frequentes anniversariam sancti festivitatem devoti celebrant simul, et liberales in ipso cœnobii sui templo per annos singulos. Cujus nos etiam oculares testes fuimus, dum pro alma Salmanticensi academia ad potentissimum Hispaniarum regem legatum agere D mus anno præterito. Sed de his satis.

191. Nos iterum in vitam chronologicam, unde cum Manrico tantisper digressi sumus, reducamus gesta sancti Bernardi. Ab eodem itaque historico ad annum 1132, cap. 7, num. 10, tractatur de Brunone ad cathedram Coloniensem designato, ac sanctum Patrem consulente, an acceptaret ejusdem regimen; et subditur Bernardi ad illum responsoria, quæ est ordine inter epistolas octava. Cap. 8, num. 8 datur sancti epistola 96, quæ dirigitur ad Richardum Fontanensem (diœcesis Eboracensis, vulgo *York* in Anglia) abbatem, et socios ejus, qui de alio ordine ad Cisterciensem transierant, in qua ab eo laudantur ob renovationem religiosæ disciplinæ. In capite allegato, num. 9, sequitur epistola 95

Digitized by Google

ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem, cujus charitatem et beneficentiam erga religiosos laudat. Cap. 9, num. 3, occurrit sancti responsoria epistola 94, ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, unde exierat prior cum aliquantis fratribus. Ultimo denique loco ibidem num. 4, sequitur ejus ad Henricum regem Anglorum epistola, qua monachis a se missis ad construendum monasterium, regis favorem postulat. Epistolas porro sic inscriptas habet Mabillonii editio. Quem vero in eisdem scopum sibi præfixerit vir sanctus, tot quidem occupatus negotiis, sed indefessus pro bono Ecclesiæ, ut supra vidimus, ac religiosæ suæ familiæ propagatione patronus, uti dicebamus modo, intelliges ex notis brevioribus apud Mabillonium in epistolam 94. Nam occasione inscriptionis ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, quam paulo ante retulimus, abbatem illum, uti et monasterium nominat, et alia : « Gaufridum scilicet, abbatem monasterii S. Mariæ in diœcesi Eboracensi ordinis S. Benedicti, quo ex loco monachi duodecim cum priore egressi, cum ad Cistercienses convolare eis non liceret, confugium fecerunt ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem, quem ob præsidium eis impensum laudat Bernardus epistola sequente. Confer notas uberiores, et epistolam 313 ad eumdem Gaufridum. Et in epistolam 95 hæc observat : Quid Turstinus præstiterit in defensionem prædictorum monachorum, qui studio majoris perfectionis ad eum confugerant, docet ipsius epistola ex Monastico Anglicano referenda post Bernardinas. »

192. Annus Christi 1133, in quem incidit Innocentii PP. II ac Lotharii regis adventus ad urbem Romanam, candido calculo notari dignissimus est propter varia facta, quæ sanctus abbas noster per ejusdem decursum reliquit memoriæ posterorum consignanda. Ad hunc itaque annum cap. 1, num. 2, Manricus ita memorat : « Cum ante Urbis ingressum starent omnes, nec Innocentio suppeterent subsidia, queis tantum posset eamdem intrandi negotium pertractari ; ut nullis non periculis, nullis non necessitatibus unus Bernardus per omnia subveniret, talem ad regem Angliæ Henricum, quem ipse ad Innocentii partes traxerat, ab ipso urbis ingressu scripsit epistolam, brevem quidem, sed vividam, sed acrem, atque eo efficaciorem, quo breviorem. « Habetur ea inter alias sancti epistolas ordine centesima trigesima octava, qua a dicto rege suppetias petit pro Innocentio papa. Sic habet : « Velle vos instruere, de his præsertim, quæ spectant ad honestatem, aut insipientis est, aut vos penitus ignorantis. Ea propter rem simpliciter intimare sufficit, et hoc paucis... In ingressu urbis sumus, salus est in januis, justitia nobiscum est : sed Romanis militibus cibus iste non sapit. Itaque justitia placamus Deum, militia terremus hostes ; solis necessariis necessaria non habemus. Quid opus sit facto, ut opus vestrum compleatur, quod de domini papæ Innocentii magnifica et honorifica illa susceptione fecistis, vos melius nostis, » agnoscendo scilicet Innocentium in conventu Carnotensi, ex notis fusioribus ad istam epistolam, et ex Vita, lib. II, cap. 1.

193. Cardinalis Baronius, uti observat Manricus, num. 4, anno sequenti suppone videtur, Bernardum Patrem non adiisse hoc anno Romam cum Innocentio, imo neque in Italiam transmeasse, in quam triplicem tantum adventum ejus agnoscit, duplicem eo anno, nempe 1134, tertium post duos. Atque ea ejus verba ad annum 1134, num. 14 : « Porro ter contigit eumdem sanctum Bernardum venire in Italiam ad Innocentium papam, primo hoc anno, cum Pisas ad concilium venit ; secundo, paulo post eodem anno, ut testatur ejus Vitæ auctor his verbis : *Cum secundo per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret*, etc. Tertius vero fuit adventus, quando Lotharius imperator se contulit in Italiam cum exercitu, et finis est impositus schismati obitu Petri Leonis. » Verba auctoris Vitæ, quæ designabat Baronius, extant apud nos lib. II, cap. 3, num. 188. Eminentissimus autem Annalium ecclesiasticorum conditor ita refutatur a Manrico, num. 5 » « Cæterum quidquid sit de illis adventibus, de quibus nos, ait, agemus suis temporibus ; hoc etiam anno venisse cum Innocentio, nuper adducta epistola testatur, locuples testis : In ingressu, inquit, Urbis sumus. Quin et legatio per ipsum ad Januenses, de qua superius, manifestat id ipsum, atque item altera ad Conradum Suevæ ducem, quam mox adducam. » Adde, quod ex exordio Cisterciensi compertum est, per tres annos exsulasse sanctum a suis filiis, dum in Italia pro schismate sedando commoraretur, quos tamen nisi ab anno 1132 usque ad 1135 pensaverimus, vix aut ne vix (quidem) valeamus designare.

194. Quippe a 1135, quo constat eum in Galliis demoratum, usque ad 1137, quo iterum e Romana curia reversus legitur, non tres, sed duo tantum designabimus. Exordii magni verba accipiat lector, quæ apud Tissierium distinctione II, cap. 11, sic habent : Venerabilis Pater Bernardus, cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Romana, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis, etc. Subdit Manricus : « Atque hæc una illi causa fuit, tam longo tempore filios deserendi. Ergo Bernardus assistens Innocentio hoc ipso anno, quod non potest in dubium revocari, ad Anacletum missus credendus est simul cum sancto archiepiscopo Norberto, ipsum, si possent, Ecclesiæ redditurus. » De tribus vero sancti Bernardi profectionibus in Italiam distinguendis tractat etiam Pagius in Critica Baroniana ad annum 1134, num. 10, ubi Manricum laudat, quod triplicem ejus profectionem Italicam recte distinxerit, et hanc ad objectionem ita respondet : « Nec refert, quod in Lotharii imperatoris epistola, anno præcedenti a nobis recitata, nomen Bernardi non memoretur ; licet aliqui episcopi et abbates in eadem nominen-

Digitized by Google

tur; nam in curia imperatorum et regum, episcopi et abbates præsentes non subscribebant omnes diplomatis, ideoque nec omnes in iis nominabantur. »

195. Quod conjectabat nuperrime Manricus de sancto ad Anacletum misso una cum sancto Norberto, nullum viri sancti, si ambo missi fuerint, itineris ea gratia suscepti fructum retulere, nam inflexibilem, ait num. 6, invenere sanctorum verba, neque ullis convenientiis emolliendum, nullis rationibus, secundum id quod Ernaldus, lib. II, cap. 2, Vitæ S. Bernardi scribit : « Vitavit etiam obstinatissime imperatoris colloquium, nec minis nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cujuslibet personæ admisit. » Ingressus vero Lotharii regis in urbem, ejusque ibidem coronatio imperatoria, hic pro insertis habeantur : de quibus tamen ista recito ex Chronico Ottonis Frisingensis, lib. VII, cap. 18 : « Rex autem plus mente quam milite confidentiam gerens, ad urbem usque progreditur; ibique qualibus potuit, cum paucis strenue peractis, in ecclesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, a summo pontifice Innocentio coronatus, imperatoris et augusti adeptus est nomen. Nempe ecclesiam beati Petri, ubi mos coronari erat imperatoribus, Petrus (Leonis) eo tempore occupaverat. » Sed promovendo rerum suarum successui minus confidens, atque adeo cunctando melius se eisdem prospecturum sperans, viribus utique inferior, sed locis tutior, « non ponens Deum adjutorem suum, sed confœderatorum stipatus malitia, in editioribus et tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, et interdicens suis congressibus publicis, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causam conflictus hostibus dedit : sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus et obstaculis variis impedivit, » teste Ernaldo superius allegato.

196. Sed Lothario Roma profecto erexit cornua; ut Innocentio etiam visum fuerit, magis e re sua fore, si et ipse deinde Pisas rediret. Audiatur Ernaldus ibidem sic loquens : « Relicto igitur Romæ Innocentio, alias imperator digreditur. Petrus vero post ejus discessum crebros movens per urbem excursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur : ibique aggregatis totius occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur; » de qua nobis erit sermo ad annum 1134, quo habita est. Interea temporis nonulla hisce superaddenda occurrunt; de quibus Annales Cistercienses, cap. 2.

197. « Innocentius, inquiunt, Pisis commoratus Bernardum Patrem ad Germaniam legat, Conrado duci post longum tandem schisma, de quo superius (quippe octo annorum) cum novo imperatore reconciliando, æquis utrinque pactis conditionibus, queis orbitas Lotharii locum dabat. Interim vero Rogerius Siciliæ quondam dux, tunc pseudorex creatus ab Anacleto, comperta sancti Patris profectione, atque ex ea occasionem nactus, ut rebatur, Pisanorum constantiæ demolliendæ, legatis eos et litteris aggreditur, multa pollicitus, si Innocentium deserant, si ad Anacletum transeant; plura, si in fide persistant, comminatus : utraque acriter et impense pro more principum. Nullis cessere precibus Pisani, nullis terroribus, docti perseverantiam a sancto Patre, atque Innocentio ex animo adhærentes. Quod Bernardo in itinere nuntiatum, æterna laude dignum censuit, tali ad eos epistola conscripta; » quæ legi potest, estque inter alias Bernardinas ordine centesima trigesima. Has litteras Baronius ad annum 1133, num. 10, perpetua memoria dignas vocat. Jam vero quæ ab eodem Bernardo, sicut scribit Manricus ad annum 1133, cap. 2, num. 3, in eodem itinere gesta perhibentur, ex illius temporis auctoribus, paucis, pro more, quia hunc annum concernunt, prosequamur.

198. Et primo quidem convertisse multos, ipsius militaturos auspiciis in Claravalle, ex quibus vacuæ fundatorum sedes resarcirentur, testis est abbas sancti Theodorici, qui inter capturas (sic ipse eas appellat) a beato viro factas, celebrem Moguntinam recenset, lib. I, cap. 13 Vitæ; in nostra autem divisione, lib. I, cap. 7, num. 68. Sed in hac Moguntina captura hominum, Mascelini præ aliis conversionem fecere celebrem, uti pergit Manricus num. 4, resistentia ejus, et Bernardi prophetia : quippe nolenti dixit convertendum, et reluctantem demum ad Deum traxit. Adisis Gaufridum monachum Claramvallensem, lib. IV Vitæ, cap. 2, num. 201, ubi factum hoc pluribus narratur. Crediderim, inquit Manricus, num. 5, in hoc etiam itinere ducissam Lotharingiæ ab eo conversam, insignem feminam, nec minus in statu peccatricis singularem, quam pœnitentis. Rem gestam habes apud Guillelmum biographum, lib. I, cap. 7. Cæterum, uti subdit Manricus, num. 8, quod ad Lotharingiæ ducissam attinet, constat ex tempore, eamdem fuisse Alcidem [imo *Atheleidem*, vel *Adelaidem*], imperatoris Lotharii sororem, Simonis conjugem, quæ illi Matthæum genuit, in Lotharingiæ ducatu successurum. Qualiter autem eadem ducissa in sanctitate et justitia perseverans, viro Dei in deliciis habita fuerit, quem et ergastulo corporis solutum, cœlos conscendentem videre meruit, eoque magis in bona confirmari, filia patrem, discipula magistrum per labores ad gloriam secutura. Manricus, inter illa quæ fecit noster sanctus in dicto itinere, num. 9, hæc narrat :

199. « Cum idem sanctus Romæ, ut dicebamus, Norbertum Patrem denuo convenisset novis eidem charitatis conjunctus vinculis, nova amoris indicia superaddidit. Hinc factum est, ut in eodem hoc itinere, cum Cameracum parumper divertisset, recens natos Valcellenses visitaturus, nobilissimam locupletemque abbatiam Tongerloensem a Bur-

Digitized by Google

chardo Cameracensium antistite impetrandam curaverit, et liberam tradendam Præmonstratensibus. Quod ad ipsius præcipue instantiam factum, testis idoneus (instrumentum donationis) confirmat, quem Aubertus Miræus producit. » Habetur illud instrumentum in ejusdem Chronico Cisterciensi, quod coloniæ Agrippinæ vulgatum est anno 1614, p. 90 et sequentibus. En tibi hoc fragmentum, quod inde huc transcripsisse sufficiat in rem nostram : « Ego itaque Burchardus, Cameracensium episcopus, petitionem religiosorum virorum, Waltmanni videlicet Antverpiensium abbatis, et Bernardi Claravallensis, approbandam æstimavi, supplicantium, ut ecclesiam de Tongerlo libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonstratensis ordinis, sub regula beati Augustini degentes, libere et quiete Deo famulati valeant. Quam petitionem bonam judicans, ideoque benigne exaudiens, prædictam ecclesiam B. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ab omni exactione debitisque obsoniis ad sustentandos canonicos, in ea Deo sanctæque ejus Genitrici servientes, liberam facio. Deinde... libens constituo, ut in statuendo abbate sanior pars conventus liberam potestatem obtineat; electus vero Cameracensi episcopo præsentetur, etc. Inter plures autem, qui sigillum suum subscribunt, habetur S., id est, sigillum « Bernardi Claravallensis. Acta sunt hæc Cameraci anno Dominicæ Incarnationis 1133, regnante Conrado semper augusto. » Sed Burchardus, anno 1131, obiisse legitur in nova Galliæ Christianæ editione tom. III, col. 27. C

200. De utilitate vero, quam sanctus abbas per suam legationem, de qua nuper institutus fuit sermo, attulit communi bono Ecclesiæ ac principum secularium, ita loquitur Manricus n. 10. « Jam quod ad legationis fructum attinet; impetrasse Bernardum, compertum est, et, Lothario ac Conrado reconciliatis, pacem imperio firmasse per longum tempus. De his in historia Polonica, ex collectione Joannis Pistorii Nidani, anno 1582, typis Basileensibus excusa; in qua tomo II, lib. v, pag. 485, dicuntur ista ad annum 1126. In Germania et Italia Conradus Suevus cum fratre Friderico contra Lotharium cæsarem arma sumpserant, donec victi ab eo, Bernardi Clarævallensis abbatis, doctrina, pietate, et D sanctimonia vitæ clari opera ipsi reconciliati sunt. Atque adeo sic factum est, quemadmodum subdit Manricus, ut in causa plane consimili, nil minus regnum Bernardo Patri deberet quam sacerdotium, et ut, qui Ecclesiæ pontificem firmaverat, orbi non minus firmaret imperatorem. Verum illud, quod asserebat modo historicus laudatus Cisterciensis, Bernardum... pacem imperio firmasse per longum tempus, non satis combino cum iis, quæ habet Pagius in Critica Baroniana ad annum 1135, n. 12. Etenim ibidem agens de principibus Imperii cum Lothario imperatore pacem jurantibus, inter alia, quæ recitat ex Chronographo Hildenseimensi ad dictum annum 1135, transcribit sequentia : « In festo sancti A Michaelis, in loco, qui dicitur Mulenhusen, Conradus frater Friderici ducis imperatori reconciliatur. » Et mox hæc observat : Jam anno 1133 (ann. 1134 signat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi) Conradus cum eo in gratiam redierat; sed aliquod postea dissidium inter utrumque exortum esse oportet. Nisi forte sint intelligenda de actu minus solemni concordiæ, quæ inita ab ipsis prius fuerat; illa vero, quæ in Mulenhusen accidisse dicebantur, de reconciliatione, quæ in publico principum conventu firmata fuerit juramento post primam, forte etiam juratam, sed ritu minus solemni.

§ XIX. — *Acta in concilio Pisano, ac Mediolani.*

201. Annus Christi 1134, quem cum historico Cisterciensi hic aggredimur, magni Patris Bernardi fama cum summa venerandi nominis ejus commendatione egregie inclaruit tam e rebus ac miraculis apud Mediolanenses atque alibi in Italia peractis, quam e concilio Pisano, quod ibidem hoc anno celebratum est. Quæ omnia nobis præbent nobile de laudibus sanctissimi viri argumentum. Condixerat, inquit Manricus cap. 1, num. 1, Innocentius concilium Pisis hoc anno Christi 1134 celebrandum, cui etiam adfuturus erat, magna tunc pars Ecclesiæ, Bernardus Pater, ex ejusdem pontificis præcepto. Cum ecce, properantem illuc adire interceperunt legati ex Mediolano, secum, si possent, sanctum reducturi, per quem pontifici reconciliarentur, per quem Lothario; hoc ultimo per electionem succedente in Henrici imperatoris defuncti locum. Conradum nihilominus Sueviæ ducem, ejusdem Henrici sororium, jure sanguinis regnum affectasse, superius dictum. (Consule annum 1125, cap. 1, num. 6.) Quin a Mediolanensibus susceptum, Modici, seu Modiciæ, vel Modoetiæ, sede regni Italiæ (ubi imperatores solebant coronam ferream accipere, sicut notat Baudrandus) ab Anselmo archiepiscopo inunctum, ac regem Romanorum acclamatum, ex ejusdem Conradi fratre Ottone Frisingensi etiam tradidimus, ut videre licet loco mox assignato. Ergo in hac fide constantes, seu pertinaces, dum Conrado adhærent, Lotharium respuunt, propter Conradum Innocentium etiam adversabantur. Quippe Innocentius hæreditaria ab Honorio protectione, dein multis neque exiguis obstrictus meritis, partes Lotharii causamque promoverat.

202. « Cæterum jam Lothario coronato, et Conrado per Bernardum cum illo composito, cum nullo tenerentur juramento præstitæ fidei, et alias vellent Ecclesiæ reuniri, gratiam Pontificis imperatorisque, Anacleto abjurato, per eumdem Bernardum auspicabantur [*f.* aucupabantur]. Hæc publica legationis occasio fuit : sed præter hanc specialis alia pluribus, qui sanctitatis Bernardi et discipulorum ejus fama perculsi, conversique, et jam tunc seculi delicias spernentes, sancti Patris adventum si non prævenerant, saltem præventi a Deo præstolabantur, ipsius se magisterio tradituri. Ex his, ni fallor, legati delecti sunt, quasi ex ipso conversionis suæ proposito

Digitized by Google

sanctum Patrem efficacius persuasuri. Et divertisset statim ad eos Pater dulcissimus, nisi Pisani concilii tempus instaret, cui, salva pontificis obedientia, abesse nequaquam posset. Respondebit tamen, inducias breves petens, se ipsum post concilium exhibiturus. Et quoniam Mediolanensis cleri præcipue opera eadem civitas, absterso primo errore, ad unitatem Ecclesiæ revocabatur, hanc primo ad clerum epistolam scripsit. » Hæc e Manrico. Sed, sive eadem exarata sit primo, sive non, habetur tamen primo loco, et ante duas alias in earumdem collectione.

203. Epistola autem illa, quæ in dicta collectione habetur ordine centesima trigesima secunda, sanctus Pater gratulatur clero Mediolanensi super jam dicto successu, differtque suum ad ipsos adventum, ita illam incipiens : « Benedicti vos a Domino, quorum studio et industria civitas vestra liberata est ab errore, et, relicto schismate, ad catholicam rediit unitatem... Et ego, fratres, particeps et socius gaudii vestri fieri cupiens, juxta petitionem vestram ad vos cum dilectis fratribus nostris, nuntiis vestris, venieham, de quibus mihi scripsistis plenius secundum rationem in beneplacito Dei satisfacturus. Sed quia tempus breve est, quo ad concilium (Pisanum) festinamus, non gravet vos usque ad reditum nostrum sustinere. » Atque hæc quidem ad clerum : in epistola autem 133 ad cives Mediolanenses, a quibus invitatus fuerat ad componendam pacem, scribit, lætari se, quod ad hoc negotium sua requiratur opera, ac sperare illos jubet suum reditum post concilium Pisanum. De Epistola 137 ad imperatricem Romanorum (Richeram, uti additur in margine apud Mabillonium) post idem concilium de rebus Mediolanensibus scripta, significat vir sanctus, Mediolanenses non ante receptos in gratiam a pontifice, quam ipsi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementiæ imperatricis commendat. Sed de illa epistola dicam etiam infra. Nomina autem legatorum, de quibus paulo ante, ipse sanctus Pater exprimit in epistola 134 his verbis : « Ego, fratres, tanta lætitia provocatus, sed et vocatus a vobis per charissimos fratres Ottonem et Ambrosium, quos ad hoc ipsum direxistis, decreveram simul cum ipsis venire ad vos, » etc. Epistola porro inscribitur *Ad novitios apud Mediolanum conversos*, quibus gratulatur de conversione, seque, peracto concilio, illos visurum spondet.

204. Quod dicta modo hujus epistolæ inscriptio, seu titulus, in errorem induxerit Baronium ad annum 1134 videtur nobis probabilius : nam ubi hæc scribit n. 8 : Jam autem Mediolani plantata erat Religio Cisterciensis, et fœtu fecundo propagata ; sed perperam id dici, contra eumdem Baronium notat Manricus cap. 1, n. 7. At audiamus Mabillonium in nota breviore ad eamdem epistolam, in qua hæc scribit : « Ex hoc titulo Baronius infert, jam ante Bernardi adventum Mediolanum, id est, ante annum 1134, Cisterciensium familiam eo fuisse transmissam, conditumque aliquod monasterium, cui se novitii isti mancipassent. At Ughellus, in tomo IV Italiæ sacræ. col. 197., existimat, primum Cisterciensium in illa urbe cœnobium esse Claramvallem, quam secundo ab urbe lapide non ante annum 1135 conditam probat : proindeque hac in epistola novitiorum nomine intelligendos esse eos qui Bernardi opera, ad concilium Pisanum pergentis, recens conversi, ejus se magisterio ex animo jam devovissent. Ughelli epocha de conditu monasterii constat ex veteri inscriptione, et ex primis loci instrumentis, in quibus constanter Caravallis, non Claravallis appellatur. Vide epistolam 281. » Sic Mabillonius. Porro hæc epistola, ad quam mittit lectorem, abbati Brunoni de Claravalle in titulo prænotatur : ad quem ista observat : « Priores editi *Claravalle* : at *Caravalle* præferunt melioris notæ codices : quibus domestica Carævallis instrumenta suffragantur. Est autem Caravallis insignis abbatia Cisterciensium prope Mediolanum. » Nunc iterum ad Bernardum. Audisti, lector benevole, quænam fecerit abbas sanctus antequam pervenerit ad concilium Pisanum ; en tibi nunc exponimus, quanta cum veneratione ad illud sit admissus, quanta cum auctoritate interfuerit ejusdem actis, quanta cum utilitate eidem profuerit.

205. Ernaldus, lib. II Vitæ, cap. 2, hæc in rem nostram notata reliquit : « Innocentius... rursus Pisas revertitur : ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur. Adfuit per omnia et consiliis, et judiciis, et definitionibus omnibus sanctus abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, et excubabant ante ejus limina sacerdotes, non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum : et, aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur vir humilis, et nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte sollicitudinis ; sed in plenitudine potestatis. » Ita Ernaldus, fidelissimus Vitæ scriptor, testisque omni exceptione major. Itaque hoc jam tertium concilium habitum est, sicut cap. 2, num. 1, observat Manricus ad hunc textum « (nec Trecense, ait, includo) in quo Bernardo per omnia deferretur ; unum ad declarandum Innocentium summum pontificem, duo sub ipso. » Laudatus biographus pergit deinde ad acta concilii, quæ summatim ita perstringit : « Actiones concilii longum est prosequi : summa tamen in excommunicatione Petri (*Leonis*) et in irregressibili fautorum ejus dejectione constitit, et usque hodie hæc sententia perseverat. » Plura de hoc concilio habet Pagius in Critica Baroniana ad annum 1134, ubi etiam tractat de ejusdem epocha.

206. Illud ex ipso delibare convenit ad nostrum propositum, quod ibidem refert n. 3, de Ludovico Franciæ rege, dum synodum illam cogitavit impedire. Inter Innocentium II et Ludovicum VI Francorum regem aliquod intercedebat dissidium, indeque S. Bernardus epistolam 255 ad Ludovicum regem dedit, monuitque ne concilium hoc tempore Eccle-

Digitized by Google

siæ et regno tam necessarium, ipsiusque regis honori cessurum, impediret. « At calor, inquiunt, nimius est. « *Quasi nos glacialia corpora habeamus*, « *inquit* « *Bernardus... Tamen si quid ex Apostolicæ auctorita-* « *tis rigore processit, unde se merito esse turbatam cel-* « *situdinis vestræ serenitas arbitretur ; qualiter hoc ip-* « *sum revocetur, aut temperetur, prout oportet ad hono-* « *rem vestrum, fideles vestri, qui aderunt, totis viribus* « *enitentur. Inter quos nos quoque, si quid possimus.* » Ad illud, quod de caloribus dicebat sanctus, observat Mabillonius in notis, ad illud concilium : « Rex præsules Gallicanos accedere prohibebat obtentu caloris immodici. » Rebus itaque concilii peractis, sanctus Pater datam ante Mediolanensibus fidem liberavit de sua ad illos profectione. Expeditionem illam, adeo viro summo illustrem, in varia membra dividere est animus.

207. Consideremus itaque primo, quos ob fines illuc a summo pontifice missus fuerit. Pagius nuperrime memoratus eosdem ita exponit, n. 6 : « Landulphus Junior cap. 41, apud Puricellum in Monumentis basilicæ Ambrosianæ num. 360, mentionem facit reconciliationis Mediolanensium cum Innocentio II, aitque : « *Innocentius papa Pisis synodum* « *celebravit, in qua Robaldo episcopo (Albensi) repræ-* « *sentante, Thealdus de Landriano archipresbyter ec-* « *clesiæ Mediolanensis* » (videtur is successor Stephani de Guandeca, qui anno superiori Anselmum archiepiscopum Mediolanensem valde vexavit, ut ibidem diximus), « *Amizo de la Sala archidiaconus,* « *Anselmus de Rhode levita* [al. additur *ordinarius*], « *et alii plures ejusdem ecclesiæ ordinarii, et cum pri-* « *micerio Decumani sacerdote contra solitum decus* « *Mediolani et ejus ecclesiæ, Innocentio papæ fidelita-* « *tem juraverunt.* » Mediolanenses enim, qui hactenus antiquam libertatem retinuerant, juramentum fidelitatis a Gregorio VII decretum, quod hodie a præsulibus exigitur, decoro ecclesiæ suæ adversari sibi persuadebant.

208. « *Cremonenses vero propter hanc fidelitatem* « *nequaquam milites Mediolanenses, quos captos habe-* « *bant, demiserunt. Sed papa Innocentius depositionem* « *et expulsionem sæpe dicti Anselmi de Pusterla (ab* « *episcopatu Mediolanensi) firmavit. Attamen prænomi-* « *nati, qui fidelitatem juraverant, timentes hos casus* « *urbis et ecclesiæ Mediolanensis, differrebant redire* « *Mediolanum, nisi haberent protectorem, qui coram* « *populo Mediolanensi confirmaret Anselmi expulsio-* « *nem, et ad nihilum reduceret Conradi coronatio-* « *nem (anno 1128 factam) et populum tantæ urbis* « *convocaret, et confirmaret ad Lotharii imperatoris* « *amorem, et ad ipsius Innocentii unitatem. Ad hæc pe-* « *ragenda papa a Deo* [*Puricel. et al.* adeo] *idoneum an-* « *gelum habuit, sicut Bernardus abbas Clarævallensis* « *fuit.* » Hactenus citatus apud Puricellum Landulphus, cujus verbis nonnullus de suo interserit Pagius, uti ex parenthesibus apparet. Cæterum Landulphi Junioris sive de sancto Paulo Historia Mediolanensis non ita pridem recusa prodiit inter scriptores rerum Italicarum Mediolani editos tomo V, istius collectionis, ac notis illustrata est. Textum vero superius e Puricelli editione relatum cum recentissima contuli, uti videsis e variis lectionibus, ad marginem ex ea a me adjectis. In eadem etiam nova editione consuli possunt notæ in cap. 41, Landulphi, quæ habentur tomo prædicto a pag. 515.

209. Consideremus secundo, quinam cum Bernardo fuerint a sede apostolica Mediolanum legati, ut negotium tanti ponderis conficeretur. Illustris hujus legationis comites commemorat Ernaldus biographus lib. II, cap. 2, num. 91, post ea, quæ præmiserat de concilio Pisano, ita loquens : « Soluto concilio, ad reconciliandos Mediolanenses dominus papa abbatem Clarævallis, quem multis supplicationibus expetierant, et Guidonem Pisanum, et Matthæum Albanensem episcopum a latere suo direxit, qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent, et ad unitatem Ecclesiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos a domino papa collegas acceperat, addidit consortio et communi consilio virum venerabilem Gaufredum Carnotensem episcopum, cujus sinceritatem et innocentiam in multis probaverat. Et visum est cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. » Hisce addimus notitias sequentes. Gaufredus ille, appellatus de Lieves, ab anno 1116 usque 1138, Carnotensis ecclesiæ regimini præfuit, ex Samarthanis in Gallia Christiana tomo II ubi pluribus laudatur. De Guidone Pisano agitur apud Ciaconium in Vitis pontificum Romanorum et cardinalium tomo I, col. 987, uti etiam col. 960, et sequentibus de Matthæo Albanensi ; ubi magnificentissimis elogiis condecoratur. Landulphus Junior cap. 42, de Bernardi ad Mediolanenses ingressu agens, hos tantum comites ei adjungit : « Prænominatus abbas iste nil moratus, cum Carnotensi episcopo, et Robaldo Albensi Mediolanum intravit ; » ex notis hic, « eo videlicet, quem Anselmo deposito, Mediolanenses delegerant vicarium archiepiscopalem obeundis officiis. » Sed majoris nobis est pretii Ernaldus, quam ut vel ad latum unguem ab eo hic recedamus.

210. Consideremus tertio mirabilem viri sancti ad Mediolanenses ingressum, prodigio simile, et, si omnia simul colligas ejusdem adjuncta, rarissimo et forte nullo hujusmodi susceptionis sanctorum exemplo. Audi Ernaldum lib. II Vitæ, cap. 2, num. 91, citato : « Transcenso, ait, Apennino, ubi audierunt Mediolanenses abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliaribus septem omnis ei populus obviat : nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et distinctis agminibus incredibili reverentia virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu : felices se judicant qui frui possent auditu. Deosculantur pedes ejus universi : et licet hoc ille moleste acciperet ; nulla potuit pronos et devotos ratione compe-

Digitized by Google

scere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis ejus, et ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta, quæ ille tetigisset, judicantes, et se tactu eorum vel usu sanctificari. Præcedentes itaque et subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant abbati, et diu intra agminum spissamenta detentum, tandem solemni reddidere hospitio, » ad ecclesiam sancti Laurentii, secundum dicenda postmodum § 20 in initio. Quibus publicæ venerationis, lætitiæ, acclamationis significationibus adeo effusis quid in sancti laudem illustrius, quid ardentissimo Mediolanensium erga ipsum affectui convenientius fieri potuit?

211. Quid, quod præ multitudine populi ad ipsum circumfusa non pateret ingressus? Auctor Exordii magni Cisterciensis distinctione secunda, cap. 16. « Cum ergo, ait, ibi (Mediolani videlicet) sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. » Quin etiam ibidem tanquam angelus e cœlo lapsus, et homo proximus Deo fuit habitus. Nam, uti mox subdit idem auctor : « Interea quidam de civibus ejusdem urbis, vestitu et vultu honorabilis, cum Dei hominem adire omnimodis cuperet, et nusquam aditum reperiret, mediis se turbis ingessit, manibus ac pedibus reptans, et super colla sedentium gradiens, quousque ad ipsum, quem desiderabat, perveniret. Cumque apprehendisset pedes ejus, cœpit eos mira devotione amplecti et deosculari. Quod videns supradictus Renaldus, qui propius assistebat, accessit, ut amoveret eum, sciens utique quia vir sanctus hujusmodi venerationibus et obsequiis nimis gravabatur. Ille vero conversus dixit ad eum : Dimitte me, obsecro, dimitte me videre et tangere hominem proximum Deo, et vere apostolicum virum. Dico enim tibi, et in fide Christiana testificor quia vidi illum inter apostolos Christi. Quod audiens monachus ille, miratus est, et cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus; sed præ pudore propter astantes non præsumpsit. Verumtamen magnam exstitisse revelationem ipsam certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga famulum Dei. » De Renaldo, hujus rei teste, dicam infra num. 215.

212. Consideremus quarto, quam fortiter legationis suæ causam pertractarit, et quam suaviter, cine procerum reluctantia ac vulgi discordia negotium sibi commissum sit exsecutus. Etenim, teste Ernaldo mox allegato, « Cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam vir Dei quam Cardinales advenerant, oblita fortitudinis suæ civitas, omni ferocitate deposita, se ita abbati substravit, ut obedientiæ eorum non incongrue ille posset aptari poetæ versiculus :

Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est.

Verum quæ generatim laudatus iste biographus, magis sigillatim ipsemet Sanctus exprimit in epistola ad imperatricem Romanorum. Lotharii uxorem, antea indicata in hoc paragrapho num. 203. Ast hic demus ipsa Sancti verba : « Non ante sane Mediolanenses in gratiam domini papæ, et Ecclesiæ unitatem recepti sunt, quousque palam, Conrado refutato et abnegato, dominum nostrum Lotharium in suum regem et dominum receperunt, et Romanorum imperatorem Augustum una cum toto orbe confessi sunt : et de injuria transacta, juxta consilium et mandatum domini papæ, digne vobis sese satisfacturos esse, tacto sacrosancto Evangelio, sponderunt. » Epistolam hanc anno 1134, ab eo scriptam, quando secundo Mediolanum rediit, habet Pagius ad eumdem annum num. 9.

213. Consideremus quinto virum sanctissimum non pœnitendo successu mores Mediolanensium in meliorem transformasse normam. Id quod hisce verbis testatur Landulphus cap. 42 : « Interea princeps Conradus altiori consilio potitus, (ex quo videlicet regnum abdicavit, et in gratiam cum Lothario rediit), imperatoris Lotharii vexillifer est factus, et prænominatus abbas iste (de S. Bernardo proxime egerat) Mediolanum intravit, quam civitatem nimirum, prout voluit, formavit. Ad nutum quidem hujus abbatis omnia ornamenta ecclesiastica, quæ auro, et argento, palliisque in ecclesia ipsius civitatis videbantur, quasi ab ipso abbate despecta in scriniis reclusa sunt, et non solum masculi, sed etiam mulieres tonsæ sunt, et ciliciis et laneis vilissimis induti ad quælibet religiosa convertuntur, aqua in vinum mutatur, » etc. At de miraculis, ibidem a viro sancto factis, postea agetur. Præter hæc ornamenta, quibus condecorabatur abbas noster, dum apud Mediolanenses legati munere fungeretur, in promptu sunt alia, quæ dabimus paragrapho proximo.

§ XX. *Cathedræ Mediolanensis regimen recusat; notatio temporis; ordo Cisterciensis ibidem propagatus; de Humiliatis quam fuerit præclare meritus; beneficia in Mediolanenses collata.*

214. De rebus a sancto Mediolani præclarissimo gestis ita paulo ante a nobis dictum est, ut non pauca dicenda supersint. Consideremus itaque sexto, tanta in veneratione et in amoribus adeo fuisse legatum nostrum apostolicum apud populum Mediolanensem, ut eum sibi præsulem posceret ardentissimis omnium votis. Landulphus Junior cap. 42 hoc ita narrat : « Tandem idem populus, ut haberet abbatem illum in archiepiscopum, ad ecclesiam S. Laurentii, in qua erat hospitatus, cum hymnis et laudibus, et soluto suo Kir. (de quo in notis ad hoc caput) cucurrit. Quod abbas ille non tulit : sed ait : Ego in crastinum ascendam palafredum [*id est* equum gradarium] meum, et, si me extra vos portaverit, non ero vobis, quod petitis, ac sic a Mediolano recessit. » Puricellus in basilicæ Ambrosianæ Monumentis num. 368 responsum Bernardi exponens : « Quo quidem, ait, responso sanctus abbas, Papiam ipse Ticinumque tendere tunc cupiens, nobis ad illud non

Digitized by Google

obscure videtur allusisse, quod S. Ambrosio contigerat, cum regimen Mediolanensis Ecclesiæ sibi oblatum recusans, ab ipsamet etiam urbe tandem aufugit, *egressusque noctis medio civitatem (sicut in ejus vita Paulinus narrat) cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur* ». Sed incerta hæc omnino est Puricelli conjectura de allusione illa sancti Bernardi. Divini itaque hominis modestia honorificentissimam hanc dignitatem sibi oblatam recusavit consueto in aliis hujusmodi in occasionibus sibi more. Factum vero illud confirmatur e biographo Ernaldo, lib. II Vitæ, cap. 3, unde ista breviter ad rem præsentem delibo num. 110. « Intra Italiam civitas Januensis, et Mediolanum, metropolis Ligurum, hunc optaverunt pastorem et magistrum. » Sic ibi, inter insulas alias a viro modestissimo recusatas, de Mediolanensibus id factum asseritur.

215. Cur vero tacitus præteream testimonium auctoris Exordii magni Cisterciensis, qui distinctione secunda cap. 16, hæc ad posteros transmisit: « Domno Renaldo, cujus supra mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exsultatione universorum susceptus est » etc. « Ita denique sibi in ipso complacuerant, ut cum eum antea non vidissent, ingressum in urbem mox in archiepiscopum unanimi consensu raperent potius quam eligerent. Quod cum ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi fuga latenter evasisset. » Quisnam autem Renaldus seu Rainaldus iste? Idem is est, « ad quem tres exstant epistolæ Bernardi, lacte et melle manantes, ultra consuetum, » ut scribit Manricus ad annum 1121, cap. 5, num. 9, quæ inter alias ordine sunt septuagesima secunda, septuagesima tertia et septuagesima quarta. Fuit item abbas Fusniacensis, vulgo *Foigny*, diœcesis Laudunensis, et primus quidem, ut Mabillonius in notatione ad epistolam 72 affirmat; sed negat Manricus proxime citatus. Fuit etiam fidus sancti Bernardi socius Parisiis, qui, ut superius § 10, num. 103, relatum est ex auctore Exordii magni Cisterciensis, « secretorum famuli Dei magis conscius erat. » Hinc superiori ex hoc viro relatæ narrationi fides conciliatur.

216. Ex præmissis autem nuper de sancti Patris ad urbem Mediolanensem adventu post Pisanum concilium, abunde constat oblatas ipsi ibidem loci insulas fuisse anno Christi 1134, ut mirum sit, in chronologico hujus facti calculo tam crasse hallucinatum fuisse Sigonium, dum illud illigat anno 1123. Etenim tomo II Operum ejus novissime editorum Mediolani, de regno Italiæ lib. X, col. 650, sic lego ad istum annum: « Honorico Mediolanensi antistite 3 Kalend. Junii mortuo, ea dignitas ad Bernardum Claræ-Vallis abbatem ob miram sanctitatis ejus opinionem delata est. Eo vero repudiante, » etc. De Honorico nihil hic pono; consuli de eo possunt notæ ad eumdem annum: Apud Panvinium in Chronico ecclesiastico eumdem lapsum temporis reperio ad sæpe jam memoratum annum. Alios, sancti Bernardi abbatis adventum in urbem Mediolanensem perperam figentes, ad annum Christi 1119 refutat Puricellus in Monumentis Ambrosianæ basilicæ num. 331. Quia vero adeo sunt misere hallucinati, ut hic non mereantur refutationem, consuli de iis potest idem auctor. Mediolanenses itaque anno 1134, frustrati ardentissimo desiderio, quo flagrabant, promovendi ad cathedram archiepiscopalem, atque hoc pacto apud se retinendi virum sanctum, volentes tamen possidere Patrem in filiis suis, ac in Patre filios, ascetas ordinis Cisterciensis petierunt.

217. Consideremus igitur septimo, quam bene S. Bernardus fuerit meritus de Mediolanensibus ac de Ordine Cisterciensi, quando hunc apud illos propagavit. « Erat præ manibus, » prout narrat Manricus anno supra designato, cap. 2, num. 9, « seges copiosa, ut ante adventum sancti jam conversis, sed multo pluribus per ipsum vocatis, et respondentibus sine ulla cunctatione. Exstat rescriptum ejusdem sancti Patris ad Petrum tunc episcopum Papiensem, quo gloriam plurimarum conversionum hoc tempore expertarum, ad se delatam in solum Deum ostendit referendam, » secundum ea, quæ affirmat in epistola ista, ordine centesima trigesima quinta: « Si semen bonum, jactum in terram bonam, fructum attulisse videtur, ipsius est gloria, qui dedit semen serenti, fecunditatem terræ, semini incrementum. Quid in his nos capimus? Ego sane gloriam Christi alteri non dabo; multo vero scrupulosius usurpabo mihi. Profecto lex Domini convertit animas, non ego. Testimonium Domini fidele sapientiam præstat parvulis, et non ego. Laudatur de bona litteræ tornatura manus, non calamus. Fateor, ut multum tribuam mihi, *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* » Hinc igitur intelligi perspicue potest ingens conversorum ad perfectiorem vitam multitudo. « Ergo utrorumque, » sicut pergit Manricus num. 10, « devotioni satisfacturus, et pro acceptis redditurus filios pacis, ipse alias pronus dilatandæ suæ familiæ, annuit piæ et devotæ petitioni, ac loco (non) longe ab urbe designato, nativis aquis irriguo amœnoque, fabricam ei consensit superponi, monachis adsciscendis ex Clara-Valle. Cui ædificio non parum contulisse Widonem capitaneum de porta Orientali, tradit Carolus Sigonius; » quem consulere potest, lector lib. XI, de regno Italiæ, col. 671, novissimæ editionis Mediolanensis. Pergamus cum Manrico.

218. « Eumdem locum designatum cœlesti lumine, inter tenebras noctis illustrante terminos domus, reperi in quodam ms. Roberti Ruscæ, nuper ex Urbe ad me, ait, transmisso beneficentia reverendi admodum Patris domini Hilarionis Reneati, abbatis sanctæ crucis in Hierusalem, quem hoc nostrum collegium Salmantinum olim alumnum, nos auditorem meruimus, et amicum. Cœnobio Clarævallis nomen inditum est in memoriam alterius Clarævallis, quas

ipsa voce recreandis Mediolanensibus, quandiu non dabatur frui sancto abbate. » At videtur probabilius in hac formatione ac allusione nominis Claræ-Vallis Manricum hallucinari, ex dictis supra § 19, num. 204, occasione epistolæ 134.

219. Consideremus octavo, quidnam sanctus Pater egerit in favorem Ordinis fratrum, ut vocant, Humiliatorum, dum Mediolani versaretur. Pagius ad annum 1134, num. 14, collegit de hoc argumento sequentia : « Quo tempore Bernardus Mediolani versabatur, Tertio ordini Humiliatorum regulam dedit. Hi quidem jam ab anno 1119 juxta Tristanum Chalcum, huic Ordini initia dederant; sed ante divum Bernardum Religiosi non erant. Puricellus citatus num. 375 asserit eos vocatos fuisse Fratres de Convenio, quod et Chalcus etiam in litteras misit, additque Puricellus : *Ejusmodi ordo Fratrum de Convenio in hanc usque diem appellatur; quive in suo ipsius stemmate tutelarem gestat hunc sanctum abbatem.* Subdit Puricellus in bibliotheca basilicæ Mediolanensis asservari codicem ms. continentem Humiliatorum privilegia, cujus initio habetur : *Sanctus Bernardus venit Mediolanum, et ibi multis miraculis claruit, et monasterium construxit (Claram-Vallem nempe...). A quo (nempe Bernardo) quidam magnates et nobiles cives Mediolani, divino Spiritu inebriati, formam vivendi in habitu religioso cum suis familiis habitando (hoc tunc illorum institutum fuit) sumpserunt. Fuit ergo sanctus Bernardus Ordinis hujus primus fundator. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi fratres sancti Bernardi. Manserunt autem sic fratres Ordinis hujus per se in habitu religioso per annos 54 priusquam concessa eis esset regula ab Ecclesia Romana. Anno autem 1199 penultimo die Maii, data fuit eis regula a Domino Papa Innocentio III. Quare sciendum, quod fratres Tertii Ordinis hujus fuerunt fundatores primi et secundi Ordinis Humiliatorum.*

220. « Galvaneus Flamma cap. 255, magnæ suæ Chronicæ apud Puricellum laudatum num. 375 scribit : *Nobilis vir Guido et capitaneus portæ orientalis fuit specialis adjutor beati Bernardi in fundando monasterio de Charavalle juxta Mediolanum, de divitiis ejus anno Domini 1135..., et iste Guido tertium ordinem fratrum de Convenio sancti Bernardi in porta orientali construxit in die S. Vincentii; quem Innocentius III confirmavit et ab Innocentio III dictus est Ordo Tertius. Isti fratres de Convenio fundaverunt ordinem fratrum Humiliatorum, et ipsos visitabant.* Quod idem Galvaneus, qui sæculo XIV vixit, confirmat in libro, cui titulus Manipulus florum, cap. 171, apud Puricellum ibidem; » in novissima autem istius Manipuli editione Mediolanensi, cap. 169. « Licet autem S. Bernardus et Guido fundatores sint Humiliatorum, qui ante utrumque nec regulam nec habitum religiosum habebant; hæc tamen societas jam ante incœperat, uti Puricellus probat testimonio S. Antonini part. II Chronicorum, tit. 15, cap. 23, Raphaele Volaterrano lib. XXI, Tristano Chalco et aliis. Fallitur itaque Sigonius, qui hujus Ordinis initium cum anno 1046 illigat, ut videre est in Historia ejus de regno Italiæ ad annum 1046. » Ex his itaque intelligimus, certam vivendi normam a S. Bernardo fuisse Mediolani præscriptam dictis fratribus. Quod tametsi in rem nostram sufficiat, breviter tamen huic facto istas subjicimus notationes.

221. Galvaneus Flamma in Manipulo florum cap. 169 citato scribit illud contigisse anno 1135, cui Sancti reditum ad urbem Mediolanensem innectit. Nam scribens ad annum 1134, mox subdit : « Sequenti anno B. Bernardus rediit Mediolanum... Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modo dicuntur fratres de Conegio, » etc. Puricellus vero allegatus pag. 63, etiam affirmat, hoc esse factum in reditu, de quo dicebam; sed in anno differt, affirmans quidem, rem accidisse « per id tempus, quo S. Bernardus intra hunc annum (sed annum signat 1134, in indice chronologico, qui citato ejus operi præfigitur) iterato Mediolani fuit. » Verum de illo reditu nos postea agemus. Deinde auctor idem, pag. 632, non admittit, ordinem istum Tertium appellatum ex nomine Innocentii III, aliter enim, inquit, et melius alii sentiunt. Hippolytus Helyot tom. VI Historiæ Ordinum monasticorum, etc., cap. 19, tractat pluribus de Religiosis ordinis Humiliatorum, eorumque suppressione : ubi licet videre varias auctorum de ejusdem origine sententias; etymon, ut fertur, nominis; tres diversos ordinis status; de quorum primo postquam egisset laudatus scriptor, secundum incepisse affirmat anno 1134, amplexum e S. Bernardi consilio modum vivendi a priore diversum, etc. Dein tertium Ordinem subnectit sub regula S. Benedicti etc. eumque ait substitisse, donec Humiliati fuerint exstincti : id vero cur, quomodo, et a quo sit factum, ibidem legi potest. Placet nunc alia a S. Bernardo collata in Mediolanenses beneficia recensere, quæ ipsemet Sanctus commemorat.

222. In epistola quippe 131, quæ innectitur apud Mabillonium anno Christi 1135, hac eidem præfixa synopsi : « Cum Mediolanenses Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio et obedientia viderentur, eos ad retinendam constantiam incitat, recentia Romanæ Ecclesiæ erga illos beneficia memorans; » et quippe ni addamus nos etiam sua? Sancto utique suam interponente auctoritatem impetrata vel ex parte vel ex toto, ut æquum videtur credere; in epistola, inquam, illa sic memorat : « Bene vobiscum facit Deus : bene vobiscum facit Romana Ecclesia. Facit ille, quod pater : facit illa, quod mater. Et revera quid vobis debuit facere, et non fecit? Si postulastis mitti vobis de curia honorabiles personas ad honorem Dei et vestrum; factum est. Si postulastis confirmari, quod unanimitas vestra de venerabilis patris vestri electione firmaverat; factum est. Si voluistis licuisse vobis quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri canones judicant, translationem episcopii scilicet in

Digitized by Google

archiepiscopatum concessum est. Si rogastis erui cives vestros de vinculis Placentinorum, quod utique ego prætermittere nec volo, nec valeo; et hoc factum est. In quo postremo quæcunque rationabilis petitio filiæ, non dico repulsam, sed vel moram passa est apud piam matrem? En ad complementum, pallium præsto est, plenitudo honoris. »

223. Ut vero ea, quæ Mediolanenses petierant, et obtinuerant, referente superius S. Bernardo melius intelligantur, observat Mabillonius in notis ad prædictam epistolam de missis ad eos venerabilibus personis : « Missi sunt cum Bernardo Guido Pisanus, Matthæus Albanensis, Gaufridus Carnotensis episcopi, » teste Ernaldo biographo cap. 2, num. 91, apud nos, « nempe ad reconciliandos Ecclesiæ Romanæ Mediolanenses, qui schisma conflaverant ob depositum Anselmum archiepiscopum ab ipsis electum, Ad τὸ venerabilis Patris vestri, notat, Ribaldi videlicet, qui ab eis electus est in locum Anselmi rejecti. Per translationem vero episcopii scilicet in archiepiscopatum, uti sanctus Pater dicebat, intellige, ait, restitutionem dignitatis archiepiscopalis, quæ isti ecclesiæ ob schisma a pontifice abrogata fuerat. Vide alias notas. » Illud, quod vir sanctus de vinculis Placentinorum scribebat, sic exponit : « Quippe utrisque bello in sese contendentibus, multi ex Mediolanensibus captivi abducti fuerant a Placentinis. » Ad hæc de Ribaldo seu Robaldo et Anselmo videri potest Pagius ad annum 1134, num. 11 et 12. Reliquum est, ut de prodigiis tum Mediolani, tum alibi in Italia a magno nostro Thaumaturgo factis tractemus.

§ XXI. *Miraculis coruscat Mediolani; Papiam et Cremonam se confert; a filiis suis absens corpore, præsens spiritu; ipsius ad eosdem litteræ, uti et ad Lotharium imp.; reditus ad suos; acta et tempus.*

224. Miracula, quibus mirabilis Deus in sanctis suis hunc famulum suum, in cujus integerrima vita, meritis, ac laboribus apostolicis sibi bene complacebat, apud Mediolanenses degentem illustravit, describuntur ab Ernaldo lib. II Vitæ, cap. 2, e quo auctore inserta sunt Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1134, cap. 1. Sed quandoquidem illa prodigia pluribus narrantur in dicta Vita; ideo ea in compendio hic exhibuisse sit satis ad continuandam Actorum, quæ illustramus, S. Bernardi seriem. En tibi itaque laudati biographi verba : « Inaudita est nostris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus : inter quos religiosa erat contentio, cum signorum gloriam abbas credulitati eorum, illi vero sanctitati abbatis adscriberent, et hoc de eo indubitanter sentirent, ut quidquid a Domino peteret, impetraret. » Nec vero illos fefellit sententia. Nam uti illico subdit idem biographus : « Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem immundus vexaverat spiritus, et postulant supplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, et mulieri restituat sospitatem.... Et orationi incumbens, cœlitus ela- A psa virtute Satanam in spiritu fortitudinis increpat, et fugat, mulieremque reddit incolumem et quietam... Auditum est hoc verbum, et percrebuit fama... Per ecclesias, per prætoria, et per compita omnia conveniunt undique... Dicunt publice, nihil ei impossibile esse, quod a Domino postulet... Irruunt alii in præsentiam ejus : alii, donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis et artibus... Concurrunt, postulant benedici : et tetigisse eum singulis salutare videtur. »

225. « Tertia die, sicut pergit auctor, ad ecclesiam sancti Ambrosii divina celebraturus mysteria servus Dei procedit : ubi exspectante innumera populi multitudine, inter ipsa missarum solemnia, dum clericis canentibus ipse secus altare sederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant, ut misellæ subveniat... Audita supplicatione astantium, et intultus personam frementem dentibus... compassus est ætati... Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat mysteria, accipit, et digitis latice superfuso... ori puellæ salubrem potum applicat, et corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi ureretur Satanas... festinanter egrediens... erupit. » Idem Vitæ scriptor, locutus de dæmonum licentia per virum sanctum impedita, agit deinde de expulsione dæmonum e variis obsessis. Verum quia hæc singillatim enarrare, servata energia et phrasi auctoris, qui pluribus ac pathetice illa exponit, in longum nos abduceret sermonem; adeat lector ipsum fontem; ubi etiam inveniet alia curationum prodigia, per Thaumaturgum nostrum patrata. Mediolano itaque tantisper relicto, quod nos præclarissimis ibidem a sancto gestis referendis intentos jam diu detinuit, alio cum eodem inde discedente proficiscamur, Papiam videlicet et Cremonam.

226. Sigonius in novissima editione Mediolanensi tomo II, lib. II, col. 671, ad dictum annum 1134, sic habet : « Inde, Mediolano videlicet, jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ civitates profectus, Papiam et Cremonam se contulit. Cum autem apud Cremonenses nihil profecisset, eorum Innocentio pertinaciam significavit his verbis : *Cremonenses induruerunt, et prosperitas eorum perdit eos, Mediolanenses contemnunt, et confidentia ipsorum seducit eos. Hi in curribus et equis spem suam ponentes, meam frustraverunt, et laborem meum exinanierunt.* Hæc Sigonius ex ipsis verbis, quibus exorditur vir noster apostolicus suam ad Innocentium epistolam, quæ in editione Mabillonii signatur ordine trecentesima decima quarta, alias 318, et anno 1134 illigatur. Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus ad eumdem annum hæc memorat : « Divus Bernardus Mediolanensibus, dum eis, quia adhæsissent Corrado Suevo, interdicta essent sacra per summum pontificem, et mox, dimisso Corrado, Lothario adhæsissent, absolutionem et veniam impetravit : et Cremonam profectus, et

Digitized by Google

Papiam, ut ibi incolas et confœderatos eum Mediolanensibus componeret, re infecta ex Cremona rediit Mediolanum. » De anno istius reditus dicetur paulo inferius. Eo igitur postquam reversus est, mulierem a misera dæmonis vexatione et nervorum contractione in momento liberavit, sicut pluribus refert Ernaldus lib. II Vitæ, cap. 3. Nec vero profectus ad Papienses ac Cremonenses, de quibus dicebam modo, a coercendo dæmone abstinuit Bernardus, teste eodem biographo citato; ubi plura. Quibus hanc coronidem imponens: « Hæc, ait cap. 3, num. 108, et alia multa intra Alpes constitutus operatus est vir Dei, et diversa loca perlustrans, benefaciebat iis, qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maxime oppressos a diabolo... purgans, et quæ malignus fœdaverat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat. »

227. Et continuo biographus ad viri laudes digressus, « Præ omnibus, ait num. 109, hoc sublimius duco..., quod, cum esset vas electionis, et nomen Christi coram gentibus et regibus ferret intrepidus: cum obedirent ei principes mundi, et ad nutum ejus in omni natione starent episcopi: cum ipsa Romana Ecclesia singulari privilegio ejus veneretur consilia, et quasi generali legatione concessa subjecisset ei gentes et regna: cum etiam.. facta ejus et verba confirmarentur miraculis.., de se semper humiliter sentiens.., cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus. Soli Deo quidquid fecit adscripsit, » etc. Adde infirmitates ac morbos, quibus tanquam aurum in fornace probatis fuit, nec non dignitatum contemptum, quo nulli e pluribus sibi oblatis infulis unquam arrisit. Consule sis laudatum Vitæ ejus scriptorem, qui ea, quæ modo ex ipso libavi, fusius memorat.

228. Nec vero dum extra dilectissimam sibi Claramvallem vivere eum oportebat, ita erat occupatus gravissimis Ecclesiæ negotiis, ut filiorum suorum ibidem relictorum oblivio eum caperet, vel nesciret quænam, se procul inde remoto, illic agerentur: sed absens corpore, animo autem ac spiritu præsens, illos conveniebat, visitabat, atque inspiciebat. Factum probatur e sancti verbis, quæ ad Clarævallenses ex Italia redux mox protulit apud eosdem in Capitulo, sicut docet Exordium magnum ordinis Cisterciensis distinctione 2, cap. 11, sic narrans: « Venerabilis Pater Bernardus, cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma, atque in partibus Italicis, pro sedando schismate Petri Leonis..., tandem reversus Claramvallem, statim post factam orationem capitulum fratrum introivit. Et quia fatigatus ex itinere diu loqui non poterat, brevem quidem sermonem, sed consolatione plenum protulit, ita dicens: Benedictus Deus! qui vos dilectissimos fratres meos mihi reddidit, et me qualemcunque Patrem vestrum vobis. Et ego quidem, filioli, quamvis per hoc triennium visus fuerim longe remotus a vobis, non tamen putetis me semper absentem fuisse. Sciatis enim, quod tribus vicibus interim reversus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, et semper exhilaratus, semper consolatus abscessi, videns unanimitatem atque instantiam vestram in proposito ordinis nostri.

229. « Innumerata sunt illa, quæ iste Dei famulus dixit et fecit; in quibus manifeste apparebat eum prophetali gratia præditum, multoties ibi præsentem eum esse in spiritu, ubi absens corpore videbatur: multaque abscondita, et etiam longius posita, Domino revelante, cognoscere, quæ ipsum latere putabantur. Hæc autem significavit nobis domnus Gerardus quondam abbas Longipontis, qui unus ex antiquis senioribus Clarævallis, dicta et facta sancti Patris studiose rimari satagebat. » Sic ibi: quibus liceat nobis inde etiam hoc addere, tametsi alio spectet, quod ibi sequitur: « Ipso quoque referente audivimus, quod iste Dei sanctus, dum in quodam monachorum capitulo verbum Dei prædicaret, duo ex fratribus illis, qui aderant, viderunt eum in subsellio, in quo residebat, in aere suspensum, et quasi mensura unius pedis a terra sublevatum. » Hæc autem, quæ de sancti ad suos reversi narratione paulo ante diximus, ignotam eis ac mirabilem ipsius visitationem continente, paterno ejus cordi quasi non sufficerent, litteris insuper illos consolari voluit. « Ex quibus exstant duæ ipsius epistolæ; altera cum in Apuliam mitteretur, de qua inferius; altera intra hoc, ut credo, inquit Manricus ad hunc annum Christi 1134, cap. 4, num. 7, triennium, scripta, » quam ibidem profert. Est autem ordine 143, et affigitur anno circiter 1135, apud Mabillonium, hoc titulo prænotata, e quo scriptionis materiem cognosces. In ea itaque vir sanctus diuturnam sui absentiam excusat, sibi non minus, imo magis gravem, quam suis. Interim breviter eos officii admonet. Porro ad eumdem annum laudatus historicus Cisterciensis toto cap. 7, scribit de Guillelmo, olim S. Theoderici prope Remos abbate, deinde monacho Signiacensi, qui librum primum Vitæ S. Bernardi litteris mandavit, atque identidem a nobis supra citatus fuit; sed nos de eo inferius, quando de Vitæ Bernardinæ scriptoribus agemus. Interea temporis inspiciamus sanctissimi abbatis facta, quæ sequenti anno Christi 1135 intexuntur.

230. Ibidem itaque historicus modo memoratus cap. 1, num. 1, viam sternens ad epistolam a S. Bernardo ad Lotharium imperatorem datam, de qua mox agemus, præfatus nonnulla de Rogerio, duce Siciliæ, Italiam infestante, etc. hæc subdit: « Ergo Innocentius et sibi et cunctis providens, hoc anno 1135, Legatos mittit ad Lotharium imperatorem; veniat, Ecclesiam regnumque defendat, armis Italiam muniat... et male capta recipiat ab invasore. Hæc fere prima in negotiis Ecclesiæ gravis sub Innocentio legatio fuit, quæ non Bernardo Patri demandaretur, sive quia bellum ciere contra Christianos, quantumcunque rebelles aversabatur; sive

Digitized by Google

quia desiderio suorum captus, et jam triennio absens, reditum maturabat ad Claramvallem; seu tandem quia utilior Aquitaniæ, et conversioni Guillelmi deputatus, tanto negotio a Deo reservabatur. Scripsit tamen ad imperatorem pene classicum canens, certe invitans ad Ecclesiæ et imperii defensionem. Quin et eumdem sinistra relatione deceptum, atque ex eadem retardantem Innocentium, a cujusdam ecclesiæ, quæ injuste patiebatur, defensione, qua libertate spiritus pollebat, audentius arguit, et consulit desistere ab incepto. » Cæterum epistolam ipsam non transcribo, quæ inter alias Bernardinas habetur ordine centesima trigesima nona, et apud supra dictum editorem aptatur anno circiter Christi 1135.

231. His ita hactenus expositis de sancti Abbatis, dum erat in Italia, laboribus apostolicis ac miraculis; reliquum est, ut eum hinc ad suos dicto mox anno revertentem sequamur cum Ernaldo lib. II Vitæ, cap. 3, num. 112 : « Jam Alpes transcenderat, et descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, et armentarii, et agreste hominum genus, et conclamabant a longe benedictionem petentes, et reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas suas, colloquentes ad invicem, et gaudentes, quod Sanctum domini vidissent, » etc. Quomodo autem a dilectissimis sibi fratribus Clara-Vallensibus susceptus fuerit, laudatus biographus mox subdit. Sancto suis itaque restituto, videndum nobis est quænam apud eosdem sint acta. Annales Cistercienses ad annum 1135, cap. 2, num 1 : « Primo, inquiunt, Claramvallem suam ingressus, et precibus ex more fusis in oratorio, in capitulum fertur perrexisse : » et mox ea tribuitur ipsi ad suos oratio, ex auctore Exordii magni Cisterciensis desumpta, quam protuli supra num. 228. Deinde Annales iidem num. 2, scribunt de florentissima religiosæ disciplinæ observantia, et insigni fratrum concordia. Adisis Ernaldum, quem nuperrime assignabam. Tum subdunt num. 3, monachos a sancto Patre selectos ad plantandam suam sobolem apud Mediolanenses; num. 4, epistolam ejus ad Lotharium imperatorem pro Pisanis, quæ est inter alias ordine centesima quadragesima; item num. 7, ad Innocentium papam, quæ est ordine centesima septuagesima octava, pro Alberone Trevirensi archiepiscopo; sed signatur apud Mabillonium anno Christi 1139, ex Brovero; capite autem tertio translationem Claræ-vallis : denique legem Mahometicam ex Arabico conversam, et sancto dicatam.

232. Quod postremum ne cuiquam videatur mirum; profero textum Manrici in dictis Annalibus cap. 3, num. 11 : « Eodem tempore, ut notavit Joannes Picardus in notis ad epist. 227, Petrus Mauricius remisit Bernardo epistolam longe prolixiorem, continentem inter cætera succinctam de Mahumetis vita narrationem, quam Petrus licet fabulosissimam, ut ipse fatetur, curavit in linguam nostram transferri. » Porro tractatum hunc sive transumptum, non solum missum Bernardo, sed dicatum, probat epistola præfixa eidem operi, cum qua simul vulgatum circumfertur : quam alias gravem, et dignam his Annalibus, quia inter cæteras Petri Cluniacensis nequaquam ponitur, hic non immerito censui transcribendam. » Sed legi illa ibidem potest num. 12. Fuit autem Petrus ille abbas Cluniacensis; ex eadem epistola ibidem. Et sic quidem se habebant res, S. Bernardo ad charos sibi filios Claræ-vallenses reverso. Quibus coronidis loco subdo nonnulla de anno, quo reversio ista accidit, cum de ea non semel mentio inciderit superius, nec inter scriptores in determinando ejusdem anno videatur convenire.

233. In Chronologia Bernardina, quæ simul cum sancti operibus edita exstat apud Mabillonium ad calcem voluminis primi, col. VI, ad annum 1135, agitur de Bernardo ex Italia reduce per urbem Mediolanensem, etc. Galvaneus Flamma, a nobis designatus § 20, eidem anno innectit reditum ejus ad Mediolanenses; Puricellus vero, quem ibidem allegavi, anno 1134. Ex textu quem habet Ernaldus lib. II Vitæ cap. 3, colligo reditum illum sancti ab ipso connecti cum iis quæ Papiæ et Cremonæ gessit. De his quippe locutus, subjungit : « Cum secundo per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret, » etc. Manricus ad annum 1135, cap. 1, num 4 : « Id est, INTRA ANNUM, inquit; nam sic intelligo : » idque intelligit conformiter quidem Manricus ad ea, quæ dixerat de gestis ejusdem sancti Patris, ad Mediolanenses reversi, illa adaptans dicto anno 1135, et satis item consequenter ad ea quæ a S. Bernardo facta narrat apud Papienses et Cremonenses, quæque illigat anno Christi 1134, ut videre apud eum licet ad istum annum cap. 4, quæ enim geruntur intra annum indeterminatum, sive per tempus duodecim mensium, possunt convenire duobus annis determinatis, ita ut partim in uno, partim in altero acciderint. Sed propenderem potius in illam sententiam, quæ acta apud Papienses ac Cremonenses, nec non reditum ad Mediolanenses non in unum dumtaxat, sed in eumdem annum conjicit, ut opus non sit detorquere illud Ernaldi *eodem anno* in τὸ *intra annum* cum Manrico. Enimvero S. Bernardi iter ad Mediolanenses ac reditus; item legatio ejus ad Papienses ac Cremonenses, nec non discessus trans Alpes, ut cum Sigonio loquar, innectuntur eidem anno 1134, a dicto Sigonio de regno Italiæ lib. XI, quem vide col. 669, et sequentibus novissimæ editionis Mediolanensis, ac Pagium in Critica ad eumdem annum.

§ XXII. *Guillelmus Aquitaniæ Dux e schismate per S. Bernardum ad unitatem Ecclesiæ conversus; mulier dæmoniaca ab eo Nanneti liberata; variæ de Guillelmo Duce observationes.*

234. Deplorandus omnino Aquitaniæ status, Guilielmo duce catholicis infenso, et in episcopos debacchante, nec non Gerardo Engolismensi pseudolegato schismaticos intrudente, qui antipapæ Anacleto obedientiam præstabant, satis superque indicatur tum ab ipso S. Bernardo, tum ab ejus biographo Ernaldo. Sanctus enim abbas in epistola 126 quæ est ad episcopos Aquitaniæ contra eumdem

Digitized by Google

Gerardum Engolismensem, et in qua Innocentii, ut legitimi Pontificis, causam egregie tuetur, adversus istum episcopum inter alia sic loquitur col. 134: « Audet (quod et flens dico) inimicus crucis Christi suis pedibus pellere sanctos, qui nolunt bestiam adorare, quæ aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen Dei, et tabernaculum ejus. Altare contra altare erigere tentat, confundere fasque nefasque non confunditur. Abbates abbatibus, episcopos episcopis superintrudere nititur: amovere Catholicos, schismaticos promovere. Miseri et miserandi, qui ita promoveri, et ab isto, consentiunt. Siquidem circuit mare et aridam, ut faciat unum episcopum: et cum fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quam se. » Innectitur hæc epistola apud Mabillonium anno circiter Christi 1132. Nominatus vero paulo ante biographus tragicam Aquitaniæ scenam pathetice repræsentans lib. II. Vitæ c. 4: « Laborabat, inquit, ea tempestate sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis ecclesia, et non erat in Aquitania qui posset resistere principi, cujus animum induraverat Deus: qui, annuente Gerardo Engolismensi episcopo, et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus est schismatis defensor et auctor.

235. « Quicunque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus multabantur, alii a sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Sibillabat autem in auribus comitis illius crebris persuasionibus, quasi serpens antiquus, veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis Apostolicæ fuerat legatus, et nunc a magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ episcopum. » Alia vero istius male feriati ac in maligno positi facinora ibidem scite deplangit memoratus Vitæ auctor, quæ videat lector in eadem Vita post hunc Commentarium recudenda: unde flet certior de luctuosa tragœdiæ præsentis scena, hinc Gerardo, inde Guilielmo Duce mutuam eo operam conferentibus. Nec suam pro bono Ecclesiæ passus est desiderari S. Bernardus. Adisis epistolam ejus 125, anno Christi 1131, aptatam. Epistola vero 127, quæ ex persona Hugonis Ducis Burgundiæ data notatur anno circiter 1132, ad ipsummet Guillielmum comitem Pictavorum et Aquitaniæ ducem adversus Anacletum ac pro Innocentio, nonne sancti abbatis studium erga res Aquitanas indicat?

236. Verum leviora hæc dicas laborum in bonum istius provinciæ collata a sancto subsidia, si ea cum sequentibus comparare volueris. Ernaldus modo citatus, post descriptionem malorum, quæ Aquitaniam infestabant, ita pergit num. 119: « Audiens hæc et hujusmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotensis episcopus, cui a Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, et succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. A Abbatem igitur Clarævallensem petit et obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit vir Dei... et promittit... se cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur simul... et...simul Nannetum venerunt, » sicut Ernaldus allegatus narrat. Ibidem loci sanctus Pater mulierem, quæ per annos omnino sex cum impurissimo spiritu infame admodum habuerat commercium, baculo suo, tentatis frustra ante remediis aliis, liberat, anathema in dæmonem vibrat, et ipsum eliminat. Factum pluribus describitur ab Ernaldo num. 119, et sequentibus. In isto itaque itinere diceres divinam providentiam in Bernardo illud miraculum exhibere voluisse, ut esset quasi prodromum ac prognosticum magnæ conversionis Guilielmi Ducis, quæ postea, Deo bene B favente, et sancto impigre annitente, subsecuta est, ac destruendæ diabolicæ fraudis, quæ Aquitaniam infestabat.

237. His itaque adversus malignum spiritum apud Nannetenses a viro sancto patratis simul abbas et legatus ingrediuntur Aquitaniam, ex citato Vitæ scriptore num. 122, qui mox narrare pergit, cur Gerardus Engolismensis moraretur... in illis locis, in quibus securiorem se putabat, nec jam facile publicis se conventibus præsentaret. Hinc itaque contigit, ut ex diabolici istius instrumenti secessu facilior ad Guilielmum ducem patuerit Bernardo accessus, ac mollior fandi occasio. Nam propter hæc, quæ ibi exposuerat Ernaldus, et alia C hujusmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, et timens opponi sibi, quæ negari non poterant, conventus publicos evitabat, prout mox subdit idem auctor. Via igitur ad bonum negotii successum ita utcunque magis complanata, quam ante, « significatum est, inquit Ernaldus num. 124, comiti per viros illustres, qui ad eum securius audebant accedere, quod abbas Clarævallensis, et episcopus Carnotensis, aliique episcopi et religiosi viri colloquium ejus expeterent... Persuasumque est illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium. Itaque apud Partiniacum, » vulgo *Partenay*, quæ est urbs vel oppidum Galliæ in Pictaviensi provincia, « hinc inde conveniunt. » Acta autem in isto conventu legi possunt in dicta Vita; ubi pariter describitur, quam D mirabili modo sit peracta a S. Bernardo Guilielmi ducis conversio; in qua duo sunt, quæ lectorem merito in stuporem rapere debeant, et alterum quidem, Spiritus sancti vis, et cœleste quoddam œstrum, quo vir magnus agebatur; alterum, tanta et tam parvo tempore subsecuta superbi et obstinati principis mutatio: utrumque pathetice ab eodem biographo ante oculos positum.

238. P. Godefridus Henschenius noster in Commentario prævio ad Vitam S. Guilielmi Magni, eremitæ in Stabulo Rodis in Etruria, tomo XI Februarii, die 10 ejusdem mensis, a pag. 433, gesto istius Sancti, multis fabulis erroribusque involuta, ad veritatis trutinam expendere et extricare conatus est non minus laboriosa opera, quam non pœnitenda.

Digitized by Google

Inde transfero huc breviter, quæ conducunt in rem nostram. Cavendum itaque, ne hic Guilielmus cum superiore confundatur. Hunc quippe ab illo distinguendum monet idem Commentarius § 4. Præterea ibidem afferuntur alia, quibus illustrantur supra relata de Guilielmo Aquitano, ejusque conversione. Anno 1130, agnoscit Innocentium II Papam; sed seductus ab aliis adhæret, anno 1131, Anacleto antipapæ. Frustra a S. Bernardo et Josleno episcopo Suessionensi admonetur eodem anno 1131, contra Manricum ad annum 1130, quæ anno sequenti arbitratur contigisse laudatus Henschenius, quando cœpit primum audiri, quid adversus Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur; ex libro II Vitæ S. Bernardi cap. 6, in nostra vero divisione cap. 4, num. 122. Memorat, hunc Sanctum dein scripsisse illustrem ad episcopos Aquitaniæ de illo schismate epistolam, ordine inter alias 126, ac sequentem postea misisse ad Guilielmum ducem Aquitaniæ ex persona Hugonis ducis Burgundiæ; de utraque nos nuper. In ista autem, quæ directa est ad Guilielmum ducem, hæc ponitur clausula: « Per Christianissimum Lotharium nuper falsi calumniatores in suo sunt mendacio deprehensi; » unde colligit, eam epistolam esse scriptam postquam Lotharius anno 1133, ab Innocentio in Urbem a se reducto, in Romanum imperatorem coronatus est.

239. Deinde subjicit concilium Pisanum, cui S. Bernardus interfuit anno 1134, ac Mediolanenses Innocentio per eum conciliatos. De quibus actum est a nobis supra. His addit congressum ejusdem Sancti cum Guilielmo duce anno 1135, atque hunc apostolicæ sedis obedientiæ ab illo restitutum. Memoratus commentator recitat mox fragmentum e sancti doctoris epistola 128, eidem duci inscripta, e qua nos sequentia proferimus: « In eo animo, inquit, et in ea voluntate memini me discessisse dudum a te, Princeps eximie, ut totis affectibus bene tibi, tuisque cuperem, totis nisibus salutem vestram et honorem vestrum, ubicunque possem, juvarem; eo quod non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos; sed lætus præter spem multorum reportarem mecum pacem Ecclesiæ, cum exsultatione universæ terræ. Miror autem quo, cujusve consilio mira illa mutatio dexteræ Excelsi tam subito in deterius est mutata, ut rursum ad injuriam Ecclesiæ clericos S. Hilarii de civitate expelleres, et iram Dei in te gravius, quam primum, excitares. Quis te fascinavit tam cito recedere a via veritatis et salutis? » Hinc habemus novam Bernardi curam, novum meritum de rebus Aquitanis, ac de Ecclesia Dei. Quia vero manifestissime patet e verbis epistolæ, quæ citabam, illam, non fuisse ante Guilielmi conversionem, nec diu post exaratam; ideo non satis capio, quo pacto eadem innectatur anno Christi 1132, apud Mabillonium.

240. Nec supervacaneum fuerit legere in dicto Commentario, Ducem anno 1136, cum comite Andegavensi Normannos bello vastasse, ac multis diarrhœa punitis, ipsum anno 1137 instituisse peregrinationem ad S. Jacobum, ibidemque obiisse IX Aprilis, ex Orderico Vitali lib. III Historiæ ecclesiasticæ, quam absolvit anno quarto ab obitu Guilielmi, æræ Christianæ 1141, quando apud Normannos in cœnobio Uticensi 56 annos vixerat, factus monachus anno 1085, id est, annis 14 antequam dux Guilielmus nasceretur, sicut ibidem datur videre. Quod vero de morte ejus apud Compostellam dicebatur, ibidem probatur ex his Orderici verbis: « Anno 1137, tertia septimana Martii, Stephanus rex in Normanniam venit... Eodem tempore Guillelmus Pictaviensium dux, memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus, ad S. Jacobum peregre profectus est. Deinde feria sexta Paraseeve, V Idus Aprilis, sacra communione munitus est, et ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est. » Ad hæc, in citato sæpe Commentario § 5, proferuntur historici sæculo Christi XII, XIII et XIV, qui in eadem ducis Guilielmi apud Compostellam morte consentiunt: § 6, tractatur de Vita a Theobaldo exornata, et, sicut invenies § 7, ad sæculum pene XVI, incognita: et ibidem varia quoque ejus menda notantur: § 8, exploditur figmentum Buchetl et aliorum de simulata morte Guilielmi ducis; item de adulterinis diplomatibus, et conficto Guilielmi Ducis testamento.

241. Atque hæc quidem hactenus summatim e Commentario Henschenii extracta, et alia plura, quæ in eodem laboriose digessit, magnopere conducunt ad vitandam rerum, temporum ac personarum confusionem, plenioremque notitiam Guilielmi Aquitaniæ ducis, quem S. Bernardus ad meliorem frugem reduxit cum uberrimo Ecclesiæ catholicæ fructu, ac immortali apud posteros sui nominis memoria. Verum antequam manum tollam de hac tabula, velim cum designato commentario conferri, et expendi ea, quæ scribit Manricus ad annum Christi 1136, cap. 1, quæ autem refert cap. 2, cum Commentario Henschenii historico, qui exstat post sancti Guilielmi eremitæ Vitam. Reliquum est, post res hasce, quas uno sermonis tractu narravimus de identidem memorata conversione, quo minus aliunde interrupta, eo magis clara et perspicua, ut S. Bernardum ad suos Claræ-Vallenses a sacra Aquitaniæ expeditione reducem conveniamus.

§ XXIII. *Cantica canticorum a sancto doctore exposita; notantur varia, quæ illud Opus circumstant, adjuncta; ejusdem elogia.*

242. Ernaldus lib. II Vitæ, cap. 4, sub finem, « Tanto, inquit, igitur malo obruto, quod in Aquitania grassabatur, et schismate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claramvallem revertitur... Nactus vero... aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, et secedens in casulam pisatiis torquibus circumtextam, solus meditationibus divi-

Digitized by Google

nis vacare disposuit. Et repente occurrunt ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria cantica, et spiritualia fercula nuptiarum. » Id quod pluribus ibidem pie prosequitur laudatus biographus, amplam nobis suppeditans vel sola hujus elucubrationis Bernardinæ memoria, ut super ea diffusius commentemur. Argumentum itaque hoc, quo magis ejusdem dignitas lucescat, dispescimus in varias partes. Ac primo quidem dicatur de tempore, quo doctor sanctissimus ad opus hoc illustre, ad sermones, inquam, in Cantica scribendos animum appulerit. Secundo, quo illos incentore scripserit. Tertio, cur manserint imperfecti. Quarto, quoties, quo modo, quo loco, quo tempore habiti. Quinto, quo anno, et cur interrupti. Sexto, de eorum exemplaribus mss. Septimo, de eorumdem continuatore. Octavo, de istius operis dignitate ac elogiis. Eruditissimus Mabillonius in nova sua operum S. Bernardi editione, volumine primo, pag. 1263, Præfationem habet in sancti ejusdem Patris tomum IV, Sermones ipsius in Cantica continentem, e qua delibo sequentia. De tempore, quod primo loco proposueram, sic fatur: « Hoc insigne opus Bernardus aggressus est anno 1135, post suum ex Aquitania reditum, ut patet ex libro secundo de ipsius Vita cap. 6. Id autem operis tempore adventus prædicti anni 1135, inchoatum fuisse, intelligimus ex Sermonis secundi exordio : *Ecce enim quam multi in hac ejus, quæ proxime celebranda est, Nativitate, gaudebunt,* » etc.

243. Quo suasore seu impulsore Opus illud fuerit susceptum, indicatur in laudata Præfatione his verbis: « Bernardum de Portis Carthusianum istius suscepti, si non auctorem, saltem incentorem fuisse constat ex Bernardi ad ipsum epistola 153 in qua vir sanctus expositionem in Cantica, seu aliquid spirituale obnixe flagitanti suam tenuitatem prætendit: sed tandem instanti obsequitur, sive id de susceptione, sive de publicatione et missione Operis jam inchoati interpretandum sit. Placet secunda interpretatio, præsertim quod Gaufridus in locis modo adductis, » nimirum ex lib. II, cap. 6, et lib. III, cap. 8 (sed libri secundi Vitæ auctor est Ernaldus; Gaufridus tertii) « Bernardi de Portis ad istud aggrediendum auctoritatem intervenisse non dicit; imo virum sanctum sponte sua huic meditationi applicuisse animum satis innuit. Favent huic sententiæ verba epistolæ 153 : *Cedo importunitati tuæ, ut vel exhibitio tollat suspicionem. Res est cum amico. Non parco jam verecundiæ. Prorsus, dum fiat quod tu vis, insipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis, recens dictatos, en facio transcribi, et tibi, cum necdum ediderim, quam citius mitto. In quo opere, cum accepero tempus, Christo imperante curis, tentabo procedere.*

244. « Ex quibus verbis id tantum eruitur, Bernardum Portensem aliquid spiritualis Operis a Bernardo nostro postulasse, eique missos fuisse sermones primos in Cantica. Nescio an de hoc Bernardo explicandus sit locus in sermone 1, num. 2 : *Puto autem quod jam non habebit, unde adversum nos murmuret is, qui nobis de via venit amicus, cum et tertium istum insumpserit panem.* Quod aliis æstimandum permitto. Denique ad ipsum Bernardum Portensem priores sermones directi sunt cum epistola 154, in qua hæc legimus : *Sermones super principia Canticorum, quos tu petiisti, et ego promiseram, transmitto tibi: quibus lectis, peto, ut quam citius opportune poteris, tuo rescripto moneamur vel ad procedendum, vel ad supersedendum.* Quod de ipsa descriptione et missione operis itidem interpretari licet. »

245. Sermones autem isti cur non fuerint ab auctore perfecti, has affert causas Mabillonius eorumdem editor: « Etsi vero, ait, Bernardus continuis fere diebus hos sermones habebat ad suos Clarævallenses, non potuit tamen intra annos octodecim, quibus supervixit, incœptum opus perficere, variis subinde Ecclesiæ ac regni negotiis interpellatus, quin etiam adventantium importuna frequentia, de qua non semel conqueritur, ut in fine Sermonis tertii : *Sed ecce avocat nos diei malitia. Hi siquidem, qui modo supervenisse nuntiantur, gratum cogunt rumpere magis, quam finire sermonem. Ego exibo ad hospites, ne quid desit officiis ejus, de qua loquimur, charitatis. Et in sermone* 52, *num.* 7 : *Rara satis mihi ad feriandum a supervenientibus conceditur hora.* Mirum vero est, sanctum Patrem, magnæ familiæ, et irruentium negotiorum curis distractum, parem fuisse meditandis tam altæ sapientiæ sermonibus, iisque in dies recitandis. » Sic ille.

246. Jam vero punctum, quod antea quarto designaram loco, de variis circumstantiis horum sermonum, quoties nimirum, quo modo, quo loco, quo tempore vir sanctus illos haberet, statue ex sequentibus. Nam, ut indicabat modo Mabillonius, illos in dies recitabat. « Quod, inquit, etiam ipse contestatur sermone 22, num. 2 : *Nonnullius profecto fatigationis est atque laboris, quotidie scilicet exire, et haurire etiam de manifestis rivulis Scripturarum*, etc. Nam hos Sermones feriatis diebus habebat, et quidem pene continuis, ut patet ex sermone 83 ubi triduum jam consequenter ad explicandum unum locum se insumpsisse dicit. Hos porro sermones viva voce proferebat. Unde in fine sermonis 42 hæc loquitur: *Infirmitas mea, quam nostis, non sinit ulterius progredi.* Et in fine sermonis 44 : *Et de hoc satis. Nam et infirmitas mea pausandum indicit, sicut et sæpe facit.*

247. « Meditationem quidem vir sanctus disponendæ sermonum materiæ cum oratione adhibebat, sed eos ex animi copia et plenitudine nondum scriptos nonnunquam depromebat, ut varia loca probant. Nam et multa in istis sermonibus ex tempore dicuntur, quale est illud, cum in sermone 36 somnolentos increpat, aitque : *Putabam me uno sermone implere quod promisi de duplici ignorantia; et fecissem, nisi fastidiosis longior videretur. Quosdam siquidem oscitantes, quosdam et dormientes intueor. Nec mirum,*

Digitized by Google

præcedentis noctis vigiliæ (*longissimæ quippe fuerunt*) *excusant eos.* At extemporanea illa dicta nihil æque probat, quam locus ex sermone 9, num. 6 : « *Occurrit et alius sensus, quem quidem non proposueram : sed minime præteribo.* Accedit, quod recitatos sermones postea a discipulis fuisse descriptos innuit vir sanctus his verbis : *Scripta sunt, ut dicta sunt*, ait sermone 54, num. 1 *et excepta stylo sicut et sermones cæteri, ut facile recuperetur, quod forte exciderit.* Huc spectat quod legitur in Sermone 77, num. 2, *Sed etsi litteris forsitan mandentur ista, quæ dicimus, dedignabuntur legere.*

248. « Hos porro sermones passim declamabat Bernardus in auditorio fratrum, et quidem novitiis præsentibus, ex sermone 63, num. 6, non vero conversis, qui ejusmodi conventibus non intererant : unde sæpe innuit auditores suos fuisse in Scripturis sacris peritos, quos ingenio dicendis prævolare testatur in sermonibus 15, num 2; 16, num 1, et 39, num. 2.

249. « Cæterum hora, qua sermones isti habebantur aliquando matutina, ante missam, (ut de aliis sermonibus in superioris tomi præfatione dictum est), aliquando vespertina erat. De matutino tempore interpretare duo loca, in quibus concionem dimittit propter laborem manualem, et officium divinum. Sic in fine sermonis 1 : *Sed præterit hora*, inquit, *qua nos exire urget ad opera manuum et paupertas, et institutio Regularis.* At expressior est hanc in rem locus in sermone 47 quem interrupit ob instantem horam officii divini. De vespertino tempore perspicuum est testimonium in sermone 71, n. 15 : *Jam enim disputante me longius, inclinata est dies.* At satis minutiarum, quæ tamen huic loco non male conveniunt. »

250. Ad quintum, quod supra attigi, quo videlicet anno et cur sermones illi fuerint interrupti responsum accipe ex eorum editore : « Sermones, ait, omnino quatuor et viginti absolverat Bernardus anno 1137, quo anno in Italiam ad componendum schisma profectus est. Inde reversus anno sequenti, ad opus intermissum denuo se recepit, sermone 24 repetito cum alio exordio et alia clausula : ex quibus nata est illa, de qua suo loco agemus, lectionis diversitas. Sermones autem sexagesimum quintum et sequentem, qui ab expositione istius versus, *Capite nobis vulpes parvulas*, incipiunt, composuit vir sanctus adversus Colonienses hæreticos, occasione epistolæ ad se scriptæ per Evervinum præpositum Steinfeldensem : quam epistolam idcirco duobus illis sermonibus præfigere visum est. Denique sermo octogesimus habitus est post concilium Remense, anno 1148, præsente Eugenio, celebratum, in quo damnatus est error Gilberti Porretani episcopi Pictaviensis, prout Bernardus ipse in eo sermone commemorat. »

251. Ad sextum quod spectat, de Operis prædicti exemplaribus mss. uti et ad septimum, de ejusdem continuatore, consuli potest Mabillonius loco citato, in quo agit de numero sermonum, eademque occasione indicat, in codice Vaticano, qui signatus est num. 665, haberi præfationem, quæ nec in editis, nec in scriptis ullis legitur. Ejus exordium addit; sed illud ibidem legi potest. Nihil in ea Præfatione ad Bernardi stylum aut genium accedit. Præfationi subjunguntur sermones tantum 83 sub hoc titulo : *Incipit expositio beati Bernardi Claræ-vallensis abbatis in Cantica canticorum.* Titulum hunc aliter in aliis codicibus notari observat. Deinde « Expositio, ait, ista desinit in caput tertium Cantici, ad hunc versum : *In lectulo meo quæsivi per noctes*, a quo Gillebertus de Hoylandia, et ipse Cisterciensis Hibernus, eam continuavit usque ad quinti capitis hunc versum : *Dilectus meus candidus et rubicundus*, editis sermonibus octo et quadraginta, vir sane Bernardo dicendi gravitate et pietate non multum inferior. Conantem vero ulterius explanando progredi mors ex humanis abstulit, veluti huic indignata, si Sixto Senensi credimus, quod interruptum a se Bernardi laborem iterum continuare, et ad finem deducere velle auderet. Fallitur Sixtus, qui Bernardi opus ultimo vitæ suæ anno incœptum dicit. Gilleberti sermones in tomo sequenti adducemus. » Ita ille. « Præter hanc, » uti pergit, expositionem Bernardus aliam breviorem dictavit Guillelmo S. Theoderici abbati, uti Guillelmus ipse testatur in libro primo de ejus Vita cap. 12. Sed commodior erit de hac dicendi locus in tomo quinto, ubi compendiosam in duo priora Cantici capita ex Bernardo commentationem referemus. »

252. Restat octavum hujus materiæ punctum, de quo acturum me spoponderam superius, quodque in laudatissimi hujus operis dignitate ac elogiis consistit. Ejusdem editor in sæpe dicta præfatione hisce illud laudibus extollit : « Cum omnia sancti Bernardi opera solidæ pietatis ac doctrinæ succo referta sunt, tum duo præcipue apud omnes in pretio esse debent, nimirum libri de Consideratione, et sermones in Cantica canticorum. In illis siquidem libris, quidquid sanctius in sacris litteris, et in conciliis; quidquid salubrius in scriptis veterum Patrum, et in decretis Pontificum ad regimen Ecclesiæ præscribitur; id omne sub eleganti compendio comprehensum habetur. In his vero Sermonibus, quæcunque per alia sancti Doctoris opera ad mores informandos, et ad pietatem accendendam; quæcunque de vitiis et virtutibus, atque de tota vita spirituali respersa sunt; in his, inquam, sermonibus hæc omnia solidius ac sublimius pertractantur, et ex mysticarum allegoriarum involucris ac figuris, totius perfectionis eruuntur arcana, non minus jucundo atque utili, quam sublimi modo : ita ut hi sermones quasi castæ quædam piorum hominum deliciæ censendæ sint.

253. « Jucundum atque utilem, hunc scribendi modum appellamus : hæc enim est, teste ipso Bernardo, *miranda prorsus et miseranda humanarum conditio animarum (ut) licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, egeant omnino figuris et ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus et exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conficere.* Quod quidem his in sermonibus

Digitized by Google

præclare omnino præstatur. » Postea vero Mabillonius coronidem imponens suæ præfationi in Cantica : « De quibus, inquit, quid sentiret Guerricus abbas Igniacensis, et ipse sancti doctoris discipulus piissimus, aperit in sermone 3 de sanctis Petro et Paulo, qui cum aliis habetur in tomo VI : *Magister noster, ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex iis, quæ jam edidit, quia si perveniret ad locum, de quo quæritis, « donec adspiret dies, et inclinentur umbræ, » umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ; quod dictum est, vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine.* Hæc Guerricus. » Nec prætereriem quæ scribit Manricus ad annum Christi 1135, cap. 6, num. 10 : « Hoc illud opus Bernardi Patris est, quod, cum aliorum negotiis impeditus, si tamen aliena ab ipso, quæ charitatis, et tandem morte præventus, non perfecisset, vel magnus ille totius Ecclesiæ sol, doctrina pariter et puritate vitæ angelus, atque angelicus doctor divus Thomas recusavit perficere, quasi diffidens a se posse adæquari sancti dulcedinem. Unde et rogatus a Fossænovæ fratribus, ubi et extremum Deo spiritum reddidit, respondisse fertur : *Date mihi spiritum Bernardi, et ego perficiam opera Bernardi.* »

§ XXIV. *Novus Ordo Bernardi consiliis in Anglia institutus; vaticinia; miraculum; iter Romanum contra schismaticos; felix rei successus.*

254. Auctor Annalium Ordinis Cisterciensis ad annum Christi 1135, cap 8, num. 8, scribit de novo Ordine in Anglia S. Bernardi consiliis instituto ita memorans : « Per idem tempus consiliis Bernardi Patris, quem consultum adivit ipse, qui condidit, fundatur ordo Semprimghamensis in Anglia, auctore Gilberto de Semprimgham, viro sanctissimo, et quem virginibus maxime instruendis spiritum cœlestem accepisse, ipse etiam prefectus comprobavit. » His addi possent, quæ ibidem, et num. 9 ac seqq. ad pleniorem hujus rei notitiam afferuntur; sed, ne longiores simus, eo lectorem mittimus, atque hinc transimus cum Manrico ad annum Christi 1136, ubi cap. 3, num. 1, nobilem sancti abbatis prophetiam contexit in hunc modum : « Hic idem annus Clarævallensibus Pontigniacensibusque tristis et lætus majoris inter fratres Bernardi natu morte fuit. His, quia ditati exuviis corporis sancti ; illis, quia orbi, quippe morbo præventus Pontigniaci, ne in Clara-Valle haberet sepulturam, juxta Patris Bernardi prophetiam, præbuit se ipsum obedientem etiam in morte. Verum quæ prophetiæ occasio extiterit, tristis, sed nimium vera simul, cum ipso gloriosi viri transitu auctor Exordii magni scriptum reliquit. » Textum sic recito ex editione Tissierii distinctione 2, cap. 10 : « Cum audisset aliquando vir Domini, abbas videlicet sanctus noster, quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum et religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem, decrevit mittere, et reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo moreretur, et desiderata sibi sepultura non privaretur. Verumtamen unus de fratribus ejus carnalibus nomine Wido, nitebatur huic obviare consilio, quia cum esset unus ex provisoribus Clarævallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui et labori.

255. « Qui cum pertinaciter ejusmodi persuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus : Nunquid major cura est tibi de pecunia vel jumentis, quam de fratribus tuis? Quia ergo non vis ut fratres nostri nobiscum requiescant in valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. Et factum est ita. Nam idem Wido, quanquam alias vir bonus et religiosus esset, tamen ut sermo sancti impleretur, non est consummatus in Claravalle, sed apud Pontigniacum, præventus ægritudine, lecto decubuit, ibique, disponente Deo, terminum vitæ, et locum sepulturæ accepit. » Neque vir sanctus prænuntiavit duntaxat morituri extra Claramvallem fratris Widonis seu Guidonis sortem; sed etiam annuntiavit mortuum, si vera sunt, quæ ex Brito narrat Manricus num. 3. « Instantem, ait, jam absentis fratris transitum revelatum Bernardo... Arnoldus apud Britum testis existit : tum cunctis filiis injunctam orationem, qua animam egredientem prosequerentur : verum et statim ab ea cessare jussos, nec pro Guidone orare; sed Guidonem apud Deum pro ipsis intercessurum. — Fratres, inquit, rogate Guidonem, ut oret pro nobis, tempus et locum sortitum, ut possit facere. — ...Hæc gesta refert Arnoldus in Claravalle, dum Pontigniaci carnis vincula exuens, mortalem vitam Guido cum morte vitali in melius commutaret. » Hæc e Brito Manricus; quem tu lector, si vis, consulere potes lib. IV, cap. 7. Vellemus enimvero, ut hoc factum ab Ernaldo biographo sæpissime citato perhiberetur, quo certius nobis de eo constaret. Ad prædictum annum cap. 7, tractat Manricus de Albæripæ, vulgo *Auberive*, cœnobii initiis, fundatore, ac situ; et eadem occasione transit ad narrationem miraculi, ibidem a sancto Patre facti; quod videsis apud Gaufridum in ejus Vita.

256. Deplorando Ecclesiæ statui in Italia subvenit sanctus abbas, et consueta sua dexteritate et auctoritate sedavit grassantem ibidem tempestatem adversus Christi vicarium. Rerum ab eo gestarum synopsim ob oculos ponit Manricus ad annum 1137, cap. 1, num. 1, ita scribens : « Dulcissimum sponsi epithalamium Bernardus pater per quietem meditabatur, et jam tribus vigintique sermonibus quatuor primos prioris capitis versus ferme absolverat : cum, ecce, sub initium præsentis anni, Christi nimirum 1137, iterum in Italiam transalpinat, diutino bello finem tandem impositurus. Laborabant Campania et Apulia sub Anacleto, Rogerio Siculo non solum favente, sed eo velut pietatis quæsito titulo (is hominum mos est) Ecclesiæ terras sacrilege occupante. Quin etiam magnum illud, præclarumque occidui monachatus caput, Casinus mons, Romanæ Ecclesiæ pars non contemnenda, unde tot veri Pontifices prodierant, tunc a vero Pontifice deficiens,

Digitized by Google

Rogerii metu an amore quis definiat? ad Anacletum proterve declinaverat, et Seniorcto abbate de medio facto, substitutum Rainaldum sibi præfecerat, ordinatum ab ipso, eoque partes ejus promoturum. Denique Romam Anacletus possidebat : cujus ut proceres jam starent pro Innocentio, at vulgus pervicax, seu priorum criminum conscium, seu spe melioris fortunæ sub rebus turbidis, quæ perditissimos quosque manere solet, pertinax magis, quam fidum permanere, et ut non pro illo, at contra Innocentium stare cognoscebatur. » Hæc de statu rerum Manricus.

257. Rationem vero temporis ita probat num. 2 : « Ergo rebus afflictis solatium unicum Bernardus nomine omnium vocatus est, idque statim sub initium intrantis anni; quippe ante Pisas desertas ab Innocentio, quem mense Martio inde discessisse Falco Beneventanus memoriæ prodit in suo Chronico : *Anno*, inquit, 1137 *et octavo anno pontificatus Domini Innocentii, mense Martio, quinta decimâ indictione, prædictus apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato, de civitate Pisana ad civitatem Viterbium advenit, præfatum imperatorem allocuturus.* Hæc Falco de Pisis desertis ab Innocentio. Bernardum vero ab eo ante vocatum, quam Viterbium abire deliberasset, argumento est idemmet Innocentius Pisis quæsitus, nec tamen jam inventus, ut mox videbimus. » Virum autem sanctum, ut rebus Ecclesiæ tam calamitosis suppetias ferret, Apostolica auctoritate advocatum fuisse, testatur Ernaldus in ejus Vita lib. II, cap. 5, in principio : « Interea, ait, litteræ Apostolicæ virum Dei vocant, et, ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant cardinales. Intermittuntur studia, et quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest : Servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur.

258. « Videns igitur excusationes frustra expendi [*al.* obtendi] (et necesse esse obedire mandatis,) convocatos a multis partibus fratres, diu profundeque suspirans affatur » paterna oratione, qua felicem suscipiendi itineris successum commendat eorum precibus, etc. prout videre datur loco allegato. « Hæc itaque dicens, et benedicens, flentibus universis discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus demum Romam pervenit, » Brevissime, ut vides, laudatus biographus sancti iter perstringit, nihil memorans de comite in via, de mora Viterbii nihil : utrumque supplebitur aliunde, dum nonnulla prius retulero ex Annalibus Cisterciensibus ad dictum caput I, num. 4, ubi eorumdem conditor, « Interim, inquit, adnoto, traditione et frequentibus picturis, quam veterum testimoniis compertius fore, cum sanctus Pater Alpes transiturus currum conscenderet, dæmonem invidentem Ecclesiæ paci, quæ ex ejus adventu sperabatur, confregisse rotam, retardando, qua posset, cœpto itineri, aut sancto viro, si posset, præcipitando. Tum vero ipsum prophetiæ spiritu plenum, et nihilominus consilii et fortitudinis, potenter imperasse fractori dæmoni, ut se ipsum in rota substitueret, rotandum pariter, currumque laturum. Sic factum fuisse, ut idem promoveret iter, qui retardabat, et qui ultro euntem impediebat, portaret coactus, irrisui simul exemploque futurus. Exstant picturæ antiquæ recentesque typis Romæ mandatæ, ex quibus neoterici Perales lib. II, cap. 16. Montalvo et alii hausere. » Valeat hæc historia quantum potest. De itinere autem hæc subjungit idem Annalista :

259. « Avulsus dulcissimus Pater a suis filiis, Pisas primo, unde vocatus fuerat, petiit, reputans se inventurum ibidem summum pontificem : ubi autem cognovit inde profectum, abeuntem Viterbium usque secutus est, ibique ab eo, et cunctis cardinalibus honorificentissime susceptus. Porro autem cum convenisset pontifici cum imperatore rem totam armis agere, et divisis agminibus inde Campaniam hinc Marchiam expugnare, ut tandem Urbis facilius potirentur; » Abbas sanctus alia via rem aggrediendam censuit Romæ, ut perhibet Eraldus; non Viterbii, ut Manricus. Etenim postquam citatus Vitæ scriptor num. 131, dixisset, sanctum Romam pervenisse, continuo subdit ista : « In cujus adventu tam dominus Papa quam fratres lætati sunt, et communicatis cum eo consiliis, secundum rerum provcntus, et statum causarum, abbas alia via aggreditur, nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorumdam suscipiens scisitatur, quæ sit eorum facultas; qui fautorum animi; utrum errore an malitia seducti tantum scelus protrahant et protelent, » etc. quæ legi pluribus possunt apud Ernaldum eodem cap 5. Manricus, istorum parte recitata, « Placuit, ait, sanctum doctorem Romam mitti, ad Innocentium, quos posset, reducturum. » Superiora itaque Viterbii sunt acta, si audiamus Manricum; Romæ, si Ernaldum; Sed hujus sententia non videtur mihi tam probabilis, quam illius, tum propter ea, quæ de Pontifice Innocentio Pisis Viterbium profecto jam præmissa sunt ex Falconis Chronico, tum propter testimonium ipsiusmet S. Bernardi, qui sermone 26 in Cantica, volumine 1 Operum editionis Mabillonianæ col. 1359, sic memorat, obitum fratris sui Gerardi lugens :

260. « Recordor, Domine, pacti mei, et miserationis tuæ, ut magis justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris. Cum pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbii essemus, ægrotavit ille, et invalescente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, et illum comitem in terra relinquere alienа, nec resignare his qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde; conversus ad orationem cum fletu et gemitu, Exspecta, inquam, Domine usque ad reditum. Restitutum amicis tolle jam eum, si vis, et non causabor. Exaudisti me, Deus : convaluit : opus perfecimus, quod injunxeras : redivimus cum exsultatione re-

Digitized by Google

portantes manipulos pacis. » Hinc sequitur primo, ut fuerit Viterbii sanctus Pater, et aliquam ibi moram traxerit; nec unam duntaxat, sed duplicem et primam quidem anno 1133, teste epistola 151, alteram anno 1137, cujus hic mentio, sicut observatur in notis ad dictum sermonem; qui col. 1353, habitus signatur anno 1138, epistola vero 151, quæ dirigitur ad Philippum Turonensis ecclesiæ invasorem [*al.* electum], anno Christi 1133, col. 154. Sequitur secundo, ut in itinere Italico posteriore vir sanctus comitem sibi adjunxerit dilectissimum sibi fratrem Gerardum.

261. Iter hoc a priore non secrevit Manricus n. 6, unde accidit, ut res diversi temporis, in unum idemque tempus conflarit, uti constat ex ejus ibidem verbis : « Dum Bernardus Viterbii morabatur, contigit Philippum Turonensis Ecclesiæ pseudo-electum (Decesserat enim Heribertus anno proximo, et Philippus antecessoris ipsius nepos per vim intrusus, eamdem sedem adolescens occupaverat), contigit, inquam, Philippum Romam petere, a pseudo-papa ordinandum pseudo-episcopum, eoque ab Ecclesia catholica præcisum, juvenem alias Bernardo familiarem, et multis animi dotibus illustrem : ad quem, cum Romæ esse comperisset, brevem sed acrem scripsit epistolam, nec minus dulcem atque amoris affectu plenam ; » cujus exemplum continuo ibidem recitatur, exstatque apud Mabillonium columna 154, citata. Quod autem epistola ad Philippum data non spectet ad annum Christi 1137, sed ad annum 1132 retrahi debeat, conficitur e notatione Mabillonii ad epistolam 150 Innocentio PP. inscriptam, in qua sanctus doctor habet ista : « Revixit, ut aiunt, Gisleberti spiritus in Philippo, ipsius plane et nepote carnis, et hærede ambitionis. » Audiatur nunc Mabillonius : « Gislebertus seu Gilbertus decessor fuit Hildeberti, qui anno 1125, ex cathedra Cenomanensi in Turonicam translatus est, eamque tenuit annis sex cum totidem mensibus, ut ad epistolam 122, notavimus. Eo mortuo Philippus, Gisleberti nepos, malis artibus sedem invadens, favente Anacleto, huic epistolæ occasionem dedit, et sequenti, quæ prior scripta est.

262. « Philippo cedere coacto Hugo, canonice suffectus. Lege Analectorum, » quæ ipse Mabillonius vulgavit, « tom. III, pag. 338. » In notis autem ad epistolam 122, a dicto Hildeberto ad Bernardum scriptam, sed hoc ordine inter Bernardinas collocatam, hæc observantur : « Hildebertus, hujus epistolæ auctor, Cenomanensem ecclesiam rexit ab anno 1108, ad annum 1125, quo in metropolim Turonensem mortuo Gisleberto suffectus est. Id constat tum ex Orderico Vitali in libro x, ad annum 1098, tum ex Actis episcoporum Cenomanensium, in tomo III Analectorum editis, ubi Guido, ejus in sede Cenomanica successor, post longas altercationes anno 1126, consecratus memoratur. Turones rexit annos tantum sex cum totidem mensibus. Sic enim habent Acta prædicta, quibus apographum Chesnianum consentit, atque Joannes Maanus in Metropoli Turonensi, imo etiam Ordericus ad annum 1195, pag. 882, ubi Hildeberto fere VII annos archiepiscopatus tribuit. Non ergo pervenit Hildebertus ad annum 1136, ut in Gallia Christiana legitur : sed mortuus est anno 1132, quo anno utique Joannes Maanus ejus obitum reponit. » Tria itaque ex dictis consectaria sequuntur. Alterum, ut vir sanctus bis, ac diversis annis moratus fuerit Viterbii : alterum, ut Manricus utramque moram confuderit : tertium denique, ut epistola, quam idem sanctus scripsit ad Philippum, anno Christi 1133, restituenda sit, sicut ostendebat Mabillonius. At nos sanctum Viterbio discedentem revisamus.

263. « Inter hæc, prout refert Manricus num. 7, cum Gerardus convaluisset, Bernardus Pater confestim Viterbium deserit, et Romam scandens, convenire singulos, congregare universos, auctorem schismatis Petrum detestandum, Innocentium sequendum cunctis ingerere, unitatem Ecclesiæ prædicare, scindentes arguere, excusationum effugia penitus claudere, etc. At quæ rebelles velamenta prætexerent, et quas sanctus rationes illis objiceret ad revelandam debellandamque perfidiam, Bernardus (imo Ernaldus) Bonævallis abbas his narrat verbis : » quæ vide apud nos cap. 5. Verum quanta fuerit in oratore dicendi vis, quanti in rebellibus ex potenti ipsius sermone motus animorum, quantus obitæ a viro sancto apud Romanos legationis fructus pro Ecclesia Dei, perspicum est ex laudato biographo, qui rei eventum sic memorat ibidem num. 152 : « Auditis his aliisque viri Dei sermonibus, defluebant a Petro, et quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur : ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium vero crescere minime dubitabat, » etc.

§ XXV. *Quæ apud Casinenses gesta dicuntur, præsente S. Bernardo, partim sunt falsa, partim verosimilia; corporis ejus infirmitas, ac desiderium revertendi ad suos.*

265. Eminentissimus cardinalis Baronius ad annum Christi 1137, exposito schismaticorum statu in urbe Romana, asserit num. 5, sanctum nostrum ibidem « diu moram magno proventu catholicorum protraxisse. » At si vera sunt, quæ habentur apud Petrum diaconum, istius temporis scriptorem, in Chronico Casinensi, fuisse eum in Campania mense Julio, atque in Monte Casino functum munere legati oportet. Scriptor Annalium Cisterciensium ad annum mox signatum, cap 2, num. 1 et 2, refert, a Casinatibus, Anacleto et Rogerio ante addictis, vocatum fuisse Lotharium, per quem Ecclesiæ reconciliarentur; addens quæ apud Casinum hic gesta sint, a Falcone, cujus Chronicum Beneventanum citarat, omissa, atque a solo Petro memoriæ prodita, seu vulgata ejus nomine. Fatetur quidem Manricus, hæc esse, vera aut saltem verosimilia, de quibus legi potest prædictus Petrus in Chronico Casinensi libro IV, cap. 107, et seqq. a pag. 565,

Digitized by Google

novisssimæ editionis, quæ exstat inter Rerum Italicarum scriptores, Mediolani excusos, tomo IV, una cum notis, quibus illud Chronicon illustratur. « At quæ in præsentia Lotharii gesta feruntur, sicut pergit ibidem Manricus, quia a vero nimium videntur exorbitare, ne qua in parte nobis imputari possint, ejusdem Petri verbis placet scribere. Nisi quod tamen prius animadverto, quicunque fuerit ejus historiæ auctor, ultra alios errores, de quibus infra, annum etiam incertum elegisse; neque solum incertum, sed repugnantem; quippe sequentem 1138, in quo Innocentius Romam jam reversus, Lotharius vel a Roma etiam discesserat. »

265. Auctoris autem verba deinde recitat e Chronici Casinensis libro IV, cap. 110, quæ in designata editione Mediolanensi notantur lib. IV, cap. 109, sed nos illa hic e textu apud Manricum contrahimus in pauciora, ex eisdem delibantes, quantum in rem nostram sit satis : « In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus 1138, Indictione prima, septimo Idus Julii, anno imperii Lotharii cæsaris septimo, [*Edit. Mediol.* sexto], residente eodem invictissimo principe ad Aquas Pensiles, considente etiam Peregrino patriarcha Aquileiensi, cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus quam plurimis, causidicus pro Romana Ecclesia directus est Girardus cardinalis, tituli sanctæ crucis, et Guido Cardinalis, qui ambo Romani postea fuerunt pontifices; » atque inter alios, qui ibidem nominantur, signatur « Robertus [*Edit. Mediol.* Norbertus] Claræ-vallensis abbas... Ex parte vero Casinensis ecclesiæ auditores fuere Henricus dux, imperatoris gener, Conradus dux, » ac plures alii, quorum nomina ibidem exprimuntur. « Facto itaque silentio imperator dixit : Non modo præsentium et temporalium, verum futurarum æternarumque rerum in hoc conventu discussio erit. Nos quoque vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, dignum duximus huic interesse concilio, et eorum quæ dicentur, librare momenta. » Hæc ex dicto Chronico apud Manricum; varias autem lectiones, quæ sunt in editione Mediolanensi, non pono, præter duas.

266. Acta istius consessus tanquam spuria castigans Manricus num. 4 et 5 : « Quibus, ait, plane videas indignam prorsus Ecclesia Romana, cæterarum omnium capite, cum peculiari membro concertationem, indignum ligitantibus tribunal, sæculare ecclesiis et ecclesiasticis. Denique indignum Innocentio Papa factum, qui Cardinales, qui Bernardum legaret ad hoc negotium, ut vel ex his falsitatis arguatur, quicunque scripsit. Quin et Robertus (sive Norbertus, ut habet editio Mediolanensis) abbas Claræ-vallis non minus arguit figmenti suppositionem. Subjicit statim disputationis seriem prolixe continuatam per dies quinque, inter Girardum cardinalem, et ipsum Petrum, hunc defensorem ecclesiæ Casinensis, illum Romanæ. Disputationis præcipuus scopus fuit, an Casinenses, abjurato Anacleto, Innocentio obstringendi forent per sacramentum. Addita quæstio de electione abbatis, et quid juris haberet in eam Vicarius Christi. Subdit Petrus, » sicut pergit Manricus num. 6, « secundam disputationem cum monacho Cistellensi (sic ipse vocat) protractam diebus tribus, in qua adversario, ut apparet, sibi ficto, facile potuit, voti compos evadere. » Hanc disputationem secundam Annalibus suis inserit Manricus eodem num. 6 et sequentibus; sed nos nullam hic damus : utramque acri censura perstringit Baronius ad annum Christi 1138, num. 14. Proferamus ejus verba :

267. « Acta de disputatione cardinalium cum ipso Petro coram Lothario imperatore, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cum multipliciter arguantur falsitatis, indigna putamus quæ Annalibus intexantur. Ita Deus mentienti resistit, ut, quamvis vafer et callidus sit qui orditur telam mendacii, ejus obscuret veluti fascino intellectum, ut videre non sinat quæ aliis sunt perspicua, ut sic inde possit redargui falsitatis. » Et mox, recitato istorum actorum exordio, ita prosequitur idem Baronius num. 15 : « Locus autem iste, qui dicitur ab auctore ad Aquas pensiles, ubinam fuerit, ab eodem superius asseritur lib. IV, cap. 109, (in editione autem novissima Mediolanensi cap. 108), nempe fuisse prope Melphim. Ait enim : *Monachi accelerare fugam contendentes, Melphim primo, inde ad lacum Pensilem* (*in dicta editione pag.* 565, *vulgo* Lago Pesole *vocatur in notis*) *ubi omnis imperatoris exercitus cum Innocentio Papa consederat, advenerunt.* Ibi vero contigit adesse imperatorem non hoc anno, sed superiori, quo descendit cum exercitu in Apuliam, ut suo loco superius est demonstratum auctoritate scriptorum ejusdem temporis. Quomodo ergo a Petro præsens annus, et anni præsentis Indictio ponitur, et certa dies consignatur mensis Julii ejus anni, quo nec imperator, nec Pontifex fuere ad Aquas Pensiles; sed Romæ eo tempore degeret Innocentius, et imperator Lotharius jam ab Urbe recessisset versus Galliam Cisalpinam?

268. « Præterea quisnam ibi ponitur Robertus abbas Claræ-vallensis interfuisse una cum cardinalibus publicæ disputationi : cum non alius, quam sanctus Bernardus fuerit hoc tempore abbas Claræ-Vallensis? Insuper quomodo passurus fuisset Innocentius, Lotharium imperatorem præfuisse judicem inter cardinales et monachos Casinenses, qui (ut vidimus) maxime indigno animo tulit eumdem audisse causam monachorum inter se dissidentium? Hæc sunt, et alia, quæ arguant eadem illius affixa acta esse penitus commentitia, sicut sunt magni dedecoris schismaticorum monachorum illorum, qui contra Romanam Ecclesiam eo modo disserere tanta procacia proponantur. Sic igitur acta illa non anno Christi signanda erant trigesimo octavo post millesimum centesimum; sed trigesimo septimo : non indictione prima, sed decima quinta : non anno septimo Lotharii imperatoris, sed quinto, et in aliis casti-

Digitized by Google

ganda, ut diximus. » Hactenus Baronius : cujus censuræ hæc adjungit inter alia supra indicatus historiographus Cisterciensis num. 9, dicens : « Quibus addi posset, quisnam Cistellensis ille fuit, tantæ tunc apud omnes æstimationis, cui causa publica defendenda committeretur, tam minimæ, ut anonymus existeret, ignotus etiam ei, quem impugnabat? Anne Bernardus, quem, ne iterum falso nominaret, maluit omittere? At Bernardus non eminus astaret, quem pontifex, quem imperator venerarentur, quem assidentem inter cardinales orbis aspexit. Sed neque vocandus ad conflictum foret, si non conflictus illi committendus, etc. »

269. Atque hæc quidem sunt gravamina, quibus acta in Monte Casino tanquam spuria ac commentitia traducuntur ab utroque isto scriptore : sed narrationem Petri Diaconi auctor Excursus historico-juridici, qui in editione Mediolanensi intexitur ejus Chronico pag. 566, et sequentibus, fuse et operose conatur defendere contra accusationes Baronii ac Laureti; quibus quomodo respondeat, ibidem videri potest. Sed illud argumentum, quod hic addam, quodque nec a Baronio, nec a Manrico, nec ab auctore prædicti Excursus video tactum, videlicet tempus, quo Lotharius imperator e vita excessit, maximum videtur habere pondus adversus acta illa in Monte Casino, de quibus est controversia. Argumentum porro illud, a Pagio in Critica Baroniana ad annum Christi 1138, deductum, ego in rem præsentem converto. Sic igitur ibidem memorat num. 6 contra Baronium : « Ad num. 12 et seq. Baronius mortem Lotharii imperatoris usque ad mensem Decembrem currentis ann. differt. Verum Lotharium superiori anno demortuum... extra omnem controversiam esse debet. Robertus enim de Monte, Dodechinus abbas, continuator Lamberti Schafnaburgensis, chronographus Hildensheimensis, et alii passim, Lotharium anno præcedenti demortuum produnt, et Conradum currenti ei successisse, ejus diplomata invicte demonstrant. Fundamentum Baronii anno sequenti evertemus; » quo etiam diplomata illa memorantur num. 3. Pergit Pagius dicto num. 6 :

270. « Falco in Chronico ad annum 1137, ait : Hoc anno prædictus imperator... mortuus est in partibus Tusciæ. » Quæ vero addit Pagius de alio mortis loco, tam non spectant ad præsentem nostram controversiam, quam quo corpus ejus sit delatum, de qua re ibidem agit. De die autem emortuali imperatoris Lotharii scribit ex auctoribus, quos affert, num. 7 : « Nocte inter III et II Nonas decembris media eum vivere desiisse. » Cum vero coronatus fuerit imperator anno Christi 1133, mense Junio (videsis Baronium, et ejusdem criticum), consequens est, ut e vita excesserit anno imperii sui quinto. Quoniam autem argumentum, quod assumere visum est contra consessum Casinensem, positum est in ratione temporis, Baronius quidem alias notas chronologicas rebus in eodem actis adaptat, ut modo retulimus; sed ex morte imperatoris enervare illa haud potuit, quia eam innectit anno 1138, nec potuit Manricus, qui hunc annum eidem assignat cap. 7, ad annum 1139. Sed dispiciamus quidnam respondeat auctor Excursus historico-juridici pag. 567, ad argumentum Baronii, a ratione temporis petitum : « Primum, inquit, criminatur errorem anni, et subinde Indictionis. Atqui male actum foret de historicorum fide, si ejusmodi leviora errata cæterorum veritatem infuscarent, ac deterrerent. Ulterius. Codex noster manu exaratus, unde hæc sumpta sunt, non legit anno septimo imperii Lotharii, ut perperam editio Veneta, quæ fucum fecit Baronio; sed anno sexto, qui signat Christi trigesimum octavum. »

271. Sed reponere poterunt emunctioris naris critici primo, errata chronologica in documentis historicis infuscare et suspecta reddere reliquorum veritatem, quando aliæ difficultates eisdem inspersæ occurrunt, quæ eodem faciunt. Secundo, correctionem chronologicam in citato Excursu adhibitam, nihil valere, uti liquet ex anno emortuali imperatoris Lotharii, cui Conradus anno 1138, successit. Tertio, se non concipere, quo pacto in litigiosam illam scenam Lotharius tanquam ejusdem præses induci a Petro Diacono potuerit septimo Idus Julii, anno imperii sui septimo, vel si vis sexto, qui sextum imperii sui annum nunquam vidit, nedum diem illum, anno videlicet dimidio, et quod excurrit, eisdem præmortuus; a Petro, inquam, Diacono, rei gestæ non tantum spectatore et teste, sed præcipuo; ut volunt, actore ejusdem ac patrono. Quarto, si altercatio ista vere a Petro scripta, et ei non adscripta ab alio (vide Excursum pag. 570), qui concipi possit, ita ab eo scriptam, ut tam crasse impegerit in chronologiam? quomodo item nomini Bernardi aliud supposuerit? Verum inter accusationes supra assignatas, et earum apologiam in Excursu, arbitrum me non interpono conferendo simul objecta et responsa omnia, ne longius abeam; hoc dico, mihi non videri certo evinci, Petrum Diaconum concertationis Casinensis sæpenumero jam indicatæ genuinum esse auctorem, eamque hoc modo, quo fertur, vere fuisse habitam, atque adeo S. Bernardum eidem interfuisse : cujus causa tam diu a nostro instituto jam defleximus. At sive ibi, sive alibi tunc moratus fuerit, non in otio vixit, sed in negotiis Ecclesiæ catholicæ promovendis, urente ipsum igne Spiritus sancti, qui non poterat quiescere. Quidquid itaque sit de dicta altercatione, legitur sanctus Abbas apud Casinenses fuisse alia occasione atque alio tempore.

272. « Compertum est, ait Manricus ad annum 1137, cap. 3. num. 1, Casinates... Innocentium, abjurato Anacleto, suscepisse, obedientia firmata per juramentum, quod præsentibus utriusque curiæ proceribus, primum omnium abbatem emisisse, » ex Petro refert Diacono, quem citat lib. IV, cap. 116. In novissima vero editione lib. IV, cap., 15 factum narratur : secuti deinde monachi, prout ibidem inve-

Digitized by Google

nies, et cap 118. Addit Manricus n. 4 : « Quod vero attinebat ad electionem Rainaldi abbatis ; ne vel ea sine Benedicti filiis agitaretur, Bernardo examinanda commissa est, duobus cardinalibus adjunctis, Haimerico et Girardo, qui firmandam infirmandamve decernerent, semel decretam aut everterent aut conservarent. Res utrinque discussa diu fuit. Verum cum irritam tandem intellexissent, quo negotium maturiori judicio suaviorique, nec sine integra audientia partis exsequerentur, » inquit idem Annalista, memorat ex Petro Diacono, quidnam actum fuerit in hac causa. Editio Mediolanensis lib. IV, cap. 119, pag. 583, sic habet : « Illucescente vero diluculo, Aymericus diaconus cardinalis, et cancellarius Romanæ Ecclesiæ, et Gerardus cardinalis sanctæ Crucis, et abbas Clarævallensis ab eodem papa transmissi sunt, qui prædictum Raynaldum examinarent, et juxta canonum sanctionem ab abbatiæ regimine sequestrarent. » Et post alia in hoc negotio actitata, quæ deinde narrantur, cap. 122, pag. 595, hæc exstant : « Sequenti autem die iterum ad monasterium ascendentes in capitulo resederunt, in quo, post peractum ab abbate Clarævallensi sermonem, cardinales auctoritate Apostolica eidem Raynaldo Casinensem abbatiam interdixerunt, » etc. Hisce itaque rebus gestis non sine dicendi auctoritate S. Bernardus interfuit, si sint genuina prorsus ac sincera, quæ apud Petrum Diaconum leguntur.

273. « Rebus apud Casinum ita dispositis, prout narrat Manricus num. 5, et debellatis per Campaniam urbibus, quas sibi et Anacleto Rogerius per vim subdiderat, cum Innocentius versus Romam iter pararet, infirma alias Bernardi valetudo ultra consuetum viribus defecta, exhausta laboribus, solo spiritu corpus sustentabat. Exstat epistola illius hoc anno scripta ad abbates Cistercii congregatos, quæ moribundum hominem depingit. » Argumentum epistolæ intellige ex titulo, qui eidem præmittitur : « Hos, » nimirum abbates, « laborum et dolorum suorum conscios esse desiderat, excusans forte hoc pacto absentiam suam. Optat sane non peregre, sed inter suos mori. » Est inter alias Bernardinas ordine centesima quadragesima quinta, proferturque in editione Mabillonii a col. 150, ubi signatur scripta circa annum, in quo versamur, 1137.

§ XXVI. *S. Bernardus ab Innocentio PP. missus ad compescendum Rogerium ; clades a viro sancto ei prædicta, et cœlitus impetrata ; mitigatus ejusdem animus ; acta in causa schismatis, et eorum adjuncta.*

274. Pessima quidem vel nulla potius erat sancto Patri valetudo corporis, at non ideo, sicut perhibet Manricus ad an. 1137, cap. 3, num. 6, « cessatum a laborando, nec induciæ concessæ defectis viribus. Innocentius, Lothariusque Romam profecti, doctorem sanctum secum assumpsere, quippe quo sine nihil utrique lætum, nihil prosperum putabant posse contingere. Nec fefellit spes viros alioqui providos. Romæ negotia Ecclesiæ sic promovit, ut paulo post ad suos Claræ-Vallenses non dubitaverit scribere » sequentia, quæ sunt in epistola 144 : « Sed et hac vice quam necessaria Ecclesiæ Dei sit vel fuerit præsentia parvitatis nostræ, dicerem ad consolationem vestram, si non gloriam redoleret. Nunc autem melius est, ut hoc per alios cognoscatis. » Hinc intelligi potest, a viro sancto ita rem communem Romæ fuisse peractam, ut parum vel nihil ibi agendum reliquerit. Pergit Manricus : « Sed dum hæc Romæ melius succedebant, iterum in Campania turbata omnia, et civitates Ecclesiæ vindicatæ, rursus amissæ atque expugnatæ, devastatæ, deditæ, ad Anacleti partes revertebantur. Imperatoris discessus Rogerium ducem, Rogerius cuncta mala secum attulit, solius Bernardi meritis fuganda, quo soli Deo victoria ascriberetur. At quænam mala imperatoris discessum secuta sint, non aliunde melius, quam ex epistola Guibaldi, novi Casinensis abbatis, ad imperatorem scripta, haurire poterimus. » Fragmentum vero illius delibat Manricus e lib. IV Chronici Casinensis cap. 127, in nova autem editione habetur illa epistola lib. IV, cap. 126, ubi tragica ac pathetica narratione exponitur barbara rerum scena, ac lamentabilis calamitas rabiei plus quam ferinæ, quæ omnem crudelitatis horrendo modo implevit mensuram, quemadmodum sigillatim ibidem legi potest. Quid agitur interea temporis in rebus tam deploratis ?

275. « At pius princeps, prout pergunt Annales Cistercienses num. 8, senio et morbis fractus, et morti proximus, non potuit subvenire desertis rebus, et servabatur victoria Bernardo Patri, qua non posset ab alio defraudari. Perfecerat sanctus doctor in pace multa, et gladio spiritus, quod est verbum Dei, ignea nequissimi adversarii tela exstinxerat : at non armato militi oppositus materialem contra Ecclesiæ inimicos ensem vibraverat : non in stragem, non in fugam rebelles egerat, ante conflictum parentes ipsius verbis ; sive dimissos post tempus parituros. Ergo ne vel hoc frustraretur victoriæ genere, divina providentia effectum est, ut solus, humilis, pauper et moribundus exercitui victori objiceretur (et) verbis, si pssset, Rogerium compesceret : [*Manr.* compesciturus] : sin minus, armis, atque illis armis, quæ victa fugataque tunc nihil prorsus auderent contra victores. Baronius solius Innocentii consilium memorat. Ego in Bernardo (epistolam mox referam) imperatoris etiam consensum lego. »

276. En tibi, lector, textum Baronii ad annum 1137, num. 28 : « At quid auditis his Innocentius papa ? Reipsa expertus quam vana salus hominis, spe contra spem nitens in tanta desperatione rerum, contra furentes tyranni Siculi impetus, adversus ferociam ultoris et victoris exercitus, unum objecit hominem humilem, sed Dei virtute potentem, qui in fugam converteret sanctæ Romanæ Ecclesiæ victores hostes. Ejusmodi plane novit esse opera Dei, nimirum quod infirma mundi eligat, ut confundat fortia. Sic igitur imperio Christi gladium exertum in defensionem Ecclesiæ, in vagina recondens, ad arma spi-

Digitized by Google

ritualia Deo potentia se convertit, sumens scutum fidei, eoque omnia tela nequissimi securus excipiens, illæsus ledere adversarium festinavit. Quomodo ista? Audi sanctum Bernardum Clarævallensem abbatem, quem Romæ reliquerat ad reducendos schismate devios ad ecclesiam (ut audivimus superius esse narratum) ad Rogerium tyrannum, spirantem minarum et cædis in omnes, qui essent Innocentii papæ communionis, pacis nuntium mittit, » etc.

277. Porro non solius Innocentii PP. mandato, sed etiam Lotharii imperatoris ac Romanæ curiæ impensissimo rogatu actum hoc esse, ipsemet Bernardus videtur indicare in epistola 144, ad suos Claravallenses : « Instantissima, ait, postulatione imperatoris, apostolicoque mandato, nec non Ecclesiæ, ac principum precibus flexi, dolentes et nolentes, debiles atque infirmi, et, ut verum fatear, pavidæ mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliam. » Jam vero quid in hac viri magni ad Rogerium legatione peractum sit, exponamus : « Primum omnium admonendum putamus, inquit Baronius auperrime citatus, duas simul legationes confundi ab auctore, qui res gestas sancti Bernardi conscripsit, cum videlicet una cum S. Bernardo missum esse Aimericum cardinalem cancellarium affirmat, et ex parte Anacleti Petrum Pisanum itidem cardinalem. Nam ista de missis ex parte utraque cardinalibus postea contigerunt, ut ex auctore, qui aderat, et ea scriptis mandabat, Falcone Beneventano, satis evidenter apparet. Missus est ergo primum S. Bernardus ; postea vero, petente Rogerio, cardinales, cum videlicet a Deo humiliatus, verba pacis, quæ contemnebat, audire libenter cœpit. » Puncto hoc, quod postea se evolvet, præmisso, rei gestæ historiam enarremus.

278. « Supererat, inquiunt Annales Cistercienses cap. 4, num. 1, ex parte Lotharii Rainulfus dux, Ecclesiæ simul fidelis, et imperio, sed viribus Rogerio longe impar, sicut fortuna. Quippe ille paucos victosque ducebat, indeque timidos, nec aspernantes fugam, per quam suprema pericula evasissent. Hujus copiis et potentiam obtenta præda, et multitudo robur, et animum victoria ministrabat. Ergo ad Rogerium Bernardus Pater missus, quod primum erat, dissuadere bellum, impedire congressus, instillare concordiam, et pacis fœdera sancire sollicitabat. » Verum audiamus Ernaldum abbatem Bonæ vallis lib. II Vitæ, cap. 5, num. 132, hæc enuntiantem : « Interea rex Siciliæ Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit, petens ut Aimericum cancellarium suum, et abbatem Clarævallensem ad se mitteret ; nihilo minus a Petro Leonis idem petens, ut Petrum sibi Pisanum a suo latere delegaret... Mittebat autem in dolo, quia audierat Petrum Pisanum eloquentissimum esse, et in legum et canonum scientia nulli secundum : putabatque, si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem abbatis posse obrui... Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, et prævenerat tanti sceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adversus Rannulfum ducem, idem rex... subito viso duce audacter obviam procedente, territus fugit, effusumque exercitum prædæ et cædibus exposuit, et innumeris militibus captis et interfectis, invitus ducem ditavit opibus et gloria sublimavit. Quæ quidem ei juxta viri Dei verbum omnia contigerunt, » ut statim referemus, postquam ea quæ per prolepsim hic a biographo recensentur, in meliorem temporis ordinem restituerimus ex laudato Falcone tomo V, pag. 124 editionis Mediolanensis.

279. « Interea, inquit, abbas de Claravalle, vir valde mirabilis et discretus, qui ad regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda, inter regem illum et ducem pacis fœdera alligare conatur. Sed pro multis variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari. Quid plura? Rex ipse exercitum suum divisit, et ad bellandum illum viriliter stabilivit ; similiter et dux ille suos omnes sapienter ordinavit... Illico acies illa regis prosternitur. Rex autem... Dei adveniente judicio, timore perculsus, ipse primo terga vertens in fugam conversus est ; » de cujus clade, ac spoliis a Rainulfo duce victore reportatis deinde tractat idem scriptor, addens, « Secundo... die stante, » id est, die XXX, secundum dicenda § proxime sequenti, « mensis Octobris bellum hoc actum esse. » Sub idem ergo tempus accidit vaticinium S. Bernardi, quo prædicto Rogerio cladem, et Rainulfo duci victoriam prænuntiavit. Vide Ernaldum capite designato, ubi num. 135 ita scribit : « Cum enim primus eorum qui vocati fuerant (imo verosimilius postea tantum vocati sunt), abbas sanctus adveniens regem in castris positum invenisset, per multos dies vicinas acies, ne committerent, impedivit, denuntians regi : Quia si conflictum inieris, victus et confusus abibis.. At ille ducem Rannulfum, et catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est et triumphum. » Quin imo insignem hanc palmam precibus suis obtinuit cœlestis ille bellator. Nam « cum ad proximam, teste Ernaldo, villulam declinasset, et instaret orationi, repente fugientium et insequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem regis exercitum Rannulfus persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his, qui cum abbate erant, uni ex militibus occurrit, et, quid accidisset, interrogabat. At ille... *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum... et transivi, et ecce non erat.* Nec mora, dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus equo desiliit, et ejus pedibus advolutus : Gratias, inquit, ago Deo, et fideli servo ejus ; quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victo-

Digitized by Google

ria est; iterumque insiliens equo, hostes insequebatur. » Triumphus itaque ille illustris, victore judice, a viro sancto apud Deum ac Dominum exercituum oratus, exoratus et datus fuit, armisque cœlestibus potius quam militaribus impetratus.

280. Rogerius interim pertinax ingenti cum clade fugatus, dum ad arma non posset, ad artes convertit animum. Rem sic exponit historicus Claravallensis, num. 4 : « Rogerius, inopinata plaga accepta, eo timidior, nec ausus ultra progredi, nisi vires potentiamque resumeret, opportunum ad id tempus exspectans, vel magis faciens, ne interim a Rainulfo molestaretur, vafrum pro tempore consilium excogitavit, nempe ut Bernardum in suæ conversionis spem conjiceret, et armis ex utraque parte submotis, disputationibus negotium committeretur. » Factum referemus ex Falconis Beneventani Chronico, notata etiam ratione temporis : « Secundo, ut ex eo diximus, die stante mensis Octobris bellum hoc actum est, de quo supra. Deinde rex nominatus (ita pergit Falco) taliter cum sequacibus suis aufugiens noctis tempore, altera quidem die ad castrum Paludis pervenit, deinde Salernum festinavit ; diebus autem non multis evolutis, Rossemannus Beneventanus antistes consilio accepto cum judicibus civitatis, et sapientibus quibusdam, ad regem ipsum consolandum, et servitia civitatis offerenda festinavit. Precatur insuper, ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam supradictus imperator concesserat, populo Beneventano ipse largiretur. » Annuit rex, uti liquet ex instrumento privilegii, quod producit Falco, signati Dominicæ Incarnationis anno 1137 mense Novembri primæ indictionis.

281. Narratis autem rebus, quæ Rainulfus dux gessit post relatam victoriam', « Prope castrum Paludis, inquit idem Chronographus pag. 125, suorum virtute stipatus castrametatur die quidem Kalendarum Decembris. » Jam vero quæ Ernaldus abbas Bonævallis superius vel proleptice vel confuse referebat primo de petitis a Rogerio rege, ac Salernum profectis ad constituendam pacem arbitris, ac dein de victoria Rainulfi, ita tum ex præmissis ordinamus, tum ex sequentibus, ut quæ sunt acta in conventu illo legatorum ex parte Innocentii atque ex parte Anacleti, huc retrahenda videantur, atque adeo non ad primum Bernardi cum Rogerio spectare congressum, quo verosimilius hunc sanctus Pater conventum ei suasit, at non persuasit : sed ad alium, post cladem videlicet ei illatam. Etenim Falco verbis ultimo loco a nobis citatis ista subjicit, e quibus colligo, quæ primo asserit, ea pertinere vel ad primum sancti cum rege colloquium ante pugnam ; vel in secundo post pugnam, priora fuisse confirmata. Sic itaque loquitur : « Cum præfatus abbas de Claravalle, vir valde mirabilis et discretus, de fœdere pacis, et Ecclesiæ unitate cum nominato rege confabularetur, assidue rex ipse cum abbate illo stabilivit, ut tres cardinales ex parte Innocentii papæ, qui ejus interfuissent electioni, ad regem ipsum venirent ; et tres ex parte Anacleti, et ordinem utriusque electionis regi insinuarent. Deinde rex ipse, ordine audito, utriusque partis sanctiorem et justiorem eligeret electionem. » Nota *stabilivit*, id est, ratum tunc habuit conventum, quo de antea cum eo Bernardus egerat, sed irrito conatu, sicut ego quidem interpretor. Nunc igitur convocatio illa, quam antea spreverat Rogerius, exsecutioni mandata est. Nam « continuo ad Innocentium papam (ita pergit Falco) et Anacletum delegatum est, et cursu rapido regis positio destinatur. » Hoc etiam satis clare significat Ernaldus ipse. Etenim, exposita clade Rogerii, scribit ista num. 134 : « Nec tamen hac plaga sibi inflicta cœlitus, correctus est animus regis, nec detumuit procella, quam conglomeraverat pravæ mentis elatio ; sed post fugam reversis, qui evaserant, simulans alacritatem, regio se ornatu attollens, stipata militibus curia, utramque partem præcepit accersiri, et prius instructo Petro, et multarum promissionum auctoramentis accenso, de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini sui canonicam probare contendit, » etc.

282. Sed quandoquidem non satis distincte ac plene acta præsentis causæ cum suis adjunctis, quæ narrare pergit laudatus Vitæ auctor, pertractat, ipsum ex Falcone supplebimus. Primo itaque in his actis consideremus personas, quæ eisdem interfuere. Quinam eo acciti fuerint, tametsi superius eodem ex Ernaldo viderimus, ex Falcone tamen hic etiam memorare, ac rem confirmare nihil vetat : « Placuit itaque eis, inquit, et consilio eorum firmato ex parte Innocentii, Aimericus cancellarius, et Girardus cardinalis vir valde venerabilis, simul cum prædicto abbate de Claravalle Salernum super hujusmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte vero Anacleti Matthæus cancellarius, et Petrus Pisanus cardinalis, et cardinalis alius nomine Gregorius similiter acceleravere. » Cur autem Petrus, Pisanus a Rogerio accitus fuerit, præmisimus antea ex dicto biographo.

283. Consideremus secundo acta hujus causæ. Ernaldus cap. 5, n. 134, memorat sancti Patris cum Petro Pisano concertationem ; quam vero apposite et potenter vir sanctus in ea perorarit, conficitur ex verbis ejus, quæ producit idem biographus, et ex auditorum approbatione. Nam « ad hæc verba, inquit n. 136, non se poterant ultra, qui præsentes aderant, continere ; sed abominati sunt et vitam Petri Leonis et causam. » Quid, quod adversarius primo conflictu adeo prostratus fuerit, ut rationibus a sancto antagonista prolatis resistere et contradicere non potuerit, teste eodem biographo, qui mox subdit : « Abbas autem tenens manum Petri Pisani, elevavit eum, et simul ipse surrexit : Tutiorem, inquiens, si mihi credas, intrabimus arcam. Et

Digitized by Google

sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, ut ad Urbem rediens Innocentio papæ reconciliaretur. Soluta concione, rex necdum voluit obedire. » Vides, una congressione circumscribi ab isto auctore acta causæ præsentis, quæ longe aliter extendit Falco, quando his verbis ea memoriæ prodidit : « Quibus ita congregatis, paulo ante illos ex ipso nominavimus, rex ille, ut erat sagacis animi, providique consilii, prius partem Innocentii quatriduo usque ad occasum mirabiliter, et ultra quam credi potest, examinavit, sequenter autem Anacleti partem quatriduo similiter perscrutatus est.

284. « Studiose igitur et diligenter partibus utriusque electionis auditis, rex ipse clerum omnem et populum civitatis Salernitanæ congregari mandavit, et episcopos, et abbates monasteriorum, qui convenerant, et coram eis taliter exorsus est : Domini et fratres, credimus vestram non latere prudentiam, qua de re cardinales istos... fecerim convocari...Sed quia multis quæstionibus, variisque responsionibus animus noster impeditur, solus ego super hoc tanto negotio finem impendere nequeo. Unde, si dominis istis cardinalibus videtur, ordinem utriusque scribant electionis, et ab utraque parte unus mecum in Siciliam descendat cardinalis, ubi, favente Domino, Nativitatis Jesu Christi Salvatoris festivitatem celebraturi sumus, ibique sapientes archiepiscopos, episcopos, aliosque inveniemus prudentis animi viros, quorum consilio Anacleti partem usque modo sectatus sum... Cardinalis ad hæc Girardus respondit... Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Castello..., qui vobiscum, sicut petitis, ad Siciliam veniat... Et his actis, unusquisque ad propria remeavit. Altera die adveniente prædictus Girardus cardinalis cum suis reversus est : solus autem Guido præfatus cardinalis remansit cum rege profecturus, sicut statutum est. Ex parte vero Anacleti similiter cardinalis alius destinatur. Quibus patratis, navigio parato, rex ipse ad Siciliam transfretavit. »

285. Antequam ad alia progrediamur, observet lector, apud Ciaconium in Vitis Romanorum Pontificum et cardinalium tomo I, col. 968, dici Guidonem illum Beneventanis præfectum urbem illam aliquandiu rexisse, Innocentio II, ex ea Romam versus discedente (vide Pagium in Critica ad annum 1137) ac proin nihil obstare, quo minus Salerni adfuerit cum aliis cardinalibus, tametsi inter eos superius non nominatus. Alterum est, quod moneo, silentium Falconis de oratione S. Bernardi ad Petrum Pisanum habita, ejusque per eamdem conversione ad obedientiam legitimi pontificis, officere neutiquam debere auctoritati Ernaldi biographi. Etenim quamvis ille taceat ; hic t disertis verbis ista affirmat : cujus potissimum erat scopus, facta Bernardi colligere, ac ad posteros transmittere ; Falconis autem non ita. Ad hæc, non omnes auctores, qui de eodem tractant argumento, omnia scribunt ; nam quoties necesse est, alium ex alio supplere ? Idem statue de aliis rebus sancti nostri, quas Falco indictas reliquit, Ernaldus vero refert, qui facile eas intelligere potuerit vel ex « fratre quodam ex his, qui cum abbate erant, » vel aliunde, cum non clam, sed palam contigerint.

286. Consideremus tertio locum actorum in hac causa, Salernum videlicet, quo cardinales convenere cum S. Bernardo, laureatæ, quam de Petro Pisano retulit, victoriæ theatrum, ita tamen, ut alius locus in Sicilia ad ulteriorem causæ discussionem a rege Rogerio fuerit petitus et impetratus. Quod vero Bernardus illuc etiam se contulerit, non memini me legere ; imo vero, non videtur illuc esse profectus, uti argumento est, quod dicam ex Ernaldo de regressu ejus Romam, nec scio an et quid ibidem sit transactum. Enimvero Rogerium tunc necdum Innocentio se submisisse, eruitur ex dicendis infra. Urbs porro Salernitana non modo sancti præsentia, sed illustri etiam miraculo per eum fuit honorata, de quo scribit Ernaldus cap. 5, n. 136, additque illud : « per totam urbem divulgatum, ad aures regis et procerum ejus pervenisse. »

Consideremus quarto tempus hujus causæ. Actitata nimirum illa fuit Salerni annum Christi 1137, ad finem vergente, mense, ut videtur, Decembri : nam Rogerius dicebat superius : « Ab utraque parte unus mecum in Siciliam descendat cardinalis, ubi... Nativitatis Jesu Christi Salvatoris festivitatem celebraturi sumus. » Hic sit finis legationis beatissimi abbatis ; de cujus ad Urbem reditu dicere aggredimur, ea narraturi, quæ anno proximo ab ipso gesta sunt.

§ XXVII. *Sanctus Romam redit ; Petrus Pisanus Ecclesiæ unitur, uti et Victor, Anacleti successor ; schisma item deserit Rogerius ; pignus sacrum Bernardo Roma discedenti datum ; tum cam suam ibi relinquit, varia puncta chronologica.*

287. Annum Christi 1138, ita exorditur historicus Cisterciensis : « Initium anni auspicetur nobis Bernardus reversus Romam, et, reconciliato Ecclesiæ Petro Pisano, Anacletus deficiens, vix prius a suis desertus, quam a seipso : quippe semel assuetus pontificalibus, animam maluit perdere, quam nomen pseudo-pontificis. Singula qua ratione gesta sunt, nonnulla etiam per menses, diesque penicillo antiquorum describamus. Regressum [*ed. male* reversum] sancti ad Urbem per hoc tempus, atque item reconciliationem Petri Pisani, auctor Vitæ illius his paucis tradidit. Cum omnium igitur populorum favore, solo rege (scilicet Rogerio) in malitia permanente, abbas Romam revertitur, prædictum quoque Petrum Pisanum et quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, et Innocentio papæ confœderat. » Pergit Manricus : « Verum reconciliationem Petri Pisani quarta die Januarii contigisse, argumento est, quod Anacletus triduo supervivens, obiisse legitur ejusdem mensis septima. Triduo ante mortem Anacleti reconcilia tum testatur Antoninus.. part. II, titulo 17, cap.

Digitized by Google

1, § 4 : *Abbas S. Bernardus ipsum Petrum Pisanum papæ Innocentio reconciliavit. Post triduum Petrus Leonis impœnitens moritur.* Obilsse autem septimo Januarii, Falco Beneventanus, quem Baronius ad annum 1134 (imo 1138) adducit, diserte tradit. » Ad annum itaque 1137, pag. 125: « Hoc anno, inquit Falco, Anacletus, qui sub nomine pontificatus advixit, septimo die stante mensis Januarii mortuus est, qui sedit annis septem, et mensibus undecim, et diebus viginti duobus, »

288. Sed Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 1138, n. 1, diem emortualem Anacleti perperam a Baronio, et aliis signari animadvertit, serius eumdem differens his argumentis : « Falco, qui annum a Kalendis Martii exorditur, ad annum 1137, ait : « Hoc anno Anacletus, etc. Baronius num. 1, Mabillonius in Notis fusioribus ad epistolam 126 divi Bernardi, Papebrochius in Conatu Chronico-hist., aliique passim viri docti diem illum a Falcone memoratum, diem septimum mensis Januarii interpretantur. Verum Peregrinius in notis ad Falconem, recte hunc loquendi modum a Falcone usurpatum explicat de Januario exeunte, docetque mensem STANTEM, seu INSTANTEM, seu ASTANTEM, esse mensem finientem : quod postea Ducangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, ad vocem MENSIS STANS, variis exemplis probavit... Anacletus igitur mortuus est die vicesima quinta mensis Januarii, qui septimus est a die ultimo ejusdem mensis, a quo Falco, et qui eo loquendi modo usi sunt, diem primum stantis alicujus mensis inchoant. Hanc Peregrinii explicationem confirmat Ordericus lib. XIII, pag. 915, dicens : *Petrus Anacletus, qui sedem apostolicam fere septem annis usurpaverat, in cathedra sedens, VIII Kal. Februarii (seu die 25 Januarii) subita morte decessit...* Durationem invasionis ejus, quam Ordericus numero rotundo exprimit, et septem circiter annorum fuisse dicit, Falco definierat ; sed librarii numeros corrupere, » etc. Ex his itaque Pagii rationibus temporis consequens est, ut mors pseudopontificis Anacleti a die septima Januarii, quem alii volunt, ad diem 25 ejusdem mensis differenda sit ; ac proin Petri Pisani cum Innocentio II, reconciliatio ad diem 22 istius mensis, secundum dicta ex S. Antonino. Consuli præterea potest notatio ad alium Falconis locum in editione Mediolanensi, quam superius assignavi, pag. 129.

289. Funestam Anacleti mortem narrat Ernaldus lib. II Vitæ, cap. 5, num. 137. De ea etiam scribit S. Bernardus ad Petrum Cluniacensem epistola 147. At vero hujus schismaticæ factionis capite amputato aliud succrevit. Factum refert Falco pag. 125, et sequente, e quo hæc delibo : « Cum prædictus Anacletus mortuus esset, cardinales sui... ad regem miserunt Rogerium, ipsius Anacleti mortem significantes, ut, si ei placeret, papam constituerent. Rex itaque, ut domini papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum assensit... Qui Roman reversi, fautoribus eorum congregatis, medio mense Martio Gregorium cardinalem papam sibi, et invasorem constituerunt, Victoremque eum vocaverunt. Sed Dei misericordia auxiliante, hæresis illa et invasio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti, tantam cognoscentes turbationem, in se reversi, Domino favente, cum prædicto domino Innocentio papa pacis firmamentum composuerunt, et ipsi, et omnes ejus adversarii ad ejus fidelitatem conversi sunt, et sceleratus ille, qui sub Victoris nomine apparuit, vestem et mitram deposuit, et ad voluntatem pontificis Innocentii pervenit. Sicque gaudio magno, et gloria exsultationis tota Romana civitas exsultavit, et pontifex ipse Innocentius ad unitatem Ecclesiæ perducitur ; » sive unicus ipse agnoscitur Ecclesiæ pontifex. Hæc Falco, rei quidem hujus exoptatissimæ eventum memorans ; non vero causam, quæ S. Bernardo ascribenda est.

290. Hanc quippe sic pandit Ernaldus num. 137: « Pars ipsius (videlicet Anacleti) papam sibi pro illo alterum statuerunt, non tam ex pertinacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum servi sui Christus effecit. Nam et ipse ridiculus pontifex, Petri Leonis hæres, ad eumdem virum Dei nocte se contulit, et ille quidem nudatum eum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto, civitas gratulabunda lætatur... Abbas Clarævallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur, » etc. Elogium de S. Bernardi meritis a Christi in terris vicario pronuntiatum, quo expertus loquitur, ac diserte testatur, quid vir magnus Ecclesiæ, quid sedi Petri, quid pontificatui suo contulerit, habetur in Vita sancti Patris lib. III, cap. 2, num. 163.

291. De tempore ac modo, quo ista evenere, nec non de die, quo Roma discessit abbas sanctus, quid memorare prætermittam ? In epistola 317 editionis Mabillonianæ, al. 320, a Sancto ad priorem suum Godefridum data, habentur singula : « In Octavis Pentecostes, ipsa die, complevit Deus desiderium nostrum, Ecclesiæ unitatem, et Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini papæ, et facti homines ejus ligii, juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in schismate erant simul cum idolo, quod erexerant (Victore nimirum antipapa), humiliantes se ad pedes domini papæ, obedientiam ei juxta morem promiserunt, et facta est lætitia magna in populo. Hanc pacem nisi cum quadam securitate, occultata tamen diu a nobis, exspectavissemus, jam dudum venissemus. De cætero jam nihil est, quod nos hic detineat.... Ecce... venio cito : etiam et merces mea mecum est, victoria Christi, et pax Ecclesiæ. Sexta feria post diem illum egressus est noster de civitate. Itaque venientes veniemus cum exsul-

Digitized by Google

tatione, portantes manipulos pacis. » Hactenus vir sanctus. Quando autem indicat cum usitata animi modestia, « hanc pacem cum quadam securitate se exspectasse; » an nimium tribuerem ei, si dicerem, hanc antea, Deo rem revelante, ipsi præcognitam fuisse? Ne vero vox *ligius* quemquam moretur, eam explicat Mabillonius in notationibus ad hanc epistolam col. 296, dicens: *Ligius est, qui domino suo ratione feudi vel subjectionis fidem omnem contra quemvis præstare debet.* De vocis *ligius* origine ac etymo plures scriptorum sententias profert Cangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis.

292. Porro laudata S. Bernardi epistola præbet nobis materiem duplicis observationis; quarum altera sit, quo mense ac die Romam reliquerit: altera, an inter manipulos pacis, de quibus superius scribebat sanctus Pater, fuerit Rogerius, qui primum Siciliæ dux, deinde a legato antipapæ Anacleti rex coronatus, ac demum ab Innocentio II rex declaratus est? Manipulis hisce eum esse annumerandum negat Baronius ad annum 1138, n. 12, his verbis: « Porro Rogerius neque exstincto Anacleto, et submoto victore, recognoscere adhuc voluit Innocentium summum pontificem. » Affirmat Falco pag. 126, pseudopontificis Victoris, ejusdemque asseclarum obedientiæ erga Christi Vicarium Innocentium II, præstitæ adjungens ista: « Debus autem non multis evolutis, prædictus Apostolicus consilio accepto Albanum venit, disponens exercitu congregato ad ducem Rainulphum venire; sed infirmitate percussus venire non potuit. Interea rex Rogerius, congregato exercitu, in finibus venit Apuliæ, cogitans civitates sibi ab imperatore ablatas suæ submittere potestati. Dux igitur Rainulphus regis illius sentiens adventum, totius Apuliæ partes submovit, ut contra ejus rabiem unanimiter insistant. Nec mora, cursu rapido ad ducem festinant nominatum, et sic contra regis illius ferociam mensibus fere duobus resistunt. Hæc inter, sicut nobis est relatum, prædictus rex dominum papam Innocentium in patrem, et dominum accepit, et civitati Beneventanæ, et per totius regni sui partes mandavit, eum patrem, et dominum accepisse. Nos autem, litteris ejus acceptis, dominum illum et patrem vocavimus. » Rogerius itaque ex obstinato schismatis errore tandem in viam rectam deductus dicitur apud Falconem laudatum: quod sive Bernardi precibus, sive verbis, sive aliorum, de quibus locuti modo sumus, legitimo pontifici sese submittentium exemplo acciderit; non gravate patimur nobis persuaderi, hanc mutationem spectare ad manipulos pacis, ab eo in Italia tam feliciter collectos. Hæc de prima observatione.

293. De altera observatione dicendum mihi etiam proposueram, quando videlicet Roma discesserit Sanctus noster. In Octavis Pentecostes, ipsa die, ut habemus ex epistola sancti doctoris, amplexi sunt schismatici Ecclesiæ unitatem. Dies autem octava Pentecostes an. 1138, incidit in 29 mensis Maii. Sexta feria post diem illum discessui ejus ex Urbe assignatur, quæ fuit dies 3 Junii. Illa igitur die, si nihil interea acciderit impedimenti, quod in mora fuerit sancto Patri, itineri se dedit ad suos Claravallenses profecturus. Hunc tandem famosum illud schisma finem habuit, quod antea a viro illo magno repressum in suo exordio, impugnatum in decursu et tandem expugnatum, nunc, eodem agente, radicitus evulsum est. Sed « optata tandem Ecclesiæ pace potitus (utor verbis Manrici n. 10) qui tempestatem septennio sustinuerat, vix quinque dies tranquillum passus est; quippe non sibi natus, sed bono publico, ne quem fructum in vita ipse perciperet, semper alium faceret, serere quam colligere paratior, segetem omnem aliis reservabat. » Rem sic exprimit Ernaldus abbas Bonævallis cap. 5, num. 138: « Abbas Clarævallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur... Sed quandiu ille gloriam toleravit? Quandiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus et compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis et ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. »

294. Sed priusquam sanctum Patrem ad suos redeuntem comitemur, supersunt nonnulla memoranda, quæ ante ejus discessum Romæ accidisse observat Annalium Cisterciensium auctor cap. 2. Ac primo quidem scribit de paterna ejus sollicitudine pro filiis Alpensibus, quando, Garino Alpium abbati ad cathedram Sedunensem promoto, novus ibidem cœnobii moderator erat eligendus. Videatur de hac re S. Bernardi epistola 143, quæ est ad monachos eosdem Alpenses hoc argumento: « Monachos Alpenses, qui se sub ordine Cisterciensi Clarævallensibus aggregaverant, commendat, et consolatur de absentia Patris ad altiorem gradum assumpti. Hinc de novo abbate eligendo eos monet. » In hoc monasterio, ut legi potest lib. 1 de Vita sancti nostri, cap. 7, num. 73, mulier morbo caduco laborans fuit ab eo sanitati restituta. Dein idem Annalista n. 3, agit de Humberto Igniacensi abbate, ad quem data a viro sancto exstat epistola ordine 141, in qua « graviter eum perstringit ob munus prælationis inconsulto ac temere dimissum. » Tertio memorat idem Manricus, n. 4, coarctatam sedis Lingonensis electionem, et electorum querelas. Verum quænam ab ipsis Romæ, quænam a S. Bernardo, nec non ab Innocentio PP. in hac re sint acta, intelligitur ex illius ad hunc epistola ordine 164. Quarto post illa subdit n. 6, memoratus auctor litem inter cœnobitas Bertinianos ac Cluniacenses a viro sancto compositam. Quinto denique eximiam Petri Cluniacensis erga S. Bernardum veneratione exponit n. 8. Hæc in compendio sufficiant.

295. Porro « discessurum ab Urbe Bernardum

Digitized by Google

Patrem, sicut referunt prædicti Annales, cap. 3, n. 1, Innocentius muneribus prosequitur, qualia dantem, accipientemque decerent : nam non corruptibilibus auro argentove, neque his, quæ auro et argento comparantur ; sed pretioso thesauro sacrorum ossium per miraculum etiam comprobatorum, atque approbantium Innocentii donationem. Certe in S. Cæsarii martyris dente insigne fuit id quod Gaufridus Clarævallensis in Actis Bernardi narrat... lib. IV, cap. 1. « Dens enim ille, qui nulla vi ab aliis prius evelli poterat e martyris capite, a sancto abbate, præmissa ab eodem oratione, incredibili facilitate deinde ablatus est, seu auferentis, ut ita loquar, digitis obsecutus. Factum hoc pluribus narratur apud biographum citatum : qui ibidem etiam memoriæ proditum reliquit, per ejusdem S. Bernardi tunicam, quæ apud Templarios Romæ remanserat ante ipsius ex Urbe discessum, sacerdoti cuidam, apud eosdem gravissima febri usque ad desperationem vitæ laboranti, pristinam valetudinem fuisse restitutam.

296. Jam vero quantum vir sanctus Roma discedens sui ibidem desiderium reliquerit, ex his verbis apud Ernaldum biographum lib. II, cap. 5, num. 138, colligere quilibet liquido potest : « Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, occurrit populus, universa nobilitas comitatur : nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. (Lacrymantur post eum, et se ab eo postulant benedici, et orationibus ejus cum omni devotione se commendant.) » Dein « Accepta... ab Innocentio licentia, confirmata pace vir Dei regreditur, et maximum domi reportans gaudium, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur. » Sed nos sanctum Patrem ad Claravallenses suos reducem tunc conveniemus cum Ernaldo, quando antea ipsius suppleverimus silentium de rebus nonnullis, quæ in itinere ad eosdem instituto evenere, illas aliunde collecturi.

§ XXVIII. *Acta pro ecclesia Lingonensi ; cura tironum Claravallensium ; continuatio sermonum super Canticis ; obitus B. Gerardi fratris germani ; Gaufridus cathedræ Lingonensi admotus ; S. Hugo in spiritu et corpore adjutus ; iter Dunense ; mors S. Malachiæ.*

297. Virum sanctum, pro communi Ecclesiæ bono itinera suscipientem, comitari solebant miracula : nullumne igitur edidit in itinere Italico, quando Claramvallem redibat ? Historicus Cisterciensis ad annum 1138, cap. 3, num. 3, nullum quidem certo determinat, sed credit tamen, eum non sine miraculis iter illud instituisse, dicens : « Residuum viæ, saltem per Italiam ab antiquis omissum : nec credendum, peractam sine miraculis, quæ tamen a frequentia jam non mira, ut non vilescerent, fere inter leges communes reputabantur. » Hinc itaque Galliam ingrediamur, quo dum pervenisset S. Bernardus, nactus est occasionem, qua ecclesiæ Lingonensi fructuosam ac omnino necessariam navaret operam. Etenim transcensis Alpibus sicut perhibet laudatus historicus num. 4, cum jamjam Claravallis in januis esset, divertere Lugdunum compulsus est, consecrationem Lingonensis electi impediturus. Nam Lingonenses professione tantum monachum, sed vita et moribus hominem degenerem ; et opinione fœdum usque ad infamiam, contra fas, contra jus, contra promissa, contra præceptum Innocentii papæ (Burgundiæ principis filio interveniente) in pontificem sibi nominaverant. Ergo tum primum delatam ad ejus aures horruit sanctus prævaricationem in tantis viris, maxime in Lugdunensi metropolita, et doluit vicem dilectæ sibi Ecclesiæ, si forte vera essent quæ dicebantur : quam ne lupo permitteret exponi, relictis filiis, patres adorsus est... Verum quid tunc Lugduni gestum sit, ex eadem, quam ad Innocentium scripsit, epistola supra a nobis adducta referamus. » Est ordine 164, et ad quam lectorem mittimus.

298. Rebus itaque apud Lugdunenses ita dispositis, charissimos sibi filios Claravallenses revisit sanctus Pater, et maximum domi reportans gaudium, ut paulo ante retulimus ex Ernaldo, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur ; quanto autem cum affectu, nihil opus est verbis exprimere. Prima vero cura, quæ paternum illud pectus coquebat, erat tota in tironibus sui cœnobii Claravallensis : hoc namque ingressum, ad illorum cellam sine mora se contulisse, auctor est historiographus Cisterciensis c. 4, egregiam sancti Patris erga filios charitatem commendans ex hoc Exordii magni textu, qui apud Tissierium distinctione 2, cap. 12, hæc memorat : « Explicitis itaque causarum nexibus, pro quibus exierat, ad monasterium revertitur, quam citius opportunitas datur, cellam novitiorum ingreditur, quatenus novelli et teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutius sacræ exhortationis ipsius dulcedine caruerant, tanto copiosius ab uberibus consolationis ejus reficerentur... Cum ergo, sicut prædiximus, cellam novitiorum intrasset, et in lingua sua illa placabili et ædificatoria cunctos hilares, et ad observantiam sacri propositi ferventiores reddidisset, unum ex eis seorsum revocans dixit ad eum : Fili charissime, unde tibi hæc tristitia, quæ intimos recessus cordis tui tam perniciose depascitur ?

299. « Novitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait illi vere mitis, et humilis corde, qui se pastorem, et non mercenarium ovibus exhibere noverat : Scio, fili dilectissime, scio ea, quæ circa te aguntur, et propterea paterno pietatis affectu tibi compatior. In hac namque tanta mora absentiæ meæ, cum desideratissima semper mihi fratrum meorum præsentia corporali carere compulsus fuissem, et per Domini gratiam concessum mihi esset, ut quod corporaliter non poteram, spiritualiter supplerem, rediensque in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligentius explorans, etiam ad cellam novitiorum accessi : in qua cum universos in timore Dei exsul-

Digitized by Google

tantes, et ad pœnitentiæ labores accinctos invenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi, te mihi astringere vellem, tu me aversatus, faciem a me avertens, amarissime flebas : ita ut cuculla nostra lacrymis tuis infunderetur. Hæc dicens Pater sanctus, et salutaribus monitis aggressus captivum, mœrorem fugavit, et ad spiritualis lætitiæ libertatem jam pene tristitia absorptum revocavit. » Hæc ibi; sed ex iis, quæ ibi præcedunt, « Iste fidelis et prudens dispensator annonæ Dominicæ quodam tempore pro causis Ecclesiæ solito diutius foris moratus fuerat : siquidem pro pace facienda, pro schismate resarciendo, pro hæresibus confutandis, frequenter ex mandato summi pontificis, licet invitissimus, exire cogebatur : » ex his, inquam, non satis est perspicuum, an factum, quod narravi, quodque Manricus prædicto S. Bernardi regressui ad Claravallenses innectit, revera tunc acciderit, an alio ex pluribus. Sed quidquid sit de tempore, laudatus Manricus num. 2, rem ita confirmat : « Hanc eamdem desolati novitii consolationem antiquior auctore Exordii Godefridus, Bernardo Patri, dum vixit, a secretis, post mortem in abbatia etiam successor, etsi non immediatus, in quodam, quem de ipso habuit, sermone ad fratres in capitulo, reliquit scriptam : ubi non solis verbis peractam docet, sed etiam osculo. » Et mox rem gestam his verbis confirmat : « Hæc, ait (sanctus videlicet Pater) et propius illum accedere jubens, sua illa piissima dignitate osculatus, etc. Et post pauca, uti addit, sed gemina quædam sacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, et in osculo charitatis confestim tristitiam depulit. »

300. Verum quibus sacris commentationibus ad suos redux, et jam suus, operam impendit? Ernaldus abbas, exposito ejus reditu, cap. 5. Abbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur epithalamium, inquit cap. 6, idem biographus. Hoc etiam affirmat, et magis distincte exponit Annalium Cisterciensium concinnator num. 3 : « Tunc vero, ait, rursum intermissum opus in Cantica, fratrum suorum precibus resumens, tribus supra viginti, quos jam ediderat, vigesimum quartum sermonem superaddidit, initium capiens ab ipsa intermissione. » Audiatur ipse sanctus Pater sermone 24 in Cantica, quem sic orditur : « Hoc demum tertio, fratres, reditum ab Urbe nostrum clementior oculus e cœlo respexit, et vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc ferme octennium diro schismate conturbarat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro : quorum vivo meritis, volo vivere studiis, et saluti. Quodque dudum cœpta in Canticis me exsequi vultis, libenter quidem accipio, et dignum arbitror, interruptum potius resarcire sermonem, quam novi ordiri quidpiam, » etc.

301. Duplex elucidando hujus sermonis exordio subserviet animadversio. Nam prima est ex Mabillonii in illum notis, ubi col. 1346, observat, insignem esse inscriptis diversitatem ab initio sermonis usque ad locum, quem indicat ibidem, et addit ista : « Ex hac varietate nata est magna confusio in plerisque editis, in quibus refertur utrumque exordium, sed perperam. Hæc enim varietas inde orta est, quod Bernardus bis hunc eumdem sermonem pronuntiavit : primo quidem cum exordio breviori anno 1137 antequam Romam tertio proficisceretur : secundo vero, cum inde rediit anno 1138 eumdem repetiit cum altero exordio, ut interruptum opus ab ultimo hoc sermone resumeret. Codex unus regius num. 4511 consequenter eumdem sermonem sub duplici exordio repetit : unus item Thuano Colbertinus semel hoc loco cum uno exordio, et iterum post sermonem 60, cum altero. »

302. Altera est animadversio ex Annalibus Cisterciensibus num. 4, videlicet indicare sanctum Patrem in initio ejusdem sermonis, sese « tertio jam ab Urbe rediisse; » id vero eorumdem Annalium confector « de Curia potius, quam de Roma intelligendum monet, a qua citra Alpes existente semel recesserat, bis ultra : alias bis tantum transalpinasse hactenus ipsa series historiæ nos edocuit. Sed curiam ubique existentem, Romam et Urbem dici non semel vidimus. Sic Bernardus Innocentium Viterbii adiens anno proximo, Romæ nihilominus ab eo susceptus dicitur. » In majorem hujus rei probationem affertur illud Ernaldi : « Hæc dicens, et benedicens flentibus universis, discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit, in cujus adventu tam dominus papa, quam fratres lætati sunt. » Quod vero asseuerat dictus Manricus, probat a simili exemplo : « Sic etiam venerabiles Joannes Ilbodusque, cum Paschalis II Trojæ existeret, Romam iisse, rediisseque dicuntur, atque inde privilegium adportasse : quippe quia Roma curia vocabatur, nempe a Sede, etiamsi casu alibi consisteret. » Vide Exordium parvum Cisterciense apud Tissierium cap. 10, et Annales Cistercienses ad annum Christi 1100, cap. 3.

303. Eorumdem Annalium scriptor ad annum sæpenumero memoratum 1138, cap. 5 et 6, multa ac varia colligit de beati Gerardi qui germanus fuit S. Bernardi frater, pretiosa morte in conspectu Domini, rebusque hac occasione peractis. Pathetica enimvero sunt, quæ vir sanctus in charissimi sibi fratris obitu cogitavit, dixit, ac fecit. Merentur omnino legi, quæ doctor mellifluus pronuntiat in sermone 26 in Cantica, ubi nunc doloris, nunc amoris, nunc lacrymarum et luctus suavissima vicissitudine et dulcedine vere Bernardina affectus identidem intermiscet, et cumulatissimis laudibus eum extollit, opemque ipsius implorat tanquam cœlitum contu-

Digitized by Google

bernio jam donati. Actum de illo apud nos est ad diem 13 Junii, tomo II ejusdem mensis, pag. 699. Laudatus porro Manricus causam Lingonensis ecclesiæ a se intermissam, et male servatæ fidei repetitos conatus prosequitur cap. 7 et 8. Quæ de ea nobis sunt præmissa, lege supra; quæ vero deinde in eadem controversia acciderint difficultates, commemorat citatus auctor: sed eorum quæ singillatim ibidem referuntur, synopsin ex illo exhibebimus.

304. Electus itaque Lingonensis suam consecrationem denuo promovere conatur, patronis ejus Lingonensibus novas ad hunc finem machinas adhibentibus. Stat ab ipsius etiam parte electi, qui erat monachus Cluniacensis, venerabilis Petrus Cluniacensis abbas, tanquam pater defendens filium, ac S. Bernardi auctoritati opponens suam; hunc quippe nimiæ in credendo facilitatis accusat; illum vero a culpa excusat. Quid multa? Ludovicus Galliæ rex aditur ab eo: a Bernardo autem interpellatur Innocentius papa: varia utrinque in hac causa a litigantibus agitantur, ut videre licet in epistola 164 ab eodem sancto ad eumdem pontificem data. Porro S. Bernardus tam constanti, tam invicto animo rem suam prosequitur, tamque fortiter electum illum, et indignum infulis hominem, seu potius gravamina ejus persequitur, ut nullis precibus a proposito suo dimoveri potuerit. Petrus Cluniacensis litteris etiam convenit Innocentium, quæ proferuntur a Manrico cap. 7, num. 7, nec non S. Bernardum, quas ibidem legere licet num. 8 et sequentibus. Post hæc cap. 8, pergit idem historicus dicere de intentata electi Lingonensis consecratione, cujus executionem nec Bernardi epistola una ad summum pontificem, quæ est ordine 167, nec altera ad cardinales 168, quas adducit, impediri potuisse memorat. Sed vir sanctus concepti semel pro justitia ac communi bono propositi semper tenacissimus, quidnam reliquit intentatum, ut felicem huic controversiæ exitum procuraret?

305. Bonæ partis fautores ac patronos laudat ac confirmat in epistola 165, Innocentii papæ iterum pulsat aures epistola 166, cum post tot labores consecutus fructum, ut, quæ in favorem hominis cathedra Lingonensi indignissimi fuerant facta, sint rescissa et abolita. Nam consecratus amovetur a cathedra episcopali: instituitur electio nova: substituitur novus præsul. Et primo quidem, ut scribit Manricus sub finem capitis octavi, « Bernardus Pater electus est, quem ipsi etiam victi summe ardorent. Sed eo penitus onus recusante, cum plures alii idonei circumferrentur, præter spem, præter omnium intentionem, unus Gaufridus omnibus occurrit Clarævallensis prior, vir sane magnus, quem omnes vellent, quem omnes postularent, a quo nullus omnino dissentiret. » Sic ille, cap. 9, subnectens regem novæ electioni infensum, Bernardi ad eumdem epistolam ordine 170, nec non constantem Petri Cluniacensis amorem erga sanctum Patrem: qui regem eumdem « obsequentem in omnibus expertus, Gaufridum tandem mœrens a se avulsit, » ait prædictus Annalista numer. 6, eumdem mox laudans. Controversia ista Lingonensis intexitur etiam tomo IV Galliæ Christianæ a col. 575 novissimæ editionis; collectio autem gestorum Godefridi datur ibidem a col. 577, in qua dicitur « ejus electio plenum effectum non nisi anno 1139 sortita esse. » Apud Guillelmum lib. I Vitæ S. Bernardi cap. 6, num. 31, dicitur « sancti viri et propinquus sanguine, et conversione socius, et ex tunc per omnia individuus comes. » Ernaldus vero in eadem Vita lib. II, cap. 3, num. 114, « Aderat, inquit, Godefridus prior... propinquus ejus in carne et spiritu, vir sapiens et constans... et sanctitatis formam retinens, » etc. Hunc itaque finem habuere gravissimæ in causa Lingonensi difficultates ac lites, quibus vir sanctus, constantia summa et impigro labore consuetus alias vincere, insignem pro justitia palmam retulit, triumphalem ac Lingonensi ecclesiæ salutarem coronidem eisdem imponendo. At nunc alia colligere prosequamur sanctissimi abbatis gesta.

306. Inter ea, quæ referunt Annales Cisterciences, cap. 10, de Hugone, monasticum ordinis Cisterciensis institutum amplexo, huc pertinet epistola sancti Patris ad illum scripta, ordine 351 alias, nunc apud Mabillonium 322, in qua « laudat vitæ religiosæ propositum, præmunitque eum adversus tentationes, et ad constantiam ac perseverantiam excitat. » De hoc sancto Hugone jam pridem tractavimus ad diem 1 Aprilis, a pag. 46; uti etiam de vita et cultu ejus publico. Chalemotus vero illum annuntiat et laudat in serie sanctorum, etc. Ordinis Cisterciensis ad diem 16 Martii. Nec a proposito deviavero, si cum Manrico, num. 7, capitis proxime citati retulero, « qualiter a Bernardo Patre curatus sit medicina et industria mista miraculo, quamvis constet hunc annum non concernere, quia nullus alius certus designatur, etc. » Factum refertur apud Vincentium Bellovacensem, lib. XXIX, Speculi historialis, cap. 33: « Post hæc cœpit nimiis abstinentiis se affligere, ita ut pene sensum et memoriam perdere videretur. Interea S. Bernardus, qui tunc vivebat, venit ad eum per Dei providentiam, et jussit eum mitti in infirmitorium, et ut ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur, priusquam cæteris infirmis, quatenus postea haberet generalem licentiam loquendi ubi vellet; et ita per Dei misericordiam in brevi convaluit. »

307. Historiographus Cisterciensis, cap. 13, num. 8, inquirit an S. Bernardus adierit Dunas. Ac primo quidem Ægidium de Roca (imo de Roya) allegat, in Annalibus Belgicis ad hunc annum 1138, id affirmantem his verbis: « Beatus Bernardus in Flandriam venit, Dunis Robertum abbatem stabilivit, et privilegia a Theodorico comite pro Dunensibus impetrat, tantum terrarum scilicet, quantum propriis aratris excolere valuerint, » etc. Huic auctori addit idem historiographus Meyerum, qui Annalium Flandriæ, lib. V, ad an-

Digitized by Google

um 1138, hæc notata reliquit : « Eodem anno D. Bernardus abbas Clarævallis in Flandriam venit prædicatum, ubi sanctis concionibus ac salutaribus exemplis permultos ad piam beatamque perduxit vitam. In quibus Arnulphus quidam cognomine a Majorca tanta sollicitudine custodivit illius doctrinam, tantaque patientia longos gravesque ante obitum pertulit morbos, ut de ejus conversione ac constantia sæpe Bernardus gratias agens Deo, diceret ipsum fuisse tanquam aurum in fornace probatum. Apud Furnenses autem cum verbo Dei insisteret, Dunensibus cœnobitis Cisterciensium tradidit institutum, ac Robertum monachum suum, ad quem etiam nunc exstant ejus epistolæ, patria genteque Brugensem, abbam inibi fecit; qui tam celebri floruit fama sanctitatis, ut ab ipso Bernardo jam animam agente electus sit abbas Clarævallis. »

308. Sed adventus ille sancti Patris non placet Manrico, qui loco mox producto hæc scribit : « Ego, ut adventum hoc anno dubium reputo, sic ab auctoribus gravibus notatum præterire non debui, imo nec potui. Sed verius censeo, mansisse in Claravalle, longum exsilium pertæsum, nec quidquam non Roberto crediturum quantumvis arduum. » Sed duo illa argumenta non videntur esse magni momenti. Non primum, quod a tædio petitur : nam tot aliis vir fortis non absterrebatur tædiis, indefesso labore communis boni causa susceptis : cur autem hoc? Non secundum : quia tametsi Roberti meritis plurimum deferret : quid obstat, quo minus masculo pectore itineris istius molestias devoraverit, ut majore cum solemnitate ac securitate poneret novæ istius plantationis exordia? Quamvis autem nobis non constet, an rationes peculiares habuerit, quæ eo ipsum evocarint, atque adeo id certo affirmare non possimus; ita etiam illas eum habuisse, certo negare non possumus; præsertim quando præter auctores citatos alii adventum ejus in Flandriam memoriæ prodidere, et quidem distinctius, quam duo præcedentes, quorum verba protulimus. Malbrancus enim noster tomo III De Morinis, lib. x, cap. 3, pag. 188, ita loquitur : « Porro in Flandriam venit D. Bernardus, et Iserecium pagum, seu Furnense territorium suis salutiferis concionibus excoluit, et excolendo divertit ad Fulconense contubernium, et nardi sui ita illud replevit fragrantia, ut non dubitarit Fulco, omnesque ejus discipuli, se suaque omnia Bernardinæ normæ subjicere, etiam illi, qui ad Ruholtense castrum nemusque agebant. Et ea pariter mens sedebat Theodorico ac Sibyllæ comitibus, qui nihil adhuc stabilierant seu quoad census, seu quoad fixam structuram... Igitur Bernardus probavit quidem oblatum munus..... sed ad Clarævallenses præeundum sibi, illicque maturius ea de re agendum. » Hæc Malbrancus, adventum ejus ad Morinos in indice chronologico, qui dicto tomo præfigitur, innectens anno Christi 1137, quod improbamus. Et vero pugnantia loqui ibidem videtur, quia dicit illum adventum, *schismate superato*, accidisse : schisma autem famosum, quod Bernardus exstinxit, finem habuit anno Christi 1138.

309. Antonius Sanderus in Flandria illustrata, lib. IV Rerum Brugensium, cap. 1, pag. 248, scribit ista de laudato Roberto ad nostrum propositum conducentia, quæ nos huc transcribimus in ejus fidē : Hujus tempore B. Bernardus venit in Flandriam, et Furnis ad Canonicos S. Walburgis sermonem mellifluum habuit Non. April, anno 1138. Erat et tunc temporis prope monasterium Dunense sacellum D. Laurentio sacrum, in quo ipse incruentum missæ sacrificium obtulit, quod propterea usque ad nostra fere tempora in summa veneratione habitum fuit; sed belli nuperi furiis omnino dirutum est. » R. D. Carolus de Visch, prior cœnobii B. Mariæ de Dunis, in Bibliotheca scriptorum sacri ordinis Cisterciensis ad nomen Roberti de Brugis, affirmat, eum « prædicatione, sanctaque conversatione divi Bernardi Flandriam visitantis excitatum, » etc. Conferat lector allata jam tot testimonia cum dubitatiuncula Manrici, et videat, hacne sola potius, an illis probabilius in hac controversia sit standum. De rebus spectantibus ad abbatiam B. Mariæ Virginis de Dunis, quæ olim fuit in agro Furnensi, sed postea ad civitatem Brugensem translata est, consuli potest memoratus supra Sanderus a pag. 246. Hactenus de gestis sancti anno 1138.

310. Manricus anno proxime sequenti 1139 intexit multa de S. Malachia archiepiscopo in Hibernia, celeberrimo et apostolico ibidem viro, et Claravallense institutum etiam amplexo, cujus Vitam S. Bernardus conscripsit. Martyrologium Romanum annuam ejus memoriam refert ad diem 3 Novembris. Interim aliis enarrandis nos accingamus S. Bernardi factis, ad quorum exsecutionem sicut divina providentia eum modo singulari elegit, ita iisdem honorificentissime perfunctum illustravit summo splendore.

§ XXIX. *Petrus Abælardus; ingenium ejus ac mores; errores recte impugnati a S. Bernardo; hujus mirus cum illo congressus; Arnaldus de Brixia discipulus Abælardi.*

311. Annus Christi 1140, erroribus a S. Bernardo impugnatis atque expugnatis memorabilis, magnam victori laudem, insignem Ecclesiæ utilitatem, amplam scriptoribus materiem subministrayit. Primus in scenam prodeat Petrus Abælardus seu Abailardus, famosus error ille a via recta, et in meliorem reductus opera et dexteritate ejusdem sancti. Quam de hoc negotio meditor collectionem, conducet ad pleniorem declarationem Vitæ sancti doctoris nostri a Gaufrido continuatæ, lib. III, cap. 2, num. 164, ubi sic loquitur : « Fuit in diebus illis Petrus Abælardus, magister insignis et celeberrimus in opinione scientiæ; sed de fide perfide dogmatizans; cujus cum blasphemiis plena gravissimis volitare

Digitized by Google

undique scripta cœpissent, profanas novitates vocum et sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem retulerunt. » Expendamus hic primo ipsam Petri personam, studiorum, ingenii ac morum ejus imaginem repræsentantes. Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 1113, num. 13 : « Florebat, inquit, hoc tempore in Gallia Petrus Abælardus Nannetensis, qui calamitatum suarum historiam composuit in sua prima epistola ad amicum scripta. Natus ad litteratoriam disciplinam, ut ipsemet asserit, facile eam didicit, præsertimque dialecticam; cujus discendæ percupidus diversas disputando perambulavit provincias. Parisios venit ad Guillelmum Campellensem, in hoc tunc magisterio re et fama præcipuum : cui primo acceptus, sed postmodum gravissimus fuit, quod nonnullas ejus sententias refelleret, et de suo ingenio nimis præsumens adhuc adolescentulus, Meloduni paucis leucis Parisiis dissiti, et Campello vico, ubi Guillelmus in lucem venit, scholas aperuisset. » Sed audiamus ipsum Abælardum in epistola 1, cap. 2 : « Et ab hoc, ait, scholarum nostrarum exordio, ita in arte dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non solum condiscipulorum meorum, verum etiam ipsius magistri fama contracta paulatim exstingueretur.

312. « Hinc factum, ut de me amplius ipse præsumens, ad castrum Corbolii, quod Parisiacæ urbi vicinius est, quantocius scholas nostras transferrem, ut inde videlicet crebriores disputationis assultus nostra daret importunitas [opportunitas]. » Hæc ille. Pergamus cum Pagio. « Interim Guillelmus Campellensis currenti anno, ut docet Albericus in Chron., episcopus Catalaunensis creatus, a consueto philosophiæ docendæ studio non destitit, et ad ejus scholam Abælardus Corbolio Parisios venit. Sed cum rursus magistro gravissimus esset, dialecticæ docendæ ipsemet operam dedit, et post aliquod tempus Melodunum reversus, scholas ibi rursus aperuit. Tandem Parisiis sacram Scripturam legit, et Petrus Lombardus postea episcopus Parisiensis, ejus theologia usus in compositione sententiarum, ut prodit Joannes Cornubiensis, ipsius Lombardi discipulus, in suo Eulogio ad Alexandrum III papam. » Habes hic, lector, de ingenio Abælardi ac studiis : nunc intellige de moribus, seu potius de amoribus ejus, e Pagio, qui num. 14, sic pergit :

313. « Fulbertus, canonicus ecclesiæ cathedralis Parisiensis, eum rogavit, ut succisivis horis Heloissam, nobilem virginem neptem suam, forma præstantem, doctrina præstantiorem, et tota Gallia ob eruditionem, eximias animi dotes, et peritiam Hebraicæ, Græcæ, et Latinæ linguæ postea celebrem, tam linguis, quam philosophicis, aliisque liberalibus artibus imbueret. Verum Abælardus amoribus ejus illaqueatus, ipsam quoque suis illaqueavit, et ex ea concepit filium nomine Astrolabium : quod scelus honestis nuptiis, consentiente Fulberto, imminuere voluit, et dum interim scholis vacaret, Heloissam cum Argentoliensibus monialibus reclusit, monitam tamen ne velum indueret. At Fulbertus et Heloissæ consanguinei eum sibi illusisse putantes, qua parte peccaverat, crudeliter mutilarunt, et eunuchum effecerunt; indeque ipse pudore suffusus, monachum in monasterio S. Dionysii juxta Parisios induit; ipsa vero ab episcopo velum accepit in monasterio Argenteolensi Lutetiæ vicino, in quo postmodum priorissa et abbatissa fuit. »

314. Deinde num. 15, nonnullis interjectis de scholæ Abælardi celebritate, Adamo abbate S. Dionysii docere eum permittente aliorum rogatu, nec non de spurcitiis tunc temporis apud istius abbatiæ ascetas, ex eodem Abælardo; quas « ego, ait, frequenter atque vehementer modo privatim, modo publice redarguens, omnibus me supra modum onerosum atque odiosum effeci. Qui ad quotidianam discipulorum nostrorum instantiam maxime gavisi, occasionem nacti sunt, qua me a se removerent; » his, inquam, interjectis subdit ista laudatus Pagius : « Sed dum magnorum et parvorum odiis in eum ardentibus ipse nimis ingenio suo indulget, aliosque despicit, sicut manus ejus contra omnes, sic manus omnium contra eum armantur, et variis erroribus insimulatur, uti anno 1121 de concilio Suessionensi, annoque 1140 de Senonensi verba facientes videbimus. Quæ paulo fusius nobis tractanda fuere, quia ejus Opera non nisi post mortem Baronii, annoque 1616 ab Andrea Duchesnio e tenebris eruta et notis illustrata. Vide quæ anno 1166 de Gosuino abbate Aquicinctensi dicemus. » Haetenus Pagius. Nos vero tum superiora huc transcripsimus, tum plura inferius his supperaddemus, ut suppleamus et elucidemus brevitatem Gaufridi biographi; ad cujus verba, de Abælardi erroribus, seu, ut cum eodem Gaufrido loquar, *blasphemiis*, colligere sequentia visum est. Non disputo autem, ad vitandos cavillos, de animi ejus sensu, sed de sensu, quem verba scriptoris ipsa præseferunt.

315. Expendamus itaque secundo, in quibus *de fide perfide*, uti dicebat Gaufridus, *dogmatizaverit* Abælardus. Opera istius auctoris edidit Franciscus Ambœsius, anno 1616 typis Parisiensibus impressa, simul cum Præfatione apologetica pro eodem scriptore, in qua producit septemdecim capitula, « quæ magnus ille D. Bernardus Clarævallis abbas misisse dicitur Innocentio II papæ, reperta, si credere fas est, partim in libro Theologiæ, partim in libro Sententiarum, partim in libro cui titulus est : *Scito te ipsum* ; quos duos postremos libros Abælardus negavit a se scriptos. De his erroribus detestandis quivis potest hoc usurpare : Heu cadit in quemquam tantum scelus ! » His præmissis, capitula illa subdit; quæ inde apud Manricum transcripta sunt ad annum 1140, cap. 4. Dein classicum insonat apologiæ auctor contra S. Bernardum, et alios in hoc argumento,

Digitized by Google

pro Abælardo. At non est hujus loci apologiam istam expendere pluribus vel refellere. Pro S. Bernardo loquar inferius, loquar item contra Abælardum, quantum in rem nostram erit satis.

316. Ad errores autem Abælardi quod attinet, famosa de iisdem exstat sancti epistola centesima nonagesima hoc titulo: *Ad Innocentium pontificem de erroribus quibusdam Petri Abælardi*; sed in editione Mabillonii ea refertur inter sancti doctoris Tractatus, opusculo 11 a col. 643, cum Admonitione eidem prævia Mabillonii a pagina 635. Ad ejusdem vero Admonitionis finem. « Posteaquam, inquit, hæc scripseram noster Joannes Durandus, qui tunc Romæ versabatur, ex mendoso codice Vaticano num. 663 ad me transmisit *Capitula hæresum Petri Abælardi*, sequenti epistolæ præmissa, hæc ipsa sine dubio, quæ Bernardus in fine hujusce epistolæ se collegisse, ac pontifici transmisisse significat. Idcirco ea hoc loco præmittere visum est ad ipsius epistolæ illustrationem. » Hæc præmonet Mabillonius; sed nos tam ad ista capitula, quam ad epistolam ipsam lectorem mittimus. Interim ut defendatur æquitas causæ S. Bernardi, nonnulla alia de erroribus Petri Abælardi observanda sunt ex iis, quæ Mabillonius erudite de hoc argumento collegit.

317. In sua Præfatione generali ad novam editionem Operum S. Bernardi, num. 53 memorat: « In primis observare licet, Abælardum longe ante quam cum Bernardo quidquam commercii habuisset, a Conone, apostolicæ sedis legato, provocatum fuisse ad concilium Suessione anno 1121 celebratum, atque in eo librum ejus de Theologia, in quo erronea capitula continebantur, flammis traditum fuisse, auctore in monasterium Sancti Medardi retruso. Inde vero egressus, per varios hinc inde discursus, prima sua dogmata disseminare pergit. Hinc hæreticus audit apud plerosque. Quod nomen graviter ferens, Bernardum, quem hujusce convicii auctorem existimabat, ad concilium Senonense anno 1140 invitum ac renitentem pertraxit. Hic coram episcopis, et aliis secundi ordinis illustribus viris, iterum auditus Abælardus ipse, atque a Bernardo confutatus; examinata, iterumque proscripta ejus doctrina, intacto auctore, qui ad sedem apostolicam appellavit. Verum intellecto, synodi sententiam ab Innocentio secundo fuisse approbatam, ab appellatione destitit, atque hortante Petro Venerabili in Cluniacense monasterium se recepit, et tandem apud Cabilonem in cœnobio S. Marcelli laudabili fine quievit. » Hæc paulo altius repetita abunde manifestant erronea ejus dogmata in fide. Ad hæc, dum adversus Bernardum deblaterans scribit, ac cornua erigit, perversam suam doctrinam profert in claram lucem; prout videre licet in Admonitione prævia Mabillonii paulo ante laudata; « Hæc idcirco commemoramus, inquit col. 637, ut omnes demum intelligant, quam impie ut de incarnatione, ita de gratia Christi, si non sensit, saltem scripserit Abælardus, et quam merito Bernardus dixerit in epistola 192: *Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium: cum de gratia, sapit Pelagium: cum de persona Christi, sapit Nestorium.* »

318. Et paulo inferius recte ista repetit Mabillonius: « Hæc, inquam, ideo commemoramus, ut pudeat eos, qui hos errores detestantur, quod Abælardi causam suscipiant adversus Bernardum, quem præcipitis in Abælardum judicii, ac nimiæ impetiginis accusare porro non verentur. Eodem fere modo atque Abælardus, Trinitatis mysterium explicat Guillelmus de Conchis: cujus itidem errores confutat Guillelmus S. Theoderici abbas in epistola ad Bernardum. Adeo nihil infelicius cadere in religionem potest, quam cum philosophi ex sola ratione, fidei nostræ mysteria explicare conantur. » Et mox idem auctor de toto Abælardi negotio tractat ex Gaufridi, sancti Bernardi notarii, epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem: cujus epistolæ verba tum ibi, tum in Chesnii notis in Abælardum, ibidem citatis legi possunt; ut mittam, quæ de viso Henrici canonici Tornacensis ad Patres synodi Senonensis atque ad Bernardum relato, narrantur in Spicilegii Acheriani tomo XII, pag. 478 et sequente.

319. Ut vero luculentius appareat æquitas causæ, ac prudentia sapientissimi doctoris nostri in persequendis tam ardenti studio Abælardi erroribus: quanquam affatim sufficiant, quæ de iis jam præmissa a nobis sunt, quædam præterea hisce superaddimus de hujus contra illum defensoribus. « Primus, ait Mabillonius in sua Præfatione generali num. 55, adducitur Abælardus ipse, qui in Apologia sua conqueritur, sibi quædam *per malitiam* (*imposita fuisse; in primis quod*) *Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia* (*quæ verba*) *non tam hæretica quam diabolica* abhorret, nec in suis scriptis posse reperiri affirmat. Verum de hoc aliisque capitulis agendum in observationibus ad Bernardi opusculum 11. Interim in eadem Apologia sua fatetur Abælardus, se aliqua scripsisse *per errorem, quæ non oportuit*, (*at*) *nil per malitiam, aut per superbiam*, additque se, si qua per multiloquium excessit, paratum semper esse *ad satisfactionem de male dictis* (*suis*) *corrigendis sive delendis ac demum se Ecclesiæ filium cuncta, quæ recipit, recipere; quæ vero respuit, respuere.* Bene. Nolumus Abælardum hæreticum: sufficit pro Bernardi causa, eum fuisse in quibusdam errantem: quod Abælardus ipse non diffitetur.

320. « Quid vero contra sanctum doctorem, aut pro Abælardo Otto Frisingensis lib. 1, cap. 47? Nimirum Bernardum *ex Christianæ religionis fervore zelotypum, et ex habituali mansuetudine credulum: (adeo) ut magistros, qui humanis rationibus et sæculari sapientiæ confidenter nimium inhærebant, abhorreret, et, si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem præberet.* Verum hæc ipsa in sancti doctoris gloriam cedunt: cum nihil magis ad doctorem catholicum pertineat, quam ejusmodi homines, philosophicis ratiunculis

Digitized by Google

plus justo tribuentes, maxime ubi nova cudunt vocabula, quæ in errorem inducere possunt incautos, quam primum reprimere. *Porro* (ut cum Guillelmo loquar) Vitæ lib. I, num. 41) *si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris; habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam . . . Felix, cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri sibi solent præsumere ad gloriam.* Verum Otto ipse, quantumvis Abælardo favens, fatetur tamen, ipsum tres sanctissimæ Trinitatis personas *nimis attenuasse, non bonis usum exemplis* atque ob hoc apud Suessionem in provinciali synodo SABELLIANUM HÆRETICUM JUDICATUM. Quid ergo mirum, si eadem iterum recantans, male audit apud sanæ fidei amatores?

321. « De Berengario Pictaviensi, qui Apologiam pro Abælardo præceptore suo contra synodum Senonensem et Bernardum scripsit, non est quod multum curemus, tum quia homo flocci fuit ac nullius auctoritatis: tum quia idem, ad saniorem mentem reversus, noluit amplius esse *patronus capitulorum objectorum Abælardo, quia etsi sanum saperent, non (tamen) sane sonabant:* librum suum suppressurus, si potuisset, ut ipse testatur in epistola ad episcopum Mimatensem. Cæterum etsi Abælardi Opera, in quibus errata sua resperserat, modo non habeamus omnia, in iis tamen quæ restant, multa sunt SALEBROSA, ut notarunt theologi Parisienses, qui SINGULIS PERICULOSIORIBUS DICTIS AMULETUM in limine ejus operum adhibuerunt: ex quibus optandum quidem esset, ut Præfatio apologetica expungeretur. » Sic loquitur Mabillonius, pro S. Bernardo nervose, contra Abælardum vero ejusque defensores modeste, more sibi consueto, ac erudite.

322. Quid, quod sancti doctoris causam egregie tueatur in notis ad epistolam ejus, ordine centesimam octogesimam septimam; in quibus post compendium vitæ Abælardi, ac epistolam Innocentii papæ adversus ipsum, et Arnoldum de Brixia, quos tanquam « perversi dogmatis fabricatores, et catholicæ fidei impugnatores, in religiosis locis... separatim jubet includi, et libros erroris eorum... igne comburi; » post hæc, inquam, respondet ad objectiones, quæ contra Bernardum, et pro Petro Abælardo sunt. En tibi rerum synopsin. Primo itaque respondet ad objectionem ex Ottone Frisingensi petitam contra sanctum doctorem: deinde ad testimonium Petri Venerabilis pro Abælardo: tum ad machinas pro labefactanda synodi Senonensis auctoritate: denique ad ea, quæ adversus Romanum pontificem in causa Abælardi opponuntur; quæ pluribus ibi deducta sunt. Negotium item S. Bernardi contra Abælardum, de quo hic hactenus est dictum, intexitur Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1140, cap. 2 et sequentibus. Hæc sunt, quæ de præsenti controversia visum est producere: unde concluditur, Petrum Abælardum, e dialectico acuto factum male feriatum theologum, erronea dogmata in fide orthodoxa scripsisse, deque iis convictum fuisse, atque adeo ejus fautores ac defensores esse malæ ac desperatæ litis patronos; Bernardi vero auctoritatem manere integram, optime videlicet de bono communi meriti, ac triumphantis de erroribus ejusdem scribillatoris; qui hodiedum etiam adeo fœtet apud probe catholicos, ut in Indice librorum a sancta sede prohibitorem pag. 390 editionis Romanæ anni 1711 signetur Abailardus inter auctores proscriptos primæ classis. Post duo præcedentia puncta, quorum alterum erat de moribus ac vita ejus, alterum de doctrinæ erroribus, ambo dilatata in subsidium biographi Gaufridi, cujus illustramus narrationem; addamus etiam aliud.

323. Expendamus itaque tertio circumstantiam aliquam, quæ accidit in sancti cum Petro congressu apud Patres synodi Senonensis, de ne autem ipsa legi potest idem biographus. Circumstantiam igitur hanc de Abælardo refert apud nos lib. III, cap. 2, num. 165: « Nam et confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, et interior fugerit sensus. » Eventum hunc plane mirabilem tam ex persona Abælardi, quam ex persona Bernardi, ita accidisse providentia Dei singulari, qui illum quidem, potentem ingenio ac eloquio in oculis suis, deposuit de sede rationis; hunc vero exaltavit humilem, quis inficias ierit? Rem ita exponit annalista Claravallensis ad annum Christi 1140, cap. 3, num. 1 et 2: « Sanctus Pater detrectare pugnam, et certamen omnino disrenuere, nec se in duello æqualem profiteri, rudem magistro, rusticum philosopho inter fagos et quercus enutritum, versatissimo scholarum professori. Quid sibi cum scholasticis quæstionibus? Quid cum disputationibus subtilibus? Quid cum argutiis? In quibus tamen, ut quidquam profecisset, quis pauper monachus, cui causa fidei et Ecclesiæ committeretur? Esse in ipsa magistros insignis nominis; esse et in Parisiensi academia Victorinos Hugonem Richardumque, quibus id posset securius demandari: se orationibus promoturum, qua posset, partem catholicam, quod monacho familiarius quam disputare. His et similibus humilior, quo sapientior, non se Ecclesiæ negabat, sed sibi gloriam. Verum cum vota omnium in eum conversa, solum Bernardum pugnæ postularent, ne tam ipsi præsumptio, quam causæ Christi propugnatio deesse videretur, tandem consensit, a Deo ipso accepturus, quod illi redderet. » Hæc Manricus. Huc pertinet Bernardi epistola ordine 187, quæ dirigitur « ad episcopos Senonas convocandos contra Petrum Abælardum. »

324. In hoc autem illud fuit mirabile, « quod in eadem hora, » quemadmodum Manricus num. 5 et 6 subdit, « verbosum hominem, et facillimi promptique discursus, adeo ingenium memoriaque reliquerint, adeo verba, ut nihil unquam prorsus a se dictum, nihil scriptum, et nec materiam, nec vocabula rerum recordaretur . . . Sic divina providentia factum est, ut qui confidens in virtute sua, et in multitudine ar-

Digitized by Google

guiarum suarum gloriabundus advenerat, confusus abiret, et pro victoria, quam dudum præcecinerat, pudorem et ignominiam reportaret. »

325. Abelardi discipulus, assecla, et patronus fuit Arnaldus, vel Arnoldus, sive Arnolphus de Brixia, de quo supra obiter, ac pluribus postea. Versipellis hujus sycophantæ et hæretici perversa dogmata et damna graphice depingit sanctus doctor in epistolis 195 et 196. Huc autem faciunt Bernardi de eo verba, eidem epistolæ 195 inserta: « Videbitis hominem aperte insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, et in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. » Baronius ad annum 1140, num. 3, « Quod contigit, ait, cum post obitum Innocentii Romam se contulit sub Eugenio papa: » atque adeo hæc inter alia prophetice a sancto scripta censet. Vivam porro inferius, quando de isto pontifice ad sedem Petri admoto tractabimus, impiissimi hujus profanatoris hierarchiæ ecclesiasticæ imaginem repræsentabimus, ut norit lector, quam exacte S. Bernardi prædictio postea impleta, et quam provide antea fuerit in bonum commune ab eo præmonstratum detectumque pestiferum hujus hæretici virus.

§ XXX. *Sanctus tesseris lucratur clericum; alium data pecunia, qua pro se ludat, facinorosum a morte liberat, et monachum facit; patienter fert injuriam; mors Humbelinæ sororis; oppressos defendit; gesta in lite sacerdotii cum regno.*

326. Sequitur annus Christi 1141, quo sanctum abbatem a negotiis externis ad domestica traductum conveniemus, rebusque Claravallensibus intentum contemplabimur. «Evacuato conventu, ut perhibent Annales Cistercienses ad eumdem annum cap. 3, num. 1, per annos singulos ad novas fundationes monasteriorum, plures ac plures Bernardus sufficiebat, partim prædicatione conversos, partim miraculis, resistentes vel per propria vitia pertrahebantur. » Exemplo sit celebris ille clericus lusor, seu illusor, qui, dum capit equum, a sancto capitur ipsemet jucundo ac mirabili modo. Historia ibidem e Cæsario Heisterbacensi, qui citatur in Homilia 5 in Dominicam III post Pentecosten, his describitur verbis: «Cum die quadam per viam equitaret sanctus Pater, eique vagi clerici, quos everandinos vocant, occurrerent, ad conversionem illos monuit. Ad quem unus: Ego ludam vobiscum tesseribus [tesseris]. Si sors pro me responderit, detis mihi equum vestrum: si pro vobis, sequar vos in monasterium. Respondente sancto, Fiat voluntas Domini: mox ille taxillos falsatos extrahens, decem et octo puncta jactavit. Monachis turbatis, et Dei consilium ignorantibus, Vir beatus, spem habens in Christo, pro hominis salute tesseras levavit, et deposuit. Et, ecce, in duobus apparuerunt oculi duodecim, tertius vero in duas partes divisus, in uno latere sex, in altero quinque puncta declaravit. Quo viso territus clericus secutus est hominem Dei ad Claramvallem, factusque est monachus probatus. Hoc factum usque hodie valde celebre est in scholis magistrorum Parisiensium. » Hæc e Cæsario, qui sæculo decimo tertio floruit.

327. Simili modo divina lusit, ut ita loquar, providentia per S. Bernardum, quando hic alium quemdam, ordinis religiosi pertæsum, ac paratum eidem nuntium remittere, ad pristinum vitæ institutum revocavit per lusum. Factum refert ibidem Manricus num. 2 ex Vincentio Bellovacensi, quem in Speculo morali parte IV, distinctione 13, hæc memorantem citat: «Legitur in Vita S. Bernardi, quod quemdam in monachum acceperat, qui lusor fuerat; qui cum omnino vellet exire ordinem, quæsivit sanctus, quid facere sciret, unde victum suum acquireret. At ille ait, se nihil scire facere, nisi cum talis ludere. Ad hæc S. Bernardus: Et si tibi capitale commisero, volo, ut singulis annis venias computare mihi, et lucrum dividere. Esto, inquit; et accipiens triginta solidos, lætus abiit. Post modicum tempus perdidit, et confusus ad portam redlit. Quod audiens beatus Bernardus, lætus illuc perrexit, et gremium suum extendit, ut lucrum simul dividerent. At ille ait: Nihil lucratus sum, sed solidos vestros amisi. Sed si vultis me recipere, potestis me habere pro vestro capitali. Ad quem sanctus: Melius est, ut te recipiam, quam totum simul perdam. Et recepit eum, gaudens de ejus recuperatione. »

328. Cæterum quemadmodum vir sanctus flagitiosum hominem, ac morte plectendum, liberarit ab utroque malo, atque ad optimam frugem reduxerit, intellige ex sequenti historia, quæ exstat in Exordio magno Ordinis Cisterciensis apud Tissierium, distinctione 2, cap. 15, quamque Manricus per hoc idem tempus accidisse indicat num. 3. Factum audi: «Contigit aliquando eumdem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. Cumque appropinquaret oppido ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui, jubente comite, latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo viso, clementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser astrictus, ait tortoribus ejus: Dimittite mihi sicarium istum; ego enim volo manibus meis suspendere eum. Audiens autem comes adventum hominis Dei, festinavit illico occurrere ei. Miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque eum honoravit, Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit, vehementer, et dixit: Heu! venerabilis Pater, quid est hoc quod facere voluisti? Ut quid enim furciferum istum millies condemnatum a porta inferi revocasti? Nunquid eum salvum facere poteris, quia jam totus diabolus [*al.* diaboli] factus est? Desperata est penitus correptio [*al.* correctio] ejus: nec unquam bene facere poterit, nisi moriendo. Sine igitur, domine Pater, sine perditionis hominem perditum iri; quia de pestifera vita ejus multorum [vita] periclitatur.

329. «Respondens autem Pater sanctus dixit: Scio quidem, virorum optime, scio hunc esse latronem sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbi-

Digitized by Google

tate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere : quin potius cogito eum tortoribus tradere, et dignam ex eo capere ultionem : quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio et momentaneo interitu consummari ; sed ego eum faciam diuturno cruciatu, et morte longissima mori. Tu furem appensum, per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres ; ego cruci affixum per annos plurimos faciam in pœna jugiter vivere et pendere. Quo audito, princeps Christianissimus siluit : nec ausus est ultra contradicere sermonibus sancti. Protinus ergo benignissimus Pater, exuta tunica sua, induit ex ea captivum suum, et attonsa coma capitis ejus, sociavit illum ovili dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claramvallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulchre nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui : Constantius enim vocabatur. Itaque triginta, ni fallor, aut eo amplius annos in ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri a duplici morte, corporis videlicet et animæ misericorditer eripere dignatus est.» Hæc auctor Exordii. De Theobaldo autem, qui supra memoratus est, Campaniæ comite, agunt variis locis Annales Cistercienses, quorum index consuli potest, uti et biographi Ernaldus lib. II Vitæ S. Bernardi cap. 6, et Gaufridus lib. IV, cap. 2.

330. Eorumdem Annalium parens tribus hisce factis, quæ modo retulimus, subjungit num. 6 unum alterius generis, videlicet «cujusdam regularis clerici facinus exsecrandum, a quo alapa inflicta sancto abbati, in repulsæ vindictam, repellentis judicium comprobavit, extulit patientiam ; quam principes, quam reges venerarentur, dehonestata facie manu sacrilega, nec solum rubore doloreque percussa, verum tumore.» Adisis Gaufridum lib. III, cap. 3, in quo res ista pluribus narratur. Monet autem laudatus Manricus sub finem capitis 3, se ea, quæ retulerat, cum certus annus singulis non subesset, in unum congessisse : quod et nobis exemplum ipsius secutis faciendum duximus. Idem auctor cap. 4 scribit de piissimo obitu Humbelinæ, germanæ sororis S. Bernardi, quæ tum ibi tum apud alios cum titulo sanctæ nominatur ; sed nobis hactenus duntaxat inter venerabiles reponenda videtur, quandiu de publico ejus cultu non constat. Manricus itaque ipsi ad mortem usque ægrotanti adfuisse sanctum Patrem commemorat, deinde etiam referens mutua utrinque colloquia, ac Bernardi, qui tantisper eam relinquerat, revocationem ministerio angeli tabulam pulsantis. At hæc, corpus, inquit, num. 8 : «Sanctæ sepulturæ traditum fertur, celebrante Bernardo officium funeris, atque inter [hæc] congaudentem et lacrymantem : sed prævalente gaudio, maxime cum gloriosa illi apparuit, gratulans de mercede, quam ipsius hortatu promeruisset.» Hæc ille.

331. Sed habemus aliquid contra rationem tempo- A ris, cui idem historiographus venerabilis Humbelinæ, quæ alibi vocatur Humberga, obitum innectit. Apud nos tomo IV Junii, die 23, a pag. 608 edita est Vita S. Petri monachi, prioris Juliacensis prope Molismum in Campania Galliæ : in cujus Petri Vita cap. 3 dicitur is ab angelo edoctus Humbergam mox morituram. Vitam hanc antea tenebris eruerat, ac typis vulgaverat noster Petrus Franciscus Chiffletius in tractatu de S. Bernardi abbatis Claravallensis genere illustri, a pag. 134. In observatione autem, quam habet de anno et die obitus laudati Juliacensis prioris, pag. 155 et sequentibus statuit eum e vita migrasse anno Christi 1136. «Unde videre est, uti habet a pag. 156, longe a scopo aberrasse Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus anno Christi B 1141, cap. 4, num. 1, ubi ait vixisse adhuc Humbelinam S. Bernardi sororem anno 1140 et haud procul anno 1141 pie in Domino obdormivisse. Nam qui ei morienti adfuit Petrus prior, si obiit Junio anni 1136 quomodo illa quinto post anno adhuc in vivis fuit?» Hac breviter ex eo hic indicasse sit satis, pluribus ibidem deducta. Hæc Chiffletii observatio militat etiam contra Bailletum, qui ad diem 21 Augusti in Vita Humbelinæ, quam edidit, ejus mortem illigat anno 1141 ; item contra alium Gallum in Vita S. Bernardi Parisiis vulgata anno 1704, lib. IV, pag. 350.

332. Nonnulla alia litteris mandavit de S. Bernardo ad dictum annum 1141 cap. 5 Cisterciensis historicus. «Per idem tempus, ait num. 1, venerabilis Guido abbas Cariloci Bisuntinensis, cum a vicini C conventus pseudopræposito, homine alias perdito et profuso, per omnem injustitiam opprimeretur, summum Ecclesiæ præsulem appellat, Romam ad illius audientiam perrecturus. Exstat epistola Bernardi ad Innocentium affectuosa pro ipso, in offensorem acris, et quæ ita unius causam commendet ; ut describat utriusque qualitates.» Deinde illa epistola ibidem recitatur, quæ est ordine centesima nonagesima octava, atque in ipso fonte legi potest. Negotium illud iterum obnixe commendat eidem Christi vicario, uti perspicuum fit e proxime sequente epistola ad ipsum data hoc titulo : Rogat sententiam pro religiosis inique oppressis latam confirmari, nec ulterius aures præberi calumniis.» De judicibus, qui pro Caroloco D sententiam pronuntiarint, et quo modo ejusdem executio retardata fuerit, scribit Manricus ibidem num. 4 ; ac num. 6 animadvertit, «in Bernardo... mirum esse non debere, si filios, quos tam arcte persequebatur, non pateretur vexari a potentioribus : cui adeo inopum a natura indita, sed per gratiam perfecta protectio fuit, ut ne animalia [quidem] bruta, se præsente, opprimi pateretur, atque id frustra ab aliis tentari diceret, per se, quandiu posset, impediendum.» Legi possunt, quæ habet Gaufridus lib. III Vitæ, cap 4.

333. Verum alia ac majoris periculi tempestas Viri sancti laborem et dexteritatem exercuit. Factum audi ex Annalibus Cisterciensibus allegatis, cap. 6 : «Hoc eodem anno Ludovicus Junior, ætate in mori-

Digitized by Google

nus indisciplinatus, potentia ferox, inobedientiæ in Ecclesiam frena relaxans, Innocentio rebellis, etiam Theobaldum aversatus infestabat antiqua simultate in virum, quantumvis sanctum : an quia Ecclesiæ Innocentioque faventem, adeoque sibi contrarium experiebatur? Ea Bernardi, et totius Cistercii causa duplici titulo : primum, quia Ecclesiæ, mox, quia Theobaldi, per Bernardum et nostros pertracta. . . Vix ulla gravior, vix ulla difficilior aut laboriosior, lubrica semper voluntate regum ; sed lubriciori, quoties ira aut vindicta præcipitantur : Bernardus æque in regem, et pro rege, post longum licet tempus, iris fuit. Prima dissidiorum occasio Petrus, Bituricensi ecclesiæ dudum viduæ, nempe a morte Alberici, a pontifice datus in pastorem : quem sine assensu suo consecratum, rex indecorum ; si admitteretur, injuriosum reputabat. Nec deerant aulicorum consilia pro more curiæ, non ut dirigerent, sed ut frequenter, atque ipso obsequio impellentes præcipitarent. Unus Theobaldus comes constantior cæteris dum contradicit, fidelior inveniebatur. sed quo fidelior, eo magis invisus, regis in se vindictam sollicitabat. » De his Robertus imo pseudo-Robertus secundum dicenda § 32. Sigeberti continuator ad hunc annum : cujus textus in laudatis Annalibus mox subditur : « Hoc eodem anno (scilicet 1141) orta est dissensio inter papam Romanum, et Francorum regem Ludovicum : unde ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico, Bituricensi archiepiscopo, missus est Petrus a papa Innocentio, ejusdem ecclesiæ pastor consecratus ; sed a rege Ludovico repudiatus, eo quod sine ejus assensu fuerit consecratus, in civitate minime recipitur : cujus partes quia propter reverentiam seu voluntatem papæ comes Theobaldus fovere crederetur, simultas, quæ sopita videbatur, inter regem et ipsum cœpit repullulare. » His a Manrico recitatis, subduntur ista in ejus Annalibus : « Addidit Ludovicus juramentum ira præcipiti, non, se vivente, inconsulto ipso sacratum ad pontificiam sedem ascensurum : et erat superstitio ea Francigenis, ut quodcunque firmassent sacramento non perficere, infamiam reputarent.

334. « His Bernardus permotus, anxiusque, ac majoribus adhuc malis præcavens, integro anno, conatu primum irrito, mox fructuoso, paci insudavit inter sacerdotium et regnum restituendæ. Id quod anno sequenti ipsemet sanctus ad Ludovicum scribens fidenter loquitur epistola 221. *Vos scitis, quanto labore, quanta* [Mabil. *quantaque*] *sollicitudine, toto anno præterito, quærendæ paci vestræ attendi* [Ibid. *intendi*]. Igitur primum regem, ut resipisceret ; mox Innocentium, ut parceret, aggrediens ; cum neque ille ab inobedientia resiliret, obtendens juramenti religionem ; et hic claves Ecclesiæ contemptas dolens, anathema in regem comminaretur : quod erat reliquum, ad quatuor episcopos cardinales curiæ (inter quos Stephanus dilectus ipsius filius), litteras dedit, consulturos reipublicæ Christianæ, atque Innocentium, si possent, emollituros. Indulgeat Pater filio, senex juveni, ecclesiasticus sæculari, demum sacerdos regi, qui vellet quidem sed non satis auderet præ verecundia sacramenti violati probrum incurrere. Atque ecce exempla litterarum sancti Patris, quæ dictis, obiter etiam fidem faciant. » Epistola illa, quam mox recitat Manricus, est ordine ducentesima undevigesima, atque in editione Mabillonii hoc titulo prænotata : *Ad tres episcopos curiæ, Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Igmarum Tusculanum, et Gerardum cancellarium.* In notis vero inter alia observantur ista : « In scriptis nonnullis, quatuor. At lectio vulgata melior. Siquidem episcopus non erat Gerardus cancellarius, qui hic quarto loco memoratur, postea pontifex creatus, dictusque Lucius II. » Accedit eo, quod eadem epistola in dicta editione intexatur anno Christi 1143. Et vero res quidem tunc illa, pro qua vir sanctus laborabat, bene successit ; sed discordia vix fuit sopita, quin novo dissidia perturbarint pacem, uti memorat Manricus a num. 6, et illico apud nos ex eo pluribus dicetur.

§ XXXI. *Lis illa vix sopita, novis dissidiis recrudescit ; Bernardi ad eam componendam novi labores.*

335. Quod sub finem paragraphi proxime præcedentis Bernardum intendisse diximus, obtinuisse, ut refert Manricus loco ibidem indicato, « compertum est, nec tunc in regem anathema indictum. Quin et eumdem convictum sancti monitis consensisse pontifici, ut Petrus in Bituricensi sede collocaretur. Sed et Theobaldo firmata regis gratia certis pactionibus, quibus pro rege selecti duo viri, Joslenus scilicet, Suessionensium pontifex, et Sugerius, abbas S. Dionysii Parisiensis, quem sanctus doctor ad meliorem frugem dudum converterat, ut suo loco notavimus. Pro Theobaldo item alii duo, episcopus et abbas, Cisterciensis uterque, Hugo nimirum Altissiodorensis, Bernardusque qui conditiones utrinque diffinirent, utrinque componerent. Sed inter alias præcipue illud sancitum, quod sanctus Pater, turbata postea pace, ad utrumque advocatum regium commemoravit epistola 222 hunc in finem, ut si qua de conventionibus illis controversia aut dissensio nasceretur, nihil mali sibi invicem facerent, aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter, et domino Antissiodorensi ventilata res esset, atque discussa, qui et tunc mediatores fuimus, et, si quid emergeret controversiæ, debuimus esse reconciliatores. » Sed quales paci vix stabilitæ difficultates iterum se ingesserint, memorare juvat.

336. Annus erat millesimus centesimus quadragesimus secundus, ut referunt Annales Cistercienses ad hunc annum, « cum vix adhuc sopitæ dissensiones inter pontificem, Theobaldumque, et Ludovicum regem, novis dissidiis denuo recruduere. Et forte, quod non potuit in Innocentium, in Theobaldum irrupit violentior ira, Radulfus Viromandorum comes materiam fecit, repudiata uxore, et Petronilla Guilielmi ducis filia, ac reginæ sorore superinducta. Divortio consanguinitatis quæsitus color : nec de-

Digitized by Google

fuere testes regiæ cupidini, et tres episcopi inventi inter primores, qui pro Radulfo sententiam pronuntiarent, secreto tamen, ac veluti per tenebras, quasi ipsorum conscientia reclamante, nec ferente inter nota flagitia solis aspectum. Tunc Theobaldus pro sorore zelans, zelans pro matrimonio, Bernardum adiit, consilium simul et auxilium imploraturus. At sanctus Pater, comperta veritate, et læsi sacramenti vicem primum, mox amantissimi principis injuriam dolens, Innocentium appellans utriusque vindicem, tales ad eum pro comite Theobaldo litteras dedit: » quæ ibidem recitantur; habetur vero epistola illa inter alias Bernardinas ordine ducentesima decima sexta. Quænam autem post eam secuta sint, ita enarrare pergunt laudati Annales num. 3.

337. His litteris acceptis Innocentius Ivonem presbyterum cardinalem in Gallias mittit plenaria (cum) potestate, per quem divortii causa deciderentur. Hic, veritate indagata, compertaque, Rodulfum comitem percussum anathemate novam nuptam dimittere compellit, inobedientem extra communionem fidelium factum declarat, terram illius interdicto subjicit, ac tres episcopos, quorum auctoritate res tota gesta, sacris ordinibus atque ecclesiæ ingressu suspendit, cuncta ex justitia, et mente sacrorum canonum. » De his Robertus Sigeberti continuator, hoc anno: cujus verba Manricus sic recitat: « Radulfus Viromandorum comes uxorem suam dimittit, et sororem reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia comitis Theobaldi mittitur Romanæ sedis Ivo legatus, qui et Radulfum comitem excommunicavit, et episcopum Laudunensem Bartholomæum, Noviomensem Simonem, Petrum Silvanectensem, qui divortium illud fecerant, suspendit. » Pergunt Annales: « Legatus interim, viam universæ carnis ingressus, per propriam mortem sententiam confirmavit. Quippe ipso de medio jam sublato, cum forte zelo effervescente, mitigaretur, solus restabat adeundus Romanus pontifex qui non de facili posset exorari. » Sic Manricus. Adisis Spicilegium Acherianum tom. XII, pagina 480. At Ludovicus, sicut subdunt dicti Annales numer. 4, « dum se frustratum videt, atque ignominiam, quam comiti intulerat ex sororis repulsa, in reginæ sororem recidisse... ad arma confugiens... contra fas, contra jus, contra pactiones, inexspectatis et inconsultis arbitris, Theobaldum comitem hostiliter infestat, in omnem ejus ditionem grassatus ferro et igne. Et eo usque atrocitas pervenit, ut pius comes vitandis fidelium cædibus, rapinis, stupris, et aliis belli malis, quæ victores et victos æque involvunt, juramentum præstare compulsus sit absolutionis a pontifice impetrandæ, seu proprium dedecus postponens saluti civium, seu tempus redimens promissa absolutione, quæ vel negari ab Innocentio posset, vel, si concederetur, revocari. » Rem prodit Bernardus in epistola ad Innocentium ordine 217.

338. « Tum summus pontifex, sicut pergit Manricus num. 6, Theobaldo morem gerens pro suis meritis... relaxavit anathema, ni resipiscant dividanturque adulteri... statim illud renovaturus. Sensit potentia se iterum delusam, atque iterum evanuisse vindictam, qua se denuo irretitam experiretur. Atque id totum Bernardo acceptum referens (nam quis alius potuisset apud pontificem?) querulas nimium ad eum litteras dedit, quibus Bernardus libere pro more, sed veneranter respondit, » stans videlicet constanter pro justitia, dum iniquam regis postulationem in causa Radulfi rejicit, eumdemque regem monet, ut non premat innocentes, neque contra se irritet Regem supremum. Exstat inter alias epistola ista ordine 220. Et post illam quidem Patris sanctissimi industria et cura in componendo publico hoc tantique moliminis ac momenti negotio cassæ quidem optato fuere eventu, non tamen eo redactæ, ut ulteriorem eidem operam navare non perrexerint. Videri potest epistola 221.

339. Verum quidnam interea rex Ludovicus? Audiantur prædicti Annales cap. 2, numer. 1: « At non exasperatus Ludovicus, quod satis mirum, atque in juvene indicium melioris animi, nec dedignatus responso virum Dei: quin potius longam ad eum dedit epistolam, excusationes texens et querimonias, queis Theobaldum de multis, de quibusdam etiam Bernardum insectaretur, quod juramentum per fraudem ludificasset, cum terra adhuc maneret sub interdicto: quod matrimoniis sibi devinciret Flandrensem comitem, Suessionensemque, quorum auxilio in regem rebellaret: quod Radulfus ab eo sollicitatus, Bernardo conscio et complice, ut qui eidem peccatorum veniam polliceretur, si Theobaldo vellet adhærere. Hæc et similia rex cum rescripsisset, Bernardus duos ejus consiliarios, pactionum arbitros, Joslenum ac Sugerium interpellavit, per quos, ut conscios totius veritatis, longe efficacius, ut amicos, facilius reduceretur. » Habetur ista epistola inter Bernardinas ordine 222. Pergamus ad Manricum numer. 7. « At cum sanctus doctor epistolam aut casu apertam mitteret (ex quo sumpta occasio, velut fecisset per irreverentiam) vel ex conscientia mordaciorem Joslenus reputans, et quo reprehensibilior, impatientior, mordacissimum ei responsum reddidit, adeo ut nequaquam veteretur dicere, Sanctum locutum in spiritu blasphemiæ, quod Godefridus affirmat in ejus Vita, atque ipsius sancti rescriptum testatur. » Hoc vide in epistola 223; illam consule lib. III, cap. 3, numer. 175. Observamus tamen obiter, epistolam illam in editione Mabilloniana non innecti anno Christi 1142, in quo sumus cum Annalibus Cisterciensibus, sed anno 1143. Ex his interim abunde intelligitur, a S. Bernardo tentata fuisse omnia, ut luctuosissimæ huic inter duos discordes principes controversiæ remedium afferret; sed irrito hactenus conatu, sicut planum fiet ex eventibus qui postmodum subsecuti sunt.

Digitized by Google

§ XXXII. *Alia Bernardi tentamina, ut tragicis Galliæ dissensionibus succurreret; Innocentii PP. gratia excidit immerito.*

340. Dum hinc gradum facimus ad annum Christi 1143 funestissima rerum Gallicarum nobis objicitur scena : quam ut mutaret in lætiorem, quot quantosque vir sanctus non insumpsit labores, eo certe duriores, quod optato fructu frustrarentur. « Ruebant, inquit Manricus ad hunc annum cap. 1, numer. 1, in deterius Galliæ res, et Ludovicus, pietatis vinculis ruptis, quotidie irreligiosius, in Theobaldum atrocius debacchabatur : idque hoc anno 1143 . . . quo Bernardus ad curiæ cardinales, maxime autem ad dilectum sibi filium Stephanum Prænestinum episcopum mœrens et dolens hanc scripsit epistolam, miserum Galliæ statum continentem. » Epistola hæc in editione Mabillonii est ordine 224 e qua excerpo sequentia : « Vos . . . scitis, quomodo ego quoque pro rege steterim in conspectu domini mei, corpore quidem absens, sed præsens spiritu, ut loquerer pro eo bonum. Bona siquidem pollicebatur. Nunc autem ipso reddente pro bono malum, cogor contraria scribere . . . Conculcantur apud nos sancta, Ecclesia turpiter ancillatur. Nam et electiones episcoporum prohibentur fieri, et si cubi id præsumptum a clericis fuerit, electus episcopari non sinitur. Denique sedet in tristitia ecclesia Parisiensis, proprio destituta pastore, et nemo est qui de substituendo alio mutire audeat. Non sufficit spoliari bonis præsentibus domos episcopales : etiam in terras, et in homines manus sacrilega circumquaque desævit, totius insuper anni ex eis sibi reditus vindicando.

341. « Commisit rex germano suo Roberto vices episcopi, et ille in cunctis terris, rebusque Ecclesiæ potestative versans . . . infert cœlis quotidianas hostias, non plane pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum . . . Præterea rex, nobis quidem non parum laborantibus, pacem cum comite Theobaldo fecerat . . . ; et, ecce, occasiones quærit, quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod impingitur comiti, quia cum baronibus regis de liberis suis contrahit matrimonia. Suspecta est illi dilatatio charitatis, nec se putat regem, si se amaverint principes. . . Propterea ergo pacis conventiones et constitutiones manifeste transgreditur, nec tenet pacta sua, quæ distinxerunt labia sua. Denique revocavit in domum suam, et ad consilium suum virum adulterum, et excommunicatum, quem ex constituto ejecerat et pro exorcenda majori malitia, aliis multis nequam æque excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis, rex et advocatus Ecclesiæ, adversus Ecclesiæ (quod non est dubium) amatorem, et defensorem denuo sociatur. . . Ad hæc, cogit suo more episcopos ad maledicendum benedicendis, et iterum benedicendum maledicendis . . Qua fronte, obsecro, tantopere aliis præscribere de consanguinitate laborat, homo cum sua (quod palam est) tertio ferme consanguinitatis gradu permanens consobrina?

342. « Et quidem inter filium comitis Theobaldi, et comitis Flandrensis filiam, et item inter comitem Suessionensem, et filiam comitis Theobaldi, si consanguinitas sit, nescio (scienter enim illicita matrimonia nec laudavi unquam, nec laudo) : sed sciatis vos, et sciat dominus meus, prohiberi horum nuptias. » Hæc sunt inter alia plura, quibus Bernardus compellat Stephanum : nec dissimilia, ut perhibet Manricus num. 6, « ad cæteros episcopos, quos sciebat pontifici adhærere, tantis malis, qua possent, obviaturos. Cur autem ad Innocentium tunc non scripserit, hoc ipso anno inferius declarabimus. » De dicto rege Ludovico consuli possunt Horstii notæ apud Mabillonium in epistolam 224, num. LXX. Apud quem etiam exponitur tertius fere consanguinitatis gradus ille, de quo supra, nec non in notis brevioribus colum. 209. De Radulfo comite Veromanduorum uxorem repudiante, et aliam ducente, scribit Pagius ad annum Christi 1142. Videmus itaque S. Bernardum intendere omnes nervos, ut perditissimis Galliæ rebus succurrat. His breviter ad præcedentem epistolam observatis, argumentum præsens prosequamur cum Annalibus Cisterciensibus allegatis : ubi hæc sunt num. 7 et 8.

343. « Interim ipse sanctus, Hugoque, qui arbitri pactionum pro Theobaldo, quique quærendæ paci ecclesiæ Gallicæ ab Innocentio dati, id quod Bernardus non leviter insinuat in epistola ad ipsum, ne quid omnino intentatum remaneret, convenire regem interponere proceres, divina humana jura protestari, belli damna proponere, et quocunque vincente, perire regnum, quo sine neque rex posset consistere. Nam cujus illa terra, quæ vastabatur? Cujus homines, in quos desæviebat? Nonne ex ejus ærario restituenda?... Atque hæc quidem de lucris temporalibus : nam de fama et honore adhuc majora, maxima de salute declamabant; » sicut pluribus ibidem exponitur. « His et similibus regem nunc per litteras, nunc coram aggressi, et reverenter constanterque arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina perseverabant. Et jam conventus Corbolii destinatus promittebat meliora, si non rex, vix auditis sanctorum placitis, et nihil sibi deferri, quandiu non omnia, tenaciter contestans pro more principum, indignatus ac furens recessisset, impatiens æqui, nec solum non obediens, verum non audiens. Tunc sancti viri confusi fœda repulsa, sed nihilominus constantes pro pace regni, per fratrem Andream, sibi inter charissimos, et, ut apparet, regi familiarem, talem ad eum epistolam scripserunt. » Exstat ea apud Mabillonium inter Bernardinas ordine 226. Porro « Andreas iste (de Baldemento, uti additur in textu epistolæ) celebris fuit, variisque negotiis adhibitus. Subscribit primariis litteris abbatiæ Caricampi in tomo II Spicilegii pag. 329, et cum Bernardo testis habetur concordiæ inter Ludovicum Juniorem et Algrimum Aurelianensem archidiaconum initæ,

Digitized by Google

tomo IV. Chesnii pag. 764. » Hæc et plura Mabillonius in notis brevioribus ad eamdem epistolam. Hæc per transennam

344. Huc etiam, ut alia a sancto et communi Patre gesta pro pace sancienda prosequamur, pertinet epistola ad Joslenum Suessionensem episcopum, quam Bernardus solus, injuriæ acceptæ immemor, vel potius ideo amantior, quia memor..., uti loquitur Manricus num. 10 scripsit. Est ordine 225 apud Mabillonium. Ecquis vero tot conatuum piorum juxta ac strenuorum fructus? Laudatus Annalium concinnator. «Nil obtentum, inquit num. 11, apud regem per litteras... Ergo hoc anno, piaculo insigni, ad Vitoriacum, Vitriacum alii dicunt, quod oppidum ditionis Theobaldi erat, rex primum muros, mox ecclesiam ipsam, in quam ferme oppidani omnes confugerant, incendio vastat, sacra, profana, viros, feminas, puberes, et impuberes comburit. Mille et trecentæ animæ interiere, plures alii numerant, quæ sanctitate loci velut munitæ, salutem ex religione præstolabantur. Tunc demum rex pœnitentia sera correptus plorasse dicitur, sed non adhuc peccatum emendaturus. De his Robertus Sigeberti continuator, ad hunc annum : *Ludovicus rex Vitriacum castrum comitis Theobaldi capit : ubi igne admoto ecclesia incensa, et in ea mille trecentæ animæ diversi sexus et ætatis igne consumptæ sunt. Super quo rex Ludovicus misericordia motus plorasse dicitur, et hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus, a quibusdam existimatur*

345. « Cujus, ut credo, ait Manricus numer. 12, verborum occasione Paulus Æmilius tempora confundens, Bernardum Patrem ascitum a rege tradit, clementiam Dei per ipsum, quasi jam pœniteret, imploraturo. » Pauli Æmilii verba in Ludovico Juniore hæc profert : « Qui intromissus, et benignissime a rege susceptus, cum ejus fletum conspiceret, causamque doloris didicisset : Hæ (ait) lacrymæ nisi cito exarescant, exstinguere possunt Vitoriacensis incendii memoriam : tantum adde illis constantiam roburque, et, ne sit velut muliebris ploratus, viriles ac vere regios animos gere. Antequam læsi numinis ira in te se armet, quas templo arisque intulisti faces, in templorum hostes, barbaramque religionem converte. » Cætera, quæ pluribus prosequitur Æmilius, non transcribit ex eo Manricus, sed rem ita ab ipso tractari insinuat, « quasi Bernardus Ludovicum hoc ipso anno atque hac occasione ad Hierosolymitanam expeditionem hortatus fuerit. Verum hæc tribus ut minimum annis interjectis longe distantia, atque alterum sub Innocentio, alterum sub Eugenio, mediis duobus aliis Pontificibus, brevis licet ætatis, contingentia, sine causa in historia confunduntur. Potuit prioris sceleris memoria regem impellere : potuit et a Bernardo commemorari, etiamsi ante biennium patratum foret. Et Ludovicus adhuc Theobaldo discors, nec illi pacandus nisi post annum, ut suo etiam loco... commemorabimus. » Hactenus annalista Cisterciensis, qui, dum in Paulo Æmilio corrigit rationem temporis, ansam nobis dat notandi aliquid de anno 1143, cui barbariem Victoriaci patratam a rege Ludovico Juniore adaptat

346. Pagius in Critica Baroniana ad annum 1141, num. 3, scribens de dissidio inter Innocentium II et Ludovicum VII Francorum regem, hæc narrat num. 4, e Guillelmi Nangii Chronico ad annum 1142 : « Rex concitavit omnes fere proceres suos, ut una cum eo guerram inferrent comiti Theobaldo. Tum ad annum 1143, cepit rex Vitriacum, oppidum comitis Theobaldi, ubi admoto igne incensa est ecclesia, et in ea 1300 homines diversi sexus et ætatis periere. » Sed continuo animadvertit laudatus Pagius, in Chronicis tamen Gemblacensi et Catalaunensi Vitriacum anno 1142 dici incensum fuisse : quorum notationem temporis amplectitur ad annum 1143, num. 1, ubi, relato statu miserę ecclesiæ Gallicanæ, « basilica tamen, inquit, castri Vitriaci non hoc anno, ut refert Baronius num. 6, ex pseudo-Roberto de Monte, sed anno 1142, incensa, ut anno 1141, ostendimus. » Eumdem pseudo-Robertum superius adhibuit Manricus : qui etiamsi Nangium habeat pro se in anno, quem sigut 1143, duo tamen alia dicta Chronica contra se habet.

347. Alter vero Robertus de Monte, cujus Accessiones atque Appendix germana ad Sigebertum, ab Acherio vulgata sunt post Guiberti abbatis de Novigento Opera, Lutetiæ Parisiorum anno 1651, excusa, tradit ista ad annum 1141, pag. 762 : « Rex Francorum Ludovicus afflixit comitem Tebaldum, et vastavit terram suam, maxime in Campania, ubi combussit castellum optimum, Vitrevium scilicet : ubi multitudo maxima diversi sexus hominum et ætatis concremati sunt. » Ita alter Robertus, qui vexationibus a Ludovico adversus Theobaldum motis anno 1141, quo hunc ab illo infestatum § 30, diximus ex Annalibus Cisterciensibus, Victoriacensis castri combustionem adjunxerit per prolepsin, uti suspicamus (nisi malis pro anno 1141 legere 1142, cum alio codice, qui indicatur in notula marginali apud Acherium pag. 760 et proxime sequente), alter, ut iterum dicamus, Robertus de Monte, isque genuinus : de quo consulesis observationem apud laudatum Acherium pag. 715. Oudinus in Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis tomo II, a colum. 1625, varia de isto auctore collegit ; inter alia autem est illud in rem nostram : « Chronicon suum ab anno 1112, ubi Sigebertus desierat, ad annum 1182 produxit. Appendix autem ad Sigebertum, quæ inter illustres Germaniæ scriptores edita est, alterius auctoris maxima ex parte est, ab anno nimirum 1110 ad annum 1155. Germanam autem appendicem ad Sigeberti Chronicon a Roberto de Torrinneio, uti etiam vocatur, conscriptam, ex autographo monasterii sancti Michaelis de Monte, et ejusdem accessiones ad S. Ge-

Digitized by Google

bertum,» etc., «edidit vir doctissimus Lucas Dacherius,» supra a nobis indicatus. Verum ut notationes hujusmodi nos abducant a filo nostro historico, discordes hosce principes Ludovicum regem et Theobaldum comitem opera S. Bernardi in gratiam esse reductos, dicimus infra ad annum 1144; nunc vero cum Manrico pergimus, qui ita prosequitur suam materiem cap. 2, anni prædicti 1143.

348. « Mœrebat sanctus Pater hæc mala publica, cum subito privata etiam expertus, unde minus timebat, dolori dolor, et tristitia tristitiæ supperadditur. Amissa, ipso ignaro, gratia Innocentii, quam tot laboribus, tot obsequiis promeruisset. Ivonis cardinalis legati bona in causa, distributa pauperibus, quæ pontifici forent reservanda, et distributio imputata Bernardo duplici titulo : quod distributor designatus in testamento, et quod pauperum causæ promotor vel ultroneus se ipsum ingessisset. Adfuerant extreme laboranti duo abbates, per quos, Bernardo adjuncto, legata bona in pauperum transirent possessionem : et adiere uterque Claramvallem, Bernardum, ut par erat, requisituri ; sed sancto in pacis negotiis occupato, nec invento, ne testamentum diutius morarentur, quæ Ivo jusserat, soli peregerunt. Difficile Innocentio visum est, inconsulto Bernardo patratum quidquam : et erat in ea causa suspectus sanctus, propria, quia pauperum, aut propriis præferenda. Jam vero gratia utcunque semel amissa, quæ hominum plerumque conditio est, quæ ante placuerant, infensa esse cœperunt. Nihil fere in Ecclesia agi sine Bernardo, atque ejus frequentibus epistolis intercessionibusque vix unicum pontificem sufficere, qui tamen universæ Ecclesiæ datus non posset uni viro morem gerere : contineret se Abbas intra cœnobium, contineret vel saltem intra Galliam, et esset aliquid, quod non perageretur ejus arbitrio... Sic qui olim firmandæ sibi tiaræ in omnes mundi plagas Bernardo usus, postquam firmaverat, damnat quod elegit, et, qui pro se rogaturum sollicitabat, non petitur rogantem sibi pro aliis.

349. « Hæc de Pontificis in ipsum indignatione ubi accepit Bernardus, apologeticam, ut ad annum 1143 Baronius ait, ad eum scripsit epistolam, qua suam causam defendens, et potenter excusans, ostendit se nihil in eo peccasse, ut ejus indignationem commereretur. » Novissima hæc est, quam sanctus Pater ad Innocentium PP. scripsit epistola, ordine 218, quæ, tametsi alibi excusa legi possit, hic tamen etiam recusa relegi meretur, nonnullis brevitatis causa rescissis : « Putabam, inquit sanctus vir, me aliquando aliquid vel modicum esse ; sed nunc, ut sentio, prorsus ad nihilum redactus sum, dum nescivi. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuisse, cum oculi domini mei super pueros suum essent, et aures ejus ad preces meas... Modo autem me merito non modicum dico, sed nihilum, quoniam ab heri et nudiustertius avertit faciem suam a me. Cur hoc ? Quid peccavi ? A Multum fateor, si pecunia cardinalis Ivonis bonæ memoriæ meo arbitrio distributa fuit, et non ad nutum ipsius. Non sum tam hebes, ut ignorem Ecclesiæ esse, quidquid ille rerum suarum non dederit.

350. « Sed jam audite simpliciter veritatem... Quando homo exuit hominem, absens eram, imo et valde remotus. Audivi autem ab his, qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum testamentum ; et quod fecit, fecit et scribit : et de rebus suis quæ voluit, quibus voluit, ipse divisit : quod residuum fuit, duobus abbatibus assistentibus tunc sibi, et mihi pariter, qui absens eram, dividendum commisit, eo quod nobis nota essent loca pauperiora sanctorum Porro abbates illi domum venientes, et non invenientes me (detinebar enim tunc temporis ex vestro mandato pacis quærendæ negotiis), nihilominus pecuniam, sicut eis visum est, diviserunt, me non solum non connivente, sed et nesciente, quid fecerint. Cedat jam, si placet, manifestæ indignatio veritati...

351. « Nam quod item comperi displicuisse me in multis scriptitationibus meis, hoc me jam metuere non oportebit : quoniam facile emendabo. Scio, scio, præsumpsi plusquam oportuit, parum attendens, quis cui scriptitare præsumerem... Dabo, si potero, zelo meo de cætero temperamentum, scientiam ; et ponam digitum meum super os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quam multis precibus defatigem christum Domini. Et nunc quoque non sum ausus scribere vobis de imminentibus Ecclesiæ periculis, et gravi schismate, quod timemus, ac plurimis, quæ sustinemus, incommodis. Scripsi autem sanctis episcopis vestro lateri adhærentibus : ab ipsis audire poteritis, si scire placuerit, quæ scripserim ego. » Juvat his coronidis loco attexere verba Baronii ad annum 1143, num. 5, quæ epistolæ superiori a se recitatæ sic subdit : « Accidit plane secundum illud Sapientis (*Eccle.* VII) : *Calumnia conturbat sapientem*, ut S. Bernardus ob calumniatores apud Innocentium papam æstimatione minueretur, adeoque ut tot tantisque exhibitis per eumdem sanctum officiis et beneficiis oblivioni traditis, jam nulla eorum habita ratione, exciderit ipse e gratia ejus. An autem acceptis his ab eo litteris Innocentius æquiori erga eum animo fuerit, haud nobis compertum habetur. At si in terra ista aruerunt sata Bernardi, flante vento urente : certe alibi quidem collegit ad vitam æternam, quæ non humano, sed divino intultu ab eo sunt jactata semina in terram viventium. Sic discant homines non *sperare in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* » Hæc tam vere quam graviter Baronius occasione hujus epistolæ, quæ, sicut superius indicabam, ultima fuit quam sanctus doctor ad Innocentium papam II, scripsit, nunc defensor in tam justa ac propria causa, qui antea fuerat toties in aliena. Et pontifex quidem ille eodem anno 1143 e vita excessit die 24 Septembris ; cui Cœlestinus hujus nominis II, postero die suffectus est : hujus

Digitized by Google

breve fuit regimen; de illius vero mortis causa vide Baronium ac Manricum.

§ XXXIII. *Ordo Cisterciensis a sancto abbate in Suecia propagatus; prodigium, et vaticinium; discordiæ in Gallia ab eo compositæ; honoratur a patriarcha Hierosolymitano.*

352. Chronographus Cisterciensis ad annum antea indicatum cap. 7, inter cœnobiorum propagationem, de qua ibi tractat, occasione Novævallis inchoatæ in regno Sueciæ, ac in diœcesi Lincopensi, tria mira memorat de sancto Patre : quorum alterum est prodigium, in confirmationem fratrum eo mittendorum ; alterum vero est vaticinium, quo cuidam fratri prænuntiavit locum mortis ; tertium est positum in modo, quo illud vaticinium impletum fuit. En tibi primum ex auctore Exordii magni apud Tissierium distinctione 4, cap. 28 : « Volens, ait, idem venerabilis Pater in populis aquilonarium partium, sicut et in cæteris gentibus, aliquem fructum habere, petente religiosa femina regina Sueciæ, conventum fratrum ad partes illas direxit. Cumque monachi et conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus et indomitis formam religionis et disciplinæ traderent, nimio mœrore consternati, precibus, quibus valebant, agerent, ne, tanti Patris præsentia carituri, ad exteras et barbaras mitterentur regiones; sanctus abbas respondit : Ut quid irrationabilibus fletibus et precibus affligitis animam meam? Aut nunquid voluntatem meam, et non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio?

353. « Erant autem coram eo posita vestimenta, et vasa sacra, cæteraque utensilia ad ministerium divini officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere quoniam a Domino egressus esset sermo, elevavit pelvim quæ ad recipiendam aquam sacerdotis manibus fundendam deputata erat, et digitum fundo ejus imprimens, dixit : Ecce hoc vobis erit signum, quod Spiritus Domini miserit vos. Mirum in modum rigor et inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est ; adeo ut cujus quantitatis sacer articulus fuerit, usque hodie liquido valeat dignosci. Quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videtur. In testimonium enim tanti miraculi eadem pelvis in secretario domus, quam tunc Pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes, gavisi sunt; et licet remotissimas, et in ultimo climate aquilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine quodam horrore spiritus adire possent, tamen eamdem gratiam Dei, meritis et precibus sancti Patris nostri intervenientibus, se comitaturam pia confidentia præsumebant. » Sic ibi de miraculo; de insigni autem S. Bernardi vaticinio auctor idem hæc statim subjicit :

354. « Erat vero inter cæteros adolescens quidam honestæ indolis, et columbinæ simplicitatis Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto : qui impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad virum Dei : « Beatissime Pater, ego miserabilis juvenculus, relicta domo paterna, spretisque omnibus, quæ mihi in hoc sæculo desiderabilia et amabilia esse poterant, religionis amore paternitatem tuam adii, sperans me tua dulcissima præsentia debere frui, tuis doctrinis et exemplis informari, tuis meritis et precibus adjuvari, subque sanctæ hujus multitudinis umbraculo a turbine tentationum, et ab æstu juvenilium desideriorum tutari : quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cœmeterio quiescentium, diem exspectare novissimum. Et, ecce, ejicis me hodie a facie tua, sanctique hujus collegii consortium perdo, et insuper desiderata mihi sepultura privabor. Hinc prorsus, hinc vehementer doleo : quia cor meum conturbatum est in me.

355. « Compassus adolescenti vir beatus, afflictam mœrore animam ejus affatu blando mulcere curavit, et quæ post annos quinquaginta futura erant, spiritu prophetico prævidens, et prædicens, ait ad eum : Vade, fili charissime, quo te Spiritus sanctus mittere dignatur, et in agro Dominico tanquam strenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, et securum te facio, quia, sicut desideras, in Claravalle morieris, et cœlestis Sponsi gloriosum adventum una nobiscum præstolaberis. Hanc ergo tam lætam pii Patris sponsionem frater ille velut arrham desiderii sui suscipiens, gavisus est valde, sciens utique nec falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ et veritatis sectarium esse, manifesta signorum et prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, et in domo, quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, prioris et cellerarii administratione strenue percurrens, divina largiente gratia, nomen pariter et officium abbatis sortitus est : cujus dignitatis apicem licet invitus conscenderet, malens in humili loco salvari, quam in sublimi periclitari, susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. » Hactenus laudatus Exordii magni auctor de vaticinio, quod prædixerat sanctus Pater Gerardo, cujus virtutibus enarratis, quas etiam vide in Annalibus Cisterciensibus tom. II, ad an. 1150, cap. 10, pergit referre, quo pacto prædictio ista deinde impleta sit. Sic quippe prosequitur de Gerardo abbate :

356. « Cum autem jam senuisset, et usque ad decrepitam ætatem pervenisset, quadragesimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur ; cœperunt eum fratres rogare, quatenus, sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit : « Ne, quæso, ita loquamini, filii mei. Oportet modis omnibus, ut in Claravalle moriar : et secundum sponsionem Deo dilecti Patris mei, cum

Digitized by Google

sanctis, qui ibi pausant, *in pace in idipsum dormiam et requiescam*. Causantibus illis et dicentibus: Quomodo te, pater, illuc reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda, tot et tantis infirmitatibus quassatus et debilitatus sis, ut vix ad proximos terminos Danorum spirantem te pervenire posse putemus? cum multa fiducia respondit: Verbum Dei validum et forte, vivum et efficax, quod per os reverendissimi viri auribus meis infusum, penetralibus cordis mei arrham bonæ spei hujus, qua feror, indidit, prosperos in hoc itinere successus præstabit: vos tantum, quod præcipio, festinanter implere curate.

357. « Itaque gestatorio inter duos equos composito, in eo collocatur: et non sine grandi miraculo a finibus orbis, per tanta terrarum spatia, per tot maris et fluminum pericula, Claramvallem pervenit: ibique in infirmitorio aliquandiu recubans, in bona confessione spiritum exhalavit. Accepit vero desideratæ sepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni Benedicti nani tumbulam, qui eum familiariter in vita sua dilexerat. Cujus decessum cum rex Sueciæ comperisset, cum gemitu protestatus est, regnum et terram suam dignam non fuisse, ut in ea tanti viri sacra ossa requiescere debuissent. » Porro Gerardi obitum innectit Manricus anno 1190, sicut tomo III Annalium Cisterciensium ad dictum annum cap. 4 datur videre. Jongelinus in Notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis lib. VIII, pag. 36, scribens de abbatiis in regno Sueciæ, allegat nonnulla, « quibus superius jam narrata aliquantulum elucidari possint. Etenim, ut de fundatione Novævallis, quam etiam illigat anno 1143, uti facit Manricus, dicit primum ejusdem abbatem D. Gerardum, urbe Trajectensi ad Mosam in Belgio oriundum fuisse: et sic tollitur æquivocatio auctoris Exordii magni, apud quem, dum dicitur oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto, incertum relinquitur an Trajecti ad Rhenum, an Trajecti ad Mosam oriundus sit. Ad hæc, ex iis quæ loco citato præmiserat laudatus Jongelinus de Alvastro sive Alvastra, quam eodem anno 1143 et in eadem diœcesi Lincopensi fundatam, nec non initia sua debere Suerchero inclito Sueciæ regi affirmat, atque ex iis, quæ notat de sepultis in ista abbatia Sueciæ regibus, accedit lux ad illa, quæ de rege Sueciæ innominato referebat Exordium magnum: nam, teste Jongelino, « præter alios hic sepulturam elegit Suercherus Sueciæ rex, qui obiit anno 1150... Item ejus filius Carolus Sueciæ rex, a Canuto Dano occisus, in hoc cœnobio anno 1168, juxta patrem sepelitur... Suercherus rex, cæsus in bello Danico, obiit 1208, alias 1210, » etc. Ad hunc itaque regem videtur referri illud de Gerardo dictum: *Cujus decessum cum rex Sueciæ comperisset*, etc., in sententia Jongelini per superiorem seriem expressa. Regum porro Sueciæ ordinem exhibet noster Ricciolius tomo III suæ Chronologiæ reformatæ catalogo 41, in quo signatur Suercherus II, Caroli VII filius 1192.

358. Rerum itaque a S. Bernardo gestarum collectione ad annum Christi 1143, a nobis perducta, proxime sequens 1144, serenam nobis aperit auram post sedatam opera viri sancti tempestatem gravissimam discordiarum inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum, quam tantisper interrupimus, Petri cathedram tenente Lucio hujus nominis II. Manricus ad hunc annum cap. 1, sub isto pontifice rem hanc e pseudo-Roberto de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti hoc anno peractam sic narrat: « Mediante abbate Clarævallis, simultas, quæ inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum incanduerat, sopitur. » Cui eventui fortunatissimo apprime convenit illud, quod idem Manricus subjungit, epiphonema: « Digna Bernardo mediatore pax, et quam summe exoptarant quicunque boni. » Quo autem modo res illæ acciderint, memoriæ prodidere duo Vitæ S. Bernardi scriptores. Ac primo quidem relatu dignissimum est, quam piis ac sanctis monitis vir Dei Theobaldum erudierit ad constantes magnosque animos in tot et tam duris adversæ fortunæ casibus. Diffuse ac pathetice ea describit. Ernaldus lib. II, cap. 6, quo, ne longior de his excurrat oratio, lectorem mittimus.

359. Ex his intelligitur, tragicam istam et sanguinolentam inter duos hosce principes controversiam a sacro nostro pacificatore feliciter quidem fuisse compositam; sed addendum eodem est, ita fuisse compositam, ut in spem contra spem omnem erectus, et spiritu actus prophetico, optatissimæ enimvero sed vix exspectatæ rei successum prænuntiaverit. Legatur Gaufridus in libro IV Vitæ S. Bernardi cap. 2, numer. 198. Quanquam autem non adjungat, quibus conditionibus, et quo fructu pax illa sancita fuerit; fructus tamen uberrimus inde consecutus est, hunc referente Annalium Cisterciensium scriptore num. 7. « Pacta conventa, ait, siluere antiqui auctores, contenti initæ pacis relatione. Quam tamen adeo firmam inconcussamque constat permansisse, ut Ludovicus, post divortium cum Eleonora, Guillelmi ducis Aquitaniæ filia, ut consanguinitatis sibi fœdere juncta, nec dispensata; et post Constantiam, Alfonsi VIII, Castellæ regis filiam, ex partu vita functam, integro nondum matrimonii anno peracto, Adelam Theobaldi filiam duxerit, ex qua Philippus, cognomento Augustus, natus, qui successit in regno, avum et patrem arctius devincturus. » Talis ergo fuit gravissimæ hujus dissensionis exitus, Theobaldo quidem utilis et honorificus, Bernardo autem gloriosus.

360. Sanctus Pater in veneratione etiam fuit patriarchæ Hierosolymitano, prout suadetur e fragmento crucis Domini, ab hoc ad illum Hierosolymis transmisso; de quo laudatus Annalista ad ann. 1144, cap. 4, et ea occasione, quod « hoc ipso, ait, anno ejusdem salutiferi ligni interventu semel et iterum salus impetrata religiosiores fideles effecisset. » Adisis Baronium ad eumdem annum 1144. Extat Bernardi epistola ordine 175, in qua istius.

Digitized by Google

Patriarchæ litteris præventus, sacroque illo pignore donatus, memorem pro utroque isto honore ac gratum se exhibet. Sed epistola illa multum abludit ab anno 1144, quæ circa ann. 1135, data notatur in editione Mabillonii. Patriarcha vero iste est Willelmus Gallo-Belga, sicut dicitur ibidem in notis, ex eremita Turonensi patriarcha Jerosolymitanus ab anno 1130 ad annum 1145. Plura de illo patriarcha in eisdem notis sequuntur.

§ XXXIV. *Arnaldus Brixiensis hæreticus; impletum S. Bernardi vaticinium præsertim tempore Eugenii PP. III, ejus electio, et elogia; Bernardi ad ipsum litteræ.*

361. Superius in fine paragraphi 29 de isto furioso nebulone nonnulla breviter sunt præmissa : cujus effrenatam rabiem adversus omnem passim ordinem ecclesiasticum S. Bernardus prænuntiarat, prout ibidem observatum est occasione Petri Abælardi; id quod revera maxime patuit, fuisse impletum sub Pontificatu Eugenii papæ III, ex ordine Cisterciensi ad Petri cathedram anno 1145, evecti. Imaginem itaque Arnaldi Brixiani citato paragrapho promissam, atque huc transmissam vivis coloribus depingamus ex Ottone Frisingensi lib. II De gestis Friderici I imperatoris cap. 21, col. 719 editionis novissimæ Mediolanensis, tomo VI inter rerum Italicarum scriptores: « Arnoldus, ait, quidam Brixiensis, de quo supra dictum est sub typo religionis, et, ut evangelicis verbis utar, sub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi, nimirum Romani pro senatu contra pontificem stantis, animis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit, imo seduxit multitudinem. Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque ecclesiæ clericus, ac tantum lector ordinatus, Petrum Abælardum olim præceptorem habuerat : vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio quam sententiarum pondere copiosus : singularitatis amator, novitatis cupidus : cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona.

« Is a studio a Gallis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia laceratis, omnia rodens, nemini parcens; clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de sacramento altaris, baptismo parvulorum non sane dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem Ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius, prurientes erga clerum aures habentibus, ecclesiasticas malitiose exponeret paginas, [*al.* personas] in magno concilio Romæ (anno 1139) sub Innocentio habito, ab episcopo civitatis illius, virisque religiosis accusatur. Romanus ergo pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit; sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad transalpina se contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit.

362. « Comperta vero morte Innocentii, circa principia pontificatus Eugenii Urbem ingressus, cum eam contra Pontificem suum in seditionem excitatam invenisset...., amplius eam in seditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consulto, et ex juvenum animorum fortitudinis ordine et integritate totum orbem terræ suum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare pontificem; sufficere sibi ecclesiasticum judicium debere. In tantum vero hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solum nobilium Romanorum, seu cardinalium diruerentur domus, et splendida palatia; verum etiam de Cardinalibus reverendæ personæ, inhoneste sauciatis quibusdam, a furenti plebe tractarentur. Hæc et his similia, cum multis diebus, id est, a morte Cœlestini, usque ad hæc ab eo incessanter et irreverenter agerentur tempora, cumque sententia pastorum juste in eum et canonice prolata, ejus judicio tanquam omnino auctoritatis vacua contemnerentur; tandem in manus quorumdam incidens, in Tusciæ finibus captus, principis examini reservatus est, et ad ultimum a præfecto urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne a stolida plebe corpus ejus venerationi haberetur in Tiberim sparsus. » Habes hic lector, Arnaldi Brixiani imaginem genuinis coloribus depictam: ut vere et apposite prædixerit Bernardus, pessima ac seditiosa ejus molimina quasi e specula prævidens, ac paucis multa complectens, dum in epistola sua ordine 195, illa de eo usurpavit : « Videbitis hominem aperte insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, et in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. »

363. Enimvero turbulentæ illius Arnaldistarum factionis occasione obiit Lucius papa II, qui Cœlestino II proxime successerat, rem illam pluribus exponente Baronio ad ann. 1145, in principio. Eadem autem occasio, quæ Lucium e medio sustulit, sine mora in defuncti locum extulit novum successorem. « Non vacavit sedes, » sicut ibidem pergit Baronius, « sed repente (ut ait S. Bernardus in epistola 237 editionis Mabillonianæ) ob periculum imminens fuit successor electus. Etenim post obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos Arnaldistas, convenerunt unanimes cardinales metuentes in ecclesiam monasterii sancti Cæsarii, illicque Dei nutu, haud de

Digitized by Google

gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex cardinalibus in Romanum pontificem : sed convertentes oculos in abbatem monasterii S. Anastasii Triumfontium, ordinis Cisterciencis, eidem haud pridem sub Innocentio papa II, a S. Bernardo præfectum, Bernardum itidem nominatum, patria Pisanum, virum probitate insignem, et prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempore perditissimo, quo hujuscemodi bello civili Urbs flagraret, putarunt fore aptissimum : quem cum sagacissimum fuissent experti, pari consensu summa concordia elegerunt. » Annalium Cisterciensium scriptor cap. 1, num. 1 : « Industriæ viri delatum, ac sanctitati, in dubio est. Baronius raro incertos auctores sequens, ad utramque respectum haud dubie tradit : cæteri solam sanctimoniam hominis, alias simplicis, et ad negotia gerenda minus apti, sinon unctione magistra edoceretur. » Hæc ille. Verba Baronii jam statim protulimus.

364. « Cæterum alii, inquit idem Manricus n. 5, industriam viri enervant, et soli sanctitati cuncta ascribunt. » Inter alios vero, qui ibidem allegantur, ita de illo loquitur S. Antoninus part. II, titulo 17, cap. 1, § 7 : « Hunc, cum antea simplex esset, Deus mirabili gratia perfudit et elegantia. » Sed Manricus utramque, naturæ videlicet et gratiæ, prærogativam ei tribuens, « Crediderim, ait eodem n. 5, hominis alias industrii prudentisque columbinum candorem præcelluisse, nec se voluisse extendere ultra monachum, dum intra ejus professionis fines continebatur : Pontificem relaxasse habenas propriæ industriæ, quæ nihilominus divinitus afflata, etiam ultra mortalem prævolaverit : quod multa ejus gesta testificantur. » De consecratione laudati pontificis scribit Baronius modo citatus. Animadversione præterea dignum censet Manricus num. 7, quod Baronius omisit, et auctor Chronici Belgici, cujus locum et verba dat, adnotavit : « cum aliqui Cardinales forte quia electum constantiorem quam optassent experiebantur, ejus vellent infringere electionem, sanctum virum nec cecidisse animo, nec sese facile illis concessisse : quin anathemate indicto in novatores, restitisse viriliter, ac irritos conatus evacuasse. . Sic, qui electoribus antea vix acquieverat, refragantibus obstitit ; et ut nequaquam eligi ambivit, sic neque electus deponi passus est, humilis æque ac constans, neque minus a pusillanimitate recedens, quam a superbia. » Hæc plusculum de dignissimo Christi vicario deducere placuit, quia discipulus, quia amicus, quia filius Bernardi fuit, atque adeo gloria etiam exstitit sanctissimi Patris : qui libros de consideratione eidem inscripsit. Ejusdem tum abbatis epistolam ad Bernardum habes apud Mabillonium ordine 344 ; item ipsius jam Papæ aliam, epistolæ 273 Bernardinæ præmissam.

365. At quid dicam de Bernardi ad eum litteris quas plane aureas vocat Baronius ad annum 1145 num. 4, atque Annalibus suis ibidem num. 5 et seqq. integras inseruit ? Nonnulla ex iis in usum meum convertam, postquam præmisero sequentem de eisdem notitiam ex historico Cisterciensi cap. 2. Efferata Arnaldistarum rabies quotidie gliscens, et ingruentia negotia Urbis et orbis detinuerunt pontificem, quo minus suo olim Patri, sed jam tunc filio, et semper amantissimo Bernardo mutationem in se, et de se factam renuntiaret per litteras, ut secum aut doleret, aut gratias ageret. At Pater sanctus, qui filii principatum, dudum vulgante fama, rebellionem in ipsum nondum noverat, cum sustinuisset desideratum nuntium, litterasve, quibus Bernardum mutatum in Eugenium.., et se filium vocari gratanter legeret, et alias Cantuariensis archiepiscopi adversus Eboracensem litigantis (contra quem etiam pro Henrico Murdacensi discipulo Bernardi adhuc stabat) precibus urgeretur ; rupit tandem silentium ipse prior, » novum Pontificem laudata superius epistola compellans, quæ apud Mabillonium est ordine 238. En tibi quædam ejusdem fragmenta.

366. Tantum itaque sibi filium, imo jam patrem gratulatur, de ejusque gubernatione omnia undequaque fortunatissima exspectat : « Quia, inquit, semel cœpi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus est in filium. Qui post me venit, ante me factus est : sed non invideo : quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non solum post me, sed etiam per me venit. Nam si dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quæ est ergo spes nostra, et gaudium nostrum, et corona gloriæ ? Nonne vos ante Deum ? Denique filius sapiens gloria est patris. Amodo tamen non vocaberis filius ; sed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, et multi in mutatione ista gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham, Jacob in Israel ; et, ut de tuis magis prædecessoribus tibi proponam, sicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum : sic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorsus et utili, ut speramus, translatione promotus est. Digitus Dei est iste, suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. »

367. Nec vero S. Bernardus adeo omnem, quam in filium quondam suum habuerat, auctoritatem exuerat, ut, dum ad ipsum hasce daret litteras, præclara quædam monita non adjungeret libere ac paterne gratulationibus suis : nam ita continuo prosequitur : « Superest, ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque, quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, et jam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Intellige, quæ dico : dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem, nil tuum in ea.

Digitized by Google

vindicans, nisi quod pro ea, si opertuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse : et ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut præfatus sum. » Deinde, nonnullis interjectis, varios vir sanctissimus induit affectus, gaudii videlicet, timoris ac terroris : ergo, inquit, fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædecessorum tuorum a multis retro temporibus visa est habuisse, exsultat merito ubique et gloriatur in Domino omnis ecclesia sanctorum : sed specialiter illa, cujus uterus te portavit, et cujus ubera tu suxisti. Quid ergo ? Nonne et mihi licet gaudere cum gaudentibus ? Nunquid non ero unus de numero lætantium ? Exsultavi, fateor, sed cum tremore : exsultavi, sed in ipso exsultationis meæ articulo timor et tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui : sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, et casum vereor : considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum...

368. « Et quidem elegeras abjectus esse in domo Dei tui, et recumbere in novissimo loco in convivio ejus ; sed placuit dicere ei qui te invitavit : Amice, ascende superius. Itaque ascendisti in altum ; noli altum sapere, sed time, ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem. A facie iræ et indignationis tuæ, elevans allisisti me. Aliorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem ; sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus principis apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Si forte declinaveris a via Domini ; sepultus est in eodem loco, ut sit tibi contra te in testimonium... Hæc hactenus. Cæterum causa, quare ante tempus scripserim vobis, hæc est. » Synopsim ejusdem jam præmisimus huic epistolæ ex Manrico.

369. Causa itaque exposita, significat S. Bernardus, quidnam optet Ecclesiæ, ac novo ejus pontifici : ac postremo hortatur illum ad fortes magnosque animos, nec non ad jugem mortis memoriam, his verbis epistolam suam concludens : « Confortare igitur, et esto robustus ; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi constantia et vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam et tulit de manu Amorrhæi in gladio et arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, et timor ejus, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum pontificum mortes tuis oculis aspexisti ! Ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum A nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua : quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. » Atque hæc quidem sunt, quæ huc transcribenda putavi ex insigni illa et paternis affectibus plena Bernardi ad Eugenium epistola.

370. Illud autem « Quantorum in brevi Romanorum pontificum mortes tuis oculis aspexisti ! » illud, inquam, occasionem dedit Horstio quærendi, cur vitæ pontificum Romanorum sint adeo breves. Meretur audiri ejus notatio in præsentem epistolam, quæ habetur apud Mabillonium in notis prolixioribus ad epistolas S. Bernardi col. LXXII. « Mirum non immerito videri possit, quid sit, cur tam brevis ævi sint D Romani pontifices, ut solus Petrus putetur annum vigesimum quintum attigisse ; plurimos paucis annis, aut paucis mensibus, imo non multis diebus superstites, mors præmaturâ rapuerit, cum videamus imperatorum et regum plurimos multo longioris ævi fuisse ? Res omnino digna disquisitione. Sed quis novit sensum Domini ? Video tamen eamdem quæstionem B. Petro Damiani propositam ab Alexandro pontifice, quam ille diligenter tractat, et edisserit, ut legi omnino digna sint quæ scribit. Vide inter epist. lib. I, epist. 17, alias Opusculo 23. *Aliquando*, inquit, *a me sollicite requisistis, quæ mihi causa videatur, cur apostolicæ sedis antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium diem* C *claudat extremum ; adeo ut post divum Petrum apostolum, qui per 25 circiter annorum lustra præsedit, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit. Modernis imo temporibus vix quisquam ex prædictæ sedis culmen evehitur qui metam quatuor, vel, ut multum, quinque transcendat annorum. Quod considerantibus nobis, prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur : quoniam hæc breviter vivendi necessitas in nulla alia totius orbis Ecclesia reperitur. Sed in quantum mortalibus divinæ dispensationis revelatur arcanum, videtur nobis quia idcirco hoc judicii cœlestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat, et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat.* etc. Angustis D quidem limitibus Pontificum Vitas inclusit Damianus, fateor, dum ultra quatuor aut quinque annos non extendit : in breviores tamen mihi videntur coarctatæ, si pontificum historiæ consulantur. Rectissime igitur S. Bernardus hac epistola hortatur Eugenium, ut ex brevissimo suorum prædecessorum dominatu, suum quoque suspectum habere discat. » Ita ibi. Porrò epistola, quam S. Bernardus scripsit ad purpuratos Patres qui Eugenium elegerant, elegans etiam, ac variis affectuum characteribus expressa legi potest in ipso fonte.

§ XXXV. *Eugenius PP Viterbium secedit, eo sacris operante coram Armenis miraculum ; scripta S. Bernardi contra episcopum Eboracensem intru-*

Digitized by Google

sum ; domestica quædam negotia ; famosi Nicolai Arremarensis, ambitio, etc.

371. Annalium Cisterciensium collector cap. 3, tractat de Arnaldi Brixiani in Urbem ingressu, ac plebe ibidem ab ipso concitata. Nos de turbulenti hujus hominis facinoribus jam supra satis diximus. « Ast Eugenius (ita pergit idem auctor num. 3) insanientium Romanorum civium furorem devitans, secessit Viterbium : ubi usque ad finem anni commoratus, non tam cedere, quam dare locum iræ visus est, cum efferbuerit [*f.* deferbuerit], facilius compescendæ. Percussit tamen prius anathemate Jordanem et socios ; ac Tiburtinos, Romanorum antiquos hostes, auxiliares adscivit, per quos vexati facilius resipiscerent. » Videatur Ottonis Frisingensis Chronicum lib. VII, cap. 31. Sed de his, inquit Manricus, suo tempore dicemus. Interim quo tristibus lætiora miscerentur, atque utraque se mutuo temperarent ; mutata scena affertur ab ipso locus ille Annalium ecclesiasticorum apud Baronium ad hunc annum num. 27. Accidit secundum illud divinum oraculum veritatis ore pronuntiatum de prædestinatione sanctorum : « Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob, et filii regni ejicientur in tenebras exteriores ; quod, dum Romani resiliunt, accurrant populi e longinquo ; cum negant isti, qui prope ; profiteantur, qui longe sunt posiți, ut ita saltem erubescant omnes, qui oderunt Sion. » Varias porro ad sedem apostolicam externarum gentium legationes commemorat idem Annalium ecclesiasticorum parens ad hunc annum, nec non Manricus cap. 3 citato. In rebus autem, quæ accidisse narrantur, hoc miraculum illustre videtur a nobis non prætereundum, quod ex Ottone Frisingensi refert Baronius ; sed nos illud in pauciora contrahemus nimiæ prolixitatis vitandæ gratia.

372. « Tunc quoque temporis, ait Baronius n. 29, cum Viterbii Eugenius consisteret, Orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, prout ab eo, qui præsens aderat, Ottone, qui et ea, quæ vidit, etiam fidelissime scripsit, refertur : » e libro itaque ipsius Ottonis septimo, cap. 32, delibamus ista : « Ea tempestate legati Armeniorum episcoporum, eorumque metropolitani... legati ab ultimo pene Oriente summum pontificem Viterbii... adeunt, eique ex parte illius ecclesiæ subjectionem omnimodam offerentes, causas viæ nobis cum aliis multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt... Inter ipsos et Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam ; in aliis vero discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem (quod refellitur apud Pagium ad annum Christi 1145, num. 8) sicut illi ; aquam autem vino non admiscent, sicut nos et illi... Pro his et aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt. Quos Romanus antistes gratanter suscipiens, missarum solemniis ac sacrificii secretis adhibuit, diligenterque ea, quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit.

373. « Quod dum facerent... unus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio ecclesiæ beati Petri celebrari solet, summo pontifice divina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput ejus coruscare, et in ipso duas columbas ascendentes et descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis, quæ viderat, aperuit. At venerabilis pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat, ut videlicet ecclesia, a qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia et forma tractare deberet, addisceret. » Hactenus Otto Frisingensis, quæ ab ipso descripta eo lubentius huic Commentario nostro inteximus, quod non modica in Eugenium papam quo sacris operante insigne illud prodigium accidit, venerationis commendatio, ac proin in ipsum etiam Bernardum derivetur : nec non in sacram ejus familiam Claravallensem.

374. Annalium Cisterciensium conditor ad præsentem annum cap. 4, num. 1, Eugenii papæ pro fidelibus in Oriente sollicitudinem exhibet, quæque tum ab eodem pontifice, tum a Christianis principibus, tum ab ipso potissimum Bernardo pro expeditione belli sacri, ac terræ sanctæ defensione sint peracta, enarrare deinceps pergit. Sed quia idem argumentum intexit annis non unis sequentibus, eisdemque intertexit alias res, quæ ad illam materiem non spectant ; videmur melius consulturi rerum tam memorabilium intelligentiæ, ordini eventuum, ac narrationis modo, si, quæ ipse ob rationem temporis disjunxit, atque aliis historiis interrupit, nos eodem sermonis fluxu simul conjungamus, ac facta annis diversis sub uno veluti conspectu repræsentemus ad annum Christi 1146 et sequentes : quo lectorem mittimus. De pace cum Romanis inita ab Eugenio papa deque conditionibus ejusdem ac gaudio communi, quo idem pontifex Romæ sit susceptus, consuli potest Manricus cap. 4, citato, num. 10 et 11. Pergamus interea temporis ad cap. 5 anni 1145, laudatorum Annalium ; quod ita auspicatur Manricus :

375. « Interea Bernardus, qua pietate in suos, quo zelo in publicum bonum agebatur, cum a Theobaldo archiepiscopo Cantuariæ, cum a primoribus Anglicanæ Ecclesiæ viris, contra Willelmum Eboraci intrusum, pro filio Henrico sollicitaretur ; cum causam diu cœptam et agitatam, trium Pontificum morte necdum discussam, in pendenti adhuc esse, nec sine gravi justitiæ detrimento, atque ipsius Ecclesiæ, consideraret ; secundam epistolam ad Eugenium papam scripsit, acrem et vividam, ac aperte

Digitized by Google

propalantem, quod in priori latentius insinuarat; succidendos nimirum ramos inutiles, atque arbores infructuosas evellendas. » Et mox ibidem num. 2, epistola recitatur. Est ordine 239, apud Mabillonium. « Eugenius vero pontifex, ut dicitur num. 4, apud Manricum, statu causæ cognito, qui integer a morte Innocentii conservabatur, prædecessoris sui sententiæ deferens, juramento decani Eboracensis, quod Guillelmus instantissime petierat, suis litteris standum confirmavit; ut, nisi ille capitulum intrusionis, quod Guillelmo inter alia opponebatur, juramento amoveret, electio irrita et nulla declararetur. Decanus primum judicio se subtrahere, simulare ignorantiam, colloquia fugere : demum cum per censuras compelleretur, quamvis Guillelmo ex animo faveret, plus tamen veritati et religioni tribuens, quam amicitiæ, tandem virum intrusum iterum pronuntiavit, iterum dixit, atque electionem cassam irritamque electioni Henrici post habendam.

376. Tunc Willelmus jugulatus suo mucrone, et arma propria in se conversa videns, ad posteriores Innocentii litteras, veras aut fictas, censuit confugiendum, et facessit negotium Eugenio nova cautela, ut jam exinde ad Bernardum Patrem scriberet, zelare se pro ecclesia Eboracensi, et velle idolum illud de medio tollere; sed nihilominus dubium adhuc hærere, qua via congruentius dejiceretur. Tunc sanctus Pater constans pro veritate, constans pro filio, sed nihilominus zelans pro Innocentio, qui in suis litteris notaretur duplicitatis, denuo contra Willelmum stylum vibrans, et pontificem roborans, vel ex his bonis, quæ ab ipso facta audierat, talem ad eum epistolam scripsit. » Habetur apud citatum modo editorem ordine 240, sed ibidem aptatur anno Christi 1146. Votis Bernardi respondit eventus. Quippe Eugenius « causæ meritis, et Bernardi instantia victus, tandem Guillelmum fore destituendum, substituendum Henricum adjudicavit. Quin et ad se vocatum sacratumque, mox etiam pallio ex more cohonestavit; cohonestatum remisit Eboracum, » inquit Manricus num. 7, qui etiam deinde refert, quænam sint sacrilege acta a depositi fautoribus; de qua re exstat epistola S. Bernardi in editione Mabillonii ordine 252, cujus ad illam consulat lector notationem, et signatur anno Christi 1147.

377. Historicus Cisterciensis cap. 6, ad privata quædam et domestica ordinis sui negotia scribenda calamum admovens, sermonem instituit de Petri Bernardi, ad Petri cathedram assumpti, successore in præfectura SS. Vincentii et Anastasii Romæ. Fuit is Rualenus : verum ægre Bernardus, sicut ibi narratur, num. 2 et 3, « charum sibi filium, quem præ aliis tenerius diligebat..., tulit... a se avelli, maxime renitentem, orantemque, ut quiescere in paterno sinu permitteretur. Sed vicit tandem obedientia summi pontificis... Verum cum Romæ in sententia permaneret Rualenus, segnis aut humilis, neque animum mutaret simul cum loco, neque blandimentis sive exterius aulæ..., seu præfecturæ interius se permitteret; quin instanter per litteras, per nuntios, Bernardum Patrem pro missione obtinenda sollicitaret; ipse sanctus paterno illi affectu de more condolens, sed nihilominus Eugenio Papæ deferens, cujus præcipue electione illuc advenerat, talem ad eum epistolam scripsit, » ordine 238, qua illum ad se remitti rogat. Sed accidit, ut Eugenius « non solum petitionem non admiserit; sed severius scripserit Bernardo, quasi nolenti sibi complacere. Tunc Abbas sanctus silentium Rualeno, silentium sibi imponens in hoc negotio, et Rualeno et Eugenio iterum scripsit; hujus, ut obedientiam voluntariam fuisse monstraret; illi, ut faceret, » sicut dicit Manricus, num. 5. Sunt epistolæ 259 et 260.

378. Laudatus historicus, cap. 8, scribit de felici obitu venerabilis Humberti, monachi Claravallensis, qui in manibus S. Bernardi exspiravit, et de quo vir sanctus sermonem habuit ad fratres, meritis laudibus virtutes ejus extollens. Habetur inter alios ipsius sermones in editione Mabillonii, col. 1066 et sequentibus; sed illigatur anno Christi 1148. Vide notas ibidem. Ejusdem historiæ auctor, dicto cap. 8, n. 10 : « Hoc ipso anno, inquit, quantum ex serie scriptorum, et vitæ ipsius licet colligere, Bernardus Pater, interruptis sermonibus in Cantica, in gratiam monachorum in Quadragesima, explicandum suscepit psalmum *Qui habitat;* quem decem et septem sermonibus absolvit. » Exstant aliis sancti sermonibus intexti apud laudatum Mabillonium, col. 827 et sequentibus; sed habiti signantur sub annum 1140, ut videre datur in notatione ad sermonem sextum.

379. Annalium Cisterciensium caput nonum constat e longa admodum narratione, quæ hominis cujusdam hypocritæ subdolas artes, ut in S. Bernardi familiaritatem et usum intime se insinuaret, atque hac via magnam sibi nominis gloriam, cujus erat avidissimus, compararet, lectori repræsentat. Tametsi autem non adeo multum nostra intersit, si omittatur a nobis ista historia; quia tamen naturalem quamdam cum rebus gestis sancti abbatis connexionem habet, aliquam ejusdem partem ex Manrico in compendium cogimus. « Nicolaus Arremarensis ætate juvenis, aspectu decorus, moribus aut compositus aut fictus; sed ingenio et eloquentia pene usque ad miraculum; quem propter hæc Venerabilis Petrus Mauricius in deliciis, reliqui in admiratione etiam haberent..., cum Eugenium in summa Ecclesiæ sede, Bernardum Patrem in summa æstimatione... conspexisset, Claramvallem adeundam sibi proposuit... Bernardum Patrem jam senio et morbis gravem, ac supra vires implicitum negotiis... indigere notario, qui phrasim gravem, qui sacrorum librorum inversa loca, qui dulcem ejus stylum imitaretur : se, si quem alium, aptum ad hoc munus... Huic ministerio si semel admittatur, ex quotidiano usu habi-

Digitized by Google

florem, ex majori notitia utiliorem, et pene necessarium, brevi consecuturum, quod exoptabat, innotescere orbi per sanctum Patrem... Hæc Nicolao fingendæ conversionis occasio unica, hic simulandi perfectioris vitæ ardoris scopus fuit. Sed timuit detectorem Bernardum ficta devotio, et melius se putavit posse latere, si ad filios ejus primo, ut simpliciores; dein per ipsos ad sanctum referretur.

380. « Ergo quæsito colore videndi socios... seu visitandi sanctam illam domum... illuc advenit, dum Bernardus abesset... Ibi quasi qui subito incaluisset, sancta servorum Dei conversatione attractus, mirari vitam, collaudare viros..., et se infelicem, qui tanto bono careat. Si admitteretur sanctorum societati, vel in vita beatum prædicabat. Auderet utinam sperare, utinam petere!... Hæc et similia per conventum primo sparsa, dein priori senioribusque dicta, adeo gratanter cuncti suscepere, ut, quo minus petentis votis annuerent, sola Bernardi absentia detinerentur... Illud tandem consilium omnium fuit, ut interim Arremarum reversus, in prima vocatione sua perseveraret, quoadusque per Claræ-Vallenses Bernardo reduci, et per Bernardum Venerabili Petro vocatione insinuata, probataque, convenirent suffragia... Itaque a Claravalle discessit non sine lacrymis, veris an fictis quis audeat judicare? At cum Bernardum negotia detinerent ultra consuetum, quietis impatiens... homo vafer et callidus, per speciem religionis vitia dissimulans, primum quidem venerabili Theobaldo Arremarensi priori persuasit, ut idem peteret. Dein cum ipsum et propositi socium, et precum haberet coadjutorem, hanc ad seniores Claravallis scripsit epistolam, captandos ex stylo, sive quia ad ipsos efficax et acer, sive quia levando parenti utilis foret. » Ejusdem epistolæ exemplar deinde ibi sequitur; quo recitato, aliisque nonnullis enarratis, quæ ibidem legi possunt, memorantur ea, quæ jam voti factus compos in cœnobio Claravallensi egit, ut præfixum sibi scopum obtinendi magni nominis consequeretur.

381. « Ingressum Claramvallem astutum juvenem... conciliarunt sancto abbati probi in speciem mores, modestique, ingenium acre et vividum, stylus dulcis, et se, quacunque vellet, facile flectens, tum... juge obsequium : quæ omnia ab aliis probata laudataque, maxime a Petro abbate Cluniacensi, cujus judicio multum deferebat, Nicolaum valde Bernardo commendabant. Et latebat fortassis inter hæc ipsa proprii amoris scintillula, dum vir appetens otii et solitudinis, inveniebat in ipso, cui ardua etiam negotia posset committere. Hinc patuit via ad ejus desiderium, cum sanctus Pater in multis uteretur calamo Nicolai, atque ipsius exemplo etiam alii. Ex quibus brevi innotuit per totum orbem... Sic Nicolaus, quod adeo concupierat, celebre nomen... acquisivit in brevi. » Hæc et plura alia de isto hypocrita collegit Maurieus ad annum præsentem 1145, cap. 9, ubi n. 13, (et post eum Pagius in Critica ad annum, 1146, n. 13,) affirmat fraudulentam ipsius conversionem innectendam esse anno 1145, corrigens Baronium, «qui Nicolaum sequenti anno detectum atque delatum ad Eugenium papam putat; cum tamen multo posterius se prodiderit, ut tota historiæ series palam faciet,» inquit idem historicus Cisterciensis. «Neque credibile, ut recte scribit Pagius citatus, Nicolaum tam cito falsarium a S. Bernardo deprehensum, et tamen non statim a suo obsequio dimissum.» Atque hæc quidem de illo impostore hactenus, quorum postea juvabit meminisse, uti et aliorum, quæ hisce attexo, ad pleniorem notitiam historiæ Bernardinæ, in qua partes suas nequiter ac fraudulenter egit, alibi postmodum in eadem recursurus

382. Ducem sequor eruditissimum Mabillonium, qui in præfationis suæ parte altera in tomum III operum S. Bernardi, varia de Nicolao isto famoso curiose notavit a pag. 712, quæ ex Maurico dicebam de moribus ac naturæ dotibus, ita refert Mabillonius : « Erat Nicolaus natione Francus, ab ineunte ætate monachus in monasterio Arremarensi [vulgo Montier-Ramey] diœcesis Trecensis, quatuor ab ipsa civitate leucis. Vir fuit ingenii facilis, versatilis, facile in aliorum affectus influens, litteris pro tempore apprime excultus, aliis erudiendis apud suos Arremarenses præfectus; charus viris ea ætate præcipuis, Attoni Trecensi episcopo, Petro Venerabili abbati Cluniacensi, Petro Cellensi, Henrico Ludovici Junioris fratri; aliisque. » De admissione ejus in Claramvallem mox agit Mabillonius; sed de ea re satis jam supra dictum est. Circa « notarii officium ipsi commissum, » idem Mabillonius, « Plures, ait, erant Bernardo notarii, ob varia, quæ subinde ad ipsum referebantur, negotia. Præcipuus erat Gaufridus, cui adjunctus fuit Nicolaus. » Illa vero, quibus ipsemet ibidem describit suum museum, argumento sunt auctori dictæ præfationis, «Nicolaum etiam sub se notarios habuisse.» Non transcribo autem quæ in eadem præfatione narrantur de librorum commercio, de recusatione tunicæ, ad amicum, quam is ad ipsum transmiserat, remissæ, quasi parum ordini suo convenientis; de epistolis denique, quibus amicos frequentabat; de his quippe facile patior consuli a lectore præfationem laudatam Mabillonii; ita tamen, ut nonnulla ex illa delibem, quæ ad nostrum propositum, atque adeo ad Bernardi historiam magis prope conducunt. Sunt autem ista, quæ habentur col. 715 et seq.

383. « Petro Venerabili abbati Cluniacensi... ad delicias usque amicus erat Nicolaus, quem identidem Bernardus ad eum mittebat, ut mutua cordium arcana et reciproci affectus apud hunc sequestrum deponerentur. Qua de re legenda Petri epistola, quæ est ordine 264, inter Bernardinas. Sed tandem accidit, o mortalium infelix conditio! ut Nicolaus Bernardi indulgentia et facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteraverit, demum in horrendam prolapsus defectionem, quam dubium est, an unquam serio emendarit. De sigillo vitiato Bernardus,

Digitized by Google

tacito Nicolai nomine, quæ sancti viri charitas erat, Eugenio significavit epistola 284 : *Periclitati sumus in falsis fratribus, et multæ litteræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum venerunt; et (quod magis vereor) etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse.* Ejusdem funestum casum deplorat in epistola 298, ad eumdem Eugenium, non jam dissimulato (quod publicum crimen erat) auctore. *Nicolaus ille exiit a nobis, quia non erat ex nobis : exiit autem fœda post se relinquens vestigia, et ego longe ante hominem noveram : sed exspectabam, ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet... Quod et factum est. Præter libros, denarios, et aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum prioris, tertium nostrum... De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, et factæ sunt omnibus in parabolam, supersedeo polluere labia mea et vestras aures.* Addit Bernardus, eum, si ad curiam Eugenii, uti is jactaverat, pergere audeat, dignum esse, si quis alius, perpetua inclusione. Accidit vero iste lapsus in annum 1151, ut patet ex memorata Bernardi epistola 298, ad Eugenium eo anno scripta; et ex epistola 388, quæ est Petri Venerabilis, de electione Gratianopolitana, eodem anno facta, qua in epistola Nicolaus, uti Bernardo et Petro adhuc charus, ac fidelis amborum internuntius laudatur. »

384. Nicolaum porro hunc ab alio synonymo Anglo distinguendum esse, observatur in sæpe dicta præfatione his verbis : « Omnes existimant ipsum profugisse in Angliam, ac se recepisse in S. Albani monasterium, eumque esse Nicolaum, qui Bernardi jam demortui de conceptione Deiparæ sententiam traduxit, impugnavitque, atque Petrum Cellensem adversarium habuit. Et Nicolaus quidem vocabatur iste; sed Anglum fuisse, constat ex duabus ad illum Petri epistolis, quæ sunt libri sexti epistola 23, et noni epistola 10, » quarum verba ibidem producuntur. « Atqui ex superioribus constat Nicolaum Clarævallensem ante suam fugam Petro maxime notum ac familiarem, nec Anglum exstitisse, sed Gallum aut Francum : ac proinde ab illo Anglo distinguendum.

385. « Sed quo ergo, inquis, Nicolaus Francus se recepit? Post varios hinc inde discursus, constitit tandem in suo Arremarensi monasterio, cum Bernardo e vivis erepto ibi tuto sibi vivere licuit ac securo. » Probationes videri possunt in Præfatione eadem; in qua etiam asseritur, quid rei, quamve personam in Arremarensi monasterio ageret, e Nicolai verbis. « Ita ergo, inquit Mabillonius, apud Arremarenses agebat Nicolaus, ut esset sui juris. Misera sane conditio hominis, qui Bernardi discipulus ac notarius fuerat! Sed quis miretur, cum angeli ex cœlo ipso deciderint? In hoc vero maxime vanitatem suam prodit, quod de multitudine amicorum, uti alias etiam solebat, gloriatur. » Epistola autem, quæ ibi affertur ad hoc probandum, etiam indicio est, « Nicolaum ex Campania... ortum fuisse; sed lapsus ejus causam non aliunde, quam ex gloriola et superbia, quæ plerosque dementat, repetendam... Ex his omnibus apparet, quis fuerit Nicolai genius, nempe vanus, inconstans, inquietus, de qualibus vix unquam quidquam boni sperare liceat. Cæterum qualis ejus exitus fuerit, ignoramus. » Sed jam tempus est, ut post hanc excursionem revertamur ad propositum.

§ XXXVI. *Opera publico Ecclesiæ bono ac Sedi Apostolicæ navata; synopsis eorum, quæ vir Dei gessit ac passus est pro bello sacro.*

386. Venerabilem Petrum Mauricium, abbatem Cluniacensem, anno Christi 1146, Romam sese contulisse ad Eugenium papam memorant Annales Cistercienses ad hunc annum cap. 1. Exstat S. Bernardi epistola 277 ad eumdem Christi Vicarium, qua summo cum benevolentiæ affectu ipsum commendat. « Romam tandem pervenit venerabilis abbas, » uti scribit Manricus ibidem num. 6, « ubi ad Eugenio non benigne tantum, sed etiam reverenter susceptus est, velut quem de universa Ecclesia bene, de Cistercio ad initio optime meritum, etiam Bernardo tacente, non ignorabat. » At de Petro ibidem plura. Laudati Annales cap. 3, num. 1, referunt secundam Eugenii Papæ ex urbe Romana fugam, ejusque adjuncta. « Dum orbem, inquiunt, pontifex ex Urbe moderatur, et nunc per se, nunc per strenuos legatos cunctis provident. Urbem rebellem iterum expertus, iterum cedit; et qui modo cum ramis atque hymnis susceptus fuerat, vix tribus ex tunc mensibus exactis, lapidibus blasphemiisque impetitus in fugam agitur. » Deinde num. 3 ista dicuntur : « Dum hæc secunda Romanæ urbis seditio, vulgante fama et amicorum litteris, Claramvallem ad Bernardi aures venisset (quamvis Baronius ad priorem refert) accensus, quo solebat, justitiæ zelo, et calamum velut gladium vibrans, primum ad eos, arguens, rogans, increpans : sed mox etiam ad Conradum imperatorem scripsit, per quem, si forte obstinati perseverarent, nihilominus armis compescerentur. » Epistola quam dedit ad Romanos, habetur inter Bernardinas a Mabillonio recusas, ordine 243, quam proxime ibidem sequitur alia Conrado inscripta : utraque ibidem aptatur anno Christi 1146, utraque item præbet incensissimi studii, quo vir sanctus in publicum Ecclesiæ bonum, ac sedem Petri flagrabat, luculentum argumentum, prout perspicuum erit easdem legenti. Pagius ad præsentem annum Christi 1146 ambas illas epistolas spectare, etiam observat ibidem num. 1, contra Baronium, qui illas anno præcedente recitat.

387. Promisimus paragrapho proxime prætergresso, acturos nos hoc anno et sequentibus de sacra christianorum principum adversus infideles expeditione in oriente, idque sub uno, quo res magis eluceat, narrationis tractu : nunc autem fidem solvimus, præmittentes ea, quæ compendiose scribit Mabillonius in sua Præfactione generali, § 7, quæque

Digitized by Google

ad instar synopseos servire possunt ad longiorem hujus historiæ narrationem, quam § proximo inchoabimus, summatim intelligendam. « Inter extremos, inquit, Bernardi, labores censenda est prædicatio sacræ expeditionis in terram sanctam : quæ res quantum sudoris, quantum molestiæ ipsi attulerit, ex ejus Vita et scriptis facile intelligere licet. Hujus expeditionis occasio, ut ex Ottone Frisingensi discimus, nata est per Ludovicum Juniorem Francorum regem ; qui ad loca sacra pergendi desiderio pressus, quod germanus suus Philippus, eodem voto adstrictus, morte intercedente exsequi non potuerat, consilium suum regni principibus aperit. Hi Bernardum consulendum decernunt. Accersitus abbas sanctus, tanti momenti negotium ad Romani pontificis examen referendum censet. Id magnopere laudavit probavitque Eugenius *auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa.* Patet tandem apostolicis litteris Bernardus, et excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, Ludovicum regem apud Vizeliacum cruce signat cum Theodorico Flandrensi, et Henrico Theobaldi Blesensis filio, comitibus aliisque baronibus et nobilibus.

388. « Interim Radulfus quidam monachus crucem itidem dum in Germania prædicat, Christianos in Judæorum necem accendit. Hominem litteris repressit Bernardus, atque ipsemet sacræ expeditionis prædicationem aggressus est in orientali Francorum regno, hoc est in ea Germaniæ regione, quæ ad Rhenum sita est. Hinc Conradus imperator generalem conventum Spiræ indixit : quo Bernardus profectus, *principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque principibus et viris illustribus crucem sumere persuasit, plurima in publico vel occulto faciendo miracula.* Fridericum Sueviæ ducem, qui filium suum cruce signatum indigne ferebat, Bernardus emollivit, Radulfum monachum in claustrum suum retrudi jussit ; et loco sui Adamum Eboracensem abbatem Conrado, in Bajoariam pergenti, ad urgendum itineris negotium dedit socium. Extat Bernardi hac de re epistola ad Francos orientales, quæ modo est ordine 363, quam proxime subsequitur alia ad Henricum archiepiscopum Moguntinum ad reprimendum Radulfum : *Igitur non solum ex Romano imperio (ait Otto) sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali Francia, Anglia, Pannonia innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totus pene Occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur.*

389. « Tanta porro totius Occidentis commotio Bernardi prædicationi tributa est ; verum cum hæc expeditio non bene pro votis successisset, tota etiam mali eventus invidia in eum rejecta, pro communi more mortalium, qui ex eventis res æstimare solent. A Neque fere ulla alia res fuit, quæ Bernardi animum majori dolore affecerit, quam ista, non tam sui, quam Dei causa. Unde ipse initio libri secundi De Consideratione : *Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens in me recipio detrahentium linguas maledicas,* etc. Adeo porro omnium fere animi hoc eventu turbati sunt, ut sanctus doctor beatum pronuntiet eum, qui non fuisset scandalizatus in eo. Quanta denique fuerit Bernardi super hoc tristitia, patet tum ex epistola 288, quam in lecto, forsan ex animi ægritudine, decumbens hac de re scripsit ; tum ex epistola Joannis abbatis Casæ-Marii ad Bernardum ipsum, quæ modo est inter Bernardinas 386, B in qua virum sanctum, quem ob sinistrum expeditionis eventum audierat afflictum, consolatur.

390. « Non defuere tamen, qui Bernardi partes defendendas susceperint : quos inter non ultimo loco numerandus est Otto episcopus Frisingensis, Bernardo non admodum favere solitus. Is in libro de Gestis Friderici cap. 60, excursum facit ad excusandum eventum illius expeditionis, cui et ipse interfuit. In fine excursus philosophici potius quam historici, ita concludit in gratiam Bernardi : *Quamvis si dicamus sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque dispendium reportasse, non sit ab antiquis rationibus vel exemplis dissonum.* Unum tamen addit, nempe C *spiritum prophetarum non semper subesse prophetis :* ut nempe innuat incertum esse, an Bernardus ex spiritu divino de hac expeditione, ejusque eventu conjecerit.

391. « Attamen Bernardus ipse initio libri secundi De consideratione ad Eugenium ; ubi factum a calumnia tuetur, se ad id divinitus impulsum esse non diffitetur. *Diximus, pax,* inquit, *et non est pax : promisimus bona, et ecce turbatio.* Tum hæc subdit ad sui defensionem : *Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te,* D *imo per te Deo.* Et inferius, objectis sibi hominum improperiis : *Unde scimus quod a Domino sermo egressus sit ? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi ?* ita reponit: Eugenium alloquens : *Non est quod ad ista ipse respondeam : parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me, et pro te ipso secundum ea quæ audisti et vidisti.* Quibus verbis miracula, ab se in prædicationis confirmationem facta, sine dubio modeste insinuat.

392. « Verum omnium optime Gaufridus sanctum Parentem suum a calumnia vindicat in lib. III de ejus Vita cap. 4, primo, quod illius expeditionis primum propositum ab eo non sit profectum. *Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, a rege Francorum semel et iterum propter*

Digitized by Google

hoc expetitus, Apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem pontificis generalem epistolam jussus ab eo est, tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua exponere populis atque principibus. Deinde quod prædicandi officium, ab eo ex obedientia susceptum divinitus confirmatum sit tot tantisque miraculis ac signis, Quanta vel numerare, nedum narrare dificile foret. Denique quod si ex illa profectione orientalis ecclesia liberari non meruit, certe cœlestis meruit impleri et lætari, nempe ob eorum mortem *qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt.* Et quidem hoc ipsum est, quod Joannes, Cafæ-Marii abbas sanctus, sibi ex revelatione compertum Bernardo significavit. Sed qui moratur in vindicando Bernardo? Cujus tanta auctoritas, id jam dudum obtinuit apud omnes, etiam heterodoxos, ut ejus vita, eximia sanctitas, et doctrina communi omnium suffragio et existimatione sint approbatæ. »

§ XXXVII. *Eugenii PP., Ludovici regis, ac S. Bernardi acta pro bello sacro; viri Dei prædicatio; miracula; summa rei bellicæ præfectura huic uni delata, sed ab eo non admissa; Lingonenses pacificati; controversiæ alteri ejus interposita auctoritas.*

393. Gaufridus, cœnobita quondam Claravallensis. S. Bernardi notarius, ac deinde ibidem abbas, lib. II ipsius Vitæ scribens de belli sacri a Christianis in Orientem invecti, Bernardo prædicationibus longe lateque classicum insonante, infelici successu, atque de obmurmuratione adversus virum sanctum exinde orta, amplum nobis reliquit campum ulterioris commentationis, qua hoc argumentum, in synopsi e Mabillonio paulo ante generatim propositum, magis singulatim et explicate illustremus. Quædam hujus sacræ expeditionis fundamenta jacta fuisse anno Christi 1145, narrat ibidem historicus Cisterciensis cap. 4: « Interea, ait, Eugenius in corde suo conferens, atque alta mente volvens quæ audierat de damnis in Oriente illatis ab infidelibus populo Christ ano, Edessa capta, indeque Antiochia, atque ipsis Hierosolymis in discrimen adductis,..... contra Sarracenos... communia arma sumenda esse putavit. A Ludovico præventus, an præveniens, in dubio est. Certum, utrumque in ea convenisse, ut alter expeditionem publicaret, alter subiret: neuter sine Bernardo quidquam faceret. Sed nos Othonem, auctorem ejusdem temporis, et cunctis fere assistentem, qua apud omnes pollebat auctoritate, hæc ipsa referentem audiamus. » Libro I de Gestis Friderici I imperatoris cap. 34, ista memorat, quæ e novissima editione Mediolanensi accipimus, tomo VI a columna 668: « Ludovicus dum occulte Hierusalem eundi desiderium haberet, eo quod frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præventus fuerat, diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex principibus suis vocatis, quid in mente volveret, aperuit.

394. « Erat illo in tempore in Gallia cœnobii Claravallensis abbas quidam Bernardus dictus, vita et moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia litterarumque scientia præditus, signis et miraculis clarus. Hunc princeps vocandum, ab eoque, quid de hac re fieri oporteret, tanquam a divino oraculo consulendum decernit. Vocatur præfatus abbas, consiliumque ipsius super prædicti deposcitur principis voluntate. Ille de tam grandi negotio, ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare, frivolum judicans, ut ad Romani pontificis audientiam et examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla revolvens, quod videlicet Urbanus hujusmodi occasione transmarinam ecclesiam, duasque patriarchales sedes, id est, Antiochiam et Hierosolymam, ab obedientia Romanæ sedis scissas, in pacis unitatem receperit, votis prædicti regis pro dilatando Christianæ religionis ritu annuit, auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa. Unde ejus scriptum tale ad regem, principesque suos directum invenitur. » Mox illud idem auctor subjicit cap. 35, sed quia satis longum est, et a Baronio ac Manrico ad annum Christi 1145 typis commissum; ideo illud hic iterum non transcribimus.

395. Cæterum profectionem orientalem a rege Francorum Ludovico VII, propterea quod compunctus esset ob incensam Vitriacensem basilicam, cum mille ac trecentis, quæ in eam confugerant, capitibus (videsis dicta superius, § 32) ex voto susceptam fuisse, perhibent scriptores apud Pagium ad annum Christi 1145, num 13. Longum vero esset singulatim enarrare præparationes, quæ in Gallia ante istam expeditionem sub dicto rege adhibitæ sunt, quales sunt conventus Bituricensis, de quo idem Pagius ad annum mox citatum, num 12; item Vezeliacensis, ad annum 1146, num. 3. De priore autem tractans, « Odo, ait, de Diogilo monachus S. Dionysii, et in abbatiam ejusdem monasterii Sugerii successor, septem libellos edidit de Ludovici VII, Francorum regis profectione in Orientem, a Petro Francisco Chiffletio in Asserto genere illustri S. Bernardi a tenebris erutos, quibus historia ecclesiastica locupletari potest. » Deinde ex istius Odonis libello primo nonnulla recitat de utroque illo congressu: sed de Vezeliacensi laudatus Odo varia scribit in eodem libello primo, quæ ad S. Bernardum pertinent. Præter alia vero, quæ apud Chiffletium legi possunt, sequentia inde delibo Odonis verba a pag. 11. « Anno, inquit, Verbi incarnati millesimo centesimo quadragesimo sexto gloriosus rex Francorum... ut dignus esset Christo, Vezeliaco in Pascha bajulando crucem suam aggressus est eum sequi... Abbas etiam (Claravallensis) Apostolica auctoritate, et propria sanctitate munitus, et convocatorum maxima multitudo... pariter adfue-

Digitized by Google

runt... Et quoniam in castro locus non erat, qui tantam multitudinem capere posset, extra in campo fixa est abbati lignea machina, ut de imminenti circumstantibus loqueretur. Hanc ascendit cum rege cruce ornato.

396. « Cumque cœleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, cœperunt undique conclamando, Cruces, cruces, expetere. Et cum earum fascem præparatum seminasset potius, quam dedisset, coactus est vestes suas in cruces scindere et seminare. In hoc laboravit quandiu fuit in villa. Supersedeo scribere miracula, quæ tunc ibidem acciderunt, quibus visum est id Domino placuisse : ne, si pauca scripsero, non credantur plura fuisse; vel si multa, materiam videar obmisisse. Tandem edicto, quod post annum progrederentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt. Abbas vero sub tenui corpore, et pene præmortuo robustum tegens spiritum, ubicunque circumvolat prædicando, et multiplicati sunt super numerum in parvo tempore, crucem portantes. » De conventu Vezeliacensi adiri etiam potest Otto Frisingensis, modo designatus, cap. 36, de Laudunensi ac Carnotensi Pagius ad annum. 1146, num 6, insigniores e Cruce signatis, num. 5, nominat. Colloquio Vezeliacensi coram non præsedit Eugenius papa : nam, referente Odone, pag. 12, « Optabat quidem ipse tam sancto operi manum primam præsens imponere; sed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit : sancto vero Clarevallensi abbati Bernardo curam istam delegavit. » Et vero Eugenium anno duntaxat 1147 in Galliam venisse, reperies apud Pagium ibi, num. 5, contra alios, quos citat pro anno 1146, ac corrigit ad istum annum, num. 2. Conveniri de hac re etiam potest Manricus ad annum 1145, cap. 4, num. 9.

397. Nuperrime mentio a nobis facta est conventus Carnotensis, quantum in rem nostram ibi satis; ita tamen, ut officium mirabile, quod in concilio ibidem congregato pro expeditione militiæ sacræ abbati sancto fuit commissum, novam hic mentionem merito requirat. Baronius ad annum Christi 1146 scribit de indictione ac celebratione istius concilii, nec non de insignibus personis in eodem congregatis; deinde vero quærit, num 3 « Quid actum ibi? » Et respondet : « Illud in primis plane mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes; dum videlicet ibi totius belli dux ipse sanctus Bernardus omnium consensu deligitur, qui principem militiæ agat, cui milites omnes et principes ipsi subjicerentur. Hoc decretum in concilio consensu omnium. Hæc ne tu putes fabulam; describendæ hic sunt litteræ S. Bernardi ad Eugenium papam de his agentis, primumque studium Eugenii ex scriptis ab eo litteris commendantis, eumdemque ad ulteriora hortantis, atque ad postremum, quid actum in Carnotensi concilio enarrantis. »

398. Postremum hoc ex epistola sancti ordine 256, in qua legi possunt antecedentia huc transcribo : « De cætero, ait, verbum illud, quod jam, ni fallor, audistis; quomodo videlicet in Carnotensi conventu (quonam judicio satis miror) me quasi in ducem et principem militiæ elegerunt : certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire usque illuc. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est, vestram docere sapientiam. Nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitores estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis, et operam detis, ut sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. » Mabillonius in notatione ad hanc epistolam monet, de hoc conventu legendas Petri Venerabilis, et Sugerii epistolas.

399. Ut « primum Eugenius suscepit Bernardi litteras, » Cisterciensi historico referente ad annum 1146, cap. 5, « et bellicos cognovit apparatus, qui in Gallia incipientes, si modo promoveantur, facile sperarentur alias late provincias pervagaturi; prosperis ventis laxanda vela ratus, neque alio utendum nauta, quam eo ipso, qui, tam feliciter inchoatset navigationem, ad eumdem Bernardum rescribit alacer, non sibi ipsius materiali gladio, non ductu bellico, quamvis id etiam Galli principes poscant, sed spirituali tantum opus esse, id est, gladio spiritus, qui, Apostolo teste, est verbum Dei : sacerdotali tuba cieat bellum, prædicet, arguat, exprobret Christianis, loca nostræ salutis in arcto posita, periclitari fratres, hos trucidandos misere; illa sacrilege et impie profananda, dum ipsi desides, per otium luxuriantur, si non succurrant. Ingerat populis fidelibus furorem, seu verius zelum adversus infideles, et contra crucis contemptores concitet universum Christianum orbem. Hanc legatiam Eugenii quondam filii; nunc amici, nunc patris, quin et totius Ecclesiæ nomine illi injungi, subeundam ardenter viro Dei, qui nullis pro ipsius causa laboribus, nullis periculis unquam pepercisset. Hæc et similia ab Eugenio ad Bernardum semel et iterum, qui cunctis adeiat Godefridus, mandata narrat. » Ita Manricus. Adeat lector Gaufridum biographum, lib. III, cap. 2.

400. « Soluta curia, et rege, » uti pergit idem Annalista, num. 3, « ac Pontificibus reversis ad propria, ut necessaria ad iter præpararent, Bernardus Pater vicina loca et urbes, prædicans per provincias, non inæquali fructu peragravit. Et addebant voci ejus vocem virtutis miracula frequentia, quibus adeo fideles concitabantur, ut pene vacuas urbes, deserta oppida universi relinquerent, dum sanctum sequebantur, Christo sub crucis signo militaturi. » Præter Odonem, de miraculis paulo ante locutum, habemus testem irrefragabilem Gaufridum loco jamjam designato : nam de signis, quibus Dominus sermonem viri sancti confirmabat : « Sed quantis, ait, et quam

Digitized by Google

multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam et eodem tempore scribi cœperant; sed ipsa demum scriptorem numerositas scribendorum, et materia superavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facile ab ejusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per servi sui tactum et orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, et mutos loqui. » De ingenti autem cruce signatorum multitudine juvat audire sanctum ipsum; hæc de illa Eugenio scribentem in epistola, quæ est ordine 247, apud Mabillonium: « Mandastis, et obedivi, et fecundavit obedientiam præcipientis auctoritas: siquidem annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vacuantur urbes et castella; et pene jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres, virum unum: adeo ubique viduæ vivis remanent viris. »

404. Atque hæc quidem Bernardus in locis, in quibus erat præsens, effecit viva voce; a quibus vero aberat, quia ad illa ire, vel tam cito ire non poterat, quantum præstiterit igneis litteris, et ad accendenda fidelium corda accommodatis, quid memorem? Adisis historicum Cisterciensem, cap. 5 citato, num. 8. « Cæterum, inquit, inter bellicos apparatus hoc ipso anno Lingonenses episcopum et clerum inter se dissidentes paci reddidit. Et intercessit miraculum prævisum, et in miraculo prophetata pax, cum minus consequenda putabatur. » Res narratur apud Gaufridum, lib. IV Vitæ, cap. 5, num. 239. In annalibus Cisterciensibus, cap. 6, exstant Eugenii papæ gesta adversus infideles, ac Bernardi ad hunc pro Samsone archiepiscopo Remensi epistola, quæ inter Bernardinas a Mabillonio vulgatas est ordine 247. Ex iis autem, quæ laudatus editor ad illam notat: « Solemne quondam erat, ut reges, in præcipuis festis coronam acciperent festivo ritu, ut hic apud Biturigas ante Jerosolymitanam expeditionem. Bituricensis archiepiscopus id sibi in sua ecclesia deberi contendebat. Quare cum id Samson præstitisset apud Biturigas, reclamante Petro archiepiscopo, Eugenius usum pallii eidem Samsoni interdixit. Pontificias hac de re litteras habes in Patriarchio Bituricensi, ex aliis notis: » ex iis, inquam, perspicuum fit primo, hanc sententiam, cui regis Ludovici Junioris causa erat immixta, latam fuisse non sine periculo, ne vel omnino refrigesceret vel penitus extingueretur ardor erga dictam expeditionem. Secundo, suam recte auctoritatem interposuisse virum sanctum huic controversiæ componendæ, si præsertim ejusdem circumstantias expendas.

402. Audiamus Manricum, cap. 6, num. 7: « Erat Samson... integræ famæ præsul... et Ludovico inter charos semper habitus, tunc ab accepta corona charior adhuc... Turbavit regem, principes, et populum promulgata sententia, quantumvis A justa, quantumvis ex Dei zelo profecta fuerit, et universam transmarinam expeditionem, quam adeo omnes ardebant, exasperato rege, a cordibus fidelium pene avulsit. Sed Bernardus... sive gratia in Samsonem, quem multa charitate prosequebatur, seu reverentia eximiæ religionis qua præcellebat inter alios Galliæ præsules; seu tandem regi aut deferens aut timens; deferens, inquam, sancto illius zelo, quo per tot sumptus, tot labores proprios, tot pericula terræ marisque, orientalem parabat expeditionem; sed et timens, ne forte irritaretur contemptus a Pontifice... a proposito posset revocari;... paterna, qua poliebat, auctoritate, et libertate, qua semper utebatur in causis Christi, has ad Eugenium litteras scripsit non vacuas zelo, sed prudentia plenas. »

B § XXXVIII. *Sceleratus contra Judæos prædicator repressus, et ad frugem reductus a sancto Doctore; cautela contra falsarios litterarum ejus.*

405. Atrocissimam Christianorum adversus Judæos persecutionem in Gallia et Germania excitatam memorat Annalium Cisterciensium scriptor, c. 7. Causam dedit perfidæ istius sectæ barbarum facinus, quod apud Nortwicum in Anglia crucifixisset puerum quemdam nomine Willielmum: de quo tanquam martyre jam pridem actum fuit in Bolland. ad diem XXV Martii, tomo III, istius mensis, pag. 588 et sequentibus, re innexa anno Christi 1144. Persecutionis tuba fuit eremita cui nomen Radulphus, Christianos contra illos commovens prædicationibus suis. C Opportunitas accessit ex orientali contra Saracenos expeditione, quam S. Bernardus tantopere promovebat. Quia itaque res illa affinitatem quamdam habet cum historia belli sacri, de qua tractamus, eam in compendio referemus e laudato Annalium conditore. Judæis itaque ubique invisis Christiano potissimum populo maxime nocuit ferina illa innocui pueri carnificina. « Hinc quippe odia Christianorum, ait, in ipsos aucta, atque zelo in vindictam transeunte, et divitiarum, quibus abundabant, sæva cupiditas, multi in eorum perniciem conspiravere, et iræ excandescentis semel in Sarracenos, tanquam in Christi hostes, facilior ad Judæos transitus fuit. Exstat epistola Petri Venerabilis ad regem Galliæ scripta; severa in gentem, Sarracenorum gente deteriorem perniciosioremque, et quæ, ut non deputet D ultimo supplicio, at opibus mulctandos persuadet, quas a Christianis per scelera extorsissent (dictæ epistolæ fragmentum in eisdem annalibus recitatur). Itaque Petrus, qui mitior, bonis omnibus; cæteri capite plectendos fore clamabant.

404. « At inter alios eremita quidam, Radulphus nomine, seu nimio zelo, seu captandæ plebis avidus, et prædicandi, quasi a Bernardo missus, munus usurpans, crucem contra Sarracenos orientales, verum contra domesticos Judæos internecionem et mortem concionabatur. » Loquentem de eo audiamus Ottonem Frisingensem lib. I De gestis Friderici I imperatoris, cap. 37: « Inter hæc Rudolphus monachus, vir quidem religionis habitum habens, re

Digitized by Google

ligionisque severitatem solerter imitans, sed litterarum notitia sobrie imbutus, eas partes Galliæ quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vormatia, Spira, Argentina, aliisque vicinis civitatibus, oppidis seu vicis, ad accipiendam crucem accendit; hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quod Judæi in civitatibus oppidisque passim manentes, tanquam Christianæ religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ, Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Judæis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent. Unde factum est ut non pauci ex ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido principis, quod Noricum, seu Norenberg appellatur, aliisque municipiis ejus, ad conservandam vitam se reciperent.» Hactenus Otto de pseudoapostolo illo.

405. «Doluere episcopi, uti subjungit Manricus num. 4, sanguinem effusum, jus gentium violatum, desertas urbes, et se contemptui haberi ab uno monacho, qui sub prætextu prædicandæ crucis, ex injuncto Bernardi, ipsis non solum inconsultis, sed renitentibus, totam fere Germaniam perturbaret. Unde et Henricus, Moguntinus præsul, querulas ad doctorem sanctum litteras dedit, quod talem hominem sibi substituisset (namque ita credebatur) per quem tam gravia, tam scandalosa per speciem zeli et justitiæ prædicarentur. Tunc sanctus Pater purgandæ tali calumniæ et nihilominus reprimendo serpenti malo, primum ad eumdem Moguntinum, mox ad omnes episcopos Germaniæ scripsit epistolas.» Porro exemplar epistolæ ad Henricum archiepiscopum Moguntinum, quæ in editione Mabilloniana est ordine trecentesima sexagesima quinta, alias 323, inter alia sic habet: «Homo ille, de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine, neque per hominem, sed neque a Deo missus venit. Quod si se monachum aut eremitam jactat, et ex eo sibi assumit libertatem, vel officium prædicationis, potest scire, et debet, quod monachus non habet docendis, sed plangentis officium; quippe cui oppidum carcer esse debet, et solitudo paradisus. Hic vero a contrariis, et solitudinem pro carcere, et oppidum habet pro paradiso. O hominem sine pectore, o hominem sine fronte! Cujus stultitia elevata est super candelabrum, ut appareat omnibus, qui sunt in domo. Tria sane sunt in eo reprehensione dignissima: usurpatio prædicationis, contemptus episcoporum, homicidii approbati libertas.» Alia, quæ superaddit et quibus pseudo-doctorem istum arguit, ac vitam Judæo non auferendam defendit, invenies in dicta epistola.

406. Legi etiam meretur ibidem epistola 363, alias 322, qua vir sanctus, uti habet titulus: *Ad arma contra infideles pro defensione orientalis Ecclesiæ suscipienda hortatur*. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet, Judæos non esse persequendos, nedum occidendos. Inscribitur archiepiscopis, episcopis, et universo clero et populo orientalis Franciæ, et Bajoariæ. Cæterum hæc epistola veluti classicum est ad sacram expeditionem, de qua Guillelmus Tyrius in belli sacri Historia lib. XVI, cap. 18, ista loquitur, S. Bernardum laudans, aliis elogiis superius eidem sancto militiæ sacræ præconi apud nos in præsenti materia datis conformia: «Vir, ait, immortalis memoriæ, et honestæ conversationis speculum, dominus Bernardus, Claræ-vallensis abbas, piæ in Domino, et per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo placiti muneris exsecutionem præcipuus eligitur: qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter jejunia pene continua, et subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei,» etc.

407. Sed ut ad Judæorum causam redeamus, non abs re fuerit audire Ottonem Frisingensem supra allegatum: «At præfatus Claræ-vallensis abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens, ad Galliæ Germaniæque populos nuntios, seu litteras destinavit, in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit, Judæos ob scelerum suorum excessus non occidendos, sed dispergendos fore. Unde et Psalmographi testimonium induxit, in LVII (imo LVIII) psalmo dicentis: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*. Et item: *Disperge illos in virtute tua*. Hactenus historicus ille cap. 38: Præsens de falso ac fallente doctore Radulpho argumentum absolvam, dum duo observanda ostendero. Alterum est, ejusdem Radulphi temeritatem non modo coercitam fuisse a viro sancto; sed ipsum etiam ab hoc fuisse conversum ad optimam frugem, teste Ottone Frisingensi lib. I citato, cap. 39, ubi scribit ista de nostro abbate: «Moguntiam quoque veniens, Rudolfum in maximo favore populi morantem invenit. Quo accersito, permonitoque ne contra monachorum regulam, per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, ut, sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit.» Tametsi vero hoc sit actum quando sanctus Bernardus in Germaniam se contulerat, ut militiam crucis orientalem ibidem annuntiaret, hoc tamen loco illud cum præcedente Radulphi historia conjungimus, addentes insuper epiphonema Manrici cap. 8: «Sic Bernardus, quem non Ecclesiæ præsules, non principes, robore suæ potentiæ compescuerant, persuasione compescuit; et citius dictu venit, vidit, vicit, peccata submovens, servans peccatorem. Verum est tamen Moguntinum populum, qui Radulpho adhæserat, discessum ejus impatienter tolerasse;» lege enim apud Ottonem cap. 39 supra citato, rem illam accidisse «populo graviter indignante, et, nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente.» Tantam sibi apud seductum populum auctoritatis conciliarat pseudoapostolo-

Digitized by Google

lus iste.« Sed,» ut subdit Manricus de sancto Patre, «continuit reverentia illius omnes; et quod semel Bernardus improbasset, approbare non ausis, simplex ipsius verbum pro lege fuit.» Et hoc primum, quod observatum volebam; cui nunc subjicio alterum.

408. Sanctus Pater in epistola 363 quam citabam, hæc scribit : « Illud quoque admonitos vos esse est necesse, fratres dilectissimi, ut, si quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione sua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat; et si a nobis missum se simulet, non est verum; aut si ostendat litteras tanquam a nobis datas : sed omnino falsas, ne dicam furtivas, esse dicatis,» etc. Annalium Cisterciensium confector in hunc epistolæ locum animadvertit ista cap. 7, num 9 : « Cardinalis Baronius dum hæc narrat, in ea sententia est, ut putet, sanctum, dum contestantur omnes, ne litteras a se missas acciperent, quas scirent esse falsas, a Nicolao sibi præcavisse, illo nimirum, quem præcedenti anno in Claræ vallis monachum susceptum; hoc, scribentem Bernardi patris nomine ad comitem et proceres Britanniæ superius vidimus; quin et ejusdem sigillum, stylumque in grave ipsius et aliorum damnum simulare consuetum, infra dicemus. Sed, uti recte observat idem Manricus, non crediderim, inquit, tam cito comprehensum a sancto Patre, maxime in ejus obsequio permansurum per annos aliquot. Neque est, cur ad incerta recurramus, cum certa habemus. Radulpho prædicante sub ejus nomine, quæ fuit querela Henrici Moguntini, præcavet sibi a simili fallacia.» In memoriam revoca quæ de Nicolao Arremarensi antea præmisi : de Radulpho autem nonnulla per prolepsim modo dixi; nonnulla dicam proxime, oblata opportunitate peregrinationis Germanicæ, quam S. Bernardus suscepit, partim ut eum compesceret, partim ut ejusdem regionis principes ad bellum sacrum excitaret.

§ XXXIX. *Germaniam peragrat pro militia sacra; linguæ gratia; perorantis vis ac fructus; miracula; colloquium cum S. Hildegarde; conversio Alexandri Coloniensis.*

409. Duplex causa virum sanctum in Germaniam evocavit. Utramque exprimit Otto Frisingensis laudatus, lib. I, cap. 39, hæc memorans : « Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc, ut animum principis Romanorum sacræ exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quam ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra dominos suos moventi silentium imponeret.» Duæ igitur hæ rationes virum moverunt, ut in Germaniam se conferret : quibus duplex respondit fructus ab ipso intentus, præter alios non tam ab eodem sancto Patre quæsitos, quam sponte oblatos. Sed habenda etiam ratio temporis, quo illuc profectus est.

410. Baronius ad annum Christi 1146, num. 25. « Ubi, inquit, ad finem præsens inclinaret annus, se contulit in Germaniam.» Sed Manricus ad eumdem annum cap. 8, num. 2, longe probabilius esse censet, iter illud accidisse citius. Expendendas proponamus illius rationes : « Cardinalis Baronius sub finem hujus anni profectum putat, motus, ut credo, historia miraculorum ejus in proœmio, quæ a prima Dominica Adventus exordium sumit. Verum cum in eadem historia scriptum sit cap. 15, sanctum Patrem hujusmodi occasione exulasse a filiis fere per annum; et alias Claramvallem ingressum non multo post festum Purificationis anni sequentis; cogimur contra eumdem Baronium dicere, aut adiisse Tolosam contra Henricum, antequam in Germaniam se conferret, aut Germaniam ante finem anni intrasse: quamvis miracula non a primo ejus ingressu, sed ab accessu ad Constantiam scribi cœperint. atque hoc longe probabilius judico, nec non conformius ipsi narrationi. Utcunque fuerit, Germaniam sanctus intrans utrumque scopum attentius intuebatur, ut et Christianos cieret in Sarracenos, et a Judæis retraheret.» De his jam diximus, per prolepsim etiam relata conversione Radulphi, quæ proprie hujus erat loci. De illis vero nunc singillatim agendum superest.

411. « Constat in primis,» asserente Manrico cap. 8, num. 4, «sub finem mensis Octobris ad Wormatiam urbem commoratum, multos ad bellum sacrum cruce signasse. De ipso namque, sub initium Januarii anni sequentis eamdem urbem rursus adeunte, Philippus (1) tunc archidiaconus, post monachus, qui præsens fuit, scribit in hæc verba,» quæ habentur infra libro sexto Vitæ, part. II, «Transierat..... per Wormatiam ante duos menses, et sermone habito innumerabilem ibi signaverat populum signaculo militiæ Christianæ.» Quid deinde?«Francfordiæ,» sicut pergit idem Annalista cap. 8, num. 4, « convenit imperatorem, quædam cum eo negotia tractaturus, ac velut obiter suggesturus, de bello Sacro, et semina jacturus, quæ postmodum Spiræ fecundarentur. Nec virum, quamvis sui reverentissimum obsequentissimumque, facilem invenit in hoc negotio : quin aversantem iter transmarinum; nec persuasibilem, ut ad illud adduceretur, non obscure testatur Philippus auctor, paucis, sed oculatus testis, cuncta describens, dum gesta Spiræ pandit in hunc tenorem lib. VI Vitæ, parte I, cap. 2 : « *Prius enim apud Frankenvoert regem secreto convenerat vir beatus, admonens ut ipse saluti propriæ provideret in tempore misericordiæ uberis. Cui cum respondisset nullum sibi hujus militiæ, inesse propositum, tacuit vir mansuetissimus, dicens non esse parvitatis suæ importunus instare regiæ majestati.* Hinc planum fit, magna dicendi ac persuadendi vi opus fuisse sancto Patri, ut Conradum ita tunc animo comparatum, postea Spiræ flecteret in quam volebat partem.

(1) Imo Vuolkemarus clericus Constantiensis, post monachus.

Digitized by Google

412. At Francofurto discedere in alia Germaniæ loca cum sancto non possumus, nisi ab ipso ibidem gesta narremus. Helmoldus presbyter in Chronicis Slavorum anno 1556, Francofurti editis cap. 60, pag. 128 et seq. hæc ita memoriæ prodidit : « Circa tempora dierum illorum ortæ sunt res novæ, et toti orbi stupendæ. Præsidente enim sanctissimo papa Eugenio, Conrado quoque tertio gubernacula regni moderante, claruit Bernardus Clarævallensis abbas, cujus fama tanta signorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe confluerent ad eum populorum frequentia, cupientium videre quæ per eum fiebant mirabilia. Hic itaque egressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenvort, quo tunc forte rex Conradus cum omni principum frequentia festivus occurrerat. Cum ergo sanctus vir in ecclesiis potius curandis ægrotis in nomine Domini propensius instaret, astante rege et summis potestatibus, incertum erat inter tantas populorum catervas, quid quis pateretur, aut cui forte subveniretur. Aderat illic comes noster Adolphus, certius nosse cupiens ex operatione divina virtutem viri.

413. « Inter hæc offertur ei puer cæcus et claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter si forte posset in hoc puero, sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus eloctus vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari : cæteros enim verbo tantum consignavit; hunc vero exhibitum manibus excepit, oculisque morosa contrectatione visum restituit. Deinde genua contracta corripiens, jussit eum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus quam gressus. » Hæc Francofurti a Bernardo gesta refert Helmoldus.

414. Inde, ut dicitur in Chronico Hirsaugiensi Trithemii, anno 1690, typis monasterii S. Galli recuso, ad annum 1147, pag. 415, « navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis monialis virgo Christi devotissima... in monte S. Ruperti construxit cœnobium, cum qua dulces fertur de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque divo Bernardo sancta Christi famula et scriptis nota, et relatione multorum in Domino comprobata. Ad quam cum pervenisset, post orationes consuetas et salutationis obsequia, præcepit sibi volumina exhiberi, quæ illa divinitus inspirata conscripsit : quibus diligenter ex parte revisis, ultra quam dici potest admirans, dixisse fertur ad socios. « *Hæc scripta non sunt humanitus adinventa, nec potest ea moralis homo capere, nisi ad Dei similitudinem intus et in anima fuerit reformatus per amorem.* Plura, quæ Sanctus tunc dixisse fertur, ibidem legi possunt. Et hic quidem fructus videtur ab eo non quæsitus dum in Germaniam tenderet, sed ultro, dum ibi jam degeret, oblatus, ut Hildegardem corroboraret adversus hominum obloquia ; si ipsius cum illa collocutio vere subsistat : quod ideo addo, quia nonnulla eidem incommodant.

415. Etenim Manricus, relata cap. 8, num. 6 et 7, ex Trithemio collocutione ista, ibidem num. 7, eum ita concludentem recitat : « Sanctus vero Domini famulus Bernardus valedicens virgini Christi Hildegardi cœptum iter per descensum Rheni continuat, et in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illi imposita curat. Inde per Mosellæ alveum Treverim conscendit, et tres cæcos, claudum unum, et surdam mulierem in eadem civitate, omni inspectanti populo, curavit. » At subdit prædictus historicus Cisterciensis : « Hæc ex Trithemio; quod attinet ad tempus, dubia fide : quippe omissa a Philippo, qui ex colloquio Conradi cum Bernardo ad Francofordiam, gesta sancti describit per dies singulos. Sed neque sancta, ut ipse Trithemius ait in Chronico Spanheimensi, ante annum 1148, Bingionum terram [*al.* ad Bingos] cum conventu suo occupaverat. » De hac sancta actum est 17 Septembris in Bolland. et Martyrologio Romano; de qua etiam inferius recurret sermo. Hic non addimus epistolas duas, quarum unam ab illa ad sanctum Patrem; alteram autem ab hoc ad illam datas recitat num. 8 et 9, idem Manricus; major enim nobis se offert et longe illustrior rerum dicendarum copia in viro sancto Germaniam peragrante, armaque sacra annuntiante, nec non prodigiis frequentissimis ibidem coruscante. Ei itaque illic peregrinanti comites nos adjungamus, ita tamen, ut quæ pertinent ad loca Germanicæ peregrinationis, ejusdemque socios, ac creberrima, testatissima, omnisque generis miracula, tum ibidem, tum in reditu ad suos Claravallenses sunt a magno thaumaturgo nostro edita, Domino sermonem ejus confirmante tot tantisque sequentibus signis, non simus hic daturi, sed lectorem mittimus ad librum miraculorum istorum, quem infra recudemus, ac notis illustrare conabimur.

416. « Est tamen pro miraculo habendum, quod sancto viro prædicante natali lingua, Gallicana nimirum, cujus Theutonici omnino essent expertes, populum nihilominus audientem, sed non intelligentem, usque ad lacrymas provocaret ad compunctionem, » ut observat Manricus cap. 9, num. 5, rem confirmans e Cæsarii supparis auctoris homilia 16, De infantia Christi, e qua citat ista : « Tempore Conradi imperatoris cum S. Bernardus in Alemannia lingua Gallica prædicaret, ita populum accendit, ut uberrime fleret; et cum tunc ejus verba non intelligeret, postea cum interpres peritissimus sancti sermonem exponeret, populus non est motus. » Tanta videlicet erat potentissimi præconis, præsentis, loquentis atque ardentis vis. Hæc fortius confirmantur a Gaufrido lib. III Vitæ, cap 1, num. 158, ubi de mirifica linguæ ejus gratia scribens, ita loquitur ad nostrum propositum : « Inde erat, quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, et ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alteri.s linguæ homines, non valebant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis in-

Digitized by Google

tellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem : cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, et effusio lacrymarum. » Mirum itaque non est, frequentissimo ac constipatissimo concursu ad sanctum hunc oratorem fuisse viam ab auditoribus affectatam : de qua re vide inter miracula cap. 1, occasione miraculorum, quæ facta sunt Constantiæ, et e quibus etiam nonnulla consignat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1147.

417. Miram vero atque insignem Alexandri Coloniensis conversionem, Basileæ a viro sancto impetratam, ita exponit auctor Annalium Cisterciensium eodem cap. 9, numer. 11 et 12, quam et nos hoc loco desiderari non patimur. « Hunc, ait, cum Romam proficisceretur, Bernardo obviam factum superius vidimus ; quin et videntem divinæ virtutis opera, sive magis expertum in se ipso, quod statim dicam, tandem dedisse manus sancti monitis, et se itineris socium adjunxisse, monachum induiturum in Claravalle. Verum quo loco, et quo ordine hæc acciderint, aliunde nobis venit excipiendum. Et locum quidem habemus ex Godefrido sancti Patris notario, qui virum ad Basileam conversum tradit, quippe sancto egrediente prædictam urbem, meminit Alexandri, et statim subdit : Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum... secutus est eum, » ex lib. IV Vitæ S. Bernardi, cap. 6, numer. 241, de quo etiam lib. VI Vitæ seu miraculorum parte I, cap. 1, numer. 283. At qualis ille fuerit, et quo modo, ac ordine conversus, edocet Exordium magnum Ordinis Cisterciensis apud Tissierium distinctione 1, cap. 25 : « Apud Coloniam Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ, fuit magister quidam, Alexander nomine, canonicus (S. Mariæ ad Gradus, uti habet notula marginalis) doctorque famosissimus in eadem urbe.

418. « Accidit autem, ut Dei famulus beatus Bernardus Clarævallensis abbas, jubente sancto papa Eugenio Germaniam ingrederetur. Jerosolymitanum iter Conrado imperatori et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coruscaret, videns imperator mirabilia magna, quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu ejus accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere innumera hominum multitudo : ita ut incredibili fidei ardore succensi, scissuras et fimbrias de vestimentis famuli Dei, quæ propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicunque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles ac sapientes viri, per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claramvallem ab eo deducti et monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum attulerunt.

419. « Ex quibus etiam exstitit unus supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore juvenis et sæcularis scientiæ typho turgens, divitiarum quoque et transitorii honoris infulis adornatus, nihil minus quam conversionem cogitabat : sed Deus, qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit. Cum enim beatissimus Pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens respondit, se ad præsens nil minus cogitare, vel velle quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo Dei, erigens eum de grabato, in quo graviter languere videbatur, ac restituens sanitati. Deinde tulit habitum suum quo erat ipse indutus, et ex eo contexit Alexandrum. Qui cum eumdem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit.

420. « Evigilans autem Alexander nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat. Eodem vero die cum ille beatissimus abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeret. Quo viso, vir Domini erectis in cœlum oculis, super eumdem piscem diutius oravit, et benedicens illum, præfato Alexandro pro pitantia transmisit. Quem dum ille gustare inciperet, ad primum illico morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio famuli Dei ; nam repente mutatus in alterum virum, compunctus est valde, et cœpit ubertim super eumdem piscem lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens, quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis, quam nocte præterita viderat, intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei famulo in continenti se reddidit. A quo benigne susceptus, et in Claravalle monachus factus, et deinceps Grandissilvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis abbas cœnobii (nonus, » uti habet notula marginalis) « ac totius Ordinis pater universalis. Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione deprompsisimus. » Mabillonius Vitæ S. Bernardi libro VII, qui excerptus est e magno Cisterciensi Exordio, ad hunc locum totius Ordinis pater universalis, observat ista col. 1209 : « Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cisterciensis : de quo vide epistolam 4, numer. 3, et epistolam 5, num. 1... Idem abbas ordinis Pater universalis item ab Herberto appellatur infra num. 17. » Cæterum mirabilis illa Alexandri conversio, unus denuo est e fructibus ante excursionem Germanicam a Bernardo non quæsitus, sed in eadem ultro ipsi oblatus. Dica-

Digitized by Google

mus nunc, quam potenter rem gesserit vir sanctus, ut Conradum induceret ad bellum sacrum.

§ XL. *Conradus imperator militiæ sacræ adscriptus; excursiones S. Bernardi per Germaniam; reditus in Galliam; miracula; conventus Stampensis; infelix Orientalis expeditionis eventus perperam sancto imputatus.*

421. Nihil minus cogitabat Conradus, ut memorant Annales Cistercienses cap. 10, quam crucem sumere, et deserto imperio occidentali ad remotas orientis plagas arma convertere; maxime cum Germania flagraret bellis civilibus, quibusdam principum divisis inter se, et, nisi ejus præsentia continerentur, forsitan ab imperio dividendis. Indixerat tamen generalem curiam Spiræ, cui Bernardus adesset, in die natali Christi congregandam. » Factum videatur in libro VI Vitæ, qui est de miraculis, parte I, cap. 2, ubi præterea invenies felicem a sancto præcone intenti finis successum, Conrado, ac nepote ejus Friderico juniore, nec non innumeris principibus cruce signatis; adde miracula ibidem relata. Nec vero frustratus est Bernardus opera sua, dum discordes Germaniæ principes in gratiam reduxit, rem testante Ottone Frisingensi lib. I De gestis Friderici, cap. 42, cujus verba id non obscure videntur innuere. Sunt autem ista: « Igitur non solum ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totus pene occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. »

422. Illud vero, quod perhibetur inter miracula Spiræ facta, parte I, cap. 2, num. 302. « Ubi,.. egressi fuimus, et rex ipse cum principibus sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turbæ, etc.; illud, inquam, magis clare at pathetice exprimit S. Antoninus parte II Historiarum, titulo 17, cap. 1, § 6, ita de Bernardo loquens: « Apud urbem Spirensium tantus erat concursus, ut Conradus rex seu imperator, ne populus eum comprimeret, deposita chlamyde eum in proprias ulnas suscipiens de basilica asportaret. » Annales Cistercienses paulo ante assignati memorant, num. 6 iconem Mariæ Virginis ter a sancto Patre salutatam Spiræ, semel eidem salutem reddidisse, cunctis audientibus. Et deinde numer. 8 sermo est de lacte ejusdem Virginis, quo irroratus fuerit, nec non de salute ei dicta a beatissima Deipara in celebri monasterio Afflighemensi; quod factum differt in annum sequentem. Verum hæc inferius discutiemus. Nunc alia nos vocant, quæ vir sanctus Spira discedens, atque alia Germaniæ loca peragrans, patravit.

423. Annalium Cisterciensium concinnator ad annum 1147, cap. 2, num. 1 et 2. « Soluta, ait, curia, et salutato Conrado imperatore, ac Constantiensi episcopo, quem socium viæ, seu potius deductorem hactenus habuisset, Pater sanctus Spira discessurus Campensem sui Ordinis abbatem secum assumit, et reliquas totius, « quod accommode intelligendum, » Germaniæ urbes velocius peragrans, atque illustrans miraculis, verbum crucis adversus crucis hostes concionabatur... Verum quas urbes, et quo tempore discurrerit, ex ipsis, quos secum adduxit, viæ sociis, qui cunctis interfuerunt, accipiat lector; » quem nos mittimus ad librum VI Vitæ, seu de miraculis, parte II, cap. 3, ubi de soluta curia Spirensi, transitu sancti per civitatem Wormatiensem, ac miraculis. Inde Confluentiam, ac Coloniam viator sanctus se contulit, signis de more eum comitantibus, prout mox citato capite licet videre. Quid referam alia, quæ Colonia profectus edidit Aquisgrani, Trajecti ad Mosam, Leodii, Gemblaci, Villarii, Cameraci, aliisque in locis, ne ipsa quidem Hispania inde exclusa, quamvis ibidem non esset, imo nunquam ibi fuerit, sicut postea pluribus probabitur. At de innumeris sancti prodigiis exstant luculentissima scriptorum testimonia; de quibus inferius dabitur tractandi locus. Diceres, Deum optimum, maximum, qui facit mirabilia magna solus, tantas ex infinito omnipotentiæ suæ thesauro cum incomparabili suo thaumaturgo communicasse divitias miraculorum, ut nec numero, nec locis, nec temporibus, nec personis circumscribere ea voluisse videatur, tunc præsertim quando occidentis populos ad sacra bella ciebat vir magnus.

424. « Dum hæc per sanctum Patrem agerentur, ait Manricus, cap. 4, Conradus, qui vexillum belli sacri ab ejus manu Spiræ ante susceperat, expeditiurus quæcunque necessaria, conventum generalem indicit in Bajoaria, intrante mense Februario celebrandum. Huic quia Bernardus assistere non potuit, venerabilem Adamum, Ebracensem abbatem, cujus supra meminimus, substituit, litterisque tum apostolicis tum propriis munitum voluit, per quas subdelegati officio (nam id etiam concessum) perfungeretur. » Porro quæ ibidem acta sint, describit Otto Frisingensis, qui eisdem adfuit, lib. I De gestis Friderici, cap. 40, rem illigans mensi Februario, et inter alia: « Accepere, ait, eadem hora crucem tres episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Patavienses, » aliique viri illustres, de quibus ibidem fit mentio. Quidnam interea temporis S. Bernardus? Audiamus Gaufridum lib. VI Vitæ, seu parte III Miraculorum, cap. 6.

425 « Dominica die festum erat Purificationis beatæ Mariæ; et Francorum rex Ludovicus... Catalaunum occurrebat viro Dei. Plurimi quoque ex principibus utriusque regni convenerant... ut de via Jesosolymitana communi consilio tractaretur. » Idem auctor plurima deinde recenset miracula, quæ in itinere Claramvallem versus ab ipso facta sunt, quæ alibi a nobis dabuntur. Porro historiæ belli sacri ratio requirit ut silentio non prætereamus acta conventus Stampensis, in quo postrema Jerosolymitanæ profectionis capta consilia, Domi-

Digitized by Google

nica Septuagesimæ, anno, in quo versamur, 1147. De hoc itaque conventu seu colloquio a pag. 15 ita scribit Odo de Diogilo supra laudatus : « Omnes igitur ad *Circumdederunt me* Stampas vocat (Ludovicus rex) ut pariter eligerent, quod pariter tolerarent : qui sicut fuerunt in veniendo alacres, sic utinam essent in electione prudentes! Congregata enim loco et termino episcoporum et nobilium multitudine tam gloriosa quam magna, prædictus etiam abbas (Bernardus) et prædicandus præsentiam suam obtulit, et rumorem attulit, et utroque lætabundam reddidit condonem. Nam de Alemannia veniebat, regemque et regni proceres militiæ crucis Christi adjunxerat. Deinde diversarum nationum leguntur litteræ, nuntii audiuntur, et hæc usque ad vesperum protenduntur. In his duxerunt lætam diem, et quod superfuit, in crastinum distulerunt.

426. « Venit dies magis læta quam prospera. Interfuere congregatis, qui Græcos dicerent, sicut lectione et experientia noverant, fraudulentos. Rex autem et sui, qui merito nullarum gentium vires timebant, fraudes utinam timuissent! Sed quia non est consilium, nec prudentia contra Deum, elegerunt viam per Græciam morituri. Sic secunda dies terminata est, non secunda. Tunc viri nobiles, regis Rogerii nuntii confusi abeunt, dolentium habitu domini sui satis expresse monstrantes affectum : de dolis Græcorum prædicentes nobis, quod postea sumus experti. Nec mirum, si Rogerius rex potens et sapiens regem optabat, si Francos diligit, nostrarum partium oriundus. Postremo revolvit diem tertiam gratia Trinitatis, et congregati, gratia prius sancti Spiritus invocata (quam pridie utinam similiter invocassent!), deinde a sancto abbate sermone habito spiritali, de regni custodia prosequuntur.. Inter hæc indicitur dies in Pentecosten profecturis. » Plura ibidem.

427. Nec vero Pater sanctus reliquit Stampas miraculis vacuas : inde item profectus, prodigiorum splendore ac multitudine iter suum, quo Claramvallem repetebat, egregie illustravit; quam dum ingrederetur, puerum surdum ac mutum sanavit. Referuntur ea accurate in libro VI Vitæ, seu Miraculorum parte III, unde etiam nos postea lectori illa legenda exhibebimus. Idem præmonemus de aliis bene multis, quæ Treviris, Metis, Tulli, Rutilæ acciderunt, et quorum ratio habebitur inferius. Addi interim his possunt ea, quæ Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales sanctorum Belgii Joannis Molani ad diem 20 Augusti adnotavit : « In Lutzenburgensi ducatu adiit etiam aliquando monasterium Clarifontis, quod a monialibus Ordinis ipsius sancti Bernardi hodierna die incolitur : visiturque in eo fons, qui etiamnum hodie a S. Bernardo, qui eidem bene precatus est, Fontis S. Bernardi nomen retinet; et cum fide ac devotione epotus, contra morbos opitulationi esse creditur. In ejusdem ducatus confinibus situm pagum vocabulo Rutilam pertransiit, ubi ex patrum traditione posteri commemorant eumdem sanctum Bernardum eodem tempore quasi exsultabundum in hæc prophetica verba erupisse : O Rutila, Rutila, tu rutilabis aliquando; quæ virum Dei de Carthusianis in istum locum post annos fere trecentos introducendis, ac ibidem modo adhuc habitantibus prædixisse, nullus infidias ibit, qui ipsius ardentissimum affectum erga Carthusianos voluerit considerare. » Hæc ibi; vellem apud antiquiores. Quibus adjungi potest vaticinium de cœnobio Bellopratensi, quod citatus narrat Raissius : de cœnobii Alnensis reformatione agit Manricus ad annum 1147, cap. 3, in fine; de Gemblacensi ac Villariensi monasterio dicam § 47. De Villariensi Monasterio vide pag. 343; de Gemblacensi 342, 344, 393.

428. Sed antequam nos reliqua prosequamur, quæ ad expeditionem Orientis pertinent, prodigiis prope infinitis, quibus incomparabilis noster thaumaturgus apostolicos peregrinationis suæ Alemannicæ labores illustravit, accenseamus unum primæ notæ. Chronicon Claravallense ab anno Christi 1147 usque ad annum 1199 perductum, auctore anonymo Claravallensi monacho, ex veteri codice ejusdem monasterii edidit Chiffletius in S. Bernardi genere illustri asserto pag. 81, et sequentibus; chronicon autem illud sic incipit : « Anno Domini 1147 beatus Bernardus abbas Clarævallis in Alemannia crucem prædicavit : virtutes multas et magnas fecit : inter quas et mortuum illum resuscitavit, de quo habetur in libro Miraculorum domni Herberti. » Jam vero ne plus quam sat est immoremur militiæ sacræ rebus, quæ sunt extra Bernardum, congerendis; de discessu Conradi ac Ludovici in Orientem scribit Otto Frisingensis toties ante citatus, lib. I, cap. 44, de eorum adventu cap. 58, de reditu Conradi cap. 59, de infelici sacræ expeditionis eventu cap. 60. Quid referam Odonem de Diogilo, quid Baronium, quid Pagium, aliosque?

429. Porro de lamentabili hac tragœdia, quam submisso silentio mirari ac venerari debemus, scrutari autem non possumus, nedum comprehendere, illud Apostoli effatum ad Romanos cap. II repetamus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Adde illud vatis regii : *Judicia tua, abyssus multa.* Illud item : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Quid post hæc S. Bernardus tot tantisque curis, peregrinationibus, laboribus ac miraculis de sacra illa expeditione immortaliter meritus? Quid inter obloquia, quibus impetebatur vir integerrimus, non secus ac si ipsemet fuisset in causa hujus funestissimæ ac deploratissimæ catastrophes? Quis illi inter hæc animus, quis sensus? Anne a vero abludere cui quam videbimus, si dicamus, toto, quantus erat, Bernardo opus fuisse, ut bolum tam durum decoqueret? Sed vir ubique maximus, et tam in rebus adversis, quam in prosperis sua se virtute susten-

Digitized by Google

tans, animam possedit in patientia, et post casum undequaque acerbissimum, sive Christiani orbis bonum, sive tot animarum salutem, sive divinæ gloriæ amplificationem, si aliter Domino visum fuisset, sive calumnias sancto Patri impactas consideres, sive omnia denique, quæ extra ipsum erant, in magno tamen ipse mentis heroicæ culmine apud se stabat erectus, ita ut more consueto nullibi desiderari pateretur operam suam, quando videbat negotiis publicis utilem illam esse posse. Etenim Manricus ad hunc ipsum annum 1149 quo Ludovicus VII Francorum rex, et Conradus imperator redierunt ex infelici expeditione Hierosolymitana, S. Bernardum exhibet bonis operibus intentum; prout ibidem legi potest. Vide quæ postea dicemus § 48 sub finem; item § 49 ac § 50. Ad annum autem 1150, cap. 1, profert justissimam ejus apologiam ex lib. II De consideratione, ad Eugenium papam. In memoriam revoca quæ superius a nobis præmissa sunt § 36, ubi ipsemet Otto Frisingensis episcopus, Bernardo alioquin non admodum favere solitus, virum Dei excusat, et peccata Christianorum incusat. Quibus ad majorem rei confirmationem, ex Chronico Gaufredi cœnobitæ monasterii S. Martialis Lemovicensis, ac deinde prioris Vosiensis in eadem diœcesi cœnobii, qui eodem sæculo floruit, addi possunt ista apud Labbeum tom. II Novæ bibliothecæ manuscriptorum librorum, ubi laudatus chronologus cap. 52, hæc scribit de exercitu Christianorum: « Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinate habuerunt: quapropter multi defecerunt, innumerabilesque perierunt propter iniquitatem suam: thesauros ecclesiarum, falsa promittentes vadimonia, ante iter auferebant: infimam plebem diris exactionibus affligebant, pompatice secuti sunt et superbi humilem Christum, et erraverunt frustra a justo humillimo. » Hæc ille.

A

B

C

D

§ XLI. *Sancti doctoris concertatio cum Gilberto Porretano.*

430. Quemadmodum perversa Abælardi dogmata, per S. Bernardum repressa, sic errores Gilberti Porretani, episcopi Pictaviensis, ab eodem viro sancto debellati, magnam ipsi indiviam conflarunt. Facta hujus negotii gravissimi, in quo tanta cum laude versatus est sanctus doctor, referuntur a Manrico ad annum Christi 1146, 1147 et 1148, ad illos ergo redeamus, ac explanemus locum, quem de hac re notatum reliquit Gaufridus lib. III Vitæ S. Bernardi, cap. 2, num. 166. « Fuit, inquit, Gillebertus, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. » Erat hic ex eadem civitate oriundus, sicut affirmat Otto Frisingensis in Friderico lib. I, cap. 46 editionis supra citatæ, et ex discipulo magister, ex magistro tandem ibidem episcopus evasit. « Ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subjiciens, magisque illorum ponderi, quam suo credens ingenio; qualis primo fuit Hilarius Pictaviensis, post Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anselmus et Radulphus Laudunenses, germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subito ferulæ subducta, a scientia haud censura morum, vitæque gravitate discordante, non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu, quam voce pondus servans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis et exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis, » teste eodem Ottone cap. 50.

431. Mabillonius in præfatione generali ad novam suam Operum S. Bernardi editionem § 5, num. 58: « Hilarium hunc, ait, non alium esse existimo ab illo magno Hilario Pictaviensi episcopo, cujus auctoritate Gilbertus abutebatur, teste Gaufrido. Bernardus Carnotensis non aliunde, quam ex Ottonis testimonio mihi notus. Radulphus Laudunensis ex Guiberto et Hermanno Laudunensi monacho, et ex Gaufrido S. Bernardi notario notissimus (Vide hic tomum VI, col. 1338, » id est, Gaufridi libellum adversus Gilbertum Porretanum sub finem) « uti et Anselmus ejus frater, Laudunensis Ecclesiæ decanus. Commentarios in psalmos, et in Pauli epistolas, atque in Boetium dum condit Gilbertus, nonnulla secus, quam licebat, de divinitate, aliisque religionis capitibus philosophatur. » De ejus autem erroribus sic memorat Otto eodem capite 50. « Erant inter cætera, quæ illi objiciebantur de divina majestate quatuor capitula: Quod videlicet assereret, divinam essentiam non esse Deum. Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ. Quod theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione. Quod divina natura non esset incarnata. Et præter hæc, alia minora » capitula jactabat, « id est: Quod meritum humanum attenuando nullum mereri diceret præter Christum. Quod Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, nisi salvandum; et cætera in hunc modum. » Adisis libellum Gaufridi.

432. Errores item suos disseminavit, infectum blasphemiis toxicum aliis propinans. Etenim, referente Gaufrido in libro III Vitæ S. Bernardi, cap. 2, num. 166, « discipulis suis panes proponebat abconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile quid saperet, imo quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. » Orthodoxis vero id cordi fuit, ut veneno ejus opponerent antidotum. Facta describit Mabillonius a num. 59, his verbis: « Cum vero in frequenti suorum clericorum conventu sermonem habuisset episcopus, eosdemque errores disseminasset, duo ejus archidiaconi, Arnaldus et Calo, rem ad Eugenium III, tunc ad Gallias venientem, apud Senas in Tuscia deferunt. Pontifex causæ examen in Gallias remittit. Archidiaconi interim Bernardum in partes suas pertrahunt. Examen factum Autisiodori et Parisiis, judicium prolatum in concilio Remensi anni 1148. Quid in singulis conventibus actum sit, paucis Otto commemorat, pluribus

Digitized by Google

Gaufridus Bernardi notarius, qui et opusculum de rebus in concilio Remensi hac de re gestis, et post annos inde quadraginta epistolam scripsit ad Henricum cardinalem episcopum Albanensem. Utramque scriptionem hic habes in fine tomi VI.

433. « De conventu Autisiodorensi, qui ab uno memoratur Ottone, nihil singulare comperimus; sed contra non pauca de Parisiensi. Habitum fuisse in *solemnitate Paschali* tradit Gaufridus, ac proinde anno 1147, quandoquidem concilium Remense *mediana quadragesima* anni sequentis fuit celebratum, ex Ottone, et quidem XI Kal. Aprilis, ex Appendice ad Sigebertum. Itaque coram pontifice apud Parisios, coram cardinalibus, episcopis, aliisque venerabilibus et eruditis viris sistitur Gilbertus, de his capitulis responsurus. Id actum *per aliquot dies*. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Parvoponte, vir subtilis et Parisiensis Ecclesiæ canonicus recenter factus, et Hugo *de Campoflorido, cancellarius regis*, sancte affirmantes, se aliqua eorum ex proprio ejus ore audisse. Interim dum hinc inde multa sibi objicerentur, inter cætera dixisse traditur: *Confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum; nec tamen esse hoc, et hoc.* Dictum indigne tulit Joslenus Suessionensis episcopus. Hæc prima die contigerunt. Alia die accusatus, quod in prosa de Trinitate *tres personas tria singularia* vocasset, Rothomagensis archiepiscopus (Hugo tertius is erat) *causam aggravavit*, dicens *Deum potius debere dici unum singulare*. Ita fere Otto episcopus Frisingensis de conventu Parisiensi.

434. « Paulo aliter Gaufridus de eo agit, cui synodum Viterbiensem in eadem causa habitam præmittit. Gilberti ad pontificem delatorem unum memorat archidiaconum Arnaldum, cui cognomen tribuit *Qui non ridet*. In conventu vero Parisiensi unum Gilberto adversarium opponit Bernardum *cui omne negotium Christi, ubicunque eum contigisset adesse, tanquam omnino proprium, protinus incumbebat.* « Requisitus episcopus, ut suam ipsius in Boetium expositionem, in qua suspecta continebantur capitula, proferret: *ad manus se non habere* respondit. Negabat autem episcopus docuisse vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, *quod divinitas non esset Deus*, etc. Huc testes producebat e discipulis suis potissimum duos; Rotoldum scilicet, Ebroicensem episcopum, postea Rothomagensem, et magistrum Ivonem Carnotensem, alium sine dubio ab illustri illo Ivone episcopo Carnotensi. Existimo hunc esse magistrum Ivonem, canonicum Regularem abbatiæ S. Victoris apud Parisios, deinde cardinalem ab Innocentio II creatum, ad quem Bernardi epistola 193. In his altercationibus pontifex jubet prædictum librum afferri ad futurum concilium, *quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat:* tametsi dilatum est in medianam Quadragesimam anni insequentis, sed intra unum annum a conventu Parisiensi, quem in festo Paschali præcedente habitum diximus.

435. « Interim missam ab auctore expositionem in Boetium Godescalcus, tunc in monte sancti Eligii prope Atrebatos abbas, postmodum ejusdem urbis episcopus, Eugenii mandato examinat, et ex ea capitula suspecta elicit, atque ex libris sanctorum Patrum auctoritates ipsis contrarias» notat. Plura in Gilberti vitam et doctrinam attulisset Albericus Ostiensis episcopus et Aquitaniæ legatus, nisi eum paulo ante mors præmatura e medio sustulisset. Demum in concilio Remensi » « *ventum ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat. Sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino papa traditus est sancto Bernardo.* Concilium constabat ex quatuor regnorum episcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ et Hispaniæ. In his aderant viri magni, nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio Burdigalensis archiepiscopus, cujus suffraganeus erat Gilbertus; Milo Morinorum episcopus, Joslenus Suessionensis, et Sugerius abbas S. Dionysii: cui Francorum rex Ludovicus Jerosolymam proficiscens totius regni commiserat administrationem, et quidem addit Otto, *juxta illius cœnobii prærogativam*. Gaufredus de Oratorio, etsi Gilberti doctrinam non probabat, sed homini favebat.

436. « Prima die consistorium ingressis, Gilbertus *magnorum voluminum corpora* per clericos suos afferri curavit, causatus, decurtata tantum testimonia ab adversariis proferri. Et « *Quid necesse est*, ait Bernardus, *circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite aut negate* » Ille ausus est dicere, formam hanc Deum non esse. Tum Bernardus « *Ecce*, ait, *tenemus, quod quærebamus: scribatur ista confessio.* » Ita præcepit summus pontifex, et domnus Henricus Pisanus, tunc Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Clarævallensis monachus, et ex abbate Sancti Anastasii sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum perrexit, et attulit chartam, calamum et incaustum (*i. e.* atramentum). Cum autem scriberet istam confessionem, *Et vos*, infit ad Bernardum Gilbertus, *scribite quod divinitas est Deus.* Ad hoc Bernardus, *Scribatur*, inquit, *stylo ferreo in ungue adamantino.* Cum multis ultro citroque disputatum esset, dixerunt cardinales se deinceps rem definituros. Commoti hoc dicto episcopi, quod cardinales sibi solis causæ definitionem reservarent, Bernardum interpellant, ut Gilberti capitulis alia contraria cum symbolo fidei conderentur, ne (quod Gilberti plurimi ex cardinalibus fautores volebant) re infecta concilium solveretur.

437. « Itaque Bernardus id præstitit: tumque episcopi confessionem ab se subscriptam per Hugonem Autissiodorensem, Milonem Morinensem episcopos, ac Sugerium abbatem pontifici obtulerunt confir-

Digitized by Google

mandam. Id quod facile obtinuerunt. Vocatus demum in conventum Gilbertus in *insigni palatio, cui nomen est Tau* (sic Remensis archiepiscopi ædes appellabantur, ob formam Græci elementi) *capitulis singulis* a se prolatis *libere renuntiavit;* eademque pontifex damnavit cum libro auctoris, districte præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transcribere quis auderet, *nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset.* Dicente Gilberto, se ad nutum pontificis correcturum, pontifex negavit. Hæc carptim ex Gaufrido.

438. « Quædam singularia habet Otto cap. 56, quædam item a Gaufrido discrepantia. Et primo quidem tradit Gilberti examen *finita synodo, et promulgatis decretis* initum fuisse: tum *decursa medianæ Quadragesimæ hebdomada, sacroque Dominicæ passionis tempore inchoante*, Gilbertum in medium vocatum ad judicium. Deinde lectis ab eo orthodoxorum Patrum libris in sui defensionem, Eugenium tædio affectum intulisse, quod Gaufridus Bernardo tribuit, simpliciter diceret Gilbertus, *anne illam summam essentiam crederet esse Deum?* Hunc vero diutina collatione fatigatum, inconsiderate respondisse, *Non.* Quod dictum mox ab ejus ore raptum notarius exceperit. Sub hæc conventu dimisso, totum, quod superfuit, illius diei spatium, eum nocte sequente, amicis suis cardinalibus, quos habuit non paucos, prensandis Gilbertum adhibuisse. Die subsequente recitatum ipsius scriptum, ejusque rationem ab episcopo exactam: eum vero ita demum sententiam suam exposuisse, ut, si Dei nomen pro natura ipsa sumatur, Deum quidem esse concederet; secus si pro persona, ne, si id *indeterminate* profiteretur, eo adduceretur, ut quidquid de qualibet persona dicitur, et de essentia pariter esset asserendum; atque adeo *sicut personam Filii, ita divinam essentiam indeterminate incarnatam, passamque* confiteri cogeretur.

439. « Hanc porro distinctionem ab eo assertam testimoniis Patrum, Theodoreti, et Hilarii, atque auctoritate concilii Toletani *quam auctoritatem cum determinare vellet Claravallensis abbas, et alia verba protulisset, quæ cardinalibus displicerent* Gilbertum petiisse, ut id scriberetur: Bernardum vero, quod Gaufridus notat, respondisse, *scribatur stylo ferreo, ungue adamantino.* Demum abbatem sanctum episcopos convenisse, simulque cum eis fidem suam contra Gilberti capitula exposuisse. Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer cardinalium senatus acceperit, ut hac de re ad pontificem conquesti sint, tum contra episcopos, tum contra Bernardum ipsum, quod *tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo*, ipsis inconsultis, fidem suam scribere ausi fuissent; quæ res ad Romanam sedem pertineret. Tandem Bernardum jussu pontificis, ut cardinales placaret, accersitum, humiliter et cum reverentia respondisse *se, vel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinisse: sed quia ab eodem episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur, idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se, quod sentirèt, exposuisse.*

440. « Quo humili ac modesto responso accepto, prædicta cardinalium indignatio conquieverit *ita tamen, ut præfatum scriptum, tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia non haberetur.* (*Atque ita*) *de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuerit.* Quod mirum non esse, ait Otto; qui et addit, Gilbertum in quanto ab aliis discordasse episcopis *cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio* (*Gilbertus vero*) *personam Filii incarnatam non sine sua natura. De primo tantum Romanus pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi.* Quam summi pontificis sententiam Gilbertus reverenter exceperit, atque archidiaconis suis in gratiam receptis cum ordinis integritate, et honoris plenitudine ad propriam diœcesim remeaverit.

441. « In his omnibus apparet Ottonem Gilberto admodum favisse, nec proinde mirandum, quod in consequentibus addubitet *Utrum prædictus abbas Claræ-vallensis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo, deceptus fuerit: vel episcopus tanquam vir litteratissimus propositum astute celando, Ecclesiæ judicium evaserit.* Verum Otto mortis proximus, teste Radevico lib. II, cap. 11, librum suum, in quo hæc scripserat, sibi afferri præcepit, et religiosis viris tradidit *ut si quid pro sententia magistri Gilleberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur.* De tota hac disputatione merito Gaufridus lectores ad Bernardi sermones in Cantica remittit, nempe ad sermonem 80, in quo vir sanctus eos, qui Gilberti sententiam propugnare pergebant, hæreticos pronuntiare non dubitat: tametsi auctoris nomini ob resipiscentiam parcit. Atque hæc quidem sunt, quæ de causa Gilberti Porretani, cujus sanctus doctor antagonista sublectus fuit, erudite collegit Mabillonius, satis in ea ad rem nostram historice versatus, ut necesse nobis non videatur recurrere ad Baronium ac Manricum. Dictis tamen hactenus superaddi potest narratio Gaufridi biographi lib. III Vitæ nostri sancti, cap. 2, in cujus loci gratiam superiora huc sunt transcripta. De his denique, quæ ex Ottone idemtidem proferebat supra Mabillonius, videri potest Otto ipse in Friderico, lib. I, cap. 46, 47, 50, 51, 52, 55 et seq.

§ XLII. *Henriciani hæretici a Patre Bernardo coerciti; miracula ad destruendos ipsorum errores ab eo facta apud Tolosanos.*

442. Progredienti mihi in capite secundo Gaufridi proxime jam citati offert se num. 168 et seqq. apud nos locus alter elucidandus de hæresi Henriciana in partibus Tolosanis repressa, et patratis ibidem miraculis in confirmationem fidei orthodoxæ, quam

Digitized by Google

magnus Ecclesiæ athleta Bernardus adversus perniciosissimam illam sectam tum verbis tum scriptis egregie ac feliciter defendebat. Quod spectat ad rationem temporis; res in hac causa gestæ affiguntur anno Christi 1147, apud Baronium, Manricum et Pagium. Fuit autem Henricus ille olim monachus, tunc, ait Gaufridus, apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ; hanc vero idem biographus mox recenset ex ipsis sancti verbis, afferens fragmentum epistolæ, quæ est ordine ducentesima quadragesima prima, ad principem Tolosanum, de qua mox plura dicemus. Errores etiam hominis impiissimi e Petro Cluniacensi ad dictum annum recenset Baronius, atque ex hoc Manricus ad eumdem annum cap. 12, his verbis signat: « Quod infantibus baptismus sit negandus. Quod templa, et ecclesiæ superflue fabricantur. Quod crux Dominica honoranda, vel adoranda non sit. Quod corpus Domini in sacramento altaris non existat. Quod vanum sit pro defunctis orare. Quod canticis et hymnis ecclesiasticis Deus irrideatur. » Ita ille de blasphemis Henrici dogmatibus.

443. Et continuo sic progreditur idem historicus Cisterciensis: « Hos contra errores succensus Eugenius Papa, legationem decernit, atque Albericum sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, episcopum Ostiensem, quo non præstantiorem in sacro collegio noverat, legatum instituit, serpenti malo efficaciter obviaturum. Is Bernardum legatiæ socium efflagitat, quo sine nihil magnum in toto orbe; per quem prospere cuncta peragerentur; defessum hominem et fractum tot itineribus, sed necessarium adhuc, talemque, qui se indigenti Ecclesiæ non negaret: exponendam salutem ejus quantumvis utilem, exponendam et vitam, ne, pereunte gente Tolosona, lues in confines provincias grassaretur. Ergo Bernardus in socium datus viro, post longam quamvis peregrinationem jam tertio hoc anno avulsus a suis filiis. « *Hac necessitate*, inquit Gaufridus, *iter arripuit, ab ecclesia regionis illius (Tolosanæ) sæpius jam ante rogatus, et tum demum a reverendissimo Alberico, Ostiensi episcopo, et legato sedis apostolicæ persuasus et reductus.* » Prius autem episcopum Carnotum [*leg.* Carnotensem] Godefridum vocavit in partem sollicitudinis, virum utique ingentem opinione, nec minus sapientia pollentem, quam sanctitate. Inde ad Alphonsum, sancti Ægidii comitem, has sui adventus prænuntias litteras dedit; » quas historiæ suæ inserit Manricus. Præter fragmentum earum, quod exstare apud Gaufridum modo indicabam, alia nonnulla ex istis litteris visum non est excerpere, quia obviæ sunt lectoribus.

444. Non præterierim tamen proferre earumdem elogium, quod Baronius ad annum Christi 1147, priusquam illas Annalibus suis intexat, in hæc concinnatum verba reliquit num. 20: « Quæ quidem epistola Dei beneficio adhuc exstat tanquam gladius in sanctuario asservatus, quo Goliath præcisum est caput: quæ et simul ad conficiendos reliquos Dei hostes sit potens. Dum vero illam reddiderat laudatus Annalium auctor, sequentia duxit eidem subscribenda num. 23. Audisti, lector, pseudoapostolus unde venerit, et ad quid venerit: nempe ex religione apostata, ut solutis quibuslibet, quibus tenebatur astrictus, ne diffluueret in carnis opera, vinculis, et ad perficienda mala cuncta, quæ vellet, liber ut esset, hanc carnis libertatem docebat filios hominum. At dum sanctus Bernardus describit Henricum, plane iisdem coloribus pingere visus est nostri temporis infelices hæresiarchas, ex apostasia pariter prodeuntes, et in luxuriæ gurgitem, ut in lutum porcos, sese præcipites dantes. » Hactenus Baronius, et sapienter.

445. Porro viri sancti in urbem Tolosanam adventum, irruentes in eum præ avidissimo affectu populorum turbas, ingentemque fructum memorat Gaufridus antea allegatus. His deinde subnectit miracula, quibus Deo placuit orthodoxæ fidei præconis, errorumque eidem adversantium expugnatoris sermonem confirmare. At de prodigiis erit mihi sermo § proximo; ubi prius addidero antecedentibus, quæ jam retuli, peculiares notitias, quæ virus Henricianum, ac sancti Patris adversus illud labores illustrent. In hanc rem diligenter ac erudite jam pridem incubuit Mabillonius in sua Præfatione generali ad Opera S. Bernardi § 6; unde ista huc transferre placet:

446. « Bernardi in rem Christianam studium exercuit in primis Henriciana hæresis, quam factis et scriptis strenue exagitavit... Henricus, quem vir sanctus monachum apostatam, et post eum Gaufridus appellat, pseudo-eremita vocatur in Actis episcoporum Cenomanensium, tomo tertio Analectorum (a laudato Mabillonio vulgatorum) ubi ejus mores et perversi actus accurate describuntur. Quo ex loco ortus sit, non satis indicant hæc verba: *Per idem fere tempus, nempe sub Hildeberto episcopo, in adjacentium finibus regionum, surrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile scorpionibus et parricidalibus dignum protestantur suppliciis.* Is sub ementito sanctitatis et scientiæ nomine, turpia flagitia exercens, omnium mortalium excessus, cæteris incognitos, ex solo aspectu se cognoscere jactitabat. Missi ad Cenomanos duo ejus discipuli die Cineris suburbia civitatis attigerunt. *Gerebant ex sui doctoris consuetudine baculos ac vexillum crucis, colore et exteriori conversatione habitum prætendentes pœnitentium.* Hac specie delusi Cenomanni eos tanquam angelos susceperunt. Eosdem etiam blande excepit Hildebertus episcopus, qui « *Romanum iter (agressurus), inter cætera suis injunxit archidiaconis, ut illi pseudoeremitæ Henrico pacificum ingressum et licentiam sermocinandi ad populum permitterent.* » Cujus rei postmodum ipsum abunde pœnituit.

447. « Ex his forte quis inferat Henricum fuisse ortum ex proxima Cenomanis regione, quibus primum suæ perversæ doctrinæ virus propinavit? Si enim jam aliunde notus fuisset, eum in suam civita-

Digitized by Google

tem non tam facile admisisset Hildebertus antistes doctus et oculatus. Verum ex longinqua regione istuc accedere potuit, et fortasse ex Italia, ut postea dicturi sumus. Henrico civitatem ingresso, *vulgus solito more applausit novitati. (Quin etiam) plerique clericorum eidem alimenta ministrabant, tribunalque præparabant, unde concionator ille turbas alloqueretur (qui) mirum ad modum facundus erat. (Eo audito) plebs in clericos versa est in furorem, (eos habens) sicut ethnicos et publicanos : (adeo ut) famulis eorum minarentur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel ab eis emere vellent. (Imo) non tantum eorum ædes obruere, et bona dissipare, sed illos lapidare, aut affigere patibulo decreverant, nisi princeps et optimates nefandis ausibus restitissent.*

448. « Hoc serius licet comperto, clerus Cenomanensis Henrico, ejusque sociis prædicationem edito libello interdixit. Quare Henricus, Hildeberti reditu intellecto, secessit in castrum sancti Carilefi, nequaquam ab incœptis desistens, sed ad pejora prorumpens in dies. Interim cum Hildebertus, ex Romano itinere reversus, populo benedictionem impertiri vellet, indigne habitus est a populo, hæretici sermonibus corrupto. Tum ille seductorem adiit, sciscitatus, cujus ordinis fungeretur officio. Hic vero se diaconum esse respondit ; qui ex illa provincia discedere jussus, « *clam aufugit, cæteras regiones, nisi ecior esset fama, simili modo perturbaturus, et viperino flatu suo infecturus.* » Hactenus ex actis Hildeberti.

449. « Inter hæc duo Henrici discipuli, Cyprianus et Petrus, ab ejus præstigiis resipuerunt, ut fidem facit encyclica Hildeberti epistola 78, in qua ita eorum magister depingitur : « *Henricus is erat, magnus diaboli laqueus, et celebris armiger Antichristi. Huic et habitu religionem, et verbis litteraturam simulanti, tam diu præscripti fratres adhæserunt, donec eis et turpitudo in vita, et error innotuit in doctrina. Ubi enim cognoverunt vias ejus vias esse non rectas, prius ad se reversi sunt ; dehinc ad nos transierunt, cujus diœcesim sic infecerat, ut renitens ei clerus vix inter parietes ecclesiæ suam tueretur libertatem.* Ita Hildebertus serius agnovit. quantum periculi immineat ex incauta approbatione novorum doctorum, qui sub specie pietatis animos auditorum corrumpunt.

450. « Ex his patet Henricum illum longe prius Cenomanos infecisse, quam ad partes Tolosanas, unde eum expulit Bernardus, subiret ; quippe cum Romanum iter, quod Hildebertus adhuc Cenomanensis episcopus aggressus est, quo tempore infamis ille præstigiator zizania sua seminavit apud Cenomanos, contigerit ante annum 1125, quo anno Hildebertus in metropolim Turonicam migravit. At vero Bernardus non nisi anno 1147, ad Tolosanas partes profectus est. Et certe in epistola 241, quam in partibus Tolosanis constitutus scripsit ad Hildefonsum comitem, id satis innuit vir sanctus his verbis : « *Inquire, si placet, quomodo de Lausana civitate exierit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pictavi, quomodo de Burdegali.* » Hæc quippe videtur esse series itineris illius apostatæ, qui a Lausana, deinde a Cenomanis prædicandi exordium sumpsit.

451. « Et fortasse Lausanam venerat ex Italia, ex qua ejusmodi fæces in partes Gallicanas transmigrarunt, reliquiæ Manichæorum, uti et illi Cameracenses hæretici ex Italia advecti, qui anno 1125 damnati sunt in synodo Atrebatensi, quo etiam tempore similes ejusmodi pestes apud Aurelianos igni perierunt. Et quidem Henricianos appellat Manichæos Exordium Cisterciense in libro VII de Vita S. Bernardi, cap. 17, ubi legatus papæ, aliique episcopi, pro confutanda hæresi Manichæorum, ad partes Tolosanas cum viro sancto accessisse memorantur. Jam vero quo pacto ejusmodi hæreticis, eorumque sequacibus, Manichæorum nomen et errores competant, illustrissimus Meldorum episcopus in eximio Opere suo, quod de variationibus hæreticorum scripsit, luculenter ostendit libro XI.

452. « Iidem Henriciani hæretici in Petrocorios effusi, Pontio duce et antesignano, uti docet Heriberti epistola in tomo tertio nostrorum Analectorum : ubi peculiaria Pontianorum illorum commenta referuntur. Inde est, quod Bernardus ad Petrocorios seu Petragoricos populos se contulit, ut patet ex tertia parte libri VI, qui est de ejus miraculis, num. 4, ubi Arianos plurimos apud Tolosates invenisse, eosque, uti et Henricum hæreticum, fugasse memoratur. Quin etiam idem Henricus, in Pisano concilio antea damnatus, et Bernardo ut monachus in Claravalle fieret, commissus dicitur. Verum ille acceptis a Bernardo ad Clarævallenses litteris, in suscepto semel errore obfirmate persistere maluit, quam ad salutis viam hoc compendio redire.

453. « Henricum vivis coloribus depingit Bernardus in prædicta epistola 241, ubi eum litteratum, speciem habentem pietatis, sed aleis et meretricibus deditum scribit. Impia ejus dogmata hæc fere commemorat : sacerdotum et clericorum respectus nullus ; sacramentorum atque festorum abolitio ; baptismus parvulis negatus. Alterius classis erat apud Hildebertum in epistola 51 hæreticus ille, qui sanctorum intercessiones rejiciebat, ipsum Hildebertum in suæ sectæ patrocinium traducere perperam conatus. »

§ XLIII. *Alii hæretici a Sancto impugnati.*

454. Quærit Mabillonius citatus, « an iidem cum Henricianis fuerint hæretici illi, quos Bernardus in sermonibus 65 et 66 super Cantica impugnat. Et quidem non alios fuisse, aliquando mihi fuit persuasum : at reperta Evervini abbatis Steinfeldensis epistola, quæ prædictis sermonibus occasionem dedit, mutanda est sententia. Colonienses quippe fuerunt isti hæretici, in nonnullis quidem consentientes cum Henricianis, sed ab his in multis discrepantes. Colonienses in duas classes distinguit Evervinus. Uni dicebant Ecclesiam apud se tantum esse, quasi ipsi soli vestigiis Christi inhærerent. In cibis vetabant lactis usum,

Digitized by Google

et quidquid inde conficitur. In sacramentis suis velo se tegebant, et quotidie cibum et potum suum in Christi corpus et sanguinem se consecrare asserebant : cæteros in sacramentis procul a veritate abesse. Præter baptismum aquæ, alium admittebant in igne et spiritu per solam manuum impositionem. Baptismum vero nostrum cum nuptiis respuebant. Denique aiebant quemlibet e suis electum seu baptizatum habere potestatem alios, qui digni fuissent, baptizandi, et in mensa sua corpus Christi et sanguinem conficiendi.

455. « Alii vero sacerdotibus Ecclesiæ, utpote sæculari more viventibus, consecrandi potestatem abjudicabant, aliaque sacramenta conferendi, excepto baptismo, quem solis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud quod inter virgines masculum et feminam contrahitur, fornicationem reputabant. Postremo suffragia sanctorum, jejunia, cæterasque corporis macerationes respuebant, uti et purgatorium, et suffragia pro mortuis. Itaque Henricianis et Coloniensibus hæreticis communis fuit genius, odium in Ecclesiæ ministros, sacramenta, baptismum parvulorum et nuptias : pauca peculiaria, quæ non sectæ genus, sed quamdam tantum capitum diversitatem arguunt. Uno verbo, diversi fuerunt rami, sed ex eadem radice prodeuntes. Nec dubitem Colonienses illos hæreticos ex Tanchelmi officina prodiisse. »

456. A superiore hæreticorum colluvie distincti nomine saltem fuere Apostolici, uti se vocabant : de quibus historicus Cisterciensis ad annum 1147, cap. 14, hæc litteris consignat : « Henricianis hæreticis compressis, et magna ex parte Ecclesiæ reconciliatis, jam Pater sanctus ad suos revertebatur. Cum, ecce incidit in aliam sectam hominum, qui se Apostolicos volebant appellari. Rusticum quidem genus agresteque, et sine præceptore aut duce, quem sequerentur; sed eo difficilius dissuadendum : quippe singulis seorsim adeundis, et quibuscum nec Scriptura utendum, nec ratione. De his sanctus reversus jam ad filios, cum toties pro Ecclesia, hoc est, pro sponsa Canticum interruptum reassumpsisset, Sermone (66.) : *Rusticani homines sunt, et idiotæ, et prorsus contemptibiles. Sed non est, dico vobis, cum eis negligenter agendum. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* Et paucis interjectis, « Quære, » inquit sanctus doctor, « ab illis suæ sectæ auctorem : neminem dabunt. Quæ hæresis non ex hominibus habuit proprium hæresiarcham? Manichæi Manem habuere principem et præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunomiani Eunomium, Nestoriani Nestorium. Ita omnes cæteræ hujusmodi pestes, singulæ singulos magistros homines habuisse noscuntur, a quibus originem simul duxere et nomen. Quo nomine istos titulove censebis? Nullo. Quoniam non est ab homine illorum hæresis, neque per hominem illam acceperunt, » etc.

457. Jam vero quia nec habebant auctorem, nec nomen, Apostolos se nuncupari volusse, testatur sanctus in eadem epistola his verbis : « Non ignoro, quod se et solos corpus Christi esse gloriantur. Sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi ad nutriendum se in corpus Christi et membra! Nempe jactant se esse successores apostolorum, et Apostolicos nominant, nullum tamen apostolatus sui signum valentes ostendere. » Habes verba S. Bernardi de istis hæreticis : cujus si dictum consideres, *Quo nomine istos titulove censebis? Nullo;* probabilius est, eos nomine et auctore ab Henricianis fuisse diverses. Coloniensibus tamen eos adnumerat Mabillonius in notatione ad mox productum locum, hæc observans : « Nescio, an id dicturus fuisset Bernardus, si Colonienses isti Henricum, a quo Henriciani hæretici, auctorem habuissent. Quanquam similia utrorumque dogmata erant, ut patet conferenti epistolam 240. Coloniensium duas classes notat Evervinus, quas Bernardus non nisi obscure distinguit in fine Sermonis 65. »

458. Adversus impurissima itaque ac perversissima hujusmodi sectariorum dogmata calamum strinxit sanctus doctor. Videsis sermones ejus 65 et 66 jam allegatos, nec non eminentissimum Baronium ad annum Christi 1147, hoc viri sancti elogio rem concludens : « Quem scientia divinitus illustratum, in virtute miraculorum multiplicium a Deo missum et probatum, atque egregia vitæ sanctitate imbutum, Dei amicum fuisse cum certo sciam, ipsi penitissime inhærendo, qui inhæsit Deo, securus existo : deplorans ex Christiana charitate perditissimos novatores, qui hos nefandissimos sectantes brutos hæreticos, iisdem, plane immensa cæcitate percussi, plus deferant, quam Bernardo : ut jure cum Jeremia sit exclamandum : Obstupescite, cœli, super hoc. »

459. Quæ de sancti doctoris miraculis apud Tolosanos factis in confirmationem fidei orthodoxæ adversus colluviem Henricianam, refert Gaufridus supra assignatus, tam parca sunt, ut mereantur ex aliis documentis suppleri. Ac primo quidem loco prodeat illud, quod legitur in Exordio magno Ordinis Cisterciensis apud Tissierium distinctione 2, cap. 18. « Dum adhuc in eadem regione (Tolosana) reverendissimus Pater moraretur, et tanquam ex apostolis unus circuiret per castella et civitates, evangelizando et curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima deliramenta redarguendo, convincendo, confutando, accidit, ut cæcus quidam in vicinia eadem, comperta fama virtutum atque signorum, quæ per manus hominis Dei multiplicabantur per dies, spe recuperandæ sanitatis animatus, eumdem Dei famulum adire decrevit [*fort.* decreverit], si forte beneficio cœlestis gratiæ, quæ per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque, cæcitatis caligine detersa, lumen dulce restitueretur. Accelerans itaque, et ubinam san-

Digitized by Google

ctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audivit, eum in quodam celebri conventu in medio magnæ multitudinis consistere, verbumque vitæ disseminare.

460. « Quo, cum pedibus offendens, et anhelus currens, pervenisset, tristi rumore percellitur, quoniam vir Domini jam inde recesserat, et ad alia loca transmigraverat. Quid tamen ageret, siquidem desiderium recipiendæ sanitatis cum eum ulterius currere compelleret, densissimæ tenebræ, quæ oculos ipsius obsederant, pigrum et minus expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis constitutus multa tristitia contabesceret, subito divina gratia inspiratus, et de meritis beatissimi viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait : Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum in quo hominem Dei stetisse, vel sedisse, certissime scitis. » Quod cum benevolentia eorum, qui aderant, continuo consecutus fuisset, veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, miraque devotione pulverem ipsum, in quo sacra viri Dei vestigia steterant, deosculando, Domini quoque misericordiam per merita servi sui enixius implorando. Quod dum faceret, et de ipso pulvere, fide plenus, oculos suos confricaret, repente, miserante Domino, qui sanctitatem famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solum catholicis orthodoxæ fidei firmamentum contulit, verum etiam maligloriis hæreticis confusionis et opprobrii notam adauxit. » Hactenus Exordium.

§ XLIV. *Hæretici obdurati a Deo puniti; sanctitas Bernardi et miracula in summa sunt veneratione apud Tolosanos; inde non est profectus in Hispaniam.*

461. Verum non divinis duntaxat favoribus causam Dei ac veræ fidei promovit sanctus noster thaumaturgus apud Tolosanos; sed etiam eos, qui audientes vocem Domini per Bernardum, obdurabant corda sua, pœnis coercuit, ex Chronico mox citando : « Ægrotantem ergo terram tantæ infidelitatis disgratia [*i. e.* infortunio] vir religiosus beatus Bernardus Claravallensis abbas, vita et litteratura conspicuus, zelo fidei accensus, aliquando visitavit, et ad castrum Viridisfolii, quod eo tempore vernabat militari multitudine, et vulgari, duxit ocius accedendum, intendens quod, si posset, ibi exstinguere hæreticam pravitatem, quæ locum ipsum multum infecerat, facilius contra eam in aliis prævaleret. Cumque cœpisset sermonem in ecclesia proponere contra eos qui majores erant ibi, illi ecclesiam exierunt : quos et populus est secutus : quos vir beatus sequens, in platea cœpit proponere verbum Dei. Illi autem per domos undique latuerunt. Eo tamen plebeculæ circumstanti nihilominus prædicante; sed eis perstrepentibus, et fores percutientibus, ut et nec plebs posset percipere vocem ejus, et allegantibus verbum Dei, excusso pedum pulvere in testimonium illis, ut esse pulverem, et reversuros in pulverem declararet, exivit ab eis, et ipsum castrum respiciens, maledixit dicens: Viridefolium, desiccet te Deus.

462. « Quod quidem manifestis indiciis perseverat. Nam eo tempore, sicut antiqua tenet relatio, erant in eodem castro centum hospitia militum, equos cum intersignibus, et arma habentium, ad avenam alienam non revenientium, sed ad suam; ex tunc vera pauperies, sicut vir armatus, cœpit occurrere eis frequenter; quos aut grando frequens, aut sterilitas, aut seditio, aut guerra etiam parum quiescere non permisit. Nam et ipse, cum infans essem, vidi nobilem virum dominum Isarnum Nebulatum, qui fuerat major dominus Viridisfolii, qui bene dicebatur ætate centenarius, Tolosæ contentum uno roncino pauperrime commorantem. Qualiter autem et quantum animadversum est, Dei judicio in plures, qui defecerunt, ejusdem castri dominos, ipsa rerum declarat evidentia : dum quod vir sanctus maledixerat, nequiverit reparari, donec dante ipsum castrum comite Montisfortis venerabili patri domino Fulconi, episcopo Tolosano, ex tunc cœpit paulatim, expulsis inde dominis, reformari, sicut suo loco sequentia declarabunt. » Hæc narrantur in Chronico magistri Guillelmi de Podio-Laurentii, quod Catellus vulgavit ad calcem suæ Historiæ comitum Tolosanorum, capitulo 1. Terminos duos in textu occurrentes expono. Viridefolium, vernacule *Verfeuil*, castrum est in diœcesi Tolosana, apud quod S. Dominicus postea congressus est cum hæreticis Albigensibus. Roncinus autem mihi hic est equus minor, gregarius, Gallis *roncin*, *roucin*, vel *rossin*. Consule Glossarium Cangii. His itaque supplentur quæ Gaufridus memorat de miraculis S. Bernardi apud Tolosanos.

463. Miracula porro ac prædicatio, nec non famæ eximiæ sanctitatis mirabilem ibidem erga illum concitavere venerationem; uti patet ex eo quod in ipso etiam ad Tolosanos adventu, atque adeo priusquam ullum forte signum apud ipsos patrasset, adeo jam tum in amoribus ibi fuerit, ut nihil supra. Audiatur Gaufridus lib. III, cap. 2. « Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cœlo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset, » etc. Quid? « quod tanta fuerit multitudo irruentium populorum, benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut, tenerrima prorsusque attenuata carne ipsius compressionem et impetum crebro deosculantium ferre non valente, manus et brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, et unde alii benedictionem sibi per virtutem, quæ de illo exibat, procurabant, inde ipse debilitatus, et penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret; » ex magno Exordio distinctione 2, cap. 18, post relata signa viri sancti, quæ in regione Tolosanorum facta sunt.

464. Adeo autem insignis ibidem veneratio de ipso concepta atque hominum animis penitus insita

Digitized by Google

erat, et palam inclaruerat, ut a quodam malevolo et hæretico sycophanta evelli vel obscurari non tantum non potuerit, sed etiam magis fulserit, dicaculi istius loquacitate, qua virum Dei impetebat, prudenti hujus responso retusa. Factum narrat Exordium magnum distinctione 2, cap. 17. « Quodam tempore, ait, cum legatus domini papæ, aliique episcopi, pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas sanctum Domini Bernardum secum traherent, paraverunt ei fratres equitaturam solito meliorem, quæ tam longo itineri sufficere posset. Qui cum ad illas partes, comitantibus episcopis devenisset, Henricus quidam monachus niger, tunc autem apostata vilis, et eorumdem hæreticorum princeps, cognito adventu famuli Dei, veritus est a facie ejus, sciens quia non posset resistere sapientiæ et spiritui, qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, et minime potuit usquam eo tempore reperiri.

465. « Ibi quoque glorificavit Dominus servum suum in conspectu totius populi, et principum terræ, faciens quotidie, per manus illius, signa et prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest quanta turbarum infinitas apostolicum virum tota die prosequebatur : dum alii eruditionem, alii curationem, universi benedictionem ab eo postularent. Quadam igitur die, præsente innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide catholica conservanda, et de immunda hæreticorum societate vitanda commovisset, contigit adesse quemdam de hæreticis illis, qui potentior cæteris atque prudentior videbatur. Qui cum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, et daret maculam in gloria illius. Jamque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, vir Dei equum suum ascenderat ut abiret. Et ecce prædictus hæreticus, quasi coluber tortuosus erecto capite venit ante hominem Dei, et clamans coram omnibus ait : « Domine abbas, sciatis quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus et pinguis est, sicut iste sonipes vester. »

466. « Quo audito, vir mitis et patiens respondit ei mox tranquillo vultu et animo dicens : Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis quæ natura prona atque obedientia ventri finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit, nihil inde justitia læditur, quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego et magister tuus, de cervicibus jumentorum : sed unusquisque de collo suo judicabitur. Nunc igitur, si placet, respice collum meum, et vide : et si grossius est collo magistri tui, inde me forsitan juste reprehendes. Hoc itaque dicto caputium exuit, et capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat, productum et graeile : quod quamvis esset carnibus exsum et tenue, erat tamen ex dono cœlesti pulchrum et candidum nimis, sicut collum oloris. Quod cum viderent universi qui aderant, lætati sunt lætitia magna, benedicentes Dominum, qui dedit in ore famuli sui tam paratum et conveniens responsum, unde confunderetur, et obstrueretur os loquentium iniqua.

467. Annalista Cisterciensis cum ad annum 1147, cap. 13, edocuisset, quam se gesserit egregie S. Bernardus in prædicatione Tolosana, refert ac refellit sententiam illorum, qui volunt virum Dei in Hispaniam fuisse profectum. Opinio hæc si vera foret, huic anno iter illud innectendum, observat duabus de causis, « tum quia in eo monasterium de Spina fundatum est, ut suo, ait, loco dicemus; tum quia ex Tolosa transitus facilior, quippe provincia Hispaniæ convicina. » Ita ille, subjiciens argumenta adversus hanc sententiam male fundatam; sed nos illa aliunde promemus. Dum anno Christi 1721, essemus Matriti, manuscripta posthuma Nicolai Antonii v. cl., et bibliotheca Hispana a se in lucem data reipublicæ litterariæ notissimi, nobiscum communicavit perhumaniter reverendus admodum et amplissimus dominus Adrianus de Cominck, propinquus laudati auctoris consanguineus. In istis vero mss. totus est clarissimus hic Hispanus scriptor in impugnandis et convellendis figmentis fabulosis, ac commentis apocryphis pseudochronographorum famosorum, imo vero, loquamur aperte, infamium. Proferamus itaque hic quæ ex ejus mss. deprompsimus ad præsens institutum. Confutat autem personati Juliani Petri, archipresbyteri S. Justæ, typis editi, locum, qui est in ejus Adversariis pag. 96, num. 418.

468. « Novum quoque et inauditum hactenus, imo falsissimum est S. Bernardum, Clarevallensem abbatem sanctissimum in Hispaniis fuisse, et quidquid loco mox citato mendaciorum et ineptiarum continetur. » Hæc igitur ibi lego in Adversariis : « Ex quo imperator Adefonsus cepit Toletanam civitatem, et Christianis restituit, jussit, ut vocaretur civitas imperatoria, caput imperii Toletani et Hispani, et imperator, ut dictum est, auctoritate Anastasii papæ IV coronatus est : et ideo Bernardus Claravallensis vocat eum sic. Hic sanctus vir venit in Hispaniam cum fratre Bernardo, et invisit monasteria Toleti S. Clementis, et S. Dominici Exiliensis, et postea ad moniales S. Clementis scripsit. Fundavit in Hispania monasterium dictum de Spina. » Fabulatorem hunc ita castigat laudatus Nicolaus Antonius : « In primis duos Alfonsos VI et VII, pueriliter confundit : nam sextus Toletum cepit a Mauris; septimus vero, prioris nepos, ex Urraca filia ille fuit, quem coronatum imperatorem Anastasii papæ auctoritate nos jam docuerat in Chronico..., quamvis uterque eorum imperator ab eo audiat, quod revera appellati sunt.

469. « Deinde quod dicitur S. Bernardum scri-

Digitized by Google

psisse ad hunc Alfonsum VII, imperatoris nomen ei attribuendo, æque falsum est, aut certe nusquam rei indicium reperias inter epistolas sancti abbatis. Duæ editæ sunt ad Alfonsum; sed Portugaliæ regem primum; nempe 308, ac 367, quæ nihil ad Julianum. Eumdem autem Bernardum ad Hispanias venisse negat apertis verbis ejus Vitæ cujusdam partis auctor Gaufredus Clarevallensis monachus, sancti Patris alumnus, et qui se ait omnibus, quæ narrat, interfuisse. Is auctor est secundi lib. qui alias tertius, et quartus et quintus dicitur Vitæ S. Bernardi; ut constat ex præfatione hujus partis in editionibus studio clarissimi viri Jacobi Merloni Horstii digestis (Parisiensem habemus anni 1658). Apertissime is, ubi de variis et illustribus miraculis Coloniæ, Aquisgrani, Leodii, Cameraci, et in Hispania factis caput sextum libri IV inscripsisset, de Hispaniensibus miraculis sic præfatur: *Nam et in Hispania, ubi præsens ipse non fuit, sanctitatis ejus indicia claruerunt.* Quo quidem Gaufridi testimonio utitur doctissimus Benedictinorum ordinis scriptor F. Antonius Yepesius tom. VII, centuria 7, anno 1146, fol. 370, col. 4, ad arguendum nonneminis errorem (hunc commisit noster Joannes Mariana in Historia de rebus Hispaniæ lib. X, cap. 12, ad annum 1123) qui deceptus non obscuris sancti abbatis ad Petrum Venerabilem ex Hispania redeuntem verbis, epistola 227, « quæ est 228 in editione Mabillonii » locutum de se ipsum Bernardum credidit. Nec minus aliquam epistolæ ad S. Clementis Toletanæ urbis sanctimoniales directæ comprobationem, quæ ruinosam asseverantes fidem quoquo modo commendat, invenimus.

470. « Claudit mendaciorum agmen tributa eidem viro sanctissimo fundatio apud nos monasterii de Spina, quod in [amœno loco] utriusque regni Castellæ Legionis, a Vallisoleto sex, a Tauro urbe quinque leucis distans, nomenclatura ista propter spinam coronæ Dominicæ in ea servatam, Sanciæque infanti, Alfonsi VII imperatoris sorori, domus fundatrici, a Ludovico juniori dicto, Franciæ rege, Parisiis prætereunti donatam gaudet. Rem narrat idem Yepesius eod. tom. VII, anno 1143, cap. 1, fol. 328, adductis et explanatis iis quæ significare quodammodo videbantur, præsenti Bernardo oblatum, et in manus traditum a Sancia monasterium congruenter dotatum; nempe dotationis ipsa charta, qua dono dare se Bernardo, Clarævallensi abbati, ait pia heroina, hæreditatem S. Petri de Spina, et item privilegio quodam Alfonsi regis, Sanciæ fratris, in ampliationem ejusdem domus similiter concepto : quæ quidem æque ac de præsentibus dici de absentibus, quorum in gratiam donationes et oblationes celebrantur, passim consuevere.

471. « Siquidem S. Bernardum, misso fratre suo Nivardo (Bernardum legimus apud Julianum) in Hispanias, cujus inde et a Sancia ad se reversi vir sanctissimus meminit in quadam epistola, ad eamdem directa, quæ est 301, piæ donationis exceptorem manus et industriam fabricæ admovisse, constans fama ejusdem domus est, confirmata rudibus, sed antiquis his versibus, quos passim veteribus muris inscriptos, et aulæis intextos domestici referunt:

PETIT ÆDIFICAT DITAT
SANCIA BERNARDUS PER NIVARDUM ALFONSUS
PROTEGIT APERIT
SPINEA CORONA PETRUS.

Petro enim apostolorum principi dicata primum fuit ea religiosorum ædes, templumque de S. Maria postea nuncupata. Monasteria S. Clementis Toletani monialium; item S. Dominici Exiliensis virorum, adiisse Bernardum falso dixit Julianus, adventum clarissimi abbatis ad nos mentitus. »

472. Porro de fundatione S. Petri de Spina tractat Manricus ad annum 1147, cap. 18, ubi ex epistola S. Bernardi 301, quæ superius citata est, Nivardi (fratris natu minimi ex fratribus sancti doctoris secundum carnem, an alterius?) adventum in Hispaniam magis, quam finem constare, fatetur. Si quis autem de pseudoJuliani Petri, S. Justæ Toletanæ archipresbyteri, uti se nominat, plura nosse desiderat, laudatum Nicolaum Antonium consulat tomo II Bibliothecæ Hispanæ veteris, cap. 8, ubi auctor ille eruditus Opera ejus examinat, et uti falsa et commentitia castigat; eorumque inventori personato larvam detrahit. Capite autem 9, producit duodeviginti locos, ex quibus Juliani Chronicon et Adversaria refelli, cuivis sit exploratum.

473. Quid, quod ipsemet Tamayus, tam credulus alioqui, tamque misere simplex atque immodicus pseudochronicorum hujusmondi æstimator, in suo Martyrologio Hispano tom. II, ad diem 3 Aprilis, pag. 469, pronuntiare coactus fuerit ista: « Videmus passim in hisce Juliani Adversariis tot glossematum ineptias, quod potius ferrum, quam illas deglutire compelleremur. » Verum hæc ex incidenti, ut ita dicam, relata sint de commentitio S. Bernardi itinere in Hispaniam. Veris certe et ita multis ad exstinguenda schismata et exstirpandas hæreses abundat et inclarescit peregrinationibus vir plane apostolicus, ut falsam ipsi affingere, necesse neutiquam sit. Nunc videtur nobis opportunum, hisce, quæ in isto genere fecisse ipsum antea narravimus in depellendis malis ab Ecclesia Dei, subjungere bona innumera, seu profectum in emendandis moribus reipublicæ Christianæ.

§ XLV. *Sanctus Pater in emendandis ecclesiasticorum, monasticorum, ac sæcularium moribus fructuose intentus.*

474. Argumenti hujus materiem ac formam debemus, et acceptam referimus eruditissimo Mabillonio, qui in sua præfatione generali in novam suam operum S. Bernardi editionem, § 3 sic memorat: « Corruptos sui sæculi mores passim luget ac deplorat vir sanctus, maxime in Ecclesiæ ministris, quorum plerosque ad meliorem frugem adduxit, adeo ut tota Ecclesiæ ac cleri, in primis Gallicani facies suis monitis ac sermonibus penitus immutata fuerit, et in antiquum decus restituta. Quippe Eugenium, vi-

Digitized by Google

rum sanctissimum, Romanæ sedi suppeditavit, atque in eo Romanos pontifices omnes ad rectam et legitimam suæ dignitatis administrationem erudivit, et accendit libris editis de Consideratione plane divinis. In episcopis Henricum Senonensem, Stephanum Parisiensem, aliosque permultos ab aulico vivendi genere ad mores episcopali ordine dignos revocavit; multos etiam e suis in aliorum exemplum episcopos protulit. Clericis omnibus salutaria monita dedit in sermone de Conversione ad clericos. Quæ omnia si quis accurate videre cupit, legat librum sextum de Vita sancti Bernardi Gallice edita, cujus Vitæ tres libri posteriores ex ejus scriptis magna cum pietate et cum insigni delectu contexti sunt. De moribus et officio episcoporum legenda in primis epistola 42, ad Henricum Senonensem, quæ in Tractatuum classem modo tomo secundo relata est. Merito itaque in libro de episcopis Virdunensibus dicitur is esse Bernardus, *cujus consiliis regna, et ecclesiæ Gallicanæ hodie*, inquit auctor in Spicilegio Acheriano tom. XII, pag. 311, *innituntur*.

475. Erat in eo mirifica dicendi *gratia ut non posset ne ipsius quidem stylus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem (Quippe) placabilem, et persuasibilem, et eruditam linguam dederat ei Deus, ut sciret, quem et quando deberet proferre sermonem : quibus videlicet consolatio vel obsecratio ; quibus exhortatio congrueret vel increpatio : ut nosse poterunt aliquatenus qui ejus legerint scripta, etsi longe minus ab eis, qui verba ejus sæpius audicrunt.* Quod si ejus scripta legendo ita accendimur, quanto magis illi, qui loquentem audiebant? Non itaque mirum, quod Deus tot et tanta in sui temporis hominum salutem [per eum operatus est.

476. « Quis vero explicet, quæ et quanta ab eodem patrata sint ad monastici instituti primigenium fervorem denuo suscitandum? Testantur hoc eximiæ ejus hac de re epistolæ ad scriptiones, liber De præcepto et dispensatione, Apologia ad Guillelmum abbatem, variique sermones : in quibus monachos ad retinendum revocandumque veterum Patrum primarium institutum animavit, id est, ad pœnitentiæ labores, austeritates, modestiam et humilitatem, paupertatem, mundi contemptum, amorem solitudinis ac silentii, et ad continuum profectum : in quibus totius rei monasticæ cardinem versari intelligebat. Hinc non immerito Petrus Venerabilis in epistola, quæ est inter Bernardinas 228, vocat eum num. 30, *lacteam fortemque columnam, cui innititur monastici ordinis ædificium ; ac rutilum sidus, quod exempto, verboque non solum monachis sed et toti Latinæ Ecclesiæ suo tempore insigniter lucem donavit.* »

477. « Laurentius de Leodio in libro de episcopis Virdunensibus, duos ordines, Cisterciensem et Præmonstratensem, comparat cum duobus cherubin propitiatorium obumbrantibus » *quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem, jam pene lapsum, ad primam apostolicæ vitæ normam reparavit. (Et) Cisterciensis quidem, per istud temporis, inquit, triennium jam in ducentas circiter abbatias magni nominis, meriti, et numeri accrevit ; et usque in barbaros Sarmatas et extremos Scythas jam diffundi cœpit.* Tantum potuit Bernardi fama et opinio sanctitatis, ejusque discipulorum! Inde factum est, ut ordinis Cisterciensis, qui Bernardum alumnum habuit, quasi fundator habitus sit ipse Bernardus, ab ejusque monasterii Claræ-vallensi dictus ordo Claræ-vallensis suo tempore; imo postea et S. Bernardi : etsi id vetuit Innocentius VIII in litteris unionis monasterii Claræ-vallensis cum Cisterciensi.

478. « Hinc in litteris Alberonis episcopi Virdunensis apud Laureatium mox laudatum, abbates Trium-fontium, et de Caladia dicuntur *de Ordine Claræ-vallensi*. Et a Petro Cellensi *Cisterciensis, sive Claræ-vallis ordo* vocatur in lib. I, epistola 24. Sic in epistola Samsonis Remensis antistitis, quæ est ordine 435 inter Bernardinas, ordinis Claræ-vallensis mentio non semel habetur. Quanquam dici potest, Ordinis Claræ-vallensis nomine lineam tantum Claræ-vallensem, non totum Ordinem, sæpius designari.

479. « Qualis ac quanta fuerit sive Cisterciensium, sive Claræ-vallensium sub Bernardo districtio, et rigiditas, non est necesse hoc loco exponere, quando id satis superque patet tum ex Bernardi litteris ac scriptis, tum ex ipsius Vita, maxime ex lib. I, cap. 5, ubi primi Claræ-vallis incolæ Deo servisse memorantur *in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis ex hordeo, et vicia, et milio erat.* Ita Guillelmus testis oculatus, Bernardo in epistola I ad Robertum *olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua* Cisterciensium deliciæ perhibentur. Nec aliæ apud Fastredum in epistola sua inter Bernardinas. *Tanta in cibo parcimonia*, inquit Stephanus Tornacensis in epistola 72, *ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert. Ipsi pisce tanto rarius utuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet quam videri.* Plura videsis apud eumdem auctorem, et apud Petrum Cellensem.

480. « Perseveravit hic ordinis vigor [*fort.* rigor] non modo ad finem sæculi XII, quod patet ex Petri Blesensis epistola 82, sed etiam ultra medium sæculum XIII, testante Jacobo a Vitriaco in Historiæ occidentalis cap. 13. *Carnes*, inquit, *nisi in gravi infirmitate non manducant. Piscibus, ovis, lacte et caseo non vescuntur communiter*, etc. Eamdem vitæ severitatem nos Galli etiam nunc reflorescere conspicimus in piissimis monachis beatæ Mariæ de Trappa, aliisque nonnullis eorum imitatoribus, qui vitæ suæ puritate, austeritate, solitudinis amore, silentio, labore, aliisque religiosis virtutibus, id factu possibile adstruunt, quod de Bernardo, ejus-

Digitized by Google

que discipulis legebamus, nec fere credebamus.

481. « Subjungit idem Jacobus a Vitriaco in capite sequenti, feminarum sexum fragiliorem, a principio ordinis ad tantæ districtionis severitatem aspirare ausum non fuisse ; sed id demum in morem postea venisse. Verumtamen vivente ipso Bernardo non fuit omnino expers istius instituti femineus sexus. Id probat Hermannus Laudunensis monachus in lib. III de miraculis sanctæ Mariæ, cap. 17, ubi agit de monasteriolo Cisterciensium virginum ad Laudunum Parthenone, a Bartholomæo episcopo constructo : in quo sanctimoniales sub Guiburge abbatissa, *depositis omnibus lineis indumentis atque pelliceis, solis tunicis laneis utebantur ; et non solum nendo vel texendo, sed etiam in agris fodiendo, et cum securi et ligone silvam succisam exstirpando, spinas et vepres evellendo, manibus propriis assidue laborantes, cum silentio victum sibi quærebant, vitamque Claræ-vallensium monachorum per omnia imitabantur.*

482. « Longius progrederetur oratio, si, quotquot Bernardus ad monasticam vitam pertraxit, illustriores utriusque sexus homines, quos scilicet novimus, in medium adduceremus : quales fuere Henricus, Ludovici VI Francorum regis filius, Ermengardis Britanniæ ducissa, Adelais Lotharingiæ, et alii, aliæque innumeræ. Verum illud paulo minus prædicandum et mirandum, quod hominibus in sæculo remanentibus piissimam et rectissimam vivendi rationem persuasit : *Adhæsit ei præ omnibus quidem ex principibus comes Theobaldus, et se, et sua in subsidia Claræ-vallis exposuit, et in manibus abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum, ut obediret ad omnia, quæcunque domus illius infimi postulassent.* Quid tantus princeps monente et hortante Bernardo præstiterit, tum in construendis, dotandis, juvandisque monasteriis, tum in egenis sublevandis, tum denique in exercendo optimi principis officio, testis est Ernaldus abbas, ex quo præmissa retulimus : testes etiam Bernardi epistolæ de eodem. Theobaldi pium studium æmulabatur nobilis et illustris femina Beatrix, ut discimus ex epistola 118.

483. « Denique quantum Bernardi auctoritas in corrigendis hominum moribus valuerit, exemplo est conversio Guillelmi Aquitaniæ ducis, quem ex pertinacissimo schismatico, obsequentissimum et piissimum principem effecit. Ut paucis cum Gaufrido absolvam, *quæ scelera non arguit ? quæ odia non exstinxit ? quæ scandala non compescuit ? quæ schismata non resarcivit* [MABILL. *compescuit*] *? quas hæreses non confutavit ?* » Hæc sunt, quæ de morum profectu, in Ecclesia Dei a magno Bernardo in omne hominum genus quaquaversum diffuso, collegit Mabillonius. Quæ vero ad hæreses et schismata spectant, viri dexteritate, ac labore protrita, sat multis alibi a nobis tractata sunt.

§ XLVI. *An S. Bernardus ab imagine Deiparæ salutatus Spiræ ; an ejusdem virgineo lacte irroratus.*

484. Superius in nostro Commentario prævio § 40 tria illustria facta, quæ Patri sanctissimo ascribuntur, in hunc reservata sunt locum. Primum erat de imagine Virginis Deiparæ, quæ Spiræ ter a viro sancto salutata, semel ei salutem reddidisse, « cunctis audientibus, » memoratur apud Manricum ad annum 1146, cap. 10, num. 6. Alterum erat de lacte virgineo ejusdem Deiparæ, quo irroratus fertur S. Bernardus, ex eodem auctore ibidem num. 8. Tertium denique in eo erat positum, ut beatissimæ Virginis Mariæ voce salutatus fuerit apud cœnobitas Afflighemenses. De singulis dicamus. Primum narrat mox citatus historicus Cisterciensis ex Joanne Nauclero, qui de illa re loquens, « In hoc, inquit, concordant, quod Bernardus Spiram venerit, ubi tum erat tantus populi concursus ad eum venerandum, ut imperator, ne populus eum conculcaret, manibus suis illum exportare sit dignatus. Exstant circuli in pavimento ecclesiæ majoris tres, ubi prostratus in terram vir Dei, ter fertur salutasse Virginem Mariam. Ad quem Virgo Maria : « Salve, inquit, Ber« narde ! » Hæc scribit Joannes Nauclerus generatione 39, inter alia, quæ memorat ad annum Christi 1142. Prodigiosam hanc Deiparæ salutationem confirmare conatur idem Manricus sic pergens : « Circulis verba ea sculpta sunt, quæ a fidelibus solent decantari sub antiphonæ finem ; quam a principio appellamus *Salve, Regina*. Hanc autem desinentem in illis verbis *et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende*, Bernardus Pater recitasse fidenter fertur, et recitatæ trinam illam invocationem addidisse fidentius, ad quam imago Virginis commota, atque acceptans obsequium, audita est simili modo sanctum resalutasse : *Salve, Bernarde.* » Hæc ibi ; super quibus notationes nonnullas lectori, partium studiis vacuo, et veritatis amanti, repræsento.

485. Notus imprimis abunde est Joannes Nauclerus, quem natione Germanum, patria Suevum, dignitate præpositum Tubingensem fuisse lego. Edidit hic Chronicon universale, succincte comprehendens res memorabiles sæculorum omnium ac gentium ab orbe condito usque ad annum 1500. Floruit autem exeunte sæculo sexto decimo, atque adeo quatuor circiter sæculis post obitum sancti. Nec vero τὸ *fertur*, quo utitur Nauclerus, parum extenuat rei gestæ fidem. Melioris itaque notæ testimonio videtur opus, ut prædicta Deiparæ ad Bernardum salutatio tanquam historice vera admittatur : ideo præsertim, quia in libro VI. Vitæ S. Bernardi seu miraculorum parte I, cap. 2, ubi oculati testes summa cum fide et accuratione tot tantaque mirabilia de viro Dei referunt, quæ Spiræ contigerunt, nullum habent de ista salutatione apicem ; ubi tamen hanc silentio non prætereire, tantopere conducebat ad sancti gloriam. Nec concipio, quomodo rem gestam ignorare potuerint, cum, « cunctis au-

Digitized by Google

dientibus, » uti est apud Manricum supra citatum, evenerit.

486. Quanquam vero ex antiquorum de hac re silentio definire certo nolimus, salutationem istam esse falsam; priusquam tamen eam admittamus tanquam veram, omnes rerum Bernardinarum apprime gnaros et studiosos rogatos impense volumus, ut accommodata dignentur subministrare documenta reipublicæ litterariæ, quibus factum præsens, quod videtur nobis minus probabile, vere et historice probabile fiat. Nec rem conficit R. A. P. Augustinus Sartorius, sacri Ordinis Cisterciensis asceta, quando in suo Cistercio bis tertio, Vetero Pragæ anno 1700, typis excuso titulo 4, qui est de Sancto Bernardo Cisterciensium propagatore, pag. 91, de statua, quæ sanctum salutarit, sic scribit: « Hæc ipsa Virginis statua ad hanc usque nostram ætatem eximio fidelium cultu Deiparæ ac Melliflui clientis memoriam conservat perennem. » Hæc enim qualisqualis memoria seu traditio (utinam non mere popularis!) neutiquam videtur enervare argumenta superius proposita. Audi jam absurdam ineptiam, qua hanc historiam deturpat Guilielmus Eysengreinius, quem mox citabimus, ad annum Christi 1147: «His verbis a Bernardo prolatis, vox ab imagine erumpens Bernardum Deo cunctisque hominibus gratum adventasse indicat, omnibus, qui aderant, audientibus. Perculsus hac voce Bernardus, admirando, imagini interdicit, mulieres in ecclesia tacere debere. » Quod quidem est nugari in re tam seria. Papebrochius noster in suo Itinere Romano Ms. quod anno 1660 suscepit, pag. 39, de statua Spirensi, quæ fertur salvere jussisse S. Bernardum, inter alia sic scribit: « Ad eam omnes nostri studiosi quotidie sub quintam conveniunt, ac *Salve* decantant cum litaniis. » Ita ille. Laudanda porro est pia illorum fides, et religiosus erga Virginem matrem affectus. Jam vero quid dicemus de lacte Deiparæ, quo sanctum Patrem irroratum volunt, si in physico seu reali sensu hoc intelligendum censeant, non autem in mystico?

487. Factum illud, quod secundo loco superius attingebam, jam paulo pluribus examinandum est. Manricus his verbis illud narrat num. 8: «Non desunt item auctores, iique graves, quibus placeat, Virgineum illum favorem, haud satis unquam ab ullo prædicatum, quamvis ab omnibus semper prædicetur, de Bernardo irrorato Mariæ lacte, forte ad hoc idem tempus referendum. Quod a Guilielmo Eysengreinio in Chron. Spirensi primum traditum (utinam indicasset annum Manricus!) a Canisio Costeroque approbatum (non dicit ubi) noster Bivarius lib. II, Bernardi vendicati § 10 et alii, « nimirum » Henriquez in Menologio, Maii 13 confirmavere. Nobis, ut favor ipse certus sit, quem tamen non defuere qui negaverint (ponitur ad marginem Joannes Bertelius Dialogo 8) levi licet et crasso fundamento, locus et tempus dubia adhuc existunt: et de tempore vix aliquid scribi: de loco, si quid certi haberi potest, ad Castellionem censeo referendum. Sed de his aliisque non dissimilibus agendum latius sub viri Dei obitum, in quem locum consulto reservamus. » Sed nos consulentes hujus rei ordini et perspicuitati, hanc, de qua tractare jam cœpimus, continuato sermone prosequemur, ab anno 1153, cap. 12, quo Manricus illam transtulit, uberiorem ejusdem narrationem huc revocantes.

488. «Insignes Christi,» inquit, «et Virginis favores Bernardo Patri exhibitos, et sub quibus plerumque depingi solet, nunc irroratus lacte Mariæ virginis, nunc strictus brachiis pendentis Redemptoris; atque item alium, etsi minus vulgarem, non minus certum, quo mater Filium eidem sancto obtulit; quia fixum tempus concernere non reperi, in hunc locum consulto reservavi. Et quidem eos traditione (potius) quam scripto acceptos, compertum est, constanti illa, atque a patribus ad filios derivata quasi per manus: cujus aut minor fides, aliquando inconvulsior esse solet, hoc in antiquis, fateor, rariori, et picturis expresso magis, quam litteris, non tamen ideo minoris æstimando,» etc. Sic præfatur Cisterciensis historicus, moxque incipit a Christo; de quo nos inferius dicemus. Deinde sic pergit num. 6, ad rem nostram: « Quod attinet ad lac beatæ Virginis, receptius adhuc et vulgatius sacris iconibus: ut magis varient de tempore auctores, locoque, quam de ipso favore; quem Bernardo concessum, non est qui ambigat. Unus Joannes Bertelius, quem ego viderim, revocat in dubium dialogo 8 in Regul. S. Benedicti; sed adeo crasso et supino fundamento, ut nec mereatur a nobis confutari. *Quia nemo dubitat* (*ait*) *super multa sæcula Mariam ante Bernardum præcessisse.* Quasi vero quis unquam cogitaverit, Virginem sacram, mortalem ac passibilem, sugendum pectus Bernardo propinasse, aut quasi post gloriosum ipsius transitum, tum in cœlis gloriosa, tum in suis imaginibus in terris, non maneret æternum duratura. Cæterum his omissis, quia levibus, ex aliis nullum video dubitasse.

489. « Verum est tamen, quod de loco auctores variant, quibusdam referentibus ad Spiram, cum Matrem Virginem, clementem, piam, dulcem, Bernardus Pater devote salutasset. At non Spiræ, sed apud Castellionem Lingonum oppidum, neque in tanta frequentia contigisse, verosimilius est. forte cum sanctus Pater ad unam aliquam ex illis legatiis, ad quas mitti solebat, humilis perrecturus Virginis matris auxilium imploraret. Porro tunc creditur oblatus a Matre Filius, quem Bernardus susciperet, et cui portando seu manibus exterius, seu interius in corde, se totum daret, et qua auspice nihil timere posset.« Hactenus historicus Cisterciensis: qui cum superius, ut vidimus, candide fateatur, mirabilem hunc Virginei lactis favorem,« a Guilielmo Eysengreinio in Chronico Spirensi *primum traditum*,» neque assignantur antiquiora monumenta, unde chronologus iste traditionem hanc acceperit, quis-

Digitized by Google

nam vitio nobis det, si dixerimus novitiam esse traditionem illam favoris Bernardo impensi, cum hic obierit anno Christi 1153, ille autem scripserit sæculo sexto decimo, utpote qui suum Chronicon perduxerit usque ad annum Christi 1561. Confirmatores autem vel approbatores, quos Manricus nominabat, Eysengreinio posteriores seu suppares, an ponderis aliquid vere historici possunt addere primæ traditioni Eysengreinianæ? Adde, quod hic chronologus parum sibi conciliet auctoritatis, dum vel primus procudit, vel ex alio adoptavit ineptiam illam, quam antea num. 486, castigavimus.

490. Sed ne dissimulemus alia, quæ congerit Manricus a num. 7. « Exstat, inquit, authenticum R. domini Edmundi a cruce, tunc abbatis Cistercii, ad Fiteriensem Ignatium Firminum transmissum anno 1599, (quod ipsum, inter alias ejus schedas, apud me habeo) de hoc favore loquentis in hunc tenorem : *In ecclesia S. Beroli castri Castellionis super Sequanam, Lingonensis diœcesis, quædam imago in veneratione, et honore beatæ Virginis Mariæ antiquitus exstitit constructa, quæ quidem imago S. Bernardo oranti filium suum obtulit miraculose in ecclesia dicens :* Bernarde, suscipe puerum meum totius mundi Redemptorem. *Deinde quoque ultra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mamilla, illico beato Bernardo sibi devoto tres guttas lactis, ab ejusdem imaginis mamilla profluentes, miraculose distillabat.* » Hactenus testimonium venerandi abbatis : quod Antonius Hiepius ad hunc annum c. 5, et Franciscus Bivarius lib. 1 Bernardi vendicati, aliique memorant. Quin et Henriquez in suo Menologio, Maii 13, iconis meminit (ejusdem ut puto) et subscriptionis Gallicæ, quæ in Latinum conversa priorem partem favoris testificatur, sic enim habet :

Bernarde multum dilecte, mi capellane,
Cape, suscipe de mea manu
Dulcem Jesum, Servatorem mundi. »

Quasi ea Bernardo adhuc viventi orantique puerum Jesum obtulisse perhibeatur.

491. « Idem, qui supra, » subdit Manricus n. 8. « Chrysostomus Henriquez aliud recentius adhuc testimonium superinducit ex ipso, ut ait, Castellione Lingonensi ad R. abbatem Castellionis Virdunensis nuper transmissum, a quo et se illud testatur accepisse. Porro in eo, ultra facti traditionem, sacram effigiem hodieque manere, et, quod mireris, conservare adhuc, seu repetere magis memoriam facti, productis testibus, idemmet, qui perhibuit, testificatur : *In Castellione (ait) imago est B. Virginis, quæ sanctum Bernardum suo lacte quodam irrorasse fertur. Cum enim in B. Virginem singulari flagraret amore; se quoque in eum, coram prædicta imagine indefesse orantem, matrem esse monstravit. In dicto castro sacellum erat, in cujus parte sinistra beatæ Virginis imago consistebat. Ibidem miles quidam demoratur vocatus Picant, qui suo fungens officio in bellis civibus circumeundo castrum, in dicto sacello, plus quinquagies, voces canentes* Ave, maris stella, *audiisse testatur. Dictum enim miraculum accidisse memoratur, cum,* Monstra te esse Matrem, *a S. Bernardo proferretur. Bellis sopitis, castroque destructo, in templum tutius conservanda deportata est, ubi magna cum veneratione, et populi concursu, maxime vero, ubi temporis necessitas exigit, in loco celebri, et eminenti asservatur : ex quo aeponitur a tribus sacerdotibus trium dierum jejunio præparatis, et solemni in processione, una cum reliquiis S. Veroli, a plurimis virginibus, eodem jejunio triduano præmisso, devotissime circumfertur. Sunt Castellione qui dicant, eamdem imaginem lactis guttas cum dimittitur, stillare. Nunc quoque supersunt duo vitæ probatæ presbyteri illic demorantes, unus Edmundus vocatur; alter Clemens, quondam præceptor domini vicetenentis Gaillard, qui clare, et palam affirmant, in manus tertii sacerdotis, qui Jacobus Viandot dicebatur, modo defuncti, lactis copiam defluxisse, ita ut sacristiam petere, illicque manus abluere cogeretur.* Hactenus ibi : quæ si certa sunt, ingentem facto conciliant, et fere supra humanam fidem, auctoritatem.

492. « Philotheus, » sicut pergit Manricus num. 9, « de favore lactis pressius succinctiusque ; verum non semel concessum Bernardo tradit :

Quid referam quoties summi Regina theatri
Nectareos illi visa movere sonos ?
Sæpe suum Virgo famulum venerata solebat
Visere, et ambrosias sæpe referre dapes.

In Hiepio lego, traditione item acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum matre ; ac sancto medio hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul, et lac ; illum de Christi vulnere manentem ; hoc de Virginis mamma ; utrumque cœleste, utrumque irradians, et fecundans Bernardi ora. Tum vero sanctum, utrumque veneratum, et neutro se fraudari æque ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent : *Hinc pascor a vulnere : hinc lactor ab uberc. Positus in medio, quo me vertam nescio.* Sed hæc, ut credo, piarum mentium devotio, quam rei veritas, aut eventus simultaneus magis conjunxit : et neque video in probato alio auctore traditionis notitiam ; neque de facili credenda, nedum asseverenda similia puto. Exstant et inter Opera Nicolai Saliceti quædam alia Bernardo Patri ascripta, minori digna fide, quam ut locum mereantur in his Annalibus. » Sic ibi. Porro de Philotheo et Saliceto nonnulla observabo in fine paragraphi proxime sequentis. « Ignatius » vero « Firminus, de Hibero, monachus Nucalensis in Hispania..., ac deinde celeberrimo Fiteriensi monasterio, (in) regno Navarræ » datus « abbas, » laudatur in Bibliotheca Cirterciensi pag. 167.

493. Virgineum hunc, quo de superius est actum, lactis favorem in sensu physico et reali, non autem in mystico duntaxat intelligi debere, contendit

Digitized by Google

etiam Sartorius supra citatus: « Quod sialiqui asserant, » inquit p. 91 et sequente, « Bernardum lactatum quidem a Virgine fuisse, non tamen in carne, seu labiis carnalibus, neque per lac reale ac physicum, verum duntaxat in spiritu, et per mysticum quemdam influxum, hoc utique est antiquæ veritati, quæ tot calamis, tot penicillis per quinque et amplius sæcula firmata est, suspicionem affricare: quasi vero veteres illi scriptores non scivissent æque distinguere, ac nos, inter influxum illum mysticum, ac physicum et realem. Utraque lactatio concedenda Bernardo est, et illa in spiritu, et hæc in carne: non neganda hæc altera, quam utique principalius intenderunt historici veteres et sinceri. » Hactenus Sartorius satis liberaliter. Sed utinam « antiquæ isti veritati, quæ per quinque, » uti vult, « et amplius sæcula firmata est, » accommodato saltem vel unico documento subsidium attulisset, et suspicione n amovisset, quam rei gestæ affricari dicit. Quinam, amabo, sunt « veteres illi scriptores; » qui nam « historici veteres et sinceri, » quos dicit, sed non nominat? Regeri enimvero ei potest illud Mabillonii, viri in rebus S. Bernardi longe versatissimi, sinceri item, et de scriptis, virtutibus, ac miraculis ejus optime meriti, quod in fine Fragmentorum ex Herberti libris de miraculis Cisterciensium monachorum, in sua editione sæpius antea laudata notat col. 1231 et 1232. « In omnibus, » ait, « S. Bernardi miraculorum libris nulla uspiam mentio de miraculoso illo lacte, a beatissima Virgine in Bernardum expresso: quod tamen miraculum præ aliis certissimis a pictoribus, et ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus. »

494. Venerabilis Guibertus abbas B. Mariæ de Novingento, quem anno 1651, Lutetiæ Parisiorum in lucem dedit ac notis illustravit Acherius, lib. III, De pignoribus sanctorum, cap. 3, § 4, pag. 355, lac Virginis matris, quod « Lauduni... in columba cristallina huc usque, » ait, « retineri dicitur, » improbat. In quem locum laudatus Guiberti editor varia animadvertit in notis et observationibus pag. 575 et sequentibus: sed unicum, et quod potissimum huc spectat, inde excerpo: « Lac et B. Bernardo Clarevallensi eamdem cœlorum Reginam infudisse ferunt scriptores nonnulli; sed quo fulciantur vero, judicent, qui gesta illius a tribus synchronis auctoribus exarata (quibuscum perquam familiariter Bernardus est conversatus) excusserint. Quo enim modo fieri potest, ut, relatis ultra centum miraculis, hoc tam insigne oblivioni tradiderint? Ita Joan. Bertelius lib. VIII, in Regulam S. Benedicti: quem Chrysostomus Henriquez confutat in Menologio Cisterciensi ad diem 13. Maii, et Angelus Manrique Annal. Cisterciens. tom. II, anno 1153, cap. 12. » Hic qui respondeat Bertelio, nuperrime jam diximus: quænam autem e Chrysostomo Henriquez ab eodem Manrico afferantur pro tuenda veritate præsentis facti, etiam superius indicavimus. Enimvero qui utriusque hujus scriptoris Cisterciensis argumenta, A seposito partium studio, mature expenderit, et contulerit eum argumento Bertelii ac Mabillonii, tametsi negativo, ut vocant, multum fallor, si non his potius, quam illis palmam delaturus sit; hujusmodi enim argumenta, tametsi duntaxat negativa, majoris non raro sunt momenti, spectatis rerum ac scriptorum circumstantiis, quam affirmativa. Rationes denique quæ superius desumebantur a picturis, et a pietate populari, refutationem non merentur operosiorem. Ex his, quæ hactenus in utramque partem de præsenti controversia sunt disputata, concludimus, videri nobis ad verum magis accedere opinionem illorum, qui non admittunt, S. Bernardum physice seu realiter Deiparæ lacte fuisse aspersum.

B

§ XLVII. *Salutatio imaginis Deiparæ in cœnobio Afflighemensi; Jesus cruci affixus, solutis ab ea brachiis Bernardum amplectens.*

495. Traditio est virum sanctum, dum in cœnobio Afflighemensi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellam et Alostum, ab imagine Deiparæ salutatum fuisse. De altero isto, eoque prorsus singulari Deiparæ virginis erga S. Bernardum favore, de quo superius ad me receperam agere, traduntur ista: « Celebre monasterium Afflighemense, » uti scribit Manricus ad annum 1147, cap. 3, agens de locis in Belgio, quæ vir Dei adivit, « in transitu visitatum a sancto Patre, traditio constans est ejus ecclesiæ, ubi et monachos ad Cisterciensium normam reformari, repetita oratione, irrito licet conatu, nixus fuerit: sed nihilominus baculum, quo imbecilles artus sustentare consueverat, amici animi pignus, dereliquerit, quem hodieque observant et venerantur. Quin majus quid ibidem contigisse, productis etiam antiquis monumentis Afflighemenses affirmant: quod ab Arnaldo (Raissio) ante paucos annos vulgatum, quia multa veritatis indicia præ se fert, ejusdem verbis placuit huic subjungere. » Laudatus itaque Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem 20. Augusti hæc notata posteritati reliquit: « Eodem in cœnobio quondam visebatur sacra beatæ Virginis statua, quæ beatum Bernardum allocuta est, sub Godescalco abbate: cujus rei hi versus, ex Annalibus dicti monasterii excerpti, fidem astruunt:

C

D

Bernardus Mariæ ait, Mea, ave tu, Virgo beata,
Et tibi, Ave, Bernarde, ego imago redico volenter.

496. « Cui astipulatur Chronicon Gemblacense, ita dicens: *Ante Belgii desolationem, atque in ipso Belgio fidei catholicæ labefactationem, in monasterio Afflighemensi Dei Genitricis erat imago, cui valedicens Bernardus, Vale, inquit, alma Maria. At, Bernarde, vale, ait sancta Maria.* Imago hæc beatæ Mariæ in ulnis Christum gestabat, sculpta ex candido et molliori lapide, arena nigra nonnihil inspersa (quam Brabanti *labender-steen* nuncupant) longitudine quinque aut amplius pedum, opere et habitu prorsus antiqua. velo ex capite dependente in humeros. Quæ

Digitized by Google

imago hac ultima tempestate a quodam protervo nebulone ex basi dejecta et confracta fuit, putans [*al.* putante] ligneam esse, ut inde ignem construeret. Ex quibus partibus duæ aliæ sculptæ sunt: quarum una Afflighemii asservatur; alia vero Patribus Societatis Jesu Bruxellensibus a priore donata. » Hisce e Raissio de famosa salutatione illa Deiparæ recitatis, audiamus quænam subjiciat Manricus num. 9. « Certant igitur, inquit, Affligemium, Spiraque de imagine Deiparæ, quæ Bernardum Parentem salutantem resalutaverit, atque utraque monumentis antiquis nixam firmatamque traditionem præ se fert, cui vix erit, qui audeat contra ire; nobis, ut neutra vincatur, vincat utraque, et repetitum favorem, quod solum superest, pia credulitate persuadeat. » Sed, dum ita loquitur Manricus, hæret in cortice, et rei medullam non penetrat.

497. Nam de « pia credulitate » non est hic quæstio: ecquis enim neget, traditionem Afflighemensem, (adde etiam, si vis, Spirensem, de qua superius est actum) pie credi posse? Ast ejusdem veritatem probare ex synchronis rei gestæ testibus vel scriptoribus, vel e documentis historice certis, hoc opus, hic labor est. Inspiciamus itaque tantisper testimonia e Raissio allegata. Antonius Sanderus in Historia rerum Afflighemensium, quæ Brabantiæ ab ipso editæ inserta est, similia iis, quæ modo retulimus, narrat pag. 8, uti etiam Continuatio Chronici Afflighemensis, quod ex variis ejusdem abbatiæ monumentis prælo vulgatum legitur in Spicilegio Acheriano tomo X, pag. 610 et sequentibus. Historiæ autem, qua de hic est sermo, pag. 613, subjicitur, imaginem hanc Deiparæ summa apud laudatos cœnobitas in veneratione habitam fuisse: nam « mos obtinuerat » apud illos, « ut mane nunquam a dormitorio in ecclesiam irent, nisi per salutationem angelicam hanc imaginem salutassent. » Hanc continuationem precedit Historia prædicti monasterii in eodem Spicilegii tomo: cujus editor scribit ista ad lectorem pag. 23: « Adjecimus continuationem seu epitomen illius historiæ, ex veteribus monumentis et authenticis conscriptam a D. Odone Cambiero, itidem Afflighemensi, dum in vivis esset, in rebus antiquis apprime versato. » Porro hujus conscriptoris seu collectoris ætas ex his innotescit verbis, quibus opusculum suum claudit: « Novissimus his temporibus nostris Benedictus Haeftenus, qui sanctissimum et clarissimum Patrem Benedictum maximis illustravit splendoribus. » In lucem namque dedit Disquisitionum monasticarum libros duodecim, quos illustrissimo D. Jacobo Boonen, archiepiscopo Mechliniensi, et abbatiæ Afflighemensis prælato dedicavit ibidem præpositus anno 1644.

498. Exstat apud nos aliud Chronicon Afflighemense, quod notatur N Ms. 5, cuique manu propria ascripsit noster Heribertus Rosweydus, « ex Ms. Afflighemensi recentissimo » exceptum illud fuisse. Id quod indicio est, Chronicon illud vel a recentissimo tunc temporis scriptore fuisse aliunde collectum, vel ab hoc ex alio collectore transcriptum. Signatum reperio in ejusdem fine annum 1514; nam, tametsi alia deinde sequantur, quæ ad monasterium Afflighemense pertinent, videlicet liber quintus in tres partes divisus, non tamen is chronologiam continet, sed materiem omnino diversam. In dicto autem Chronico ista leguntur: « Anno 1148 (apud Sanderum pag. 10, scribitur 1146), dominus Petrus sponte sua abbatiæ onus deponit: in cujus loco constituitur dominus Godscalcus, bonæ spei juvenis, quia de nobili et sancta gente originem duxit. » Postea vero hæc dicuntur: « Anno Domini 1164, dominus Godscalcus pastoralis curæ onus deponit, » etc. Inter illud autem tempus regiminis Godscalci mentio quidem fit de « S. Bernardo; » sed nihil tunc ibidem invenio de salutatione, qua Deiparæ statua virum sanctum imperterierit, quod tamen accidi se sub « Godscalco abbate, » affirmabat supra Raissius; Continuatio autem Chronici Afflighemiensis apud Acherium, « sub initio hujus prælaturæ » factum esse memorat. Quæ res, cum debuerit esse valde famosa apud cœnobitas Afflighemenses, eorumque monasterio admodum honorifica, mirum videtur, nihil a prædicto collectore vel transcriptore de ea tradi. Ex Chronico autem Gemblacensi, quod supra citabatur, conficitur, miraculosam illam Deiparæ imaginem in monasterio Afflighemensi ante ferales in Belgio tragœdias, sæculo Christi decimo sexto ab hæreticis excitatas, fuisse cognitam, atque adeo pro tali honoratam.

499. Antiquiora vero istius traditionis monumenta in promptu nobis non sunt. Apud Gaufridum, monachum Claravallensem, et viri sancti in itinere Belgico comitem, qui singillatim et accurate in parte III miraculorum, seu lib. VI, Vitæ cap. 5, ejusdem itineris ephemeridem contexit: quam ne hic cum fastidio lectoris retexamus, cum loco citato inspici ea possit, satis nobis erit nomina locorum, ad quæ divertit vir sanctus, annotare. Leodio itaque post prædicationem Germanicam pro bello sacro profectus est ad oppidum *Huy*, seu Huum, diœcesis Leodiensis; Huo *Gembolium*, seu Gemblacum; inde *Villare*, seu Villariense monasterium petiit; hinc *oppidum Fontanæ*; Fontana ad castrum Bins, idest, Binchium, oppidum Belgii in Hannoniæ Comitatu se contulit; Binchio eum excepere *Mons castrum*, seu nunc Montes Hannoniæ; postea *Valencenæ*, *urbs Cameracensis*; monasterium Humbleriæ; Laudunum ac Remi, etc., denique suo Claravallensi cœnobio fuit restitutus. Hinc vides, virum sanctum illuc rediisse per tractum Gallobelgicum; non vero per Flandrobelgicum, in quo situm est monasterium Afflighemense. Hoc autem iter, quod descripsimus, respicit tempus quo narratur res prodigiosa sæpe memorata Afflighemii accidisse. Eo autem tunc divertisse Sanctum nostrum, e superiore peregrinationis ephemeride extundere nos haud possumus, neque meminimus nos id legere apud alium biographum primigenium. Sanderus tamen inter elogia cœnobii Afflighemensis pag. 7, S. Bernardum ita illud

Digitized by Google

laudasse memorat : « Anno præter propter 1147, A cum Affligemensium sanctam vitam oculis usurpasset, ita pronuntiasse fertur : « Ubique inveni homines; hic vero angelos. Verum Affligenium, ubi « genius affligitur. » Ita habent ejus loci monumenta. »

500. Etiamsi vero Gaufridus nihil dicat de adventu S. Bernardi ad Affligemenses, inde tamen non sequitur, ipsum ad eos non divertisse; cum contrarium habeatur in Chronico nostro ms. abbatum Villariensium, quod signatur *n. ms.* 9, *a*, et transcriptum notatur ex ms. Rubeævallis. fol. pergam, ex 1 parte Novalis SS. Annus Domini 1333, ultimus est, quem ibi signate notatum reperio. Post Procemium vero sic laudatum chronicum incipit : « Cum aliquando sanctus Bernardus causa prædicationis Brabantiam intrasset, ut fructum aliquem in ea B acquireret, sicut et in cæteris gentibus, cœnobium Affligemense adiit, duos sermones ibidem faciens : in cujus memoriam baculum, in quo consueverat sustentare imbecilles artus, Affligemenses conservare feruntur. Sed cum eos Ordini Cisterciensi adunare voluisset, nec voluisset cœnobium Gemblacense intravit, et charitative in eo susceptus casulam suam, quæ adhuc ibi est, in eo dimisit » In Chronico seu Historia Villariensi typis vulgata apud Martenium Thesauri novi anecdotorum, tom. III, a col. 1269, eadem memorantur. Mnemosynon vero a S. Patre relictum Gemblacensibus, ita describit Raissius idem qui supra : « Planetam suam donavit, veteri more undique dependentem, et stolam cum manipulo : in quibus sunt imagines, pulchre per phrysionem C acupictæ; uti mihi videre aliquando contigit. » Ex iis autem, quæ in laudato chronico postmodum notantur, « cum autem dominus Gyroldus cessisset, factus est dominus Fastradus tertius abbas Vilariensis, et hii duo fere quinque annis sabbatizaverunt. Sed, cum anno Domini 1151, sanctus Bernardus hunc locum visitasset, et divina in oratorio celebrasset, facta convocatione multorum abbatum Remis sedavit ibidem controversiam ortam inter nos et ecclesiam S. Foillani martyris; » ex iis, inquam, colligitur, S. Bernardum ad suos alumnos Villarienses plus quam semel divertisse. Vult Raissius, sanctum Patrem « prophetico spiritu... affirmasse, quod plures ex illo loco monachi ad cœlum essent D migraturi, quam ex quovis alio ejusdem ordinis monasterio : quemadmodum sequentibus temporibus contigisse, vel ex hoc, » inquit, « meo Auctario apertissime colligi potest : in quo triginta facile ex eo monasterio religiosos omnes vitæ sanctitate celebres, descripsimus. » Hæc Raissius. Sed redeamus ad propositum, unde tantisper digressi sumus. Ex iis, quæ proposuimus hactenus de famosa traditione Affligemensi, tria deducimus corollaria. Alterum est, nentiquam nos velle eam traducere tanquam falsam vel apocrypham. Alterum, dolere nos, propterea quod pro voto nostro non possimus eamdem tanquam historice certam nervosius comprobare. Tertium, per nos staturum, quo minus religiosissimi ascetæ Affligemenses in suæ traditionis possessione perseverare pergant.

501. Quandoquidem vero toti hic sumus in colligendis favoribus cœlestibus, qui Patri sanctissimo indulti referuntur, eo pede, quo supra, pergemus, et alia in hoc genere charismata ipsius recensebimus. Auctor Annalium Cisterciensium ad annum 1153, cap. 12, num. 2, et sequentibus scribens de prærogativa singulari, qua Christus Dominus dilectissimum sibi famulum honoravit, sic ait : « Ejus imaginem e cruce ipsa pendentem, cum a Bernardo tenerius salutaretur, solvisse brachia, ruisseque in amplexus salutantis, omni exceptione major auctor Exordii magni memoriæ prodit. » Factum exstat apud Tissierium distinctione 2, istius Operis, cap. B VII, his verbis descriptum : « Domnus Menardus [*al.* Medardus et Gerardus], quondam abbas de Moris, quod est monasterium vicinum Claræ-valli, vir religiosus, mirabilem quamdam rem quasi de alio retulit familiaribus suis, quam tamen sibimet evenisse putamus, ita dicens : Notus est mihi monachus quidam, qui beatum Bernardum abbatem aliquando reperit in ecclesia solum orantem : qui, cum prostratus esset ante altare, apparebat ibi ei quædam crux cum suo Crucifixo super pavimentum posita coram illo : quam idem vir beatissimus devotissime adorabat, ac deosculabatur. Porro ipsa majestas separatis brachiis a cornibus crucis, videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque astringere sibi. Quod dum monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, et quasi extra se erat. Tandem vero metuens, ne Patrem sanctum offenderet, si eum veluti secretorum suorum exploratorem ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit, intelligens nimirum ac sciens de illo homine sancto, quod vere supra hominem esset tota ipsius oratio atque conversatio. » Nos piissimam hanc historiam multa cum admiratione veneramur, testimonio utique fide digno suffultam Exordii magni sæpenumero antea memorati, quæ etiam habetur in libro II, Herberti, Turrium Sardiniæ archiepiscopi, cap. 19, apud Chifletium supra citatum, pag. 283. Apud Tissierium inter notas ad utrumque Exordium Cistercience, quæ habentur post paginam 262, hæc observantur : « Quod de Christo viso amplecti S. Bernardum dicitur non contigit Moris, ut vulgo creditur : cum hoc cœnobium fuerit fundatum sub mortem sancti Patris. »

502. Quis porro fuerit Menardus seu Medardus iste, qui sacras hasce Bernardi delicias testatur, juvat hic addere ex Manrico, qui ad annum prædictum, cap. 17, oblata sibi opportunitate agendi de fundatione monasterii Morarum, « Accepto, ait, loco, Bernardus conventum misit, cui præfecit abbatem B. Medardum, illum nimirum, cui sacram Christi effigiem Bernardum amplexantem per visum an reapse conspectam diximus. Porro vir Dei sancto familiaris, sanctus et ipse, plures alias visiones vi-

Digitized by Google

dere meruit, præcipue de dilecto sibi parente, e quibus unam... a Godefrido scriptam transcribamus. » Sed videsis, lector, hoc factum lib. IV Vitæ S. Bernardi, cap. 1. De superiore favore Crucifixi plura alia congerit Manricus, cap. 12, quorum etiam hoc loco a nobis habenda ratio est.

503. Sic itaque pergit : « Consona tabula monasterii Clarævallis in claustro refectorii satis antiqua, delineato favore, et subscriptione posita : quæ rem non semel, sed pluries contigisse, neque per visum tantum, sed reipsa, alterum asseverat, alterum probabiliter præsumit. *Alibi tegitur, ait, quod, cum B. Bernardus quamdam devotissimam orationem composuisset, quæ incipit :*

Salve, mundi salutare,
Salve, salve, Jesu chare :
Cruci tuæ me aptare
Vellem vere : tu scis quare.
Da mi tui copiam,

et eam [al. *jam*] *coram imagine Crucifixi recitaret* [al. *peroraret*], *tunc imago Crucifixi, solutis de cruce brachiis amplexabatur* [al. add. *et osculabatur*] *eum : et pie credendum est, hoc sibi pluries contigisse.* Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandus anno 1199 cum illuc ab abbate Fiteriensi ad hæc et alia lustranda transmissus esset. Meminit et illius Antonius Hiepius, centuria septima ad hunc annum (1153), cap. 5, eisdem verbis; » apud quem sunt variæ, quas modo notavi, lectiones.

504. « Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, et Philotheus, ante ducentos annos plus minusve; alter prosa oratione, versu alter scribens; et quidem Salicetus adeo constanter, ut producat antiquam orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primum Bernardi ad Christum verba, sub hoc titulo *in Antidotario animæ : Oratio devotissima B. Bernardi abbatis Clarævallensis, quam cum semel diceret ante imaginem Crucifixi, ipsa imago de cruce se inclinans, eum amplexata est.* » Dein subjungit orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adjuratus, pro aliis intercedere rogatur ad eum, a quo meruit tantum favorem. Quin, et Henriquez in suo Menologio, Martii 23, constanter affirmat, in quodam libro cœnobii Cisterciensis adnotatum amplexum ipsa, qua contigit, die designata, nempe vigesima tertia mensis Martii. *Imago, inquit, Christi in cruce pendentis Bernardum amplexatur vigesima tertia die Martii.* Et in adnotationibus. *Ut in Martyrologio Cistercii notatum legitur.* Quod si ita est, non leve pondus addit cæteris omnibus.

505. « At Philotheus ejusdem temporis auctor, (nam scripsit recens cusis Bernardi operibus, quæ a nascente in Europa typographia vidisse lucem, ipsa, quæ hodie etiam perseverant, perantiqua exemplaria, manifestant) : Philotheus, inquam, ejusdem sæculi auctor, hunc ipsum Christi amplexum non minus prodit, cum sanctum Patrem ante illius effigiem orantem descripsisset his plane versibus :

O decus, o nostri lenimen Christe doloris !
O mihi tam duro parta labore salus :
Felix, si tantas in me convertere pœnas,
Et liceat misero sic mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus :
Christe tamen dentes obstupuere tui.
Sidera, terra, fretum, Domini miserescite vestri :
Flete meos casus, sidera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Christi pendentis imago,
Solvit in amplexus brachia nexa suos.

Hactenus Philotheus, et nos de hoc favore Christi Domini, quem tamen in Bernardo non stetisse, sed transisse ad filios, quæ inferius reddemus, declarabunt. » Hæc Cisterciensis Annalista.

506. His vero, quæ modo retulit, addo pleniorem notitiam de tribus scriptoribus ab ipso nominatis, Philotheo videlicet, Villalpando ac Saliceto. R. D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis pag. 281, non videtur satis perspectum habuisse tempus Philothei : nam dicit quidem, eum fuisse « monachum ordinis Cisterciensis, et scripsisse carmine docto et fluido tractatum insignem De vita et moribus S. Bernardi, qui impressus legitur ad calcem operum ejusdem sancti Patris : » sed de auctoris tempore tacet : quod utcunque colligitur ex prologo ejus, in quo inductio ponitur beatæ Virginis Philotheum ad scribendum excitantis exemplo Baptistæ Mantuani, quem lego obiisse anno 1516. Post hunc ergo scripsit ille. In eadem Bibliotheca Cisterciensi pag. 53, laudatur Villalpandus, cujus etiam ibidem opera commemorantur. « In vivis adhuc erat anno 1626, » ut ibidem dicitur. Salicetus « florebat anno 1480, et deinceps, » teste laudato bibliographo pag. 251, ubi etiam de libris ejus agit. Superest modo ut, priusquam ad supremos vitæ sancti Patris Bernardi annos illustrandos perveniamus, nonnulla præmittamus, quæ ad anteriores pertinent.

§ XLVIII. *Conversio Arnulfi : gloria cœlestis ei promissa ; victoria, ut ferlur, regi Lusitaniæ addicta ; iter cum Eugenio PP. ; merita de S. Malachia, quem novit esse in cœlo ; cura pro rege Galliæ : frater ejus asceta Cisterciensis, uti et alius.*

507. Non infima S. Bernardi gloria fuit conversio illustris viri Arnulfi de Majorica, tum quia illa per se fuit mirabilis, tum quia mirabilis fuit modus, quo vir sanctus eam promovit. Manricus illam intexit anno Christi 1147, quam et ibidem cap. 6, refert ex auctore Exordii magni, Arnulphi splendorem, conversionis ordinem ac modum describente. Exstant ea apud Tissierium distinctione 3, cap. 17. En tibi verba : « Dum reverendissimus Pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, et retia verbi Dei in capturam animarum laxaret, et nobiles, et litteratos multos de fluctibus sæculi ad littus conversionis traheret, inter cæteros illustris vir Arnul-

Digitized by Google

fus de Majorica, dives et delicatus, secreto in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium, rem silentio tegere, propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem, quo egressurus esset de terra, et cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumpere se non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret.» His de Arnulfi splendore, ac modo, quo in manus sancti Patris se totum tradidit, ab Exordii scriptore præmissis, pergit auctor idem exponere, quam mirabiliter divina clementia cum eo egerit, ut præstitutum sibi vocationis scopum attingeret.

508. «Interim vero, dum silentium istud tenerent omnia, et arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent; factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens: Vade, dic Arnulfo de Majorica, ut secum ducat te in Claramvallem, quo proxime iturus est ad conversionem: et cum eo convertere. Audivit vero vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cœpit pauper ille attentius orare, ut, si a Domino sermo fuisset egressus, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundo loqui ad ipsum, repetens eumdem sermonem. Accepto itaque secunda jam vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, et ait: Verbum mihi ad te dominum meum. A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua illius, dicens: Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claramvallem tuam, et salves tecum animam meam. Et, si scire desideras, Dominus pius et misericors secreta tua, causa salutis meæ mihi revelare dignatus est. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus et lætatus est valde. Acceptumque hominem conduxit ad se ipsum: quem etiam postmodum individuum comitem itineris pariter et conversionis habuit, habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis.» Sic itaque visum est divinæ providentiæ vocationem Arnulfi roborare et promovere edito etiam hunc in finem cœlesti oraculo. Nec vero ille vocem Domini audiens obduravit cor suum.

509. Nam, uti pergit auctor Exordii magni, «Explicitis... negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claramvallem, tam submissus humilitate, quam sublimis divitiarum affluentia: multaque eidem monasterio de suis facultatibus contulit: sed et aliis nonnullis cœnobiis dona largitus est. Beatus vero Bernardus, de conversione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: De conversione fratris Arnulphi nec minus admirandus, nec minus glorificandus est Christus, quam de resurrectione Lazari quatriduani; eo videlicet, quod in tantis deliciis clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, et quasi vivens mortuus erat.» At quam suaviter et paterne vir sanctus Arnulphum, contractas in vita sæculari peccatorum sordes sacramenti pœnitentiæ lavacro eluentem, tractarit, operæ pretium est audire ex laudato auctore: «Huic, inquit, confitenti cum gemitu et lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, B. Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei, ut *Pater noster* tribus vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad mortem perduraret.

510. «Quo ille audito contristatus respondit: Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime Pater.— In quo, ait, te irrideo?—At ille ait: Jejunia septem annorum vel decem non sufficerent mihi etiam humiliato in sacco et cinere: et tu mihi præcipis, *Pater noster* tertio dicere, et in ordine perseverare?— Et sanctus ad eum: Ergone tu me melius nosti, quid te oporteat facere ut salveris? An forte tibi parum videtur, ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare?—Ille vero respondit: Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio! Sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti, ut melius parcas in futuro: et talem nunc impone pœnitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine pœna perveniam.—Cui beatus Pater ait: Fac, ut locutus sum: et securum te facio quia, deposita mole corporis, mox ad Deum sine molestia pervolabis. Hoc itaque responso quasi divinitus accepto, confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia, posset a cursu desiderii, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari. Erat autem circa observantiam ordinis, et custodiam cordis sollicitus et timoratus nimis: ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum propriæ conscientiæ mundatorem.» E quibus ultimis verbis colligitur, ei, qui ista narrat, Arnulphum non modo synchronum, sed etiam apprime cognitum fuisse. Cætera, quibus deinde religiosissimi istius ascetæ elogium contexitur, apud eumdem auctorem inspici possunt. Conveniens autem omnino fuit, hanc mirabilem non præterire conversionem, cujus utpote gloria in S. Bernardum ex Arnulpho, tanquam ex filio in parentem egregie derivatur.

511. Historicus Cisterciensis ad ann. 1147, cap. 9, narrationem exhibet de Alfonso I Portugalliæ rege, qui Scalabim (vulgo *Santaren*) expugnaturus, votum fecerit Christo in favorem Cisterciensium: additque, virum sanctum ei promisisse victoriam, prece a se promotam, visamque et annuntiatam in Claravalle. Accedit eo ratio temporis, circa quod difficultatem esse fatetur: datur item epistola regis ad Bernardum, nec non hujus ad illum. Verum huic facto, quod refertur, securius nos suffragaremur, si probatioris et antiquioris notæ scriptores produxisset Manricus, quam Britum et Brandaonium. Inter ea vero, quæ idem Manricus de hac re memorat, occurrunt nonnulla, ad ejusdem persuadendam veritatem non ex omni parte faventia: etenim, dum e «subscriptione recenti,» ut fatetur, nonnulla retulerat; observat, «plura» esse ibidem, «sed tempus prævenientia.» Deinde, exposita re gesta, subdit:

Digitized by Google

« Hæc Brito ex antiquis exemplaribus; quæ tamen dum Gerardum Bernardi fratrem colloquentem inducunt, quem constat obiisse ante septennium: ut non suspecta, corrupta esse apparent, atque additis quibusdam depravata. »

512. Summatim indicamus, quæ in Historia Cisterciensi ad annum 1148, cap. 5, prolixius referuntur, videlicet Eugenium papam Trevirim profectum, assumpto secum Bernardo, celebrasse concilium super revelationibus et scriptis S. Hildegardis virginis; episcopum Virdunensem ad illam misisse; scripta et revelationes approbasse, etc., sed illa ibidem legi possunt. Vide etiam præmissa a nobis de hac virgine § 39. Eadem Historia Cisterciensis ad annum mox indicatum cap. 6, ita pergit: « Tres menses Treviri Eugenius papa fecit: post quos (in Galliam reversus, Claramvallem (incunabula suæ religionis) dein Cluniacum, demum Cistercium visitans, utrique se familiæ præsentavit, utramque fovit. Bernardus ejus viæ perpetuus comes, dum ne tunc quidem continuis parcit miraculis, amantissimum sibi filium, patremque, quin totius Ecclesiæ, pene in dispendium vitæ potuit adducere. Tantus enim concursus populorum, quacunque pergeret, sanctum sequebatur, ut ne pontifex quidem liber ab oppressione, obrueretur a turba, ægre tandem periculo abducendus. » Factum describit Gaufridus lib. IV Vitæ cap. 5, ubi etiam de miraculis. Manricus cap. 9, de S. Malachia scribens varia ex præsulis istius dignissimi Vita, a S. Bernardo graviter et patheticè ad posteros transmissa, colligit, quæque ab ipso facta sunt extremo, quo inter mortales degebat, tempore. Capite autem 10, scribit de ejusdem pontificis sanctissimi a Claravallensibus suscepti morbo, mortisque prædictione, nec non piissima ad eam obeundam præparatione, atque suavissima obdormitione in Domino, miraculo etiam illustrata. Verum hæc et alia mellifluo Bernardi calamo expressa videre licet in præclara illa, quam memorabam, Malachiæ Vita, e qua liquidissime appareret, quanti sanctum hunc sanctus noster faceret, et quam tenero eumdem affectu complecteretur.

513. Illud autem, quod in ejusdem Vitæ præfatione, Congano abbati inscripta, narrat sibi a Malachia, extremum jam exhalaturo spiritum, fuisse præstitum, notari meretur ipsis sancti Patris verbis. Sic narrat: « Accurri ego, ut benedictio morituri super me veniret. At ille, cum jam membra alia movere non posset, fortis ad dandam benedictionem, elevatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, et benedictionem hæreditate possideo. » Sed ulterius etiam progressa est magnitudo amoris et æstimationis. Etenim « cum corpus sepulturæ præpararetur, » ut narrat Manricus cap. 11, « dum lavandum exuitur vestibus a lavacro resumendis, devotus abbas (quod supra notabamus) pio et amico furto certe fideli, tunicam in qua sanctus obdormierat, cum propria permutatam latenter abstulit, qua uteretur in festis solemnioribus ad offerendum missæ sacrificium, et in qua demum, cum obiret, sepeliretur. Rem, quandiu vixit, omnibus occultam; sed post obitum ab ipso revelatam, detectamque Godefridus, qui Bernardi Vitam scripsit.... narrat. » In funebri autem S. Malachiæ Officio « offerens pro ejus transitu venerabilis abbas hostiam salutarem, gloriam ejus, Domino revelante, cognovit, et, eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, et collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationem defunctorum pertinet, ita dicens: *Deus, qui beatum Malachiam pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti,* » etc. Adisis Gaufridum lib. IV, cap. 3, e quo hæc extraxi.

514. Hoc alias a viro sancto factum fertur in Annalibus Cisterciensibus cap. 11, citato, n. 3, e quo huc transcribo ista: « Eumdem sanctum ante annos ut minus sexdecim, cum pro Alberone Virdunensi episcopo celebraret, hoc ipsum fecisse, Antonius Democharis præcedenti sæculo ex libro Antiquitatum magistri Richardi (de) Wassebourg, archidiaconi Virdunensis; atque hoc nostro, uterque in catalogo episcoporum Virdunensium, et Joannes Chenu vulgarunt, totidem verbis: *Albero de Chini anno* 1131 [supple *moritur*]. » Sed apud Sammarthanos mox citandos scribitur, tunc ad episcopalem dignitatem promotus fuisse.) *Pro isto B. Bernardus, cum cantaret missam, mutasse collectam defunctorum in collectam confessorum traditur.* Hæc illi: nos nec negare audemus, nec asserere: certe ejusmodi actiones semel in gloria, si repetantur, magna ponderis sui parte carebunt. Quid, quod id ipsum tertio itidem factum pro Alberico cardinali episcopo Ostiensi, quem anno præcedenti defunctum diximus, Joannes etiam Pistorius adnotavit in Chronico Belgico, anno 1138: *Anno (inquit) Conradi decimo quarto moritur apud Virdunum Ostiensis episcopus cardinalis dominus Albericus, ad cujus tumulum B. Bernardus missam pro eo celebrans, cum venisset ad collectam post concionem* [fort. *communionem*] *pro mortuo, dimisit, et collectam de confessore dixit.*

515. « Verum est tamen, hos duos forte eumdem (esse) ex loci identitate, nempe Virduni, nec magna nominum Alberici, Alberonisque distantia, irrepente errore, qui non facile postea discernatur. Nobis certa suis locis adnotantur; dubia, vel obiter sufficiat tetigisse. » Huc usque auctor Annalium Cisterciensium. Apud Sammarthanos in Gallia Christiana inter episcopos Virdunenses pag. 1167, in Alberone de Chiny hæc etiam lego: « Pro quo missam celebrans B. Bernardus, collectam defunctorum mutasse dicitur in collectam confessorum, cum is « Albero videlicet, » obdormisset in Domino, anno 1158. » Itane vero, dum S. Bernardus jam ab anno 1153 obdormierat in Domino? Sequitur itaque, ut vel illud factum sit apocryphum, vel annus falsus. Manricus « anno præcedenti, » id est 1147, « defunctum »

Digitized by Google

scribebat supra Albericum; « annus » autem « Conradi decimus quartus » incidit in annos Christi 1151 et 1152, atque adeo illa mutatio collectæ, quæ supra narrabatur, secundum Manricum debuisset accidisse annis circiter quinque post mortem Alberici; quod cum Pistorio, quem citat, neutiquam cohæret: atque hinc factum videri posset apocryphum; nisi alia essent, quæ facerent illud magis accedere ad verum. Sunt autem illa. 1° Quia hoc habetur apud Gaufridum lib. IV Vitæ sancti Bernardi cap. 3, etiamsi non sit scriptum ab ipso Gaufrido, sed Gaufrido insertum ex ms. in editione Horstii, et in Mabilloniana uncinis [ ] etiam a Gaufridi textu discretum; in qua Mabilloniana editione ad ejusdem textus marginem notatur pro « Alberti, » sicut ibi est, nomen « Alberici » legendum. 2° Quia ibi dicitur præsens factum contigisse « ad tumulum... noviter ante defuncti, » Alberici videlicet. 3° Quia in Alberici Chronico, Triumfontium monachi, ordinis Cisterciensis, in episcopatu Catalaunensi, quod vulgavit Leibnitius tomo II. Accessionum historicarum, et cujus auctor floruit seculo XIII, prædicta mutatio diserte narratur pag. 320, his verbis: « Anno 1151... moritur apud Virdunum Hostiensis episcopus cardinalis et legatus dominus Albricus, ad cujus tumulum B. Bernardus missam celebrans, cum venisset ad postcommunionem, collectam pro mortuo dimisit, et collectam pro uno sancto confessore dixit. » Hinc videtur satis confirmari factum S. Bernardi, ac refutari annus 1147, morti Alberici cardinalis apud Manricum assignatus, uti et apud Ciaconium in Vitis pontificum Romanorum et cardinalium tomo I, col. 993, ubi etiam exstat mutatio ista collectæ.

Hæc occasione S. Malachiæ dicta sunto: de quo etiam consuli potest Manricus cap. 11, superius allegato, num. 4, in quo profert epitaphium S. Malachiæ sepulcro inscriptum, quodque a « Bernardo Patre conscriptum, hodieque perseverat, » ut ibi dicitur, « sub ejus nomine. » Alia, quæ soluta oratione de hoc sancto pontifice litteris mandavit, recensentur in ejusdem capitis decursu: quod ita concludit Manricus: « Cæterum, quod ad Malachiæ adventum ad Claravallenses » attinet...ne vel defunctus frustraretur optatis votis, non solum pallia ab Eugenio Hiberniæ data, verum et auctas archiepiscopales sedes, adnitente Bernardo, et juxta numerum provinciarum illius insulæ quatuor designatas, anno 1153 quo evenisse constat, referemus. » At nunc alia nos vocant, quæ refert Manricus ad ann. 1149.

516. Cap. 1, num. 5, occurrit vir sanctus bono publico iterum intentus, dum datis ad Sugerium abbatem S. Dionysii, et, absente rege Ludovico juniore, monarchiæ Galliarum moderatorem, [epistolis] obnixe conatus est impedire monomachiam exsecrabilem inter Robertum regis fratrem, atque Henri cum Theobaldi comitis filium, quæ tunc utrinque erat indicta ad tempus præstitutum. Consule epistolam 376, inter Bernardinas in Mabillonii editione. Epistola autem 377, ad eumdem data spirat singularem affectum sancti Patris erga salutem regni Galliarum ac regis, qui nondum tunc redierat ad suos post infelicem successum belli sacri. Ad hæc, epistola in S. Bernardi persona a Nicolao scripta ad Emmanuelem imperatorem Constantinopolitanum, qua commendatur ei exercitus Christianorum tempore militiæ transmarinæ istius, nonne indicio est, virum sanctum egregie invigilasse communi bono reipublicæ Christianæ? Epistola illa profertur in Annalibus Cisterciensibus allegatis, num. 9.

517. Illustris præterea non minus sancto Patri exstitit Henrici, qui erat regis Ludovici germanus frater, conversio ad institutum Claravallense, quam mundo venerabilis, atque ex rerum circumstantiis spectabilis. Audiamus Manricum cap. 3, num. 7. « Convenit ille Bernardum in Claravallo, negotia quædam regni tractaturus: sed quæ ipse pro regno temporali, in cœleste Bernardus commutavit, vocato homine, et tracto per efficaciam verbi aut orationis. » Robertus de Monte, qui sub isto nomine vulgatus circumfertur, rem innectit anno Christi 1149. « Henricus, ait, Ludovici Francorum regis germanus, contempto mundi schemate, pro Christo in Claravalle indutus monachali schemate. » Quonam autem modo conversio ista acciderit, narrat Gaufridus in Vita S. Bernardi lib. IV, cap. 2. Sanctum vero hujusce eventus, priusquam contigerit, præscium fuisse, videtur haud obscure significare biographus idem, dum Henrico ista a Viro sancto prænuntiata testatur: « Confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc positus es: sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum (Fratrum Claravallensium) prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est. »

518. Sed mirabilis admodum fuit mutatio dexteræ Excelsi per Bernardum facta, et præter spem omnem ab eo prænuntiata, in Andrea, qui comitatus fuerat laudatum Henricum, dominum suum, ad Claravallenses. In hunc ille invehebatur tamquam in ebrium et insanum, convitia etiam et blasphemias evomens, sancto Patri nomen falsi prophetæ tacita cogitatione impingens, et die altera monasterium ejus diris devovens. In causa erat domini sui conversio; sed vehementi Spiritus sancti impulsu victus nocte proxima, et ante diluculum surgens, rediit ad monasterium, ac veluti ex altero Saulo in Paulum alterum mutatum se exhibuit, teste biographo mox allegato, qui mirandam hanc mutationem longiore sermone describit.

§ XLIX. *Imperat feris; dissidentem pacificat; mortuum ad vitam revocat; prodest Aurelianensi episcopo; respondet Præmonstratensi abbati; Henrici, regis Galliæ fratris, morbus, religiosa professio, episcopatus; Sancti vaticinia; aqua in vinum mutata; obitus Theobaldi comitis.*

519. « Hoc item anno, « nimirum 1149, » quantum

ex serie historiæ licet conjicere, cum comites Viennæ, atque Florestæ [*f.* Forestæ, *inf.* comes Forensis] invicem impugnarent,... Bernardus Pater componendis rebus, atque animis pacandis vocatus est... obviatum ab auctore discordiæ consiliis pacis, et duo lupi in itinere objecti, supra insitam sævitiam furentes rabie... terruere venientes, et pene cunctos a cœpto revocarunt. Consultum de retrocessione est a sociis viæ, ne sanctum periculo exponerent in detrimentum rei publicæ Christianæ. At beatus abbas charitate flagrans, et fide fervidus, nec ab opere pacis dimovendus, angelus pacis, periculum non tam contempsit, quam amovit. » Hæc e Cisterciensi historico ad annum modo designatum cap 5, num. 1. At rei gestæ seriem accipe, lector, ex Joanne eremita in Vita S. Bernardi lib. II, num. 8, col. 1288, editionis Mabillonianæ : « Burgundiam, inquit, adibat, comitem Forensem, et comitem Viennæ pacificaturus. Transiens autem per quamdam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immanissimas, quæ vulgo dicuntur varoli (1*), in nemore proximo desævire. Quod cum audissent socii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dictis vel multo amplius divertere, quam se periculose feris objicere. Quibus nolens consentire, respondit, se nunquam divertere tali causa. Nec mora, et ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu quasi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad sanctum virum fugerunt, latitantes circa eum, clamaveruntque una voce : Pater sancte, libera nos. At ille : Quid timidi estis, modicæ fidei ? Ad hanc vocem manu elevata signum crucis feris opposuit : quæ statim factæ sunt tanquam lapides, tanquam nullam penitus habentes nocendi potestatem. Quo signo viso, omnes, qui aderant, gratias exsolverunt viro Dei immensas. Hoc vero audito, vicini valde lætificati sunt : præ timore enim ferarum egredi non audebant pauciores quam duodecim.

520. « Proficiscens inde sanctus Bernardus venit ad dictos comites : qui, cum pacem ab eis quæsisset, Forensis comes ei humiliter consensit. Comes autem Viennæ improbe refragatus est, dicens quod nunquam esset cum adversario pacem habiturus, donec eum exsulare coegisset : collectoque exercitu terram illius aggressus est. Tunc Forensis comes timore perterritus S. Bernardum exoravit, quatinus ab omnipotente Deo victoriam impetraret. Beatus vero Bernardus victoriam ei confidenter promisit. Hac fide confortatus hostes suos invasit, cepitque comitem, et hostium tantum numerum prostravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujusque victoriæ gratias reddidit sancto Bernardo. » Hactenus biographus Joannes eremita, qui paulo post n. 11, col. 1289, aliud illustre prodigium litteris commendavit in hæc verba :

521. « Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit ponticulum, cui puer A supererat : qui statim in fluvium delapsus est, et necatus. Et excitati occurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes quem sanctus vir jussit sibi afferri ; eoque defuncto oblato, oravit sanctus. Puer itaque, videntibus cunctis, qui aderant, et Deum una voce collaudantibus, ad orationem sancti statim suscitatus est. Tunc a die illa et deinceps hominem Dei, ut patrem filius affectuosissime diligens, postea profectus in Claramvallem, ibi conversus factus est, dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, et piscatus sicut piscis. » Manricus nuperrime assignatus, num. 3, de hoc miraculo etiam tractat ; sed dubitat an « in hoc itinere, an in diverso » acciderit ; « certe » tamen « per hoc tempus censet patratum : cui sequens subdit B epiphonema : « Sic Bernardus Martino comparatus, quod in pluribus aliis superius vidimus, in hoc etiam ei similis evadit, trium mortuorum suscitator magnificus : blasphemi hominis, quem Deus morte multaverat : mulieris exstinctæ ad Claramvallem, et hujus in fluvio submersi adolescentis, quos de faucibus mortis liberaverit. » Sed Annalista idem ostendit, se nomen auctoris non satis hic habuisse perspectum, e quo hæc desumpta sint : nam postquam narraverat eventum duorum comitum, quem supra dedimus, citatur ab eo « antiquus auctor, quem Sylva transtulit ; » miraculo autem de suffocato in aquis, et vitæ redonato per virum sanctum, subjicit ista : « Hæc idem auctor Gallus, ex C quo Sylva ; et nos hactenus dicta : quem Joannem eremitam multi putant alii alium, sed cœvum, et fidei integræ : de cujus dictis non liceat dubitare. »

522. At quæret curiosus lector, unde deducta sit allusio ista etymologica « dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, et piscatus sicut piscis ? » Respondeo : Nomen *Tescelinus* puto ei proprium fuisse ante submersionem, nec post illam mutatum : quod confirmatur ex eo, quod pater S. Bernardi gesserit idem nomen : unde arguere licet, nomen *Tescelini* fuisse nomen proprium, et hominibus dari solitum aliquando saltem : ita ut videatur hæc quæstio cadere in solum cognomen Nascardus. De quo accipe sequentem conjecturam valde D probabilem. Menagius in Dictionario etymologico vel originibus linguæ Gallicæ, ad vocem *nasse* colligit ista : « *Nasse*, instrumentum piscatoris ; a Latino nassa. Festus : *Nassa*, est piscatorii vasis genus, quo cum intravit piscis, exire non potest. Isidoribus lib. IX, cap. 5. *Nassa*, ex viminibus tanquam rete contextum ad capiendos pisces. Plautus : Nunquam Hercule ex ista nassa hodie ego escam petam. Silius Italicus :

Haud secus et vitreas solers piscator ad undas
Ore levem patulo texens de vimine nassam.

Quæ mihi videntur propositæ modo quæstioni solvendæ perquam accommodata : quasi dicas Nascardum appellatum, quia virtute Bernardi, sicut nassa

(1*) f. ob varios colores sic dictos lego.

Digitized by Google

pisces solent, ex aqua extractus fuit. Superest, ut paucula alia, quæ de Bernardo ad prænotatum annum habet conditor Annalium Cisterciensium, non prætermittamus.

523. Cap. 7, refert, præsulem Aurelianensem Bernardi consilio amplexum fuisse institutum ordinis Cisterciensis : cujus rei circumstantias, satis diu extractæ, uti vult Manricus, paulo altius repetemus. Idem itaque historicus ad annum Christi 1146, cap. 2. num. 8 : « Sub idem, inquit, tempus, quantum ex serie epistolarum Bernardi, et earum contextura liquido constat, Eugenii (papæ) zelus constans pro veritate Aurelianensem episcopum (Manassem tabulæ videntur indicare) infulis abdicatis aut projecit aut traxit ad Claramvallem. Is genere nobilis... conversatione profanus..., pontificalis dignitatis insignia levitate morum, gravitatem ecclesiæ Gallicanæ perniciosis exemplis dehonestabat... Ad Eugenium delatus..., quæ per testes defendere non poterat, per intercessores saltem attenuare, atque exponere veniæ deliberabat, et totam fere Galliam commovebat, ut flecterent Eugenium, aut conciliarent... Scripsit pro eo Ludovicus rex, scripsere et proceres, scripsit et venerabilis Petrus Mauricius. Unus in tota Gallia Bernardus fuit, qui, ut scriberet, adduci nunquam potuit. Quin cum Eugenius obduratus adversum preces, virum sisti judicio præcepisset..., propositum firmavit litteris tunc demum datis in hunc tenorem, » quarum fragmentum, quod huc pertinet, subditur, quodque legi potest apud Mabillonium in principio epistolæ 245. « His litteris, » sicut pergit Historicus Cisterciensis num. 9, « Bernardi firmatus pontifex, accusatoribus solemnem diem indixit, quem accusato non minus intimavit... At quid cum ipso, et in ipso factum sit, qualiterque... in purgatione facienda per episcopos, cum adhuc lis penderet, nec desperata, nihilominus ipse episcopum ultro exuens, quem solum non propitium expertus esset, Bernardum sibi elegerit magistrum, parentemque humilis monachus factus in Claravalle, anno 1149, quo evasisse [*f.* evenisse] constat, lite eousque protracta... more nostro commodius referemus. »

524. Hanc porro rem gestam prolixo sermone describit ad annum 1149, cap. 7, quod modo citabam, ubi datur videre, indictam quidem præsuli Aurelianensi fuisse purgationem ; sed post maturam cum S. Bernardo deliberationem, consultiusne esset, abdicare infulas, an super illis litigare, viri sancti consilio exuisse episcopum, atque monachum Cisterciensem induisse. Quænam vero in ipsius favorem deinde fecerit sanctus Pater apud Eugenium papam patet ex illius epistola 246, ad hunc data, quæ apud Mabillonium aptatur anno Christi 1146, et sic incipit : « Tempus est, ut et ego scribam, non jam pro episcopo, sed pro paupere et humili monacho, » etc. Mabillonius in notis brevioribus ad epistolam 245 animadvertit duo, quæ non conveniunt cum narratione jam recitata ex Annalista ordinis Cisterciensis. Etenim ab eo differt in signando nomine episcopi Aurelianensis, et in tempore abdicati ab eo episcopatus, utrumque breviter ad illas epistolæ voces. « Pro Aurelianensi episcopo, » observans : « Nempe Helia, inquit, qui gravium criminum accusatus, cum neque per se, neque per regem aut amicos, Eugenium flectere potuisset anno 1146 episcopatu sponte cessit, ex aliis Notis, et epistola sequente. » Ex hujus quippe anno, quo notatur scripta, et ex verbis, quæ paulo ante ex eadem protuli, præsul ille tunc non præsul erat amplius, sed monachus. In Notis autem fusioribus ad eamdem epistolam, accusatio ipsius innectitur anno 1144, ibidem alia videri possunt.

525. Historicus Cisterciensis ad annum Christi 1150, cap. 3, memorat difficultates, quæ inter duos præclarissimos ordines, Præmonstratensem videlicet et Cisterciensem, obortæ sunt. Ad hos scriptæ a Præmonstratensi abbate litteræ causam præbuere S. Bernardo rescribendi prædicto abbati, condita epistola, quæ est inter Bernardinas ordine quinquagesima tertia supra ducentesimam apud Mabillonium ; et in qua expendit objectas a Præmonstratensibus querelas, singulisque earum capitibus respondens, liberam et vividam pro se ac suis apologiam contexit, eamdem concludens terminis apprime exprimentibus summam, qua erga Præmonstratenses familiam afficiebatur, benevolentiam, ac studium procurandæ cum ea pacis.

526. Idem, qui supra historiographus cap. 6 scribit ista : « Interea Henricus, Ludovici frater, quem anno præcedenti conversum, ac suæ, ut ipse dicebat, desponsationis solemnem diem præstolantem commemoravimus (ante an post professionem non satis constat) ingenti vitæ et victus mutatione in febrim incidit molestam satis, et periculosam ; non sine ingenti dolore Bernardi Patris, qui in regio sanguine generosum contemptum gloriæ... venerabatur. Medicos medicinasque arte factas in conventum inferre, nequaquam utile ; sed ægrotanti Henrico non subvenire, pene inhumanum, visum Bernardo et fratribus est ; ut Parisios curandus deferretur... Non curru, non lectica vectus discessit, quamvis infirmus, nec equo ornato stramentis decentioribus : rusticanis insedit regius adolescens, qualia decebant monachum, qui se regum et filium et fratrem esse longe minoris faciebat, quam monachatum. » Legi potest de discessu ipsius, ac viæ sociis epistola Nicolai, cujus verba ibidem referuntur. Deinde autem cap. 7, idem Henricus, votis solemnibus Deo nuncupatis, postquam saluti pristinæ ac Claræ-Valli suæ redditus esset, ad cathedram Bellovacensem promotus fuit. Bernardus in hac re quomodo se gesserit, quomodo Henricus ; quæque adhibita sint media, ut ambo consentirent, legere pluribus ibidem licet. Hæc e diversis duobus capitibus citatis nos hic simul conjunximus. De obitu autem Gaufridi de Amaio apud Claravallenses, prout sanctus Pater prædixerat, adisis Manricum cap. 6. qui cap. 8, agit de famoso illo ac infami Nicolao :

Digitized by Google

sed nos historiam istius sycophantæ collegimus supra per anticipationem temporis.

527. Sequitur annus Christi 1151, ubi cap. I. Manricus inter alia tractat de Raynaldi seu Rainardi, viri magni in ordine Cisterciensi, ejusdemque monasterii abbatis, morte a S. Bernardo denuntiata; de qua re consulesis Gaufridum biographum lib. IV. Vitæ sancti Patris cap. 3, num. 19. Deinde subjungitur in Historia Cisterciensi n. 8, mors Sugerii, abbatis S. Dionysii, superius a nobis laudati; ad quem, imminente jam ei morte, exstat epistola S. Bernardi ordine 266 qua ipsum hortatur ad eamdem intrepide excipiendam. Præsenti anno 1151, etiam illigatur epistola 270, ad Eugenium papam in causa prioris Carthusiani contra trangressores quosdam, post suborta inter eos dissidia. Vide Manricum hic cap. 2, et notas Mabillonii ad istam epistolam. « Hoc ipso anno, » uti vult historiographus Cisterciensis in eodem capite n. 9, « Bernardus pensum solvens, et solitum de Consideratione librum ad Eugenium pontificem scribens, multa deplorat in Romana curia, quæ per ipsum corrigenda esse deberent; sed præcipue frequentes legationes in Hispaniam, præsertim quæstuosas legatis, verum Ecclesiæ non inutiles tantum, sed nocivas. » Deinde recitat fragmentum libri III, ex eodem opere. Sed rectius illa distulisset historicus ad annum 1152, propter rationes, paragrapho proxime sequenti a nobis assignandas. Ex his itaque conficitur, virum sanctum in postremis quoque vitæ suæ annis, sicut consueverat in prioribus, nunquam non fuisse attentum ad captandas occasiones vel studio quæsitas vel sponte oblatas, ut operam conferret in commodum publicum Ecclesiæ, aut particulare alicujus communitatis vel personæ. Accedit eo illud, quod Manricus ad annum 1151, cap. 6, observat his verbis : « Hoc ipso anno compilatum Decretum per Gratianum, Benedictinum monachum, ex codice bibliothecæ Vaticanæ, Baronius notat ad hunc annum : *Decretum Gratiani, monachi sancti Felicis Bononiensis, Ordinis sancti Benedicti compilatum in dicto monasterio anno Domini* 1151, *tempore Eugenii papæ III.* Verum neque id sine Bernardo factum lego in notis ad Historiam Joannis Dubravii lib. IX, lit. G : *Sancti Bernardi (inquiunt) Clarævallensis abbatis hortatu, Gratianus pontificum decreta compilavit.* » Sic observat Manricus.

528. Et mox num. 7 : « Claudat, » inquit, « caput miraculum Bernardi satis illustre, per hoc tempus patratum, sed multos adhuc post annos perseverans. Fons aquæ fœtidæ conversus in fontem vini... Id a Joanne eremita memoriæ proditum, cum eumdem nancisci non potuerim, ex transcriptore Sylva accipiat lector. » Sed cum illud in Vita ab isto Joanne condita, et post Chiffletium nostrum a Mabillonio vulgata, in promptu sit, alioque ibidem modo narretur, ex editione Mabillonii col. 1289 et 1290, factum damus : « Cum pertransiret die quadam circa horam sextam vir venerabilis finagium [*i. e* confinium] de villa, cui nomen Columbeium in fossa, invenit fontem in itinere suo a pecoribus conculcatum. Cumque ibi consisteret, jussit sibi et discipulis suis panem ministrari in eodem loco. Illi vero, quia locus ille inhonestus videbatur, volebant potius in alium locum transire : dixeruntque ad hominem Dei : Non est, inquiunt, Pater, hic locus idoneus ad manducandum. Transeamus hinc, donec ad locum veniamus ubi honestius manducare possimus. Locus enim iste coinquinatus est a pecoribus, et juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. Vir autem Domini noluit acquiescere sermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate et opibus, qui obviam occurrerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos suas.

529. « Qui nullatenus voluit eis assentire, præcipiens magis, ac magis in prædicto loco escas sibi præparari. Tunc vero unus ex discipulis suis, Hemericus nomine, dixit ad eum : Quid est hoc, Pater, quod vis facere? quia hic locus fœtet, et a pecoribus est coinquinatus : et tu vis in eo manducare? Hunc igitur sermonem cum audisset vir Dei, ultra sustinere non potuit, sed aperuit os suum, et prophetare cœpit coram omnibus, dicens : Audite me, fratres, et qui mecum estis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirent, ut in eo ab infirmitatibus variis curentur. Sanctus est locus, utpote a Domino sanctificatus. Hoc cum audissent discipuli, acceperunt panes et cibaria, comederuntque cum eo, et alii multi; plures namque venerant obviam, ut supra diximus. Tunc vir Dei elevans manum suam, signo crucis super fontem edito, benedixit eum, et sanctificavit, dixitque ministris : Haurite, propinate comedentibus. Ministri autem hauserunt aquam, et impleverunt scyphos; et versa est in vinum : biberuntque omnes qui aderant, et gratias exsolverunt Deo immensas, dicentes cum gaudio magno : Vere homo iste sanctus est, vere Spiritus sanctus habitat in eo

530. « Igitur vir beatus post cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Joannem, vocavit, qui dives et abundans erat valde; præcepitque ei, ut prædictum locum curaret, et a sorde mundaret, et de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens : Si hoc, inquit adimplere nolueris, scias, te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvi possis, panniculum non habebis, Illo autem pigritante, imo nolente jussa beati viri adimplere, res, prout sanctus ei prædixerat, subsecuta est. Nam in morte de tota possessione sua sudarium habere non potuit, juxta verbum hominis Dei. Quis hæc sine spiritu prophetiæ virum sanctum prædixisse dubitet? Multa quoque, dum adhuc viveret, prophetavit, quæ in effectum succedere vidimus longo tempore post gloriosum transitum ejus. Nam de fonte prædicto, sicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, si cujuspiam corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione luerit

Digitized by Google

perfusum, cognitum est a multis, in melius reformari. In potu quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitati prosunt. Nam et si quis febris gravi laborans incommodo, inspirante confessore Christi Bernardo, desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauserit, convalescit, et ita exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis universa incendia repente exstingui. Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accensis, ut potatæ fuerint, dolores compescunt. »

531 Mortem Theobaldi, comitis Campaniæ, cujus supra mentio non parca occurrit, in hunc annum 1151 incidisse, invenies apud Manricum cap. 6, uti et alia plura, videlicet vitæ integritatem ex variis scriptoribus, qui ibidem assignantur; locum sepulturæ; illustrem viri in suis per regia matrimonia cohonestationem; epistolam *S. Bernardi*, sinceræ erga eum amicitiæ testem, ordine 271, monachatum denique Theobaldi reprobatum tanquam apocryphum.

§. L. *Archiepiscopi Lundensis peregrinatio ad S. Bernardum; hic illum a se discedentem miraculo prosequitur; ratio temporis librorum de Consideratione; variæ prædictiones; turbæ in Lotharingia compositæ; luctus filiorum in ultimo morbo Patris; hujus pro illis cura.*

532. Pervenimus ad annum Christi 1152, vitæ magni Patris penultimum, ad quem annum cap. 3 ita loquitur Annalista Cisterciensis : « Inter hæc venerabilis Eskyllus [*al.* Eskilus, Eschilus], Lundensis archiepiscopus, Danorum primas, idemque apostolicæ sedis legatus per totam Daniam..., Claramvallem adire deliberavit, Parentem sanctum per tot pericula terræ marisque, per sumptus, per incommoda vitæ visitaturus. De ea peregrinatione Saxo Grammaticus, pagina 310, ad medium : « *Eodem tempore Eskyllus domesticis supra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius consulit, proficiscendi licentia a rege difficiliter extorta, nobile Galliarum cœnobium, quod Claravallis nuncupatur, petivit, ibique asperum patriæ convictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutavit, jocundiorem rerum usum apud exteros, quam inter cives habiturus.* » Sed quæ hic narrantur ex isto auctore, plenius exstant apud Gaufridum in Vita S. Bernardi lib. 4, et in Exordio magno distinctione 3, cap. 25.

533. Addit idem Manricus, in votis fuisse venerabili isti præsuli, privatam in Claravalle vitam ducere, relictis infulis; sed viro multis perutili, imo etiam necessario, id a sancto Patre dissuasum fuisse tunc temporis. Mira quoque sunt, et S. Bernardo perquam honorifica, quæ de pane, sola ejus benedictione dudum servato a corruptione; item quæ de dente et capillis viri sancti (detulerat illa secum Eskilus e Claravalle profectus) memorat Annalista allegatus. Quæ cum in loco postmodum exhibenda sint ex eodem Gaufrido, quem modo designabam, adeat illum lector. Laudatus porro Eskilus, deposita infula, se adjunxit cœnobitis Claravallensibus post mortem sancti Patris, atque in Ordinis Annalibus frequens et honorifica de ipso recurrit memoria. Virum hunc annuntiat et laudat Henriquezius in suo Menologio Cisterciensi ad diem X. Aprilis.

534. Ad hunc etiam annum pertinet coronis a S. Bernardo imposita aureo suo operi de Consideratione ad Eugenium Papam. Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 1152, num. 2, de ordine temporis et scriptionis ita disserit : « Loquitur hoc anno Baronius de quinque libris de Consideratione ad Eugenium papam a divo Bernardo elucubratis, quæ inter ejus Opera præstant; sed sanctus doctor non eos uno tenore absolvit, ut putavit Baronius; verum diversis intervallis scriptos ad Eugenium transmisit, uti observat Mabillonius in Præfatione ad tomum II, Operum sancti Bernardi. Et primum quidem anno 1149 edidit, cum Nicolaus Clarævallensis monachus, ejusdem sancti Bernardi notarius, ante suam discessionem scribens Petro venerabili dicat : « Mitto vobis librum domni abbatis Clarævallis ad dominum papam ». Quæ epistola septima est lib. VI. Nicolaus autem paulo post recessit a sancto doctore, uti suo loco diximus. Præterea Bernardus secundum librum dixit Eugenio anno 1150 post infelicem expeditionis Hierosolymitanæ exitum : de quo ab ipso libri exordio apologiam præmittit. Tertium hoc anno post obitum Hugonis Autissiodorensis scripsit; cap. enim 2, num. 11, de eo loquens inquit, *defuncto sancto episcopo;* quem quidem librum num 20, declarat a se editum anno quarto a concilio Remensi. Ejus verba Baronius citat. Denique quartum et quintum librum paulo post, si non cum tertio, absolvit. »

535. Tandem historica de rebus S. Bernardi collectio nostra ad annum Christi 1153 deducta. Fuit is viro Dei terminus hujus vitæ mortalis, ac principium beatæ immortalitatis. Observat auctor Annalium Cisterciensium ad hunc annum cap. 1, num. 2 : « Initio anni, hoc est, in media hieme, ægrotasse Bernardum usque ad mortem, » ex ipsius epistola. Est illa inter alias Bernardinas a Mabillonio vulgatas ordine 307, domino Ostiensi scripta, et ibidem notata anno Christi 1153. Sic autem in rem nostram scribit ad eum sanctus Pater : « Deinde super statu corporis mei cognovi vos esse sollicitum. Verum est, quod audistis : infirmatus sum usque ad mortem; sed interim revocatus ad mortem, atque hoc (ut me sentio) non diu : longe enim sum debilior quam credi possit. Quod tamen dixerim absque præjudicio divinæ Providentiæ, quæ et mortuos suscitare potest. » Ex his itaque patet, sanctum tunc desperatissima infirmitate affectum fuisse : at quo tempore morbus ingravescens illum tandem ad extrema deduxerit, testatur Gaufridus lib. V. Vitæ cap. 2, ubi felicissimum, sed fratribus tristissimum viri obitum describit, et de ipso, illos alloquente, sic memorat : « Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, non vobis esse quod adhuc

Digitized by Google

timeretis : æstate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. » Porro quemadmodum se sanctus gesserit, in gravi sua infirmitate, invictum et heroicum in ardenti fervore et piis occupationibus spiritum exercens, præmiserat idem biographus lib. v, cap. 1.

536. « Interea fratres (sicut narrat idem Vitæ scriptor cap. 3) instare supplicationibus, et obsecrationibus, quibus poterant apud Deum. Unde etiam sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est : Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, et invaluistis. Parcite, quæso, parcite : sinite me abire. » Quibus subdit ista Manricus num. 4 : « Sed nihilominus prophetiæ spiritu plenus, nec minus interim paterno amore æstuans, consolari lugentes, dilationem promittere, instillare fiduciam, atque in spem cunctos erigere, et se ad æstatem usque differendum, datis dolori induciis, promittebat : *Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem*, etc. Ergo (uti pergit Manricus num. 5) dum inter spem et metum fluctuarent ancipites, atque diu imminentem sententiam mortis, vix aut ne vix (quidem) sperarent posse differri, minus forte fidentes Bernardi verbis confirmavit visio ; » quæ a Gaufrido exponitur cap. 3, jam indicato. « Hæc tertia, » sicut observat historiographus Cisterciensis, « jam de Bernardi obitu visio, quam tamen quarta alia secuta est, qua differendum etsi minus clare, haud tamen nimis obscure confirmabatur. » Exibebat ea Odonem, unum e senioribus Claravallensibus, moriturum ante sanctum Patrem. Hanc lege apud designatum modo sæpius biographum ; cui adde auctorem Exordii magni, distinctione 3, cap. 6, ubi, quia sequitur sancti Patris asseveratio vel prædictio de gloria cœlesti, statim post mortem Odoni obventura, ex eodem Exordio etiam transcribo ista :

537. « Post prædictam enim visionem idem famulus Dei Odo molestia corporis tractus ad extrema pervenit. Ad quem visitandum cum beatus Bernardus ingressus fuisset, videns eum pavere et anxiari, quasi si minus perfecte vixisset, et ob hoc ancipitem adhuc sententiam judicis exspectaret, sic eum allocutus est : Quid trepidas, quid turbaris, o anima beata? A diebus adolescentiæ tuæ devotum Christo famulatum in multis et magnis laboribus exhibuisti, et exire formidas! Ferge, perge securus : ego tibi in veritate dico quia recto cursu ad Creatorem tuum pervenies, et sanctus coram ipso apparebis. Qua consolatione dilecti Patris sui humilis Odo roboratus... vitam veraciter apprehendit. Ut autem Pater sanctus sententiam, quam de eo protulerat, piæ humilitatis obsequio veram esse comprobaret, corpore sancto adhuc in area jacente, antequam ad lavandum deferretur, reverenter accedens, funeris Deo digni vestigia sacra devote osculatus est... Benedicti corporis ejus exuviæ in monumento, quo piæ memoriæ A Humbertum locatum dixi mus, ob reverentiam sanctitatis ipsius reconditæ sunt. »

538. Sed mirabile prorsus est aliud viri sancti vaticinium, quod Manricus cap. 2, credit pertinere ad primos hujus anni 1153. menses, ac producit ex scriptore Exordii magni. Sic itaque illud refertur in editione Tissierii distinctione 3, cap. 27 : « Nobilissimus princeps Gunnarus, judex quondam et dominus Sardiniæ detrachalis [f. tetrarchalis], cum aliquando gratia orationis sanctum Martinum Turonensem expetiisset, in reditu transiens per Claramvallem, et a beato Bernardo devote susceptus, de salute quoque animæ copiose admonitus, conversioni minime consensit : licet Pater sanctus, ipso præsente, et multum garrulante, cæcum quemdam illuminasset. Cui B abeunti vir Domini sic locutus est : Ego quidem instanter pro tua conversione Dominum rogavi ; sed ad præsens exaudiri non merui. Et nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum : scias tamen te huc iterum de Sardinia reversurum. Abiit ergo in patriam suam ; sed verba, quæ ex ore viri Dei audierat, incessanter animum ejus stimulabant, Spiritu intus suggerente, prophetiam, quam tantus propheta sibi de se prædixisset, cassari penitus non posse. Modico post hinc elapso tempore, cum nuntiatum esset ei, beatum virum transisse de hoc mundo ad Patrem, consternatus est animo vehementer, arguens semetipsum, et pœnitens valde quod ad illius prædicationem conversus non fuisset. Mox ergo igne illo quem Dominus mittit in corda electorum suorum, C et vult vehementer accendi, totus incanduit : nec omnino moram facere sustinens, primogenitum filium suum pro se in regno suo principari constituit : ipse vero, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis et animi vigore præpollens, relicta Sardinia omnique gloria mundi spreta, pauper et humilis ingressus est in Claramvallem : ibique sub disciplina suscepti Ordinis usque ad decrepitam ætatem, imo usque ad mortem perseveranter militans, regnum terrenum pro cœlesti se commutasse gloriabatur

539. « Varii in Lotharingia tumultus, » sicut perhibent Annales Ordinis Cisterciensis cap. 4, « apud Metenses, Bernardum tanquam angelum pacis forte ad hoc reservatum præstolabantur. Quin et Hilinus [*al.* Hilinus] Trevirorum metropolita, sub quo Metensis sedis, ad Claramvallem veniens, eumdem sanctum humilis supplexque, ut tantis subveniret malis sollicitabat. » Rem narrat Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 1, addens, vires ad tanti operis successum in hoc casu, sicut in aliis eventibus præteritis contigerat, viro Dei cœlitus fuisse redditas. « Dominus, » inquit, » sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. « Et paucis interjectis : « Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit..., ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent... Cui in opere novissi-

Digitized by Google

mo tam manifeste divina adfuit virtus, ut ex laboribus vires capere videretur. » Interim « jam arma utrinque, » inquiunt num. 4, Annales citati, « et clamores audiebantur : et alteri ex ardore vindictæ, alteri ex victoriæ recentis elatione, fremebant utrique. Cum sanctus Pater admonitus per visum nulli repulsæ cedere, tandem quæcunque vellet impetraturus, Trevirensium antistitem secutus, pervenit ad castra quæ jam jamque in se invicem irruitura, Mosellæ ripas longius occupabant. »

540. Quot et quanta hic mirabilia in virum sanctum quasi confertim a divina Providentia sunt congesta! Mirabile ad illos tractus iter ejus; qui puncto vix unico distabat ab itinere ad æternitatem: mirabilis in desperatissimæ pacis negotio tam certa et affirmata de bono ejus eventu prædictio; mirabilis denique atrocissimarum istarum discordiarum compositio : etenim « partis utriusque primarii... compositis omnibus, secundum quod fidelis arbiter (Bernardus) definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis, » uti Gaufridus testatur : qui lectorem, totius rei gestæ seriem describens, plenius edocebit. « Premebat » videlicet « homines, » uti recte observat Manricus num. 6, « auctoritatis Bernardi pondus, premebant miracula, cum nefas ducerent utrique non exaudire, quem Deus exaudiebat, et cui ipsa natura obtemperabat. Præter alios illuminati duo cæci ad tactum viri Dei: claudi item duo donati libero gressu, Deum in Bernardo præsentem manifestabant. » Deinde ex eodem Gaufrido refert celeberrimam mulieris, vehementi tremore ac validis membrorum motibus ab annis octo concussæ sanationem; uti et alterius paralyticæ curationem. Adisis ipsum Gaufridum loco superius citato : qui, postquam narraverat ea, quæ in hoc supremo ac prorsus memorabili abbatis sanctissimi itinere contigerunt, sic eumdem affatur, prædictum caput primum concludens :

541. « Cæterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est, ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili, quam difficili, nec minus desperatæ quam necessariæ pacis labores tuos gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, et nomen suum in te glorificans, rex gloriæ, Dominus Deus tuus. » Hæc Gaufridus; qui cap. 2 tractat de sancti ad cœnobium Claravallense regressu, ac animi gaudio, quo erat delibutus. En nonnulla e pluribus, quæ scribit : « Ut expleta Metensium reconciliatione, et provinciæ illi pace reddita, abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat : *Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem*, etc. » quæ supra præmissa sunt.

542. Claravallensium filiorum de desperata amantissimi Parentis salute dolorem commemorat Manricus cap. 7, his verbis usus : « Jam Pater sanctus morti, jam mors victoriæ, jam victoria triumpho appropinquabant. Jam beati angeli, jam spiritus cœlestes novum civem cum gaudio, quin ipsi dæmones Bernardum abeuntem, per quem tot millia animarum perdidissent, qua poterant, cum tripudio præstolabantur. Soli fratres et filii, destituendi tanti Patris solatio, tanti magistri ductu, mœrebant tristes, ejus vitam vel propriis redempturi. Quippe sub eo discedere, in felicitate; sine eo vivere, in miseria reponebant. Videres homines pene extra se factos, ipso, quem amittendum deplorabant, ut apparebat, morte propinquiores. » Audiatur unus ex illis Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 2 : « Nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare, ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si pie senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsangues, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. »

543. Deinde idem biographus apostrophen tenerrimi affectus, venerationis profundissimæ, ac cumulatissimæ laudis expressionibus plenam dirigit ad sanctum suum Parentem : sed, ne actum agam, huc illam non transcribo. Mitto hic etiam alia, quæ subjungit, de filiorum ad Patrem accessu, hujusque et illorum verbis, ac fletu. Item dilectissimam sibi sobolem consolabatur. Ad hæc, monitis eam instruebat dulcis ac sollicitus Pater (vide laudatum Gaufridum loco citato) ad religiosam perfectionem, lacrymis præ affectu sermoni vere paterno intermistis, charissima sibi pignora adhortans. Nec præteribo tria illa monita, quibus testamenti seu ultimæ voluntatis loco dilectos sibi filios benignissimus Pater affatus fuisse dicitur ab Alano apud Mabillonium volumine II, col. 1271 et 1272 : « Videns itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutius adhæserant, seorsum advocans, alloquebatur, talia dicens : Quia non arbitror me magna vobis religionis exempla posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio, quo cucurri, me pro possibilitate mea memini observasse : Minus sensui meo, quam alterius credidi; læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui : et, si quando incidit, sedavi ut potui. » His merentur adjungi, quæ Manricus in additis ad Exordium magnum lib. VII, cap. 10, legisse se significat, hisce verbis expressa : « Ut olor dulcissimus, qui canoro et suavi modulo, ad limina mortis ductus, cantare solet : sic et B. P. Bernardus jam in extremo vitæ præsentis ac perituræ constitutus, dulciora multo, magisque melliflua verba sonabat : adeo ut præ gaudio miato tristitiæ, omnes, qui ibi aderant, in-

Digitized by Google

genti luctu ac gemitibus enarrabilibus in lacrymas dissolverentur. »

§ LI. *Morbus; revelatus obitus; litteræ, ut fertur, ducissæ Lotharingicæ; virorum illustrium accessus; mors; corpus; miraculis finis impositus per obedientiam.*

544. « Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola, quam ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictavit, » teste Gaufrido lib. v, Vitæ cap. 2, qui eam etiam ibidem recitat. En tibi sequens ex ea fragmentum : « Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est... Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropycis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. » Epistola porro hæc ordine 310 signatur, et inscribitur *Ad Arnoldum Carnotensem abbatem Bonævallis*, notante Mabillonio, Ernaldum passim appellari in vetustis monumentis, ut in Spicilegii tomo XII, pag. 390, et apud Arnulfum episcopum Lexoviensem, qui ejus epistolas laudat. Omnes excidisse summopere dolemus. Ernaldo librum secundum de Vita Bernardi, tribuendum esse, docent Notæ fusiores.

545. Manricus cap. 7, num. 7 et 8, scribit de duabus aliis, præter eas, quas diximus revelationibus, quibus sancti mors prænuntiata fuerit. Proferamus ejus verba : « Hoc ipso tempore in abbatia Clarævalli proxima, nec satis certum adhuc in qua fuerit, quarta de sancti morte revelatio abbatem simul instruxit et invitavit, adfuturum, si vellet, obitui sancto, cui curia omnis cœlestis præsens assisteret. » Factum narratur ac confirmatur apud Gaufridum, lib. v, cap. 3. At sive rem non tam prope adesse existimaret abbas ille, sive non plenam isti revelationi haberet fidem, sive aliis occuparetur negotiis urgentibus ; hanc monitionem cœlestem subsecuta est alia, de qua Manricus citato num. 8, prædicti monasterii præposito facta ab ipso S. Bernardo ; quæ cum sit breviter relata a laudato mox biographo, eam huc ex ipso transfero : « In monasterio prædicti illius abbatis, qui sic ejus natalem prævideret ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit, venerabili ejus præposito apparens, valefecit illi, et ait : Noveris, quia jam migro, nec ulterius hic morabor. Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas, et Claramvallem veniens, ipso die abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse. » Atque hæc quidem quinta revelatio mortis : uti observat Manricus num. 8, sanctissimi Patris : et, quantum nos novimus, etiam postrema, quæ utique accidit ultima nocte, post quam proximo matutino diluculo erat migraturus ad Dominum.

546. Appetente autem mortis tempore, venisse ad eum fertur nuntius e Lotharingia, ac Ducissæ, a viro sancto olim conversæ, litteras ad ipsum detulisse. Quid vero in eisdem scripserit, et quid sanctus responsi dederit, legi potest apud Historicum Cisterciensem cap. 7, num. 9, post cujus rei narrationem addit : « Hæc ex anonymo antiquo, ut vocat, ms., a quo se Brito hausisse testificatur, » qui inspici potest lib. III, cap. 28, ubi allegatur quidem codex ms., fol. 64, et alii nominantur auctores ; sed facti fides sit apud asserentes ; cum Gaufridus adeo diligens et accuratus scriptor eorum, quæ sub finem Vitæ S. Bernardi acciderunt, nihil horum memoret. Porro de mirabili hujus ducissæ Adeleidis conversione agit Guillelmus in Vita lib. I, cap. 7, et Fragmenta Gaufridi col. 1277. Vide quæ supra dixi § 18, num. 198. Postremo virum sanctum jam morti proximum illustrium personarum consortio cohonestatum fuisse, testis est Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 2. « Novissime, inquit, cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago..., magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies : ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. » Tempus vero mortis mox subdens, « Hora, inquit, diei pene tertia... (Manricus cap. 7, num. 11, tribus, ait, ante meridiem horis, plus minusve) a corpore mortis... migravit. » Deinde autem alias temporis notas signat : « Annis circiter sexaginta tribus expletis... decimo tertio Kalendas Septembris, inter filiorum manus obdormivit in Christo, » anno videlicet reparatæ salutis 1153, quem dictus biographus, nonnullis rebus interjectis, de quibus agetur illico, etiam notat, dicens : « Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus papa noster Eugenius tertius... ab hac luce... migravit. »

547. Quo autem momento beatissimus Pater animam purissimam suo Creatori reddidit, visio plane singularis condecoravit felicissimum ejus ex hac vita transitum, quam Manricus num. 13, sic narrat ex additis ad Exordium magnum lib. VII, cap. 10. « In ipso vero momento, quo ultimum exhalavit spiritum, visa est in eodem cubiculo, quo sanctus vir jacebat, piissima Dei Genitrix, specialis B. Bernardi patrona, largissima suorum remuneratrix, innumeram angelorum ac cœlestium spirituum multitudinem, prout reginam cœli ac dominam angelorum decebat, secum in comitatu habens, quæ cernentibus omnibus, qui ad funus venerant, sanctissimam viri Dei animam quasi ab ore ejus rapiens, usque ad penetralia cœli cum eodem comitatu, lætantibus angelis, hymnosque cœlestes per aera cantantibus perduxit, quo pia sui memorum immemor nequaquam existeret. Similiter et visa est eadem cœli regina illam B. Patris nostri Bernardi animam in cœlesti beatitudine ad latus suum collocasse. » Ea autem sic metro illigavit Philotheus in Carmine encomiastico de vita et moribus S. Bernardi :

Cum niveus, lacrymas inter gemitusque suorum,
Spiritus, abjecto corpore, celsus abit :
Ipsa per aerios Virgo nitidissima tractus

Digitized by Google

Visa est cœlestes ducere læta choros.
Purpureamque trahens animam super arce locavit
Empyrea, lateri composuitque suo.

Hæc ibi de ista apparitione; sed Gaufridus nihil de ea scriptum reliquit, quod miror. Quid de sacro corpore exposito, concursu hominum, et sepultura?

548. Corpus defuncti abbatis etiam rite paratum, et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur; teste Gaufrido lib. v, cap. 2, concurrente ad illud plurima hominum multitudine, vallemque totam ploratu atque ululatu implente; sicut ibidem sequitur. « Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. » Quid præterea? Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione. » Et vero secunda die tam erat importuna corpus venerabile obsidentium multitudo, ac præstolantium sacratissimi istius pignoris sepulturam, die tertia faciendam, ut anticipata ejusdem fuerit hora, ad vitanda, quæ timebantur, incommoda. Consule laudatum mox biographum, qui ista plenius enarrat. Quid, quod unus e fratribus, gravi ac diuturno morbi caduci malo laborans, et priusquam corpus tumulo conderetur, plena fide ad illud accedens opemque flagitans, perfectam recuperarit sanitatem, prout videre licet apud eumdem scriptorem: quanquam hæc sanatio aliunde ejus textui inserta est. Adisis etiam Exordium magnum distinctione 2, cap. 20.

549. Neque filio suo ac domestico Pater sanctus duntaxat fuit benignus; sed externis etiam præbuit se propitium. Audiatur Exordium magnum loco jamjam indicato: « Pridie etiam quam reconderetur pretiosissimus ille thesaurus, puer quidam de proximo viculo advenit, præ siccitate nervorum aridum habens brachium, et manum contractam. Cujus ætati et debilitati qui præsentes aderant compassi, tanto huc fiducialius ad sacri corporis tactum invitavere post horam orationis nonam, quanto id minus innocens ætas per se præsumere audebat. Ubi vero brachium aridum brachio sancto, et manus contracta manui benedictæ applicata est; repente vigore naturæ redeunte brachium convaluit, et manus libere extendens et reflectens digitos, sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus quaquaversum circumdederat, perfecte sanitati restituta est. In cujus curatione tantus illico factus est clamor omnium, qui aderant, vociferantium in laude Dei ut vix eum potuerit fratrum disciplina reprimere. Superveniente vero nocte allatus est alius toto corpore debilis, procubuit loculo, et coram psalentibus erectus est, et deductus ad altare. Ita Exordium magnum Ordinis Cisterciensis,

550. At magna virtus miraculorum exierit oportet de corpore abbatis nostri jam vita functi, cum injunctum ei dicatur, ne eadem ulterius continuaret, Gosvino abbate Cisterciensi illud probibente. Factum audi ex auctore Exordii magni distinctione 2. cap. 20: « Enimvero domnus [*al. add.* Gozvinus] Cisterciensis [*al. add.* abbas] qui cum aliis pluribus abbatibus sui ordinis ad exsequias viri Dei venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, et ex præsentibus futura conjiciens, vehementer timere cœpit, ne, si crebrescentibus signis tam intolerabilis illuc populorum turba concurreret, earum improbitate disciplina periret ordinis, et sanctæ religionis fervor in eodem loco tepesceret. Quapropter, habita super hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit. Sed cum dicat apostolus de Domino nostro Jesu Christo, quia factus est obediens Patri usque ad mortem, et ipsius exemplo legislator noster sanctus Benedictus obedientiam nobis usque ad mortem in regula proponit; sancta et vere humilis anima Patris nostri mortali homini, etiam post mortem carnis, obediens fuit. Nam signa, quæ tunc jam radiare cœperant, ita cessavere, ut ex illa die et deinceps nunquam publica miracula facere visus sit: licet quibusque fidelibus præcipue sui ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamantibus, usque hodie deesse non possit. Namque sola illa signa quæ disciplinam ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, domnum Cisterciensem fieri noluisse, manifestum est. »

551. Cæterum, quid occasione hujus mandati acciderit in tartareo spiritu, qui mulierem possidebat, indeque per merita S. Bernardi exire jussus hanc ipsius jactabat obedientiam, ne occupatam a se sedem deserere cogeretur, non abs re fuerit hoc loco commemorare ex magno Exordio Cisterciensi, quod paulo ante designatum est. Rem itaque gestam ex illo intellige: « Evolutis dehinc post transitum beati viri pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quædam, quam correptam spiritus malignus atrociter vexare cœpit. Quo tam lamentabili casu propinqui et amici ejus vehementer consternati, si quid remedii foret, sedula meditatione pensare cœperunt. Erat autem in vicinia cœnobium quoddam ordinis Cisterciensis; et sicut mentibus in angustia constitutis spes undecunque concepta solet parere fiduciam, ad eamdem domum dæmoniacam illam causa curationis ducere communi consilio decreverunt. Quod et factum est. Sistitur misera ad portam: et aliqui ex simul comitantibus, qui tantum malum abbati et fratribus nuntiarent, opemque flagitarent, mittunt. Abbas vero quosdam de senioribus quos magis noverat spirituales, assumens, cum

Digitized by Google

cruce Dominica et sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque malignus ille spiritus per Domini crucem et per sacra sanctorum pignora conjuratus nil moveretur, recordatus est abbas, habere se venerandas reliquias de capillis et barba S. Bernardi: quas eodem, ni fallor, anno ad capitulum vadens in Claravalle pro benedictione acceperat, et ad tutelam sui continue secum ferebat. Et nihil dicens, manus sub cuculla silenter misit, quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has urgeret.

552. « Quod pestifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuo scabellum pedibus terere, sputa jacere: totius quoque corporis indecenti motu, quid intus pateretur, prodebat invitus. Et erumpens in vocem: Eia, inquit, abbatule, quid vis facere? Quid modo mali contra me sub illa veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum laboras: serva Bernardum tuum, nec enim proficies quidquam. Dicente vero abbate, per Domini gratiam et hujus sanctissimi viri merita, modo egredieris, respondit: Quid? An excidit tibi quod prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo sciens, securus in hoc meo domicilio requiesco, Audiens autem abbas et fratres, qui cum ipso erant, hæc verba, valde mirati sunt, quod scilicet spiritus nequam interdictum illud in scutum suæ defensionis tam celeriter invenerit. »

§ LII. *Variæ post beati Patris obitum apparitiones; tumulus; epitaphia; elogia; aqua qua ejus sacrum corpus fuerat ablutum, prodigiosa; sermo anniversarius; corporis ac morum descriptio.*

553. « Ascendentem in cœlum beatam animam ex variis mundi plagis conspexere viri sanctissimi; sed inter alios duo commemorantur, alter in Anglia; in Vasconia alter existens: hic Montis Pessulani Guillelmus comes, quem dudum in Grandisilva conversum, inde in Hispaniam missum, sed nunc forte reversum commemoravimus: ille anonymus, sed magnæ sanctitatis, nec similibus dissuetus revelationibus: uterque eadem die, qua decessit; sed alter alloquens; alter tantum videns. Et de Anglo hæc auctor Exordii magni lib. I, cap. 38: *Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum magnæ virtutis existere, qui in ipsa die qua B. Bernardus, abbas in Claravalle, de mundo migravit, cum esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam angelum de cœlo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, et eam cum ingenti gaudio secum ad astra ferentem.* » His exorditur Cisterciensis Annalista suum caput octavum. Apparitionem vero aliam, quæ laudato Guillelmo accidit eadem ipsa nocte, qua abbas sanctus ex hac vita decessit, idem historiographus subnectit ex Gaufrido lib. v, cap. 3, ubi lector pluribus illam descriptam inveniet.

554. Duabus hisce superaddit tertiam Manricus, « quatuor a Claravalle, uti refert, dictis factam regulari canonico, qui post monachum induit in Claravalle. » Rem vero gestam memorare se dicit ex anonymo Gallo, quem Silva transtulit. Sic itaque habet: « Is eadem, qua sanctus, obiit die, imo et eadem hora, videre sibi per somnum visus est monachos plures in cucullis albis splendidos, binos et binos lente procedentes, ac deducentes corpus beati viri a cella usque in ecclesiam ubi funebres ejus exsequiæ celebrantur.. Evigilans, de morte et visione sollicitus ac dubius distrahebatur, an sanctus doctor de mundo jam migrasset, et an pro illo orandum, an ipse potius, quasi qui posset pro aliis intercedere. Repente extra se factus stellam vidit claritatis ingentis et pulchritudinis, atque eam esse amici et Patris animam voce e cœlo delapsa clare cognovit, ante Dei thronum æternum micaturam. » Hac visione exposita, « Similem, » inquit, « aliam in Italia factam ibidem habes. » Hactenus Annalium Cisterciensium collector.

555. Accipe aliam, quæ apud eumdem historicum exstat num. 5, ex additis, quæ citat ad Exordium magnum lib. VII, cap. 10: « Refert ergo (ait) doctor Jacobus de paradiso, qui fuit de Ordine Carthusiensium, quod illa hora qua B. Bernardus de hoc sæculo feliciter migravit, triginta millia hominum e vita decesserunt. Inter quos etiam fuit vir quidam decanus ecclesiæ Lincolniensis, qui, dum vixit, vir vitæ laudabilis fuit. Qui mundanos honores fugiens, vitam solitariam elegit in quadam eremo, in qua per viginti quinque annos sanctissime conversatus est. Obiit igitur etiam hic decanus eodem die, quo beatissimus Pater noster Bernardus. Post mortem autem apparuit Lincolniensi episcopo cum magna gloria, pro ipsius episcopi, et omnium audientium admonitione dicens ei: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul et avaritiam: aliter nunquam habebis cœlestem gloriam. Non enim tam facile est, salvari hominem, sicut multi credunt. Quoniam, dum ego præsentarer tremendo Dei judicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quarum numero vir beatus Bernardus, et ego sumus salvati: tres descenderunt in purgatorium: alii omnes ceciderunt in infernum. His dictis disparuit decanus. Sed benedictus sit Deus in sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui sanctum Patrem nostrum Bernardum ita in omni gente, et natione glorificari digatus est. » In Bibliotheca Carthusiana auctore F. Theodoro Petreio, notatur « Jacobus de Clusa, alias de Paradiso (licet alii diversos fuisse existiment) ante ordinis ingressum S. theologiæ doctor ac professor publicus; postmodum vero Erphordianæ Carthusiæ alumnus, scripsisse tractatum *de Apparitionibus animarum*, post exitum a corporibus..., obiisse autem anno... 1465, aut præter propter. »

556. Plura sunt alia visa quibus Dominus Deus fidelissimi sui famuli jam vita functi gloriam ma-

Digitized by Google

nifestavit. Legatur Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 3, e quo hæc in compendium redigo : « Proxima nocte, postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus..., evidenter ostendit. Apparens enim cuidam fratri in multa gloria..., et desiderantem tenere, cito pertransiens, aiebat, quia pro quodam fratre simplice veni.... Circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater.... et sicut omnino credibile est, animam ejus.. secum tulit. Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnifice satis apparens... Hoc etiam scito, ait, et dicito fratribus, cujusdam vere sancti corpus, cujus et ego habeo vestem, in oratorio esse sepultum. Dicebat autem episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormierat, ad missarum sibi servaverat celebrationem, et moriturus in ea sese jusserat sepeliri, sicut et sanctum illum in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum et ipsi fratri, et quampluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. » Aliæ S. Bernardi apparitiones numero bene multæ, ac genere suo singulares dabuntur a nobis post in Gloria viri posthuma. Liceat nobis interea temporis ad alia pergere.

557. Tertio itaque post mortem die corpus ipsius sepultum est. Superpositas tamen pectori sacratissimo fuisse B. Thadæi apostoli reliquias, sicut beatus abbas præceperat, eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, perhibet Gaufridus lib. v, cap. 2. Occasione sepulturæ de epitaphiis etiam aliqua sunt notanda. Manricus cap. 9, sequens de iis judicium profert : « Bernardi tumulum ab ipso sancto sepulto ornaverunt elogia, seu epitaphia, quæ simul cum Operibus ejus circumferuntur, bonitate quam numero inferiora. Enervia ea pro argumenti qualitate, et nunc dura, nunc frigida, aut, si quando incalescant, inæqualia : certe quæ ideo plura esse videantur quia nullum satis. Nec tamen sine nutu divino factum credam, ut summa alias ingenia velut in luce Bernardi cæcutirent, et quæ laudandis aliis superessent, in ipso deficerent, quasi qui solus sibi sufficiens foret; et laureatus spiritu sapientiæ, non aliis coronandus veniret, quam suis scriptis. Assensisse videtur Baronius ad hunc annum huic conjecturæ, atque ipsam etiam judicio suo approbasse : nam Sancti laudibus cœptis, sed vix libatis, ad Adamum de sancto Victore propere transit, unum præ aliis Bernardi laudatorem, et tandem concludit : Ista in laudem laudatoris S. Bernardi redundent... »

558. « Epitaphium Adami Victorini, quia revera præ aliis dulcius sonat, omissis reliquis hic duxi transcribendum, quod haberi indicat inter epitaphia D. Bernardi. Sic vero expressum est :

Claræ sunt valles : sed Claris vallibus abbas
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,
Clarus et eloquio, relligione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum :
Clarior exsultat spiritus ante Deum.

Sic Victorinus Adam lusit, allusitque ad sancti abbatis, et loci claritudinem. Cætera languent, et nec Bernardi operibus digna erant, neque his Annalibus. » Non itaque opus est ad hujusmodi elogia recurrere. Alia gravissimorum omnis status ac conditionis virorum de sancto testimonia paulo inferius proferemus, ne vel ipsis quidem ex laudatorum istorum agmine exclusis heterodoxis, qui suam quoque symbolam in Bernardi præconia contulere Enim vero si sapientissimorum virorum elogiis addere nostrum de sancto Patre sensum liceat; tam ex dictis per decursum hujus nostri commentarii, quam ex dicendis infra in Vita ejus, nec non post illam in Gloria posthuma in ipsius honorem a nobis elucubranda, manifestissime conficitur, sequentes titulos, non adumbratos, sed veros ac genuinos ipsi convenire. Fuit itaque Vir sanctissimus, ac vocari debet meritissimo jure Ecclesiæ catholicæ lumen et columen, sedis apostolicæ fulcrum, hæreticorum malleus, apostolus, propheta, thaumaturgus, angelus pacis, Dei omnipotentis organum, perfectionis religiosæ norma, ordinis Cisterciensis propagator et gloria, vas denique electionis, ad agendas res magnas, et ad felicem exitum promovendas non difficillimis duntaxat, sed desperatissimis etiam temporibus.

559. « Edidit... in anniversaria sacri obitus illius solemnitate pereleganten sermonem Godefridus, ejus notarius, cum postmodum abbas esset in Claravalle. Qui licet mendis plurimis respersus, in posterioribus, quæ circumferuntur, editionibus, simul cum operibus sancti lucem accepit, sub hoc initio : Quam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria; » prout observat Manricus, cap. 9, num. 5. Sermo iste pluribus a nobis indicatus est § 1 hujus Commentarii, num. 18, ubi etiam signatur, quo anno fuerit habitus. De auctore autem consulat lector observationes § 63. Mirabile autem est, quod dicto num. 5, refertur de aqua, qua ablutum fuerat corpus sancti vita functi post multos etiam deinde annos salutifera et prodigiosa. Audiantur sermonis verba : Nonnullis etiam Pater sanctus, cum in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem, tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt, et, sicut eorum certa relatione didicimus, cum jam decimus annus transierit, non tantum aqua illa usque modo manet omnimodis illibata; sed eamdem obtinet et gratiam, quæcunque fuerit superfusa. Cum enim pluribus jam ad remedia postulantibus de eodem sacro liquore donaverint (nam et eum

Digitized by Google

multis opem tulisse confirmant) impleto tamen sæpius aqua altera vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. »

560. De singularibus gratiæ dotibus, quibus Vir sanctus erat præditus, asserit ista scriptor Vitæ Gaufridus lib. III, cap. 1 : « Serenus erat vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, et... de omni re magis fidens orationi, quam industriæ propriæ vel labori : magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, etc. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritalis tamen potius quam carnalis. In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cœlestis. In oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiose perfusus homo quoque exterior videretur. » Jam vero externum corporis statum ita pergit exhibere idem biographus loco allegato : « Corpus omne tenuissimum, et sine carnibus erat : ipsa quoque subtilissima cutis in genis modice rubens... Cæsaries ex flavo colorabatur, et candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. »

561. Infirmo autem ac plurimis incommodis subjecto Vir sanctus erat corpore. Audiamus denuo Gaufridum citatum : « Alias autem thesaurus iste in vase fictili erat contrito penitus et undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis : molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias sæpius incidentes. » Porro de virtutibus Viri, ac modo vivendi, quæ laudatus biographus ibidem enarrat, non memoro ; sed ea in ipso fonte legenda designo, ne justo longior sim, si omnia singillatim descripsero, quæ ibi scripta sunt. Interea temporis vellem, ut repræsentasset idem auctor, qualis fuerit in ipso vultus conformatio, qualia frontis, oris, oculorum lineamenta. Id vero cum nec ipse fecerit, nec ab alio antiquo biographo factum norim ; conabor, quoad potero, hunc defectum aliunde supplere inferius.

§ LIII. *Effigies ; cubiculum ; calix ; peregrinationes ad sancti corpus.*

562. Tria apud me sunt ectypa, quæ S. Bernardi effigiem repræsentant. Unum, hac epigraphe subscriptum : *Vera effigies S. Bernardi, primi abbatis Clarævallensis, sacri Ordinis Cisterciensis amplificatoris.* Sed veritas illa, seu perfecta hujus ectypi cum suo prototypo convenientia asseritur ibi quidem ; sed non probatur. Imago alia, et a priore omnino discrepans præfigitur Vitæ Gallicæ S. Bernardi, quæ typis edita est Lutetiæ Parisiorum anno 1704. Inscriptio asserit, veram hanc viri sancti effigiem esse, æri videlicet incisam e pictura, quæ Roma sit missa, quæque e vultu ipsius anno 1152, dum ageret annum ætatis 62, expressa fuerit. Imago illa repræsentat elegantem simul ac venerabilem, et paterna cum suavitate conjunctam vultus conformationem ; sed vereor ne affectatam. Etenim Pater sanctus tam emaciato erat corpore, ut cutis vix tegeret ossa ; ossa vero ipsa ægre cohærerent cum reliqua infirmissimi corporis compagine, morti naturali jam tum, ut ita dicam, quasi moraliter præmortua. Consule, quæ modo præmisi ex Gaufrido sub finem § 52. Breve est illud epistolæ 144, inter Bernardinas, ubi vir sanctus, « Pavidæ, inquit, mortis pallidam circumferentes imaginem, » etc.

563. A prædictis imaginibus prorsus diversa est viri sancti forma, quæ exstat apud Puricellum inter *Ambrosianæ Mediolani basilicæ, ac monasterii hodie Cisterciensis monumenta* (Ita inscribitur Opus laudati auctoris) volumine I, pag. 623. Illa vero mihi magis probatur, quam duæ aliæ præcedentes, quia hæc majorem apud nos habet auctoritatem quam illæ. De ea scribit. Puricellus pag. 622, n. 370 : « Satis vero fideliter incisa æri hæc est ex altera paris mensuræ, quam superioribus annis ad suos in hoc Ambrosiano monasterio monachos jam Cistercienses Pater generalis e Gallia transmisit, hoc elogio commendatam, quod ex omnibus æri hactenus incisis non alia unquam magis ad veram et nativam sancti abbatis effigiem congruerit. »

564. Nec tacite præterierim nonnulla hoc loco, quæ Manricus ad annum 1153, cap. 9, in fine scribit de S. Bernardi cubiculo, ac quibusdam aliis. « Interim adnoto, ait, exstare hodieque felix cubiculum, longitudinis ad quadraginta pedes, latitudinis sex supra viginti, quadrato lapide in parte pavimenti, cui stramineus sancti lectus imponebatur. In medio lapidis cavitas conspicitur, dubium cui usui apta : et sunt, qui dicant, reponendo igni effossam, quo caloris naturalis defectus (nam eo præcipue sanctus ægrotabat) repararetur. Visitur et in eodem cubili ligneus lectus, cui incubabat, cum spiritum emisit ; conservatus, ob sancti reverentiam, integer post annos atque illæsus. Demum inter reliquias Clarævallis, de quibus aliquæ nobis dicendæ erunt, ostenditur ex Inventario Clarævallis, quod citatur : *Scrinium parvum ligneum deargentatum, cujus sera est de argento, plenum reliquiis, videlicet de vestimentis sacerdotalibus S. Bernardi abbatis Patris nostri.* Hoc enim titulo prænotatur in Inventario. Itemque *pulcher quidem, sed parvus calix, cum pede et pomello rotundo per totum, tam intra quam extra, bene deauratus, cum sua patena et cochleari etiam deauratis, ponderis unius marchæ, et quinque unciarum ; qui propter reverentiam S. Bernardi, qui eo uti solebat in sacrificio, in Inventa-*

Digitized by Google

rio primum locum obtinet. » Verum de sancti reliquiis plura fortasse a nobis proferentur in Gloria ejus posthuma, si major illarum ad nos notitia pervenerit.

565. Præter illa, quæ ad sepulturam beatissimi patris spectant, quæque paulo ante a nobis relata sunt, dicere nunc aggredimur peregrinationes, ad venerabilem ejus tumulum primis post mortem temporibus pie ac religiose a variis susceptas. Historicus Cisterciensis ad annum 1154, cap. 1, num. 1 : « Bernardo, inquit, Patre ad superos translato, vota ad sepulcrum ejus, non secus ac ad alia loca sacra, ex toto pene orbe frequentabantur. Primus vel inter primos Eskilus fuit, illustris Daniæ primas, de quo superius, hoc anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, qui fuit Cistercii quinquagesimus septimus, ex ultimis finibus terræ veniens ad Claramvallem. » Et mox rationem reddens, cur innectat huic anno adventum ejus, uti et Sardiniæ reguli de quo mox) « Ergo..., sicut pergit, sub veris initium, qui ante biennium Bernardum visitaverat, cum viri transitum gloriosum agnovisset, scribente Gaufrido, sepulcrum ejus veneraturus advenit. »

566. Porro adventus ille narratur et confirmatur ex verbis Exordii magni, distinctione 3, cap. 25, ubi leguntur ista : « Haud multo vero post hæc (nimirum postquam ex Claravallensi cœnobio redierat) elapso tempore, tristissimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati viri, specialis amici sui, scribente sibi libellum de transitu ejus domno Gaufrido, monacho Clarævallensi, qui notarius ejusdem sanctissimi abbatis non parvo tempore fuerat. Tum vero caluit cor ejus intra ipsum, et in meditatione ipsius exarsit ignis : vana transitoria atque caduca reputans universa, quæ hominis intentionem præpedire possunt a recto cursu, quo ad patriæ cœlestis beatitudinem tenditur. Itaque commendans ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo et principibus terræ, relictis parentibus et propinquis, notis et amicis, ipsique patrio cespiti valedicens, exsul egregius Claramvallem venit : sepulcrum beati viri, intimi quondam amici sui visitavit, et ad sacratissimam tumbam ipsius vivere et mori delegit : ubi etiam sacræ religionis habitum, Deo donante, postmodum suscepit. » Hæc ibi ; sed memoria repete, quæ de monastica professione apud Claravallenses, vivente S. Bernardo, ab eo desiderata, præmisimus § 50, num. 532. Adde, quæ observat allegatus mox Manricus num. 4.

567. « Eodém anno, et eodem ejus tempore (sic pergit Manricus num. 5) quantum licet conjicere, Sardiniæ regulus, cujus superius fecimus mentionem, primogenito in solio substituto, relicto regno, qui hactenus adhærere viventi noluit, adhæsit cineribus, humilis monachus factus in Claravalle. » Hunc itaque ad sanctum fuisse attractum, et Claravallensium instituto ascriptum fuisse, colligimus ex eodem Exordio magno. Rem exposui § 50, num. 537, alia ibidem oblata opportunitate agendi de ejus ad Claravallenses profectione, quam inter alias ad Viri sancti sepulcrum peregrinationes connumero, uti etiam illam, quæ narratur in laudato Exordio distinctione 5, cap. 28. « Vir venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat, adeo ut de consilio et voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem desiderium magnum inerat, curam pastoralem deserere, et fieri monachum in Claravalle. Verumtamen sanctus Pater Bernardus sciens virtutem viri et gratiam, qua commisso cœnobio idoneus valde atque pernecessarius erat, quandiu vixit in carne, nunquam ei super hujusmodi petitione consensum præbere voluit.

568. « Quadam igitur die dixit ad eum idem abbas : Domine Pater, ego senex, et pene decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, et insuper urgentibus morbis, jamjamque resolvi me sentio. Quod si extra Claramvallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis et irreparabile [damnum. Unde necesse est ut vel nunc abire me jubeas, et satisfacere votis meis, quia mors accelerans, moram amplius facere me non permittit. Cui vir Dei respondit : Mane in loco tuo, et noli timere. Ego securum te facio quia morieris in Claravalle. Credidit homo sermonibus sancti, et mansit interim in prælatione sua securior pluribus annis. Post transitum vero beati viri, cum jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claramvallem se contulit : ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit. » Hæc ibi.

569. Tametsi vero duæ illæ peregrinationes ab auctore, qui illas memorat, clare ac distincte non asserantur peractæ ad visendum atque honorandum pretiosum corporis sacri apud Claravallenses depositum ; cum tamen videatur verosimile, hanc etiam causam vel tanquam primariam, vel saltem tanquam secundariam, ut cum philosophis loquar, influxisse in eorum, qui ad illud monasterium se contulerunt, iter ; non alienum a vero putavimus, si, Manrici exemplum secuti, istas duas profectiones diceremus ab ipsis institutas ad honorandum venerabile pignus illud, quod Claravallenses possidebant, quotidiano illius solatio fruituris, quandiu viverent, eorum instituto ascripti. « Sic, inquit Manricus numer. 6, venerati omnes Bernardi cineres ; religiosi in Simone Caziacensi ; principes in Gumaro (*sive* Gunnaro) pontifices in Eskylo, nec sola perigrinatione suscepta ; sed constituta apud eos habitatione, atque ad normam vitæ ejusdem sancti, quod excellentius, et, ipso absente, arduius judicabatur. » Mabillonius Annalium Ordinis S. Benedicti tomo III, ad annum 854, num. 80, notionem dat. « Caziacensi (Chesy) sancti Petri abbatiæ,

Digitized by Google

quæ ad Matronam fluvium infra Castrum Theodorici in diœcesi Suessionica posita est, etc. Hæc notare placuit, propterea quod de istius abbatiæ præside supra occurrit mentio.

§ LIV. *S. Bernardi sanctitas, doctrina, et auctoritas in Ecclesia.*

570. Quæ hic prænotantur, elogiorum capita illustrat Mabillonius in sua Præfatione generali § 2. *Videsis tom.* I *op. S. Bernardi, col.* 25-26 *edit. nostræ.*

§ LV. *Varia in laudem S. Bernardi testimonia simul collecta.*

571. Immortalia sanctissimi abbatis nostri præconia, a doctissimo Mabillonio illustrata, ac paragrapho proxime citato a nobis ex ipso transcripta, confirmare placet ex multis ac variis de eodem viro sancto testimoniis. Habentur ea quidem in introductione ad opera S. Bernardi, Coloniæ Agrippinæ per Merlonem Horstium vulgata; verum quia laudatus Mabillonius illa edidit meliore ordine, visum est, eidem nos conformare. In varios itaque personarum ordines distribuit præsens argumentum in fine voluminis secundi.

His tamen quæ de S. Pio V, editio Mabilloniana recitat, aliud addit editor Bollandianus e Vita laudati pontificis, auctore Joanne Antonio Gabutio, in qua libro IV, cap. 13, hæc de eo referuntur: « Accumbenti vero sibi cum magnam rerum omnium munditiam, tum in primis sacram perpetuo voluit lectionem adhiberi: ac præcipue S. Bernardi libros De consideratione ad Eugenium (quibus videlicet, quæ pro honore Dei ac totius Ecclesiæ bono, animarumque salute consideranda sunt, luculenter edocentur) sæpius prælegi curabat: sententiarumque gravitatem attentissime ponderans, quæ suo tempore et loco exsequeretur, secum ipse diligenter conferebat. »

§ LVI-LVII. *S. Bernardi Opera an jussu Deiparæ sint collecta; editio Mabilloniana; sancti doctoris in scribendo characteres.*

572-616. Ad prælum paraveram ea, quæ illustrissimus Manricus ad annum Christi 1153, cap. 10, de sancti doctoris scriptis genuinis, dubiis atque alienis collegit, opera usus tum aliorum auctorum, tum præcipue cardinalis Bellarmini in libro De scriptoribus ecclesiasticis; verum, re deinde expensa, mutavi consilium, et, ne falcem, quod dicitur, mitterem in alienam messem, operose tractando de materia, quæ proprie ad bibliographos, non vero ad hagiographos pertinet, visum est hoc labore supersedere, atque lectores mittere super illo argumento ad Mabillonii editionem propter rationes statim assignandas. In memoriam tamen revocare juvat, quasdam S. Bernardi lucubrationes in hoc Commentario laudatas esse, videlicet § 15 et § 54, De gratia et libero arbitrio; § 23 et 28. Sermones in Cantica canticorum; § 50, librum De Consideratione. Adde, quod Gaufridus biographus genuina quædam sancti Patris opera enumeret in libro III, Vitæ ejus apud nos cap. 5. Sed occasione præsentis argumenti discutiendum breviter est factum quoddam, de quo Manricus paulo ante allegatus. Rem expono.

617. Vult itaque historicus ille, S. Bernardi Opera jussu Deiparæ collecta fuisse; pro qua re affert testimonium Philothei: « Sequuntur, inquit, ordine libri, quos sanctus doctor reliquit, ingens volumen operum, sed pondere quam mole longe præcellens: nempe gemmea omnia, seu verius aurea, et de quibus inter laudes Bernardi Philotheus..., cum collecta et vulgata recens fuissent, pia quidam licentia, sed poetica, non aliud majus donum (hujus generis) a Virgine accepisse genus humanum, quam quod scriptis Bernardi frueretur, fidenter ait » ista, quæ in editione Mabilloniana habentur volumine II, cap. 7, col. 1304.

Hoc tamen audenti liceat dixisse camœna,
Atque animi sensus exseruisse mei,
Humano nunquam generi, nostroque decori
Parthenice tantum muneris alma dedit;
Quantum grata suo nuper cum munere nobis
Protulit hæc brevibus scripta legenda notis.

618. Hisce Philothei versibus recitatis superaddit ista de eodem Manricus: « Attribuit autem Virgini hoc munus, quia ejus jussu collecta sancti opuscula, atque in volumen unum conglobata usui publico lucem aspexere. » Ita ille; qui mox recitat sequens ex eodem poeta distichon, quo rem confirmat:

Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva clienti
Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.

Factum illud memoria dignum esset, si de ejusdem veritate sufficienter constaret. At vero nonnulla sunt, quæ huic rei officiunt. Nam contra est primo, quod jussum illud confuse admodum referatur. Quæro enim, quisnam fuerit cliens iste proprius: item quo loco, quo modo, quo tempore id acciderit: quibus tabulis confirmetur. Contra est secundo, quod pictoribus atque poetis proprius sit ac frequens episodiorum usus. Unde consequens est, ut imperata illa operum collectio probari debeat testimonio melioris notæ, antequam nos ei suffragemur. Jam vero, quandoquidem paulo ante lectorem misimus ad operum S. Bernardi editionem Mabillonianam, non abs re fuerit brevem de eadem notitiam dare.

619. Clarissimus hic editor S. Bernardi opera omnia cum genuina, tum spuria, tum dubia, tomis sex comprehensa vulgavit in volumine duplici. Et in primo quidem refert quatuor priores tomos, seu genuina sancti opera omnia; in secundo autem, quod continet duos posteriores tomos, quintum videlicet et sextum, exhibet alia. Utrumque vero volumen, secundis curis ad limam revocatum, Lutetiæ Parisiorum typis commisit anno 1690, post editionem primam, quæ ibidem loci prodierat anno 1667. Socios, qui operam suam in hac editione anni 1690, strenue posuerunt, nominat Mabillonius in fine Præfationis generalis. Hunc tamen, non illos, tanquam auctorem primarium nos semper allegamus. Dicebam superius, Mabillonium opera omnia sancti doctoris vulgasse, etiamsi scriptæ nonnullæ epistolæ ad ipsius

Digitized by Google

manum non pervenerint. « Sane, inquit in Præfatione generali § 1, nulla superesse Bernardi opuscula, saltem alicujus momenti, haud edita existimo, præter nonnullas epistolas, quæ hactenus desiderantur, » et quas ibidem assignat. Quænam vero in editione anni 1719 sint addita, disces ex præfatione generali in fine ejusdem. In admonitionibus autem, quæ opusculis, in secundum volumen ab erudito isto editore rejectis, præfiguntur, spuria, dubia vel incerta a genuinis secernit, eo successu, ut aliis omnibus, qui in hoc studiorum genere ipsum præcesserant, palmam eripuerit, teste Caveo heterodoxo, atque adeo neutiquam hic adulationis, vel falsæ laudis suspecto, qui hoc ei dat elogium : « Opera supposititia a genuinis optime discrevit, quæ nemo unquam certius distinxit, vel de iis doctius judicavit. » Hæc ille in sua Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria.

620. Cæterum doctoris melliflui singulares, et non facile imitabiles in scribendo characteres, peculiari nimirum Spiritus sancti, qui per eum loquebatur, unctione delibutas, ita exprimit idem Mabillonius in sua generali præfatione, volumini primo præfixa, paragrapho primo, num. 3, diserte juxta ac graviter ista scribens : « In ejus enim scriptis elucet ingenium natura nobile, generosum, excelsum : sed humanum, civile et honestum. Eloquentia quasi congenita, sine fuco, non sine ornamento, sed nativo. Sylus pressus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus sublimes, affectus pii, lepores sponte nascentes, totus sermo unum Deum ac cœlestia spirens. Ardet, non urens, sed inflammans. Pungit et stimulat, non ut irritet, sed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detrahat, sed ut attrahat. Arguit, minatur, terret, sed amando, non indignando. Blanditur, sed non adulatur : laudat, sed non extollit. Urget blande, præstringit absque molestia : delectat, recreat, placet. Quippe *oratio ejus*, inquit Sixtus Senensis, *ubique dulcis et ardens, ita delectat, et ardenter incendit, ut ex suavissima lingua ejus mel et lac verborum fluere ; et ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur.*

621. « Jam vero doctrinam habet minime vulgarem, Scripturæ sacræ verbis ac succo refertam ; sic autem Patrum sententiis inhærentem, ut tamen propria ejus esse sentiatur. Ita quippe scribit de rebus divinis, de gratia et libero arbitrio, de moribus et officio pontificum, clericorum, monachorum, laicorum, ut fontem hæc indicent, non rivum aut canalem. Et miramur, si vir tantus amatur? Si ejus scripta comparantur, leguntur, teruntur ab omnibus? Si editiones eorum sine numero fiant? Si viri docti et eruditi illis augendis, illustrandis, et ad nativam integritatem revocandis operam adhibeant suam? Si Roma ipsa, orbis domina et magistra, quæ Bernardum quondam docentem, imo et redarguentem venerata est ; si Roma, inquam, ipsa libros De consideratione, Eugenio III primum oblatos, tum Nicolai V jussu elegantissime descriptos, demum pontificum typis sub Clemente VIII publicari passa est, totum Bernardum editura in lucem, si Gerardus Vossius (præpositus Tungrensis) operam itidem suam in totum Bernardum contulisset. Quo minus mirandum est, si in metropoli Galliarum tantum Galliæ lumen regiis typis meruit honorari. » Hactenus Mabillonius.

§ LVIII. *Variæ Operum sancti doctoris editiones ; sententia perperam ei attributa ; cur et quænam Chronologia Bernardina hic detur.*

622. « In primis nihil magis Bernardi meritum et pretium arguit, quam adeo frequentes, et toties repetitæ ejus operum editiones, sive ante, seu post inventam artem typographicam. Quippe multiplex illa editio argumento est, quam comparetur Bernardus a multis, quam avide legatur, quam denique ab omnibus ametur, » ut Mabillonii utar verbis in Præfatione generali § 1, ubi de tot ac tam variis eorumdem Operum editionibus longum mox ac curiosum sermonem subnectit, incipiendo a Moguntina, quam Petrus Schoyfferus fecit anno 1475, quæ ei videtur fuisse prima. Quantum vero diligentiæ, accurationis, ac laboris insumpserit editor ille Benedictinus, ut sua impressio prodiret in lucem, quam posset emendatissime ; perspicuum omnino fit, si quis legat, quæ in allegata Præfatione de hoc argumento subdit. In illa autem, quæ in Operum editione anni 1719, recusa est, hæc de illo lego addita priori : « Toto vitæ tempore eruendis expoliendisque Bernardi Operibus, aliis licet iisque gravissimis studiis distractus, omnem curam, diligentiam omnem impendit. »

623. Ad varias, de quibus dicebam, impressiones addi obiter potest, R. A. dominum Godefridum Bouvart, ordinis Cisterciensis, in celeberrimo ac florentissimo cœnobio S. Bernardi, quod in territorio Antuerpiensi ad Schaldim jacet, ascetam, observatione non indiligenti usum esse, ut impressorum operum ejusdem sancti exemplaria bene multa ac varia cognosceret et annotaret. Inter alia quippe, quæ de eodem sancto huc scripsit die 15. Martii anno 1737. « Addo, inquit, hic seriem editionum operum ejusdem sancti, quas in bibliothecarum, auctionum, et officinarum catalogis, præfationibus Operum, et alibi reperire licuit. » Earum autem catalogus, quem subtexit, incipit ab editione Moguntina anni 1475, ac desinit in Mabilloniana, anno 1719, recusa Lutetiæ Parisiorum, ita ut editiones omnino quadraginta diversas designet.

624. Verum priusquam hinc discedamus ad alia, conveniendus mihi est scriptor quidam catholicus, qui sancto doctori nostro sententiam quamdam imputavit a sana doctrina alienam. De heterodoxis, qui e mellito Bernardi succo venenum conficiunt, jam egimus § 54, num. 574. An vero inter catholicos auctores inveniantur, qui alia quædam in ejus operibus vel minus recte intelligunt, vel perperam carpunt, sicut non est mihi promptum dicere, sic operose inquirere supersedeo : cum illud argumentum non sit proprie fori nostri, sed theologorum ; quibus incumbit sanctum Patrem recte intellectum

Digitized by Google

explicare, non secus atque alios Ecclesiæ catholicæ doctores. Res itaque hic mihi est cum auctore quodam catholico, qui in Bernardo invenisse se putavit, quod in Bernardo non est. Factum intellige.

625. Lucas Castellinus in tractatu De certitudine gloriæ sanctorum canonizatorum cap. 1, puncto 23, § 3, convenit eos qui asserunt « S. Bernardum secutum fuisse errorem illorum qui negabant animas justorum ante extremi judicii diem, frui gloria sempiterna, quemadmodum de illo scribit Alphonsus de Castro lib. III. Adversus hæreses, tit. *Beatitudo*, post sextam hæresim, § *Beatus Bernardus.* » Quæ vero deinde affert idem Castellinus pro defensione sancti doctoris, legi possunt loco mox allegato. Sed pluribus hoc argumentum pertractat Mabillonius volumine primo, pag. 709, ubi expendit sententiam S. Bernardi de medio animarum statu. Sanctum doctorem etiam defendit Natalis Alexander tom. VI Historiæ ecclesiasticæ, anno 1714 Parisiis editæ, agens de hac re pag. 527 et 528. Si quis porro plura desiderat de Alfonso a Castro, qui natione Hispanus, professione Franciscanus fuit, adeat Waddingi scriptores ordinis Minorum, et Nicolai Antonii Bibliothecam Hispanam

626. Etiansi me non lateat, in Introductione ad Opera S. Bernardi, a præstantissimo viro Jacobo Merlono Horstio Coloniæ publicata, exstare chronologiam vitæ et scriptorum ejusdem sancti Patris, cum præfatione ad lectorem: chronotaxeos tamen Bernardinæ hoc etiam loco rationem esse habendam duxi, ut rebus videlicet ab isto magno doctore gestis, atque in meo hoc commentario prævio ad determinatos annorum calculos revocatis e conditore Annalium Cisterciensium, nova vel melior etiam lux accedat, si eæ sub uno veluti aspectu hic ita repræsententur, ut cum temporis ratione Manriciana, quam in dicto commentario secutus sum, conferri, atque hæc ex illa vel confirmari, vel emendari, sicubi forte aberret, merito possit ac debeat. Et vero quisnam inficias ierit, chronologiam esse lucidam historiæ facem? Produco autem Chronologiam illam, quam Mabillonius ad calcem sui voluminis primi vulgavit, non vero Horstianam. Etenim cum post hanc ordinata sit ista, et in lucem data; mirari non debemus, ultimam istam melioris esse notæ, ab eo videlicet ordinatam, qui post Horstium, aliosque operum ac scriptorum S. Bernardi editores, in eamdem recudendam et illustrandam graviter ac sapienter incubuit. *Vide nostræ editionis tom.* I, *init.*

§ LIX-LX. *S. Bernardus solemni ritu sanctorum canoni ascriptus.*

627-661. Sicut magni Patris in Sanctorum numerum relati dignitas tum ipsi Viro, tum sacro Ordini Cisterciensi universo fuit honorifica propter modum ac rerum adjuncta, quibus actus ille sacer ac solemnis peractus est; sic de anno, quo accidit, inter eruditos non convenit. « Non est, » inquit Mabillonius volumine II, col. 1341, « inter Bernardi elogia ultimo loco reponendum, quod primus ex ordine Cisterciensi in sanctorum album solemni ritu referri meruerit. Poscebant hoc B. viri sanctitas singularis, immensi pro Ecclesia suscepti labores, cœlestes denique insignium miraculorum attestationes, queis serius subscribere nefas esse videretur. Vix a sacro ipsius obitu anni decem effluxerant, cum in concilio Turonensi, anno 1163 celebrato, sedente et præsidente Alexandro III, ea res primum agitari cœpit. At summus pontifex, quamvis alioqui pro sua erga Bernardum veneratione libentissime annuisset, tantisper nihilo minus differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris canonizationis postea exposuit.

662. « *Cum enim*, inquit, *eidem negotio (scilicet de canonizando Bernardo) favorabili satis inténderemus affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant, Unde cum nos videremus, non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit pro scandalo devitando etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari.* Demum vero ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis et conventus Clarævallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum patrem sanctorum fastis ascribi voluit. » Ita Mabillonius. Quod vero, ut supra indicabam, sancto abbati nostro, necnon sacro ordini Cisterciensi universo, ac præsertim asceteis Claravallensibus, maxime honorifica fuerit res ista, perspicuum fiet e litteris apostolicis, quas paulo post referemus.

663. Nunc interea dispiciendum etiam est, cui nam anno innecti debeat canonizatio illa. Idem, qui supra, Operum Bernardinorum editor de hoc facto ita disserit columna 1341 citata: « Quo autem anno hoc contigerit, cum in litteris apostolicis diserte non exprimatur, non una est auctorum sententia, aliis ad annum 1154, ut Horstio et Henriquez; aliis vero ad annum 1166 referentibus: sed utrisque, ut videtur, contra temporis rationem; cum Gerardus Clarævallensis abbas, cui Alexandri litteræ inscribuntur, anno duntaxat 1172 præfecturam inierit. Melius omnium Ciaconius in Alexandro III, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque pontificiarum notitia tutior fides; reponit ad annum 1174 eumque secutus doctissimus Sirmondus in Notis ad Petrum Cellensem ad epist. 9, lib. IX, et Manricus in Annalibus: quibus adstipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Clarævallensis apud Chiffletium Societatis Jesu, ab auctore anonymo, sed æquali conscripti. »

664. In dicto itaque Chronico, quod vulgavit idem Chiffletius in libro, quem composuit de S. Bernardi Claravallensis genere illustri asserto, pag. 84, notantur ista ad annum Domini 1174: « Eodem anno facta est dedicatio ecclesiæ Clarevallensis, et canonizatio beati Bernardi, et elevatio ejus: ubi adfuit domnus Wichardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Portiniaci. Et sequenti anno

Digitized by Google

in capitulo generali receperunt cantum B. Bernardi, et cantum de Trinitate. » Hinc conficitur, sacram hanc actionem, qua Bernardus cœlitum contubernio ascriptus est solemni ritu, restituendam esse anno 1174 et incidisse in diem 18 Januarii, in litteris Apostolicis distincte notatum; atque adeo ab ejus obitu, sicut computat Mabillonius, viginti annis actis, mensibus quatuor, et diebus viginti novem, uti clarum est retrogradienti a dictis anno ac die mensis, ad diem 20 Augusti, et ad annum Christi 1153 sancti emortuadem. De elevatione ipsius, de qua fiebat mentio apud Chiffletium mox memoratum, redibit inferius sermo, postquam protulerimus documenta antiqua, etiamsi alibi una cum S. Bernardi operibus vulgata exstent, quæ sacram viri inter sanctos relati inaugurationem illustrant. In editione autem quæ anno 1719 in lucem prodiit, litteris apostolicis præmittitur epistola Traimundi seu Tromundi, monachi Claravallensis, ad Gerardum abbatem, a quo Romam missus fuerat, ut beati doctoris canonizationem urgeret. Verum cum nihil magnopere intersit lectoris legere, quæ in ista epistola memorantur, eamdem huc transcribendam non judico. *Sequuntur epistolæ Alexandri III de canonizatione S. Bernardi, jam supra editæ*, vide col.2595.

665-672. Ex his omnibus summæ erga beatum vivum venerationis testificationibus et argumentis, a sede apostolica ad publicos eidem decernendos cœlitum honores exhibitis, concludere debemus, vix ullam ad illud usque tempus in Ecclesia Dei majore cum solemnitate celebratam fuisse canonizationem, quam S. Bernardi, atque adeo hanc et Viro ipsi, et ordini Cisterciensi universo, et ascetis præsertim Claravallensibus maxime honorificam exstitisse.

§ LXI. *Orationes pro missa ab ipso Innocentio PP. III dictatæ; elevationes corporis; altaria; reliquiæ in varias Europæ regiones transmissæ.*

673. Præter alia, de quibus modo egimus, eaque prorsus singularia ornamenta, a Christi vicario Alexandro III dum S. Bernardum cœlitum cœtui aggregavit, litteris commendata; illud etiam accidit singulare, quod postea alius summus pontifex officium ejus in sacrificio missæ recitandum non modo præscripserit, verum etiam ore proprio dictaverit. Factum accipe e Mabillonio antea designato, qui illud sic narrat a columna 1344 : « Non erant satis ad Bernardi memoriam et ingentia merita tantæ commendationis monumenta, nisi etiam supremus Ecclesiæ antistes ore proprio ejus officium dictaret. Hoc præstitit Innocentius III ad supplicationem Joannis, ex metropolita Lugdunensi monachi Claravallensis, simulque Raineri monachi Heisterbacensis Innocentio a confessionibus, litteris ad Joannem datis anno 1201, » quas dictus auctor mox ibidem recitat in hæc verba :

674. « Joanni quondam Lugdunensi archiepiscopo. Negare noluimus, quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus a fratribus, ut ad honorem beati Bernardi primi Clarævallensis abbatis, quem apostolica sedes sanctorum ascripserat catalogo venerandum, nos ipsi collectam et alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter stylum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus, ad instantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire. *Collecta :* Perfice, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis effectum, et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, B. Bernardus abbas et doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis et precibus intercedat. Per Dominum, etc. *Secreta :* Grata tibi sit, Deus, hujus oblatio sacramenti, quod in memoriam Dominicæ passionis tuæ offerimus majestati. *Postcommunio.* Suum in nobis, omnipotens Deus, cibus, quem sumpsimus, operetur effectum, ut incorporet nos sibi esus edentes. Qui tecum, etc. Datum Laterani VI Idus Julii. »

675. Hisce productis superaddit ista Mabillonius : « Ubi vides S. Bernardum doctoris nomine a summo Ecclesiæ præsule fuisse insignitum, quod quidem ab ipso etiam Alexandro III in Missa canonizationis usurpatum testatur vetus codex Corbeiensis, in quo sancti vita continetur, ubi præmissis] Collectis, *Adesto supplicationibus nostris*, etc., de communi, epistola, *Hæc dicit Dominus, Ego misi ad vos mandatum istud*, etc., nec non Evangelio de doctoribus, *Vos estis sal terræ*, hæc subjiciuntur : Hæc missa suprascripta de S. Bernardo a D. papa Alexandro III in primis est celebrata. »

676. Regrediamur nunc ad sancti doctoris elevationem, quæ paragrapho proxime antegresso obiter a nobis est indicata ex Chronico Claravallensi apud Chiffletium; ubi vidimus, ecclesiæ Claravallensis dedicationem, canonizationem S. Bernardi, et elevationem ejus alligari anno 1174. Manricus adjistum annum cap. 2, numer. 2, elevationem differt, ita loquens : « Dedicationem ecclesiæ Clarævallis, et canonizationis sancti Bernardi meminit magnum Chronicum Belgicum ad hunc eumdem annum : quamvis confundat cum elevatione corporis sancti, quam tamen constat contigisse post quadriennium. » Sed quia auctor Chronici Claravallensis synchronus, et omni exceptione major, quidquid sit de Magno Chronico Belgico, istam elevationem affigit dicto anno 1174, non videtur nobis accusandus de errore, si alia via excusari possit. Et quippe ni possit, si duas elevationes tempore diversas accidisse admittamus, præeunte Mabillonio, qui columna 1341, observat sequentia?

677. « Quod spectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate (Chronici videlicet Claravallensis apud Chiffletium) in libro sepulcrorum Clarævallis facta esse dicitur ab ipso Guicardo quidem Lugdunensi, et Henrico abbate Clarævallensi post aliquot annos a canonizatione : sed hoc de alia solemniori translatione intelligendum esse, satis ipsa verba declarant; dum prædictum Henricum abbatem insinuant per G. archiepiscopum Lugdu-

Digitized by Google

nensem curasse » elevationem istam. Verba libri sepulcrorum Claravallensium apud Manricum, quem allegatus Mabillonius citat ad annum 1178, sic ibidem cap. 3, numer. 1, referuntur, oblata opportunitate Godefridi Soritani, qui præsens aderat inter cæteros : « Audiens autem (Godefridus) canonizationem beati Bernardi per felicis memoriæ Alexandrum papam III factam, et translationem corporis ejusdem beati Bernardi sub domino Henrico abbate septimo Clarævallis faciendam, ad capitulum generale veniens, exinde Claramvallem festinavit : ubi cum archiepiscopo Lugdunensi, et coepiscopis officiosissime studuit interesse. »

678. Deinde ex eodem libro in epitaphio Henrici, « Duo, » inquit Manricus, numer. 2, « in Claravalle bona opera et magnifica, exemptis aliis innumeris bonis, gloriose consummavit. Nam beatum Bernardum quem jam dominus Alexander papa III canonizaverat, et diem depositionis ejus ab universa Ecclesia cum gaudio celebrari præceperat, commotis hinc inde venerabilibus episcopis, aliisque reverendis personis, per venerabilem patrem nostrum dominum Guicardum, archiepiscopum Lugdunensem, quondam abbatem Pontigniacensem, fecit cum magno gaudio, et exsultatione totius ecclesiæ Gallicanæ elevari, et relevari, et in tabernaculo marmoreo retro altare beatæ Mariæ virginis, sicut hodie apparet, religiose et honorifice collocari. » Nonne igitur ex hisce tesmoniis videtur omnino verisimile, et veritati consentaneum, duas accidisse corporis S. Bernardi elevationes ; alteram quidem anno 1174, quæ minus fuerit solemnis ; alteram vero anno 1178, solemniorem ?

679. Cæterum Henrici Claravallensis abbatis litteræ de hac posteriore elevatione, notis tamen chronologicis non signatæ, ad regem Anglorum Stephanum, exstant apud Mabillonium columna 1345 et 1346, et continent ista : « Celebratus est apud nos dies honorabilis et solemnis, nova festivitate jucundus, et ampla jucunditate festivus ; utpote quem nobis revelatio sacratissimi corporis beati Bernardi celeberrimum reddidit, et lumine clariore perfudit. O quam voluimus gaudiis illis, plus utique cœlestibus, quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam ! quatenus et nobis de gloria principali decor tantæ festivitatis excresceret, et vobis de meritis illustrissimi confessoris, miro quodam irriguo uberioris benedictionis largitas emanaret. Verum quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus fecimusque, Deo propitio, quod vestra ibi, etsi præsentia defuit, memoria non vacavit. Solemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, ut oportuit, et affectionibus fratrum, et cordibus impressimus filiorum : qui ampla illud devotione susceptum, aspectui quodam modo sancti Patris offerrent, et cœlestis aulæ secretario præsentarent.

680. « Præterea ne absentiæ corporalis occasio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem : indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis, tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus, quam pro eo quod vir justus ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cœlestis benedictionis implevit : illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat : illius manus, quæ Clarævalli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ surreptionis instinctu dolus aliquis piæ fraudis irrepat. »

681. Jam vero quid dicemus de aliis honorem insignium ornamentis, quæ viro in sanctorum canonem relato honorifice impensa sunt ? Auctor Annalium Cisterciensium ad annum 1174, cap. 2, num. 2, scribens de illa sollemnitate, « Crediderim, ait, in eodem etiam festo sacratum sancto altare ; qualia plurima in honorem ejus, in aliis etiam ecclesiis erigebantur. » Et ibidem num. 3, subdit idem historiographus Cisterciensis : « Certe hoc anno Tarentasiensis præsul, senio jam fractus, sed ad bona omnia promptus proclivisque, ad ejusdem Lingonensis episcopi (de Gualtero erat actum) et Fratrum Longivadi (2) petitionem, Longumvadum adveniens, novum in honorem sancti Patris, dedicavit altare, cœmeteriumque, coeuntibus populis, atque inter se certantibus, quis proprior nova sacra lustrare posset. »

682. Honorem sancti nostri non mediocriter amplificarunt pignora sacra, quæ in varias Europæ regiones migrarunt. Ponam hic illa, quæ pervenere ad meam notitiam, etiamsi mihi plane persuadeam, plurima alia vel apud Cistercienses, vel alibi asservari. In Kalendario Cisterciensi, quod Divione impressum est anno 1617, signatur ad diem 17. Maii Translatio S.P. N. Bernardi ad Avenionem. Id quod de aliqua sacrarum reliquiarum parte forsan intelligi debet. De pretiosissimo pignore, digito videlicet S. Bernardi, quem Henricus abbas ad Stephanum Anglorum regem misit, modo diximus. In historia regiæ abbatiæ Deiparæ Virginis Suessionensis, anno 1675, Parisiis excusa, lib. IV, cap. 2, pag. 398, narratur dominus d'Honcourt, anno circiter 1400, filiæ suæ Agneti dedisse hierothecam argenteam, in qua reliquiæ S. Bernardi, S. Guilielmi, et aliorum viginti. Sed in catalogo reliquiarum pag. 403, invenio de vestibus agi S. Bernardi, non autem de aliqua

(2) Longum-Vadum ordinis Cisterciensis in diœcesi Lingonensi, filium Clarævallis, constructum anno 1149.

Digitized by Google

parte corporis ejus. Mabillonius volumine primo, col. 362, in notis ad epistolam 410, antea 366, sancti Patris, occasione abbatiæ sancti Victoris extra muros Parisienses, Canonicorum regularium Ord. S. Augustini..., refert, ejusdem Sancti cucullam in thesauro ejusdem abbatiæ servari, perenne ejus in illam amoris monumentum, cum charta, ex qua dependet S. Bernardi sigillum, de quo supra, ait, ad epistolam 284. »

683. Ad Hispaniam spectant pars costæ quinque digitis longa, et quinque aliæ reliquiæ minores, sicut notatur in nostro ms., qnod ex Inventario reliquiarum, seu lipsanologio, uti apud nos indicari solet alibi, regii monasterii S. Laurentii Scorialensis desumptum est. Quid de Italia? Tomo IV Italiæ sacræ apud Ughellum inter ea, quæ narrantur de episcopis Januensibus, in Othone, columna 850 novissimæ editionis Venetæ, agitur de amore ac veneratione S. Bernardi viventis erga Januenses; nec non de eorum ad eumdem Sanctum vita functum perfugio, dum anno 1625, exorto in Italia bello (Adisis Commentarium hunc nostrum § XXIII). Timebant libertati suæ: et vero non modo eum Januenses tutelarem elegere patronum; sed oratorem etiam in Gallias destinarunt Augustinum Centurionem, ut abbatis nostri sepulcrum publico honore lampadis argenteæ continenter arsuræ condecoraret, prout ibidem invenies apud Ughellum. Quæ vero mox sequuntur columna 851 huc pertinent: « Centurionem autem abbas Claræ-vallensis Claudius Argenterius cum monachis ita honorifice excepit, ut ex consensu eorumdem monachorum, adaperto S. Bernardi sepulcro, legatum cum Januensi populo costa ex sancti corpore detracta donandum censuerit, tanto gratius Januensi populo donum futurum, quanto constabat, nemini hactenus contigisse, vel sublato lapide a monumento S. Bernardi corpus oculis usurpare, vel ejusdem reliquias a cæteris membris divulsas secum auferre.

684. « Cæterum delatam Januam sancti corporis costam tantus populi concursus excepit, ut illis supplicationibus nil fieri potuerit magnificentius; inclusamque argenteo vase ad sancti promerendam tutelam perpetuam, in metropolim intulere. Inde collige, lector, alicujus alterius S. Bernardi fuisse oportet illa duo brachia, quorum alterum Cassinenses monachi S. Catharinæ Januæ; alterum Fratres Prædicatores apud S. Mariam Novellam Florentiæ se gloriantur habere. Siquidem spectante legato Centurione, Claudioque abbate, numerosaque Claræ-vallensis cœnobii monachorum multitudine, constat ita integrum illibatumque S. Bernardi corpus fuisse repertum, ut ne minima quidem pars cætero corpori excidisse videatur. » At digitus tunc saltem aberat a reliquo corpore, secundum dicta paulo ante. Ughellus citatus tomo IX, exhibens Cusentinam metropolim, col. 185, inter alia sacra lipsana, quæ refert in basilica metropolitana asservari, ponit brachium Bernardi abbatis; non utique Claravallensis, sicut sequitur ex iis, quæ mox præmisimus ex eodem auctore; nisi post annum 1625, eo esset missum, quod deberet probari. Hinc collige, quid sit dicendum de brachio S. Bernardi, quod Masinius in Bononia perlustrata, ad diem 20. Augustini affirmat esse apud moniales S. Leonardi.

685. Raissius in Auctario ad Natales sanctorum Belgii Joannis Molani, signat hasce S. Bernardi in eodem Belgio reliquias; fol. 170, verso. « Camberone, inquit, vidi aliquando... hujus mellifiui doctoris planetam unam. Sancti Bernardi ascetæ in Brabantia ad Schaldim fluvium, secundo lapide ab Antuerpia, etiam unam planetam Patris ac patroni sui sese habere gaudent, simul cum junctura una integra ejus sacræ manus. » Sed die 14 Februarii anni, quo hæc scribo, 1737, dum essem in hospitio seu refugio, ut vocant, quod dicti ascetæ in hac urbe Antuerpiensi habent, relatum mihi fuit illam juncturam furto esse ablatam. Ibid., fol. 170, agitur de fonte S. Bernardi in Luxemburgensis Ducatus monasterio Clarifontis; qui cum fide ac devotione epotus, contra morbos opitulationi esse creditur. Supersunt alia sacra lipsana indicanda paragrapho proximo.

§ LXII. *Alia sacra lipsana apud Belgas; Officium; lectiones propriæ; an Sanctus antiphonæ* Salve Regina, *sicut in iis dicitur, auctor; honor publicus illi tributus Parisiis, Leodii, ac Romæ.*

686. Raissius in Hierogazophylacio Belgico alias bene multas S. Bernard reliquias commemorat, nimirum pag. 314, duo egregia ossa in cathedrali ecclesia S. Mariæ Tornaci: pag. 82, in elencho De ossibus sanctorum apud S. Auberti Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobium Cameraci, ponitur nomen Bernardi; pag. 218, os in Floressiensi cœnobio ordinis Præmonstratensis in territorio Namurcensi; pag. 227, planeta cum stola et manipulo in Gemblacensi cœnobio ordinis S. Benedicti, inter Bruxellas et Namurcum sita in Brabantia Gallo-Belgica. « Ipsa autem illa planeta, a me, ait idem Raissius, haud semel conspecta (cum qua etiam sæpius Missæ sacrificium Deo Patri indignus obtuli) antiquitatem mire redolet. Non enim sicuti modo nostræ planetæ, hinc et inde a lateribus aperta est, et bifida, sed undequaque clausa in rotundum, ad mediam usque tibiam descendit. Hinc celebrans utramque illius oram lateralem inferne collectam super brachia sustinet: nec enim manicas vel foramina habet, per quæ brachia sacerdotis exerantur. »

687. His accedunt exuviæ aliæ in eodem Hierogazophylacio notatæ. Pag. 298, de cicilio et sudario S. Bernardi abbatis in Maricolensi ord. S. Benedicti in Landresiensi territorio Hannoniæ cœnobio; pag. 459, de ossibus et cuculla S. Bernardi Claræ-vallensis antistitis, in parthenone Salsiniensi, ord. Cisterciensis prope Namurcum; pag. 80, inter reliquias abbatiæ Cisterciensis Aureævallis in Ducatu Luxemburgensi, « deauratum ibidem, ait citati Hierogazophylacii auctor, præterea vidimus beati Bernardi

Digitized by Google

Clarævallensis calicem, quo in missæ sacrificio utebatur, quem Constantini primi Aureævallensis abbatis tempore ibidem reliquit; » pag. 515. « Vidimus, » inquit idem reliquiarum collector, agens de Valcellis sive Valliscella ord. Cisterciensis in agro Cameracensi, « ibidem indusium S. Bernardi, prægnantibus muelieribus contra partus pericula remedium singulare; » pag. 3, signatur ab eodem « baculus... quo imbecilles artus sustantare consueverat; quem monachis hujus loci, » nimirum Affligeniensibus ord. S. Benedicti in territorio Alostano, « mnemosyni loco reliquit. »

688. Nec a proposito nostro fuerit alienum aliqua etiam observare de sancti cultu, quo in Ecclesia honoratus fuit, postquam in sanctorum album erat relatus. Officium ejus deinde stabilitum fuisse Papam ritu semiduplici; sed S. Pium V illum evexisse ad duplicem, mutata tamen in eodem oratione, et homilia, quæ hodiedum legitur, apponi jussa, notat Bailletus sub finem Vitæ S. Bernardi, ex Gavanto : qui de hac re videri potest in Thesauro sacrorum rituum tom. II, pag. 160. Habemus apud nos apographum lectionum propriarum, quæ hoc titulo prænotantur : « Ex Breviario ecclesiæ Fontanensis parochiæ desumptæ sunt hæ novem lectiones, quæ in festo S. Bernardi ad Nocturnos solent legi, nonnulla in ejus Vita omissa continentes. » Supra hunc titulum adscribitur : Dono Reverendissimi P. Generalis Feullant [*leg.* Feuillans] : (id est Fuliensis) et apponitur nomen Joannis Bona, cujus merita satis nota sunt, laudaturque apud Ciaconium inter Vitas pontificum Romanorum et cardinalium tomo IV, col. 793. De religiosis reformatis ordinis Cisterciensis, qui in Gallia Fuliensium, in Italia autem Reformatorum S. Bernardi nomen habent, agit Hippolytus Helyot, in Historia ordinum monasticorum, etc. tomo V, parte IV, cap. 38, a pag. 401. His animadversis, en tibi nunc, lector, prædictas lectiones.

689. *Lectio* I. Beatissimus Bernardus in pago Lingonensi Fontanis oppido patris sui digna propagine oriundus fuit. Carnis quidem prosapia nobilis : sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tesquilinus nomine, genitrix vero ejus Alet, filia Bernardi Montis Barri domini, viri potentis, et de antiquorum Burgundiæ ducum generositate originem trahens. Sex namque filios, et unam filiam Dei providentia genuerunt. Sed quia de ejus genere historiam in præsenti explicandam non suscepimus, saltem pauca miracula de vita ipsius, Domino largiente, referamus.

Lectio II. Igitur quadam nocte B. Bernardus vigilans, monachis circumquaque dormientibus, audivit angelos in ecclesia voce clara et delectabili Deum collaudantes, et B. Virginem : quos cum audisset, occulte surrexit, et perrexit protinus ad ecclesiam, ut in proximo constitutus videret manifestius, quidnam hoc esset.

Lectio III. Vidit namque sanctam Dei Genitricem in medio angelorum, quorum unus manu sua thuribulum aureum : alius incensum tenebat. Horum altero deducente, sanctus Vir quasi a dextris gloriosæ Virginis incedens ad altare usque pervenit. Ubi voce angelica audivit decantari hanc antiphonam : *Salve Regina*, ex integro usque ad finem, quam corde tenus retinens, postea scripsisse, et domino papæ Eugenio transmisisse fertur, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias solemnis haberetur, in honorem virginis matris Dei. Quod et factum est, ut adhuc plerique testantur.

690. *Lectio* IV. Cum navigaret beatus Vir aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit pontilium, cui pontilio puer supererat : qui statim in fluxium dilapsus est, et negatus. Excitata fama occurrerunt vicini defunctum plangentes; quem jussit sibi afferri : eoque defuncto oblato, oravit sanctus : puer, cunctis videntibus, ad orationem sancti suscitatus est.

Lectio V. Fuit vir quidam religiosus nomine Odo; cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacens incommota contractionis. Is post mortem B. viri pervenit. Cumque ex eo, infirmitatis loco [se] perfudisset ex aqua, a B. viro sanctificata, sanus et incolumis reversus est.

Lectio VI. Alius vero dolore capitis immaniter vexatus, et omnino sensu privatus, fonte a sancto Bernardo sanctificato irrigatus, sanatus est. Alius per septennium languerat, a parentibus ad sacrum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam longo tempore de febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit.

691 *Lectio* VII. Igitur apud Barni [*f.* Barru] super Albam erant duæ feminæ, quas dæmones vexaverant. Deinde parentes earum adduxerunt eas ad hominem Dei, ut ab eo curarentur. Et cum portæ Clarævallis approqinquassent, dixit unus ex diabolis per os mulieris ad alterum diabolum : Oportet exire de hac muliere. Quare, inquit dæmon, oportet hæc fieri? Qui respondit : Bernardum non possum videre, nec vocem ejus audire. Et confestim egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora.

Lectio VIII. Qui præsentes huic miraculo aderant, laudantes Deum dicebant : Vere sanctus est homo ille, et Spiritus sanctus habitat in eo. Et cum hæc dicerent, venit servus Dei, et gratias agens oravit.

Lectio IX. Post orationem vero conversus est ad alteram mulierem dicens : O dæmon pessime, inimice Dei, exi de hac femina; ad quam vocem egressus est dæmon de muliere, et sanata est ex illa hora.

692. Expono voces quasdam superius occurrentes. *Negatus*, id est submersus, vel in aquis suffocatus. Vide Glossarium Cangii tom. IV, col. 1165 editionis novissimæ. *Incommota contractionis*, (in nostro ms. vel mendose, vel modo non satis intelligibili scribitur *in commota*) ita explico ex sensu, ut significet sine motu contractionis. Utrum S. Bernardus com-

Digitized by Google

posuerit antiphonam *Salve Regina*, sicut indicabatur supra in lectione 3, statim discutietur. Si *Barrum* in lectione septima super Albam, vel *Barri*, subintelligendo oppidum, sit legendum, est illud in Campania Galliæ provincia. Hæc tot tamque varia publicæ erga sanctum doctorem venerationis signa, quæ in hoc paragrapho ac proxime præcedente colligere visum fuit, argumento sunt, eum, uti promeritum, ita et nactum fuisse communem omnium æstimationem tam publicis quam privatis dotibus suis parem. Adde, quod facultas, ut vocant, theologica Parisiensis in memoris animi tesseram pro beneficiis, a sancto nostro præstitis huic corpori contra Abælardum, Gilbertum Porretanum, et alios quosdam e membris ejus morbidis; annis singulis, ut celebret solemni ritu sacrum, quod comitatur dictio ad concionem, adeat Bernardinos die 20 Augusti, sicut Bailletus ad calcem Vitæ sanctissimi doctoris testatur. Populus Romanus in memoriam beneficiorum a viro sancto acceptorum, quando in magnis admodum angustiis versabatur Roma, calicem ei offert cum quatuor facibus, teste Piazza in Hemerologio sacro ad diem 20 Augusti.

693. Apud Edmundum Martene in Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione tomo VIII, a col. 1486, inter statuta ecclesiæ Leodiensis, facta anno Domini 1336 et 1337 notantur ista: « Insuper pia consideratione et rationabili debito excitati, statuimus et ordinamus, ut bono confessori et doctori egregio beato Bernardo abbati, qui sua præsentia, dum viveret, sanctam ecclesiam, urbem et patriam Leodiensem in Missarum solemniis et crebris prædicationibus, divinis ac admirandis signis et miraculis illustravit, sicut in historiis nostris dignoscimus contineri, specialis devotio, et aliqualis pro tantis donis recompensatio eidem confessori glorioso singulis annis in ejus festivitate reddantur, videlicet ut festum ipsius cum tribus lectionibus de propria ejus legenda, et collecta speciali cum *Te Deum*, et horis ac missa de communi unius confessoris non pontificis, in hac ecclesia celebretur. »

694. Controversia quædam paulo ante huc remissa, an videlicet S. Bernardus composuerit antiphonam *Salve, Regina*, nunc examinabitur. In primis non videtur certo constare, quod vir sanctus istius antiphonæ primus exstiterit auctor: deinde non satis liquet, si alius fuerit, quisnam ille sit. Utrumque patebit ex rationibus, in quibus varii varios ejusdem antiphonæ designant auctores. Inter opera supposititia et aliena S. Bernardi, quæ in suum volumen secundum conjecit Mabillonius, exstant Sermones quatuor in illam antiphonam; quos cur abjudicet isti sancto, indicat ibidem columna 721 ante sermonem primum. Illius auctor loco citato dicens, « Canticum istud . . . a Sanctis compositum, » rem involvit potius, quam decidit, dum nullum ex iis nominat, et plures videtur indicare. Enimvero locus ille prædicto Mabillonio in notis, quæ habentur in fine voluminis primi, col. 117 et 118 occasionem quidem dedit disserendi de præsenti controversia, ac varia proponendi et discutiendi; sed exitu tamen dubio et incerto, prout patet ex verbis ejus, quæ subdimus:

695. « Hujus antiphonæ auctorem fuisse Hermannum Contractum monachum Benedictinum pluribus probat Wion, Ligni Vitæ lib. v, cap. 105, variis recentiorum adductis testimoniis, quibus hic contextus nonnihil adversari videtur. Nam Hermannum sancti nomine insignitum nullibi lego. Præterea Joannes Eremita lib. II, Vitæ S. Bernardi num. 7, refert, S. Bernardum *voce angelica audivisse decantari antiphonam* SALVE REGINA, *ex integro usque ad finem: quam corde tenus et postea scripsisse, atque D. papæ Eugenio transmisisse refertur, inquit, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias solemnis haberetur... Quod et factum est*, etc. Quo ex loco angeli istius orationis auctores dicendi essent. Ad quod alludere videntur alia hujus sermonis verba, superius relatis proxima: *A summis labiis canticum istud effusum venit.* Paulo aliter hanc historiam refert Albericus in Chronico ad annum 1130, ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum *quam*, inquit, *abbatiam semper dilexit, eo quod mater sua ibi sit sepulta; audivisse ante horologium circa altare ab angelis antiphonam* SALVE REGINA *dulci modulamine decantari, primoque credidisse, fuisse conventum, ac dixisse abbati die sequenti*: OPTIME DECANTASTIS ANTIPHONAM DE PODIO HAC NOCTE CIRCA ALTARE B. VIRG.

696. *Dicebatur autem* ANTIPHONA DE PODIO, *eo quod Haimerus episcopus Podiensis eam fecerit.... Unde in quodam capitulo generali Cisterc. veniam suam accepit, qualiter hæc antiphona ab omni ordine reciperetur, quod et factum est.* Haimerus seu Aimarus, Ademarusve, fuit episcopus Aniciensis, beatæ virginis in primis cultor, tempore Urbani papæ II. Verum a Guillelmo Durando in Rationalis libro IV, cap. 22, Petrus Compostellanus episcopus hanc antiphonam composuisse perhibetur: quod etiam asserit Claudius a Rota in notis ab pseudo Luitprandum. » His, quæ hactenus, ex Mabillonio produxi, nulla alia superaddenda mihi suppetunt, quibus primus famosæ antiphonæ auctor ex incerto et ignoto fiat perspicuus.

§ LXIII. *Tres primi rerum a Sancto gestarum scriptores.*

697. Superius de Bernardo pro aliis vel ad alios scriptis diximus; nunc autem de Bernardo ipso ab aliis descripto, seu de vitæ ipsius historicis tractabimus. Egregie in primis eos laudat Mabillonius in Admonitione ad libros de Vita et gestis sancti Patris, quæ habetur volumine secundo pag. 1057, his verbis usus: « Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios, et probatæ fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam et præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex eo-

Digitized by Google

dicto sunt persecuti; nempe Guillelmus, olim Sancti Theoderici prope Remos abbas; sed tunc monachus Signiacensis; Ernaldus Bonævallis in agro Carnotensi abbas, et Gaufridus, ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos, Alanus episcopus Autisiodorensis, et, ut alios posteriores prætermittam, Joannes Eremita, et multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen, monachus Claræ-vallensis, Bernardi gesta carmine cecinit. »

698. Mabillonius de biographis ista præfatus, tres primos, eosque præcipuos gestorum sancti doctoris scriptores hisce observationibus illustrat: « Librum primum de Vita S. Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente scriptum fuisse, diserte asserit in præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem sancti Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii, in pago Regitestensi diœcesis Remensis, ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat, testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. » De tempore, quo vitam quietiorem amplexus sit Guillelmus, magis determinate constat, quam quo suum de Vita S. Bernardi librum inchoarit. De utroque hoc puncto ita memorat citatus Mabillonius: « Tempus Guillelmi secessus Signiacum intelligitur ex chartaceo S. Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud S. Theodericum successor, anno 1135 primum nominatur. Quo anno inchoatus sit a Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Claræ-vallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 et 62 itemque post schismata Ecclesiæ sedata, et confutatas hæreses, ex num. 40, adeoque post annum 1140 et forte post 1145. Porro ante Bernardum obiit Guillelmus; de quo plura in tomo V in admonitione præfixa epistolæ ad fratres de Monte Dei, et in notis fusioribus ad epistolam 85.

699. Hæc de biographo, qui librum primum de gestis S. Bernardi conscripsit, observanda censuit Mabillonius. Quousque vero Vitam ejus perduxerit, et quænam in eadem pertractarit, intellige ex Manrico ad annum Christi 1153, cap. 11, num. 1: « Scripsit primordia, genus, patriam, parentes, adolescentiam, conversionem, monachatum, et præfecturam nascentis tunc cœnobii Claræ-vallis cum reliquis, usque ad schisma Petri Leonis. » Cæterum aureo hoc auctore a continuando opere per mortem avulso, non defuit alter aureus, qui illud prosequeretur: de quo audire supra designatum Mabillonium juvat:

700. « Vitam, inquit, a Guillelmo inchoatam, mortuo Bernardo, persecutus est secundo libro Ernaldus seu Arnaldus abbas Bonævallis, non ejus, quæ in diœcesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi ordinis Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum; ad quem Arnoldum extrema Bernardi epistola 310 scripta est, quidquid alii in contrarium sentiant. Vide Notas fusiores ad epistolam 310. Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu Claræ-vallensium, qui præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in Præfatione libri secundi auctor testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit. » Quo autem circiter tempore occupatus fuerit scribenda S. Bernardi Vita, disces ex adnotatis ad libri II ejusdem Vitæ, caput 3 (3). Duobus hisce Actorum S. Bernardi scriptoribus successit tertius: quæ autem interest lectoris de eo discere, tradit idem, qui supra, Mabillonius. Proferantur hujus de illo verba:

701. « Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius sine dubio, quam ipsius Bernardi notarius; distinguendus utique a Gaufrido de Petrona, cujus mentio in libro IV, num. 16, itemque a Godefrido Bernardi consanguineo, et conversionis socio, postmodum priore Claræ-vallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Claræ-vallensium vitam sese recepit, ibidemque mortuus est VI Id. Novemb. anni 1164. Gaufridus vero in Præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos a sua ipsius conversione, *circiter tredecim* acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum, atque adeo Gaufridi conversio anno 1140 accidisse dicenda est.

702. « Is patria Autissiodorensis, ante suam conversionem Petri Abælardi discipulus fuit, et quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, cujus et ipse auctor est, num. 13: *Postremo et nos in clero fuimus*. Post conversionem Bernardi, una cum Nicolao Claræ-vallensi notario, ac peregrinationum socius, dein, Bernardo mortuo, Igniaci primum, tum Claræ-vallis post Fastredum abbas anno 1162, cui loco *quadriennio circiter præfuit*, ex Chronico Claræ-vallensi apud Chifletium; sed postmodum a suis vexatus, *abbatiam dimisit anno* 1165, et ad Fossamnovam in Italia se recepit: ubi et abbas postmodum fuit, ac demum Altacumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quædam ejus opera recensentur; nempe opus insigne super Cantica canticorum, Vita S. Petri archiepiscopi Tarentasiensis, et plures alii libri et sermones.

703. « Exstat apud Baronium ejus epistola ad Henricum cardinalem, et episcopum Albanensem, atque Domini papæ vicarium seu legatum scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet *de substantia aquæ, quæ vino mista in calice offertur, an et ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur*. Item ejusdem est libellus contra capitula Gilleberti Porretani, Pictaviensis episcopi, quem libellum post libros de Vita Bernardi cum aliis ejus opusculis referemus. Denique scripsit etiam contra Abælardum, ut mox dicemus, et Sermonem edidit de S. Bernardo inferius edendum cum commentariolo in orationem

(3) Ex hisce adnotatis eruitur Ernaldum hæc non scripsisse ante annum 1139 nec post ann. circiter 1169. EDIT.

Digitized by Google

Dominicam. An autem Bernardi Vitam, cujus fragmenta tertio loco proferemus; secundamque partem libri sexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, composuerit, nunc dispiciendum.

704. « Quinque libros de Vita Bernardi mox dictis subjicimus libros duos de miraculis ejusdem: unum a variis auctoribus scriptum: alterum ex Magno Exordio Cisterciensi collectum atque ex fragmentis Herberti, ex monacho Claræ-Vallensi archiepiscopi Turritani in Sardinia: qui libros tres de miraculis suorum Cisterciensium composuit, editos apud Chifletium. Prior liber miraculorum dividitur in tres partes; quarum prima scripta est a Philippo monacho Clara-Vallensi ad Samsonem Remorum archiepiscopum: altera ab aliis Claræ-Vallensibus, quibus Philippus ipse hanc curam injunxit. Ex his unus est Gaufridus tertiæ partis item scriptor in epistola ad Hermannum episcopum Constantiensem, de miraculis scilicet, quæ a Spira usque Leodium a Bernardo facta viderat. Huic alia ejusdem argumenti succedit epistola Gaufridi monachi *magistro suo charissimo Archenfredo et utrique. Capitulo fratribus suis uterinis.* Hunc porro Gaufridum eumdem esse, qui tres posteriores vitæ libros scripsit, non dubito.

705. « Neque enim assentior Carolo de Visch, qui hos libros Gaufrido notario tribuit; illam vero partem libri De miraculis Gaufrido Autisiodorensi: quem a Gaufrido notario minime distinguendum esse probat Helinandus monachus in Chronico his verbis: *Hujus Petri* (scilicet Abælardi) *aliquando fuerat discipulus Gaufredus Autisiodorensis, qui multo tempore fuerat notarius sancti Bernardi: qui inter cætera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, et amoris incentivum*, etc. *Benedictus Deus, qui mihi simul et vobis magistrum dedit meliorem* (Bernardum), *per quem prioris redarguit ignorantiam, et insolentiam confutavit: secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, et sacrificium redemptionis.* Apud Bernardum tomi II Opusculo XI, num. 25. *Hæc, et alia multa* (addit Helinandus) *dictus Gaufredus contra Petrum magistrum suum fortiter et Catholice scripsit.* Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-Vallensis scripsit epistolam 42, pro episcopo Aletensi. » Hæc de Gaufrido, aliisque Vitæ prioris, et miraculorum scriptoribus sufficiant: de aliis scriptoribus post ipsa miracula agendum; sed nos paulo post huic nostro Commentario illos intexemus.

706. Porro de tribus jam laudatis biographis consuli etiam potest historiographus Cisterciensis ad annum Christi 1153, cap. 11, num. 4, ubi inter alia, quæ de illis memorat, eorum sic laudat fidem, ac scriptionis tempus definit: « Ergo Bernardus hos tres scriptores habuit suorum operum, insignes religione et scientia viros; nec minus omnes testes oculares, ut neque falli possent, nec fallere voluisse credendi sint. Porro Guillelmus, ut dixi, vivente sancto; Arnoldus abbas, statim ab ejus obitu: Godefridus biennio post scripsit. Ideo enim de pane benedicto, atque ab Eskyllo in Daniam asportato loquens, ait tertium tunc annum esse, et nihilominus incorruptum conservari: tertium, inquam, ab Eskili adventu in Claram-Vallem, vivente Sancto, quem anno Christi 1152 uno, ut minimum, ante Bernardi Patris obitum contigisse, Exordio magno auctore commemoravimus.

707. « Unde obiter corrigendus venit Trithemius in libro De scriptoribus ecclesiasticis, ubi non solum Arnoldum Cisterciensem (quasi uno homine ex suis, nostris ascripto, innumeros, quos aufert, compensaret) sed circa annum 1160 floruisse tradit, non minus in hoc errans, quam in illo. Quippe Godefridus nequaquam assumpsit opus, ipso vivente; qui sine dubio argumentum implebat pro dignitate. Quare assumptum, ut ex liquido patet, circa annum Domini 1155, Arnoldum ante obiisse plane convincit, ideoque Godefridum continuasse, quod jam Arnoldus, qui cœpit, nequaquam posset. »

§. LXIV. *Alii biographi post tres priores; alii recentiores; Vitæ apud Surium, Horstium, et Mabillonium; hujus exemplar cur præ aliis prælo a nobis detur.*

708. Distuli huc paulo ante reliquos Vitæ Bernardinæ scriptores, qui post alios § 63 recensitos sancti Doctoris gesta et prodigia ad posteros transmiserunt. Mabillonius non prætermisit operam suam desiderari in notandis rebus variis, quæ ad notionem hujus argumenti conducunt. En tibi, lector, quæ apud ipsum lego volumine II, pag. 1233. « Primus, ait, est Alanus »... *Reliqua vide supra.* Hæc sunt, quæ supra memoratus Mabillonius de istis biographis a se editis observavit.

709-715. Porro in animum induco meum, lectori non displicituras alias de biographis recentioribus notitias, quorum catalogum contexuit, atque huc misit R. D. Godefridus Bouvartus, quem supra laudabam § 58, num. 623. Philotheum, Gilbertum de Hoylandia, Cæsarem Baronium, Laurentium Surium, Zachariam Lippeloum ibidem ille memorat; sed sufficerit, si sequentes ex eodem catalogo huc transcripsero: sunt autem hi, et hoc ordine referuntur:

Franciscus Cæsar, monachus de Dunis. 1483.
Bernardus de Rosergio archiep. Tolosanus. 1474.
Guillelmus Flameng canon. Lingon. 1528.
Congregatio Regularis observantiæ Romæ 1587.
Joannes Alvarez Arragonius, 1595 Hispanice.
Christoph. Gonzales, 1601 Hispan. et Latine.
Chichere Bailly de Citeaux, 1601 Gallice.
Philipp. Malabayla, 1634 Italice.
Antonius Le Maître, sub nomine Lamy Gallice, 1644, 1655, 1663, 1674, 1684, etc.
Theophilus Raynaudus Soc. J. 1657, 1665.
Anonymus. Gallice. Divione 1653.

Digitized by Google

Nicolaus Hacqueville Parisiis 1667.
714. Lucas Bartolottus abbas carmine 1682.
Josephus Almonazid. Hispanice 1682.
Franciscus Giry. Gallice.
Petrus Ribadeneira. Hispanice.
P. Viel. Gallice 1603.
Petrus Lenain. Gallice 1697.
Franc. Jos. Bourgoin. Gallice 1704.
Gaspar Verstockx. Flandrice 1650.
Religiosi de Baudeloo. Latine et Fland. 1613.

Quid, quod etiam Chinice scripta fuerit Vita S. Bernardi, quam habet domnus abbas Sambernardinus ad Scaldim, prout superiori catalogo subjungit laudatus Bouvartus. Biographis autem jam nominatis adjici possunt alii neoterici Galli duo, videlicet Adrianus Baillet in Vitis sanctorum, quæ Lutetiæ Parisiorum anno 1704 impressæ sunt; et Villefore, qui sancti Vitam ibidem eodem anno vulgavit.

715. Sed quandoquidem Vita apud Surium, de quo mentio facta est supra, omnium passim manibus teritur, censeo lectoris interesse, ut non ignoret, quæ de Vita ista animadvertit Horstius in admonitione ad lectorem, quam præfixit Vitis a se editis, et ibidem observat, « Vitam istam collatam cum ea, quæ hactenus, inquit, una cum Operibus S. Bernardi edi solet, deprehensam a me non parum verbis et reipsa variantem. Mirabar initio sane (jam tum necdum ms. Vitæ nactus eram) cur, vel quomodo id factum. Suspicabar, an forte Surius aliquid solitæ et familiaris sibi licentiæ, qua in plerisque aliis SS. Vitis usus erat, hic quoque usurpasset. Sed suspicionem vix admisit oratio horum auctorum non egens lima, utpote per se, ac pro instituto tersa satis et elegans : ut taceam, quod stylus sanctis illis viris pariter ac eruditis, illo præsertim ævo, familiaris, habeat peculiare quiddam ac patheticum, et nescio quid latentis energiæ ad commovendos lectoris affectus, quod nostri non ita facile assequantur.

716. « Esto itaque notetur alias ab eruditis velut intempestiva Surii diligentia; ego hic culpa illum vacare credebam : neque enim verborum duntaxat, licet rarius ; sed et rerum discrimen inter utrasque editiones notabam, et tale quidem, quod Surianam recentis alicujus mutationis nota facile liberaret, utpote quæ vulgata plenior et uberior, fide alicujus ms. exemplaris haud dubie niti videretur. Attamen dum hic anceps fluctuo, tandem offertur mihi, quod hactenus anxius quæsieram, antiquum Vitæ S. P. exemplar ms. e bibliotheca celeberrimi monasterii Campensis ord. Cisterc. id quod inspectum mox omni suspicione Surium absolvit, utpote Surianæ editioni respondens; sed in multis tamen longe correctius et auctius : nam librum quoque miraculorum adjunctum habebat. Ex hoc itaque Vitam S. Bernardi tibi, benigne lector, repræsentamus.. Quæ his notis ( ) inclusa vides, scito in hactenus editis desiderari; et nunc recens ex ms. inserta esse. » Atque hæc sunt, quæ Horstius inter alia præfatur ad lectorem de sua editione; in qua accuranda etiamsi vir eruditus ac sedulus insignem prorsus atque utilem insumpsit laborem; non hanc tamen, sed Mabillonianam potius a nobis recudendam censuimus.

717. Movit nos primo, quia Mabillonius Horstiano labori secundas curas adjecit, dum illum editorem præ oculis habuit. Secundo, quia eumdem auxit, uti patebit e Vitæ, quam vulgavit, decursu, ac indicat ipsemet in admonitione ante librum primum ejusdem Vitæ, dicens : « In fine hic monemus, ea quæ ansulis in consequentibus offendes, ab Horstio ex codice Campensi, vel a nobis addita fuisse. Tertio, quia exemplar Mabillonianum, quod prælo dabimus, est magis emandatum, quam Horstianum, uti perspicere nobis licuit, quando hoc cum illo contulimus. Quarto, quia illud novis ac doctis notis illustratum, ut nihil dicam de variis lectionibus. Utimur autem hic impressione, quæ apud nos est, quæque in lucem prodiit Parisiis anno 1690. Noverit interim lector, non omnes Vitas quæ apud dictum editorem exstant, typis commissum iri a nobis, ob rationes proxime designandas.

718. Nova autem a nobis fiet capitum partitio, novos capita ipsa dividentur in numeros. Antiquæ tamen librorum quinque dabimus post Præfationem libri primi : quæ deinde etiam assignabuntur ad marginem nostræ impressionis. Tituli item miraculorum sive libri sexti Vitæ, dabuntur post ejusdem Præfationem. Præter adnotata, quibus hunc librum conabimur elucidare, ratio etiam habebitur observationum, quas mense Septembri anno 1672, huc misit Tornaco R. P. F. Josephus Ignatius a S. Antonio, Carmelita excalceatus. Miraculorum etiam synopsim proferemus in Gloria posthuma S. Bernardi, eorum commodo consulentes, quibus vel non vacat longiores ac numerosas eorumdem miraculorum narrationes perlegere, vel quibus selecta quædam placent, atque ad concionem accommodata, quæ convenienter ad suæ dictionis materiem proponant auditoribus, magisque ad manum hoc modo illa habere possint.

§ LXV. *Illustrissimus Manricus quo apparatu, et qua fide scripserit suos Annales, atque adeo res gestas S. Bernardi eisdem intextas : de auctore Exordii magni Cisterciensis.*

719. R. D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis Angelum Manricum laudat a nobilissima familia, acuto ac facili ingenio, atque ad omnia prompto; nec non a singulari adeo in studiis philosophicis ac theologicis progressu, ut professoribus admirationi esset. Addit idem bibliographus, cum magna ad concionem dicendi, suosque auditores ad quemcumque vellet affectum inclinandi, verborum copia et elegantia præditum fuisse, idque munus summo cum concursu et plausu exercuisse, undequaque ad illud invitatus : virum item summi in rebus gravissimis consilii fuisse; cathedræ autem theologicæ in academia Salmanticensi præfectum, summa cum nominis celebritate spartam hanc per

Digitized by Google

annos plurimos egregie exornasse. Varia ejus opera allegatus bibliographus etiam recenset. Ad cathedram episcopalem Pacis Juliæ vel Augustæ (vulgo *Badajoz*) a Philippo IV, Hispaniarum rege, provectus est anno Christi 1644 (Nicolaus Antonius mox citandus signat proxime sequentem), prout ibidem invenies. Insignia denique elogia, quibus alii viri docti Manricum prosecuti sunt, habentur ante tomum primum Annalium ordinis Cisterciensis. De laudato auctore etiam tractat Nicolaus in Bibliotheca Hispana, ubi scribit eum in urbe Pacensi obiisse anno 1649. Hunc itaque virum Annales ordinis Cisterciensis nacti sunt auctorem.

720. Cæterum egregia documentorum supellectile Manricum fuisse instructum, antequam eosdem Annales conderet, abunde liquet e præfatione ejus, tomo primo istius Operis præfixa, ubi hæc memorat num. 4 : « Adfuerunt... quatuor bibliothecæ, queis refertissimis Salmantica illustratur, domestica Cisterciensis collegii, nulli inferior, Ludovici Bernardi de Quiros, sacræ olim Bibliæ primarii professoris conquisita industria. Nec minus nobis perviæ, beneficio suorum, tres externæ : altera ex regali collegio Societatis Jesu ; duo ex his, quæ Majora vulgo appellant, Sant-Bartholomæano nimirum, et Ovetensi. Atque hæc ultima (magni quondam viri Didaci Covarruvias gloriosa cura) fere præ cunctis aliis in usu fuit. Cætera supplevere mss. undecunque quæsita ex Gallia, Italia, Belgio, Germaniaque, et quæ reliquit Ignatius Firminus Iberus, Fiteriensis abbas, ipsa autographa : quin per triennium patens Vaticanum insignis eruditionis viro Leandro Vadillo, ad hoc transmisso Romam, cum primum hos Annales meditaremur. »

721. Quandoquidem autem prima genuini historici dos est veritas ; hanc se unice præ oculis habuisse, gravissimis verbis, quin imo interposito etiam ad firmiorem rei confirmationem sacramento, testatum reliquit loco citato num. 8. « Non dubitamus, inquit, a nobis multa omissa : quis cuncta colligat? multa aliter narrata, quam evenerint. Quis in tam varia rerum multitudine non quandoque cæcutiat, aut dormitet? Illud asseveramus cum sacramento, nihil a nobis scienter immutatum ; nihil consulto auctum, detractumve, quod facere ad historiam putaremus. Sed neque nostris quidquam attributum, quod alienum censeamus, veræ quam falsæ gloriæ appetentiores. Non sumus hi, qui aliorum dispendio quæramus laudem : non indiget Cistercium furtivis bonis. » Hæc illustrissimus Manricus, candide professus, se, si non semper et ubique veritatem fuerit assecutus, semper tamen et ubique eam fuisse secutum in suo opere, cujus gratia hæc a nobis indicata sunt.

722. Et vero quemadmodum sese veritatis tenacissimum esse testatur, sic etiam correctionis, si cubi a veritate aberravit, cupidissimum non obscure scribit, loco mox citato concludens suam Præfationem in hæc verba : « Utinam sint, qui corrigant, qui deleant ! Utinam et qui addant, ostendantque quam parum fecerimus, dum, quæ non fecimus, plura in lucem edant. Bernardus Parens volumen cum cultello Matthæo cardinali legato misit *quatenus impostaram, quam avulsione dignam judicaret, proprio ipsius auctoris gladio succideret* : nostros Annales cum cultello et calamo vellemus eruditis cunctis transmittere, succidendis, quæ irrepserunt per errorem, sed non minus addendis, quæ desunt per ignorantiam : quod ob utinam Deus multis inspiret ! »

723. Jam vero quandoquidem creberrime superius usi sumus libro, qui inscribitur Exordium magnum ordinis Cisterciensis, quod in distinctiones et capitula dispertitum exstat apud F. Bertrandum Tissier, doctorem theologum Bonifontis in Theras sia ejusdem ordinis priorem, in Bibliotheca Patrum Cisterciensium pag. 13 et sequentibus ; videtur instituti nostri ratio exigere, ut Operis istius notitia lectorem imbuamus, iis usuri, quæ dictus Tissierius ad illud præfatur. Ac de titulo quidem monet ista : *In codice manuscripto cœnobii Fusniacensis, quo utor, habetur hic titulus : Incipit narratio de initio Cisterciensis ordinis ; qualiter Patres nostri de Molismensi cœnobio propter puritatem Ordinis secundum tenorem regulæ sancti Benedicti recuperandam, egressi, fecundam Cisterciensem ecclesiam fundaverunt, quæ est mater omnium nostrum : quoniam ex ipsa tanquam de fonte purissimo rivuli cunctarum ecclesiarum Ordinis nostri derivati sunt : et de nonnullis reverendis, atque in omni religione conspicuis personis, quæ in Cistercio et Claravalle claruerunt.* Quia tamen hic liber Exordium magnum ordinis Cisterciensis solet appellari, sicut et præcedens (ibidem a pag. 1.) ex opposito Parvum exordium ; idcirco titulum prædictum præelegi. »

724. De auctore autem sic pergit : « Hujus Magni Exordii auctorem ignorari, ait Angelus Manrique in Annalibus : verum Fusniacensis codex hæc habet verba : *Istum librum composuit quidam abbas, Conradus nomine, Everbacensis cœnobii, qui fuit monachus Claræ-vallis.* Et monasticen quidem in Claravalle se professum, non obscure indicat in fine hujus operis ; ubi temporibus B. Petri et D. Garnerii, postea Lingonensis episcopi, quorum ille octavus, hic nonus Claravallensis abbas exstitit, se Claravalle disciplinis claustralibus eruditum fuisse asserit, videlicet circa annum 1180. Est autem Eberbac, cui Conradus iste dicitur præfuisse, monasterium de linea Clarævallis in Moguntina diœcesi : cujus ipse auctor summa cum laude meminit in distinctione 5, cap. 17, et alibi : ubi tamen non indicat ejusdem loci se abbatem esse. Sed quisquis sit libri auctor, hunc lectu dignissimum, et utilissimum in Bibliothecæ Patrum nostrorum capite locandum judicavi. »

725. Opus porro istud laudat etiam Horstius in Introductione ad Opera S. Bernardi pag. 70, hæc præmittens libro septimo Vitæ S. Bernardi, quem

Digitized by Google

e laudato Exordio typis edidit : « Hunc, inquit, librum verbotenus decerpsimus *ex libro Virorum illustrium ord. Cisterc.* quem quidem ms. Confluentiæ accepimus e collegio Soc. Jesu. Aliud ejusdem exemplar e carthusia Wesaliensi PP. Carthusiani Colonienses nobis curarunt. Sed et tertium Pater N. Societ. Jesu, Embricæ propria manu descriptum exhibuit : qui et variarum lectionum notas adjecerat : cujus industria magno nobis subsidio fuit. Porro de eo libro lector monendus, ne forte fallatur, dum hosce titulos alicubi legit, *Exordium ord. Cisterciensis; liber de Viris illustribus ord. Cisterc.; item. lib. de Initio ord. Cisterc.* quos Henriquez tanquam diversos libros non raro allegat, cum unus idemque sit (etsi alibi aliam forte sortitus epigraphen, uti facile deprehendet, dum quæ ille, quasi ex diversis affert, in uno *de Viris illustribus Cisterc.* (nam hunc solum titulum tria, quæ ego vidi, mss. præferunt) reperies. Id te monitum volui confusionis vitandæ causa, cui occasionem præbuit dictus auctor eo magis quod *Exordium* in libros; illum vero *de Viris illustribus*, in distinctiones dispertiat. Sed ejusdem nihilominus scriptoris de hoc libro censuram audiamus :

726. *Omnium nostri Ordinis historiarum* (inquit) *quasi lapis fundamenti, et scriptum maxime authenticum est liber ille, quem* Exordium *ord. Cisterc* nominamus. » Et paulo post : « *Quantum ad me, inquit, quotiescunque hunc librum evolvo, non possum satis pietatem, styli gravitatem, sententiarum pondus, et mirandos eventus, qui ibidem referuntur, non mirari : idque ausim dicere, hunc in suo genere esse ex majoribus et pretiosioribus thesauris, quo gaudet Ecclesia, talemque a fidelibus habendum.* Ita Henriq. Appar. ad Menol. Cist. cap. 4, cui et ego libens assentior; dignum scilicet esse librum, qui totus edatur in lucem.

727. « Quod etiam Aubertum Miræum bene de Historia monastica meritum optasse video. Miror e Cisterciensi familia neminem hoc sibi operis sumere. Ego ipse admoverem manum, nisi vererer in messem alienam mittere falcem. Porro auctor hujus libri vicinus fuit temporibus S. Bernardi; nam his cum familiariter egit, qui simul cum Bernardo vixerunt : et ex eorum ore fere refert quæ hic narrantur : ut videas, qua fide et auctoritate nitantur. » Hæc ille. Porro doctorum istorum virorum desiderio factum est satis, quando opus illud edidit Tissierius. Specimina vero, quæ ejusdem operis meritum commendant, suggerit noster Commentarius prævius. Mabillonius librum septimum Vitæ sancti Bernardi ex eodem Exordio excerptum, post Horstium etiam vulgavit volumine II, col. 1195 et sequentibus; quod indicio est, ei etiam in pretio fuisse illud opus. Additis autem hoc accrevisse, habemus ex Manrico, qui illa allegat, ut videre licet in Commentario nostro prævio, § 50 in fine; § 51, num. 547; § 52, num. 555. Postremo, sive Exordii auctor collegerit vel scripserit ipsemet, quæ se vivente accidere; sive alia postmodum accesserint; nos et Exordium ipsum, et ejusdem auctorem in commentario prævio itentidem citavimus.

§ LXVI. *Quænam Vitæ, et cur a nobis non recusæ; alia quædam præterita.*

728. Libros sex de Vita ac rebus gestis S. Bernardi, qui jam pridem excussi exstant apud Horstium ac Mabillonium recudemus ac illustrabimus, sicut supra indicatum est. Vitis hisce adjiciemus cum Mabillonio Fragmenta, non tamen omnia, ex Herberti libris de miraculis Cisterciensium monachorum : non vero librum septimum de Vita ejusdem sancti, qui excerptus ex libro, cui titulus *Exordium magnum Cisterciense*, distinctione secunda, notatur in editione Mabilloniana; de Horstiana autem consule quæ præmisi, § 65, num. 725. Ratio, cur libros istos a nostra editione secludamus, est, quia ex eisdem libavimus, et huic Commentario intexuimus varia facta, quæ in illis ibidem de sancto Patre referuntur. Si quæ tamen notabilia supersint, poterit illorum etiam haberi ratio in Gloria posthuma. Nec vero Vita ab auctore seu compilatore Alano, quondam episcopo Autisiodorensi conscripta, quæ est apud Mabillonium, iteratis typis exhibebitur.

729. Etenim biographus ille « ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum a Bernardo gestarum seriem contexuit, et adhibitis quidem propriis auctorum verbis : quos ad temporum ordinem utcunque reduxit; » uti observabat Mabillonius, § 64, a me citatus; ad hæc, sancti doctoris testamentum, ab aliis scriptoribus omissum, primus commemorat, sicut ibidem est dictum : verum cum ordini temporis, præeunte Manrico, prospexerimus in Commentario nostro prævio et Chronologiam Bernardinam in eodem dederimus; cumque biographos priores, e quibus suam Vitam compilavit ac contraxit Alanus, producturi simus; quid opus est illam denuo typis committere, et tam grandem aliunde rerum S. Bernardi molem sine necessitate augere?

730. Sed audiatur Alanus ipse in Prologo ad eamdem Vitam : Nos, inquit, ex eadem plurium, qui jam tum Acta viri sancti, et miracula conscripserant, auctorum narratione nonnulla omittentes, et apponentes perpauca, breviori perstringimus schedula. Quod modo dicebat Mabillonius de testamento, quod... primus ipse commemorat; videtur pertinere ad tria illa monita, quæ Pater sanctus filiis suis imitanda reliquit jam morti proximus; de quibus Alanus, cap. 30, quæque nos supra ex eo dedimus, § 50. Post istam Vitam subjungit Mabillonius Fragmenta ex tertia Vita S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido monacho Clarævallensi, capitibus octo comprehensa. Consule dicta, § 64. Fragmenta ista non semel nobis usui fuere in Commentario prævio, et forte erunt postea, si quæ restant digna notatu. His ibidem proxima datur Vita quarta... duobus libris scripta a Joanne eremita.

Digitized by Google

Quæ ad istum biographum attinent, habes mox indicato, § 64, cujus Vita bis jam recusa supersedendum nobis duximus; cum persuasum habeamus, biographos primigenios abunde suffecturos tum lectorum utilitati, tum sancti gloriæ, tum denique muneri nostro. Quod si nonnulla referat singularia, quæ novisse lectoris intersit, poterit etiam eorum haberi ratio.

731. Idem, quem modo nominabam, Vitarum S. Bernardi editor, col. 1292, profert Prætermissa apud Chiffletium ex Gaufrido superius, inquit, col. 1278, post articulum 10, et postea reperta: quæ excipit carmen panegyricum Philothei monachi de Vita et moribus ejusdem sancti, quem inter scriptores ordinis Cisterciensis ponit Carolus de Visch in sua Bibliotheca. Carmen illud etiam exstat in editione Horstiana. Adde duo alia de laudibus sancti Patris; alterum, cui auctor prænotatur Nicolaus Hacquevillle, sacri senatus Parisiensis præses æquissimus; alterum Baptistæ Mantuani ex VIII Fastorum. Sed facile patimur abesse ab editione nostra rivulos hosce poeticos, ubi genuinis antiquissimorum biographorum fontibus abundamus. Meminisse interim hoc loco non pigeat illud, quod habetur apud Mabillonium, col. 1306. « In Ms. cod. Aquicinctensi legitur carmen sic inscriptum: *Venerabili abbati Clarævallensi Bernardo Anselmus in laudem Clarævallis sub hoc initio.*

« *Vallis devexa, quam mons devexus opacat.* »

Post brevem hanc observationem datur ibidem descriptio positionis seu situationis monasterii Clarævallensis; quæ apud Horstium etiam exstat, et quam supra allegavi, § 5, num. 56.

732. Hæc habui, de quibus lectorem meum prænonerem. Si vero in Vitis, ab hac nostra impressione seclusis, præter illa, quæ in antecessum a nobis inserta ex iis sunt huic Commentario prævio, alia se offerant documenta, quæ vel ad sancti gloriam, vel ad lectoris instructionem conducere admodum comperero, locum illis dabo post Vitas, in Gloria posthuma S. Bernardi, in qua colligentur de viro res bene multæ atque insignes, quas eo differre visum est. Tandem itaque longum maris, ut ita dicam, iter emensus vela contraho, ac subdo Acta; in quorum impressione quænam a nobis sint servata, superius lectorem monui, § 64 in fine.

(*Sequuntur pariæ de vita S. Bernardi lucubrationes quæ exstant supra.*)

GLORIA POSTHUMA

AC SUPPLEMENTUM

AD S. BERNARDI VITAM, ET MIRACULA, NEC NON AD NOSTRUM COMMENTARIUM PRÆVIUM.

CAPUT PRIMUM.

Veneratio publica; monasteriorum propagatio; recentissimæ notitiæ de sancti sepulcro ac reliquiis. Umbra ejus, et alia sacra lipsana.

1. Quæ in Commentario prævio § 62, dicta sunt de officio *S. Bernardi*, ac de veneratione publica ipsi tributa, hisce suppleri possunt. Inter *Statuta selecta capitulorum generalium ordinis Cisterciensis*, quæ *ex variis codicibus manuscriptis* habentur apud Martenium in Thesauro novo Anecdotorum tom. IV lego ista ad annum 1321, col. 1506, num. 5: *Item cum ad mutuam charitatis gratitudinem ex debito professionis monasticæ teneamur, servitium pro sancto Hugone, primo abbate Cluniacensi, eo quod in dicta domo et suo ordine universo sancti Bernardi Patris nostri solemne servitium celebratur; in hunc modum salubriter statuit generale capitulum*, etc. Unde liquet, Officium de *S. Bernardo* tunc celebratum fuisse apud Cluniacenses omnes ritu solemni. Ad venerationem publicam etiam spectat, quod viri sancti patrocinium imploratum fuerit contra morbum contagiosum. Etenim post Vitam et miracula S. Adriani, luis pestiferæ patroni peculiaris, quæ, auctore P. Guilielmo Hardigny e Societate Jesu, anno 1636 Luxemburgi Gallice sunt impressa, una cum parvis aliquot tractatibus aliis, pag. 260. *S. Bernardum* adnume-

Digitized by Google

rat cœlitibus aliis, qui morbo isti sunt propitii, et addit, anno 1625 opem viri contra eum imploratam fuisse Liræ, prope Antuerpiam, in sacello ejus. Imo forte in æde sacra monialium Cisterciensium B. Mariæ de Nazareth, extra muros Liranos : ubi frequens et utilis, ut audio, ad sanctum quotannis est concursus die 30 Augusti, et per octavam.

2. Superius parte tertia miraculorum, cap. 7, num. 343, referuntur ea quæ Rutilæ patrata sunt Locus autem iste scriptoris ex grata Rutilensium memoria commendatur, qui magnum Sospitatorem singulari cultu prosecuti sunt, teste Raissio in Auctario ad natales sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem 20 Augusti, fol. 170, ubi hæc scribit : *Hunc etiam locum, Rutilensem scilicet vicum miraculis illustravit, quando tres mulieres claudas, et duos cæcos restituit sanitati. In cujus rei perpetuam memoriam, imago sancto Bernardo erecta est in ipsa ecclesia, quam vidi : fiuntque ad eam annuæ processiones feria sexta post Pentecosten, quando illa miracula facta ibidem fuisse, ex veteri traditione, devotus populus arbitratur. Hæc autem mihi ibidem exsistenti, monasterii dicti prior, Petrus Haymam communicavit.*

3. Joannes Cognatus, vulgo *Cousin*, libro III Historiæ Tornacensis, cap. 50, affirmat, *S. Bernardo* obstrictos admodum esse Tornacenses, ac jure merito eum tanquam patronum et protectorem episcopatus Tornacensis haberi ab ipsis posse, propterea quod ejus apud Eugenium papam auctoritate interposita obtinuerint antistitem particularem, cum antea subessent episcopo Noviomensi; atque hac de causa viri effigiem in vitro fenestræ ad latus septentrionale, in circuitu chori ecclesiæ cathedralis, depictam esse supra historiam itidem in pictura repræsentatam restaurati episcopatus. Favor autem ille novi ac proprii episcopi Tornacensibus concessi, suffragante *Bernardo*, contigit sicut testatur Albericus in Chronico ad annum 1148. *Apud civitatem*, inquit, *Tornacum, cum per quadringentos annos circiter fuit ista civitas sub episcopis Noviomensibus, tandem sancto mediante Bernardo, positus est per Eugenium papam novus episcopus, et recepit ecclesia privilegium antiquum. Primus episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Galterus.* » Favor autem ille, quem Albericus supra citatus narrabat ad an. 1148, contigit anno 1146, uti constat ex ipsa bulla Eugenii papæ III, quæ refertur in tomo II editionis novæ Diplomatum Miræi, pag. 1167, domino de Castillion in sua Chronologia sacra Belgii, pag. 405, asserente authenticam habere se copiam hujus bullæ anno 1146, datæ secundum notationem amplissimi ac eruditissimi domini censoris hujus tomi. Nec vero religiosum S. Bernardi cultum apud cœnobitas Aquicinctinos, in Gallo-Belgica prope Duacum, indictum relinquam, quando ipsius reliquiæ eo delatæ sunt ab istius monasterii abbate. Quippe Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum 1179, e Chronico Aquicinctino hæc narrat : *Anno 1179 Simon, nonus Aquicinctini monasterii antistes, in redi-*

tu ex concilio Romano, Clarevallem divertit, et reliquias beati Bernardi ab ejusdem cœnobii abbate, precibus impetrat : quas Aquicinctum delatas, magnis honoribus affecit. In Gallia Christiana, tomo III editionis novissimæ, col. 412, res etiam narratur sub Simone I, abbate nono Aquicinctino. Adde ex Manrico, quod Paulus abbas Palaciolensis in Castella veteri Hispaniæ, singulare aliquid in honorem sancti excogitarit, quando præscripsit, *ut in confessione, quæ in missarum initio proferri solet, sanctus Bernardus Parens post B. Virginem immediate invocaretur : Confiteor Deo, beatæ Mariæ, et beato Bernardo.* Hæc e dicti historici Cisterciensis libavimus appendice ad tomum IV Annalium Cisterciensium pag. 629, et habentur inter alia quæ interseruntur anno 1550.

4. Sancti nostri gloriæ maxime inclaruit apud posteros ex mirifica sobolis suæ Clarævallensis propagatione. de qua re scribit Guillelmus libro I Vitæ apud nos supra cap. 7, et quamvis in meis ad illud adnotatis hoc argumentum singillatim non tractare statueram, sequentia tamen ad illam biographi locum illustrandum subjungere hoc loco visum est. Apud Gaufridum libro V, Vitæ, cap. 2, num. 262, dicitur *Clarævallensis cœnobii primus abbas aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater.* Quod sic est intelligendum, ut magnam tot fundatorum monasteriorum partem sanctus Pater non immediate per se, sed per suam sobolem excitarit; ita tamen, ut, quod filii ejus fecerunt per se, Bernardus Pater in filiis fecisse merito dici possit, atque adeo felix ad secunda illa propagatio ad gloriam ipsius Sancti posthumam pertineat; observante Mabillonio ad locum Gaufridi, quem proxime indicabam, *nempe tam per se, quam per abbatias Clarevalli subjectas* abbatem sanctum fundasse ista monasteria. *Nam Bernardus*, ait, *per se tantum septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit; nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Subaudia, et in Hibernia; in Italia 4, in Germania duo; duo item in Suecia, ac demum unum et alterum in Hungaria et Dania, ex Chronologia nostra :* quam lector etiam inveniet in nostro Commentario prævio § 59. Innocentius itaque papa III, in litteris apostolicis ad ecclesiam Gallicanam, quas Commentario nostro prævio intexuimus § 60, hanc singularem viri prærogativam inter alias merito suspicit, quando illum laudat, quod *usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum fundationem extenderit.*


5. Alter vero Christi in terris vicarius Gregorius IX insigne ad perpetuam viri sancti memoriam in simili materia adjunxit decus, dum in bulla, qua S. Dominicum, ordinis FF. Prædicatorum fundatorem sanctorum fastis asciripsit, hæc de S. Bernardo; *Post quos*, (primos videlicet novæ legis prædicatores, ac S. Benedicti filios, de quibus egerat), Christus Dominus *quasi lassum renovaturus exercitum, et redditurus jubilum post lamentum, applicitis ad*

Digitized by Google


quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cisterciensis ordinis, et Florensis, velut tonsarum greges, geminæ charitatis fetibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit ascendere, sancto Bernardo, ariete ovium in virtute spiritus, qua ex alto indutus exstitit, et in abundantia frumenti vallium præeunte, ut transeuntes liberati per eum, in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, et ponant castra Dei exercituum super mare. Supersunt quædam notanda de statu hodierno corporis S. Bernardi, ac sepulcro.

6. De hac re subjungo ista, uti etiam alia nonnulla, quæ ad idem fere argumentum pertinent; quæque omnia supplementum erunt ad dicta in Commentario nostro prævio § 50, de sancti corpore, ac testamento ejus seu ultima voluntate; § 51, de tumulo; § 53, de cubiculo, etc. Hisce autem ibidem præmissis novæ postea ad nos submissæ sunt notitiæ, quas cum grati animi memoria debemus R. A. et Eximio D. Candido Briger, ord. Cisterc., in Valle B. V. M. de Campo Liliorum, vulgo *Lilienfeldt*, in Austria inferiore, ac in diœcesi Pataviensi, priori meritissimo, ac sacræ theologiæ doctori. Etenim postquam viro, ad capitulum generale, quod sub initia mensis Maii anno hoc 1738 Cistercii inchoatum fuit, proficiscenti, ac sua nostrum museum præsentia in transitu honoranti, exposuissem meum desiderium discendi plura de statu præsente corporis S. Bernardi, id sibi futurum curæ addixit. Nec minus fecit quam addixit; prout patet ex humanissimis ejus litteris, quas huc direxit *e Cistercio in Burgundia, octavo Idus Maii, anno* 1738, *actu sedente capitulo generali.* Ex iis autem delibo sequentia, quæ potuit Brigerus in rem nostram comperire in monasterio Claravallensi:

7. *Corpus... sub terra conditum quiescit. Caput vero pelle et carne nudum (quod calvariam vulgo dicimus) argenteæ inclusum theecæ, eo loco asservatur, quo loco ecclesiæ thesaurus reponitur: ubi etiam prostat argentea tumba; at præter viri sancti cucullam, nihil omnino condens. Tumulus ejus retro aram majorem in Clarævallensi templo, octo circiter pedes supra terram attollitur, et marmoreis columnulis vestitur: cui statua sancti viri desuper insistit. Ad pedes tumuli erectum cernitur altare: super quo Missarum sacrificia Deo offeruntur. Facies et latera sepulcri ea figura sunt, quam accluse schedula exhibet, rudi licet penicillo depictam. Dominus nihilominus abbas Clarævallensis, quem ea super re hodie hic loci conveni, accuratiorem se missurum spopondit.* Promisso respondit eventus: nam nomine Reverendissimi Domini sui abbatis Claravaliensis meliorem mausolei S. Bernardi delineationem huc misit e Claravalle, die 29 Julii anni 1738 R. A. D. Joannes Antonius Macuson, Sedis Apostolicæ protonotarius, et magister novitiorum ejusdem abbatiæ. Delineatio autem, quam accepi, e majore forma ad minorem hic contracta est a nostro chalcographo, qui faciem sepulcri, secundum exemplar sibi propositum, accurate imitari conatus est, prout in hoc ejus ectypo cernis.



Quæ vero sint latera mausolei discet lector e schemate secundo. Utrique, prout huc est missum, sanctus; sed manu adscribitur, in 1° non pereminet in 2°. esse verum ejus vestitum. En illud:



8. Alia, quæ huc spectant, his verbis describere pergit laudatus Brigerus: « *Tumulo antrorsum gemina tabula ferreis catenis affixa visitur, quarum prior sic habet:*

HIC REQUIESCIT SANCTUS BERNARDUS PRIMUS ABBAS SACRI MONASTERII CLARÆVALLIS.

In altera tabula leguntur sequentia:

TESTAMENTUM BEATISSIMI BERNARDI, ABBATIS: TRIA VOBIS OBSERVANDA RELINQUO, » ETC.

Videsis nostrum commentarium prævium § 50, num. 543, ubi non adduntur ista verba: *Ecce, charitatem, humilitatem, patientiam vobis relinquo.* Post quæ sequitur in epistola laudati Brigeri, testamentum sancti Patris metro alligatum: ac de tabulis istis locutus, *Præterea*, inquit, *domus, seu cella potius, tota pene lignea, et grabatus, in quo spiritum emisit, hodiedum supersunt in Claravalle.*

9. Porro si quis plura desiderat de ipso Claravallensi monasterio, Gallicum adeat Hodœporicon, seu Itinerarium litterarium duorum religiosorum ordinis S. Benedicti, e congregatione S. Mauri, auctore Edmundo Martene, parte I, ubi pag. 99, leget, in cœmeterio, de quo ibi agitur, sepulcra fratrum S. Bernardi spectari, uti etiam ejusdem sancti cellulam, quam Guillelmus de Campellis, episcopus Catalaunensis, exstrui pro eo jussit, ut infirmitatibus corporis laboranti solatium afferret. Vide commentarium nostrum prævium § 7, num. 78, et librum primum Vitæ, cap. 4, num. 37. In dicto Itinerario etiam hæc narrantur pag. 100, videlicet caminum non esse in ista cellula; adeo quippe *S. Bernardum* fuisse mortificatum, ut ignem pro se strui noluerit; verum sub viri lecto magnum lapidem exstitisse, in pluribus locis perforatum, sub quo accendebatur foculus, ut cubiculum calefieret, ipso id non observante: ad hæc, cubiculo isto, ac *S. Bernardi* lecto, qui ibidem hodieque conservatur, nihil magis simplex videri posse; cellæ item huic contiguum esse parvum sacellum, quod verosimiliter fuerit constructum, ad aram faceret; vita ibi functum esse, affirmari; legique ibidem inscriptionem, quæ satis perspicue hoc enuntiet. Ex his, quæ ex isto Itinerario libavi, magis lucescunt paulo ante præmissa, et ea quæ habentur in Commentario prævio § 53, numero 564.

10. Præter ea, quæ jam memorata sunt e Martenio, mentio etiam fit apud eum de calice *S. Bernardi*, pag. 99, de casula autem pag. 104, ubi etiam tractat de magna capsa argentea, quam episcopus aliquis Santonensis fieri curavit ad imponendas in eadem reliquias *S. Bernardi*; sed addit religiosos, timentes ne, si ossa ejus extraherentur e sepulcro, principes plurimi, quibus id negari haud posset, aliquid ex illis peterent, maluisse, ut ea ibi relinquerentur. Fertur etiam apud Claravallenses spectari umbra sancti supra lapidem, in quo corpus ejus totum fuit post mortem; at nescire se asserit Martenius, an hoc tam sit prodigiosum, quam creditur: nam umbra, ait, illa non spectatur ab omni parte; sed oportet esse in certo quodam situ, ut illa deprehendatur; idque fieri posse judicat naturaliter per reflexionem luminis. Hæc ille. At quidquid sit, mirabilis quidem ista luminis reflexio est: an vero fiat per stricti nominis miraculum, in medio relinquo. Audiamus interim de hac re Chrysostomum Henriquez in Fasciculo ordinis Cisterciensis lib. I, distinctione 4, cap. 51. *In sacro*, inquit, *cœnobio Claravallensi, stupendum, idque continuum exstat miraculum, quod non parum sancti abbatis commendavit virtutem. In lapide enim ubi corpus ipsius, secundum consuetudinem ordinis, fuit ablutum, ejusdem corporis umbra in hodiernum usque diem perseverat, ab omnibusque clare et manifeste videtur. Cumque hæretici tanti miraculi memoriam abolere niterentur, et variis instrumentis lapidem ipsum cavarent, umbra descendit, nec aliquo modo deleri potuit, ut a R. D. Adriano Cancellier, abbate Dunensi accepi.*

11. Laudatus supra Martenius in Itinerario alio, quod in lucem prodiit Lutetiæ Parisiorum anno 1724, agens de celebri abbatia Camberonensi, ordinis Cisterciensis, in territorio Montensi Hannoniæ, pag. 198, scribit casulam *S. Bernardi*, quæ ibi ostenditur, inspirare pietatem: nec esse illam e panno aureo, nec argenteo, nec serico; sed ex simplici gossipio contextam: usui eam esse in die festo sancti, et in primitiis religiosorum. Idem auctor pag. 40, inter alia quæ refert de Valleclara, quæque signatur superius in Chronologia Bernardina apud nos parte prima, ad annum 1134, mentionem facit de S. Bernardi pallio, quod Gallice vocat *la coule*, dicitque illud ibidem conservari. Nec piget hic observare quod duplex sit apud Bernardinos palliorum genus; unum nempe candidum, quod est vestimentum valde amplum, et quo ascetæ Bernardini utuntur in cæremoniis, et quando assistunt officio; alterum vero nigrum, estque etiam vestimentum admodum amplum, et quo Bernardini utuntur dumtaxat in urbibus, et quando incedunt per plateas; ex Dictionario Gallico-Latino, quod anno 1074 Trevoltii editum est, in voce *coule*.

12. Apud eumdem Martenium in Veterum scriptorum et monumentorum, etc. amplissima collectione, tomo VI producitur fundatio monasterii B. Mariæ de Altaripa, ordinis Cisterciensis, filiæ Chariloci, lineæ Claræ-vallis, et col. 317, ponitur inter reliquias sacras præcipuas ejusdem cœnobii, «*stola sanctissimi P. N. Bernardi ex grossiori panno coloris grisei obscuri, qua sanctus hic Pater sacrarium nostrum decoravit, dum eundo et redeundo ex Germania, per hoc monasterium transiret.*» In libello reliquiarum, quæ Aquisgrani asservantur, anno 1734, ibidem typis edito inter ornamenta ecclesiæ virginis Matris, pag. 46, ponitur casula, quæ more Græcorum facta, et ex serico cæruleo terso ac denso contexta est, acu eidem appicta cruce ex margaritis. Hanc casulam mellifluus doctor *Bernardus* in ista ecclesia ad sacrificium missæ adhibuisse anno 1146, ac post illud dedisse visum cæcis quatuor, et paralytico uni gressum, in eodem libello dicitur.

Digitized by Google

CAPUT II.

Variæ S. Bernardi apparitiones ac prædictiones.

§ 1. *Apparet monacho Cisterciensi; et converso, quem consolatus prosperum negotiorum successum ei prænuntiat.*

13. In Commentario prævio § 52, retuli varias post viri sancti obitum apparitiones; de aliis me acturum dixi in Gloria ejus posthuma. Harum igitur primum hic obtineat locum illa, quæ exstat apud Tissierium in Exordio magno ordinis Cisterciensis, distinctione 3, cap. 14. *Factum est autem in una dierum, cum prima cantaretur in choro, et ipse* (videlicet Guillelmus, quem mox pluribus describam) *conjunctus psallentibus stabat in ordine suo, vitulos labiorum suorum in voce exsultationis Domino reddens. Et, ecce, apparuit ei vigilanti atque psallenti S. Malachias, Hiberniensis quondam episcopus, qui in eadem basilica jacet honorifice tumulatus. Residebat vero, in cathedra juxta altare, annulo, baculo, mitra, cæteriisque pontificalibus ornamentis mirifice decoratus, tanquam missarum solemnia post finem illius horæ celebraturus. Erat autem tunc anniversaria dies depositionis ejusdem beatissimi præsulis: quæ etiam omnium fidelium defunctorum memoria est solemnis. Apparuit quoque cum eo B. Bernardus, ejusdem ecclesiæ felicissimus pastor atque patronus; qui et ipse erat vestibus pretiosis et candidis micans, atque mitratus, minime tamen infulatus* (4-5). *Et merito quidem.*

14. *Erat enim paterfamilias in propria domo, deferens atque congratulans venerando ac speciali hospiti suo: dignoque honore præveniens amantissimum, cedebat ei libentissime solemnia missarum, ea potissimum die, qua sanctus ille pontifex curiam supernam ingressus, et cœlestibus hymnis primo fuerat honoratus. Unde etium ipse beatus Pater officiosum ac sedulum sese circa eumdem sanctum episcopum, et circa ipsius altaris ministerium, exhibuit. Porro beatus antistes baculo pastorali innixus, defixa lumina versus chorum assidue tenebat. Sanctus vero Bernardus modo episcopum, modo conventum, modo ipsum altare, tanquam sollicitus omnium, respiciebat. Hæc visio tam manifesta eidem famulo Dei vigilanti, et corporeis oculis intenti, visibiliter apparuit, quandiu psalmus unus in eadem hora a conventu percantaretur. Finito itaque psalmo finita est visio, sed in corde videntis deinceps finiri non potuit visionis illius pia devotio.* Hactenus Exordium magnum de una sancti Patris apparitione. Alia, quæ ibidem mox sequitur, his verbis conscripta est, et eidem Guillelmo exhibita.

15. *Altero quoque die apparuit ei nihilominus idem beatus Bernardus, vultu et habitu gloriosus. Quem cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, orans et petens aliquid ab eo. Cui Sanctus ait: Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine mi pater, si inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi, utrum salvus fieri debeam. Et Sanctus ad eum: Nunquid parva res est ista, quam postulas? Hodie cum egrederer de paradiso, quam multa millia hominum foris ad januam reliqui, qui utique istius modi timore torquentur: ignorantes utique, utrum amore, an odio digni habeantur. His itaque præmissis, dedit ei responsum super verbo, quod imploraverat. Sed quid ei definite responderit, incertum est nobis: quia vanæ gloriæ pestem vitans, hoc nobis indicare noluit. Erat enim vir ille circumspectus, et gravis in locutione, multumque cavebat, ne quid diceret, quod suam ipsius gloriam redoleret. Verumtamen ex fiducia sermonis, et vultus illius hilaritate, satis dabatur intelligi, quia jucundum a sancto Patre super tali verbo responsum acceperit.*

16. *Iste est Guillelmus, quem supra* (distinctione 2, cap. 22), *memoravimus, spiritum fornicationis in specie phantasticæ meretricis vidisse infirmitorium curiose circumeuntem, et ex iis, quæ ab ea audierat et viderat, D. Roberto, abbati Claravallis, apostasiam duorum adolescentium prædixisse: quod etiam verum fuisse, fœda eorum fuga incontinenti subsecuta demonstravit.* Porro Guillelmus iste, *priusquam Cisterciensium ordini se contulisset, multo tempore vixit in monasterio Sancti Albini Andegavensis,* ut dicitur in principio citati capitis 14, in quo plura alia de eodem legi possunt. In Menologio Cisterciensi apud Manriquez refertur cum titulo *beati* ad diem 19 Novembris, et vocatur *S. Bernardi discipulus.* De duabus autem, quæ modo sunt datæ, apparitionibus, legi potest Herbertus lib. 1 de Miraculis, cap. 4.

17. Laudatum Exordium distinctione 4, cap. 33 aliam commemorat apparitionem: *Erat*, inquit, *in Claravalle conversus quidam religiosus, nomine Laurentius... vir... spiritualis et devotus in omni conversatione sua, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia jugiter insistens: ita ut per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachiæ corpora in secretario diu noctuque servaret, vix unquam aliqua hora posset ibidem aliter inveniri, nisi semper orationi incumbens, et diuturnis fletibus pavimentum rigans... Post transitum autem B. Bernardi contigit, ut idem frater a domno Philippo, venerabili Claravallis priore, ad regem Siciliæ Rogerum mitteretur, pro negotio ejusdem ecclesiæ. Qui cum Romam fuisset ingressus, comperto, quod idem rex nuperrime mortuus fuisset, consternatus est animo: et quid in*

(4-5) *Mitratus* et *infulatus* nonne passim sunt synonyma? Quomodo igitur hic distinguuntur? Suspicor scriptorem indicare voluisse, S. Malachiam apparuisse tectum mitra, e qua deorsum vittæ utrimque pependerint; *Bernardum* vero mitra sine istis vittis. Sunt enim, qui ab *infero* vel *infra*, vocem infulæ derivari putarunt, *propter vittas. quæ inferius ex ea pendent*; sicut indicatur in Etymologico linguæ Latinæ apud Vossium.

Digitized by Google

tali articulo facere deberet, prorsus ignorabat. Et recordatus sancti patris sui Bernardi, sub quo pro diversis negotiis frequenter missus prospere ibat et redibat, cum gemitu et lacrymis multis conversus ad orationem, cuidam sanctum Dei invocabat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus, ut quid dereliquisti nos? Heu me, Pater sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus et misellus, ego omni consilio et auxilio destitutus?

18. *Te vivente, et te jubente securus procedebam ad terras et ad nationes diversas, et ubique recipiebar ob gratiam tui, nimirum deferens salutationes et litteras tuas, quas reges et præsules cum cæteris omnibus tanquam cælitus missam benedictionem suscipiebant, et eulogiis tuis nobiliores quique se nobilitari gaudebant. Nunc autem, te defuncto, defuncta est tecum pariter et gratia mea: nec erit jam, qui peregrino et inopi manum porrigat adjutorii. Et, ecce, mortuus est rex, qui te sincero diligebat affectu: surrexitque filius pro eo, puer qui te forsitan ignorat. Quem adhuc jam longe remotum si adire voluero, et repulsam ab eo pati contigerit, inconsolabilis mihi erit dolor, post tanti laboris et longissimi itineris defatigationem, infecto redire negotio: qui, te vivente, bonis omnibus cumulatus in Claramvallem tuam redire solebam.*

19. *Si vero incontinenti reversus negotium intentatum reliquero, torporis et insipientiæ argui pertimesco. Porrige, precor, auxilium, præbe consilium indigenti: et ne despicias gemitum servuli miserandi. Eadem itaque nocte apparuit ei idem beatissimus Pater, et magnifice consolatus est eum, dicens: Quid tibi visum est, frater, ita de Dei misericordia et mea intercessione diffidere? Quando enim, vel ubi sensisti defuisse tibi adminiculum meum in necessitatibus tuis? An forte impotentiorem me modo autumas, quando jam introductus sum in potentias Domini, quam olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo securus, quia prospera cuncta evenient: et in hoc ipso scies, quia ego te miserim. Hæc et alia plurima sancto loquente, frater ille præ nimio pietatis ardore totus in anima liquescebat: et corde ejus immensam parturiente lætitiam, foris quoque devotionis lacrymæ erumpebant.*

20. *Cumque evigilasset, madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum, in quo caput reclinarat, eodem lacrymarum profluvio undique perfusum esse cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de urbe fuisset egressus, reperit cuneum institorum, mercimonii gratia Siciliam adeuntium. Qui cognoscentes eum esse de Claravalle, mox eum in suo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, et quæque necessaria gratis quotidie ministrabant. Tandem ingressus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus. Et non solum de negotio, pro quo fuerat ad patrem destinatus, prosperum eventum obtinuit: verum etiam rex, apertis thesauris suis ad ædificationem novæ basilicæ Claravallis, pro ejusdem patris sui anima non modicam auri summam per eumdem fratrem magna devotione transmisit.*

21. *Reversus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis cardinalium, aliorumque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam, largientibus vis, ex Urbe usque ad decem bubalos educeret: quos non sine ingenti omnium stupore, Deo se protegente, sanctique Patris sui meritis patrocinantibus, Claramvallem usque perduxit . . . Factum est autem, ut transire cogeretur per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant; quorum manus nullus immunis evadere poterat, nisi forte qui viribus prævalebat. Mane vero jam rutilante aurora, cum de aliquo prato, in quo cum animalibus pernoctarat, egrederetur, rogavit attentius Dominum, sanctumque Bernardum, ut ab imminenti periculo erueretur. Et, ecce, apparuerunt ei procul quasi duo viri obviam venientes, et singulos cereos accensos in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquantes, cum jam pene ad ipsum pervenissent, subito ab oculis ejus evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque illum diaboli nidum, illico sistitur, atque ad prædam diripiendam undique accurritur. Nutu vero Dei supervenientes eadem hora quidam honesti viri, cum eum Clarævallensem esse cognovissent, de manibus irruentium liberarunt, et cum suis omnibus abire fecerunt*, etc.

22. Quænam sint gesta Bernardum inter ac Rogerium supra memoratum, narrat noster Commentarius prævius § 27. Verum, quæ modo relata sunt de itinere, quod Laurentius suscepit, ut cum eodem Rogerio ageret, non cohærent cum chronologia. Nam in sententia Baronii, qui mortem Rogerii affigit anno Christi 1152, quomodo fieri potuit, ut S. Bernardus isti fratri religioso appareret tamquam vita functus, qui anno proximo duntaxat fuit mortuus? Quomodo item conversus ille *per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachiæ corpora in secretario diu noctuque servaret?* etc. Si autem cum Pagio Rogerii mortem differas ad annum 1154, ubi num. 4, de eadem ex professo tractat; sic quidem tollitur difficultas prima; sed manet secunda. Hinc tamen non sequitur, ut superioris apparitionis historia sit falsa: cui medela affertur, si τὸ *per plures annos* expungas, quæ circumstantia intrudi huc facile potuit ab incauto aliquo, vel imperito descriptore aut interpolatore. Quod attinet ad *ædificationem novæ basilicæ Clarævallis*, de qua supra; tomo IV Galliæ Christianæ, col. 129, in Guichardo archiepiscopo Lugdunensi, hæc de eo extant: *Præsens fuit ecclesiæ Clarævallensis dedicationi anno 1174.* Sed de illius dedicationis anno videri etiam potest noster Commentarius prævius § 61, num. 676.

§ II. *Duobus monachis Claravallensibus apparet, et eorum apostasiam impedit; adolescentulum quemdam in proposito monastico confirmat; incendium comprimit; morti proximo se videndum præbet; et alteri ægroto.*

23. Herbertus lib. 1, cap. 28, narrat monachum Cla-

Digitized by Google

ravallensem, qui a proposito resilire cogitabat, visis per quietem S. Malachia et S. Bernardo, cujus baculo contundebatur, ad sanam mentem rediisse. Proferamus Herberti verba : *Quidam de fratribus Claravallensibus, cum instinctu diabolico in mente corruptus esset, ut jam ad sæculum apostatare disponeret, vidit in visu noctis B. Bernardum sanctumque Malachiam in dormitorio deambulantes, et eos, qui ibi pausabant, visitando benedicentes. Qui cum in ordine visitationis, ad ejus lectulum devenissent, ait sanctus Malachias, Homo iste perversus nihil omnino boni in corde versat ; sed diabolo suadenti jam dedit assensum, ut ad vomitum sæculi proxime revertatur. Quo audito, B. Bernardus dixit ei : Tu ergo fugere quæris ? Et quo fugies, miser, a facie Domini ? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitasti. Neque enim delectabit te amplius fuga, quando jam evaseris de manu mea.*

24. *Et his dictis, cœpit eum crebris ictibus tundere baculo, quem tenebat, et ait : Ecce stipendia quæ mereris. Surge nunc, et fuge, si poteris. Evigilans itaque frater, invenit se tunsionibus illis ita dolentem atque confractum, ut in infirmitorium ductus, lecto detineretur. Qui, accersito priore, confessus est malitiam quam intenderat, et pœnam, quam inde pertulerat : acceptaque pœnitentia perfecte resipuit, non apprehendit eum ultra desiderium fugiendi.* » Ibidem cap. 31, consimilis argumenti apparitio refertur in hæc verba :

25. *Alius quidam ejusdem cœnobii frater, vir honestus et religiosus, mihi de seipso narravit, cum verecundia tamen, quod scilicet in primordio conversionis, cum anxie stimularetur a spiritu fornicationis, deliberavit animo cedere tentatori, et, projecto religionis habitu, ad sæculum reverti. Qui dum jam opportunitatem recedendi sollicite aucuparetur, astitit ei per visionem B. Bernardus, paulo ante defunctus ; increpans illius socordiam, et arguens super iniquitate, quam mente conceperat, et actu perficere satagebat. Cui cum ille respondisset sese diutius reluctasse [immo reluctatum esse], et jam tentationis violentiam ferre non posse, ait sanctus ad illum : Scito prænoscens, quoniam adhuc multa certamina te manent. Sed age viriliter, et noli deficere : quia Dominus aderit tibi, tanquam adjutor in opportunitatibus, ut eruat te.*

26. *Unde polliceor tibi, quod, si in ordine usque in finem perseveraveris, salvus eris. Quod si forsitan aliquis tibi nocere tentaverit, in die novissimo ego respondebo pro te, et animam meam pro anima tua ponam. Hac ergo pollicitatione frater ille corroboratus, deinceps a stabilitate sua moveri non potuit : qui etiam nunc in ordine complens annum quinquies quinum, viriliter usque hodie decertat, multaque victoria jam protinus, salutem repromissam certius opperitur.*

27. Idem auctor lib. II, cap. 9, agens de quodam adolescentulo Alemanno, qui in Claravalle ad vitam monasticam mirabiliter conversus, egregia sanctitate, et divinis manifestationibus claruit, factum refert in rem nostram, quod vivente sancto Patre accidit. Excerpo sequentia : *Egregius quidam adolescentulus de partibus Alemanniæ oriundus, studiorum gratia, comitante didascalo suo, Parisius adibat. Qui cum transitum haberet per domum Claravallensem, magister ille videns loci conventum et ordinem, nescio quo Dei judicio compunctus ad horam, petiit et obtinuit, ut susciperetur ad conversionem. Cumque rogaret adolescentulum ut secum remaneret, penitus non acquievit : multum siquidem abhorrebat a consortio, etiam et colloquio Cisterciensium monachorum ; sæpiusque rogaverat Dominum, nunquam sibi dari ad ordinem illum velle converti. Proinde roganti magistro et fratribus monasterii adhortantibus eum, dura cervice resistens, nullis prædicationum machinis poterat expugnari. Eadem igitur nocte, dum eorum monita mente revolveret, facta est vox divinitus ad eum, dicens : Si hinc recesseris, et Parisius veneris, usque ad Pentecosten morieris, et sine dubio morieris. Ad hanc itaque vocem juvenculus ille multum obstupuit : necdum tamen potuit duritia cordis illius emolliri.*

28. *Porro sequenti nocte, cum sopori membra dedisset, videbatur sibi esse demersus in limo putei profundi. Cumque desperatus ibidem jaceret, subito apparuit desuper ad horam* [l *oram*] *putei beatus Joannes Evangelista, in vultu et habitu beati Bernardi, cum alio quodam sancto, cujus nomen excidit mihi : qui et ipse simillimus erat cuidam religiosissimo viro, nomine Gerardo, portario Clarevallensi. Quos cum ille vidisset, rogabat obnixius ut sui miserentur. Cui B. Joannes respondit : Tu sano consilio acquiescere contemnens, opem flagitas a nobis ? Cumque ille promitteret se facturum quidquid ei placeret ; Vis ergo, inquit, fieri monachus in monasterio Clarevallensi ? Etiam, domine mi ; libentissime volo. Quod cum firmiter pollicitus esset, sese citius impleturum, protinus eductum de profundo liberum abire permiserunt.*

29. *Mane igitur facto, postulavit præsentari quantocius B. Bernardo, quem cum antea non vidisset, continuo illum in vultu et habitu deprehendit, ipsum esse pro certo recognoscens, quem in nocte transacta, sub conditione convertendi, liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer atque compunctus, protinus eidem sancto viro se reddidit, a quo benigne receptus, mox in ætate teneriori, gravitatis et sapientiæ canos, cunctis mirantibus induit.* Alia, quæ ibidem de illo exstant, manifestationum charismata, non sunt hujus loci. Ad majorem tamen historiæ, quam modo referebamus, fidem conducit allegati capitis clausula, qua Herbertus rem confirmat : *Hæc*, inquit, *omnia, quæ superius retuli, aliaque quamplurima, quæ licet magna existimem, tamen brevitatis amore reticui, ab eodem Dei famulo arcana relatione cognovi : ea videlicet conditione, ut usque ad obitum ejus, apud me secreta tenerentur. Sed quia jam, vocante se Domino, expletis in ordine annis 26 quam sinceriter vixit, tam feliciter obiit, ego solutus a modo*

Digitized by Google

pelliciti hujus, præfatas revelationes; in quibus non modice consolatum fuisse me memini, ad aliorum æque solamen præsenti paginæ intuli.

30. Apud Manricum tomo IV Annalium Cisterciensium in Appendice, inter ea quæ pag. 659, num. 13, exstant ad annum 1592, habetur sequens apparitio. *Mense Augusto, in die Parentis Bernardi, saltus novalis miserabiliter conflagravit, præsentibus abbate, et majori parte conventus sancti Petri de Eslonza Benedictinis, qui venerant cum nostris, sancti Patris solemnia celebraturi. Vulgavit fama apparuisse cuinam ex ipsis utrumque Parentem, nimirum Benedictum, Bernardumque, atque flammas grassantes compressisse, ne ultra procederent: cum, aere in contrarium impellente, nihil non absumpturæ timeri possent.* Nota, quod *saltus novalis* in ista Appendice pag. 602, num. 18, *in regno Legionensi, diœcesique* signetur.

31. Herbertus lib. II, cap. 29, mira quædam narrat de Gérardo de Farfa, admirandæ pietatis, et sanctitatis eximiæ sene; quibus subdit ista: *Huic autem viro jam posito in extremis beatus Bernardus angelico vultu et vestibus albis decoratus apparuit, in ea tamen constantia et habitudine corporis, qua ante obitum fuit. Quem cum ille inspiceret ad se ingredientem, et veteranos ac venerandos artus baculo sustentantem, manu ac voce, qua poterat, suis servientibus innuit, ut Sancto venienti assurgerent, et locum sedendi citius præpararent. Illis vero mirantibus ac quærentibus de quonam sancto ille loqueretur, premente se ægritudine non poterat respondere. Postmodum vero recepta virtute loquendi, cum idipsum denuo sciscitarentur, confessus est se vidisse beatum Bernardum blando ipsum alloquio consolantem. Qui cum benedixisset eum, benedixit etiam totam domum, subjungens hæc eadem verba, et dicens: Hæc est domus mea, quam ædificavi. Dominus custodiat eam in æternum, et in sæculum sæculi.* De Gaufrido Sorensi episcopo, qui, dum gravi ac pene a medicis desperata gutturis molestia laborabat, a viro sancto sibi apparente sanatus est, legi potest Herbertus lib. III, cap. 10.

§ III. *Tribus vicibus se manifestat cuidam fratri; apparet item B. Mariæ Ogniacensi; alteri prædicit cœlestem gloriam; Ascelinæ mortem; mira libri miraculorum inventio, ac monachi litteratura.*

32. Prædictis apparitionibus addi possunt aliæ tres, quæ narrantur in Exordio magno Cisterciensi, distinctione 4, cap. 7, his verbis: *Frater quidam de Ordine Regularium canonicorum, cum esset proficiendi avidus atque charismatum meliorum æmulator, desiderabat desiderio magno beati Bernardi magisterio subjici, et Clarævallensium collegio sociari, licet hoc, ipso sancto Patre vivente, consequi minime potuerit. Quo decedente, audita fama pretiosæ mortis ejus, consternatus est animo vehementer, miserum se atque indignum clamitans, quod voti sui compos fieri non meruisset. Post autem paucos dies apparuit ei in visu idem venerabilis Pater, quasi strenuus operator, præcinctus ad laborandum in agro latissimo, in quo manipuli triticeæ messis innumerabiles esse videbantur, ex quibus multitudinem magnam in acervum grandem congesserat: reliquis vero, qui supererant, qui etiam multo plures erant, comportandis et coacervandis pertinaciter insistebat. Quod cum vidisset, intellexit illico, congeriem illam manipulorum figuram tenere multitudinis fratrum, quam idem egregius prædicator, quandiu vixit in carne, Christo Domino aggregarat: adhuc autem restare innumeros, qui ejus meritis et exemplis ad salvationis gratiam essent perducendi. Unde multum exsultans, seque unum ex illis fore non desperans, Claramvallem, quam citius potuit, adiit, postulans et impetrans se ad probationem admitti.*

33. Hac itaque sancti viri apparitione frater ille ad tirocinium Claravallense vocatus est: quem vero favorem in eodem acceperit ab eodem sancto, pandit altera illius apparitio, fratri isti facta: *Qui dum ibidem novitius esset, et beati viri memoriam pene incessanter atque insatiabiliter animo volveret; quadam die Dominica circa finem vigiliarium fatigato illi, et modis pluribus afflicto, cœpit obrepere sopor. Et ecce apparuit ei reverendissimus Pater, cujus amore flagrabat, dignanter alloquens eum, et monens de dirigenda ad Deum jugiter intentione, cum quotidiana lacrymarum effusione. Quod si faceret, divinam miserationem, et suam ipsius visitationem securus exspectaret. Et cum ista dixisset, recepit se in tumbam suam, quæ ibidem coram altari beatæ virginis Matris posita erat. Quæ videlicet receptio tam videns fuit, ut frater ille nesciret, utrum dormitans, an vigilans hoc vidisset.*

34. *Cumque aperuisset oculos, et piissimi Patris admonitionem dulci recordatione pensaret, subito iterum apparuit illi jam plene vigilanti, et corporeis oculis intuendum se obtulit. Stabat igitur cominus coram ipso, ita ut manu tangi facile posset: diligenter eum considerans, et quasi explorans, utrum dormiret an vigilaret, more eorum, qui excitant ad vigilias dormientes. Quem cum novitius stupidus et attonitus intueretur, protinus ille, qui videbatur, evanuit: et quod mirum dictu est, visum est illi, quod quasi sensibiliter præcordiis ejus illapsus fuisset. Unde vehementer accensus in amorem Dei et ejusdem beatissimi viri, ad susceptionem novæ vitæ in gaudio et exsultatione spirituali de die in diem instituebatur. Denique sequenti nocte cum vigiliis fratrum similiter interesset, talem ac tantam divinæ visitationis gratiam ibidem expertus est, qualem ac quantam in vita sua nunquam antea senserat; quod totum utique meritis ejus, quem diligebat, se obtinuisse gratulatus est. Cumque per dies plurimos memoriam abundantiæ suavitatis hujus recolendo frequentius eructaret, fundebat ubertim dulces et pias lacrymas, quibus die noctuque satiari non poterat.* Hactenus Exordium magnum Cisterciense; quod de laudati fratris, vestigiis *S. Bernardi* jugiter insistentis, vita ac morte etiam agit.

Digitized by Google

35. Narrat Jacobus de Vitriaco, scriptor Vitæ B. Mariæ Ogniacensis, ei accidisse S. *Bernardi* apparitionem, quam his verbis refert: *Apparuit ei aliquando B. Bernardus, Cisterciensis ordinis Pater et lucerna, quasi alatus, et alas suas circa eum expandebat. Cumque diu cum eo in cancello* [leg. cancello] *ecclesiæ sedisset, et illa, cujusmodi essent hæ alæ quæreret, respondit, quod ipse velut aquila sublimi volatu sublimia et subtilia divinæ Scripturæ attigerat, et multa de arcanis cœlestibus ei Dominus reseraverat.*

36. Herbertus in libris de Miraculis, lib. II, cap. 28, refert sequentem viri sancti apparitionem: *Defunctus est ibi* (actum erat antea de abbatia Domus Dei, filia Clara vallensi) *monachus, ætate quidem juvenis, sed religionis maturitate provectus: de quo etiam asserunt, quod florem virginitatis usque ad mortem, Domino largiente, servaverit. Hic vero spe mirabili confortatus, ita cupiebat dissolvi, et cum Christo esse, ut nihil timere videretur, nisi adhuc a morte differri, et in corpore remanere, multumque doleret, si aliquis ei commeatum vel promitteret, vel optaret. In ipsa vero die migrationis suæ apparuit ei beatus Bernardus cum supradicto F.* [*id est* Francone], *qui dixit ad eum: Frater Bernarde* (*sic enim juvenis vocabatur*), *ecce, adduco tibi sanctum Patrem nostrum Bernardum, ut te in manibus illius reddam. Beatus vero Pater clementi dextera suscipiens eum, ait illi: Hodie mecum eris in paradiso. Et his dictis evanuerunt. Tunc monachus ille, quæ viderat et audierat, fratribus indicavit, atque subjunxit: Si usque in crastinum vixero, non eum vera locutus: quod si hodie migravero, fidem faciat dictis ipsa migratio. Defunctus est itaque frater in ipsa die, ut perficerentur in eo omnia quæ dicta fuerant illi a sancto Patre.* Historiographus Cisterciensis ad annum 1195, cap. 3, num. 7, virum sanctum *transitus sui nocte* apparuisse Ascelinæ, ac mortem ei suam denuntiasse commemorat. Porro *Ascelina virgo in Gallia, S. P. Bernardi secundum sanguinem neptis, secundum spiritum discipula*, cum titulo beatæ memorari *ab Henriquez in Appendice Menologii Cisterciensis*, diximus inter Prætermissos ad diem 18 Maii; cujus cultus examinari poterit ad diem 25 hujus mensis Augusti.

37. Joannes Eremita, qui S. *Bernardi* vitam conscripsit, in epistola, quæ primo loco Vitæ eidem præfixa est, et apud Mabillonium recusa volumine II, mirabilem hanc refert apparitionem col. 1279. *Monachus quidam, venerandi abbatis verax dilector et sincerus, forte cum quodam laico fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-vallensi deambulabat, librum miraculorum sancti Patris tenens in manibus; exponens ea secundum idioma Romanæ linguæ, tam suæ, quam illius ædificationis causa. Contigit ergo eos, modicæ pausationis gratia, consedere sub arbore piro, secus viam per quam quotidie vadunt et veniunt laborantes in horto. Cumque non post modicum tempus consurgerent, supradictus monachus, oblivione subripiente, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit.*

38. *Abiit itaque, et regularis disciplinæ studiis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, et quando perdidisset illum, nullam omnino spem recuperandi concipiens* (*tum quia prope viam dimiserat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiamsi reperiretur, nihil amplius quam perditum valere crederetur*), *post aliquantum tempus ab illius inquisitione cessavit: imo etiam penitus desistere visus est; maxime tamen contritus, quod per negligentiam suam miraculorum sancti viri volumen amisisset.*

39. *In hunc modum transigens unum circiter mensem, cum post modicam per hortum deambulationem, sub arbore prædicta resedisset, non tamen proposito quærendi, vel spe recuperandi quod perdiderat, miro et inaudito modo librum, tanquam ab aliquo conservatum, et tunc de recenti, et ex industria juxta se positum, subito in medium proferri miratus est. Et ut mirabilius esse credatur, quod contigit, tam charta, quam scriptura adeo sana et incorrupta permanserat* (*nisi quod pauculis guttis exterius experimentum respergi videbatur*), *ac si cum cæteris libris in bibliotheca liber idem fuisset repositus. Quid super hoc audientibus visum fuerit, nescio: ego autem pro parte mea asseverare non dubito, rem talem, tamque insolitam, nequaquam sine miraculo contigisse, quod siquidem beati viri meritis adscribere et ratio persuadet, et veritas compellit.*

40. *Nocturni temporis silentio, cum post fatigationem diurni laboris, modica repausationis gratia recubuisset in lectulo, apparuit ei vigilanti vir venerabilis, amictus stola nivea, et staturæ mediocris, ætate grandævus, crine candidus, angelica facie reverendus. Is in manibus suis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad fratrem supra memoratum, porrexit ei utrumque, dicens: Accipe, vide, et lege. Qui repentinæ visionis horrore* (*sicut fieri solet*) *attonitus, securitatem tamen ex affatu benigno, aspectu tranquillo, vultu quoque angelico sumens, respondit. Domine Pater, nescio litteras. Simplex et illitteratus quomodo legam? Ac ille: Fili, noli timere. Ecce Dominus tecum est, et docebit te, et, me intercedente, bene erit tibi. Hujusmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit et legit; mirans et obstupescens in semetipso, quonam modo id fieret. Persona deinceps assistens, quasi alterum volumen secum deferens, alterum fratri relinquens, vale faciens ei data benedictione disparuit.*

41. *Quid igitur? Mirabile quidem dictu est quod dicemus. Quid enim mirabili hoc mirabilius? Fratrem novimus omnes quotquot sumus: laicus quidem erat paulo ante, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, et quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut*

Digitized by Google

non solum legere, verum etiam cantare satis decenter et convenienter sciret. Exinde tam usu, quam gratia cooperante, dictionum significationes aliquantum intelligere cœpit, et in hujusmodi scientia paulatim proficere. Visionem itaque supradictam scripsit in spe adjutorii divini, et subventionis beati viri, quem credimus ei apparuisse. Nonnulla miraculorum ipsius, quæ vel scriptoribus ignota, vel per negligentiam fuerant prætermissa, tam decenter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut subinde rapti in admirationem, dicamus cum propheta David : A Domino factum est illud ? et est mirabile in oculis nostris. *Quis ergo neget, hoc miraculose factum esse? Quod apertius, quod evidentius miraculum? Ascribimus igitur in primis gratiæ Dei; illud attribuimus deinde meritis sancti, assignamus denique fidei et obedientiæ fratris.*

§ IV. *Aliquot viri sancti vaticinia.*

42. Tametsi in nostro commentario prævio ad S. Bernardi Vitam, ac in Vita ipsa contineantur tot et tanta vaticinia, quibus liquidissime probatur, virum sanctum, præter alias eximias prærogativas in hoc genere summum mereri nomen : non ita tamen hæc materia ibidem exhausta est, ut non supersint exempla nonnulla, quorum notitia lectorem meum privari nolim. In Itinere litterario, de quo superius cap. 1. num. 9, actum fuit, parte 2, p. 201, narratur sancti abbatis nostri prophetia qua, dum Villarium venisset, ut ibidem monasterium fundaret, et in monte esset (monasterium quippe duos inter montes situm est) baculum suum plantasse dicitur in terra, et prænuntiasse : *In hoc loco salvabuntur multorum animæ* : baculum vero illum, jacta radice excrevisse in arborem quæ superstes fuerit in annum usque 1697, eodemque tempore, quo Thomas abbas, emortuam esse. Quæ res materiem dedit quatuor hisce pangendis versibus :

Villaria quondam tellure recondita phœnix
Emorior pariter, commoriente Thoma.
Quinque et dimidium lustravi sæcula et annum
Quo Bernardi me dextera sacra sevit [f. *serit*].

43. Vir sanctus tironi cuidam prænuntiasse diem mortis perhibetur in Exordio magno ordinis Cisterciensis distinctione 2, cap. 12. *Invenitur etiam in gestis hujus beati viri, quod adhuc in carne degens novitio cuidam in Claravalle graviter ægrotanti, cum multitudine monachorum in spiritu apparuit, prædicens ei quod quinta die foret moriturus : et quod in ipsa quinta die, sole jam ad occasum vergente, visitans eum, jussit considere et nihil timere : sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum Christum, et offerre ei humilem suæ Clarævallensis familiæ salutationem. Ad quam vocem novitius, qua potuit capitis inclinatione, et motu annuens labiorum, clausis oculis eadem hora obdormivit in Domino.* Et sane observatu digna sunt, quæ memorantur ibidem in eodem Exordio cap. 14, de tironibus quibusdam, ad abbatialem dignitatem, ne vel uno quidem eorum excepto, sicut prædixerat sanctus Pater, evectis. Factum audi.

44. *Ad benedictionem hujus sancti Patris quidam aliquando novitii ejus, veterem hominem cum actibus suis exuentes, novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis induerunt : de quibus vir beatus, in spiritu Dei loquens, prædixit, omnes eos gratiam spiritualis dignitatis adepturos, et nomen et officium abbatis sortituros. Cumque, succedentibus annis, temporibus opportunis, in singulis eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur; unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suetia ad domum Novævallis abbas sanctus direxerat, post obitum ipsius per annos quamplures usque ad senectam, imo pene decrepitam ætatem, absque hoc munere gratiæ vixit, eo quod simplicioris esset naturæ, et ad tantum officium administrandum minus idoneus existimaretur. Sed quid ? Numquid vel in extremis finibus mundi latens, vel gravioris ætatis incommoda sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere potuit, quo minus impleretur de eo, quod per eos prophetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto ante prædixerat ?*

45. *Denique post tanti temporis spatium, cum jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc columbinæ simplicitatis homine Pater reverendissimus prædixerat, accidit, ut fratres de quadam domo Novævallis in insula, quæ Godandia* [*Gotlandia*] *dicitur, sita, destituti pastore, secundum generalem consuetudinem ordinis, ad matrem suam recurrerent, quatenus per providentiam et sollicitudinem patris abbatis, domui ipsorum dignus dispensator constitueretur. Et, volente Domino, sine cujus nutu nec folium arboris, nec unus passer in terram cadit, tam patri abbati, quam cæteris, qui electioni intererant, placuit, prædictum senem in hanc partem sollicitudinis assumere, ut tanto fiducialius de pietate Dei, sanctissimique Patris sui meritis confideret, quanto humilius de sua insufficientia diffideret. Quod ubi factum est, et verbum, quod olim sanctus prædixerat, ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est; mirati sunt universi, qui audierunt dicentes, promotionem tam senis et simplicis hominis, ad hoc tantum divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus, quæ per spiritum prophetiæ locutus est homo Dei, unum saltem iota, vel unus apex incassum prolata viderentur.*

De laudato Petro agitur apud nos in Prætermissis ad diem 10 Junii. *Gothlandia* autem insula in mari Baltico satis nota est, ita ut non indigeat ulteriore explicatione.

Digitized by Google

CAPUT III.

Supplementum miraculorum.

§ I. *Variæ corporis infirmitates sanatæ; præfixus moribundo terminus mortis; miraculum perperam S. Bernardo Claravallensi attributum; epilepticus cur non omnino curatus; mortuus ad vitam revocatus.*

46. Chrysostomus Henriquez, in Fasciculo sanctorum ordinis Cisterc., lib. I, dist. 4, cap. 51: *Non multis*, ait, *elapsis annis post obitum pii Patris, Gundisalvus abbas Morerolæ, quod est cœnobium ordinis Cisterciensis in Legionensi regno, podagra oppressus, vix doloris acerbitatem sustinere valebat. Summa tamen reverentia et devotione partem aliquam habitus S. Bernardi, quæ in eodem monasterio inter cæteras reliquias servabatur, membris languentibus applicavit, et subito dolor omnis discessit, et integram obtinuit sanitatem. Suerus, abbas Nucalensis, in Hispania, spina piscis, quam incaute deglutierat, et fere strangulatus, et tandem, ingravescente morbo, jam in extremis constitutus, et a medicis derelictus, lecto jacebat. Tunc prior Morerolæ corrigia qua præcingebatur, quamque devotionis causa sepulcro sancti abbatis Bernardi, cum Claravallem visitasset, imposuerat, guttur inflatum infirmi abbatis tetigit, et statim spina descendit, et ab omni prorsus infirmitatis incommodo liberatus fuit, ac proinde a periculo mortis.* Narrat hæc duo miracula Bernardus Britto, lib. III, cap. 29.

47. Mirabilia prorsus sunt, quæ in commentario prævio § 49, narravimus de prodigioso fonte. His vero, quæ ibidem de illo legenda præmisimus, adjunge sequentia ex Joanne Eremita apud Mabillonium, col. 1290. *Fuit vir quidam religiosus, Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is post mortem beati viri ad eumdem fontem perrexit. Cumque eo infirmitatis locum perfudisset, sanus et incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, et omnino sensu privatus, fonte irrigatus sanatus est. Alius per septennium languerat, qui a parentibus ad sanctum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam, Suynus nomine, longe tempore febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit. Quidam vero maxima infirmitate gravatus, cum gustasset de eadem aqua, vermiculus cuidam similis locustæ, per os illius, omnibus videntibus, egressus est, et statim convaluit. Mutus etiam, ut aiunt qui viderunt, ad fontem venit, et loquelam recepit. Hæc multa alia tam a nobis, quam ab aliis visa, quibus non credere impium est, ne forte narrationis prolixitate audientibus fastidium generetur, perstrinxisse sufficiat.*

48. Viri sancti miraculis etiam accenseri potest mandatum ejus singulare, quo obitus cujusdam monachi Claravallensis dissertur. Res gesta exstat apud Mabillonium inter excerpta e magno Exordio Cisterciensis ordinis, col. 1200, et apud Herbertum lib. I De Miraculis, cap. 13, e quo eam transcribo: *Quidam de fratribus ejusdem loci*, cœnobii videlicet Claravallensis, *cum esset positus in extremis, ingressus ad eum visitandum B. Bernardus post Completorium, et videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, ait: Nosti, charissime frater, quia conventus noster modo fatigatus est de labore, et jam postmodum habet ad vigilias surgere.. Quod si te iterum* [*l.* interim] *obdormiente, oporteat illum suam interrumpere dormitionem, nimium vexabitur, et prægrandes vigilias minus celebriter exsequetur. Ut ergo bene sit tibi, et longo vivas tempore super terram, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Christi præcipio, quod usque ad horam divini officii exspectes nos. Cui ille respondit: Faciam Domine, ut imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffrageris. Quid multa?*

49. *Abiit Pater in dormitorium, et frater non obiit ante terminum constitutum. Moxque, ut signum ad vigilias pulsari cœpit, pulsata est tabula, et ille decessit. Quod non modo de illo fratre, verum etiam de pluribus aliis pluries accidit ut uno, pluribusve diebus protelaretur finis eorum ad ipsius Patris imperium et votum.* Porro ut lector norit quid sibi velit pulsata est tabula, Manricus ad annum Christi 1141, cap. 4, num. 6, *usitatissimum*, ait, *in omni Ecclesia olim, in Cisterciensi etiam hodie perseverat, significato decedentium exitu per crebros raucosque tabulæ ictus.* Alia deinde subdit. Sed nos cætera magni nostri thaumaturgi prodigia prosequamur.

50. Inter hæc perperam recensetur apud Mabillonium, col. 1109. *Mira sacerdotis concubinarii, et monachi quondam Clarævallensis, conversio* quæ datur *ex cod. Barbelliano ord. Cist. in diœc. Senonensi* Neque enim ullam in ista conversione partem habuit S. Bernardus noster; cæterum miram illam conversionem sancto abbati Claravallensi etiam tributam invenio apud Horstium lib. VII Vitæ, pag. 77, ex editione Parisiensi, quam allegat.

51. Herbertus lib. II, cap. 20, rem miram memoriæ proditam reliquit de monacho, qui, dum laboret morbo epileptico, per merita S. Bernardi obtinuit ut morbum præsentiens, lecto decumbere, et repentini casus elisionem vitare posset. Recito ejusdem Herberti textum: *Exiit aliquando Pater sanctus ad visitandum fratres suos metentes in agro. Qui quoniam infirmus erat, et pedes ire non poterat, perrexit in asello. Porro monachus quidam cum eo tunc ambulans atque asinum minans, cum ab olim pateretur caducum morbum, subito coram eo in ipso itinere corruit, et cœpit ab eadem epilepsia graviter torqueri. Quo viso, vir sanctus condoluit ei; unde et deprecatus est pro eo Dominum, ut passio illa non apprehenderet amplius improvisum. Igitur æger ex eo tempore usque ad diem mortis, per viginti et eo an-*

Digitized by Google

plius annos, quibus postea supervixit, datum est ei, quod antea non habebat, quodque cæteris epilepticis vix aliquando contingit, quoties ex eodem morbo cadere debebat, per aliquantum temporis spatium præsentire, ita ut opportune posset lecto decumbere, et repentini casus elisionem jugiter præcavere.

52. *Et quidem vir sanctus, qui hoc ei a Domino minus impetravit credimus, quia perfectam illi sanitatem obtinere potuisset, si saluti animæ ejus expedire cognosceret. Sed quoniam ille homo gravis moribus ad portandum, et duri admodum cordis erat, cui salvando et virga correctionis, et baculus consolationis semper necessaria videbantur; concessum est ei misericorditer, ut subitanei casus periculum præsciendo jugiter declinaret, et salutiferi morbi stimulo non careret.*

§ II. *Mortuus ad vitam revocatus.*

Tissierius in Exordio magno ordinis Cisterciensis, distinctione 2, cap. 19, narrat miraculum, quod inter alia primæ notæ merito adnumerari debet. Factum audi, his verbis descriptum ibidem: *Terram Jerosolymorum tempore quodam occupantibus Saracenis, beatus Bernardus, cujus animam christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat, circumquaque discurrens, ad ulciscendam Salvatoris injuriam, et ad expugnationem gentis incredulæ, turbas fidelium non verbis tantum, sed signis et virtutibus hortabatur. Accidit autem, eum in Alemanniam devenire, et egredientem die quodam de Friburc, oppido memorabili in partibus Brisgaudiæ constituto, a quodam Henrico viro nobili, et adhuc juvenculo, ad quamdam mansionem ipsius, ubi erat, in vespera pernoctandum deduci, copiosa multitudine eum sequente.*

53. *Cum autem idem Henricus, accepto jam crucis signaculo, non equitare, sed pedes proposuisset incedere, donec, expensarum apparatu collecto, propositæ peregrinationis iter arriperet* (6). *Ascenso igitur equo, secutus est eum protinus abeuntem. Videns hoc et invidens quidam vir Belial, serviens ejusdem Henrici, homo totius pravitatis amator, et boni totius incredulus, in servum Dei ait: Ite modo, et diabolum illum sequimini, et ipse vos diabolus apprehendat. A latere vero duæ mulierculæ venientes, inter se deportabant tertiam, pedum et quorumdam membrorum destitutam officio et contractam: virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmæ, et bajularum angustias, curationis optatæ remedio relevaret. Porro Henricus hanc intuens et misertus: Ægram, inquit, super collum equi mei mihi porrigite, et vos ad servum Domini properantes subsidium implorate.*

54. *Præfatus ergo serviens ad hoc pietatis opus domini indignans et impatiens usquequaque, ipsum invectione arguit acriore, quasi ad incantatorem et maleficum, et mentium eversorem, esset miseram deferre laturus. Cui Henricus: Non, inquit, sed defero ut ad benedictionem viri Dei recuperet sospitatem: et ex certissima salutis ejus fiducia tibi polliceor, quod si eam non sanaverit, equum cui insideo tibi dabo. Verbum igitur hoc ille gratulanter et gratanter accipiens, tota diffidentia faciendæ virtutis risit pariter et irrisit, tam de curatione diffidens, quam de adeptione equi prægaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, et desideratam sibi benedictionem illius adepta, illico surrexit incolumis, alieno jam, sicut hactenus, ministerio non gestanda.*

55. *Viso hoc serviens sæpefatus in impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore, festinavit, et conversus in faciem viri Dei, quidquid nequius vel turpius, aspirante Satana, concepisset interius, in ipsum, toto conamine maledicens et convicians, jactitabat. Verum, ultione Domini protinus occurrente, ipse retro corruit resupinus, et cervice collisa spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore percussus Henricus, casum hunc lugubrem, et occasum nuntiavit abbati, supplicans, cum paululum processisset, ut ad tam triste spectaculum remearet. Dicente quoque eodem Henrico: Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse, et contumeliosus, non timuit: Heu! inquit Dominus, ut propter me quispiam moriatur.*

56. *Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit: et ad longitudinem unius* Pater noster, *super eum silenter oravit; et mox præcepit astantibus, illum erigere; qui erectus, utpote jam defunctus, caput carens cervicis suffragio quaquaversum agebat miserabili circumflexu. Rursusque ait: Tenete, tenete firmiter ei caput. Demum appropians, et saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens, et consignans, In nomine Domini, ait surge. Et iterum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Deus tibi spiritum tuum reddat.*

57. *Ille vero, recepto mox spiritu, factus est in animam viventem, vel potius redivivam: mirantibus præ gaudio, et in cœlum voces ac laudes attollentibus universis, qui aderant et viderant tam manifeste quam miraculose mortuum revixisse. Interrogatus denique ab eodem sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum: Domine, ait, modo quo jusseris vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. Ab astantibus etiam requisitus, utrum esset jam mortuus, Mortuus, inquit, eram, et sententiam damnationis acceperam: ac nisi abbas sanctus festinasset accurrere, irrevocabiliter eram ad inferna ducendus. Ad exhortationem quoque quorumdam astantium, crucis accepit signaculum, et cum cæteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo et beato Bernardo se reddidit, et in Claravalle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus Vitæ*

(6) In notula marginali apud Tisserium dicitur sensus hoc loco esse imperfectus. Forte desiderantur illa, quæ proxime sequuntur in nostro apographo e Ms. S. Matthiæ: *Sanctus abbas nihilominus in equo secum comitari præcepit.*

Digitized by Google

sancti Patris esse notissimum; deprehenso, tandem fuisse silenter omissum, indoluit: et ad gloriam Dei et sancti sui, juxta quod præsentanee fuerat contemplatus, narravit: ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat et intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura. Hæc ibi: Historia ista etiam exstat apud Horstium ac Mabillonium, lib. VII Vitæ, cap. 19.

58. Habemus apographum, quod *ex monasterii S. Matthiæ prope Treviros, post libros de Vita S. Bernardi* desumptum notatur, cui etiam sequens præfigitur titulus: *Gloriosum miraculum a quodam monacho Claravallensi cum sequentibus conscriptum, quomodo S. Bernardus mortuum resuscitavit, quæ in Vita omissa sunt.* Quæ in isto ecgrapho sequuntur post hoc miraculum, prætermittimus; sed notamus superiorem historiam ibi etiam notatam esse. Miramur interim adeo illustre ac primæ classis miraculum non inveniri inter alia innumera, quæ summa cum fide ac diligentia scriptores omni exceptione majores annotarunt, ut supra vidimus, quando sanctum thaumaturgum, populos Germaniæ classico sacro cientem ad expeditionem orientalem, comitabantur, et quæ patrabat miracula, accuratissime observabant. Consuli interim possunt, quæ habentur in Commentario prævio § 40, n. 428, de mortuo ad vitam revocato per sanctum, in Germania prædicantem, ex *libro Miraculorum domni Herberti:* apud quem tamen in editione Chifletii hoc miraculum non invenio; ac proinde non est mihi exploratum, idemne cum superiore, an aliud sit.

§ III. *Modus mirabilis, quo pater sancti Bernardi conversus dicitur, secundis curis expensus; plaustrum, fracto axe, longius promotum; caducus Humberti morbus sanatus; alter in Spiritu et in corpore adjutus*, etc.

59. Patrem S. Bernardi ad monasticum institutum, relicto sæculo, transiisse retulimus in commentario prævio, § 8. Modus autem mirus, quo illa res accidisse, ibidem narrabatur e Vincentio Bellovacensi, et cujus locum unum non convenire cum altero, observabatur; modus, inquam, mirus ille habebat aliquid, unde Manrico et mihi displiceret. Notabam etiam, quod nihil de eo scriptum reliquisset Guillelmus biographus. At modum hunc magis probabilem faciunt ea, quæ leguntur apud P. Jacobum Eckard in Scriptoribus ordinis Prædicatorum tomo I, pagg. 188 et 189, inter scripta F. Stephani de Borbone, vel de Bellavilla, qui floruit proximo post Bernardum sæculo, Christi decimo tertio. Quanquam autem in dicto Commentario prolati sunt loci duo ejusdem, qui supra, Vincentii de hac conversione, quorum uterque est fere consimilis ei, quem Stephanus memoratus de illa refert; ejusdem tamen Stephani narrationem, ut cum Vincentiana conferri possit, quia brevis est, huc etiam transcribendam duxi. Stephanus itaque rem gestam, ejusque adjuncta sic memorat:

60 *Audivi*, inquit, *quod, cum B. Bernardus Clarevallensis convertisset omnes fratres suos, et fecisset eos monachos, solo patre magis indurato in sæculo manente, venit ad villam suam, et prædicans ibi juxta truncum antiquissimum in præsentia patris sui, cum videret ejus duritiam, præcepit hominibus qui in circuitu trunci sicca ligna apportaverant, ut ipse eis mandaverat, ignem succenderent: quo facto, ligna sicca cito succensa sunt, et truncus tarde circa medium, ab extremis emittens humorem fœdum et fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incepit sanctus loqui de pœnis inferni. Patri dixit, quod ipse esset similis illi trunco, qui non poterat igne divino succendi, nec flere peccata sua, nec suspirare ad Deum, sed ipse in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, fleret, et fetentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater dictus compunctus, cum secutus est, et monachus factus est.* Et ad majorem facti confirmationem subdit Stephanus: *Hæc audivi in loco ipso, ubi prædicatio facta est, a D. Calone, domino de Fontanis pronepote B. Bernardi, in loco nativitatis suæ, Fontanis dicto.*

61. In nostra apographo e ms. Aureævallis, de quo meminit commentarius prævius § 2, num. 21, et cujus exemplar, sicut colligo ex ejusdem principio ac decursu, idem illud est, vel simile cum eo, e quo desumpta sunt excerpta, quæ sub nomine Gaufridi exstant apud Mabillonium; in nostro, inquam, apographo, *auctore*, prout eidem prænotatur, *discipulo, Parisiis a S. Bernardo ad ordinem converso*, res mira narratur in hunc modum: *Factum est in primis annis, messis tempore, venerabilis Bernardus loquens cum fratre quodam, sedebat in descensu nemoris, quod ministerio illi* (actum erat proxime de Claravallensi) *quod nunc est, in excelso supereminet monte: ecce vero coram ipso fractum est plaustrum, quod oneratum manipulis fratres laici, bobus trahentibus, deducebant. Fractus est autem axis, ita ut vix transversi digiti spatio cohæreret. Turbati itaque fratres conqueruntur abbati super gravi damno, quoniam manipulos jamjamque cadentes quomodo in grangiam possent deducere, non habebant. At ille, facto eminus signo crucis; in nomine, inquit, Domini, ite usque in aream. Erat autem grangia longius posita a loco isto ut vix posset abinde vox clamantis audiri. Cumque in aream pervenisset carrus, tanquam completo jam obedientiæ ministerio, qui prius cadere prohibebatur, confracto axe, cecidit in ipsa hora. Quo facto valde consolati sunt fratres.*

62. In laudato mox ms. referuntur ista: *Illud quoque quod de viro reverendissimo Humberto, postmodum abbate Ignacum* [fort *ad Igniacum* vel *Igniacensi*], *factum est, non silebo: erat enim, cum ad Claramvallem venit, jam provectioris ætatis, et caduco morbo laborare solebat. Arreptus ergo solita infirmitate, sed multo acrius solito, una in die septies cecidit: ita ut in insaniam versus, dentibus appeteret eos, a quibus tenebatur in lecto. Videns autem vir Domini, fidei zelo accensus: Quid agimus, inquit: eamus ad orationem. Cumque ingressus oratorium in-*

Digitized by Google

clinasset se, sine mora penetrans cœlos oratio justi, desideratum reportavit effectum. Protinus enim inter manus fratrum dormivit Humbertus, sequentique die accipiens sacramenta divina de manu sancti et beati viri, sanus factus est : et plurimis postea vivens annis, nunquam deinceps hujusmodi infirmitate laboravit. Factum hoc aliis verbis refertur superius apud nos lib. I Vitæ quod tamen cum non sit in ipso textu Guillelmi, sed aliunde eidem interjectum; rei gestæ veritas ex citato optimæ notæ apographo confirmatur.

63. Ignoscat mihi lector, quod hic subdam ex eodem ms. Aureævallis sanitatem animæ, quam auctor inter miracula a se relata, a S. Bernardo se accepisse ingenue et gratanter agnoscit, quando vir sanctus oculos ejus, in tenebris hujus sæculi, et quasi in umbra mortis sedentis illuminavit, et pedes ejus direxit in viam pacis. *Non debeo*, inquit, *qui de cæteris loquor, mei ipsius oblivisci, ne forte ingratus inveniar.* Deinde exposito insigni fructu, quem sanctus retulit in scholaribus Parisiensibus, ita de seipso loquitur idem auctor : *Sit benedicta dies illa a Domino, qua sedenti in tenebris, et umbra mortis, lux orta est mihi! Sit benedicta dies, qua sol justitiæ, imo misericordiæ Oriens visitavit ex alto miseram animam meam! Adversum et perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dexteræ Excelsi prorsus in aliûm hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviscar miserationis hujus, qua tam copiose præventus, tam subito mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi vero in illa captura Dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi et in itinere adjuncti nobis, ita ut, transacto probationis anno, ex hoc collegio monachi facti simus viginti et unus.* Ex his supplentur et confirmantur ea, quæ in Commentario prævio § 10, præmissa sunt de captura apud Parisienses : deinde commendatur antiquitas et auctoritas scriptoris istius, e quo tam hæc, quam superiora, quæ modo ex eo recitabamus, sunt extracta.

64. Proxime subjungit idem scriptor, se ab eodem viro sancto curatum fuisse, dum infirmo erat corpore, et afflicta mente. *Eodem sane*, ait, *tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, carpi corpore infirmari, et affligi mente (scio quia Satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum); sed non latuere Patrem, quæ circa me agebantur, et perfecte omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me, ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem, impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus! Gratias tibi! gratias tibi! Unde enim tali animæ, in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio Dei, de se, cum novitius esset, accidisse testatur : subita siquidem et vehementissima tentatione impulsus, paulominus cessit, cum venerabilis Bernardus, qui itinere diei unius aberat, hoc ipsum, Domino revelante, cognoscens, surgensque de nocte eadem hora festinavit ad consolandum eum.*

65. Alia nonnulla, quæ apud laudatum scriptorem lego, in compendium redigo. *In villa proxima Castellioni, sanguinis fluxum patiebatur homo per multos dies :* quem sanctus, dum illac *forte transibat, signavit,* ac sanguinem stitit, *videntibus atque stupentibus universis. Sequenti vero nocte* malum rediit; at vir sanctus librum suum mitti ad eum, et ad caput ipsius deponi jussit, et convaluit. *Hominem pauperem de Campania mulier adultera maleficiis appetens, ut dicebatur comminata fuisse ei, ita tractaverat, ut miser homo, consumptis carnibus, nec mori posset, nec vivere permitteretur..... Hic cum ad Dei hominem esset adductus...,* per duos fratres *languentem hominem ante altare deportari jubet; et supposito capiti ejus vasculo,* in quo corpus Christi *continebatur..., in brevi convaluit homo.* Potuisset intexi huic paragrapho conversio monachi, qui tertio defecerat ab ordine, monitis hac precibus S. P. Bernardi obtenta, nec non pœnitentia ejus, ac patientia in paterna Dei castigatione; *de cujus felici consummatione,* prout narratur locis statim allegandis, *beatus Bernardus* [Tissierius add. *multum*] *hilaratus, sermonem devotissimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, et admirabilem patientiam ejus, omnibus proponens exemplum;* sed quia hujus rei gestæ narratio satis longa est; legi ea potest apud Horstium, ac Mabillonium, lib. VII Vitæ S. Bernardi, cap. 25, apud Tissierium vero in Exordio magno ordinis Cisterciensis distinctione 4, cap. 16.

§ IV. *Synopsis miraculorum S. Bernardi, quæ sunt innumerabilia* (7).

Sectio I. *Infirmi, cæci, surdi, muti, claudi, contracti, fatui, phrenetici, et alii a S. Bernardo*

(7) Quam in Commentario prævio § 64, n. 718 promisi miraculorum synopsim, huc distuli. Rationes, quæ me moverunt, ut illam darem, ibidem exposui. Ejusdem exemplar ms. perhumaniter mecum communicavit Reverendus admodum ac amplissimus dominus Alexander Adriaenssens, celeberrimi cœnobii S. Bernardi in territorio Antuerpiensi ad Schaldim, abbas meritissimus. Synopsim porro hanc collegit R. A. D. Bernardus Timmermans, pastor in capella S. Jacobi, quondam superior, et novitiorum magister in ista abbatia. Citationes, quas designat, procedunt secundum ordinem anterioris editionis, libros quinque Vitæ, ac sextum, qui est de miraculis, complectentis, prout etiam fit in editione nostra; ita tamen ut in hac capitum ac numerorum nova facta sit divisio. De locis, qui occurrent ex libro septimo, consulat lector Commentarium nostrum libris Vitæ prævium § 66, et quæ post librum sextum a pag. 351 dicuntur de Fragmentis ex Herberto apud Mabillonium vulgatis. His adde ea quæ relata sunt superius in Gloria posthuma. Cæterum hanc nos synopsim in sectiones duas, appositis etiam utrique ad marginem numeris ac notationibus, partimur. Hæc habui, de quibus monerem meum lectorem; ut nihil jam supersit, quam producere ipsam synopsim, verbis laudati Domini collectoris huc transcriptam.

Digitized by Google

sospitati.—66, 67. Primum miraculum a S. Bernardo factum narrat Guillelmus lib. I, cap. 9, num. 43. Josbertum scilicet in extremis positum, et extra sensus, fecit libere loquentem. Confitetur homo sua peccata, cæterisque bene dispositis juxta sancti Patris consilium, duobus aut tribus diebus post moritur.

Absens periculose quemdam ægrotantem sanat, dicens ejusdem uxori : « Vade, sanum invenies virum tuum. » Illa vero sic invenit. Cap. 6, n. 27.

Avunculum Galdricum a febri subito sanat. Cap. 10, num. 46.

Ipsum Guillelmum libri auctorem, eo quod sancto Patri in comedenda carne non obediret, reincidentem, et usque ad mortem afflictum, jam aquiescentem comedere, subito sanat. Cap. 12, num. 60.

Mulierem a caduco morbo sanat. Cap. 14, num. 67.

Episcopus Mediolanensis discum, ex quo sanctus Pater comederat, afferri jubet : jubetque infundi aquam, et panis exiguas buccellas apponi. Comedit et bibit, et absque ulla dilatione a febrium vehementi ardore convaluit, lib. II, cap. 3, n. 19.

Nobilis quidam de medicorum auxilio desperans, bibit de lavacro manuum ejus, et convaluit, cap. 7, num. 46.

Sacerdos desperabiliter ægrotans, et ad extrema devenisse visus, per tunicam S. Bernardi subito sanatur, lib. IV, cap. 1, n. 2.

Fratrem Robertum Clarevallensem positum in extremis absens sanat, n. 4.

Militem quoque in via, ut quocunque modo deportaretur ad virum sanctum, n. 5.

68. Miles ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam recipit sospitatem a febre quartana, qua graviter laboraverat mensibus fere octodecim, usque ad phrenesim, cap. 4, n. 24.

Ibidem num. 23, indicat auctor multitudinem febricitantium curatam, et inter alios clericum quemdam gravissima febri correptum, in pœnam, quod subsannans fidem populi blasphemasset, sed compunctum sanavit S. Bernardus.

Juvenis quidam correptus febri, epistolam susceptam a S. Patre collo suo appendens sanatur protinus, cap. 7, n. 40.

Mulierem ab annis octo pessima ægritudine laborantem, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutientem sanat, lib. V, cap. 1, n. 5.

Morti proximum manus impositione facit subito ambulare, lib. VI, cap. 13, n. 44.

Item puerum a multis diebus ne unum quidem passum potentem ambulare, ibidem.

Item mulierem viribus corporis adeo destitutam, ut nec ambulare, nec stare posset, cap. 14, n. 50.

In eodem lib. VI, alius a febri sanatus narratur, num. 3, epist. Gaufridi, post. lib. VI.

Virum nobilem gravissima infirmitate laborantem curat, ibid.

A Item ibidem, virum pauperem longa infirmitate viribus fractum.

Item canonicum regularem semivivum curat ibid., num. 7.

Item ibidem, puerum morbo incognito laborantem, et post benedictionem lapidem evomentem, ibid.

Fratrem suum Girardum, ipso teste, sanat a morbo, serm. 26, n. ult. in Cant.

69. Multos alios a variis morbis ab ipso sanatos, præter dictos viginti tres, manifestum est ex cap. 3, num. 15, lib. II, ubi dicitur « maxima ei in curationibus ægritudinum gratia » fuisse « Febricitantibus, inquit idem auctor n. 18, multis manus imponens, et aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit » et diversa loca perlustrans benefaciebat iis, qui infirmabantur . . curando febricitantes, lib. III, cap. 6, num. 18, narrat, ingentem multitudinem languentium, gustato pane ab eo benedicto convaluisse, omnes, qui gustaverunt juxta promissionem a S. Patre factam. Manifestum est ergo, paucos, respectu eorum, quos a variis morbis curavit, ab auctoribus in particulari adnotatos, quod et confirmabitur ex art. 3 sequenti.

70. Reverendissimum Humbertum, Igniacensis postea cœnobii ædificatorem, et primum Patrem, in Claravalle ab acri morbo epilepsiæ sanat, lib. I, cap. 10, num. 48.

C Item mulierem præ hoc morbo impotentem ad loquendum, manus impositione, lib. VI, cap. 14, num. 47.

Item monachum quemdam, sed pro parte; ita ut casum præsentiret ad elisionem præcavendam, eo quod sic magis saluti animæ ejus expedire cognovisset, lib. VII, cap. 8.

Absens sanat paralyticum, Albertum nomine, in Hispania, lib. IV, cap. 6, n. 35.

Item mulierem paralyticam, tangens eam sub suo palliolo, lib. V, n. 6.

Lib. VI, memorat duodecim alios a paralysi sanatos : ex quibus, ni fallor, sunt decem, quos lib. IV, cap. 5 et 7 memorat.

71 Virum hydropicum cingulo suo accingens sa-
D nat, lib. IV, cap. 7, n. 37.

Anselmum episc. Havenbergensium, in fronte et faucibus gravissime patientem, ita ut vix aliquid gustare posset, aut loqui, sanat, lib. V, cap. 5, n. 19.

Exanimem, et diu sine sensu jacentem, ac quod detraxisset miraculis S. Patris, sanat, ibidem n. 20.

Puerum incessanter flentem osculo sanat, lib. I, cap. 11, n. 23.

Petrum, Asturicensem episc. in Hispania, pileo suo ipsi transmisso et imposito, sanat a dolore capitis, lib. IV, cap. 6, n. 36.

Alterum a dolore capitis sanatum memorat, lib. VI.

Digitized by Google

In capites aucium curat, lib. IV, cap. 4, n. 24.

Unum a tremore capitis sanat. lib. VI.

72 Veniamus ad cæcos, surdos, claudos, mancos etc. Transeo modum curationis, nisi circumstantia occurrat notabilis, contentus etiam solum lib. VI, sine cap. et n. citare, quia neglexi ea notare, eo quod non judicarem esse opus.

Puellam lucis impatientem sanat, lib. II, cap. 3, num ult.

Illuminat puerum cæcum in testimonium quod expeditionem in Orientem, Deo inspirante, prædicaverat, lib. III, cap. 4, n. 29.

Puerum in uno oculo cæcum sanat, lib. IV, cap. 1, n. 6.

Alterum ibidem utroque oculo orbatum ex utero matris, n. 7.

Omitto multos alios, quos idem lib. IV, illuminatos memorat; cum lib. VI, eosdem videatur memorare.

Lib. V, cæcum et cæcam illuminatos memorat.

Lib. VI, memorat illuminatos centum octoginta quatuor, ex quibus pro majori parte utroque oculo cæcos, quosdam uno, multos ex utero matris invenies.

Lib. VII, cap. 18, memorat unum illuminatum osculando terram, et eadem oculos confricando, quam audierat S. Patrem tetigisse transeundo. Itaque habes centum nonaginta unum in particulari cæcos illuminatos.

73. Surdos auditum percepisse octoginta sex memorat, lib. VI.

Mutos triginta et unum loquelam recepisse memorat, idem, lib. VI.

De uno vero mentionem facit lib. VII, cap. 21.

Lib. I, cap. 9, num. 44, puerum ab utero matri habentem manum aridam, et brachium tortum, sanatum memorat.

Lib. II, cap. 3, n. 18, memorat aridas manus, et membra paralysi dissoluta incolumitati restituta, et inter alia manum adolescentis aridam et retortam ad brachium.

Lib. IV, cap. 4, n. 29, memorat pueros mancos duos curatos : quos vero in sequentibus memorat mancos curatos, memorat etiam lib. VI, memorat autem hic mancos et habentes manus aridas curatos quinquaginta septem. Plures alios a simili infirmitate sanatos indicat cap. 9, n. 32. Habentes brachia arida, seu impotentia ad motum, curat tres, lib. VI.

74. A fistula pedis sanat juvenem, lib. I, cap. 9, num. ult. Huc spectant claudi, qui gressum per virum sanctum acceperunt.

Lib. I, cap. 2, num. 54, memorat unum.

Lib. IV, cap. 4, num 28 et 29, memorat duos, quos in sequentibus memorat, citat etiam, lib. VI.

Lib. V, num. 7, memorat etiam duos.

Lib. VI, memorat centum quinquaginta septem claudos erectos, ex quibus pauci curvi fuerunt.

Ibidem cap. XV, num. 51, gradiens genibus et manibus curatur.

Lib. VI, memorat undecim contractos, et omnino impotentes curatos, lib. VII, cap. 19, unam.

Caput erigere non valentes memorat, lib. VI, curatos 5.

75. Puerum fatuum et mentis inopem, claudum quoque surdum et mutum sanat, lib. IV, cap. 8, num. 44.

Lib. VI, fatuos duos menti restitutos memorat.

Henricum virum magnum et potentem in domo et familia ducis Bavarorum, magna ex parte phreneticum, et aliis incommodis laborantem desperabiliter, sanat, lib. IV, cap. 7, num. 37.

Item phreneticam idem, lib. IV, cap. 4, sanatam commemorat.

Item alteram ibidem, cap. 6.

Lib. VI, etiam phreneticum sanatum memorat.

Absens corpore, sed præsens spiritu, submergendum salvat.

SECTIO II. *Mortui ad vitam revocati; mors dilata; impetrata proles; parturientes adjutæ; imperium in dæmones, bestias, et elementa; alia stupenda miracula; conversiones; pœnæ obstinatis inflictæ; reconciliationes; prodigia S. thaumaturgi innumerabilia.* — 76. Mortuos resuscitavit tres : unum memorat lib. VII, cap. 19, idque mortuum subito in pœnam blasphemiæ adversus S. Patrem. Alterum resuscitatum memorat, lib. II Vitæ ejus a Joanne, eremita, editus : tertium, mulierem scilicet resuscitatam memorat Barnabas de Montalbo, Hist. Cisterc. lib. III, cap. 63. Vide cap. 30 Medullæ Vitæ S. Bernardi.

In agone positum revocat, et quasi retrahit commeantem, nec insalutatum abire permittit, lib. IV, cap. 2, num. 8.

Quidam moribundus ex mandato S Patris mortem differt ad magis opportunum tempus, lib. VII, cap. 9.

Reginæ Galliæ sterili partum prædicit et impetrat, lib. IV, cap. 3, num. 18.

Mathildis Anglorum regina invocat absentem, et partum edit desperatum, ipsa pariter desperata, lib. IV, cap. 1, num. 6.

Mulierem anno integro gravidam mirabiliter facit parere, cap. 4, num. 22.

Alteram ibidem periclitantem in partu, aqua benedicta potata liberat.

77. Nunc dicendum de virtute miraculosa, quam habuit in dæmones, lib. II, cap. 3.

« In dæmonibus eliminandis, ait Arnaldus lib. II, cap. 3, num 15, frequentior operatio erat. » Item « Maxime oppressos a diabolo diligentiori studio purgabat, » cap. 4, num. 24.

Inter alios, de quibus particulariter fit mentio, lib. I, memorat dæmoniacum, surdum, cæcum, et mutum curatum, cap. 14, num. 67.

Lib. II, cap. 2, num. 10, mulierem; num. 11, puellam; cap. 3, num. 13, mulierem; num. 17, puerum; et mulierem; in fine num. 20, cap. 4,

Digitized by Google

rursus mulierem, num. scilicet 21 et 22, num. 23, virum, num. 24, mulierem ac dæmoniacos liberatos memorat.

Lib. IV, cap. 1, num. 7, memorat dæmoniacum curatum per stolam qua S. Pater in missa usus fuerat. Alterum, lib. VI.

Monachum a diabolo agitatum ad instar dæmoniaci, liberat, lib. II, num. 7.

Feminam ab incubo dæmone mirabiliter liberatam memorat, lib. II, cap. 6, num. 34 et 35.

A maleficiis virum liberat, lib. I, cap. 10, in fine.

His adde, quod narrat lib. II, exordii ordinis Cisterciensis, cap. 7, item traditio. Vocatus S. Pater ab Innocentio II. Romam, in fine schismatis dæmonem, cujus insidiis rotam curru vectus fregerat, ejusdem rotæ fractioni miraculo substituit.

78. Sequuntur quædam miracula, ad gratiam sanitatum non pertinentia, ex quibus constabit, Bernardum et elementis, sed bestiis, etc., per miraculum imperasse.

Pluviam procurat miraculose nondum religiosus, lib. I, cap. 3, num. 14.

Miraculose vires obtinet ad laborandum, cap. 4, num. 14.

Subvenit penuriæ suorum per miraculum, cap. 6, num. 27.

Annonam multiplicat, cap. 10, num. 49.

Epistolam scribit in imbre sine imbre, cap. 11, num. 50.

Indignus non potest deglutire eucharistiam, orante S. Patre, qui eum indignum noverat : sed confessus ipsi, sine difficultate deglutivit, num. 51.

A multitudine muscarum oratorium purgat, eas excommunicando (improprie scilicet, juxta alibi dicta), num. 52.

Equum indomitum ante suos pedes facit stare, cap. 13, in fine.

Donum lacrymarum subito impetrat cuidam Nicolao, cap. 14, num. 68.

Gaufrido de Perona nimia tristitia afflicto impetrat subito spirituales consolationes, lib. IV, cap. 3, num. 16.

Victoriam impetrat duci Ranulpho, lib. II, cap. 7, num. 44.

Item duci Theobaldo, ibidem in fine lib. II.

Item Portugallensibus contra Saracenos. Ita habet Medulla Vitæ ejus.

Dentem ex capite B. Cæsarii miraculose extrahit, lib. IV, cap. 1, num. 1.

79. Cum lues grassaretur in animalia bruta, benedixit sal, et apponi ipsis jussit, et protinus lues cessavit. Quod in aliis, ait, quoque monasteriis vidimus et cognovimus, etc., cap. 4, num. 28.

Aliquoties fugientem, et, ut videbatur, protinus capiendum vel lepusculum a canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito, mirabiliter liberavit; dicebatque sequentibus, frustra sese conari, nec ullatenus, se præsente, ejusmodi exercere posse rapinam : nempe abhorrebat ab ea vir mansuetus, lib. III, cap. 7, num. 27.

Aquam mutat in vinum, lib. VI, cap. 17.

Candelam sine igne miraculose accendit; num. II, epistolæ in fine lib. VI.

Rigor et inflexibilitas æris, teneritudini digiti ejus cedit, lib. VII, cap. 27.

Benedictio ejus panem ab omni corruptione multis annis vindicat, quod et ipse Eskilo Danorum archiepisc. minus confidenti promittit, lib. IV, cap. 4, num. 24 et 25.

80. Sequuntur quædam conversiones non sine miraculo factæ. Cæteræ, teste etiam Alexandro III, in bulla canonizationis S. Patris, sunt innumerabiles.

Non dubito quin miraculosa fuerit conversio illorum amplius quam triginta sociorum, cum quibus Cistercium est ingressus, certe aliquorum, lib. I, cap. 3.

Huic adde conversionem suæ sororis, cap. 6, num. 30.

Nobilium cohortem militum per potum benedictum convertit, facitque omnes monachos, cap. 11, num. 55.

Ducissam Lotharingiæ convertit. Viderat illa in somnis Bernardum serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis extrahentem, etc., cap. 14, num. 68.

Convertit miro modo Guillelmum Aquitaniæ ducem, postea sancte mortuum, lib. II, cap. 6, num. 38. Item Petrum Pisanum, cap. 7, num. 45 et 46. Victorem antipapam, num. 47.

Item venerabilem quemdam clericum Mascelinum, lib. IV, cap. 3, num. 14.

Item Henricum Germanum regis Galliæ, lib. IV, cap. 3, num. 15.

81. Item Andræam quemdam miro modo præ cæteris jam dictis contra nitentem, ibid.

Item Gaufridum de Perona cum variis aliis, num. 16. Item illius patrem, virum nobilem et potentem, num. 17.

Item nobilem virum Henricum de Salinis, cap. 8, num. 49.

Clericos obstinatissimos convertit, num. 3, epist. post lib. VI.

Item populum Albigensem obstinatissimum in hæresi Henriciana, ibid., num. 10.

Item monachum dubium circa veritatem Eucharistiæ, in sua fide jubet communicare, et convertit, lib. VII, cap. 6 (8).

Varios clericos Parisienses ad religionem convertit, cap. 13.

Latronem a crucis supplicio liberat, et sanctum facit, cap. 15.

Blasphemum suum a morte suscitatum convertit, cap. 19.

82. Alexandrum canonicum et doctorem Colonien-

(8) Vide comment. præv. num. 111.

Digitized by Google

sem per piscem ipsi oblatum, et prius benedictum, religiosum facit, cap. 20.

Sacerdotem concubinarium et monachum apostatam convertit, cap. 21 (9).

Item monachum tertio apostatantem, cap. 25.

Hæc breviter de conversis a S. Patre, quorum conversio non tam exemplum, quam miraculum venit reputandum, ut videre est suis locis : unde merito Gerson, doctor et cancell. Parisiensis : « Inter miracula, ait, serm. de S. Bern., præcipua ego illa deputo, quæ egit in conversione illorum, qui etiam converti toto nisu fugiebant. » Sed tales pro maxima parte jam allati erant.

83. Constat et nonnullos viro sancto obstinate resistentes divinitus fuisse punitos. Inter alios Ramnulphum quemdam Doratensem abbatem, lib. II, cap. 6, num. 33.

Varios a dæmone possessos, num. 36.

Petrum Leonis antipapam, cap. 7, num. 47.

Hujus fautorem, Gerardum Engolismensem, cap. 6, num. 39.

Gaufridum comitem Andegavensium, lib. IV, cap. 3, num. 13.

Girardum quemdam clericum, lib. IV, cap. 4, num. 23.

Item Thomam de Beverla, quem ipse S. Pater testatur, subita et horrenda morte præreptum, epist. 108, num. 3.

Transeo reconciliationes varias, ab eo non sine miraculo factas inter privatos et publicos, inter reges et principes, inter civitates et civitates ; inter Deos et Ecclesiam ; inter episcopos et clerum : ita ut merito vocetur angelus pacis.

(9) Vide supra, numero 50.

84. Numera nunc miracula in particulari recensita, et invenies sexcenta septuaginta sex. Verum hæc esse pauca respectu eorum, quæ in particulari non sunt recensita, modo ex dictis constat et confirmabitur articulo sequenti, *in quo R. D. Pastor, antea laudatus, ostendit miracula* S. Bernardi *esse innumerabilia. Manricus autem ad annum Christi* 1183, *cap.* 4, *hæc scribit in rem nostram, oblata sibi opportunitate agendi de libro Miraculorum invento a Petro Monoculo abbate, de qua re exstat narratio Herberti superius in principio libri sexti, et quam allegatus Manricus ex eodem auctore etiam recitat :*

85. « Invenio, inquit, num. 5, notatione dignum circa hunc librum, id quod Ignatius Firminus Fiteriensis observatum reliquit, postquam cum aliis quinque contulisset, et cum Joanne Eremita, simulque cum Exordio atque Cæsario, quibus ex parte argumentum haud dissimile, ultra patrata quasi catervatim, et in confuso, velut cum cunctis gustaturis panem, cui benedixit (et erat panum ingens multitudo) repromisit salutem, ex singularibus atque specialioribus, centum et septuaginta supra mille miracula referri, quæ Sanctus fecerit. *Verba ejus, quæ sunt apud Manricum, ita sonant :* « Nam cæcos a nativitate inveni illuminatos 221 ; mutos locutos, et surdos auditui redditos 180 ; claudos gressui donatos 126 ; mancos, et debiles viribus et manibus 184 ; contractos libero suorum membrorum usui 125 ; amentes 11 ; demum tres mortuos luci et vitæ redditos, et sexaginta sanatos ab aliis morbis. »

DONATIONES PIÆ

TEMPORE S. BERNARDI CLARÆVALLENSIBUS FACTÆ.

Quæ numeralibus notis 1, 2, 4, 7, 9, 10, 11 prænotantur, nunc primum in lucem prodeunt. Has nobiscum perhumaniter communicavit D. Ribiere de Jubenville, *Scholæ chartarum alumnus.*

I.

JOCERANNUS IMMUNITATEM DECIMARUM.

(Cartulaire de Clairvaux, *Grangia-Abbatie*. IV^a. — Anno 1121.)

In nomine summe et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Ego Jocerannus, Lingonensis ecclesie nutu Dei episcopus, cum in ejusdem matris basilice gremio una cum Archidiaconis nostris et multis aliis religiosis personis, presente etiam Domino et patre nostro Lugdunensium Primate Humbaldo, cum suorum comitatu reverentissimo, de statu et ordinatione ejusdem ecclesie unanimiter tractaremus, venit ante nostre presencie optutus domnus Bernardus, monasterii Clarevallis, quod Deus nostris temporibus revelaverat, Abbas religiosus, rogans, et cum omni humilitate deposcens quatenus de fundo ipsius loci et immunitatibus suis et de aliis quibusdam rebus necessariis, auctoritatis nostre presidio munitum privilegium faceremus, et presentis pagine decreto sollemniter confirmaremus. Cujus juste et racionabili peticioni libenter adquiescere decernentes, quicquid justicia et honestate dignum postulare visus est, tantorum virorum judicio recto ordine ad effectum perducere curavimus. In primis igitur firmam immunitatem et perpetuam libertatem in Christo, salva Lingonensis Episcopi canonica obediencia et subjectione, ipsi loco et fratribus presentibus et in posterum succes-

Digitized by Google

suris decernimus, mandamus et confirmamus. De possessionibus autem et laboribus eorum precipientes precipimus ut quocumque loco in toto episcopatu nostro nutriture vel agriculture ipsi et familia eorum labores exercuerint decimas suas ipsi habeant, et de manu Lingonensis Episcopi, cui decimarum distribucio proprie pertinet, ad sustentationem et receptionem pauperum suorum decimas illas possideant. Si quis tamen presbiterorum qui anteriori dono decimas illas hodie possidet hoc tam legitimum nostre dispensationis donum concedere noluerit, et in tanta cordis duricia perseveraverit, prohibemus tamen successuris ne sibi ab aliquo decimas illas contra nostram auctoritatem posse donari estiment, nec illas ulterius accipere presumant. Si autem evenerit ut in aliquibus terris vel locis alii ecclesie, vel monasterio, cenobio et jam vel xenodochio prius ab Episcopo donatis, supradictos fratres laborare contigerit, prout Deus destinaverit, fraterna dilectione requirant, et si habere poterint habeant. Si quis autem contra hujusmodi nostre institutionis paginam temerario ausu agere presumpserit, iram Dei et maledictionis sententiam incurrat : et nisi cito resipuerit cum divite misero infernales penas sustineat.

Ego Humbaldus Lugdunensis ecclesie. Signum Guilenci decani. S. Ayrardi archidiaconi. S. Guarnerii archidiaconi. S. Ego Jocerannus Lingonensis Episcopus. S. Ego Gocelinus Lingonensis ecclesie archidiaconus. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo xxi. Indictione v. Calixti Pape II. anno III. Francorum Rege Lodoico. Lingonensis ecclesie Joceranno Episcopo. Ego Durandus Lingonensis ecclesie notarius ad vicem Fulconis cancellarii scripsi, dictavi et recitavi.

II.

DONATIO GUIDONIS MOLISMENSIS ABBATIS.

(Cartulaire de Clairvaux, *Bellus-Mons*. III. — Anno 1131. — In marg. : *Guido Abbas Molismi dedit quicquid habuit in loco qui dicitur Heis.*)

Tempus est juxta Apostolum operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei ; perinde Ego Guido, per Dei patientiam Abbas monasterii Molismensis, laude et consensu Capituli nostri, laudo devotissime et concedo ecclesie Clarevallensi et fratribus ejusdem loci perpetuo possidendum quicquid omnino hactenus habuimus et de nostro jure fuit in loco qui dicitur Heis, constituto tamen annuo censu XII denariorum, quos illa scilicet ecclesia nostre pro hac donatione reddere curabit quotannis circa festum Sancti Remigii. Quod nostre devocionis donum ut et predictis fratribus perpetuo maneat inconcussum et ceteris omnibus caritatis exemplum, litteris mando et nostro sigillo munio. Signum David prioris, signum Aymonis sub prioris, signum Martini tercii prioris, signum Raingerii camerarii, signum Roberti subcamerarii, signum Galterii cellorarii, signum Roberti subcellerarii, signum Petri de Raveriis, signum Enjorranni capellani. Actum est hoc apud Molismum anno ab incarnatione Domini MCXXXI°, regnante Rege Lodovico, Wilenco Lingonensi Episcopo, et Hugone Duci Burgundie, et Thebaldo Comiti.

III.

REGULARES CANONICI SÆCULARIBUS SUBROGANTUR IN ECCLESIA S. LUPI.

(Camusat, *Promptuarium sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis*, folio 297. — Anno 1135. — Collatum cum originali.)

..... Contigit, ut divæ memoriæ Teobaudus Comes consultis religiosis viris Hugone Altissiodorensi episcopo, Hattone Trecensico episcopo, bonæ memoriæ Bernardo Clarevallensi Abbate, Guillelmo prædicti Sancti Martini abbate pervigili cura tractaret qualiter ecclesia præfati S. Lupi quæ per negligentiam quorumdam a divino cultu torpuisse videbatur et dicebatur ad religionem converteret, placuit memorato principi, præfatisque religiosis viris, consentientibus et universis S. Lupi canonicis ut decessioni secularium fratrum qui tunc ecclesiæ præerant, regulares canonici subrogarentur, ut quod illi minus honeste faciebant, isti solemnius et cum majori devotione Domino deservirent. Igitur anno incarnati Verbi 1135. 3. Cal. Decembris, prædicti religiosi quosdam de ecclesia S. Martini fratres elegerunt, quos in B. Lupi ecclesia sicut dispositum fuerat Domino servituros transposuerunt, qui fuerunt inibi sine proprio Abbate, Guillelmi Abbatis S. Martini regimini et providentiæ respondentes anno uno, mensibus sex, diebus XII. Anno 1137 II idus Junii. Gerardus prior S. Martini prædictis fratribus in abbatem datus est et prælatus, vir miræ simplicitatis et secularium negotiorum ignarus.

IV.

IMMUNITAS DECIMARUM.

(Cartulaire de Clairvaux, *Campigni*, XXXIV. — Anno 1136.)

Notum sit presentibus et futuris quod Domnus Bernardus primus Abbas Clarevallis quesivit et impetravit ab Abbate Molismensi Ebrardo et Capitulo ejus decimam laborum fratrum Clarevallensium de his que laboraverint infra terminum parrochie Campaniaci, que antiquitus juris fuisse dicebatur Molismensis ecclesie. Concessum est ergo et litteris istis roboratum ne unquam de laboribus vel nutrimentis eorum quoquo modo, sive per monachos sive per conversos, vel et per mercennarios fiant ad opus Clarevallensis ecclesie, Molismenses vel quilibet pro eis decimas accipiant : sed eas perpetuo sine reclamatione et calumpnia Clarevallenses teneant. Factum est hoc anno Dominice incarnationis millesimo centesimo tricesimo sexto, in communi Molismensi Capitulo, coram ambobus prefatis Abbatibus, et affuerunt de personis ecclesie Atho prior, et suppriores Petrus et Fredericus, et totus conventus.

Digitized by Google

V.

CHARTA ALPHONSI REGIS.

(*Journal de Trévoux*, Août 1739, p. 1875. — Anno 1142.)

In nomine Dei.

Quoniam decet unumquemque fidelem de bonis sibi collatis a supremo largitore Dei ministros participes efficere, ut per eos cœlestium bonorum participes efficiamur : ideo ego Aldephonsus, miseratione divina Portugalensium rex, noviter, Deo juvante, creatus, quia me plus omnibus debitorem sentio, cupio me et omnia mea Altissimo offerre, ut tam ego quam successores mei in perpetuum regnaturi, agnoscant habere regnum de manu Domini, qui præsentialiter tradidit illud mihi, ut corde firmo et charitate perfecta fidem Christianam ab infidelium injuriis defenderem, et sanctam Ecclesiam de regni redditibus ditarem, ut sic esset regnum sanctum, Deo charum, et in perpetuum stabilitum.

Et quia jam me et omnia mea B. Petro et ejus successoribus vectigalem constitui, cupiens nunc et B. Dei Genitricem apud Deum advocatam habere; de consensu vassallorum meorum, qui absque extraneo adjutorio me in regium solium constituerunt, me ipsum, regnum meum, et gentem meam, et successores meos, sub beatæ Mariæ de Clara-Valle protectionem, defensionem et patrocinium constituo et constituta fore decerno, ordinando et mandando omnibus et singulis successoribus meis, in hæreditatem hujus regni legitime intrantibus, ut singulis annis eidem ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Clara-Valle, quæ est Cisterciensis ordinis, posita in regno Franciæ, in diœcesi Lingonensi, tribuant in modum feudi et vassallitii quinquaginta marabitinos auri probati, boni, et digni quod recipiatur. Si vero contigerit per dominium nostrum aliquem hujus monasterii ordinis præfati intrare, vel monasterium inibi construxerit, personæ et res talis monasterii sub tutela et patrocinio regis erunt taliter, quod a nullo possint molestari, inquietari, perturbari, vel a suis bonis defraudari. Quod si contingat, in pristinam libertatem restituantur, quacunque hora temporis vel momenti in quo majori commoditate id fieri quiverit. Quapropter bona talium monasteriorum, et personarum erunt quasi bona regalia, et de illis erit regi eadem cura quam de suis debet habere. Si vero rex aliquis vel tyrannus (quem de lumbis nostris futurum non credimus), præfatas personas molestaverit, seu illarum bona subripuerit, non meam aut earum, sed Virginis hæreditatem usurpare se credat, et tanquam domino suo infidelis, sub cujus tutela regnum nostrum committimus, eodem privetur, et semen ejus non elucescat super terram. Fratribus vero in dicto monasterio de Clara-Valle, et aliis sui ordinis, statum regni nostri Deo devote commendare, et animam meam, et parentum meorum missis et vigiliis adjuvare et de feudo seu vassallitio altare B. Mariæ reparabunt. Abbas vero domnus Bernardus et ejus in perpetuum successores hujusmodi feudum in perpetuum habebunt in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

Et ideo, Virgo Mater Domini mei Jesu Christi, in cujus laudem hic ordo constitutus micat, ego humilis servus tuus, Aldephonsus rex Portugalensis, peto quatenus meum regnum defendas a Mauris inimicis crucis Filii tui, et coram hanc ab omni externo dominio liberam conserves, ac de prole mea fideles servos et feudi largitores in regni sede corrobores.

Si quis vero contra hoc vassallitium et feudi testimonium aliquid attentaverit, si vassallus fuerit, a regno nostro expellatur; si vero (quod Dominus non consentiat) rex fuerit, sit a nobis maledictus, et in stirpe nostra non numeretur, et a Domino Deo, qui nobis regnum dedit, omni dignitate spolietur, et a suis inimicis victus et cum Juda traditore in inferno sepultus.

Facta charta in ecclesia Lamecensi, IV Kal. Maii, anno 1142.

Ego rex Aldephonsus.
Egas curiæ præses confirma
Petrus Pelaides curiæ signifer confirmat.
Evas Ropinias Colom. præfectus confirmat
Pelagius de Saura confirmat.
Gondisalvus de Saura protest.
Rosendus Alvar protest.
Alphonsus Egea protest.

VI.

CHARTA SANCIÆ REGINÆ.

(MANRIQUE, *Annal. Cisterc.* II, p. 87.)

In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Quoniam scriptum est : *Declina a malo, et fac bonum;* et non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Item : *Initium Sapientiæ timor Domini*, et, *qui timet Deum faciet bona :* et, *operanti bonum, bene erit in extremis.* Igitur ego Sanctia Alfonsi imperatoris Hispaniarum soror, his, et aliis exemplis præmonita et edocta, spontanea voluntate, nullo cogente, pro redemptione animæ meæ; et parentum meorum, do vobis Domno Bernardo Clarævallis abbati, hæreditatem sancti Petri de Spina, atque hæreditatem sanctæ Mariæ de Aborridos, scilicet terras, vineas, prata, fontes, montes cultos et incultos, utriusque exitus et ingressus utrinque, videlicet cum omnibus terminis sibi pertinentibus, quatenus ibidem, me opitulante, in honorem Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque Genitricis, monasterium ædificetis in quo vestri monachi, vestrique ordines assidue assistentes, pro suis atque meis, parentumque meorum, atque omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum peccatis, Deum deprecentur. Siquis autem hoc meum donum, tam de meis quam de extraneis prava cupiditate compulsus irritum facere voluerit, hoc

Digitized by Google

ad effectum nequaquam ducere possit; sed, si contigerit (quod absit!) omnia illa supradicta prius in duplo reddat; ac postea regi, vel cuicunque vestram commiseritis vocem, pectet in quotto mille libras auri purissimi, et insuper sit maledictus, et uti Dathan et Abiron, eum terra absorbeat; atque cum Juda traditore inferni pœnas luat. Amen.

Facta charta hujus doni, tertio decimo Kalendas Februarii, era 1134, imperante Alfonso imperatore, cum imperatrice Berengaria in Legione, et in Toleto, et in Cæsaraugusta, et in Cordubia, et in tota Hispania.

Ego Sanctia regina supradicta, quæ hanc chartam scribere jussi; coram his testibus roboravi:

Domnus Petrus Segobiensis episcopus confirmat.

Domnus Loysius Legionensis episcopus confirmat.

Domnus Petrus Palentinæ sedis episcopus confirmat.

Gutter Fernandes confirmat.

Martinus Moniez confirmat.

Nicolaus Pelagii confirmat.

Pontius comes de Cabrera confirmat.

Manric comes confirmat.

Comes Amergot confirmat.

Cid testis confirmat.

Belid testis confirmat.

Duaya testis confirmat.

Omnes testes meæ curiæ visores, et auditores hujus dationis.

VII.

CHARTA THEODERICI FLANDRIÆ COMITIS.

(Cartul. de Clairv., *Comites Flandriæ*. I. — Anno 1142.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ego Theodericus, Dei gratia Flandrensium comes, utilitati et paci ecclesiarum pro bona voluntate prospiciens, votis religiosarum personarum me concordare debere justisque petitionibus assensum prebere non solum honorificum immo in Deo animæ meæ fructiferum fore perpendi, perpendens opere id in lucem ponere deliberavi.

Venerabilis igitur et piæ memoriæ abbatis Clarevallis Domni Bernardi merito sui per secula commendandi piis postulationibus devote et benivole occurrens, annuere volui et in perpetuum contradidi, ut per totam terram et omnes transitus meæ ditionis, mei comitatus sive meæ potestatis abbatia Claræ-vallis et omnes abbatiæ de Claravalle egressæ, vel ulterius exituræ, vel etiam ab his abbatiis processuræ, que a Claræ-vallis cenobio sunt progressæ, in eundo et redeundo a theloneo et passagio sint omnimodis liberæ. Quod, quatinus ratum stabile et imperturbatum permaneat, sigilli mei impressione auctoritate et baronum meorum subscriptione confirmare institui.

Testes hujus concessionis Rogerus, prepositus Brugensis; Willelmus, castellanus Sancti Andomarensis: Rodulfus, castellanus Brugensis; Gislebertus, castellanus Bergensis; Balduinus de Baliul, Anselmus de Baliul; Theodericus, camerarius; Walterus Gonela; Hugo de Fareseles; Robertus, abbas de Dunis, frater Osto et frater Robertus, milites templi.

Actum anno dominicæ incarnationis M° C° XL II° Indictione V^a Concurrente III^a Epacta XXII^a.

(*Original en parchemin, conservé aux archives de l'Aube. Le sceau manque; il pendait par lacs de soie. — Au dos on lit en écriture du* XII^e *siècle:*

Theoderici comitis Flandrie de libertate abbatiarum Clarevalensium.

Carta Teoderici, comitis Flandrie de immunitate consuetudinum per totum dominium suum

Et en écriture du XV^e *siècle:*

Comites Flandrie, prima.)

VIII.

MIROSLAW, E PRIMATIBUS BOEMIÆ, PERSUADENTE HENRICO MORAVIÆ EPISCOPO, FUNDAT ET DOTAT MONASTERIUM ORDINIS CISTERCIENSIUM SEDLECENSE.

(Boczek, *Cod. diplom. Morav.*, I, 221. — Anno 1143.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod regnante domino Wladislao Boemiorum duce serenissimo cum uxore sua nobilissima domina Gertrude, quidam de primatibus Boemiæ Miroslaus nomine divino monitus partim timore et amore, saluti suæ volens consulere, cum sæpius et a sapientioribus et ætate provectioribus audivisset, sine cultu vere religionis nec charitatis unitatem posse subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium: Statuit se religiosas personas diligere, et earum quieti, auxiliante Domino, providere. Consideratis ergo sanctorum virorum secundum diversam professionem variis conversationibus, ad unius tamen domus cœlestis Patris mansiones tendentibus, delegit de ordine Cisterciensium aliquot fratres mediatores sibi cum Christo procurare. Hoc ergo pio ac sancto voto de die in diem magis ac magis per gratiam sancti Spiritus incalescente de claustro Waltsaxen conventum fratrum sibi impetravit committi. Cujus petitioni sanctæ conversationis venerabilis abbas Gerlacus acclinatus conventum fratrum in Boemiam direxit, quibus sancto desiderio susceptis præfatus dominus Miroslaus, consentiente et attestante prædicto venerabili duce Boemiæ Wladislao, et reverendo Ottone Pragensium episcopo canonica auctoritate confirmante, persuadente etiam et attestante venerabili domino Heinrico Moraviensium episcopo, locum qui dicitur Sedlecz cum omnibus quæ attinent, Deo et sanctæ Dei genitrici Mariæ in usus fratrum prædictorum in perpetuum libere dedit. Imprimis siquidem statuens, ut ordo monachicus, secundum beati Benedicti Regulam, et patrum Cisterciensium institutionem perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur.

Digitized by Google

Succedente ergo temporis opportunitate, divina gratia auxiliante, fundata est in Sedlecz ecclesia divino servitio apta, et ei ordini congrua. Cui a primo fundationis suæ exordio possessiones quarum nomina infra continentur, ad usus ipsius ecclesiæ et fratrum ibidem Deo deservientium libere sine ullius reclamatione collatæ sunt : Solnic, Hothonici, Podollani, cum omnibus appendiciis suis ; Gradische cum aqua, pratis et silva ; Sdebudici. In Pobor, curia cum terra ; Odolen et terra Donati. Bilani, Maleionici, Lubenici, Glusow, et Cacin cum omnibus attinentiis suis usque ad rivulum circa Porram silvam fluentem. Cæterum ut bonum principium finis melior consequatur, præfatus Miroslaus totis viscerib̃ intentus in posterum quoque prædictæ ecclesiæ providere cum unicum haberet filium, constituit ut si hic filius sine filio hærede moreretur, vel etiam in posterum deficiente in linea filiorum hærede sine cognatorum, vel consanguineorum contradictione tota ejus hæreditas ad usus ecclesiæ in Sedlecz revertatur. Hoc etiam Dersislaus, Miroslai sororis filius, nullum habens filium de sua hæreditate constituit. Divino ergo amore inflammati, tam venerabilis dux, quam reverendi patres episcopi dominus Otto Pragensis, ac venerabilis Henricus Moraviensium episcopi, cujus prudenti consilio Bohemia decorata regebatur decreverunt, ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel minuere, vel etiam ullatenus invadere, vel illis vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur et illibata permaneant, tam ipse locus, quam possessiones et omnia quæcunque illius loci ecclesia ab initio possedit, aut in futurum, concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona prædictam ecclesiam, vel ejus possessiones inquietare tentaverit, ream se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat. Cunctis autem jam sæpe dictam ecclesiam, vel ejus possessiones tuentibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructus bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ beatitudinis inveniant. Ut autem hæc constitutionis et privilegii pagina rata permanens omni ambiguitate careat, jam sæpius dicti fideles servi Christi, dux videlicet et venerabiles patres episcopi sigillorum suorum notis confirmaverunt.

IX.

DONATIO HATONIS TRECENSIS EPISCOPI.

(*Montieramey.* — Anno 1122-45.)

Ego Hato, Dei gratia Trecensis ecclesiæ episcopus, dilectis filiis Guidoni abbati et monachis Arremarensibus imperpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas religiosa loca diligere et fratres in eis divino famulatui mancipatos rebus ecclesie sustentare. Ea propter, dilecti in Domino filii, pietatis intuitu vestris precibus annuentes dedimus vobis et monasterio vestro, laudante Manasse de Villemauro Archidiacono nostro, vetus attrium de Clareio et capellam que in eodem attrio est, ad peticionem bonæ memorie Bernardi Clarevallensis abbatis. Hac tamen lege et tenore ut presbyter Clareii nichil unquam ibidem accipiat, sed ea que viventes illic obtulerint vel morientes dimiserint singulariter monachorum sint. Huic dono probabiles persone interfuerunt predictus Manasses de Villemauro, archidiaconus ; Manasses, Rumiliacensis archidiaconus ; Odo, archidiaconus ; Falco, archidiaconus ; Gibuinus, cantor et archidiaconus ; Bernardus, Abbas Clarevallensis ad cujus peticionem hæc omnia facta sunt et concessa.

(*Original en parchemin, sans date; au dos est écrit :* De veteri attrio de Clareio nobis dato.
Le sceau manque; il pendait par double queue en parchemin. Conservé aux archives de l'Aube, fonds de Montieramey.)

X.

AUCTORAMENTUM THEOBALDI COMITIS BLESENSIS DE DONIS JOBERTI DE FIRMITATE

(Cartul de Clairvaux, *Comites Campaniæ*, V°, — Anno 1145.)

Ego Theobaldus, comes Blesensis, notum fieri volo omnibus hominibus tam presentibus quam futuris, quod Jobertus de Firmitate, profecturus Hierosolimam, concessit Deo et Sanctæ Mariæ de Claravalle, quicquid habebat in villa Petrecini, nichil omnino retinens vel sibi, vel heredi suo, excepto quod, si rediret de Hierosolimis, illam partem de communi, quam cum aliis tribus ejusdem ville dominis partiebatur, dominationem scilicet in hominibus et justitiam, accipiet, si voluerit, in manu sua, et in vita sua, quamdiu voluerit, tenebit. Post mortem autem suam redibit et hoc ipsum in manum et possessionem prædictæ ecclesiæ. Reliquum vero totum, id est quicquid vel in villa, vel in finagio in sua proprietate tenebat, et non erat ei commune cum aliis tribus, sive viveret, sive moreretur, absque ulla retractatione donavit eidem ecclesiæ perpetuo possidendum. De hac autem donatione investivit apud Firmitatem domnum Bernardum abbatem Clarevallensem, laudante Gertrude, uxore sua, in presentia domni Godefridi episcopi Lingonensium et nostra. Ego vero, de cujus casamento erat, eandem donationem laudavi cum Henrico, filio meo, et inde precepi hanc cartam facere.

Testes sunt hujus donationis : Hilduinus de Vendopera, Walterus de Bernone, Petrus Bursaldus, milites comitis ; nec non et Hugo dominus de Bellomonte, sororius suus ; et Rogerius de Orgiis ; et Wiardus de Villa ; et Johannes, major ejusdem villæ.

Digitized by Google

Factum est hoc apud Firmitatem, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo XL. V., regnante Ludovico, filio Ludovici, rege Francorum.

(*Original en parchemin, conservé aux archives de l'Aube. Le sceau manque. Il pendait par double queue. — Au dos on lit :*
Carta de donis Josberti de Firmitate; Sigillum comitis Theobaldi. Comites Campanie : Quinta.)

XI

DONUM FRIDERICI COGNOMENTO SALVATORIS.

(Cartul. de Clairvaux, originaux. *Chartæ communes.* II. — Anno 1147.)

Notificetur posteritati nostræ quod Fredericus, cognomento Salvator, laudante uxore sua Hersende, dedit monasterio Claræ-Vallensi, quicquid habebat in finagio Gundree Hispaniæ, absque ulla retentione. Sed et tam in aliis locis quam in eodem finagio fratribus ejusdem loci concessit, quicquid de feodo ejus vel jam acquisisse, vel in futurum acquirere possint ab his, qui ab ipso tenebant. Et testes sunt : Hugo de Bugeio; Pontius, de Sancto Lupo; Hugo, serviens; Odo, filius ejus. Et Leiardis, filia; et maritus ejus Frederius hoc ipsum donum laudaverunt; testibus Jheremia fratre Frederii; et Frederio, nepote eorum; Letardo; Widone, capellano.

Item in eodem finagio Drogo, Crassus, laudante uxore sua hodierna, et filiis suis Wicardo, Milone, Widone, Agnone, quicquid habebat vel ab eo tenebatur, monasterio Clarevallensi dedit.

Hugo de Villa laudante uxore sua Heldiarde, et filiis Widone, Everardo, Bencelino, et filiabus Gertrude, Altrude, Emmelina, testibus, Agnone, Lamberto, Fulcone, et Rainaldus, filius Everardi, filii Aalermi, laudante matre Lezvide et filiabus Lescelina, Emmelina, Gertrude, quicquid in eodem finagio habebant eidem monasterio concesserunt ; testibus iterum Agnone, Lamberto, Fulcone. Laudavit hoc donum Wido de Wangionis rivo de cujus feodo ipsa possessio descendebat. Similiter et in aliis locis quicquid de feodo ejus possint acquirere concessit laudavit et hoc ipsum Aalaydis, uxor ejus; testes sunt : Wido, prior Sancti Stephani; Odo de Clementino prato, Martinus de domo Dei; Everardus, filius Garengerii · Lebaudus rex.

Item in finagio ville Guiardus de Juvencurt assensu fratrum suorum Philippi et Arlebaldi partem alodii, quam habebat, Claravallensi monasterio liberam dedit et de communia quam in villa et in Juvencurt hereditate habebat se exheredavit. Testes sunt : Milo Mahart; Haimo viveus; Agno viridis.

Ricardus et Paganus fratres de Villa dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Claravalle, quicquid habebant ab Airablo usque in Albam, et ab inde versus Claramvallem a silva usque in Albam, et quicquid habebamus vel ab heredibus vel ab hominibus eorum. Hoc donum laudavit Beatrix, mater eorum, et Luca, et Belosa, sorores eorum, et Rainerius, filius Luce, et Adelina, uxor Ricardi, et Rainaldus, filius ejus, et Beatrix, filia ejus, cognomento Sylvestris. Testes sunt : Rainerius de Firmitate; et Guido, filius Odelini; et Durandus Molendinarius. Simile donum fecit de sua parte Egidius, filius Rainaldi, et obtulit per librum unum super altare. Testes sunt : Rainerius de Firmitate; et Guido, filius Odelini; et Rainaldus de Petrocinio; et Guido, filius ejus.

Maria, filia Humberti de Molenvilla laudavit donum quod dederat pater | ejus Clarevallensi monasterio in pascuis de Villa. Testes sunt : Ricoldus; Aimo; et Bernerius de Molenvilla.

Notificetur etiam posteritati nostræ, quod Josbertus de Firmitate, filius Isoberti Rufi, donavit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat apud Petrecinium, laudante uxore sua Gertrude, et quicquid habebat in finagio Petrecini. Testes sunt : Bernardus, abbas Clarevallensis, cui et in cujus manu hoc donum factum est; Everardus de Brecons; Aimo Bocardus; Paganus de Villa; Gaufridus Felenia. Idem quoque Isobertus concessit prædicto monasterio omnia dona quæ dederat pater ejus, et quicquid fratres ejusdem loci possent adquirere vel adquisierant ab eo vel ab heredibus suis de terra sua et de casamento suo et omnes aasentias in omni terra sua, laudante prædicta sua. Testes sunt : Hugo de Bellomonte, frater prædictæ Gertrudis; Ilduinus de Vendopera, comes Theobaudus, qui hoc laudavit de cujus casamento movebat.

Clarembaudus de Capis, laudante uxore sua Aaliz, dedit monasterio Clarevallensi, quicquid fratres ejusdem loci possint acquirere de feodo ejus. Testes sunt : Anculfus de Capis; Gauterius de Supraponte. Mortuo Clarembaudo, filii ejus Clarembaudus et Hugo Rapina hoc idem concesserunt; testibus, Ilduino de Vendopera, et Gaufrido Furnerio.

Walterius, filius Walterii Pineti, et Henricus, frater ejus, filius Freerii, laudante eodem Freerio, patre Henrici, et Vilrico Walterii, dederunt monasterio Clarevallensi quicquid habebant apud Petrecinium et in finagio ejus absque ulla retentione, et quod in tota terra Clarevallensis monasterii non acciperent paagium, quod apud Petrecinium accipiebant. Simile donum fecit ex parte sua Hugo, filius Freerii de Brion, testibus, Rainaldo de Petrecinio, Guiardo, filio Odelini, Rainaldo Chardon de Firmitate. Laudavit hæc dona Hugo, vicecomes de Firmitate, de cujus casamento hoc erat, laudante uxore sua Ildeberga, et amborum filiis, Erebaudo, Rorico, Johanne, et filiabus Lancenna, Isabel. Concessit etiam idem Hugo, quod si aliqua calumpnia oriretur de his donis, ipse eam in pace poneret. Supradictorum donorum Walterii et Henrici, et de laude Freerii, et de laude Hugonis viceconitis, testes sunt : Bartholo-

Digitized by Google

meus Coquilla; Gonterius de Buxeriis; Rainerius de Firmitate; Guiardus de Capis. De laude autem uxoris vicecomitis et filiorum et filiarum suarum testes sunt : Rainerius de Firmitate; Guiardus de Capis; Everardus de Brecons; Gariuus; Aimo viridis. Hoc quoque laudavit comes Theobaudus et Henricus, filius ejus, a quibus prædictus vicecomes tenebat. Et ut hoc firmius staret accepit comes Theobaudus super se, rogante Hugone viccecomite, quod si ex his donis aliquando aliqua calumpnia oriretur, et ipse eam non posset extinguere, comes Theobaudus tamdiu omne reliquum casamentum, quod ab eo tenet, in manibus suis teneret, donec eam omnino pacificaret.

Adelina, uxor Bartholomei Coquillæ, laudante filio suo Guicardo, et filia sua Gertrude, et ipso Bartholomeo, marito suo, et Hugone, patre suo, de Ostrecort, et Aunone, filio suo, dedit monasterio Clarevallensi quicquid habebat apud Petrecinium, et in omnibus finibus ejus in manu Godefridi Lingonensis episcopi. Testes sunt : Hugo, decanus, de Belona : Everardus, presbiter ; Rainerius de Rocha; Hugo Chavaucheia. Laudavit hoc mater ipsius Adelinæ, Matoldis, et Hugo, filius Adelinæ. Testes sunt : Hugo, decanus; Everardus, presbiter; Morellus, miles, de Claromonte; Rollanus de Petrecinio.

Guilelmus Guarescous de Covlenz dedit monasterio Clarevallensi, laudante uxore sua Isabel, de cujus capite hoc erat, quicquid habebat in finagio Petrecini absque ulla retentione, laudante filio suo Rainaldo. Testes sunt : Hugo, armiger ejus; Radulfus de Covlenz, et Radulfus, filius ejus, canonicus Lingonensis. Hoc donum laudavit Emmelina, mater Isabel, et Ilbertus, filius ejusdem Emmeline. Testes sunt : Rainerius, frater Emmeline; et alii multi qui ibi erant. Laudavit etiam hoc Thomas, frater Isabel, in presentia Godefidi (*sic*), Lingonensis episcopi, et Bernardi, Clarevallensis Abbatis; testibus Ebrardo de Firmitate; et Guidone, filio ejus; et Giremo de Britinniaco.

Erbertus de Barro super Sequanam dedit monasterio Clarevallensi quicquid habebat in villa Petricini, sive in finagio ejusdem villæ absque ulla retentione et quicquid ibidem tenebatur ab eo. Laudavit hoc frater ejus Thomas et uxor ejusdem Thomæ Ildiardis et filius ejus Thomas. Laudaverunt hoc cæteri fratres ejus Humbertus et Hagano et Guiardus, nepos ejus. Testes sunt Guido, comes de Barro super Sequanam; et Milo, filius ejus; et Milo de Valvurio; Ricardus de Cacenniaco. Laudavit hoc Rocelinus de Vendopera et Gaufridus, filius ejus et Hulduinus, frater Roscelini, a quibus tenebat. Laudis hujus testes sunt : Radulfus, capellanus comitis; Martinus, prior de castro Radulfi; Odo de monte Omeri; Josceranus Rigandus de Pringerio. Postea Richardus, filius Thomæ, laudavit hoc donum; testibus : Guiardo, filio Everardi de vacua Silva; et Deodardo; et Seguino.

Stephanus Raerius, laudante uxore sua Lucia, de cujus capite hoc erat; et laudantibus filiis et filiabus suis Hugone, Guidone, Henrico, et Gertrudi, et Floretia, dedit monasterio Clarevallensi quicquid habebat in finagio Petrecini absque ulla retentione. Testes sunt : Simon, filius Isoberti; Gontardi de Firmitate; Rogerius, frater Stephani; Stephanus, capellanus; Olbertus, capellanus de Blesia.

Aimo Bocardus dedit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat apud Petrocinum in finagio Petrecini absque ulla retentione. Simile donum fecit ex parte sua Rainerius de Gronai in eadem villa et in eodem finagio; laudante uxore sua Ascelina et filio eorum Lamberto et filiabus Ildiarde et Ermengarde. Testes sunt : Milo Crassus; et Scotus Venator. Hæc omnia concessit Goriardus, frater ejus, et Bruna, uxor ipsius Aimonis. Bencelina similiter dedit eidem monasterio quicquid habebat ibidem et eadem conditione; et hoc concedente filio suo, Simone et Galiena, uxore sua. Idem donum fecit Guiardus de Capis de sua parte. Horum omnium testes sunt : Agno viridis, Bartholomeus Coquilla, Milo Crassus, Everardus de Villa, et Landricus. Idem donum fecit Drogo de sua parte; testibus his : Guiardo de Capis, Seguino de vacua Silva. Idem quoque donum de sua parte fecit Petrus de Aissi; concedente Abelina, uxore ejus; testibus : Erberto, sacerdote; et Guiardo de Villa.

Marco de Vegniaco dedit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat apud Petrecinum absque ulla retentione, concedentibus Emmelina, uxore sua, et Henrico, filio suo, testibus his : Hugone de Veniaco, Garnerio, et Sirebello de Barro. Quale donum fecit Marcus tale fecit et Milo Crassus de Firmitate, gener illius, de sua parte; concedente Supplicia, uxore ipsius Milonis, et Marco, filio ejus Donum Marci et Milonis concessit Ermengardis, soror Suppliciæ. Testes sunt : Rainerius de Firmitate, Hugo de Confinio; Guiardus, filius Odelini de Firmitate. Dono Milonis consenserunt et alii liberi ejus Henricus et Sera; testibus : Hugone de Veniaco, Garnerio, et Sirebello de Barro.

Rolannus de Petrocino dedit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat in eadem villa et in finibus ejus absque retentione; concedente uxore sua Richildi et filiis suis Clemente et Bernardo et alio Bernardo et fratre ejus Pagano et nepote ipsius Anscherio; teste : Silvestro cum duobus supradictis Pagano et Anscerio.

Richardus et Paganus dederunt monasterio Clare vallensi, quicquid habebant a Petrocino usque ad Ermeniorii, quod est juxta Gaudrici montem sicut via romana dividit; hoc est, quicquid habebant in terra de Jurvilla et de Warencemont. Hoc donum laudavit Beatrix, mater eorum; et Luca, et Belosa, sorores eorum, et Rainerius, filius Lucæ, et Adelina, uxor Richardi, et Rainaldus, filius ejus, et Beatrix, filia ejus cognomento Silvestra. Testes sunt : Rainerius de Firmitate, Guido, filius Odelini, Durannus Molendinarius. Simile donum fecit de sua parte Egi-

Digitized by Google

dius, filius Rainaldi, et obtulit per librum unum super altare. Testes sunt : Rainerius de Firmitate, Guido, filius Odelini; Rainaldus de Petrocino, et Guido, filius ejus.

Hugo Bouez de Jovencort dedit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat in finagio de Juvilla et de Warencemont absque ulla retentione; laudante Bertha, uxore sua, cognomento Poma, et filiis eorum, Odone, et Hugone, et filia Goncelina; testibus : Stephano, presbitero; et Guidone, filio Odelini.

Odo et Petrus, filii Milonis Debois, laudante matre sua Dameron et sorore eorum Agnes, dederunt monasterio Clarevallensi, quicquid habebant in terra de Jurvilla et de Warencemont absque ulla retentione. Hoc donum laudavit Raherius et uxor ejus Bona amica et filii eorum Guido et Milo et filia Magaleb. Testes sunt: Thebaudus, nepos presbiteri; et Walterius; et Iterius de Beloun; Hugo; et Petrus.

Simon de Chameon dedit monasterio Clarevallensi, quicquid habebat in valle Mortui fontis usque ad Emmaurici fontem et quicquid habebat in eo monte, qui dicitur Medius Mons; laudante Hilberto de Barro, de cujus feodo hoc tenebat. Testes sunt : Isobertus Rufus, Rainerius de Pulleriis. Alio tempore Odo, Simonis frater, partem suam de Medio Monte, quam habebat, concessit. Testes sunt : Henricus de Aconvilla, Gilbertus, Carpentarius; Petrus, filius Henrici.

Rogerius de Esclantia, laudantibus filiis suis Hildierio et Hugone, dedit monasterio Clarevallensi, quicquid monachi exartaverant in bosco et Acunvilla. Concessit etiam quandam partem bosci juxta Mortuum fontem, quæ necdum exsartata erat et ut omnes aasantias nostras haberemus ubique in reliquo bosco, excepta agri cultura. Simile donum fecit comitissa de parte sua, laudante Odone marito ipsius. Pro his tamen donis reddetur eis annuus census duodecim nummorum Trecensis monete, qui census a Kalendis Octobris usque ad Kalendas Novembris ministro eorum de Acunvilla debet reddi. Donum comitisse laudavit supra scriptus Rogerus de quo tenebat et filii ipsius Rogerii Hildierius et Hugo. Laudavit etiam utriusque donum Stephanus de Grangia, de quo tenebat Rogerus. Laudavit Hibertus de Barro de quo tenebat predictus Stephanus. Concesserunt etiam Rogerius et filii ejus et Stephanus de Grangia et Hirbertus de Barro, quod si quam calumpniam super his donis oriri contingeret, ipsi eam penitus extinguerent. Facta sunt hæc dona in manu Guidonis monachi, presente Dominico, preposito Barri. Testes : Radulfus, decanus de Barro; Hildierius, magister de domo Dei; Falco, gener Herberti; Galterius Scotus. Laudavit etiam hæc omnia Gaufridus, filius Herberti. Testes : Radulfus, decanus de Barro; Hildierius, magister de domo Dei; Odo Rufus; Lambertus, et Girardus Lingonenses.

Gilo, filius Rainaldi de Villa, dedit nobis pratum juxta ripam Albæ, quod vocatur Croipratum, et laudavit quicquid pater ipsius dederat nobis in fine Gondeæ Hispaniæ; id est, pratum Girardi et pratum Hugonis et pratum Garini et alia omnia quæ habemus a patre ejus; testibus : Remigio, capellano de Villa; Guiardo, filio Odelini, Engelranno fusore.

Gaufridus Felenia dedit pratum Beroldi monasterio Clarevallensi, in finagio Villæ, laudante Airardo, sororio suo; testibus : Petro Ventario, Arberto, Bernardo. Concessit hoc donum Lancenna, uxor Airaudi, laudantibus filiis amborum Girardo, Rainerio, Guiardo, et filia Galia; testibus : Bernardo, majore; Guiardo, presbitero; Theoderico.

Ego Godefridus Dei gratia Lingonensis episcopus, totam presentis paginæ cartam laudo et proprio sigillo munio et Clarevallensi monasterio in perpetuum confirmo. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo, regnante Ludovico, filio Ludovici, rege Francorum. Signum Jocelini Archidiaconi. Signum Pontii, Archidiaconi. Signum Warnerii, Archidiaconi. Signum Guiardi, Archidiaconi. Signum Fulconis, Archidiaconi. Signum Humberti, decani.

(Original en parchemin. — Sceau de cire rouge pendant par double queue. — Archives de l'Aube.)

Digitized by Google

VARIA

LIBRIS DE VITA ET REBUS GESTIS S. BERNARDI

ADDITAMENTA

QUIBUS

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS

EXORDIA

GENUS ET GLORIA POSTHUMA

SANCTI BERNARDI

CLARÆVALLENSES CISTERCIENSESQUE ANTIQUITATES

ILLUSTRANTUR

EXORDIUM MAGNUM

ORDINIS CISTERCIENSIS.

De antiquitate et maxima hujus libri auctoritate hæc F. Chrysostomus Henriquez in *Menologio ordinis Cisterciensis*, Apparat. c. IV :

Omnium nostri ordinis historiarum quasi lapis fundamenti, et scriptum maxime authenticum, est liber ille, quem *Exordium ordinis Cisterciensis* vocamus. Hujus enim venerandam antiquitatem suspicimus non solum nos Cisterciencis familiæ alumni, sed et classici quique auctores illum magno in pretio habent : ubique enim antiquitatum ecclesiasticarum periti in eo reperiunt præclara testimonia, quibus opiniones et historias stabiliant et confirment. Quantum ad me, quotiescunque hunc librum evolvo, non possum satis pietatem, styli gravitatem, sententiarum pondus, et mirandos eventus, qui ibidem referuntur, non mirari : idque ausim dicere, hunc in suo genere esse ex majoribus et pretiosioribus thesauris quo gaudet Ecclesia, talemque a fidelibus habendum.

Hujus libri auctor, seu verius collector, veterum Patrum imitatus exemplum et modestiam, nomen suum supprimit, et quidquid scribit, potius aliorum diligentiæ et utili labori tribuit, ut primi libri cap. 2. disertis verbis fatetur. *Operæ pretium reor, generationibus futuris describere, qualiter Cisterciensis Ordo sumpsit exordium, quamque copiosa benedictione gratiæ Dei a principio sui profusus sit, sicut partim per litterarum monumenta tradiderunt nobis viri sancti, qui ab initio sacræ hujus Religionis auctores exstitere, partim vero majorum relatione didicimus : quatenus hi, quos in sæculis superventuris divina gratia ad ordinem nostrum vocare dignabitur, si hanc nostræ parvitatis paginam, quam ad ipsorum consolationem elaboravimus, legere dignum duxerint, considerantes quam nobili regum mamilla lactati sunt, erubescant filii degeneres inveniri*, etc. Unde liquet, auctoris dicti libri nobis expressum non esse; constare tamen ipsum, quicunque ille fuerit, archiepiscopi Herberti, Joannis Prioris, et Gosvini monachi scriptis adjutum fuisse, licet eorum nomina ab ipso non exprimantur, sed universim loquatur, ut libro VI, cap. 10, ait : *Ea quæ a studiosis sparsim exarata recepimus, ad manifestiorem rerum notitiam, majoremque legentium utilitatem, in unum collegimus.*

Et quantumlibet ejus nobis nomen lateat, hoc saltem liquet, Clara-Vallensem fuisse monachum, ut ipse testatur his verbis lib. I, cap. 2 : *Si quem vero movet, quod Clara-Vallensium tantum, et non etiam*

Digitized by Google

Cisterciensium seniorum mentionem fecimus, noverit, nos, ut Ecclesiæ Claræ-Vallis alumnos, nostrorum seniorum sacra studia familiarius et efficacius investigare potuisse. Nec ea quæ de paucorum sincera conversatione, seu felici consummatione ad absolutionem sponsionis nostræ descripsimus, innumerabilium servorum Dei, qui tam in Cistercio quam in universitate sacri ordinis spiritales agones viriliter desudarunt, præjudicare sanctitati. Et licet sancti Patris Bernardi discipulus non fuerit, tamen certum, illum aliquos ejus filios spirituales novisse, et illis familiariter usum fuisse, quorum relatione scripsit ea quæ de sanctorum gestis et vitis habet. Loquens enim de beato Raynaldo, lib. II, cap. 13, ait: *Respondens autem unus ex iis, vir religiosus, quondam Abbas Fusniaci, qui secretorum famuli Dei* (Bernardi scilicet) *magis conscius erat, et cujus etiam relata ista cognovimus.* Familiariter etiam conversatus est cum beato Gerardo abbate Longi-Pontis, ejusdem Bernardi discipulo, ut legitur lib. II, cap. 10 : *Hæc autem significavit nobis D. Gerardus abbas Longi-Pontis, qui unus ex senioribus Claræ-Vallis, dicta et facta sancti Patris studiose rimari satagebat.* Additque sub finem lib. VI, cap. 10 : *Vidimus etiam ibi ex discipulis sancti Bernardi seniores morum gravitate, religionis integritate, prudentia et simplicitate reverendos.* Auream ætatem vidit, qua tanta in ordine perfectio, et poterat uti, et usus est tot sanctorum Patrum familiaritate et aspectu, qui primævum illum Ordinis nostri vigorem et rigorem, quo fuit institutus a primis fundatoribus, exacte observabant. Quod idem auctor ultimo operis sui libro testatur, dum inquit : *Cæterum, postquam clara illa Vallis primum et clarissimum abbatem suum post unum* [*leg.* : *octo* — ut optime correxit Magister D. F. Ignatius de Ybero, abbas perpetuus Fiteriensis in prima editione Magni Exordii: Pampilone, 1631, in-f° EDIT. NOTA] *et triginta annos ad superni Imperatoris transmisit palatium, ut jam tanto esset potentior ad subveniendum, quanto summæ Majestatis faciem vicinius contemplatur, per sanctos successores ejus, de quorum virtutibus supernis aliquid comprehendimus, sanctæ Religionis vigor conservatus in eadem Domo illibatus duravit : sicut in temporibus venerabilis ac Deo digni viri D. Petri, ejusque successoris domini Warneri, postea Lingonensis episcopi, divina favente gratia nobis probare concessum est.* Unde patet, quo tempore in Clara-Valle vixerit. Denique dico, non plures, sed unum fuisse hujus libri collectorem et scriptorem, eumdemque opus hoc inchoasse et perfecisse, ut ipsemet dilucide ait. Postquam enim lib I, cap. 2, dixisset, *Operæ pretium reor generationibus futuris diligentius describere*, etc., addit totius operis cap. ultimo : *Sicut in exordio hujus voluminis præfati sumus*, etc. Quo se ad id quod operis principio se scripturum promiserat refert, et ad ordinem quem servare proposuerat.

EXORDIUM MAGNUM

ORDINIS CISTERCIENSIS.

(*Bibliath. PP. Cisterciensium* F. Bertr. Tissier. Bonofonte, 1660. in-fol. tom. I, p. 13.)

In codice manuscripto cœnobii Fusniacensis quo utor, habetur hic titulus, seu inscriptio operis sequentis : *Incipit narratio de initio Cisterciensis Ordinis, qualiter Patres nostri de Molismensi cœnobio, propter puritatem Ordinis secundum tenorem Regulæ sancti Benedicti recuperandam egressi, fecundam Cisterciensem Ecclesiam fundaverunt, quæ est mater omnium nostrum : quoniam ex ipsa tanquam de fonte purissimo rivuli cunctarum Ecclesiarum Ordinis nostri derivati sunt : et de nonnullis reverendis, atque in omni religione conspicuis personis, quæ in Cistercio et Claravalle claruerunt.* Quia tamen hic liber Exordium magnum Ordinis Cisterciensis solet appellari, sicut et præcedens ex opposito parvum exordium; idcirco titulum prædictum præelegi. Hujus magni Exordii auctorem ignorari, ait Angelus Manrique in Annalibus. Verum Fusniacensis codex hæc habet verba : *Istum librum composuit quidam abbas, Conradus nomine, Everbacensis cœnobii, qui fuit monachus Clarævallis.* Et monasticen quidem in Claravalle se professum, non obscure indicat in fine hujus operis, ubi temporibus B. Petri et D. Garnerii postea Lingonensis episcopi, quorum ille octavus, hic nonus Claravallensis abbas exstitit, se Claravalle disciplinis claustralibus eruditum fuisse, asserit, videlicet circa annum 1180. Est autem Eberbac, cui Conradus iste dicitur præfuisse, monasterium de linea Clarævallis in Moguntina diœcesi, cujus ipse auctor summa cum laude meminit in distinct. 5, cap. 17, et alibi : ubi tamen non indicat ejusdem loci se abbatem esse. Sed quisquis sit libri auctor, hunc lectu dignissimum et utilissimum, et in Bibliothecæ Patrum nostrorum capite locandum, judicavi. Notandum superest periisse unum aut etiam plures hujus libri quaterniones, ante cap. 15, qui de B. Alberico agebant, de quo jam nil omnino dicitur. Unde cum, cap. 37, dicatur corpus S. Stephani juxta prædecessoris sui, scilicet Alberici, tumulum fuisse conditum, constat olim locum sepulturæ Alberici in isto libro declaratum fuisse; alioqui ignotum per ignotum declararetur. Vide Manriq., tom. I, Annal., an. 1106.

DISTINCTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Quod Dominus Jesus in doctrina sua formam perfectæ pœnitentiæ tradiderit.

Deus æternus æterni Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, Creator omnium rerum, Redemptor omnium fidelium, dum in diebus humilitatis suæ salutem in medio terræ operaretur, salutarem perfectæ pœnitentiæ viam mundo prædicavit dicens : *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cæ-*

Digitized by Google

lorum (*Matth.* IV). Gratias inæstimabili misericordiæ Dei, qui sereniori tandem oculo respiciens miserum genus, filiorum Adam, districtionem legis, quæ oculum pro oculo, dentem pro dente, omnimodamque talionem pro omni excessu immisericorditer reddebat, per incarnatam Verbi sui dulcedinem temperavit, dicens : *Pœnitentiam agite.* Ne vero imbecilles homines ad verbum pœnitendi, id est pœnam tenendi, terrerentur, mox verbo consolatorio, verbo omni acceptione digno, præmissæ sententiæ severitatem dulcorare curavit, subjungens : *Appropinquabit enim regnum cœlorum.* Quis enim sanum sapiens, licet infirmus, licet delicatus sit, non patienter, imo gratanter, præsentis pœnæ momentaneum pondus sustineat, non solum ut æternitatem futuræ pœnæ fugiat, verum etiam ut cœlestis regni nunquam finiendi particeps fiat? Verum quia beatus baptista et præcursor Domini Joannes in ordine præcursionis suæ pœnitentiam prædicans, dignos ejusdem pœnitentiæ fructus agi censuit (*Matth.* III) ; quærendum summopere nobis est quæ sit formula perfectæ pœnitentiæ, quæ ad dignos promerendum fructus sufficiens esse videatur. Sed ubi formulam illam dignius quærimus, quam in ipsius magistrorum magistri Domini nostri Jesu Christi dictis et factis? Cum enim quidam possessiones habens multas a Domino quæsisset quid faciendo vitam æternam obtineret, et Dominus mandata legis ei proposuisset, illeque se omnia a juventute sua servare dixisset, subjunxit Dominus. *Adhuc unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me; et habebis thesauros in cœlo* (*Matth.* XIX). Ille vero qui non se, sed sua, et illa non tota, sed ex parte, et parte satis modica, videlicet decimas, primitias cæterasque legales oblationes, offerre consueverat, et hoc magnum aliquid esse putabat, audiens verbum consummatæ justitiæ resiliit, et trahens cor in terram abiit tristis, quia nimirum testante Veritate, qui divitias quas habent affectuose diligunt, difficile salvantur (*ibid.*). O quam aliter affectus erat beatus Petrus! O quam largo cœlestis gratiæ rore perfusus ab æstu mundanæ cupiditatis refriguerat, qui de se suisque condiscipulis tam humiliter quam fiducialiter Domino dicebat : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*ibid.*). Hic plane formam perfectæ pœnitentiæ reperimus, quam Salvator consilium salutis quærenti suasit, discipulis etiam sequentibus se tradidit, licet legamus nonnullos in divitiis et in omni gloria mundi continenter et humiliter vixisse. Sed quia privilegia paucorum communem legem non faciunt, tutius multo quicunque celsitudinem perfectionis sectari conantur, obaudiunt vocem Domini in Evangelio dicentis. *Si quis non abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* IV).

CAPUT II.

Quod a primitiva Ecclesia communis vitæ traditio cœperit, et quod hinc monasticæ religionis institutio principium sumpserit (1).

Enimvero decebat ut summi Patris Sapientia, quæ perfectæ justitiæ normam tradere venerat, hanc in ipso statim nascentis Ecclesiæ pusillo grege signanter imprimeret, quatenus universi qui eorum exemplo provocati viam arduam et angustam incedere proponerent, tantæ majestatis informati magisterio, tantorum etiam Patrum exemplo roborati, viam Domini dilatato corde currerent, dicentes cum Psalmista Domino : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI), sciens quoniam centuplum quod promisisti reddes, et insuper vitam æternam adjicies. Passo vero in carne Domino, A postquam a mortuis resurrexit et in cœlum ascendit, discipulis etiam Spiritum sanctum quem promiserat misit, multiplicatis jam credentium turbis, clarius ejusdem spiritualis vitæ, quam perfectam pœnitentiam dicimus, nitor elucere cœpit, cum sicut Lucas testatur, *multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessores etiam agrorum et domorum vendebant quæ possidebant, ponentes pretia ante pedes apostolorum* (*Act.* IV). Quantam vero reverentiam in cordibus non credentium sublimis illa conversatio generaret, testatur idem beatus Lucas, cum dicit quia *cæterorum nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus* (*Act.* V). Nec solum Jerosolymis hæc schola primitivæ Ecclesiæ cœlestibus instituebatur disciplinis, verum etiam Antiochiæ sub magistris Paulo et Barnaba gloriosissime floruit : ibique discipuli primo appellati sunt Christiani. Philo quoque B disertissimus Judæorum in libro quem *theorica Vita* prætitulavit, de ferventissimis eorum in Domino studiis multa conscripsit. Monachorum etiam cœnobitarumque nomen, vitam et institutionem ab eis exordium sumpsisse perspicuum est. Cæterum disseminato verbo Dei per universam regionem, cum jam in omnem terram exisset sonus prædicationis apostolorum, necesse erat ut arca sanctæ Ecclesiæ, quæ perfectissimæ hujus religionis typo in superioribus suis angusta unitatis cubitum perficiebat, dilatato charitatis sinu in inferioribus suis, pusillanimes et ad perfectionis celsitudinem minus idoneos colligeret, quatenus omnipotentis Dei misericordia non solum homines, sed et ipsa quoque jumenta, id est terrenæ substantiæ pulvere se ex infirmitate fœdantes, dignantissime salvaret. Hinc jam nobilis illa respublica, quam Dominus Jesus Christus instituerat et Spiritus sanctus roborarat, in qua cum nullus quidquam possideret, nemo tamen egens erat inter illos, cœpit ad privatas res C distrahi, cœperuntque Christiani substantiis licenter uti, sic tamen, ut terrena cœlestibus non præponerent, sed temporalia bene dispensando, facilius ad cœlestia pervenirent.

CAPUT III.

Quod monachicus ordo per beatum Antonium, cæterosque sanctos patres roboratus, excellenter claruit.

Licet vero imperfectorum multitudini condescendens mater Ecclesia, remissioris vitæ laxaverit habenas, tamen ab ipso nascentis Ecclesiæ principio usque ad hæc nostra tempora nunquam defuerunt viri virtutum, qui ferventissimo divini amoris igne flagrantes, remissioris quoque vitæ blandimenta respuentes, communis vitæ rectitudinem, quæ sola perfectæ pœnitentiæ, quam Dominus Jesus prædicavit, stabile fundamentum est, indefesso pietatis studio tenuerunt ; et posteris suis tenendam multi- D plicibus sanctæ conversationis regulis et exemplis tradiderunt. Inter quos primi vel præcipui exstiterunt Antonius, Pachomius, Basilius, quorum prior Antonius, non atramento neque littera, sed spiritu Dei vivi scriptam legem charitatis in corde suo demonstrans, perfectissimæ conversationis suæ perfectissimos discipulos reliquit : quales fuerunt Macharius, Paphnutius, Pambo, Isidorus, aliique quamplures, qui monasteriorum per Ægyptum et Thebaidem Patres effecti, catervasque innumerabilium monachorum per tramitem perfectæ pœnitentiæ ducentes, de mundo ejusque principe diabolo, cum suis omnibus gloriosissime triumpharunt. Pachomius vero, cum factus esset apostolica gratia insignis, scripsit monachorum Regulas, quas An-

(1) Hieronymus, epist. ad Paulin., monasticæ vitæ originem refert ad Eliam, Eliseum, et filios prophetarum. Ex Philone constat hoc vitæ genus in tota Ægypto, et præcipue circa Alexandriam floruisse.

Digitized by Google

gelo dictante didicerat : ad quarum institutionem infinitam multitudinem vivorum lapidum poliens, muris cœlestis Jerusalem reædificandis convexit. Beatus etiam Basilius Cæsariensis episcopus, Ecclesiæ doctor eximius, scripsit monachorum Regulam : quæ, sicut testatur B. Pater noster Benedictus (2), rectissima norma est vitæ humanæ, per quam ad cœlestem patriam sine offensione perveniatur. Ad horum itaque tam venerabilium Patrum documenta et exempla virtutum, tota Orientis Ecclesia multo tempore per monasticæ religionis sectatores insigniter floruit, sicut etiam paulo ante hæc nostra tempora beatæ memoriæ Anselmus primum Havelbergensis episcopus, post modum Ravennas archiepiscopus disputatione, quam ipse cum Græcis de pertinacia schismatis eorum habitam eleganti stylo conscripsit, testatus est. Hic cum esset a Lothario, Romanorum imperatore Christianissimo, ad Constantinopolitanæ urbis imperatorem apocrisiarius missus, et subtiliter diversarum religionum statuta scrutaretur, vidit in monasterio, quod Pantocraton, id est Omnipotentis dicitur, septingentos ferme monachos sub Regula beati Antonii Domino militantes. In cœnobio quoque, quod Philoanthropon, id est amantis hominem, dicitur, vidit circiter quingentos monachos sub regula sancti Pachomii Domino servientes. Vidit etiam quamplura monasteria sub Regula beati Basilii jugum Domini suave portantia.

CAPUT IV.

De institutione et auctoritate Regulæ sancti Patris Benedicti. Quomodo per gratiam Dei floruit, et usque hodie floret.

Dominus noster Jesus Christus, qui sacratissimæ humanitatis suæ præsentia Orientem illustravit, quos digniores et sublimiores in Ecclesia sua habuit, beatissimos videlicet apostolorum principes Petrum et Paulum, vice sua destinavit Occidenti; quatenus Occidentis populi pretiosum fidei arcanum, quod Petrus non per carnem et sanguinem, sed per inspirationem summi Patris acceperat : et item, Evangelium quod Paulus non ab homine, nec per hominem, sed per revelationem Jesu Christi didicerat, Spiritus sancti magisterio edocti, cum populis Orientis in eamdem fidei plenitudinem concurrerent, et sic ex omnibus una Christi Domini sponsa non habens maculam aut rugam efficeretur. Porro eadem gratia, quæ ad instituendam roborandamque monastici ordinis disciplinam, prædictos sanctos Patres contulit Orienti, non inferioris meriti virum in dignatione misericordiæ suæ prærogavit Occidenti, sanctissimum videlicet Patrem nostrum Benedictum : qui non solum Antonii et Basilii spiritum, verum etiam, testante beato papa Gregorio, justorum omnium spiritu plenus, tanquam sidus purissimum et lucidissimum singulari prærogativa sanctitatis, superexcellenti puritate conversationis, signorum denique miraculorumque inæstimabili gloria ab Occidente usque in Orientem clarissime refulsit, ita ut quidquid Oriens in diversis Patribus divisis charismatibus habere se gaudet, hoc totum in uno sanctissimo Patre suo Benedicto, justorum omnium spiritu pleno, se possidere Occidens non immerito glorietur. Scripsit namque idem reverendissimus Pater noster monachorum Regulam, quam diuturno virtutum exercitio non per hominem, sed per unctionem illius qui docet hominem scientiam, didicit : in qua mirabilis artifex Spiritus sanctus summam perfectionem et moderatissimam discretionem tam subtili connexione copulavit, ut quantumcunque religiosus in ea inveniat unde adhuc proficiat; et quantumcunque pusillanimis aut infirmus infirmitatis suæ in ea æque remedia inveniat. Quis enim verbi gratia, adeo justitiæ tenax, quis sanctæ religionis adeo fervens æmulator erit, cui si gratia duce datum fuerit, ut duodecim gradus humilitatis, qui in Regula describuntur, ascendat; et si crescentibus meritis eatenus profecerit, ut ad sextum e septimum, id est ad ultimum primi, et primum secundi senarii gradum perveniat, qui numerus perfectionem significans, et in iis gradibus humilitatis geminatus, dilectionem Dei et proximi, quæ est perfectionis summa, per Regulam doctoris demonstrat, nonne si se sine dissimulatione respiciat, si cunctos infirmantis conscientiæ angulos diligenter excutiat, nonne, inquam, vires suas metiens, defectumque sentiens, continuo lugens exclamabit cum Apostolo quod *qui putat se aliquid esse, cum nihil sit ipse se seducit?* (*Gal.* VI.) Quis rursum adeo delicatus et infirmus erit, ut in observantiis Regulæ, jejuniorum suorum, vigiliarum, et laborum cæterarumque institutionum moderatissima discretione disposita rum infirmitatis suæ congrua remedia non inveniat? Quocirca, quod idem legislator in ultimo capitulo ejusdem Regulæ dicit, in ea non omnem justitiæ observationem esse descriptam, et vocat eam minimam inchoationis Regulam, et ad perfectionis fastigium tendere volentes mittit ad doctrinas et regulas veterum Patrum, testante beato Bernardo, causa humilitatis facit, ne videlicet in describendo Regulam videretur se veteribus Patribus arrogantes æquare, studens et in hoc humilianti conscientiæ suæ providere. Beatus quoque Gregorius vir apostolicus (3), non minus merito quam officio, commendat eam sermone esse luculentam, discretione præcipuam, latenter auctoritate sua suadens monachis ut, relictis cæterarum institutionum consuetudinibus minus fortasse discretis, Regulam Dei dilecti Patris Benedicti discretione præcipuam devoto corde susciperent, et ad ejus normam cunctum vitæ suæ ordinem informarent. In concilio quoque quod postmodum in Galliis celebratum est, communi decreto sancitum est ut monachi, per provincias Galliæ et Germaniæ degentes, relictis cæterarum Regularum institutis, in omnibus cœnobiis suis Regulam prædicti Patris reciperent, et in omni conversatione sua formam ab eo præscriptam observarent. Ad hujus itaque sanctæ Regulæ exemplar plura per Italiam monasteria correcta, multa quoque per venerabilem Patrem de novo constructa sunt, in quibus multitudines monachorum in spiritu humilitatis Domino servientes, tanquam veri Israelitæ dignos pœnitentiæ fructus faciebant.

CAPUT V.

Quod beatus Benedictus, rogatu Cenomanensis episcopi, sanctum discipulum suum Maurum causa fundandi cœnobia ad partes Galliæ direxit.

Nec solum Italia, verum etiam Galliæ trina divisio, sacræ hujus religionis bono odore respersa, jugum Domini suave et onus ejus leve, sanctæ videlicet Regulæ instituta suscipere laudabili desiderio gestiebat. Unde accidit ut vir magnificus, Cenomanensis urbis episcopus, legatos suos ad venerabilem Patrem Benedictum dirigeret, Flodegarium suum archidiaconum et Hardoradum vicedominum suum, devotissima instantia petens quatenus ei aliquos sui monasterii fratres transmittere dignaretur, qui sibi in Galliarum partibus cœnobium secundum instituta Regulæ sancti Patris ædificare deberent. Beatus vero Benedictus convocans discipulum suum Maurum, quem ab infantia in timore Dei educaverat, ipsum cum aliis religiosis fratribus ad Galliarum partes direxit : ubi etiam cœnobium religione pariter et divitiis clarum construxit, magnæque multitudinis monachorum Pater effectus, signis et virtutibus ornatus quievit in pace. Fertur quod in

(2) Bened. c. ult. Regulæ.

(3) Greg., II Dial., c. 36.

Digitized by Google

eodem monasterio libra panis, et hemina vini, quam sanctus illuc transmisit Benedictus, in memoriam antiquitatis atque ob tanti Patris reverentiam usque hodie reservetur. Abhinc per universas Galliarum provincias crevit et multiplicata est religio monachorum, sub Regula Patris Benedicti Christo Domino vero regi militantium; multique ad eam divina gratia inspirati confluebant, qui sacræ disciplinæ officiis exercitati, de terra cordis sui fructum boni operis afferebant in patientia. Verum, succedenti tempore, irruentibus intra Gallias barbaris, cum Dominus peccata populi sui multiplici paganorum incursione castigare decerneret, multa etiam cœnobia sanctorum aut igne cremata, aut ad solum usque destructa sunt : quæ vero remanserant, in tantam negligentiam resoluta sunt, ut antiquæ religionis vestigium vix in aliquibus monasteriis inveniretur. Cæterum gratia Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum Ecclesiam suam, refrigescente charitate et abundante iniquitate, variis tribulationibus flagellari permittit, nec tamen unquam ab ea viscera misericordiæ suæ claudit, ita nimirum ordinem monasticum, per infirmitatis humanæ corruptionem continue ruentem, temporibus opportunis per viros virtutum restaurare non desinit.

CAPUT VI.

Quod beatus Odo Cluniacensis abbas ordinem monachicum collapsum per gratiam Dei strenue reparavit.

Hinc est quod beatus Odo, nobilissimi illius Cluniacensis cœnobii rector eximius, ad tantum sanctitatis apicem exercvit, ut Ordinem monasticum temporibus suis omnino in præceps ruentem, secundum gratiam sibi a Domino collatam, per omnia in antiquum sacræ religionis vigorem restauraverit. Ut enim de ruina morum temporis illius breviter dicamus, cum cœpisset idem venerabilis Pater Odo in monasteriis suis districtionem disciplinæ regularis rigide, sicut oportebat, tenere, alii quidam monastici videntes quosdam de fratribus ejus subtalares suos lavantes, vel ungentes, seu alia quælibet vilia opera facientes, silentium etiam studiose tenentes, etsi necesse fuisset, signis pro verbis utentes, nimio iracundiæ felle commoti : « O infelices, inquiunt, quid facitis? Quæ lex, vel quis Ordo præcipit, ut tam vilibus et servilibus operibus insistatis? Ubi, quæso, Scriptura hæc jubet ut manibus pro lingua utamini? Nonne ipsi Creatori injuriam facere convincimini, qui, relicto naturali usu linguæ et vocis organo, manibus irrationabiliter tumultuamini? » Sed vir beatus, disputatorum et pseudomonachorum garrulitatem parvipendens, fratres suos ut in melius proficerent verbo et exemplo commonebat, sicubi etiam a religiosis viris evocatus fuisset, impiger pergebat, et cœnobia aut dissoluta ad districtionem Ordinis revocabat, aut nova fundabat. Plane quam rigide monachi ipsius disciplinæ censuram tenuerint, per hoc unum virtutis eorum indicium, quod ad demonstrandum in eis animi constantiam referre volumus, innotescere poterit. Quadam namque vice dum quidam ex eis iter agerent, mediis noctis tenebris a prædonibus circumventi, cum suis omnibus capiuntur, trahuntur, spoliantur, contumeliis afficiuntur, ad ultimum in vincula conjiciuntur, prædonibus sane mirantibus pariter et indignantibus, quod in tantis malis ipsis a se illatis, ne unum quidem verbum ab eis ullatenus extorquere potuissent. Tanquam enim muti et elingues seu damna et contumelias non sentientes, in silentio durabant, quousque nocturnæ et matutinæ laudis solemnitate peracta, aurora quoque radios suos vibrante, linguam ad loquendum laudabili discretione solverent, quam prius laudabiliore censura propter timorem Dei et Ordinis disciplinam coercuerant.

Nec modo in Galliis Ordinis sacri statum reparavit, sed etiam in Italia. Ad speciale quoque Sancti Benedicti cœnobium in Francia, ubi, sicut dicitur, sacratissimum corpus ejus requiescit, ipso beatissimo Patre Benedicto invitante perrexit, sicut in gestis ejusdem sancti Odonis invenitur. Cum enim quadam die monachi ejusdem loci in claustro sedentes contentionibus et scurrilitatibus occupari non erubescerent, sanctus Pater Benedictus cuidam monacho ante portam monasterii visibiliter apparuit, dicens ad eum : « Vade, et dic fratribus istis quod perversis moribus suis nimium me contristant : ideoque jam nunc vadam, ut adducam virum secundum cor meum de Aquitania, quatenus perversos istos corripiat, et Ordinis disciplinam in hoc meo monasterio restauret. » Stupet ille, celerique gradu ad fratres veniens, quod spiritualis eorum Pater mandaverat, cunctis audientibus, refert, consternatosque et attonitos reddit universos. Quærebant tamen inter se cum magna admiratione quisnam esset de quo Pater sanctus dixisset, ipsumque, sicut postmodum rei exitus docuit, beatum Odonem fore trepidi suspicabantur. Devotissimus itaque Patris Benedicti pedissequus Odo veniens ad prædictum locum, licet per multas tribulationes et contumelias, quas ab illis qui perniciosam libertatem magis quam regularis vitæ districtionem diligebant, passus est, tamen per gratiam Dei et adjutorium sancti Patris Benedicti laudabiliter satis Ordinis disciplinam in eodem monasterio reformavit. Cæterum speciale ejusdem Deo dilecti Patris Odonis cœnobium quod Cluniacum dicitur, quodque usque hodie maximum et nobilissimum refulget, maximum multitudine fratrum, nobilissimum possessionibus, divitiis et gloria; sed et monasterium de quo Pater Odo cum fratribus suis Cluniacum secessit, quasa consummata fuerint, quamque perfecti et Deo digni in eis claruerint viri litteris traditum scimus. Unde et nobis duo jucunda valde miracula excerpta huic nostro opusculo inserere placet, quatenus prudens lector ex his duobus cætera perpendere valeat.

CAPUT VII.

De fratre, in cujus manu micæ panis in pretiosissimas margaritas conversæ sunt.

Canon erat monasterii, quatenus fratribus ad mensam sedentibus refectione peracta micas quæ de fragmentis panum deciderent, diligenter colligerent et insumerent, ne vel in hoc negligentiæ rei coram Deo inveniremur. Accidit autem quadam die ut unus ex fratribus, qui conscientiæ suæ non incuriosus servator erat, cum cæteris ad mensam residens, refectione peracta micas secundum consuetudinem collectas replicans in volam, digitis manus clausas teneret, atque cum multa cordis dulcedine lectioni intenderet; sed priusquam eas sumeret, repente ad nutum prioris lector lectionem finivit. Quid tamen ageret? Nec rejicere fas, nec sumere jam licebat, nimirum utrobique periculo prævaricationis occurrente. Itaque clausas manu tenet, cogitans hanc negligentiæ culpam non nisi per confessionis et pœnitentiæ remedium aboleri posse. Dictis vero gratiis, signo confessionis facto, priorem in partem trahit, et cadens in faciem veniam petit, cum multa cordis simplicitate negligentiam suam manifestans. Priore autem culpam ejus, sicut dignum erat, corripiente, et quid de micis fecisset inquirente : « Ecce, inquit, domine, in manu nostra sunt. » Cumque prior præciperet ut eas ostenderet, ille exerto brachio manum aperuit; et ecce in vola ipsius pro micis inventæ sunt pretiosissimæ margaritæ. Utinam laudabilem fratris hujus fervorem attendere dignentur quidam negligentes fratres, qui, finita lectione, si forte offulam in manu habuerint quam edere velint, aut si in syphulo aliquid remanserit quod ebibere cupiant, sine respectu timoris Dei id facere non verentur, cum utique sacri Ordinis consuetudo tradat, ex quo lector incœperit dicere : *Tu autem, Domine*, ne-

Digitized by Google

minem quidquam cibi aut potus sumere debere. Sed quid putamus quare omnipotens Deus tam gloriosum miraculum, et sicut videbatur, minus necessarium, in rebus quoque minimis facere voluit? Utique, propterea ut palam cunctis innotesceret quantum sibi placeant fratres in congregatione spiritu ferventes, qui non solum majora, sed etiam minima mandata propter timorem ipsius cum sollicitudine custodiunt.

CAPUT VIII.

De fratre moriente qui vidit multitudinem candidatorum ad se venire.

Frater quidam in Cluniaco, cum laudabiliter in omni fervore et devotione sacræ religionis vitam suam custodisset, tactus infirmitate peremptoria, ad extrema deductus est. Cumque jam morti proximus agonizaret, aperiens oculos vidit magnam multitudinem monachorum ad se intrantem, qui omnes candidis vestibus induti erant, illo suo genere vestimenti quod usu ecclesiastico alba vocatur, sicut solent conventus Ordinis illius in præcipuis solemnitatibus revestiri. Quos cum videret, putans conventum fratrum esse, mirari valde cœpit cur ad se revestiti intrarent; et infirmario sibi assistenti, quasi cum quadam indignatione, dixit: « Quid est, charissime frater, quod video? Quando solebat conventus noster ad fratrem morientem revestitus venire? » Respondente infirmario et dicente conventum fratrum nondum venisse: « Quid est, inquit, quod loqueris? Nonne vides turbam magnam fratrum circa me, qui omnes candidissimis albis revestiti sunt; et ad exsequias meas celebrandas mutuo se præveniunt. » Quod cum infirmarius audisset, sed nil tale ipse videret, intellexit religiosum fratrem visionem beatorum spirituum videre. Post modicum vero sancta illa anima carne soluta est, et de convalle plorationis, de tabernaculis Cedar, hoc est de nigredine peccati ad candidatos cives cœlestis Jerusalem, quos adhuc in carne vivens videre meruerat, feliciter, ut credimus, transmigravit.

Præfato vero Cluniacensi cœnobio post reverendissimum Patrem Odonem præfuerunt abbates religione conspicui, quorum præcipui fuerunt sancti et Deo digni, Maiolus et Odilo, modernis quoque temporibus beatus Hugo, qui, Ordinem Cluniacensem longe lateque per universas Europæ terras et insulas propagantes, incontaminatum monastici Ordinis tramitem subditis suis tradiderunt. In eadem quoque magna et religiosa domo inter cætera spiritualis vitæ exercitia, saluberrima et omni pietate plena consuetudo inolevit ut, pro liberandis animabus fidelium defunctorum, sancta illa fratrum multitudo devotis precibus missarumque celebrationibus sollicite invigilet, et aut pœnas addictarum mitigent, aut pœnis omnibus absolutas in requiem transferri obtineant. Sed et præter quotidianam orationum psalmorumque instantiam, solemnia pro fidelibus defunctis officia certis temporibus per annum fieri pia Patrum solertia in eadem domo decrevit, ita ut solemnis dies fidelium animarum, quem post festum Omnium Sanctorum sancta et universalis Ecclesia celebri officio peragere consuevit, a Cluniacensi Ecclesia initium sumpsisse dicatur.

CAPUT IX.

Quomodo beatus Hugo Cluniacensis abbas paralyticum curavit. [*Deplorat et hoc capite auctor negligentiam monachorum, et lapsum Ordinis Cluniacensis.*]

Verum quoniam beati Hugonis, qui moderno tempore Cluniacensi cœnobio laudabiliter præfuit, mentionem fecimus, unum ejus miraculum ad utilitatem legentium memorabimus: quod tanto erit jucundius, quanto recentiori tempore hoc gestum esse constat, quodque venerabilis viri Guillelmi, quondam superioris Sanctæ Genovefæ Parisius, postea vero abbas Paracliti, quæ est de Ordine domus Sancti Victoris, certa relatione cognovimus. Apud Parisiorum civitatem exstat cœnobium regularium canonicorum: in quo quidam de fratribus ejusdem congregationis paralysi adeo dissolutus jacebat; ut sine adminiculo alterius de lectulo surgere non valeret. Venerat forte illuc venerabilis Hugo Cluniacensis abbas. De cujus adventu fratres plurimum exhilarati, spem recuperandæ sanitatis infirmo fratri non minimam conceperunt. Itaque accedentes ad virum Dei, suppliciter postulabant quatenus apud omnipotentem Deum sanitatem fratri diuturna ægritudine laboranti suis precibus obtinere dignaretur. Fertur autem in eodem monasterio esse media pars casulæ beati Petri apostoli; quæ, sicut dignum est, a fratribus in magna veneratione habetur. Sanctus ergo Domini, quod a fraterna charitate petebatur, negare non potuit; sed pro salute fratris infirmi Domini clementiam intimo pietatis affectu rogabat. Denique celebratis sacrosanctis mysteriis, accedens ad altare, supradictam partem casulæ beati Petri reverenter inde tulit, veniensque ad infirmum, sacra eum veste operuit, tenensque manum ejus antiphonam illam moderata voce cœpit cantare: *Petrus apostolus dixit paralytico*, duobus verbis in ea commutatis, scilicet pro *dixit*, *dicit*, et pro *Ænea*, *Roberte*: vocabatur enim idem infirmus Robertus. Cumque tenendo manum ejus cantaret: *Petrus apostolus* dicit *paralytico*: Roberte, *surge, et sterne tibi* (*Act.* IX), continuo surrexit, omni membrorum debilitate prorsus fugata; cunctique qui aderant, glorificaverunt Deum, qui virtutem beati apostoli sui Petri per merita venerabilis Hugonis declarare dignatus est. Tanto quippe facilius abbas sanctus tam gloriosum miraculum a divina largitate impetrare potuit, quanto hoc non suis meritis, sed specialis patroni sui beati Petri apostoli virtuti assignavit, cujus reverendo nomini se attitulatam esse nobilis Ecclesia Cluniacensis gloriatur: cuique sacræ venerationi fratrum universitas devotissime invigilat.

Sub talibus itaque tam sanctis et in omni religione conspicuis Patribus Cluniacensis Ordo clarissime refulsit, multisque exstitit odor vitæ in vitam, ita etiam ut beatus Henricus Romanorum imperator Augustus ejusdem nominis secundus, cujus memoria apud Deum et homines in benedictione est, audiens famam religionis illius, Cluniacum adiret, oblatisque donariis et redditibus, prout imperialem magnificentiam decebat, fratrum se orationibus devotissime commendaret. Liberet nunc, si optio daretur, cum beato Petro apostolo exclamare, et dicere Domino: *Domine, bonum est nos hic esse* (*Matth.* XVII). Bonum esset utique omnibus ad monasticæ religionis apicem venientibus, ut Ordinis disciplina per sanctos Patres ad lineam veritatis correcta et renovata, inconvulsa perduraret, propulsata lethali negligentia, fervor sacræ religionis per omnia ubique vigeret. Sed quid agimus, cum sub sole nihil in eodem statu permanere posse. Sapiens plangat? Quid agimus, quod negligentia quæ, proh dolor! in ipsa quoque religiosorum conversatione deprehenditur, ad vitia tam proclivis est? Væ semel, et væ secundo, sed et tertio! Væ tibi, negligentia, mater dissolutionis, rubigo mentium, tinea cordium, morum corruptio, disciplinæ effugatio, religionis subversio, virtutum enervatio, mala bestia, vulpecula callidissima, quæ tanta dolositate exterminas vestigia tua ut mordens non sentiaris, demoliens non videaris, et non nisi gravissimo damno peracto deprehenderis! quanta mala fecisti! quanta mala facis! quanta mala (quod Deus avertat!) non immerito factura timeris! O, inquam, detestanda negligentia, quam modica, quam exigua, quam nullius momenti videris in oculis hominum, ita ut etiam reprehensione vix digna judiceris! sed tamen qui te tam modicam sperni, paulatim decidit. Quis

Digitized by Google

crederet, si experientia fidem non faceret, guttulam, cum primum stillare leni lapsu cœperit, duritiam lapidis penetrare posse? vel quis annulum novum et rigidum digito immitti videns eum usu consumi posse putaret? Attamen verum est quod dicitur quia

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu :

(Ovid. *de Ponto*, IV, *Eleg.* 10.)

sic etiam (quod sine magno cordis dolore dicere non possumus), negligentia paulatim subintrans religionem exterminat. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, ait Sapiens, *dicentes : Affer, affer* (*Prov.* XXX). O quanti sunt, qui latas hujus sæculi vias, quæ ad mortem trahunt, deseruisse et arctam angustamque viam, quæ ad vitam ducit, apprehendisse videntur : sed quia pessimæ hujus sanguisugæ, detestandæ hujus meretricis, id est negligentiæ complexum minime devitant, generant ex eo vipereo semine duas filias, ipsa matre sua deteriores, voluptatem scilicet et vanitatem, quæ sine cessatione, sine omni prorsus interpolatione clamant miseræ matri suæ, dicentes: Affer, affer. Isti sunt qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes, qui habitum religionis gestantes, mentiri Deo per tonsuram noscuntur; qui non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus pro lege habent desideriorum voluptatem; qui cum nutriri deberent in croceis, amplexantur stercora; locati in loco pascuæ, quotidie mutantur de pascuis ad pascua, et tamen moriuntur fame; quorum cibus est radix juniperorum, et siliquæ porcorum; quorum vinum est fel draconum, de botro prævaricationis amarissimo; qui, cum castimoniam corporis et sanctimoniam spiritus profiteantur, exemplum tamen mulieris nequam et procacis imitari non verentur, quæ comedit in occulto, *et tergens os suum dicit: Non sum operata malum* (*ibid.*); qui in hujusmodi lætantur, et esse sub sentibus dissolutionis delicias computant. Et quid facient miseri, cum inspicere cœperit Deus? Certe rebus ipsis experimur quam non immerito propheta planxerit, obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum, dispersos lapides sanctuarii in capite omnium platearum (*Thren.* IV). Sed non est nostrum mordacius aliena vitia carpere, ne forte dicatur et de nobis quod lippientibus oculis ad nostra cæcutientes, in aliorum vitiis cernamus acutum. Legat qui voluerit Apologeticum beati Bernardi abbatis, quem scripsit ad venerabilem Guillelmum Sancti Theodorici abbatem. Inveniet quomodo obscuratum sit aurum, mutatus sit color optimus : ibi, inquam, inveniet quomodo nobilis illa religio Cluniacensis Ordinis, de qua multa jam diximus, quam, peregrinis et adulterinis consuetudinibus, imo desolationibus fuscata et obnubilata, a pristina suæ puritatis sanctitatisque integritate degeneraverit. Sed quorsum ista? Quid intendimus, alterius Ordinis et prius perfectissimam religionem, et postmodum miserrimam, quam hodie oculis nostris cernimus, dissolutionem replicando et inculcando? Nimirum ad hoc nititur intentio, ut nos qui per gratiam Dei in renovato et ad tramitem veritatis per Cistercienses Patres correcto monastico Ordine, Domino militamus, ex aliorum ruina cautiores effecti, lavemus manus nostras in sanguine peccatorum, et semper memores simus, quod beatus Pater noster Benedictus in Regula præcipit negligentiam et oblivionem omnino fugere; illud etiam apostolicum continue ruminemus; *Qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* X); certissime scientes quoniam res nostra agitur, paries cum proximus ardet. (Horat. *Epist.* I, 18.)

CAPUT X.

Qualiter fratres qui Cisterciensem Ordinem fundaverunt adhuc in Molismo degentes divina gratia sunt illustrati.

Sed jam nunc operæ pretium reor, generationibus futuris diligentius describere qualiter Cisterciensis Ordo sumpserit exordium, quamque copiosa benedictione gratiæ Dei a principio sui perfusus sit, sicut partim per litterarum monumenta tradiderunt nobis viri sancti, qui ab initio sacræ hujus religionis auctores exstitere; partim vero majorum relatione didicimus, quatenus ii quos in sæculis superventuris divina gratia ad Ordinem nostrum vocare dignabitur, si hanc nostræ parvitatis paginam, quam ad ipsorum consolationem elaboravimus, legere dignum duxerint, considerantes quam nobili regum mamilla lactati sint, erubescant filii degeneres inveniri. Porro ad hoc opus non solum devotio et utilitas rerum nos invitat : verum etiam necessitas nonnulla compellit. Monachi namque Nigri Ordinis, maxime in provinciis Germaniæ degentes, ubicunque vel apud quoscunque possunt, sacro Ordini nostro derogare non cessant, asserentes sanctos patres nostros cum scandalo et inobedientia, contra voluntatem abbatis sui de Molismensi cœnobio egressos fuisse : quorum quam sit impudens mendacium, subsequentis narrationis textus rem gestam enucleatius pandens, manifeste declarabit. Propositi nempe nostri est, divina favente gratia, non solum plenissima ratione, verum etiam gravissimæ auctoritatis pondere obstruere os loquentium iniqua ; fratribus quoque nostris qui hæc hactenus fortassis adeo perspicue non noverant, ad refellendam malitiosæ detractionis falsitatem, instrumenta sinceræ veritatis testimonio subnixa contradere. O cæca semper stultæ æmulationis impietas, quæ cum oculis videat, ratione probet, divino pariter et humano judicio, Cisterciensem Ordinem super candelabrum virtutis et honoris exaltatum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, clandestinis tamen susurriis ab ejus amore et veneratione nititur avertere quos potest, quasi tantum sibi honoris accedat, quantum proximorum famæ derogare potuerit! Verum, quoniam, secundum sententiam Apostoli, *non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor.* X), postquam litteris summi pontificis, cardinalium quoque et episcoporum, qui negotium tantæ pietatis tractaverunt, ostenderimus quam rationabiliter, quamque auctorabiliter humano judicio probatus et approbatus sit in initio sui Cisterciensis Ordo, consequenter etiam demonstrare curabimus qualiter divino judicio approbatus sit.

Cunctis namque sanum sapientibus liquet omnipotentem Deum approbare religionem, quam tantis charismatum benedictionibus a principio sui perfundere, et in qua tantos, tantæque perfectionis et sanctitatis Nazaræos suscitare dignatus est. Sed quis digne æstimare, ne dicam referre sufficiet, quam præclare in diversis mundi partibus, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus quibuslibet Cisterciensis Ordinis domibus sacræ religionis vigor effulserit; quam sublimes in virtutibus, quam graves et humiles in moribus exstiterint prælati ; quam devoti et ad voluntariam paupertatem pro Christo tolerandam patientissimi atque ad omne opus bonum parati subditi ; quam crebris revelationibus, supernisque visitationibus religiosæ Ordinis personæ sint glorificatæ; quamque multi spontaneæ tribulationis angustia decocti, felici decessu absque igne purgatorio (quod quidem in alio genere hominum rarissimum est), transierint ad terram viventium, ad videndum Deum deorum in Sion. Ne tamen illustrium personarum copia nos ad loquendum inopes fecisse videatur, postquam ad exhilarandum devotos et ad reprimendum detractores falsiloquos exordium sacri Ordinis diligentius descripserimus, etiam de reverendissimorum Patrum quorumdam, videlicet abbatum Cistercii atque Clarævallis virtutum studiis, aliqua breviter perstringemus, seniorum quoque qui in Claravalle purissimæ religionis imitatores effecti, memoriam

Digitized by Google

sui posteris in benedictione reliquere; quatenus per hæc fidelis quilibet et devotus proficiat in fide roboratus, infidelis autem et detractor lividum cordis oculum purgans, religioso Ordini nequaquam detrahere, sed magis religiosorum devotionem imitari consuescat : aut certe propalatæ veritatis radiis reverberatus, malitiosæ derogationis materiam sibi subtractam esse, contabescens ingemiscat. Si quem vero movet quod Claravallensium tantum, et non etiam Cisterciensium seniorum mentionem fecimus, noverit nos ut Ecclesiæ Claræ vallis alumnos, nostrorum seniorum sacra studia familiarius et efficacius investigare potuisse; nec ea quæ de paucorum sincera conversatione, seu felici consummatione, ad absolutionem sponsionis nostræ descripsimus, innumerabilium servorum Dei, qui tam in Cistercio quam in universitate sacri Ordinis spiritales agones viriliter desudarunt, præjudicare sanctitati. Cum igitur, sicut supra diximus, in tantum negligentiæ torporem monasticus Ordo collapsus fuisset, ut venientibus ad conversionem, non tam profectus quam periculum multis in locis imminere videretur; nec spes ulla restaurationis uspiam arrideret, omnipotens Deus qui servos suos ab æterno præscitos in tempore vocat et justificat, ut in æternum quandoque glorificet, dum medium silentium tenerent omnia, Spiritum sanctum suum de secretis cœlestibus a regalibus sedibus misit in corda quorumdam fratrum (*Sap.* XVIII), qui in cœnobio quodam degebant, quod in Burgundiæ partibus situm Molismus vocatur.

Hi itaque servi Dei pauci numero, sed igne illo quem Dominus Jesus mittit in terram, et vult vehementer accendi, fortiter inflammati, dum quotidianas Regulæ lectiones in capitulo audirent, et aliud Regulam præcipere, atque aliud consuetudines Ordinis tenere perpenderent, gravissime contristabantur; videntes se cæterosque monachos Regulam beati Patris Benedicti solemni professione servaturos fore promisisse; sed secundum instituta ejus nequaquam vivere. Primitus ergo privatim sæpius inter se colloquentes, transgressionem suam conquerebantur; et quonam modo hujus tanti mali remedium invenire possent, sollicite tractabant. Cum vero postea verbum effusum esset in publicum, cæteri qui carnales erant, nec poterant dicere cum propheta quia *de excelso misit ignem in ossibus meis; et erudivit me* (*Thren.* I), servos Dei deridere, modisque omnibus, quibus poterant, ut a tam sancto proposito cessarent, infestare cœperunt. At illi qui Spiritu Dei agebantur, et propterea liberi erant, non curantes eorum malevolas infestationes, toto mentis annisu ad Deum conversi, precibus instantissimis postulabant, ut Domini pietas eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota labiorum suorum, quæ secundum Regulam firmaverant, sed non servaverant, reddere possent. Deinde considerantes, quod Apostolus monet, non omni spiritui esse credendum (*1 Joan.* IV); et quod Regula quam modis omnibus perfecte servare cupiebant, præcipit corripi eum, qui sine permissione abbatis quidpiam facere præsumpserit, abbatem suum humiliter adeunt, de transgressione Regulæ querimoniam proponunt, voti sui ferventissimum desiderium pandunt, et ut ejus consilio pariter et auxilio, quod Spiritu sancto inspirante mente conceperant, perficere possint suppliciter precantur. Nutu vero Dei ad horam compunctus abbas ille propositum servorum Dei laudat; et non solum consilium auxiliumque se præbiturum, verum etiam seipsum individuum comitem eorum in tam sancto proposito futurum firmissime pollicetur. Quo audito humiles spiritu fratres illi magnifice corroborati sunt, tunc primum intelligentes quod vere a Domino egressus est sermo, nec somnia cordis sui in tali desiderio secuti sunt, sed dexteram Dei vivi virtutem operantis in eis.

CAPUT XI.

Quod dominus Robertus abbas, et fratres cum eo, desiderium innovandæ monasticæ religionis habentes, legatum sedis apostolicæ adierunt.

Itaque magnanimes viri, innumerabilium militum Christi duces et signiferi futuri, non tam novarum quam magnarum rerum totique mundo profuturarum cupidi, cum assiduo tractatu quærerent inter se qualiter id quod pie cupiebant congruenti modo ad effectum perducerent, consulto rationis judicio prudenter advertere loci vel Ordinis sui mutationem, absque sedis apostolicæ consensu, se præsumere nequaquam debere. Erat tunc in Galliarum partibus sedis apostolicæ legatus, venerabilis Hugo Lugdunensis archiepiscopus, vir religione, prudentia et auctoritate venerandus. Hunc prædictus abbas et fratres, qui desiderio innovandæ monasticæ religionis flagrabant, adeunt, æstus et vota cordium suorum humiliter pandunt, consuetudines Ordinis a Regula quam erant professi, nimium discrepare conqueruntur; et propterea manifeste perjurii crimen se scienter incurrisse dolendo fatentur. Addunt præterea se vitam suam ex integro secundum instituta Regulæ sancti Patris sui Benedicti ordinare velle, et ut eis ad hoc liberius exsequendum, idem legatus sui juvaminis robur apostolica auctoritate porrigat, constanter flagitant. Dominus autem legatus, cum esset prudens et discretus, consideratis subtilius allegationibus eorum, laudabiliter eos moveri pronuntiavit, ipsorumque spiritalibus votis lætis auspiciis favens, tali epistola eos ad perficiendum tota libertate quod pia mente conceperant exhortatus est.

CAPUT XII.

Epistola Hugonis apostolicæ sedis legati, per quam Cisterciensis Ordinis exordium sua auctoritate fundatum est.

« Hugo Lugdunensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, Roberto Molismensi abbati, et fratribus cum eo secundum Regulam sancti Benedicti servire Deo cupientibus.

« Notum sit omnibus de sanctæ matris Ecclesiæ profectu gaudentibus, vos et quosdam filios vestros cœnobii Molismensis fratres, Lugduni in nostra præsentia astitisse, ac Regulæ beatissimi Benedicti, quam hucusque tepide ac negligenter in eodem monasterio tenueratis, arctius deinceps atque perfectius inhærere velle professos fuisse. Quod quia in loco prædicto pluribus impedientibus causis constat adimpleri non posse, nos utriusque partis saluti, videlicet inde recedentium, atque illic remanentium providentes; in locum alium, quem vobis divina largitas designaverit, vos declinare, ibique salubrius atque quietius Domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc præsentibus, videlicet Roberto abbati, fratribus quoque Alberico, Odoni, Joanni, Stephano, Letaldo et Petro, sed et omnibus, quos regulariter et communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare et tunc consuluimus : et ut in hoc perseveretis præcipimus, et auctoritate apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus. » Post hæc præfatus abbas et sui tanta ac tali auctoritate freti, Moliamum redierunt, et de illo fratrum collegio socios remissioris vitæ blanditias respuentes, ad puritatem simplicitatemque sacræ Regulæ pure simpliciterque tenendam prompto animo flagrantes, elegerunt, ita ut inter eos qui legato Lugduni astiterant, et illos qui de cœnobio vocati sunt, viginti et unus monachi essent, qui perfectioris vitæ et Regulæ S. Patris Benedicti ad litteram tenendæ desiderio arctam et angustam viam ingressi sunt.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Qualiter et quoto anno Dominicæ Incarnationis sancti Patres Cisterciensis Ordinis de Molismo egressi, eremum Cisterciensem adierunt.

Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo, dominus Robertus Molismensis cœnobii in episcopatu Lingonensi fundati abbas, et cum eo fratres, quorum Deus tetigerat corda, malentes cum dilecto Patre suo Benedicto pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ hujus commodis resolvi, de Molismo egressi sunt, atque ad locum quem proposito suo congruum jam ante per gratiam Domini præviderant, id est ad eremum, quæ Cistercium dicebatur, alacriter tetenderunt. Qui locus in episcopatu Cabilonensi situs, et pro nemoris spinarumque densitate tunc temporis accessui hominum insolitus, a solis habitabatur feris. Ad hunc itaque locum horroris et vastæ solitudinis viri Dei venientes, tantoque illum religioni, quam jamdudum mente conceperant, et propter quam illuc advenerant, habiliorem, quanto sæcularibus despicabiliorem et inaccessibiliorem intelligentes, nemoris ac spinarum densitate præcisa ac remota, monasterium ibidem voluntate Cabilonensis episcopi et consensu illius, cujus ipse locus erat, construere cœperunt. Eodem itaque anno, quo prædiximus, duodecimo Kalendas Aprilis, solemni die natalis sanctissimi Benedicti, quem geminata lætitia tunc celebrem reddiderat, ob Dominicam Palmarum, quæ in ipsum occurrerat, lætantibus angelis, tabescentibus dæmonibus, Cisterciensis domus, ac per hoc totius Cisterciensis Ordinis religio per viros ad Christianam philosophiam penitus expeditos exordium sumpsit, prudenti sane consilio, ut qui canonem divini servitii cunctumque vitæ suæ ordinem, secundum formam in Regula præscriptam disponere decreverant, hoc in ejus potissimum natali, qui legem per Spiritum vivificantem ad multorum salutem dederat, felici omine inchoarent. Ecce summus et æternus Pastor, qui relictis in supernis montibus, in æternæ viriditatis pascuis beatis ovibus, dignatione suæ gratiæ descendit, unam in hac lacrymarum valle errantem quærere, novo miserationis suæ ordine caulas pietatis statuens, signum salutis super eas exaltavit, quatenus oviculæ ipsius moribundæ et languidæ, quæ spinis cupiditatum et voluptatum carnalium irretitæ, per silvas vitiorum vagabantur, audientes vocem turturis ad caulas pietatis invitantis veri Samaritani stabulum, vino pœnitentiæ, oleoque remissionis peccatorum curandæ intrarent; demumque salutis signum veraciter apprehenderent. Sicut enim initio gratiæ, nascente Christo Domino Salvatore nostro, mundus, dum nesciret, pignus redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ suscepit; sic in diebus istis novissimis refrigescente jam charitate et abundante usquequaque iniquitate, omnipotens et misericors Deus ejusdem gratiæ suæ seminarium plantavit in eremo Cisterciensi: quod Spiritus sancti pluvia rigatum, spiritualis pinguedinis largissimum sumpsit incrementum, crescens et proficiens in arborem grandem, pulchram et fructiferam nimis, ita ut diversarum nationum populi tribus et linguæ, sub umbra ejus requiescere, atque de fructu ipsius se satiari gratulentur. Cæterum domnus archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, cujus benedictione, præcepto et auctoritate tantum bonum stabile fundamentum acceperat, considerans paupertatem servorum Dei, et quia in loco sterili quem occupaverant, prorsus nec subsistere, nec ædificia construere possent, nisi personæ alicujus potentis adminiculo fulcirentur, scripsit ad illustrem principem Odonem tunc Burgundiæ ducem, petens et suadens quatenus pauperes Christi, zelum gloriæ Dei et monastici Ordinis habentes, foveret et manuteneret eorumque necessitatibus secundum magnificentiam principatus sui subveniret. Cujus petitioni et consilio domnus Odo Burgundiæ dux acquiescens, fratrum etiam illorum fervore delectatus, monasterium ligneum, quod ipsi in paupertate sua inceperant, de suis impensis totum consummavit, eosque ibidem in omnibus necessariis diu procuravit, terris etiam et pecoribus abunde sublevavit.

CAPUT XIV.

Quod locus ille, consensu Cabilonensis episcopi, ad cujus diœcesim pertinebat, canonice in abbatiam surrexit, et de recessu abbatis illius qui advenerat.

Eodem tempore abbas qui advenerat, ab episcopo Cabilonensi, ad cujus diœcesim locus ipse pertinebat, virgam pastoralem cum cura animarum jussu prædicti legati suscepit, et monachos qui secum advenerant, in eodem loco stabilitatem firmare regulariter fecit, sicque Ecclesia illa divino pariter et humano favore vallata, apostolica quoque auctoritate munita, in abbatiam secundum Regulam S. Patris Benedicti disponendam surrexit. Haud multo vero post elapso temporis spatio, Molismenses monachi voluntate domni Gaufridi abbatis sui, qui Roberto successerat, nuntios ad Romanam curiam destinarunt, a domino papa Urbano importune postulantes, quatenus præfatus abbas Robertus loco pristino, id est Molismensi Ecclesiæ redderetur. Quorum importunitate domnus papa mandavit legato suo, venerabili scilicet Hugoni, ut, si fieri posset, idem abbas reverteretur, et monachi eremum diligentes in pace consisterent.

CAPUT XV.

De promotione beati Stephani secundi Cisterciensis abbatis. Qualia instituta ipse novello adhuc Ordini superaddiderit, qualiter etiam sub eo multiplicatus sit Ordo, et quibus virtutibus claruerit.

Post decessum sui pastoris (4) Cisterciensis Ecclesia adhuc pauper et modica convenit, de electione abbatis sine personarum acceptione tractatura. Et mediante gratia Spiritus sancti elegerunt virum bonum, nomine Stephanum, natione Anglicum, qui cum eis de Molismo exierat, virum conspicuæ sanctitatis, omniumque virtutum gratia decoratum, eremi amatorem et ferventissimum sanctæ paupertatis æmulatorem. Hic beatus vir in adolescentia sua exiens de terra et cognatione sua, limina sanctorum apostolorum peregrinus adiit. In quo itinere non otiosis fabulis, sicut fieri solet, occupabatur; sed cum socio suo divinis laudibus vacans, Psalterium ex integro quotidie decantabat. Peregrinationis autem voto peracto, cum ab urbe rediens Gallias intrasset, supra dictum monasterium Molismum adiit, ibique sacrum monastici Ordinis habitum suscepit. Postmodum vero, cum verbum innovandæ religionis in eadem domo motum fuisset, ipse primus inter primos ferventissimo studio laboravit, ac modis omnibus institit, ut locus et Ordo Cisterciensis institueretur, cujus ipse postmodum, ordinante Deo, pastor et doctor eximius erat instituendus. Quod cum, donante Domino, sicut præfati sumus, factum fuisset, tanquam fidelis et prudens dispensator, cœpit illico devotissima mentis intentione tractare, qualiter Ordinem suum noviter fundatum, et adhuc in multis vacillantem, quippe nondum perfectis et meram paupertatem redolentibus institutionibus excultum, in melius proveheret et extolleret, talique moderamine roboraret, ut Domino Jesu fructum plurimum afferre valeret. Convocatis itaque fratribus suis, et habito cum eis consilio, tam ipse quam fratres ejus interdixerunt, ne dux terræ illius, seu alius aliquis princeps curiam suam aliquo tempore

(4) Agitur hic de obitu Alberici; huic enim successit Stephanus : exciderunt autem quæ de ipso Alberico scripta erant, ut post Manrique in præfatione monui.

Digitized by Google

in illa Ecclesia teneret, sicut in solemnitatibus agere solebant. Deinde, ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte Deo devote servire cupiebant, remaneret quod superbiam aut superfluitatem redoleret, aut paupertatem virtutum custodem, quam sponte propter Deum elegerant, aliquando corrumperet, confirmaverunt, ne retinerent cruces aureas vel argenteas, sed tantum ligneas coloribus depictas; neque candelabra, præter unum ferreum; neque thuribula, nisi cuprea vel ferrea; neque casulas, nisi de fustaneo, vel lineo, sine palleo aureo et argenteo; neque albas vel amictus nisi de lino, similiter sine palleo aureo et argenteo. Pallia vero omnia et cappas atque dalmaticas tunicasque ex toto dimiserunt; calices tamen non aureos, sed argenteos, et, si fieri potest, deauratos; fistulam argenteam, et, si possibile sit, deauratam; stolas quoque ac manipulos de palleo tantum, sine auro et argento retinuerunt. Pallæ autem altarium, ut de lino fierent et planæ sine pictura statuerunt, et ampullæ ad ministerium altaris sine auro et argento essent. His et hujusmodi sanctis et Deo placitis institutis novum Ordinem suum servi Dei roborantes, et ex iis quæ prius in usu habuerunt, alia quidem tanquam veræ humilitati contraria penitus amputantes, alia vero melioribus, et sanctam paupertatem magis redolentibus consuetudinibus commutantes, posuere prava voluptatum in directa continentiæ, et aspera vanitatis et superbiæ in vias planas justitiæ, ita ut, secundum prophetam, etiam stulti in hac via errare non possint (*Isa.* xxxv). O quanti in Ordine Cisterciensi ligone exculti disciplinæ fructus reddunt continentiæ, qui, si alibi locati fuissent, ubi disciplinæ rigor minime vigeret, per voluptatum et carnalium desideriorum monstruosa portenta facile præcipitarentur. Quapropter nequaquam putandum sanctum Ordinem nostrum adinventiones esse hominum, sed vere Spiritus sancti magisterio traditum, qui sacræ religionis candorem, quem negligentia cordis humani ab adolescentia in malum proni denigrare non cessat, temporibus opportunis per humiles servos suos reparare non desinit, ut non glorietur in conspectu Domini omnis caro (*I Cor.* I); et longe sit ab omnibus religiosis blasphema illa vox, de sua prudentia et industria præsumentium et dicentium: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia* (*Deut.* xxxii).

Cum itaque venerabilis abbas Stephanus et fratres ejus quotidianis virtutum incrementis in melius proficerent, et felici experientia probarent quoniam bona erat negotiatio eorum, dare scilicet terrena, temporalia atque caduca et recipere cœlestia, æterna, divina, unum erat, quod spiritualem eorum exsultationem interpolabat et non mediocri tristitiæ subdebat, quod scilicet raro quis illis diebus ad eos causa conversionis veniebat. Viri enim sancti thesaurum virtutum cœlitus inventum successoribus suis ad multorum salutem profuturum committere gestiebant; sed fere omnes videntes et audientes vitæ eorum asperitatem insolitam et quasi inauditam, plus corde et corpore se elongare, quam approximare eis festinabant, et de perseverantia eorum penitus desperabant. Sed Dei omnipotentis misericordia, qui hanc militiam spiritualem servis suis inspirare dignatus est, ad multorum profectum magnifice eam amplificare et consummare decrevit, sicut sequentia declarabunt. Nam cum fere ostio desperationis appropinquantes, devotissimis precibus ad Dominum clamarent, pro eo quod pene successoribus carerent, petentes ut viscera misericordiæ suæ super eos Dominus effundere dignaretur, meritis et precibus, ut credimus, beatissimæ Dei genitricis et virginis Mariæ, cujus sancto nomini specialiter Ordo noster attitulatus est, nec non et sanctissimi Patris nostri Benedicti, cujus prædicti fratres ex integro Regulam servaturos promiserant, exaudivit Dominus preces eorum. Et suscitavit Dominus spiritum pueri junioris, cui nomen Bernardus. Qui cum esset adolescens, nobilis, delicatus et litteratus, tam valido igne divini amoris accensus est, ut, relictis universis mundi voluptatibus et divitiis, ecclesiasticis quoque dignitatibus, arctissimam conversationem Cisterciensium tanquam primitiæ frugum Domini, devoto animo proponeret imitari. O quam mirabilis est Deus in operibus suis! quam velociter currit sermo ejus! quam facilia sibi fore demonstrat, cum voluerit, quæ apud homines impossibilia sunt! Cum enim non solum nobiles et divites, sed etiam mediocres, ipsi quoque pauperes, videntes Ordinis asperitatem, detrectarent accedere ad eos, iste tam tener et delicatus juvenis, quasi de cella vinaria prævenientis se gratiæ Dei egressus, et inebriatus vino, quod lætificat cor hominis (*Psal.* cm), fervens et æstuans circuibat et prædicabat verbum vocationis, quod in secreto cordis sibilo auretenus audierat, cupiens et aliis propinare, sicut scriptum est: *Qui audit, dicat: Veni* (*Apoc.* xxii). Unde factum est ut associatis sibi fratribus suis, propinquis et amicis, aliisque nobilibus, litteratis et potentibus in sæculo viris, triginta simul in Ecclesia Cisterciensi cellam novitiorum alacriter intrarent; et in spiritu fortitudinis contra vitia carnis et incitamenta malignorum spirituum incipientes decertare, et suadebant cæteris hominibus, non verbis, sed factis, omnem illam asperitatem Ordinis, quam refugiebant, non esse aliud, nisi jugum Domini suave et onus ejus leve. Quorum exemplo provocata innumera multitudo hominum diversæ ætatis et conditionis, nobiles, mediocres, pauperes, ita stabulum illud Christi pannis innocentiæ ejus obvolutum repleverunt, ut fratres illo tædio et desperatione posteritatis afflictos mirabiliter lætificarent, et tanquam e stagno rationabilium piscium pennulis piæ intentionis, et squamis sanctæ operationis munditiam suam declarantium, rivuli multorum cœnobiorum exundantes, universas occidui orbis partes occuparent.

CAPUT XVI.

Quomodo abbas Stephanus dilatationem sui Ordinis, Domino revelante, et defuncto fratre sibi vigilanti apparente, recognovit.

Hanc inspiratam divinæ visitationis gratiam Dominus humili servulo suo domno abbati Stephano, paulo antequam fieret, clementissima revelatione præostendere dignatus est. Cum enim, sicut supra retulimus, gravi mœrore afficerentur pro eo quod successoribus pene carerent, accidit ut unus ex eis præsentis vitæ cursu consummato, tanquam emeritæ militiæ famulus in gaudium Domini sui introducendus, et laboris sui bravium recepturus, morti approximaret. Qui cum jam in extremis ageret, venerabilis abbas tædio desperatæ posteritatis nimium affectus, ausus est aliquid præsumere; quod quidem temeritati ascribi potuisset, si non pietas intentionis præsumentem excusasset. Cum enim constet quod quidquid agant homines, intentio judicet omnes, crédimus quia coram oculis Domini pietas intentionis, et duræ articulus necessitatis nævum excluserit præsumptionis. Dum itaque, sicut prælati sumus, frater ille in extremis positus finem vitæ præstolaretur, accedens ad eum abbas sanctus, talia locutus est: « Vides, charissime, in quanto tædio et defectione mentis versamur, quia arctam et angustam viam, quam in Regula nobis beatissimus Pater noster Benedictus proposuit, utcunque ingressi sumus; sed utrum hæc nostra conversatio Deo placeat, necne, non satis nobis constat; præsertim cum ab omnibus vicinis monachis tanquam novarum rerum adinventores, et scandali schismatisque incentores dijudicemur. Super omnia vero mœroris acerbissimi jaculo transfigit cor meum paucitas nostra, quoniam singuli quotidie morte interveniente tollimur e medio, et sicut valde pertimesco, nobis-

Digitized by Google

cum pariter hæc noviter cœpta religio finem accipiet, quoniam personas industrias, et ad humilitatem sanctæ paupertatis idoneas, usque ad præsens Dominus associare nobiscum nequaquam dignatus est : per quas hujus nostræ institutionis formulam ad posteros transmittere valeamus. Quapropter in nomine Domini nostri Jesu Christi, pro cujus amore arctam et angustam viam, quam ipse in Evangelio sequacibus suis proponit, ingressi sumus, et in virtute obedientiæ tibi præcipio quatenus post obitum tuum, tempore et modo, quo ejusdem Domini nostri gratia decreverit, ad nos redeas ; et de statu nostro, quantum ipsius misericordia voluerit, certos nos facias. » Cui æger : « Faciam, inquit, libenter, domine Pater, quod præcipis, si tamen precibus tuis adjutus mandatum tuum effectui mancipare valuero. » Dixit, et post modicum de convalle plorationis ad montem gaudii, ad montem æternæ beatitudinis feliciter ascendit. Pauci post hæc fluxerant dies, et venerabilis abbas, cum conventu fratrum in labore positus, sicut moris est, pausandi dederat signum, ipse quoque paululum remotus ab aliis, meditationi insistens, caputio coopertus caput sedebat : et ecce frater ille defunctus magna claritatis gloria perfusus repente coram ipso astitit, ita tamen ut magis in aere ferri quam in terra consistere videretur. Requisitus quomodo se haberet, vel qualiter sibi esset, respondit : « Bene, optime Pater, bene mihi est, bene sit et tibi, quia per doctrinam et sollicitudinem tuam illius interminabilis gaudii, illius incomprehensibilis pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum, participium merui, pro qua adipiscenda duros novi Ordinis nostri labores patienter et humiliter sustinui. Et nunc, juxta præceptum tuum redii, gratiam et misericordiam Domini nostri Jesu Christi tibi, Pater, et fratribus tuis annuntians. Quia vero præceperas ut de statu vestro vos certificare deberem, sciatis, et, omni scrupulo dubietatis excluso, certum teneatis quod sancta et Deo placens est vita et conversatio vestra. Porro mœrorem qui de non relinquenda posteritate precordia tua nimium depascitur, quantocius a te repelle, et in jubilum et exsultationem spiritualem evade, quoniam adhuc dicent filii sterilitatis in auribus tuis : *Angustus est nobis locus. Fac spatium, ut habitare possimus* (*Isa.* XLIX). Ecce enim jam nunc ex hoc tempore magnificabit Dominus facere nobiscum, mittens nobis personas multas ; inter quas erunt nobiles et litterati viri plurimi, qui ita domum istam replebunt, ut hinc tanquam examina apum æstuantia et redundantia evolantes, plurimas mundi partes penetrent ; et de semine Domini benedicto, quod in hoc loco per gratiam ejus coaluit, multiplices sanctarum animarum manipulos de universis mundi partibus collectos cœlestibus granariis inferant. »

His auditis abbas sanctus gaudio et exsultatione repletus, divinæ pietati gratias ex intimis medullis cordis retulit, felici experimento probans quam veraciter Scriptura testatur quoniam non derelinquet Dominus sperantes in se (*Psal.* IX et XVI). Parabat nuntius cœlestis abire ; sed sine benedictione Patris spiritualis, quod mirum dictu est, minime præsumpsit. Dixit itaque abbati : « Tempus est, domine Pater, ut revertar ad eum qui me misit ; et propterea peto, quatenus benedictione tua me firmatum dimittas. » Cui stupens et pavens abbas respondit : « Quid est, quæso, quod loqueris ? Tu de corruptione ad incorruptionem, de vanitate ad veritatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam transisti ; et a me, qui sub his omnibus adhuc miserabiliter gemo, benedictionem petis ? Hoc contra omnem juris et rationis integritatem esse videtur. Ego potius a te debeo benedici ; et propterea obsecro, ut benedicas mihi. » Cui ille : « Non ita convenit, Pater. Tibi enim a Domino collata est benedicendi potestas, utpote in apice dignitatis et spiritualis magisterii constituto ; mihi vero discipulo tuo, qui per salutarem doctrinam tuam mundi hujus inquinamenta devitavi, benedictionem a te accipere optabile est. Nec enim prorsus hinc recedam, nisi benedictionem tuam meruero. » Abbas namque stupore et admiratione repletus, nec ausus ultra pertinaciter reniti, elevata manu benedixit ei. Sicque sancta illa anima disparens, speciem visibilem, quam assumpserat, secretis invisibilibus restituit. Altera vice cuidam ex eisdem fratribus viam universæ carnis ingressuro apparuit in visione innumera multitudo hominum prope oratorium ejusdem ecclesiæ, ad fontem quemdam lucidissimum lavans vestimenta sua, et in ipsa visione dictum est ei, quia fons ille fons Ennon (5) vocaretur. Quod cum indicasset abbati, intellexit vir magnificus divinam per hoc consolationem significari ; et multum quidem jam tunc quidem de promissione, sed magis postea de exhibitione lætatus, gratias egit Deo. Nam cum per continuos quatuordecim annos patientiam et fidem servorum suorum Dominus per varias tribulationes et multam paupertatem probasset et fideles eos invenisset ; quinto decimo demum a constitutione domus Cisterciensis anno, supradictas personas eis mittendo visitavit illos Oriens ex alto. In ipsis etiam diebus in pratis vineis, et agris curtibusque eadem Ecclesia crevit, nec tamen religione decrevit.

CAPUT XVII.

De eo quod beatus abbas Stephanus quædam secreta novitii sui per spiritum prophetiæ deprehendit.

Puer Domini Bernardus, Clarævallensis Ecclesiæ postmodum primus futurus abbas, cum adhuc apud Cistercium novitius esset, solitus erat diebus singulis pro anima matris suæ septem pœnitentiales psalmos in silentio dicere. Die vero quadam cum supradictos psalmos post completorium inchoasset, omisit eos, per oblivionem nescio, an per somnolentiam, antequam perdixisset ; veniensque ad stratum suum, quiete soporifera membra refecit, et solitam refectionem parenti non impendit. Abbas vero per spiritum cognita negligentia, die postera convenit eum, dicens. « Frater Bernarde, ubinam, quæso, illos psalmos tuos hesterna die dimisisti, aut cui eos commendasti ? » Quod audiens adolescens, ut erat verecundus et timoratus erubuit, et cœpit intra se mirando cogitare et dicere : « Domine Deus, quomodo palam factum est verbum istud, de quo mihi soli conscius eram ? » Et intelligens a viro spirituali se esse deprehensum, procidit ad pedes ejus, negligentiam confitens atque indulgentiam petens. Qua facile impetrata, curavit deinceps in hujusmodi tam privatis quam publicis observationibus sollicitior inveniri, et quæ consulta ratione servanda proposuisset, non facile transgredi.

CAPUT XVIII.

De pisce S. Stephano cœlitus delato ; et victu divinitus concesso.

Minuerat aliquando sanguinem propter Christum pauper abbas Stephanus, et propter inopiam domus, cellerarius, cui ex præcepto Regulæ pauperum et infirmorum cura incumbebat, nil ad manum habebat unde pauperi et infirmo abbati suo qualitercunque lautius edulium præpararet. Et sincera charitate abbatem suum diligens discurrebat, si forte alicubi aliquid inveniret unde charitatem, quæ intus ardebat, etiam foris ostenderet ; cum ecce grandis quædam avis advolat, non mediocris quantitatis piscem unguibus ferens : quem continuo coram mirantium fratrum oculis projecit et recessit ; copiosam prædam cellerario relinquens, unde abbatis sui minutioni sufficienter provideret. Instabat ali-

(5) Ennon vox est Hebraica.

Digitized by Google

quando sacrosancta solemnitas Pentecostes, et in ipsa sacratissima die vix tanti panes inveniri in eadem domo poterant, qui fratribus sufficerent. Tum vero fratres vehementer exhilarati, tanquam si de ipsa paupertate sua, quam propter Deum sustinebant, saginarentur, missam tantæ solemnitatis cum summa devotione in jubilo cordis cantare cœperunt; et ecce nondum finita missa de promptuariis gratiæ Dei largam benedictionem repente, unde non sperabatur, sibi transmissam cum multa gratiarum actione susceperunt. In his et similibus vir Dei perpendens quam veraciter Scriptura dicit, quoniam nihil deest timentibus Deum (*Psal.* xxxiii), largitatem etiam miserationum Domini super se et super fratres suos vehementer admirans, magis ac magis in sancta religione proficiebat, et beatæ paupertatis angustiis gloriabatur, sicut in omnibus divitiis.

CAPUT XIX.

De hujus sancti devotione et humilitate.

Cæterum quam non surdus auditor sanctæ Regulæ fuerit (6), præcipientis ut sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ, ex eo quod subdimus, liquebit. Mos erat ei ut, lecta collatione, cum ecclesiam intraret, ostium ecclesiæ manu teneret, et digitis firmius, quasi pro signo premeret, sicut solent homines signum aut nodum facere, quatenus per hoc admoniti, memoriæ arctius imprimant, quod oblivisci nolunt. Cumque hoc frequenter faceret, quodam die unus de fratribus, cui familiaritas ausum præbebat, interrogavit eum, cur hoc faceret. Cui Pater sanctus: « Omnibus, inquit, cogitationibus, quas ex injuncto officio pro dispositione domus per diem admittere cogor, dico, ut foris remaneant, nec prorsus ingredi mecum præsumant, sed exspectent quousque dicta prima hic eas inveniam. » Quod audiens frater ille multum ædificatus est, nimirum intelligens sancti Patris conversationem communem cæterorum negligentiam transcendisse. Quantæ vero humilitatis fuerit hic vere pastor, non mercenarius, quamque odio habuerit omnem fastum superbiæ, ferula pastoralis ejus cum qua in festivis processionibus incedere solebat, satis indicat: quæ usque hodie in Cisterciensi secretario ob reverentiam tanti Patris conservata et in magna veneratione habita, non multum a communibus sustentatoriis, quibus senes et debiles inniti fere solent, distare videtur. Hic est beatissimi Patris nostri Bernardi in sancta religione Pater, hic tam perfectus magister perfectissimum habere discipulum meruit, quorum doctrina et exemplis usque hodie innumera captivitatis vasa regi superbiæ, id est diabolo, auferuntur, et Christo Domino, vero regi humilitatis, incorporantur.

CAPUT XX.

De eo quod S. Stephanus misit fratrem quemdam ad nundinas, sine pecunia, ut necessaria emeret, prædicens ei cuncta prospera futura.

Quodam tempore cum domus Cisterciensis magna fuisset paupertate constricta, venerabilis abbas Stephanus vocavit unum ex fratribus suis; et loquens ad eum in Spiritu Dei, dixit: « Vides, charissime frater, quia magna coarctati sumus inopia: et prope est ut fratres nostri fame et frigore cæterisque molestiis periclitentur, nisi eis concite subveniatur. Vade ergo ad nundinas Verzelliaci, quæ proxime instant, et compares ibi quadrigas tres, et earum singulis ternos equos fortes atque tractores, quibus maxime indigemus ad onera nostra comportanda. Cumque quadrigas illas pannis et alimentis, aliisque rebus necessariis oneraveris, adducens eas tecum; cum gaudio et prosperitate reverteris ad nos. » Respondens autem frater, dixit: « Paratus sum, domine Pater, ut tuis jussionibus obsequar, si pretium dederis mihi ad illa subsidia comparanda. » Cui venerandus abbas, in paupertate sua de misericordia Dei magnifice præsumens, respondit: « Vere, frater, scias, quia cum sollicitus et anxius quærerem unde necessitatibus fratrum nostrorum subvenirem, tres tantum denarii in tota domo ista reperti sunt. Hos si volueris tolle; reliqua vero quæcunque defuerint, tibi Domini nostri Jesu Christi gratia providebit. Securus itaque vade, quia mittet Dominus angelum suum tecum, et prosperum faciet iter tuum. » Profectus itaque frater, cum Verzeliacum pervenisset, a quodam viro fideli et timorato hospitio receptus est. Qui dum itineris ejus causas et fratrum indigentias agnovisset, abiit in instanti ad quemdam locupletissimum hominem finitimum suum, qui desperate languens, ac pene jam moriens, facultates suas pauperibus erogabat. Cumque Cisterciensium monachorum, quorum jam in partibus illis sanctitas celebris habebatur, eidem infirmo penuriam indicasset, vocatus est ad domum ejus supra dictus frater, tantamque pecuniæ summam in eleemosyna ab ipso moriente recepit, ut cuncta quæ ei injunxerat abbas sufficienter ex ea compararet. Acceptis itaque tribus rhedis cum novem quadrigariis equis, oneravit atque ornavit eas cunctis quæ fratrum usibus opportuna esse cognovit: et ita qui vacuus venerat, secundum prophetiam abbatis plenus et gaudens ad suos remeavit. Cumque Cistercio appropinquaret, nuntium misit, qui abbati significaret ejus adventum pariter et proventum. Quo audito venerabilis Pater exsultavit in Domino vehementer, et convocatis in unum fratribus ait: « Deus miserationum Dominus, Deus miserationum libere ac liberaliter egit. Vere nobiliter, vere eleganter egisti nobiscum, Domine, procurator et pastor noster, aperiens manum tuam et implens benedictione tua penuriam nostram. » Tunc ordinata processione, occurrerunt obviam venienti fratri usque ad portam, ita ut abbas ipse procederet indutus vestibus sacris cum pastorali virga, ministris præcedentibus eum cum cruce et aqua benedicta. Exceperunt ergo solemniter, et cum multa gratiarum actione eleemosynam illam, non ut ab homine præstitam, sed tanquam cœlitus missam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Porro vir iste prudens et spiritualis, sicut intelligi datur, in hac tam celebri susceptione beneficii filios suos tam præsentes quam posteros, admonere voluit, ut hujus miraculi gratiam jugi meditatione retinerent, atque ex eo discerent, in cunctis necessitatibus suis pia confidentia præsumere de misericordia Dei, qui nunquam deserit sperantes in se, sed est semper pauperum suorum piissimus consolator, atque adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Ab illo ergo die et deinceps, sicut in illa domo, largiente Domino, spiritualia semper abundant, ita non defuerunt etiam temporalia bona, quamvis, juxta Ordinis instituta, parcitas in omnibus observetur.

CAPUT XXI.

Quod Ecclesia Cisterciensis cœnobia in diversis episcopatibus fundavit; et de institutione capituli generalis et de privilegio, quod domnus abbas Stephanus cum coabbatibus suis a sede apostolica promeruit.

Postquam divina largiente gratia crescente numero personarum in Cisterciensi Ecclesia, cœpit jam mater multorum filiorum lætari, quem prius diu sterilitatem suam mœrendo doluerat; cœpit etiam vinea illa Domini Sabaoth longe lateque propagines suas emittere, et in diversis locis,

(6) S. Benedict. in Reg. c. 19.

Digitized by Google

diversisque regionibus civitates refugii constituere, ut qui sanguinem animarum fudissent, ad illas confugientes (*Deut.* XIX, *Josue* XX), per mortem summi Pontificis, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æternam redemptionem (*Hebr.* IX), et exsilii sui perpetuam absolutionem invenire mererentur. Sane abbatiæ, quas eadem Ecclesia in diversis episcopatibus ordinavit, tam larga potentique benedictione Domini crescebant in dies, ut ab illo tempore quo fundata est firmitas, quæ est primogenita filia domus Cisterciensis, et pulchre significatione nominis sui firmitatem et stabilitatem Ordinis jam tunc præfigurabat, inter illos qui de Cistercio specialiter sunt emissi, et cæteros, qui ex eisdem sunt exorti, infra octo annos duodecim cœnobia constructa fuerint inventa. Jucundo namque satis spectaculo et in hoc beatissimi Patris Benedicti imitatores exstitere, qui vitam et instituta ipsius toto conamine mentis æmulari cupiebant, ut sicut ille statutis Patribus duodecim monasteria construxit, quibus præcepta Regulæ suæ servanda tradidit; sic et isti in renovatione Ordinis secundum eamdem Regulam duodecim cœnobia statuerunt, quæ in similitudinem duodecim apostolorum Christi Spiritus sancti gratia debriata, salutis poculum universo mundo propinarent. Verum, antequam abbatiæ Cistercienses florere inciperent, reverendissimus Pater Stephanus cum consilio fratrum suorum decretum, quod charta charitatis vocatur, Spiritu sancto inspiratus exaravit: in quo docemur qualiter cœnobia Ordinis nostri, per diversas mundi partes propagata, diversis quoque linguis diversa, mirabili charitatis connexione et honoris in invicem exhibitione conglutinata, una Ecclesia, unus Ordo, unum denique in Christo corpus efficiantur. Hoc vero decretum propterea chartam charitatis appellari censuit, quia ejus statutum omnis exactionis gravamen propulsans, solam charitatem et animarum salutem in divinis et humanis sequitur.

Inter cætera sane, quæ in charta charitatis ob pacis charitatisque custodiam disciplinæ et sacri Ordinis censuram conservandam mirabili providentia beati viri fratrumque ipsius digesta sunt, hoc præcipuum, et omni acceptione dignum invenitur, ut cuncti abbates Cisterciensis Ordinis semel per annum apud Cistercium convenientes, generale capitulum celebrent, et de totius vitæ suæ ordine ac indissolubili pace inter se custodienda diligentissime tractent, quatenus tenor vivendi sæpius replicatus ac divinarum Scripturarum auctoritate corroboratus, non facile tepere, sed per multa plurimorum annorum spatia possit vigere. Hac ergo ratione extunc usque ad hæc tempora, reverendi Patres Cisterciensis Ordinis semel per annum matrem suam visitant, generale capitulum celebrant; et unctione sancti Spiritus edocti, capitula quæ in libro Diffinitionum plenius descripta continentur, tanquam confecta ex diversis speciebus antidota saluti animarum prorsus necessaria, per universam congregationum nostrarum fraternitatem tenenda decernunt. Considerans autem pius Pater Stephanus, talia nequaquam consulte absque sedis apostolicæ auctoritate actitari, prædecessoris quoque sui religiosum imitatus exemplum, cum conniventia coabbatum et fratrum suorum Romam misit, a domino papa Calixto tunc sedis apostolicæ pontifice suppliciter petens quatenus ea quæ ipse cum coabbatibus et fratribus suis, ad roborandam monastici Ordinis disciplinam statueret, apostolica auctoritate in perpetuum rata et inconvulsa fore decerneret. Cujus petitioni summus pontifex clementer annuens, ad confirmationem Ordinis tale decretum promulgavit.

CAPUT XXII.

Decretum Calixti papæ, Ordinem Cisterciensem confirmantis.

(7) « CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, charissimis in Christo filiis, STEPHANO venerabili Cisterciensis monasterii abbati, et ejus fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Ad hoc in apostolicæ sedis regimen Domino disponente promoti conspicimur, ut ipso præstante religionem augere, et quæ recte, atque ad salutem animarum statuta sunt, nostri debeamus auctoritate officii firmare. Idcirco, filii in Christo charissimi, petitioni vestræ charitate debita impertimur assensum, et religioni vestræ paterno congratulantes affectu, Dei operi, quod cœpistis, manum nostræ confirmationis apponimus. Siquidem assensu et deliberatione communi abbatum et fratrum monasteriorum vestrorum, et episcoporum in quorum parochiis eadem monasteria continentur, quædam de observatione Regulæ beati Benedicti, et de aliis nonnullis, quæ Ordini vestro et loco necessaria videbantur, capitula statuistis: quæ nimirum ad majorem monasteriii quietem et religionis observantiam, auctoritate sedis apostolicæ petitis confirmari. Nos ergo vestro profectui in Domino congratulantes, capitula illa et constitutionem auctoritate apostolica confirmamus; et omnia in perpetuum rata permanere decrevimus, illud nominatim omnimodis prohibentes, ne abbas aliquis monachos vestros sine regulari commendatione suscipiat. Interdicimus etiam ne quis conversos laicos vel professos vestros ad habitandum [*forte* habitum] suscipere præsumat. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona nostræ huic confirmationi et vestræ constitutioni temeritate aliqua obviare præsumpserit, tanquam monasticæ religionis et quietis perturbatrix, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, donec satisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui vero conservator exstiterit, omnipotentis Dei, sanctorumque apostolorum ejus, benedictionem consequatur. Amen. »

CAPUT XXIII.

De eo quod beatus Pater Stephanus successoris sui indignitatem per spiritum agnovit, et de pretiosa morte ejus.

Cum autem beatus Pater Stephanus officium sibi commissum secundum veram humilitatis Domini nostri Jesu Christi Regulam strenue administrasset, longo confectus senio, ita ut caligarent oculi ejus, et videre non posset, curam pastoralem deposuit, soli Deo et sibi per sacræ contemplationis gustum vacare desiderans. Successit itaque ei quidam indignus honore, nomine Wido, qui donis exterioribus, ad instar sepulcri dealbati, non mediociter pollens, interius erat putredine vitiorum sordens. Cumque in ipso promotionis suæ primordio fratrum professiones de more reciperet, idem Dei famulus Stephanus in spiritu vidit immundum spiritum ad illum venientem atque in ejus os ingredientem. Vix mensis præterierat unus, et ecce, revelante Domino, denudata est impuritas ejus, et eradicata est mox de paradiso Dei plantatio spuria, quam Pater cœlestis non plantaverat. Instante vero tempore, quo emeritorum laborum senex in gaudium Domini sui introducendus, et de ultimo paupertatis loco, quem secundum consilium Salvatoris in hoc mundo elegerat, ad summi patrisfamilias convivium ascensurus decumberet, convenerunt fratres: quidam etiam ex abbatibus sui Ordinis, quorum numerus eo tempore usque ad viginti excrevisse traditur, ut amicum fidelem, et Patrem humillimum repatriantem, devotissimis obsequiis et pre-

(7) Calixtus II, electus anno 1119.

Digitized by Google

cibus prosequerentur. Cumque in agonia constitutus morti approximaret, cœperunt fratres inter se loquentes tanti meriti hominem beatificare, dicentes, eum secure pergere posse ad Deum, qui tantum fructum in Ecclesia Dei temporibus suis fecisset. Quo ille audito, recollecto, prout poterat, spiritu, quasi increpantis voce dixit ad illos : « Tacete, fratres, tacete. Quid est quod loquimini? In veritate dico vobis quia sicut trepidus et sollicitus ad Deum vado, quasi qui nunquam aliquid boni fecerim. Nam et si boni aliquid in me fuit, vel si fructus aliquis per parvitatem meam provenire potuit cooperante gratia Dei, timeo valde et contremisco ne forte minus digne, minusve humiliter eamdem gratiam apud me detinuerim. » Hoc ergo perfectæ humilitatis scuto, quæ in ore sonabat et in corde vigebat, munitus, hominem exuit, et omnia nequissimi adversarii tela, quamvis ignea, quamvis sulphurea, potenter repellens, aereas potestates securus pertransiit, et ad portas paradisi coronandus ascendit. Sacri corporis ejus exuviæ juxta prædecessoris ipsius reliquias venerabiliter conditæ sunt, ut quibus in hac vita unus erat spiritus et una fides, sit etiam in æterna beatitudine non dispar gloria. Amen.

CAPUT XXIV.

De vita et optimis moribus reverendissimi Fastradi Cisterciensis abbatis.

Ea quæ de sancta conversatione sancti ac Deo dilecti Fastradi Cisterciensis abbatis ædificatione plena et utilitati legentium accommoda, religiosus quidam, et veracis testimonii monachus Claravallensis conscripsit, qui etiam familiaritatem tanti viri habere meruit, sed et nonnulla de senioribus Clarævallis admiratione digna, sicut in libello ipsius digesta invenimus, huic operi nostro inseruimus, ut quæ ille sparsim et aliis narrationibus permista posuit, hic in ordinem redacta, et sibi similibus copulata, clarius elucescant, et ad utilitatem legentium magis proficiant. Sic ergo scribit : Venerabilis ac piæ memoriæ Fastradus, quondam Cisterciensis abbas, vir eximiæ sanctitatis, nobilis quidem genere, sed morum elegantia nobilior fuit. Qui liberalibus studiis non mediocriter initiatus, sacris tamen litteris, ardentiori desiderio semper inhæsit, ita ut cum postmodum sapientia et ætate proficeret, eas præ oculis et manibus incessanter haberet : et ne ad mensam quidem, sine lectione divina discumbere vellet. Quod non modo faciebat in propria domo, verum etiam in scholis peregrinando. Hic cum esset abbas Camberonensis, decedente piæ memoriæ domno Roberto, qui beato Bernardo successerat, electus est ad regimen Clarævallis. Ad quam tamen electionem venire dissimulavit, quamvis ex nomine vocaretur, timens utique ne hoc illi accideret, quod semper accidere verebatur. Verumtamen antequam legati Clarævallenses ad eum requirendum pervenire potuissent, garrula fama prævolante cognovit quia in ejus personam omnes unanimiter convenissent. Hoc itaque rumore turbatus et anxius, fugam arripuit, veniensque ad domum Vallis Sancti Petri, quod est monasterium Ordinis Carthusiensis, per dies aliquot ibi latuit. Ubi cum die noctuque in oratione persisteret, factus est in mentis excessu. Et ecce apparuit ei in magna gloria Virgo puerpera domina angelorum (8), portans in manibus Regem gloriæ, parvulum suum Jesum. Quam cum vidisset, procidit ad pedes ejus, obsecrans ut sui misereretur. Cui beata Virgo respondit : « Quid turbaris, o homo? » Et imponens in ulnas ipsius, velut alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam quam gestabat, ait : « Accipe filium meum, et serva illum. (9) »

Quo facto sublata est visio ab oculis ejus; et rediens ad seipsum, intellexit, quoniam a Domino egressus est sermo, et quia vere filii Dei et membra Christi essent, qui ejus providentiæ committebantur.

Hac igitur læta visione præmonitus, jam non est ausus ultra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere. Suscepto autem tam insignis cœnobii regimine, quam discretum, quam sollicitum, quamque benignissimum pastorem exhibuerit se, non est nostræ simplicitatis exponere. Nam quemadmodum aliis præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat religionis exemplo, et merito sanctitatis. Castus, pius et humilis, mansuetus, atque modestus, super omnes, quos in diebus ejus vidisse me memini. Parcimoniam vero, ut ait ille Severus de beato Martino, non est necesse in eo laudare, cum adhuc in sæculo positus ita frugaliter vixerit, ut non scholasticus, sed monachus putaretur. Nam sicut ipse quibusdam intimis suis secrete innotuit, biennio ante conversionem suam, licet ætate nondum adultus, ita abstinentiæ operam dedit, ut nunquam voluerit pane saltem et aqua saturari. Carnium autem edulium, quamvis in ipso tempore pene usque ad mortem ægrotasset, nunquam sumere acquievit. Jam vero monachus factus, quam sobrie vivendo, imo quam rigide abstinendo, corpus in servitutem redegerit, supersedeo dicere, quia ut verum fatear, vehementior exstitit in hac parte. Satis etenim illum super hujusmodi notavi : quippe qui pluribus annis eidem in mensa sua ministravi. Nam cum in seipso vitia carnis sine miseratione persequeretur, ipsi quoque miseræ carni, cui naturaliter insunt, minus quam oportebat, compati videbatur. Cæterum in exteriori habitu et cultu, pro officii sui dignitate quam humilis et quam temperans exstiterit, hoc uno quod dicturus sum, facile advertere erit. Quadam siquidem die cum vestiarius monachus in lectulo illius cucullam nescio an tunicam, qua ipsum indui vellet, solito meliusculam apposuisset, increpavit eum Pater, audiente me, et dixit : « Quid est, dilecte mi frater, quod facere cupis, ut a communione fratrum nostrorum me separes, et notabili habitu decolores? An quia abbatis nomine censeor, propterea monachus esse non debeo? Nunquid idcirco constitutus sum minister et servus aliorum, ut lautioribus epulis debeam saginari, et cultioribus vestibus ornari? Si ergo me diligis, si pacem meam quæris, et præceptis meis obedire non despicis, precor atque præcipio, ne id amplius facere velis. Nam cum ego sim omnium minimus, et apud Deum indignus, magnum mihi est, si communi omnium victu atque vestitu fuero honoratus. Ex quo enim assumptus sum ad regimen animarum, hoc unum est, quod præ cæteris timui semper et timeo, ne occasione hujus administrationis pauperem vitam, quam professus sum, deseram, et monachi præmium perdam. »

Hic itaque dilectus a Deo et hominibus, charismatum donis excellenter adornatus, non solum verbo et exemplo subditos informabat, verum etiam gratissima corporis habitudine mira devotione intuentes afficiebat. Tanta siquidem Spiritus Paracleti gratia in ipsius vultu angelico radiabat, ut vix posset fidelium aliquis desiderabili ejus aspectu satiari, præsertim qui puritatem animi ejus, et singularem mansuetudinem cogitabant : quam in exteriori homine, velut in proprio sigillo divinitus impressam esse cernebant. His virtutum ornamentis decoratus vir venerandus, cum pastore vacaret Cisterciensis Ecclesia, quæ est mater omnium nostrum, abbates et monachi qui electioni intererant, bono odore ejus allecti, pari voto, communi consilio, ipsum Cisterciensis cœnobii, ac totius Ordi-

(8) *Apparuit ei B. Virgo.* Adhuc cernitur in Vallis S. Petri ecclesia hæc historia in vitro depicta.

(9) Non sunt hæc verba auctoris libri : sed antiquioris, quem hoc et aliis capitulis inducit loquentem.

Digitized by Google

nis Patrem universalem elegerunt. Quo regimine suscepto, magnum, ut credimus, in eo fructum fecisset, nisi peccatis nostris exigentibus tam cito subtractus fuisset. Sed quia ejus sanctissima vita diutius frui digni non fuimus, præcisa est velut a texente, dum adhuc ordiretur. Ipse vero consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima ejus, et angelico consortio digna. De cujus felici transitu mox futuro cuidam de senioribus Clarævallis, beatæ videlicet memoriæ Petro Tolosano, de quo in consequentibus aliqua dicemus, facta est hujusmodi revelatio. Videbat in visu noctis, et ecce in nubibus cœli Filius Dei, sanctorum frequentia comitante, de cœlo adveniens et in ipso aere consistens, in throno gloriæ residebat, et splendor ex eo procedens mundum illuminabat. Porro ad dexteram majestatis illius monumentum quoddam gloriosissimum in aere suspensum apparebat : quod miro opere fabricatum intuentium oculos valde delectabat. At vero ante fores basilicæ Clarævallis multitudo promiscui sexus innumerabilis assistebat, qui sursum erectis vultibus Regem gloriæ Dominum nostrum Jesum Christum, ipsumque mausoleum intente respiciebant. Præfatus autem monachus Petrus accedens ad eamdem turmam, de sepulcro illo, quod coram Domino apparebat cœpit interrogare quid esset, aut quid significaret. Tunc unus ex eis respondit : « Sepulcrum istud de quo sciscitaris, scias esse cujusdam sancti viri de terra proxime assumendi, de cujus transitu magna in partibus istis longe lateque desolatio erit, cujus etiam mors futura est in conspectu Domini pretiosa et in conspectu hominum præclara. » Transacta autem visione, senior qui viderat eam, cœpit de ea cogitando turbari et mœstus esse. In crastino autem cum eum vidissem obnubilato vultu, animi dolentis indicia prætendentem, sciscitatus sum ab eo mœstitudinis ipsius causam. Cumque rogatus multum, tandem exposuisset mihi per ordinem visionem quam viderat, ego sciens illum multa gratia præditum, magnis consolationibus a Domino frequenter honoratum, cogitavi et credidi quia verbum quod viderat homo tam sanctus tamque perfectus non poterat omnino non impleri.

Evolutis autem postea diebus circiter viginti, ecce repente perculit aures nostras de inopinato ejusdem sanctissimi abbatis obitu rumor tristissimus : quo tristiorem a multis retro diebus in tempore illo accidisse non credimus, neque in partibus istis, neque in universo Ordine Cisterciensi. Verumtamen, juxta prædictæ revelationis modum, mors illius, ut vere confidimus, in conspectu Domini exstitit pretiosa, et in conspectu hominum celebris atque præclara. Nam cum Parisius pro negotiis monasterii ac totius Ordinis sui domino papæ Alexandro assisteret, correptus ægritudine lecto decubuit, et infra quintum diem sancto fine quievit. Huic autem decedenti tota Romanæ curiæ dignitas astitit, ita ut ipse quoque domnus papa propriis illum manibus inungens atque apostolica benedictione communiens, magno pietatis affectu morienti compateretur et mortuo congratularetur. Et non solum apostolicus, verum etiam piissimus Francorum rex Ludovicus, qui et ipse præsens erat cum sua curia, planctu magno sanctissimum virum quasi patrem charissimum planxit, multasque super eum lacrymas fudit. Tandem sacrum corpus ejus Cistercium relatum est, magnaque devotione tumulatum. Constat ergo quia felix consummatio sancti Patris, ipsaque claritas celeberrimi funeris designata fuerit evidenter, in splendore illius pretiosissimi et coram Deo positi monumenti. Aliam quoque de eodem Patre piissimo visionem breviter refero, de qua, quamvis incertum habeam quis eam viderit, certum tamen habeo quod eam a pluribus et pluries audisse me contigit. Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum magnæque virtutis virum existere, qui in ipsa die, qua beatus Bernardus abbas in Claravalle de mundo migravit, cum esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam angelum de cœlo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, et eam cum ingenti gaudio secum ad astra ferentem. Postmodum vero cum hic de quo loquimur, beatus Fastradus abbas exiret a corpore, eadem die vidit ille qui supra, eumdem angelum ad terras descendentem, assumptamque ex ea quamdam animam ad cœli fastigia sublevantem. Quæ, quamvis magna atque præclara videretur, prioris tamen magnitudini minime æquiparabatur. Hæc de beatissimi Patris conversatione, pretiosa quoque morte ejus succincta relatione disserui, non ut illius vitam et opera, quæ utique magna sunt, et meam omnino parvitatem excedentia, stylo comprehendere cuncta intenderem, sed ut ea solummodo quæ vel mihi soli, vel paucis mecum nota esse sciebam, litterarum monumentis tradita, non perirent.

CAPUT XXV.

De mirabili conversione domni Alexandri Cisterciensis abbatis.

(Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, hujus voluminis col. 431.)

CAPUT XXVI.

De revelatione, quam beatus Christianus monachus de domno abbate Rainardo et Cisterciensi conventu videre meruit.

Rainardus vir venerandus, quondam abbas Cistercii, audiens famam beati Christiani monachi, virum tam sanctum alloqui cupiebat. Scripsit itaque domno abbati de Eleemosyna, sub cujus cura idem domnus Christianus erat, quatenus ipsum sibi cum reverentia transmitteret. Qui accito uno de fratribus, quem ad hoc idoneum esse sciebat, eumdem Dei famulum ipsi commendavit ut, sicut sibi præceptum fuerat, ad domum Cisterciensem duceretur. Dum vero quadam die iter agerent, et secundum æstimationem temporis regularem horam sextam simul dixissent, retraxit se monachus qui cum viro Dei ibat, in partem, ut horam de Domina nostra secreto singuli per se psallerent quia nondum data erat licentia horas de beata Virgine publice cantandi (10). Vir autem Domini dum solus præcederet, subito in excessum mentis raptus est et stillantibus lacrymas oculis, facie quoque ad cœlum erecta, in diversa nutabat, ita ut equo quo vehebatur vix hæreret. Quod monachus alter cernens, licet multum timeret ne forte de equo laberetur, tamen dans honorem Deo, non præsumpsit propius accedere, sed patienter exspectabat, quem res exitum habitura foret. Cumque post modicum senior ad se reversus fuisset, socius itineris ejus reverenter accedens, cœpit humiliter petere quatenus si aliquid ad honorem Dei et ad ædificationem proximi pertinens vidisset, sibi pandere dignaretur. Tum Domini famulus hilari vultu respondit : « Frater mi dilecte, quanam, rogo, parte sita est domus Cisterciensis? » Et cum nunquam Cistercium vidisset, nec unquam viam, qua illuc itur, ambulasset; in directum protensa manu ad illam plagam cœli, ubi ipsum cœnobium situm est, dixit : « Nonne ex hac parte? » Cumque monachus admirans diceret : « Etiam, sancte Pater; » ille in jubilum corde et ore erumpens. « O beati, inquit, fratres qui Cistercii habitant! O quam beatus et sacer ille conventus, qui Domino tam sincere quam devote die noctuque deservire contendit! » Et conversus ad monachum : « Modo, ait, cum, sicut vidisti, in

(10) Notandus mos recitandi horas B. Virginis, primo quidem privatim, postea in choro, et publice.

Digitized by Google

excessum mentis venissem, raptus sum in spiritu Cistercium; et vidi conventum monachorum in choro in ordine suo stantem multa claritate perfusum, laudes Deo devotissime persolventem. Supra eumdem vero conventum vidi alium conventum sanctorum angelorum eodem ordine stantium, qui etiam multo majoris luminis claritate radiantes, fratrum devotioni congratulari videbantur. Porro in superiori illo choro vidi domnum abbatem quasi in stallo suo stantem; qui et ipse competenti gloria circumdatus magnæ lucis radios emittebat. » Cumque frater ille quæreret, utrumnam vidisset domnum abbatem pari cum angelis claritate refulgentem, respondit senior : « Scire debes quia in hac mortali et corruptibili vita quantumcunque quis proficiat, non poterit pari cum sanctis angelis claritatis gloria vestiri. » Audiens hæc frater ille multum ædificatus est, et indubitanter agnovit domnum abbatem Cisterciensem magni apud Deum meriti esse.

A

CAPUT XXVII.

De visione per quam conversus est domnus Joannes quondam monachus Cisterciensis, postea episcopus Valentinæ Ecclesiæ.

Vir vitæ venerabilis Joannes episcopus, qui de Ordine Cisterciensi assumptus, Valentinam satis strenue rexit Ecclesiam, dum adhuc esset sæcularis, proposuit in animo suo vanitatem sæculi abjicere, et habitu religionis accepto servire Domino in Ordine et in domo Cisterciensi. Cumque hoc quod salubriter proposuerat per negligentiam differret, cœpit paulatim in mente ipsius fervor ille bonæ intentionis tepescere. Interim vero profectus est ad sanctum Jacobum orationis gratia. Qui cum ab illa peregrinatione regressus fuisset in domum suam, eadem nocte apparuit ei per visionem Dominus Jesus Christus cum beatis apostolis suis Petro et Jacobo. Porro beatus Jacobus librum quemdam habebat pulcherrimum, quem et apertum coram Domino tenebat, in quo ejusdem clerici nomen erat descriptum. Et ait Dominus ad sanctum Petrum : « Dele nomen ejus de libro meo, quoniam resilivit a proposito suo. » Accedens autem beatus Jacobus ad Dominum, ait : « Obsecro, Domine, parce illi, quia peregrinus meus est, jamque seipsum corrigere festinabit. » Cumque prædictus clericus pavens et tremens hoc ipsum affirmando promitteret, Dominus ait : « Et quis me inde securum faciet? » Respondit beatus Jacobus : « Domine, ego fidejussor illius sum. » Evigilans autem idem clericus, dum secum ista miraretur, iterum obdormiens vidit eamdem visionem. Cumque beatus Petrus supradictum librum teneret apertum coram Domino, in loco ubi fuerat nomen clerici exaratum apparuit hujusmodi inscriptio: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* (*Cant.* I). Transacta vero visione expergefactus, et gratiam Dei vocantem se toto animo secutus, relictis universis mundi vanitatibus, ad domum Cisterciensem festinanter accessit; ibique probatus et fidelis inventus, monachicum habitum suscepit. In qua etiam domo religione et sapientia proficiens, factus est postmodum abbas Bonævallis. Inde vero assumptus est etiam ad episcopatum Valentinæ urbis; quem per annos plurimos strenue regens, multas

B

ibi adversitates pro defensione justitiæ toleravit. Attendant, quæso, istud, qui boni aliquid proponunt facere, et ad effectum perducere negligunt, qui nullo se reatu constringi putant, si bonum, quod facere proposuerant, non solvant, dummodo non voveant; cum manifeste B. Gregorius doceat (11) quia, si quis in minori bono constitutus majus aliquod bonum facere proponat, jam sibi minus bonum illicitum fecit; et si non solvat quod proposuit, quamvis in oculis hominum in minori bono stare videatur, jam tamen in oculis omnia cernentis Dei a majori bono cecidit, qui non solum operum, verum etiam, cogitationum et intentionum cordis judex venturus est. Certe iste servus de quo loquimur, nullum votum fecisse scitur, sed tantum quod simpliciter proposuerat, per negligentiam distulisse; et tamen subtilissimus ille scrutator cordium hoc ita pensavit, ut cum de libro vitæ deleri jussisset, nisi bonum quod mente conceperat quantocius effectui

C

mancipare curasset. Hæc pauca, quæ de virtutibus reverendissimorum Patrum Cisterciensis cœnobii ad nostram notitiam pervenire potuerunt, fideli relatione perstrinximus; certissime scientes quod sanctissima domus illa perfectis, et in omni religione consummatis viris claruerit; ad quorum virtutes investigandas parvitatem nostram minus idoneam fuisse profitemur.

(11) Gregor. hom. 3 in Ezechiel, in fine, et refertur, 17, q. 1. c. *Qui bona.*

DISTINCTIO SECUNDA.

De virtutibus et miraculis B. Patris nostri Bernardi primi Claræ-vallis abbatis, et quorumdam ejus successorum.

CAPUT PRIMUM.

De visione qua monachus defunctus, S. Bernardo apparens, ei fausta prædixit.

(Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, hujus volum. col. 415.)

CAPUT II.

De fratre defuncto ope S. Bernardi e purgatorio erepto (12).

(Vide ibid., col. 416.)

D

CAPUT III.

Sancto visi angeli adnotantes ea quæ singuli monachi in choro orabant.

(Vide ibid., col. 417.)

CAPUT IV.

Videt sanctus angelos chorum excitantes, dum caneretur canticum, Te Deum.

(Vide ibid., col. 418.)

(12) Defunctus, qui hic traditus dicitur diabolo, in purgatorio fuit, alioqui liberari non potuisset; patet ergo animas purgatorii a dæmone cruciari

Digitized by Google

CAPUT V.

Sanctus sentiens in spiritu quosdam nimio timore turbari, magnifice eos consolatur.

Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII hujus volum. col. 418.

CAPUT VI.

Monachus incredulus communicare in fide B. viri jussus, ad fidem reducitur (13).

(Vide ibid., col. 419.)

CAPUT VII.

Visa aliquando Christi crucifixi imago S. Bernardum orantem amplecti (14).

(Vide ibid., col. 419.)

CAPUT VIII.

S. Bernardus monacho epilepsia laboranti impetrat, ne improvisus ea tangatur.

(Vide ibid., col. 420.)

CAPUT IX.

Præcipit sanctus moribundo, ne ante vigilias decedat, cui ille obedit.

(Vide ibid.)

CAPUT X.

Prædicit S. Bernardus Guidonem fratrem non moriturum in Claravalle.

(Vide ibid., col. 421.)

CAPUT XI.

S. Bernardus Romæ agens, mirabiliter visitat in spiritu Claramvallem.

(Vide ibid.)

CAPUT XII.

Iterum visitans sanctus in spiritu Claramvallem videt omnia quæ ibi aguntur.

(Vide ibid., col. 422.)

CAPUT XIII.

Multi litterati lacrymis et sermonibus S. Bernardi conversi, mundo vale dicunt.

(Vide ibid., col. 423.)

CAPUT XIV.

Prædictio S. Bernardi de quibusdam novitiis mirabiliter impleta.

(Vide ibid., col. 425.)

CAPUT XV.

S. Bernardus latronem eripit ab imminenti morte, et religiosa veste donat.

(Vide ibid.)

CAPUT XVI.

Civis Mediolanensis vidisse se S. Bernardum inter apostolos palam fatetur.

(Vide ibid., col. 426.)

CAPUT XVII.

Prudenter respondet sanctus hæretico, de collo equi ipsius eum suggillanti.

(Vide ibid., col. 427.)

CAPUT XVIII.

Cæcus illuminatur : unde Catholici confirmantur, hæretici confunduntur. Humilitas quoque sancti Patris commendatur.

(Vide ibid., col. 428.)

CAPUT XIX.

De mortuo quem beatus Bernardus suscitavit.

(Vide ibid., col. 430.)

CAPUT XX.

De obitu beatissimi Bernardi abbatis.

(Vide ibid., col. 447.)

CAPUT XXI.

De domno Roberto secundo Clarævallis abbate.

Successit beatissimo Patri Bernardo in regimine Clarævallensis cœnobii domnus Robertus abbas de Dunis, cujus prælationem, sex vel septem annis, antequam ipsa promotio fieret, Dominus revelare dignatus est. Cum enim ante tanti temporis spatium duo de fratribus Clarævallis de felicibus actibus dilecti abbatis sui Bernardi colloquerentur : « Scisne, ait unus ad alterum, quantum temporis iste Pater noster adhuc victurus sit? » Altero vero se nescire respondente : « Ego scio, inquit, quod sex vel septem annos victurus est, et quia domnus Robertus, qui hodie est abbas de Dunis, in hujus monasterii regimine succedere debet. » Quod ubi Deo donante factum est, idem religiosus abbas pastoralem curam tanto humilius exercuit, quanto se inferiorem meritis prædecessori suo judicavit. Quanto enim eminentiores pensabat virtutes illius qui prædecesserat, tanto in se magis despiciebat quidquid boni facere poterat. Sicque factum est ut, cum magnæ religionis speciem daret; comparatione tamen melioris, in oculis suis propria sibi vita vilesceret. Hujus venerabilis abbatis temporibus erat in monasterio Clarævallis religiosus quidam monachus, qui vidit gloriosam quamdam visionem, quam ad consolationem humilis suæ Clarævallensis familiæ Dominus ostendere dignatus est. Verum frater ille qui eamdem visionem videre meruit, utrum dormitans, an plene vigilans eam viderit incertum habet; magis autem vigilans et in exstasin raptus vidisse se credit. Igitur secunda feria Paschæ, cum esset ad vigilias in choro Clarævallensi, facta est super eum ibi manus Domini. Et ecce sursum in aere contra medium chori apparuit ei dextera refulgens atque gloriosa, quæ præsentem familiam in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus sancto homini suo confitentem, benedixit, et vivificæ crucis signaculum semel ac secundo longo tractu super eam impressit. Spiritus autem revelans mysteria loquebatur in corde videntis hæc atque dicebat : « Istud est brachium Dominantis, hæc est dextera Omnipotentis. » Eadem itaque die conversus est ibi vir nobilissimus Andreas Virdunensis archidiaconus, qui causa orationis illuc advenerat, nec tamen aliquod ad præsens conversionis propositum, habebat. Sed cum orationum suffragia petiturus, capitulum fratrum introiisset, videns sanctæ illius multitudinis ordinem, et velut angelicam conversationem, compunctus est vehementer, et insiliente in se Spiritu Domini mutatus est in virum alterum. Tanto namque fervore mundum deseruit, ut ne ad horam quidem, vel pro amicis salutandis, vel pro domo rebusque disponendis ad suos remearet, sed incontinenti omnia, rumpendo magis quam solvendo, reliquit, ut Christo citius adhæreret. Ut autem gemina crucis impressio evidentius appareret, alius clericus, Gaufridus nomine, cum eo se reddidit, genere quidem humilior, sed probitate morum et generosa conversione forsitan non inferior.

Ambo igitur intrantes, ambo simul in Ordine perseverantes, bonam militiam militarunt; jamque

(13) **Monachus**, de quo hic sermo, fuit scrupulo et involuntaria incertitudine vexatus : alioqui non jussisset eum sanctus communicare, nec se dixisset monachus scire, se in infernum, eo quod non crederet, descensurum.

(14) Quod de Christo viso amplecti S. Bernardum dicitur, non contigit Moris, ut vulgo creditur : cum hoc cœnobium fuerit fundatum sub mortem sancti Patris.

Digitized by Google

consummato certamine benedictionis æternæ participes existunt. Porro præfatus Andreas multa in novitiate conversionis suæ tentamenta sustinuit, sed dextera cœlestis, quæ benedictionem dederat, eum in omnibus illæsum conservavit. Erat enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, mollis et delicatus nimis, ut tanto gloriosius in eo dextera Domini triumpharet, quanto infirmius erat vasculum, in quo virtutem operabatur. Cum enim teneritudinem pristinæ conversationis ægre dedisceret, et noviter inchoatæ laborem nimis arduum reputaret, cogitavit, ut Lot, quia egressus de Sodomis non posset animam suam in monte salvare. Unde et proposuit ad aliquem remissioris observantiæ Ordinem declinare. Quod cum spirituali Patri suo venerabili Roberto jam sæpius indicasset, et ejus salutaribus monitis ab hac intentione pedem aliquandiu cohibuisset, tandem una die victus a pusillanimitate spiritus et tempestate, denuntiavit ei quia non poterat amplius sustinere. Tunc abbas precibus ac blanditiis multis extorsit ab eo ut sibi ipsi vim faceret, et usque ad diem tertium patientiam teneret. Quo tandem vix impetrato, capitulum fratrum ingressus, orationem conventum ad Deum facere pro eo instituit. Ipse etiam pius Pater toto mentis annisu conversus ad Dominum, devotissimis precibus orabat ut oviculam, quam diabolus rapere conabatur, Dominus sua misericordia conservare dignaretur. Eadem itaque die, cum idem novitius ad mensam accederet, pisorum edulium appositum reperit, quod genus leguminis ita præ cæteris omnibus fastidire solebat, ut etiam nauseam ei provocaret interdum. Intuitus vero pulmentum quod nimium abhorrebat, conturbatus est, et vix, fame compellente ut aliquid sumeret, reluctanti stomacho persuadere poterat. Et, o Deus bone, quam dives es in misericordia teneris et delicatis morem gerens, ut in omnibus consilium voluntatis tuæ adimpleatur, et sanctum nomen tuum glorificetur! Præfatus vero novitius, cum cibum sibi invisum vix tenuiter gustare cœpisset, mirabilem quamdam sensit suavitatem, ita ut carnium vel piscium esum saporis illius præstantia vinceret. Quod ubi deprehendit, arrepto protinus cochleari catinum propius admovit, oblitusque parcimoniæ, coctionem leguminis voravit usque ad fundum. Inter edendum autem digitum in os frequenter mittebat, existimans se deprehendere posse cremia lardi, in quo legumen illud frixum esse putabat. Finita autem refectione festinanter abbatem adiit, sollicite perquirens utrumnam præcepisset pulmentum illud saginare, vel quavis alia pinguedine propter ipsum ex industria condiri. Illo vero negante, conventi sunt etiam super hoc pulmentarii. Tunc et ipsi protestati sunt in veritate, nil in eo præter sal et aquam apposuisse. Quo audito, neophytus ille divinæ circa se visitationis miraculum lætus advertit, et gratias agens Deo, deinceps a proposito Ordine moveri non potuit. Cumque magno Dei munere secunda et tertia die, et multo postea tempore, prædictam suavitatem in ejusmodi cibariis persentiret, magistra tandem experientia didicit quia potens est Dominus, cum voluerit, ad consolationem servorum suorum eamdem saporis gratiam conferre leguminibus et oleribus quam carnibus et piscibus indidit. Unde et sæpe dicebat quia magis nunc delectabatur in comestione pisorum et olerum, quam antea in comestione altilium et venationum.

CAPUT XXII

De seniore, qui apostasiam cujusdam monachi in spiritu prævidit, et eam domno Roberto abbati prædixit.

Sed quoniam jucundum satis exemplum de his duobus athletis Christi retulimus ad incitandum teneros et delicatos, ne conversionem refugiant, quoniam non est invalida manus Domini ad tenendum, roborandum et confirmandum in sacro Ordine, quantumlibet deliciosos, nunc triste nimis exemplum de aliis duobus subjicimus, qui, suscepto religionis habitu, redierunt retro post Satanam, ne forte quis sancto Ordini incorporatus, continuo securitatem sibi promittat, cum tunc primum manus ad fortia mittere debeat, et, nisi legitime certaverit, coronam propositam minime consequatur. Quidam de senioribus Clarævallensibus, Guillelmus nomine, religione pariter et ætate provectus, quem etiam domnus Robertus abbas ob ipsius sanctitatem plurimum venerabatur, premente corporis molestia quadam vice in infirmitorio decumbebat. Nocte vero quadam post Matutinos, quiescentibus cæteris infirmis, ipse, sicut erat ferventissimus, more solito vigilabat et orabat in lecto. Et ecce per ostium infirmitorii dæmonium intrans, oculis ejus manifeste apparuit in vestitu et vultu fornicariæ mulieris, quæ coram eo transiens, circuibat oberrans et quasi aliquem quærens. Erat autem in medio domus lampas accensa : quæ copiose refulgens, petulantes illius monstri motus et gestus lascivos aperte videri faciebat. Ibat ergo phantastica meretrix obtutu gyrovago cuncta perlustrans et singulorum pene lectulos explorans, quis dormiret, quis vigilaret, diligentius investigans ; si quem forte de suis ibidem agnosceret si quis blandienti ac lenocinanti consentiendo occurreret, illum cito præteriens, hunc morosius intuens, istum de longe visitans, illi magis appropians : manus quoque interdum usque ad ora quiescentium molliter applicans. Nihil intactum, nil indiscussum relinquere volebat ; et quod per suggestionem semper interius actitat, hoc permittente Domino ad admonitionem nostram, in oculis spiritualis illius viri visibiliter exercebat. Tandem vero quem quærebat offendens, sistitur ante lectum. Erat autem juvenis monachus, et noviter monachizatus. Tunc illa procaci manu injecta a parte capitis opertorium parumper amovit, et tactu leni pulsitans dormientem, clara voce sic ait : « O homo insensate, quid hic habes facere ? Surge celeriter, et sequere me ; et dic etiam socio tuo, ut exeat post te. Ego autem foris ad januam præstolabor vos. »

Hoc itaque dicto, pervicax bellua festinanter recessit, et per ostium quo intraverat, exiit. Expergefactus vero juvenis resedit in lecto, et frontem manibus fricans huc illucque respiciebat scire cupiens quis eum excitasset. Qui cum neminem cerneret, capite iterum reclinato obdormivit, sed non in Domino. Mane igitur facto, vir Dei qui talia viderat, abbati suo, piæ videlicet memoriæ domno Roberto, rei gestæ ordinem intimat. Ille vero tanquam bonus pastor sollicitus, ne aliquam de sibi creditis ovibus perderet, juvenem super cogitationibus suis secretius convenit, diligentius admonet, cautius instruit ; accepitque ab eo responsum, quod nulla turpi cogitatione aliquatenus pulsaretur, verum ad perseverantiam propositi sui voluntate firmissima traheretur ; sed mentita est iniquitas sibi (*Psal.* xxvi). Erat enim cordi ejus, præsidente diabolo, confessionis aditus obstructus, ne per pœnitentiæ portam, venia salutaris ingrederetur. Cum ergo abbas prædicto viro Dei juvenis responsum insinuasset, ille respondit. « Exspectate paulisper ; et ex facti fine probabitis verum esse quod dixi. » Quid multa ? Non multi fluxerant dies, et ecce juvenis ille libidinum furiis agitatus, immemor tremendi judicii Dei, professionis vinculum rupit, et ad vomitum sæculi reversus, apostata vilis efficitur : et sic demum phantasticæ illius meretricis seductione deprehenditur. Porro socius ille quem secum educere jussus fuerat, ipse cum eo novitius exstiterat, et sacrum habitum, licet frustra, cum eo susceperat. Qui ad aliam transmissus domum, cum audisset socium suum jugum Ordinis abjecisse, tunc et

Digitized by Google

ipse rupto professionis vinculo, cum eo apostatare non distulit. Unde patenter innotuit quod spiritus fornicationis ille, qui secundum prophetam sufflat prunas in fornace (*Isa.* LIV), virulentas carnalis voluptatis delectationes in cordibus eorum accenderat, et per hoc utrosque seduxerat. Cujus inextricabiles nequitiæ nexus, quoniam, secundum sententiam beati Job, nervi testiculorum ejus perplexi sunt (*Job* XL), longe faciat ab infirmis servulis suis omnipotens et misericors Dominus.

CAPUT XXIII.

De jucunda visione, quam domnus abbas Robertus in obitu cujusdam spiritualis viri vidit.

Quidam de spiritualibus filiis reverendissimi Patris Roberti, cum viam angustam et arduam, quæ ducit ad vitam, indeclinabili studio cucurrisset, tandem placuit Domino laboribus ejus finem imponere, ut in pace in idipsum obdormiens requiesceret. Cumque jam instaret hora, qua de mundi hujus stadio evocandus, et ad cœleste bravium esset invitandus, domnus abbas cum cæteris fratribus gratia quietis in lectulo suo collocaverat. Et ecce sopor Domini irruit super eum, viditque in somnis duos pulcherrimos adolescentes, vultu et habitu insigniter relucentes, qui quasi lilia, rosas et violas, ac diversi generis flores in choro Clarævallensi copiose spargebant, ita ut pavimentum omne pictum, ac variis coloribus venustatum esse videretur. Quo viso miratus est valde, et quasi simplicitatem Ordinis zelans, dixit ad eos: « Quid vobis visum est, o boni juvenes, contra consuetudinem nostram pavimentum hoc floribus sternere, et monasterio nostro hujusmodi novitatem inducere? » Illi vero dixerunt ad eum: « Noli ista mirari, neque molestus nobis sis in hac exsecutione officii nostri, quoniam modo jam in choro isto celebrabitur nova cujusdam novi sancti festivitas, de cujus solemnitate gaudebunt angeli, et hymnus Domino cantabitur in Sion. » Adhuc loquebantur illi, et animum videntis et audientis hæc in admirationem rapiebant, cum ecce concitatus tabulæ crepitus excitat dormientem, et ut festivitatem, quam celebrandam intus in spiritu cognoverat, foris secundum dignitatem officii sui exsequeretur, signo consuetudinario invitatur. Accurrens ergo cum cæteris fratribus properanter venit ad eum, et cum magna devotione commendavit animam ejus, certissime credens atque confidens quia hic erat novus ille sanctus, de quo in requiem assumendo angeli sancti novam festivitatem et novum gaudium essent illico celebraturi. O beati et vere beati, quos elegisti et assumpsisti, Domine, qui nunc in hac vita per ardorem pœnitentiæ eatenus excoquunt in se omnem scoriam peccati, ut in illa vita, ad quam per præsentis vitæ mortem transitur, in qua Dominus abluit sordes filiarum Sion (*Isa.* IV) tremendo spiritu judicii et spiritu ardoris, purgatione non egeant, sed mox sine omni obstaculo delicti ad beatitudinis requiem pertingant! Beatæ itaque memoriæ domnus Robertus secundus Clarævallis abbas, cum talentum sibi creditum in lucra animarum fideliter, prudenter et humiliter expendisset, in gaudium Domini sui introductus est, sanctissimi prædecessoris sui, etsi non par meritis, tamen beatitudini conjunctus, ut simul cum eo gaudeat in cœlis, cujus in tam religiosa congregatione dignus successor esse meruerat in terris. Reliquiæ corporis ejus conditæ sunt in monumento, quod constructum est in muro claustri Clarævallis, prope ostium ecclesiæ, ubi et alii perfecti, et vere Deo digni monachi requiescunt: de quibus in consequentibus aliqua dicemus.

CAPUT XXIV.

De domno Pontio, quinto Clarævallis abbate, postea Clarimontis episcopo; et de quibusdam sanctis monachis, ejus fratribus et filiis.

Tertio loco præfuit Clarævallensi cœnobio beatus cum omni reverentia nominandus Fastradus, cujus supra fecimus mentionem: quo ad regimen Cisterciensis Ecclesiæ, sicut superiora declarant, assumpto, domnus Gaufridus, quondam notarius S. Patris nostri Bernardi, plurimumque ab eo dilectus, qui etiam ultimos tres libros Vitæ ejus mellifluo sermone descripsit, quarta institutione pastor et abbas Clarævallis subrogatus est. Quo post aliquantos annos cedente, venerabilis Pontius Grandissilvæ abbas, merito religionis et prudentiæ suæ, communi abbatum et fratrum Clarævallensium electione ad hujus officii dignitatem sublimatus est. Iste servus Dei, dum adhuc esset monachus in domo Grandissilvæ, quæ est una de filiabus Clarævallis in partibus Tolosanis, in qua etiam constat multos præclari et magni meriti viros ab initio fuisse, studebat omnibus modis mundum sibi seque ipsum crucifigere mundo, vitia carnis et cordis resecare, votis et sacri desiderii suspiriis ad cœlestem patriam anhelare, seniorum, quos spirituales et religione conspicuos esse noverat, amicitias et familiaritates avide expetere, quatenus ipsorum exemplis et exhortationibus renovaretur in spiritu mentis suæ de die in diem, quotidianisque proficiens incrementis adversæ Philosophiæ scientiam transcenderet. Inter cæteros vero uni specialius adhæsit, qui novitiorum magister erat in eadem domo, vir eximiæ virtutis et in omni virtutum puritate fundatus. Hic ergo velut emeritorum laborum senex cœpit de requie felicitatis æternæ cogitare, universa quæ mundi et carnis sunt fastidire, ad Christi Domini nostri beatissimam præsentiam totis medullis cordis suspirare, ferventissimum habens desiderium dissolvi et cum Christo esse (*Philipp.* I); hoc enim multo magis melius. Ipso itaque in hoc spiritualis desiderii agone constituto et dicente quotidie in orationibus suis: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI)? supervenit sacratissimus dies Cœnæ Domini, in quo solemniter, sicut moris est, conventus ad mensam Dominicam accedere vivificisque sacramentis participare debebat. Cumque jam instaret hora divini sacrificii, et fratres ad percipiendam sacram communionem in ordine suo ad altare accederent, ipse quoque inter cæteros accessit, divinis muneris particeps fieri gestiens. Sumpta vero sacra communione, cum adhuc eamdem eucharistiam salutarem in ore teneret, præ inenarrabili dulcedine divinæ dilectionis liquefacta est anima ejus in ipso; et præ impatientia sacri desiderii admovens gutturi suo digitum, petivit animæ suæ, ut moreretur, hujusmodi orationem fundens ad Dominum: « Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Salvator generis humani, qui hanc purissimam et innocentissimam carnem, quam indignus sumere præsumpsi, ex immaculatæ et intemeratæ Mariæ virginis utero pro nobis peccatoribus sumere dignatus es, si tibi non displicet ista petitio qualiscunque servuli tui, precor et supplico pietatis tuæ clementiæ, quatenus per meatum gutturis hujus, per quod nunc cibum cœlestem, panem vitæ æternæ, trajicere debeo, terrenum panem, seu quamcunque aliam terrenam substantiam, de cætero nullo modo transire permittas. » Et hæc dicens, hostiam salutis, quam ore tenebat, cum summa alacritate et devotione ad interiora potius animæ quam corporis trajecit. Continuo itaque, tanquam si Dominus responderet ei: « Fiat tibi, sicut petisti, » eadem hora et eodem in loco viribus corporis cœpit repente destitui, et die tertia, hoc est Sabbato sancto Paschæ, obdormivit in Domino, vultu illo quem tantis suspiriis et votis quæsierat æternaliter satiandus, in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I). Beatus vir, qui sic implevit desiderium suum! Felix oratio, quæ tam celerem suæ petitionis consequi meruit effectum! Porro prædictus domnus Pontius, tunc ejusdem monasterii monachus, qui eum unice diligebat, et infirmanti ac morienti sedulum ministerium devotus

Digitized by Google

impendebat, percunctatus est eum utrum corporali molestia graviter premeretur. Ille vero respondit se placidum ac tranquillum existere, nihilque sentire molestiæ, nisi tantum in gutture, ubi digitum apposuerat : ibi se aliquantisper dolere dicebat. Cumque idem domnus Pontius mira devotione circa tam feliciter morientem afficeretur, accessit ad eum, et cum magna contritione cordis, intimis precibus rogavit ut, si per divinam concessionem fieri posset, post mortem ad se reverteretur, et de his quæ circa se gererentur, eum certificaret. Quo annuente, post paucos dies dormitionis suæ ad fratrem prædictum revertitur, cum magna claritate refulgens, et quasi crystallus aut vitrum purissimum toto corpore translucens. Dixitque ad eum : « Notum tibi facio, charissime, quia miserante Domino susceptus sum in magna beatitudine. Corpus vero istud, in quo me conspicis, collatum est mihi usque ad diem generalis resurrectionis, in quo proprium corpus, quod modo vermibus scatet, et in pulverem redigitur, recuperabo, incomparabili gloria præstantius atque præclarius isto. In hoc autem interim suavissime requiesco, quod per omnia mihi accommodum, et ita translucidum est, ut de singulis membris ac de cunctis partibus ejus, quasi de oculis clarissime cernam ; et totum corpus ita mihi sit undique, ac si esset oculus unus (15). » Cæterum in pede uno ejusdem purissimi et translucidi corporis apparebat obscuritas cujusdam maculæ, de qua tristi aliquantulum vultu sic locutus est : « Macula ista quam cernis, contracta est a me per negligentiam meam, eo videlicet quod ad laborem quotidianum aliquando segniter incedere solebam, nec conventum fratrum ad opus manuum exeuntem, eo fervore quo debebam, sequebar. » Hæc et alia multa, multumque miranda prædicto monacho anima illa sancta innotuit, tandemque ab eo recedens magnifice ædificatum consolatumque dimisit. Attendant, quæso, istud qui non solum ad laborem segniter incedere, verum etiam pro frivola quavis occasione a communi labore solent remanere, cum certum sit omnem Ordinis institutionem sanctam et Deo placentem esse, nec sine gravi periculo animarum negligi posse.

CAPUT XXV.

De fratre moriente, qui gloriam sibi præostensam domno Pontio declaravit.

Famulus Domini Pontius, qui prædictam visionem ad consolationem nostram, qui in ordine Cisterciensi pondus diei et æstus portamus, videre meruit. Cum succedenti tempore, proficientibus meritis, ad regimen ejusdem Ecclesiæ assumptus fuisset, locum dignitatis condignis adornabat moribus, pastoralem quidem curam debita auctoritate exercens, sed ovis mansuetudinem et innocentiam non amittens. Factum est autem ut in diebus prælationis ejus Dominus occulta dispensatione tremendorum judiciorum suorum in eamdem domum immitteret mortalitatem vehementer grassantem, ita ut infra duos menses quadraginta circiter et quinque fratres de medio tollerentur. Qui fere omnes cum tanto pietatis desiderio dormitationem accipiebant, quasi jam cœlitus prævidissent se, post miserias hujus vitæ, continuo beatitudinis æternæ vitæ participes futuros. Et multi quidem ex eis cœlestem gratiam sibi conferendam prævideruntet prævisam accipere meruerunt. Ut nunc verbis fidem faciamus, exempli gratia pauca de pluribus referemus. Erat ibidem monachus quidam probatissimæ conversationis, qui in præfata mortalitate defunctus est. Hic itaque cum jam ad horam ultimam devenisset, pulsata est tabula post Completorium, et convenerunt fratres ad ejus exitum muniendum. Cantantibus autem monachis circa illum litaniam et psalmos, et ipse confortatus a Domino, voce qua poterat cum aliis psallebat. Explicita vero psalmodia, domnus abbas Pontius signo facto præcepit conventum abire, eo quod infirmum psallentem aspiceret, et putaret eum adhuc aliquandiu spiritum trahere. Quod cum frater ille videret, protensa manu significavit abbati ut faceret eos ibidem adhuc subsistere paululum, quia sciebat se ad punctum in modico migraturum. Cernens itaque abbas ferventissimum virum, quia, propter regularis disciplinæ censuram, post Completorium, etiam in mortis articulo, silentium frangere nollet, præ gaudio se continere non potuit, sed rupto ipse silentio, et præmisso « Benedicite, » ait : « Obsecro, dilectissime frater, quia video Dominum esse tecum, ut indices nobis si tibi revelatum est aliquid de illa beata spe quam exspectas, ut et nos valeamus in Domino respirare, et tibi pariter congaudere. » Tunc idem infirmus respondit : « Ut ad ea quæ poscitis, domine Pater, respondeam breviter, sciatis me vidisse quæ loqui non licet. Verumtamen hoc unum dicere possum, quia, si omnium hominum merita solus ego transcenderem, necdum utique dignus existerem adipisci æternæ beatitudinis gloriam, quæ præparata et prænonstrata est mihi, jamjamque habituro. » Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

CAPUT XXVI.

De fratre pusillanimi, quem domnus abbas Pontius magnifice ad pœnitentiam animavit.

Frater quidam magnæ religionis in eodem tunc cœnobio degebat, nomine Bernardus. Hic in primordio conversionis suæ, dum peccatorum suorum enormitatem, districtique Judicis æquitatem attentius intueretur, tanta formidine motus est, ut in desperationem propemodum laberetur. Quo comperto venerabilis abbas ipsius Pontius, exemplis et monitis multis ei persuadere conabatur quia confessus et pœnitens quilibet, quantumlibet reus, nunquam indulgentia privaretur. Et cum necdum ei hoc modo satisfacere posset, adjecit et ait : « Ego salutis tuæ fidejussorem me constituo, et anima mea pro tua requiratur, dummodo obediens perseveres in Ordine isto. » Hac ergo promissione frater ille magnifice roboratus, spiritum diffidentiæ a quo expugnabatur, penitus expugnavit, et exsultans in Domino cum tremore, misericordiam et judicium deinceps cantare consuevit. Qui cum esset nobilis genere, nullam tamen generositatem arbitrabatur, nisi pro Christo pauperem fieri et servire pauperibus. Erat enim infirmarius pauperum in hospitio deputatus. Quibus officiosissime superintendens, non sicut extraneis et mendicantibus serviebat ; sed tanquam dominis suis, et tanquam membris filii Dei. Si quem inter eos morbidum, si quem ulcerosum, et vermibus scaturientem aspiceret, huic omnem pietatis operam impendens abluendo, tergendo, atque refocillando, quasi mater ægrotanti filio jugiter assistebat. Dum hæc et his similia Dei famulus agere non cessaret, contigit eum in prædicta mortalitate migrare ad Dominum. Cum enim videret socios suos quotidie subtrahi, et ipse desiderabat desiderio magno dissolvi, et esse cum Christo. Et pius vero Dominus, qui semper præsto est corde contritis et spiritu contribulatis servis suis, decrevit adimplere desiderium ejus. Oborta vero febri parva eum tenuiter ægrotare cœpisset, lecto decubuit. Cumque domnus abbas introiisset ad visitandum illum, mirabatur quod homo ferventissimus tam levi occasione lecto detineretur. Unde et subridens aiebat : « Ne timeas,

(15) Parum probabile est, quod monachus apparens fertur dixisse, corpus in quo apparebat, sibi pro munere datum usque ad diem resurrectionis : ad quid enim huic corpus, potius quam aliis : vel ad quid et illis?

Digitized by Google

frater mi Bernarde, quia non modo morieris, sed adhuc comessurus es nobiscum de fabis et oleribus nostris. » Ipse vero respondit : « Non timeo, Pater, non timeo; sed confido in Domino, quia minime jam fraudabor a desiderio meo. » Quid multa? Post quatuor aut quinque dies scintillula crevit in incendium magnum; et facta est peremptoria febris, quæ ephemera putabatur. Tunc proprium judicium abbas reprehendit, et fratris sententiam, quam de seipso protulerat, prævalere cognovit.

Appropinquante autem hora migrationis, inunctus est frater oleo sacramentali. Expleta vero unctione factus est statim in spiritu; et raptus in contemplationem, per multum temporis spatium jacuit sine sensu et sine motu, ita ut pene mortuo similis videretur. Interim ergo aperti sunt ei cœli, et revelata facie meruit inspicere gloriam Dei, adeo ut dicere posset : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Cumque per multam horam velut exanimis jacens, secreta cœli, non præsumptione, sed gratia duce rimaretur, tandem ad se reversus, ipsa hilaritate vultus ubinam fuisset, satis indicavit. Ad quem pius Pater accedens, interrogavit quomodo se haberet. Qui respondens : « Bene mihi, inquit, est, domine Pater, per indulgentiam Dei. Et nunc charissime Pater, absolvo te a debito sponsionis tuæ, multas gratias agens sollicitudini tuæ circa me peccatorem. Jure enim promissor absolvitur, quando promissionis exhibitio jam tenetur. » Abbas autem, pristinæ illius obligationis suæ, qua se pro anima ejusdem fratris responsalem fecerat, oblitus, mirabatur unde loqueretur. Tunc frater expressius commonefecit illum, et ait : « Ergone excidit tibi quemadmodum olim salutis meæ responsalem te constituisti? Ab illa ergo fidejussione securum te facio, quia jam de salvatione mea per misericordiam Domini nostri Jesu Christi securus existo. » Tum vero abbas sollicita inquisitione cœpit ab eo indagare quonam modo id potuisset agnoscere. Quod cum modis omnibus dicere recusaret, cernens abbas nil se precibus proficere, in nomine Domini per virtutem obedientiæ præcepit quatenus ea quæ vidisset, ad ædificationem et consolationem multorum exponeret. Quo audito frater ille infirmus ita effatus est : « Quoniam virtus obedientiæ veritatem me silere prohibet, rem dicturus sum vobis, cui fortasse fidem dubiam adhibebitis. Sed ut testimonium hoc credibile faciam, scitote quia cum fine dicti etiam finem vitæ accipiam. Noverit ergo dilectio vestra me, licet miserum et indignum, Domino et Salvatori nostro Jesu Christo fuisse præsentatum, vidisse illum facie ad faciem, non tamen in sua divinitate, sed tantum in illa beatissima humilitatis forma, quam dignatus est pro nobis assumere, cujus benignissima indulgentia remissionem peccatorum accepi, et spem felicitatis æternæ per gratiam ipsius in sinu meo repositam habeo. Ex ipsius etiam sacratissimo ore audivi quia omnes, qui obedientes in isto Ordine usque ad mortem perseverabunt, salutem æternam ab ipso consecuturi sunt. Fratres autem nostros, qui de sæculo migraverunt, in magna beatitudine pausantes aspexi, et meum ipsius locum, quem inter eos, miserante Domino, jam nunc sortiturus sum, prævidi. »

Cum ergo ista dixisset, obticuit, statimque felicem animam reddidit. Accingamur ad pœnitentiam, fratres, et cum hoc pœnitente præveniamus « faciem Dei in confessione et cordis contritione, quatenus postmodum cum ipso mereamur faciem Dei videre in cordis jubilo et spiritus exsultatione. Vere, secundum Dei testimonium, *regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI). Ecce magnus iste peccator, qui in initio conversionis suæ numerositatem et enormitatem criminum suorum districte, sicut oportebat, considerans, pene in desperationem lapsus fuerat, divina gratia illustratus erexit se contra se, studens in lacrymis et luctu pœnitentiæ, infirmantibusque sedula servitii exhibitione, sacrificium cordis contriti et spiritus humiliati Deo quotidie immolare : ideoque faciem, quam nimium tremebat iratam, quamque modis omnibus sibi placare satagebat, ad consolationem omnium vere pœnitentium, adhuc in hoc fragili mortalitatis corpore positus, non solum placatam videre, verum etiam benignissima lenitate peccata sibi indulgentem, seque ad æternæ beatitudinis gloriam invitantem, contemplari promeruit. Non enim dormientibus et negligentibus, et peccata sua dissimulantibus, seu de numerositate annorum, quos in sancta conversatione fecerint, præsumentibus, provenit regnum cœlorum, sed vigilantibus, et in observantia mandatorum Dei voluntaria exercitatione die noctuque laborantibus. Igitur sanctæ recordationis dominus Pontius, Grandissilvæ abbas, cujus sanctitatem et religionem in tam perfectis et religiosis discipulis, de quibus locuti sumus, æstimare licet, ut, sicut scriptum est, sanctus sanctificaretur adhuc (*Apoc.* XXII), et qui in modico fidelis inventus est, supra multa bona Domini sui constitueretur (*Luc.* XIX); divina pariter et humana electione Clarævallensis Ecclesiæ, totius quoque Clarævallensis generationis Pater et pastor constitutus est. Ubi dum vigilanti sollicitudine gregi Dominico superintenderet, et in prælatione Domini lucra, non sua quæreret, ne lucerna per Spiritus sancti benignitatem accensa sub modio lateret, vocante Domino, totiusque cleri et populi electione annitente, in episcopum Clarimontis assumptus est. Pontificatus vero honore sublimatus, monachi humilitatem non reliquit, geminam hanc gratiam mirabiliter in se copulatam ostendens, ita ut summi sacerdotii dignitas monasticæ humilitatis puritatem commendabiliorem redderet, et rursum religionis vigor pontifici auctoritatem tribueret, sicque verbo et exemplo populum, cui episcopus datus fuerat, pascens et instruens, inter antistites sui temporis spectabilis apparuit, demumque cursu vitæ suæ laudabiliter peracto, laboris sui præmium a Domino recepturus requievit in pace.

CAPUT XXVII.

De beato Gerardo, sexto Clarævallis abbate.

Assumpto ad pontificatus apicem domno Pontio, qui quintus a sancto Bernardo Clarævallis abbas exstiterat, beatus Gerardus, Fossænovæ abbas, vir puritate conversationis et morum integritate per cuncta laudabilis, senarii numeri perfectionem, tam in vita quam in morte sua, adimpleturus, sexto loco eidem Ecclesiæ abbas substitutus est. Hic venerabilis Pater, acceptus Deo et hominibus charus, tanta gratia decoratus erat, ut universitas fraternitatis ipsum tanquam paradisi vernantissimum florem aspiciens, miro veneraretur affectu. Quem enim perfuderat Deus gratia, necesse erat ut ab omnibus amaretur. Auctor nempe et dator omnium virtutum Christus, in quo omnes thesauri non solum sapientiæ et scientiæ, verum etiam pietatis et gratiæ sunt absconditi, ita hunc famulum suum spiritualium charismatum nectare replevit, ut non tantum in ipsum credere, ipsique feliciter servire, sed et duram horrendamque mortem pro eo pati non timuerit. Nam si qualiscujusque sit fides tribulatio probat, et si constat perfectam habere charitatem illum qui in ipsa perseveraverit, liquet hunc beatum virum in utraque fuisse perfectum, qui tanquam servus bonus et fidelis curavit in tribulatione fidem servare non fictam, charitatem de corde puro et conscientia bona proferre, ita ut etiam inimicum sanguinem suum crudeliter sitientem diligeret, pluris æstimans animæ vitam quam corporis, minus horrescens carnis mortem quam fidei detrimentum, malens pro justitia agonizare quam meticuloso silentio Ordinis inhonestatem et periculum animarum dissimulare. Itaque qualiter post laudabilem, et in

Digitized by Google

omni religione perspicuam vitam, ad palmam martyrii pervenerit, succincta, quantum possumus, relatione pandamus. Monachus quidam, nobilis quidem genere, sed degener moribus, contra formam et honestatem Ordinis ubique vagabatur, frequentans curias principum, et sæcularibus negotiis seipsum impudenter ingerens, in omni conversatione sua magis se gyrovagum quam monachum claustralem ostendens. Hunc domnus Gerardus abbas Claræval-lensis, zelo justitiæ et Ordinis æmulatione succensus, teneri jussit; et ablatis ei tam equis quam omnibus quæ habebat, venerabili viro domno Petro abbati Igniaci ipsum commisit, quatenus in domo ejus regulari districtione coercitus, omni denique vagationis licentia decisa, pœnitentiam ageret vel invitus. Et licet pastor bonus laudabili intentione ad correctionem fraterni erroris hoc fecerit, malignus tamen ille sinistra suspicione præventus, minus sana intentione hoc factum esse murmurabat. Ideoque unde meliorari debuerat, deterior effectus est, nempe diabolicum spiritum tota mente concipiens, horrendum virus immanitatis et sævitiæ spirabat, et tanquam crudelissima bestia pii Patris cruorem sitiebat.

Accidit interea ut domnus Gerardus Claræ-vallis abbas partes Germaniarum ingrederetur, gratia visitandi cœnobia quæ in partibus illis habet Claravallis. Inter eundum vero contigit eum Treverim devenire, Belgicæ primæ metropolim : quæ olim nobilissima et secunda Roma vocata, nunc vastitate ruinarum suarum quid olim fuerit demonstrat. In hujus suburbio civitatis exstat famosum cœnobium, quod S. Mathiæ nomine vocatur, eo quod corpus ejusdem sanctissimi apostoli integrum illic requiescat, quod Helena Augusta, Constantini Magni mater, a Judæa translatum ibidem honorifice recondidit. Accedit autem ad auctoritatem conferendam loco quod discipulorum beati Petri apostoli, scilicet Eucharii, Valerii atque Materni, corpora in crypta ejusdem ecclesiæ decenter locata magna fidelium devotione coluntur. Qui beati a præfato apostolo directi, primi Germaniæ populis verbum salutis et tropæum crucis prædicaverunt, quique diebus suis tres nobilissimas Germaniæ civitates, Treverim, Tungrim, et Coloniam, pontificatus honore insigniter illustrarunt. Ad præfatam itaque Treverorum civitatem domnus abbas Gerardus veniens, gratia hospitandi cœnobium S. Mathiæ petiit, atque ab abbate et fratribus ejusdem loci officiosissime susceptus est. Sed is qui non tam corporalis commodi, quam spiritualis emolumenti gratia illo diverterat, intempestæ noctis silentio surgens oratorium petit, cryptam ingreditur, ante memorias prædictorum confessorum Christi corpore pariter et mente prosternitur, affectuosis precibus sibi suisque divinum auxilium per eorum suffragia postulaturus. Ast ubi protelata oratio gratiam devotionis promeruit, infusa devotio mentem dilatavit, dilatata mens cœlestium secretorum capax effecta est, vidit repente eosdem Domini confessores cœlesti gratia refulgentes prope se assistere, quorum unus, id est Eucharius, talibus eum verbis allocutus est : « Frater, ne timeas, neque paveat cor tuum in aspectu nostro. Nos enim sumus, qui ab apostolo Petro directi, primi in his partibus Christum evangelizavimus, ego quidem Eucharius, isti quoque fratres mei Maternus et Valerius, quorum opem flagitaturus memorias nostras adisti. Quapropter et nos fidei et devotioni tuæ congaudentes, per voluntatem Dei ad te venimus, super iis quæ in corde tuo versantur consilium tibi daturi. Voluntas tua et propositum cordis est ut officio prælationis absolutus, et mordacibus negotiorum tumultibus exoneratus, soli Deo et tibi vacare incipias, sed scire debes quoniam hæc voluntas tua non est secundum voluntatem Dei. Quocirca suadeo et admoneo ne gradum honoris, quem divina largiente gratia consecutus es, temere deseras ; sed constans esto, et viriliter age, quia in proximo est ut a Domino visiteris, et pro laboribus tuis immarcessibilem gloriosæ victoriæ coronam adipiscaris (16). » His dictis disparuere, abbatem qui hæc audierat et viderat, stupore pariter et admiratione confirmatum relinquentes. Interea cœptum accelerat iter, domos pro quibus partes illas adierat visitat : et jucunda sua præsentia et doctrina fratres in Dei laudibus et sacri Ordinis observatione ferventiores reddidit : prædictæ visionis dulcedinem mente revolvens, vimque verborum quæ audierat, quod scilicet in proximo a Domino visitandus esset, sedula meditatione pertractans. Cæterum affectuosius de eisdem sanctis, qui sibi apparuerant, cogitare incipiens, mirabatur valde de anima B. Materni ubinam fuisset, vel quali vita vixisset, spatio quadraginta dierum illorum, quibus corpus ejus in sepulcro jacuit, antequam per baculum apostoli resuscitaretur. Et quasi pœnitentia ductus ingemuit, quod cum in prædicta visione congruam satis opportunitatem quærendi nactus fuisset, minime hoc quæsisset.

Explicitis ergo negotiis, pro quibus ierat, Treverim revertitur, sed minime apud S. Mathiam hospitatur. Nam quidam potens et dives homo de eadem civitate magnis precibus extorserat ab eo, cum priori vice illic fuisset, quatenus in reditu suo benedictionem domui ipsius dare dignaretur. In eadem itaque domo susceptus hospitio priusquam cubitum iret, conversum suum secretius alloquitur, et ut duos equos sibi ante lucem sternat, imperat, ipseque solus cum eo ad Sanctum Mathiam vadat. Paret ille, dictisque tempestive matutinis, abbas orationis gratia corpora sanctorum devotus invisit. Ubi dum lacrymosis precibus attentius insistit, magno Dei munere eosdem sanctos eodem schemate quo prius videre promeruit. Tum vero S. Eucharius respiciens ad abbatem et protensa manu ad S. Maternum, dixit : « Ecce iste frater meus est Maternus : Sciscitare ab eo quod vis. » Cumque nutaret ille, et præ reverentia et gloria vultus eorum nihil respondere præsumeret, beatus Maternus sic ad eum locutus est : « Merito, frater charissime, caves frontose requirere quod scire desideras, quia tam profundam judiciorum Dei abyssum, et a sensibus humanis prorsus seclusam scrutari velle temeritatis esse videtur (17). Quia tamen pius magis quam curiosus scrutator es, arcanum hujus secreti tibi, quantum capere potes, patefaciam. Tu cogitas, et sedula mentis intentione versas, ubinam anima mea fuerit, vel quali vita vixerit spatio quadraginta dierum illorum quibus corpus meum in sepulcro jacuit : et hoc scire ardenti pietatis affectu desideras. Scito igitur quia sicut infans intra viscera clausus vivit, nec tamen sentit, sic eram ego in visceribus terræ jacens, et somno mortis in corpore dormiens, Deo tamen in anima vivens, in cujus omnipotenti præsentia jam tunc eram, quod postea resuscitatus in oculis hominum futurus

(16) S. Maternus et alii falso hic dicuntur missi a S. Petro in Germaniam : cum ipse Maternus a Constantino legatur fuisse delectus judex contra Donatistas, post trecentos circiter annos a sancti Petri tempore, ut scribit Optatus lib. 1 in fine. Curiosa quoque, inutilis, ac indigna B. Gerardo martyre mox futuro oratio, qua peteret sibi revelari, quid egerit, et ubi fuerit anima ipsius Materni per dies 40, quibus mortuus fuisse dicitur, antequam a S. Petro suscitaretur. Adde quod non convenit inter Cæsarium et hunc auctorem de responsione : unde facile est judicare, a Germanis confictam hanc orationem, ut originem Ecclesiæ suæ ad sæculum Apostolorum revocarent : quod et alii tentarunt alibi facere, contra veritatem historiarum.

(17) De hac visione et præcedenti vide supra not.

Digitized by Google

eram » Hac ergo gemina visione et allocutione domnus Gerardus Clarævallis abbas confortatus, studebat de die in diem proficiens Christo sedulum exhibere famulatum, tanto certior de imminente sibi termino vitæ, quanto minus falli posse, vel fallere velle sciebat nuntium cœlestem, qui hunc in proximo esse prædixerat.

CAPUT XXVIII.

Domnus Gerardus visitans Igniacense cœnobium crudeliter occiditur.

Igitur eodem anno quo hanc beatam visionem viderat, imminente tempore, quo sanctus abbas hostia Christi effici mereretur, et Agni immaculati pedissequus sanguinem pro justitia, sicut ille pro universali Ecclesia funderet, visitationem domorum suarum, secundum Ordinis instituta, facere proposuit, et inter cæteras etiam Igniacum adire decrevit. Fratres autem, quia belluinam pseudomonachi illius rabiem, quem supra a domno abbate correptum, et in eadem domo sub pœnitentia constrictum retulimus, suspectam habebant, monebant domnum abbatem, ut cautius se haberet, ne forte, quod vehementer abhorrebant, lucerna in Israel exstingueretur. Ille vero metu mortis intrepidus, et totum se divinæ voluntati commendans, nec propter mortem, si immineret, ea quæ officii sui essent se intermittere posse dicebat. Cumque in procinctu itineris positus jam pararet exire, frater quidam spiritualis accedens, ut secretius sibi loqui dignaretur, orabat. Quo impetrato, lacrymosis suspiriis cœpit rogare, ne iter quod proposuerat exsequeretur, dicens sibi per revelationem ostensum quia, si tunc Igniacum veniret, crudeli morte esset perimendus. Cui vir Domini respondit : « Chare frater, gratias ago sollicitudini tuæ pro me ; sed scire te volo quia non facio animam meam, id est temporalem hanc vitam, pretiosiorem quam me, nec omnino expedit mihi ut quod ex debito officii, quo indignus fungor, facere incumbit, meticulosa mortis imaginatione territus intermittam. Quis enim scit, si tentat me Dominus meus ? Quis item nesciat omnipotentem esse Deum : qui, si voluerit, mortem quam tu imminere dicis, et quam ego secura conscientia me non meruisse confido, facillime avertere poterit ? Quod si noluerit, nos tanquam servi inutiles ipsius per omnia voluntati obsecundare necesse habemus. Ipsius ergo voluntas de nobis et vobis fiat. » Sic dixit, et fratres omnes divinæ gratiæ commendans, in spiritu fortitudinis iter quod proposuerat aggressus, Igniacum pervenit. Ubi ab abbate ejusdem loci beatæ memoriæ domno Petro cunctisque fratribus cum multa, sicut dignum erat, reverentia susceptus, jucundum se et affabilem exhibebat universis. Cumque singulis publice et privatim de salute animarum et de Ordinis observatione loqueretur, etiam illum, de quo supra diximus, non monachum, sed detestabilem parricidam mox futurum, ad se vocari præcepit. Qui cum venisset, Pater sanctus, hostia Christi post paululum futurus, dulcissimis eum verbis adorsus monere cœpit ut, quod causa salutis animæ ipsius factum fuerat, patienter ferret : se nullo modo quidquam rancoris adversus eum habere, imo vero sicut filium suum charissimum amplecti paratum, si correctionem ejus sanctæ humilitatis et patientiæ indiciis deprehendere potuisset. At ille, qui cum diabolo ab initio homicida existente unus jam spiritus effectus fuerat, ne scelus horrendi parricidii, quod jamdudum mente conceperat, aliquo modo propalaretur, et sic effectu malitiæ suæ privaretur, tanquam callidissimus serpens capite demisso simulabat se ea quæ dicebantur humiliter audire ; verbum etiam mansuetudinis et pacis proferebat ore quam non habebat in pectore. Exhilarantur fratres, et superducto falsæ humilitatis habitu, quo se pestifer ille, ne deprehenderetur, induerat, dignos pœnitentiæ fructus sperabant, nilque minus fieri posse putabant quam quod in tam brevi tam horrendi facinoris perpetratione seipsum æternæ mortis et damnationis laqueo innecteret.

Postero die fratribus ad nocturnæ synaxeos officium persolvendum congregatis, dum ex more de via venientium domno abbati oblatum fuisset, quatenus de Matutinis exiens lassitudinem ex itinere contractam nocturna quiete repelleret, sicut erat fervens spiritu, persistit : et toto vigiliarum spatio divinis laudibus vigilanter intendens, quasi jam præsago spiritu quæ super eum ventura erant prænosceret, futuro se agoni præparabat. Quid plura ? Finitis Laudibus dum secundum consuetudinem Ordinis Prima continuatim subjungeretur, domnus abbas de choro exiit, dormitorium ascendit ; inde ad abluendas manus descensurus, quatenus, finita Hora, ad celebranda sacra mysteria expeditior occurreret. Quod exsecrabilis ille, non monachus, sed parricida, nequiter deprehendens, nequius insecutus est eum : et in loco dormitorii, quem tanto facinori perpetrando congruum præviderat, tanquam leo paratus ad prædam, in insidiis se occultabat. Vir itaque Domini rediens, et per dormitorium versus gradus quibus in claustrum descenditur incedens, ad insidiarum locum pervenit. Et ecce filius ille perditionis subito exsiliens, impetum fecit in eum, et cultrum acuminatum longum et latum visceribus ejus immergens, crudeliter scindendo, secando, fodiendo, usque ad spinam dorsi pervenit. Sed sicut verus Agnus Dei, Dominus noster Jesus Christus, non quidem coram tondente, sed coram sacras manus ac pedes fodiente obmutuit, et non aperuit os suum, sic et iste verus imitator et hostia Christi coram terribili laniatore et fossore viscerum suorum non modo clamorem, sed vix aliquam vocem doloris emisit. Tum vero Deo odibilis et hominibus invisus ille homicida, cum cratem costarum obsistere sentiret, ne sacrum corpus sicut volebat transfodere posset, gravibus tormentis graviora superaddens, detestabilem sicam intra viscera versando atque reversando, omnibus modis satagebat, ne Pater sanctus vivus de manibus ejus evaderet. Mitis vero pastor exsecrabilem ipsius instantiam perhorrescens, leni voce dixit ad eum : « Quæso, frater, parce. Cesset jam manus tua, quia nullomodo de cætero vivere potero. » Ad quam vocem malignus ille pernici cursu aufugit, et dæmonum præda factus, ultricem tanti sceleris conscientiam secum ferebat. Venerabilis autem abbas recollectis viribus, per gradus quibus in ecclesiam descenditur, tam horrendo vulnere confossus descendit : sed cum ad extremos gradus venisset, præ nimia sanguinis effusione sentiens defectum corruit, et tanquam exanimis jacebat. Nutu vero Dei sacrista per ecclesiam incedens jacentem offendit ; sed quis esset, aut quare illic jaceret, in tenebris discernere non poterat. Territus itaque vehementer, concitus candelam accendit ; et admoto lumine Patrem sanctum recognovit. Protinus ergo lamentabiliter exclamans, et heu, heu, congeminans, fratres universos ad tam miserabile spectaculum concurrere fecit. Ipse etiam domnus abbas Petrus adfuit : et videns martyrem Christi in sanguine suo volutari, lacrymosis suspiriis internum cordis prodebat dolorem.

Itaque manibus fratrum lugentium in infirmitorium est delatus. Ubi vero paululum conquievit, recollecto spiritu immensas omnipotenti Deo gratias agere cœpit, quod eum in præsenti tam dura morte puniri permitteret, ne pro peccatis et negligentiis suis post mortem in purgatoriis locis graviores pœnas exsolveret. Triduum, si bene memini, post ea supervixit : in quo spatio sacramentis ecclesiasticis munitus, devotis precibus et piis sancti desiderii votis ad beatitudinem futuræ vitæ suspirabat. Occisori suo ex corde indulsit ; et omnes qui aderant attentius precabatur, ut si forte comprehende-

Digitized by Google

retur, nil mali a quoquam pateretur. Speciales filios suos Claræ vallenses ex intimo cordis affectu divinæ gratiæ commendavit, sicque sancta illa anima carne soluta, tanto liberior, ut credimus, æthereum penetravit cœlum, quanto durius hic camino tribulationis et horrendæ mortis extremitate purgari meruerat. Sacrum corpus ejus basternæ impositum, divinis psalmis et hymnis per totam viam resonantibus, domno quoque Petro abbate funus cum magna reverentia prosequente, Claramvallem honorifice delatum est. Ubi quam sublimi et manifesta revelatione, de gloria martyrii ejus, idem abbas certificari meruit, ad commendandam posteris tanti martyris memoriam referre non incongruum puto.

CAPUT XXIX.

Quod domnus abbas Petrus de glorificatione Christi martyris Gerardi per revelationem certificari meruit.

Cum a conventu Claræ vallis pro commendatione beatæ animæ missa solemniter, sicut moris est, celebraretur, præfatus domnus abbas Petrus sacro altari astabat, solita sua devotione salutarem hostiam immolaturus. Qui licet hilaritatem vultus intuentibus se prætenderet, erat tamen tristis et mœrens valde super tam indigna morte pii Patris, maxime quod in domo sua, scilicet Igniaco, Dominus tam immane scelus fieri permisisset. Cumque diversis cogitationibus æstuaret, reputans ne forte propter peccata sua hoc accidisset, vidit repente visibili specie beatissimum Bernardum a dextris altaris stantem; eum quoque, de cujus morte lugebat, domnum Gerardum a sinistris : utrosque inæstimabili claritatis gloria refulgentes. Quorum visione obstupefactus dum attonitus hæreret, dixit ad eum beatus Bernardus : « Cur, quæso, tanquam mortuum luges eum cujus transitoria mors in perennitatem beatæ vitæ commutata, pretiosa est in conspectu Domini? » Et protensa manu ad martyrem Christi Gerardum, qui in sinistra parte altaris stabat : « En, inquit, iste est frater meus, cujus funeri debitas persolvitis exsequias : qui quanto crudeliorem et indigniorem mortem in oculis hominum pertulisse visus est, tanto majori gloria a Domino sublimatus, inter victrices et purpuratas martyrum catervas sortem suæ vocationis accipere meruit. » His dictis, tam jucunda visio ab oculis intuentis sublata est. Tanta vero lætitia et securitas de glorificatione dilecti amici sui in corde ejus qui hæc videre et audire meruerat, successit, ut non jam quasi mortuum plangendum putaret, sed propulsato omni mœroris et dubietatis nubilo, tanquam fidelissimum intercessorem apud omnipotentem Dei misericordiam habendum censeret. Hanc revelationem a piæ memoriæ domino Gerardo quondam priore Claræ vallis, postea Everbacensi abbate audivimus, qui quantæ veritatis, puritatis et innocentiæ vir fuerit, norunt ii qui cum eo conversati sunt, de quo etiam a senioribus Claræ vallis referri audivimus, quia cum ad manus beatissimi Bernardi accederet, quatenus se per eum Ordini et domui Claræ vallis redderet, idem venerabilis Pater in spiritu Dei loquens, audientibus qui aderant innocentiæ ejus testimonium reddidit, dicens : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). Exsequiarum itaque celebritate, luctu mixto gaudio, peracta, et spiritualibus ejus filiis tanti Patris non tam temporalem mortem ejus lugentibus quam gloriosæ victoriæ ipsius, qua de inimico pro justitia fortiter occumbens triumphavit, congratulantibus, sanctum corpus ejus ante fores oratorii Claræ vallis in cellula, quæ olim ob receptionem corporum sanctorum confessorum Bernardi et Malachiæ constructa fuerat, in sarcophago super pavimentum exaltato venerabiliter conditum est.

Igitur dum fama pretiosæ mortis ejus, quomodo scilicet innocens pro justitia et zelo Ordinis crudeli morte multatus esset, ubique vulgaretur, ad aures summi pontificis, beatæ videlicet memoriæ Alexandri, pervenit. Qui quoniam speciali eum dilectione pro suæ reverentia sanctitatis amaverat, multo pietatis affectu super tam indigna morte ipsius contristatus est, ipsumque tanti facinoris patratorem excommunicatum et extorrem a societate omnium fidelium habendum censuit. Evolutis post hæc aliquantis annis, crudelis ille carnifex, qui tantum scelus commiserat, pœnitentia ductus summum pontificem adiit, atque ad pedes ipsius misericordiam postulaturus corruit. Domno vero apostolico quærenti quis esset, vel quid mali commisisset : « Ego sum, ait ille, qui Gerardum abbatem Claræ vallis occidi. » Cumque domnus papa dilectum olim sibi abbatem nominari audisset, et auctorem mortis ejus coram se positum cerneret, totus inhorruit, et vehementer turbatus, minus discrete, sicut dicitur, pede eum repulit, dicens : « Vade, fili perditionis. » Quo audito miser ille concitus surgens recessit. Cardinales qui aderant, reverenter accedentes suggesserunt domno papæ, quamvis sceleratissimum hominem, non debere sine misericordia dimitti, Dominum Jesum in cruce pro crucifixoribus suis orasse, nec expedire apostolatui ejus, si tam inimite desperationis exemplum posteris relinqueret. Quorum verbis territus apostolicus, festinanter parricidam illum vocari præcepit, quoniam non propterea ad horam illum repulit, ut desperandum de ipso censeret, sed ut horrorem et enormitatem tam immanis flagitii præcordiis ejus arctius imprimeret, et per hæc ad dura quæque pro scelere suo toleranda provocaretur. Sed o quam terribilis est Deus in consiliis super filios hominum, quoniam nemo valet corrigere quem ille neglexerit. Cum enim ad jussum pontificis miserabilis ille peccator a ministris quaquaversum quæreretur, non in consistorio, non in palatio, sed nec in universa urbe inveniri potuit : quove devenerit, vel quali fine defecerit, usque hodie ignoratur.

CAPUT XXX.

De piæ memoriæ domno Henrico, septimo Claræ vallis abbate, postea Albanensi episcopo cardinale.

Glorificato per martyrii palmam beato Gerardo sexto Claræ vallis abbate, domnus Henricus Altæcumbæ abbas, ad sabbatismum populi Dei jam in septima ætate quiescentis, cui dicit Spiritus : *Ut requiescat a laboribus suis* (*Apoc.* XIV), desiderio, vita et moribus suspirans, septima ordinatione nobilis illius in sincera religione Claræ vallensis congregationis, spiritualis Pater electus est. Hic venerandus Pater, nobilis quidem genere, sed longe nobilior virtutum generositate, a primis adolescentiæ suæ annis in sanctuario Domini locatus, manum misit ad fortia, magis eligens ferre jugum Domini suave et onus ejus leve (*Matth.* XI), quam dici et esse filius Belial, id est absque jugo; plus appetens pro Christo Domino humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis, ac per hoc in sortem illius cadere, qui est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI). Porro dies adolescentiæ suæ tanta puritate et innocentia pertransiit, sicque canos sapientiæ in annis tenerioribus induerat, ut dum vix adhuc limen virilis ætatis attigisset, merito magis religionis et prudentiæ quam ætatis, sequester inter Deum et homines constitueretur; et vicarius Filii Dei factus, nomen pariter et officium Patris et pastoris adipisci mereretur. Quam tamen prærogativam honoris, vel potius pondus sollicitudinis, semel susceptum, tanta fidei et devotionis alacritate administravit, ut internus ille judex, discretor cogitationum et intentionum cordis, qui in manu omnium signat, ut noverint singuli opera sua, fidelem in minori dispensatione probans, majori eum charismatum gratia sublimare decerneret. Nempe maturiori jam ætate virtutibusque in habitum versis,

Digitized by Google

abbas Clarævallensis factus, rigorem disciplinæ per quem alios ad tramitem justitiæ cogebat, in seipso minime neglexit, sed quantum dignitas officii sui patiebatur, ad communis vitæ socialitatem se constringens, ipsi etiam labori manuum aliquoties pro tempore cum cæteris fratribus insudabat. Cæterum, quam sanum consilium dederit Sapiens omnibus in sublimitate constitutis dicens : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III), quamque acceptum sit Deo, si prælatus propter timorem ipsius duris etiam et vilibus laboribus carnem suam castigare non dedignetur, pius Dominus huic famulo suo demonstrare dignatus est : qui eum pro quadam negligentia sua, quam, dum labori manuum ardentius insisteret, contraxerat, nec tam gravem fuisse putabat, mirabiliter simul et misericorditer corripere voluit (17'). Accidit enim quadam vice ut idem venerabilis abbas tempore secationis colligendo feno instans, in pratis grangiæ, quæ trans flumen Albam sita, proxima est monasterio Clarævallis, cum fratribus suis impigre laboraret. Et ecce dum ferventius operi insisteret, frater quidam festinus advenit, nuntians unum de conversis infirmis, ægritudine prævalescente, morti approximare : et propterea gratiam inunctionis desiderare. Abbas autem sciens cæteros sua præsentia roborari, et ad laborandum ferventius incitari, ægre nimis tulit se ab opere divelli : ideoque unum de senioribus vicarium pro se misit, qui eidem infirmo solemne inunctionis officium impenderet. Quod ubi factum est, frater ille sacramentis ecclesiasticis contra aereas potestates rite munitus, in pace vitam finivit.

Post hæc die quadam, dicto completorio, dum clara adhuc luce fratres se in lectulis suis collocassent, ipse etiam domnus abbas vigilans in lecto suo jacebat. Cui sic jacenti monachus quidam, qui paulo ante prædictum fratrem vita decesserat, visibiliter apparuit, sicque ad eum locutus est : Scias, domine Pater, quoniam frater ille, qui proxime defunctus est, mox ut carnis induvias exuit, ante thronum gloriæ Domini nostri Jesu Christi a sanctis angelis præsentatus est. Ubi cum subtilissima examinatione vita ejus discutitur, tandem ad ea, quæ circa eum in extremis agentem gesta sunt, discussionis scrutinium processit. Cumque benignus Judex quæreret si omnia quæ circa morientes fratres fieri solent rite circa eum adimpleta fuissent, responsum est quia rite, excepto eo solo quod abbas, dum labori ferventius instaret, eum in propria persona inungere neglexisset, sed pro se vicarium misisset. Quapropter Dominus me vocans, cujus cum cæteris tremendæ majestati astabam, dixit mihi : « Vade, et ex parte mea dic abbati, quatenus pro hac negligentia sua, cuncto tempore vitæ suæ singulis diebus septem psalmos pœnitentiales persolvat. » Hic dictis, nuntius cœlestis, dum ea quæ intus audierat foris nuntiasset, ad Dominum mittentem rediit : a quo, licet foris apparens, intus minime recesserat. Abbas vero cum tremore et admiratione multa quæ audierat mente pertractans, divinæ pietati ex intimo corde gratias retulit, proprio experimento probans, irrefragabili veritate subnixam esse sententiam, quam de Domino testatur Apostolus dicens quoniam, *ipsi cura est de nobis* (*I Petr.* V). Humillima itaque obedientia pœnitentiam sibi a summo omnium abbatum Abbate injunctam suscipiens, tanta curavit sollicitudine observare, ut etiam postea factus Albanensis episcopus cardinalis solitus esset familiaribus suis dicere quia, si hoc articulo premeretur, ut unum e duobus modis omnibus fieri oporteret, scilicet in die sancto Paschæ, seu Natalis Domini, aut missam aut psalmos illos omittere, potius missam intermitteret. Benedictus igitur Deus in donis suis, et sanctus in omnibus misericordiis suis, qui in his novissimis diebus tam perspicuis et evidentibus revelationibus consolatur humiles servulos suos, ut per hoc a visibilibus abstracti, invisibilibus pedem fidei fortius imprimamus, certissime scientes quoniam visibilium et invisibilium ipse unus et solus est Dominus, qui incomprehensibili majestate sua soli polique patriam, unam facit esse rempublicam.

CAPUT XXXI.

De converso, qui per gratiam Dei et orationem venerabilis abbatis Henrici damnationis sententiam evasit.

Frater quidam laicus in Claravalle quidem aliquandiu conversatus, sed sub castissima Clarævallensium disciplina nequaquam fuerat nutritus, verum de alia domo illuc transmissus, crimina gravissima, quæ in priori domo sua commiserat, usque ad ipsum mortis articulum, horrenda cordis duritia, sine confessione et pœnitentia abysso pessimæ celabat conscientiæ. Hunc Deus omnipotens, in cujus ditione et voluntate universa sunt posita, tam liberaliter quam misericorditer ab æternæ damnationis voragine, jam jamque super caput ipsius imminentis, eripere dignatus est. Pressus enim gravissima infirmitate, cum jam mortem vicinam adesse sentiret, divina gratia, quæ quandoque miseris et indignis peccatoribus miseretur, illustratus, accito confessore peccata sua confiteri voluit. Livida vero malignorum spirituum caterva, quæ quantum in ipsa est, semper gratiæ Dei adversatur, timens ne per salutare confessionis antidotum peccatorem perderet, quem diu laqueis suis irretitum incontinenti se rapere posse præsumebat, tanta vi malitiæ suæ super eum irruit, ut perdito flaminis officio diutius permanens, mutus jam ultimum trahere flatum videretur. Pius vero Dominus, qui sicut novit parcere supplicantibus, ita novit etiam debellare superbos, sicut quondam typicum illum Pharaonis exercitum mediæ noctis silentio per columnam ignis et nubis respiciens contrivit, ita et nunc mediæ noctis silentio per intercessionem, sicut credimus, beati Bernardi sanctorumque qui in Claravalle requiescunt, tyrannicam dæmonum superbiam increpans et fugans, reum suum absolvit, redditoque linguæ officio, ad confessionis sacramentum animavit. Denique cum fratres infirmarii sollicite circa eum observarent, et jam nullus aliud, nisi mortem illius præstolaretur, ecce repente mediæ noctis hora instante aperuit oculos, et absolute loquens, se confiteri velle fratribus indicavit. Tunc velociter accersito venerabili domno Henrico abbate, confessus est ei, loquens in amaritudine animæ suæ, et dicens : « Ego peccator immundus, ego omnium flagitiosissimus, confiteor Deo, et tibi, Pater, quia cum essem pridem in monasterio meo, nomine Esrom, quod situm est in Dacia, ex quadam fornicaria filium genui ; et neque confessionem neque pœnitentiam super hujusmodi scelere hactenus egi. Proinde nunc cum obmutuissem, maligni spiritus miserrimam animam ad loca infernalia rapuerunt; ibique vidi supplicia, quibus mox exutus corpore mancipandus ero ad puniendum. Ibi quoque ad cumulum damnationis meæ filium meum jampridem mortuum reperi, iniquitates meas arguentem et exprobrantem mihi hujusmodi verbis : Heu, detestande peccator! heu, exsecrande proditor castitatis et religionis, nunquam natus fuisses, nunquam adultus fuisses! quasi qui non esses, de utero ad tumulum translatus fuisses! quoniam exigente malitia tua, ego in istas perduci merui miserias! »

His igitur auditis et visis conturbor atque coarvit, quem per se ungere debuit : fortassis suos inde scandalizans.

(17') Henrici culpa nonnisi venialis fuit, qua laborem manuum non dimisit, et per alium ungi cura-

Digitized by Google

etor nimis, tum pro ejusdem filii mei imputata pœnalitate, tum pro mea ipsius jamjamque imminente damnatione. Cum ergo hæc audisset discretus et prudens Pater domnus abbas Henricus, commota sunt viscera ejus vehementer, super tanta tribulatione peccatoris in supremo agone periclitantis. Unde et salutaribus verbis aggrediens hominem cœpit eum omnimoda argumentosæ pietatis instantia ad spem veniæ animare, consulens et suadens efficacibus monitis, ne unquam aliquo modo de ineffabili misericordia potentissimi Redemptoris diffideret, sed plena fidei devotione clamaret et diceret ei : « Credo, Domine, quia si etiam in profundum inferni demersus fuero, inde me potens est misericordia tua liberare (*Job* XXX). » Tandem itaque injuncta pœnitentia, factaque absolutione, abbas dimisit ægrotum, seque recepit in dormitorium. Vix hora transierat, et ecce denuo, sollicitante infirmo, abbas ad eum revocatur, ac sine mora revertitur. Ad quem sic ait infirmus : « Obsecro te, domine Pater, miserere mei, et ora pro me misero peccatore, quia modo postquam tibi locutus sum, ad loca pœnarum reductus sum : ubi etiam significatum est mihi, quoniam propter confessionem quam miserante Deo feci, et propter pœnitentiam quam accepi, per gratiam Dei liberandus sum ab æternæ damnationis voragine, in purgatoriis tamen suppliciis scelera quæ commisi et omnia peccata mea usque ad novissimum quadrantem exsoluturus. Quia vero minus pure confessus sum, et absque pura confessione salvari nequeo, magno Dei munere ecce secunda vice redire permissus sum, quatenus virus, quod adhuc remordet conscientiam, per salutarem confessionis potionem evomere festinem. Confiteor itaque Deo, et tibi, Pater, quod a quodam fratre tunicam unam sine licentia accipere præsumpsi, et de hoc proprietatis et inobedientiæ crimine hactenus sine confessione et pœnitentia vixi. » Itaque religiosus et pius Pater Henricus, tantam divinæ bonitatis abundantiam super tanto peccatore vehementer admirans, et, tanquam bonus pastor oviculæ perditæ quidem, sed inventæ congratulans, facta denuo absolutione, pœnitentiaque injuncta, infirmum et pœnitentem tenerrimo pietatis affectu gratiæ Dei commendavit. Qui etiam infirmus, orante abbate, animæquior factus, et ipsa serenatione vultus statum suum melioratum esse significans, rursus obmutuit, et post modicum intervallum in pace quievit. *Quis accusabit adversus electos Dei ? Si Deus justificat, quis est qui condemnet?* (*Rom.* VIII.) Ipsius omnipotentiæ soli licitum et possibile est de eadem massa generis humani facere aliquod vas in contumeliam, aliquod in honorem, nec quisquam valet ei dicere : Quare sic fecisti? cujus judicia vera justificata in semetipsa, cujusque misericordiam ab æterno et usque in æternum super timentes eum, sicut nullus ex omnibus filiis hominum, sic nec quisquam ex omnibus virtutibus angelorum comprehendere poterit. Sicut namque conscius ille cœlestium secretorum Augustinus super sententiam illam, quam in Evangelio ait Dominus : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI), dicit : « Quem trahat Pater omnipotens, vel quem non trahat, quare illum trahat vel non trahat, noli velle discutere seu judicare, si non vis errare. »

Cæterum, sicut beati nimis, qui tam speciali privilegio gratiæ salvari merentur, ut hic de quo locuti sumus, sic econverso miseri et infelices nimis, qui talium exemplo peccata sua usque ad mortis articulum confiteri dissimulant, temeraria valde impudentia eamdem se gratiam in extremis suis consecuturos præsumentes, cum Dominus per Psalmistam dicat : *Non congregabo conventicula eorum sanguinibus* (*Psalm.* XV), quia pauci sunt, qui in sanguine peccatorum perdurantes hanc gratiam consequantur ; sed neque privilegia paucorum faciunt communem legem : ideoque quicunque de misericordia Dei tam superbe præsumunt, et tempus gratiæ quod præ manibus, per negligentiam suam perdunt, cum tempus gratiæ transierit, et horror et caligo sempiternæ mortis lucem vitæ hujus contenebraverit ; tunc sicut capiuntur pisces hamo, et aves laqueo, sic capientur miseri tempore malo : tunc omnipotentis Dei tremendam majestatem, quam nunc despiciunt peccata hominum propter pœnitentiam benignissime dissimulantem ; sentient justissima et sævissima districtione peccata supplicii nunquam finiendis punientem. Igitur reverendissimus Pater Henricus abbas Clarævallis, dum quotidianis virtutum incrementis ad meliora proficeret, et opinio sanctitatis ejus clara ubique vulgaretur, voluntate et electione summi pontificis, fratrum quoque cardinalium consilio annuente, in Albanensem episcopum cardinalem assumptus est. Quam dignitatem adeptus, sic ea quæ pontificis erant exsequebatur, ut primæ suæ professionis et humilitatis nequaquam immemor existeret, foris auctoritatem sacerdotio condignam prætendens, sed intus luctum monachi in spiritu contrito et corde humiliato sacrificans, obtutibus interni inspectoris placere festinabat. Factus autem episcopus Claravallem suam oblivioni minime tradidit, sed sincero eam semper dilexit amore, honori et utilitati ejus tam in curia Romana, quam alibi, ubicunque poterat, fidelissima devotione intendens. Consummatis vero feliciter diebus vitæ suæ sepultus est in Claravalle, in loco quem sibi elegerat, et magno desiderio præoptaverat : qui locus medius est inter memorias sanctorum confessorum Christi Bernardi et Malachiæ, quemque ea intentione sibi ad locum sepulturæ prælegit, ut in die generalis resurrectionis præfatis sanctis adhærens, quidquid meritorum sibi deerit in se, sanctissimorum contubernalium suorum meritis adipiscatur.

CAPUT XXXII.

De venerabili viro domno Petro, octavo Clarævallis abbate.

Postquam mater universalis, videlicet sancta Ecclesia Romana, quæ habet plenitudinem potestatis, in partem sollicitudinis ascivit domnum Henricum quondam Clarævallis abbatem, cum quærerent enixius abbates et fratres Clarævallenses, quem in locum ejus subrogarent, cito de proximo obtulit se fragrantissima virtutum suaveolentia domni Petri abbatis Igniacensis, cujus supra mentionem fecimus : qui hanc specialem gratiam ab hominibus sui temporis obtinuerat, ut sanctus et bonus, electus ex millibus prædicaretur. Hunc itaque dignum dignorum successorem, octavum Clarævallis abbatem unanimo consensu elegerunt : dignum, inquam, qui pro suæ reverentia humilitatis ad altiorem locum ascendens, templi Domini, quod ex vivis lapidibus ædificatur, minister constitueretur, de quo per Ezechielem dicitur, quoniam in octo gradibus ascensus ejus (*Ezech.* XXXIV) : hoc significante Spiritu sancto quod per gradus octo principalium virtutum ad octavam æternæ beatitudinis ascenditur. Iste Dei famulus, cum ante susceptum regimen Clarævallensis Ecclesiæ perfectus et sanctus judicio omnium habitus fuisset, tamen tanquam præterita conversatio sua nullius momenti fuisset, ad novum agonem seipsum extendere cœpit, studens modis omnibus dare voci suæ vocem virtutis, id est ut quæ ore docebat, opere non destrueret, omnia justa et sancta factis magis quam verbis ostenderet ; Patrum quoque præcedentium vestigia continue præ oculis haberet, præcipue sanctissimi Patris nostri Bernardi, cujus se indignum vicarium judicabat. Cumque cæteris floreret virtutibus, gratia tamen mansuetudinis ita decoratus erat, ut in habitu, in incessu, in vultu, in locutione ipsius nihil aliud, nisi sanctæ humilitatis quæ altius in corde ipsius radi-

Digitized by Google

caverat, judicia reniterent. Denique universa fere domus administratione in temporalibus cellarariis et provisoribus ejusdem domus commissa, ipse soli Deo vacare salutique animarum intendere proposuit. Nempe quotiescunque exoccupatus esse poterat, in auditorio solus in silentio, demisso in terram vultu sedebat, ut si quis de junioribus, vel infirmioribus fratribus multitudine tentationum percussus, seu quavis molestia gravatus fuisset, liberam eum adeundi facultatem haberet : quem etiam continuo, secundum datam sibi gratiam salutaribus monitis et dulcissimis ædificationum eloquiis ad agonis pro Christo suscepti tolerantiam roborabat.

Cæterum quam rigidus castigator corporis sui fuerit, ex hoc satis apparet quod nunquam duabus tunicis et duabus cucullis simul, sed aut una cuculla et duabus tunicis, aut una tunica et duabus cucullis, etiam in asperrimo frigore vestiebatur; botis quoque rarissime utebatur. Frugalitati vero et parcimoniæ in tantum operam dabat, ut ipsis quoque communibus cibis parcissime utens, magis qualecunque sustentamentum fragilis corporis quærere, quam gulæ irritamentis indulgere se comprobaret. Semper in corde, frequenter et in ore habebat, se indignum, se insufficientem esse, qui tantam domum regeret; se minus idoneum, minusque discretum, ad quem de universis mundi partibus tanta abbatum et fratrum multitudo respicere deberet. Unde etiam regi Francorum, qui propinquus erat, quadam vice dixisse fertur : « Vide, domine mi rex, quod ego tantillus homuncio, nullam prorsus habens personam, mentis etiam et rationis inops, tam sublimem domum regendam suscepi, et timeo graviter ne forte per imprudentiam et insufficientiam meam, status Clarævallis, qui hucusque inviolatus permansit, labefactetur. » Cujus humilitate rex admodum delectatus, respondit ei : « Cur, domine Pater, in tantam pusillanimitatem temetipsum dejicis, ut curam animarum, quas Deo auctore regendas suscepisti, deserere velis ? Ne quæso, ita feceris, sed secundum gratiam tibi a Domino collatam, curam Dominici ovilis vigilanter exercere non negligas. Tu tantum esto abbas intus, in iis quæ ad honorem Dei, et ad salutem animarum pertinent; ego foris ero abbas, in omnibus quæ ad utilitatem domus vestræ spectant, possessiones vestras tutando, et ab omni exactione liberas reddendo, omnem etiam qui maligna voluntate vos quolibet modo inquietare præsumpserit, regiæ animadversionis ultione feriendo. » Purissimam et Deo placitam hujus beati viri in sancta religione conversationem manifestius indicat gloriosa illa revelatio, quam supra expressimus, per quam glorificationem Christi martyris Gerardi quondam Clarævallis abbatis, non solum spiritualibus, verum etiam corporalibus oculis et auribus videre et audire dignus fuit. Quam vero copiosa supernæ gratiæ dulcedine perfusus fuerit, quamque non inefficax pro sceleratis et peccatoribus intercessor exstiterit, mirabilis illa et vere memoria digna Balduini militis et sceleratissimi peccatoris in extremis conversio manifeste declarat. Quæ qualiter acciderit, non ad impunitatem promittendam criminosis, sed ad honorem Dei, et ad consolationem pœnitentium proferemus, sicut idem reverendissimus abbas eam cuidam fratri multis precibus exoratus seriatim exposuit, cujus verbis fidem non adhibere, omni religioni detrahere est. Porro memoratus frater scripto, quæ audierat, commendavit : unde et nos ea quæ dicturi sumus, ipsius verbis expressimus.

CAPUT XXXIII.

Qualiter omnipotens Deus cuidam sceleratissimo peccatori, meritis et precibus venerabilis Petri abbatis pœnitentiæ fructum concessit.

Miles quidam, nomine Balduinus, dominus castri, quod in territorio Remensi situm Guiza nuncupatur, cum esset homo bellicosus et strenuus armis, A postposito timore Dei multa mala quotidie perpetrabat, rapinis, incendiis, cædibus, cæterisque similibus diabolicis operibus frequenter insistens. Hoc autem solummodo boni in eodem esse videbatur, quod virum sanctissimum Petrum tunc Igniaci, postea Clarævallis abbatem, cum tota domo Igniacensi sincere diligens magnifice honorabat, multumque de ejus meritis confidebat. Neque vero id frustra, quemadmodum rei exitus declaravit, ut adimpleretur sententia, quam Dominus in Evangelio ait : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* x). Nam cum adhuc esset in ætate virili, contigit eum lethali ægritudine pressum ad extrema perduci. Proinde misit quantocius nuntium, rogans et supplicans quatenus prædictus abbas ad se venire dignaretur. Qui concite veniens, invenit hominem jam pene consumptum, et linguæ officio penitus destitutum. Sed orante abbate sancto, larga benignitate Christi Domini nostri indulta est protinus ægro loquendi facultas, et voluntas confitendi. B Confessione vero cum multa cordis contritione facta, voluit incontinenti mundum deserere, et habitum sanctæ religionis assumere. Conjuge autem ipsius, quæ plus corpus mariti sui quam animam diligebat, multa pertinacia ne hoc fieret prohibente, dilatum est interim votum, donec illa de sospitate ipsius penitus desperata, tandem suum dedit assensum. Qui gavisus vehementer de impetrata conversionis licentia, mox ad supra prædictam Igniaci domum transferri se fecit, futurus ibidem monachus, si vixisset. Sed morte accelerante soluta est protinus anima ejus a corpore, amarissima contritione ingemiscens ac pœnitens vehementer, quod tempus pœnitentiæ sine pœnitentia transegisset. Cumque defunctus fuisset, factæ sunt de eo revelationes multæ præfato abbati, cæterisque senioribus loci, quas quia longum est omnes explicare, paucas ex pluribus annotare curavimus. Eadem igitur nocte C qua defunctus est, apparuit in visione cuidam viro religioso, quasi de lecto se erigens, in quo gravi ægritudine pressus jacere videbatur. Cui cum ille adminiculum ferre conaretur, ait : « Non est mihi necesse, frater, ut teipsum fatiges; sanctus namque Benedictus sub cujus alas, licet indignus, confugi, adjutor est mihi fortissimus, ipseque me mittit ad dominum Petrum abbatem vestrum, ut ab eo monachus fiam. » In ipsa nocte cum idem venerabilis abbas pro anima peccatoris, sed pœnitentis sollicitus et anxius valde existeret, cœpit animo pertractare qualiter homini mortuo tanta peccatorum mole gravato succurrere posset. Hæc illo cogitante, subito astitit ei quidam cujus vultum non agnoscebat, quem tamen angelum Domini fuisse credebat, respondens cogitationibus ejus, et dicens : « Magno adjutorio indiget. Haud dubium vero est quin de ipso mortuo diceret. » Et his dictis, statim ab oculis ejus sublatus est.

Itaque sanctus abbas, accepto divinitus hujusmodi D responso, liquefactus est totus pietatis et fraternæ compassionis unguento; et mox conversus ad orationem altaria sanctorum circuibat, eorumque suffragia pro salute defuncti medullitus implorabat. Cumque hoc ardenti pietatis affectu diutius actitaret, ex infirmitate fragilitatis humanæ tanquam mœsto et fatigato somnus obrepere cœpit. Tenuiter vero obductis palpebris, cum nec plene vigilans, nec plene dormiens sibi videretur, repente apparuit ei Satanas, vultu terribili minaciter fremens adversus eum et dicens : « Quid ? Balduinum auferes mihi ? » Et cum hoc dixisset, in impetu furoris exsiliit in eum, coarctans et comprimens vehementer. Qui statim expergefactus, ita se omnibus membris astrictum reperit, ut ea movere non posset, sed verbum Dei non fuit alligatum. Dixit itaque ad insatiabilem illum homicidam : « Adjuro te, spiritus immunde, per sanguinem Jesu Christi Filii Dei, quem pro nobis miseris et peccatoribus in cruce

Digitized by Google

fundere dignatus est; et per gloriosam ejus genitricem et Virginem Mariam, quatenus huic animæ confessæ et pœnitenti nocere non præsumas. » Et cum hoc dixisset, divina virtute coactus reliquit eum diabolus, et fugit. Ipse vero in sua relaxatione defuncti liberationem intelligens, resumpta orandi constantia, magis ac magis interim precibus insistebat. Tanta namque in illa hora devotionis gratia perfusus est, tantamque de Dei misericordia fiduciam mente concepit, quantam nunquam in vita sua fuerat expertus. Unde etiam indubitanter credidit suas suorumque fratrum supplicationes pro eodem defuncto divinitus exaudiri. Mane ergo facto cum capitulo fratrum præsideret, omnes in commune sollicite rogat, attentius monet, quatenus pro anima peccatoris, qui ad ipsos in supremo necessitatis articulo confugisset, devotas preces effunderent, multasque et diuturnas orationes statuens, ipse per dies triginta pene quotidie sacrificium nostræ redemptionis pro ejus anima offerre curavit. Porro per totum tricenarium illud vix aliqua dies præteriit, quin memorato abbati, aliquando quidem dormienti, aliquando etiam, quod magis mirum est, vigilanti, idem defunctus, scilicet Balduinus, appareret, interdum quoque flexis genibus et junctis manibus coram eo stans supplicare videbatur, ut pro se orare non desisteret.

Contigit autem in ipso tempore abbatem quemdam monachorum nigri Ordinis, quem miles ille adhuc in carne vivens aliquando graviter injuriaverat, ad eamdem domum Igniaci hospitandi gratia divertere. Gavisus vero reverendissimus abbas Petrus, quod hanc quoque occasionem adjuvandi peccatricem animam sibi præstitisset Dominus, supradictum abbatem duxit ad tumulum defuncti, obsecrans in Christi amore ut eum absolveret ab illa injuria quam, suadente diabolo, in ipsum commiserat. Quo statim sine dilatione, tum propter honorem Dei, tum propter compassionem fraternæ misericordiæ, quod petebatur concedente, ecce in ipsa nocte defunctus ille domno abbati Petro gratulabundus apparuit, ostendens ei corpus suum purgatum a lepra, qua se ab olim contaminatum fuisse insinuabat. Præterea in facie ipsius apparuit immensi cujusdam vulneris penitus obducta cicatrix, cujus sanitas recens deletum ostendebat esse piaculum, quod in abbatem commiserat. Post hæc autem, cum jam Dominus declarare vellet exauditas fuisse in conspectu suo preces sancti abbatis fratrumque ejus, pro anima pœnitentis illius, in ipso sancto die Parasceves, jam inchoato circa horam nonam divino officio, in ipsa, inquam, hora, qua Dominus Jesus Christus pro peccatoribus crucis supplicium subire et mortem gustare dignatus est, cum idem venerabilis abbas indutus sacerdotalibus juxta altare præsideret, apparuerunt ei duo juvenes præclaris vultibus et sericis vestibus renitentes : qui eumdem Balduinum defunctum dextra lævaque incedentes ad altare deduxerunt. Transeuntes vero coram abbate, convertentes se ad eum dixerunt : Ecce dominus Balduinus. Erat autem ipse defunctus nigris quidem vestimentis, sed tamen bonis et decoris amictus, quæ quasi de Isembruno esse videbantur. Quod videns sanctus abbas, lætatus est valde, nimirum intelligens in vestibus nigris pœnitentiæ signum, et in repræsentatione ipsius ad altare certum reconciliationis indicium. Ut vero reconciliationis hujus omnis a corde famuli Dei removeretur scrupulus, qui prius crebro apparere solebat intercessionis opem flagitans, deinceps nec ipsi abbati, nec alteri cuiquam apparuit, ut etiam per hoc magna misericordia Dei se in numero pœnitentium, et in purgatoriis locis ad similitudinem Dei reformandorum receptum fuisse declararet. Quis, rogo, divinæ bonitatis et clementiæ viscera super nos miseros et peccatores digne æstimare sufficiat? Sed sicut certissime credit catholica mater Ecclesia Dominum Jesum pro peccatoribus et impiis in passione et in morte sua innocentissimum sanguinem suum fudisse, ita prorsus incertissimum est quisnam sit ille qui ad redemptionis hujus sacramentum pertineat, vel quis ille, qui non pertineat : ideoque merito judicare prohibemur, neque de quantumlibet sceleratissimo peccatore præcipitem ferre sententiam, quia qualis quisque sit hodie, utcunque æstimare possumus, qualis vero crastino futurus, omnino scire non possumus. Neque enim solum quidam per gratiam Dei de peccatis et vitiis transeunt ad remedia pœnitentiæ, verum etiam, quod omni lacrymarum fonte plangendum est, terribili nimis judicio Dei, de virtutibus et sanctis operibus nonnulli tandem dilabuntur ad vitia. Ergo qui stat, in timore et tremore videat ne cadat; qui autem cecidit, modis omnibus sollicitus sit ut resurgat. Ubicunque enim lignum humanæ naturæ in morte carnis ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit (*Eccle.* XI), id est aut cum Christo, qui est vera vita, in æterna beatitudine, aut cum diabolo, qui est vera mors, in perpetua damnationis miseria.

Perpende itaque, lector, quam charus et acceptus Deo fuerit iste beatus abbas Petrus, cujus meritis et precibus donavit hominem peccatorem, qui ob multiplicitatem et enormitatem scelerum suorum vix unquam de profundæ mortis voragine respirare posse videbatur. Quod si ante susceptum regimen Clarævallis tam perfectus fuisse dignoscitur, postquam pastor et rector hujus religiosæ domus fieri meruit, de qua, sicut beatus Bernardus in quodam sermone suo testatur, optimos et pretiosissimos animarum redditus singulis annis colligit Deus, nihilne meritorum illi accrevisse putabimus? Accrevit utique, quia priorem religionem suam posteriore sanctitate multiplicibus virtutum incrementis cumulavit, sic Marthæ inquietas in semetipso castigans occupationes, ut Mariæ quietem per sacræ contemplationis studium toto mentis complecteretur affectu. Sic subditos arctam et angustam viam incedere docens, ut legem quam aliis imponebat, primitus hanc tenendam esse, in sua sancta conversatione demonstraret. Consummatis igitur laudabiliter diebus vitæ suæ, debitum universitatis exsolvit; et qui aliquandiu in lacrymis seminaverat, claudens oculos in morte carnis, in gaudio immortalis vitæ dulcissimos laborum suorum manipulos æternaliter metit. Venerabile corpus ejus in cellula, qua supra diximus, martyrem Christi Gerardum positum, in sarcophago super pavimentum exaltato cum condigno honore reconditum est : ubi cum beato collega suo in pace in idipsum obdormiens et requiescens, generalis resurrectionis diem, et gloriam, quæ tunc sanctis reddetur, feliciter præstolatur.

Recapitulatio supradictorum.

De virtutibus et laudabilis vitæ præconiis reverendissimorum Patrum, beati Alberici primi, et beati Stephani secundi Cisterciensis cœnobii abbatum, nec non et sanctissimi Bernardi primi Clarævallis abbatis, eorumque successorum, quasi de spatioso et florido campo non inutiliter, ut reor, ista decerpsimus, et fratribus nostris lectioni studentibus, et lectione quoque proficere cupientibus, tanquam vernantissimos flosculos apposuimus, Dei omnipotentis misericordiam postulantes, quatenus non tantum Cistercio et Clarævalli, sed etiam universitati Ordinis nostri Patres tantæ religionis et perfectionis æmulatores suscitare dignetur, ut omnes nos qui in Cisterciensi Ordine pondus diei et æstus, quod institutores nostri indefesso studio portaverunt, nobisque portandum tradiderunt, ferre decrevimus, non solum ex lectione sacra præcedentium Patrum exempla cognoscamus, verum etiam præsentium Patrum illuminati roboratique doctrina intra Dominici ovilis caulas, ubi intrantes et exeun-

Digitized by Google

tes pascua vitæ inveniamus, recipi mereamur. Nemo vero putet nos hæc de Cisterciensium et Clarævallensium abbatum sacra conversatione ista conscripsisse, quasi non et in aliis domibus nostri Ordinis, præcipue in illis quæ cum Cistercio et Clarevalle caput Ordinis esse noscuntur, Firmitate scilicet Pontiniaco et Morimundo clarverint, Patres vita et religione conspicui, cum certissime sciamus, in diversis cœnobiis nostri Ordinis Patres diversarum gratia virtutum florentes exstitisse, quorum meritis et precibus usque hodie per universitatem congregationis nostræ vigor disciplinæ et fervor sanctæ religionis adjuvante Domino conservatur. Sed nos ea, quæ de principalium domorum Ordinis Patribus cognovimus, ad exemplum sufficere credimus, quorum et sanctitas sine præjudicio cæterorum excellentior esse creditur, et auctoritas animum legentis ad reverentiam amoremque sacræ religionis facilius accendere speratur.

DISTINCTIO TERTIA.

De quibusdam S. Bernardi fratribus et discipulis, aliisque Clarævallis religiosis.

CAPUT PRIMUM.

De domno Gerardo fratre sancti Bernardi, cellerario Clarævallis.

Jam vero ad seniores, qui sub beatissimo Patre nostro Bernardo, et deinceps in Clarevalle claruerunt, stylum vertamus, viros vere religiosos, contemptu sæculi sublimes, ordinis æmulatione ferventes, diversorum charismatum gratia tanquam sidera cœli relucentes, sanctæ contemplationis studio sine tædio mentis invigilantes, qui nomen et habitum monachi sanctis moribus et optima conversatione decoravere, utque hoc quod dicebantur, vere essent, et admirabili devotionis instantia elaboravere. Quorum primum tanquam primogenitum, quod in lege Domino offerri præcipitur, non immerito ponemus domnum Gerardum quondam Clarævallis cellerarium, germanum fratrem sancti Patris nostri Bernardi, plurimumque ab eo dilectum : qui quanto difficilius in initiis conversioni consensisse visus fuit, tanto tenacius et sincerius postmodum in omni conversatione sua ejusdem conversionis exercitiis adhæsit. Cum enim servus Domini Bernardus in adolescentia sua tanquam tenerrimus ligni vermiculus delicatus existens, Spiritu sancto præventus manum ad fortia mittere proposuisset, conversionis etiam gratiam mente conceptam Domino vovisset, eodem quoque Spiritu inflammatus conversionis socios quaquaversum colligeret : cum jam cæteri fratres ejus salutaribus monitis assensum præbuissent, Gerardus salubre consilium difficilius admittebat, quia, cum esset miles in armis strenuus, juventutis robore validus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, et qui ab omnibus diligeretur, radicem cordis hujus mundi pompis et vanitatibus altius infixerat. Cumque obstinato animo fratris sui monita repelleret, Bernardus fide jam igneus, et fraternæ charitatis zelo mirum in modum exasperatus : « Scio, inquit, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui. » Et ecce præsentialiter in latere ejusdem fratris sui lancea infixa ei apparuit præsagium futurorum. Moxque digitum loco lateris in quo lanceam solus ipse videbat, apponens : « Veniet, inquit, dies, et cito veniet. Cum lancea lateri huic infixa pervium faciet iter ad cor tuum consilio salutis tuæ quod aspernaris, et timebis quidem, sed minime morieris. » Sic dictum, sicque factum est. Paucissimis namque interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, capitur et vulneratur juxta verbum fratris sui, lanceamque ipsi lateri, eidemque loco, quo prædictum fuerat, trahens, et mortem quasi jam præsentem perhorrescens, clamabat : « Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. » Nihilominus tamen captus, et in custodia reclusus est. Porro de vulnere præter spem cito convaluit, propositum vero seu votum quod voverat, non mutavit. Cumque frater ejus laboraret, ut erui posset sed nil proficeret, Gerardus magis ac magis contristari et anxiari cœpit, eo quod votum quod Domino voverat reddere prohiberetur; quodque cum liberum sibi fuisset, amore sæculi debriatus, vovere et reddere contempsisset. Bernardus vero, cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit : « Scito, frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, et monasterium introituri. Tu vero quando quidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis et non potes, pro facto reputari. »

Aliquando itaque tempore in carcere clausus et compedibus vinctus, didicit durum esse sibi contra stimulum gratiæ Dei recalcitrare. Didicit, inquam, fellea dulcedo amoris hujus sæculi quantis calamitatibus, quantisve amaritudinibus repleatur. Demum cum sufficienter et salubriter pro obstinatione sua castigatus a Domino fuisset, quadam nocte audivit in somnis vocem dicentem sibi : « Hodie liberaberis. » Eadem itaque die circa vesperam divinitus compedes ejus confractæ sunt, claustra etiam carceris sponte reserata sunt, exiensque Gerardus, per medium illorum qui se captivaverant et recludere rant liber incedebat. Sicque a gemina captivitate, corporis scilicet et animæ magna Dei misericordia liberatus, ita ut ex sententia dicere posset : *Virga tua et baculus tuus, Domine, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII), cum fratribus suis, cæterisque, qui in eadem spiritualis militiæ sacramenta juraverant, Cistercium venit, tanto humilius et devotius votum quod voverat Domino redditurus, quanto ex sola divina gratia et voluntate vovendi, et ejusdem voti implendi facultatem, tam manifesto miraculo edoctus, sibi inesse sciebat. Postmodum vero, cum reverendissimus Pater Stephanus Cisterciensis abbas, beatum Bernardum et fratres ejus, cum aliis viris religiosis, ad ædificandam domum Clarævallis misisset, ipsumque venerabilem Bernardum cæteris præfecisset abbatem, dominus Gerardus in eadem domo cellerarius constitutus est. Quam vero strenue, quamque prudenter et humiliter officium sibi creditum administraverit, melius ipsius beati Bernardi verbis quam nostris explicabimus. Cum enim post obitum ejus idem venerabilis abbas nobili illa sua facundia sermonem piissimo luctu plenum in conventu fratrum faceret, inter cætera sic ait (18) :

« Scitis, o filii, quam justus sit dolor meus! quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam fidus comes deseruit me in via hac qua ambulabam! quam vigil ad curam, quam non segnis ad onus, quam suavis ad mores! Quis mihi ita pernecessarius, cui æque dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quæso, vicem meam, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore eram, et ille por-

(18) Oratio funebris in obitu Gerard. Serm. 26, in Cant.

Digitized by Google

tabat me; pusillus corde, et confortabat me. Piger eram et negligens, et excitabat me; improvidus et obliviosus, et commonebat me. Quo mihi avulsus es? Quo mihi raptus e manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amavimus nos in vita, quomodo in morte sumus separati? Amarissima separatio, et quam omnino non posset efficere, nisi mors. Quando enim me vivus vivum desereres? Omnino opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tam suavi vinculo nostri non pepercisset amoris, nisi totius suavitatis inimica mors? Ad omne quod emerserit, respicio ad Gerardum, ut consueveram, et non est. Heu! tunc ingemisco miser, sicut homo sine adjutorio. Quem consulam in ambiguis, cui in adversis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulsabit? Nonne ubique gressus meos Gerardi oculi anteibant? Nonne tuum, Gerarde, pectus curæ meæ notius quam meum ipsius habebant, familiarius incursabant, acrius urgebant? Nonne in lingua tua illa placabili et potenti meam a sermonibus sæculi frequentissime vindicabas, et amico reddebas silentio? Dominus dederat ei linguam eruditam : ut sciret, quando deberet proferre sermonem. Ita denique in prudentia responsionum suarum, et in gratia data sibi desuper, et domesticis satisfaciebat et exteris : ut pene me nemo requireret, cui prior forte Gerardus occurrisset. Occurrebat autem adventantibus, opponens se, ne meum otium incursarent. Si quibus sane satisfacere per se non quibat, hos adducebat ad me : cæteros emittebat. O virum industrium! o amicum fidelem! et amico gerebat amorem, et officiis charitatis non deerat. Quis vacua recessit ab eo manu? Si dives, consilium : si pauper, subsidium reportabat. Nec quærebat quæ sua erant, qui se mediis ingerebat curis, ut ego vacarem. Sperabat enim, sicut erat humillimus, majorem de nostra quiete fructum, quam si vacaret ipse. Interdum tamen postulabat absolvi, et alteri cedere, quasi qui melius provideret. Sed ubi ille inveniretur? Nec petulanti aliquo, ut assolet, in eo officii detinebatur affectu, sed solo intuitu charitatis. Siquidem plus omnibus laborabat, et minus omnibus accipiebat, ita ut sæpe cum aliis necessaria ministraret, ipse egeret pluribus, verbi causa, cibo, aut veste. Gratias tibi, frater, de omni fructu meorum, si quis est in Domino, studiorum; tibi debeo si profeci, si profui. Tu intricabaris, et ego tuo beneficio feriatus sedebam mihi, aut certe divinis sanctius occupabar obsequiis, aut doctrinæ filiorum utilius intendebam. Cur enim securus intus non essem, cum te scirem agentem foris, manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum et linguam meam? Sed quid dixi foris agentem illum, quasi interna Gerardus nesciret, et spiritualium expers esset donorum? Norunt qui illum norunt spirituales, quam verba ejus spiritum redolerent. Norunt contubernales, quam mores ejus et studia non carnem saperent, sed ferverent spiritu. Quis illo rigidior in custodia disciplinæ? quis in castigando corpus suum districtior? quis suspensior in contemplando, subtilior in disserendo? Quoties cum eo disserens, ea didici, quæ nesciebam : et qui doctum adveneram, doctus magis abscessi.

« Nec mirum de me, cum magni ac sapientes viri id ipsum nihilominus de illo sibi accidisse testentur. Non cognovit litteraturam, sed habuit litterarum inventorem sensum, habuit et illuminantem Spiritum. Nec in maximis tantum, sed et in minimis maximus erat. Quid, verbi causa, in ædificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis denique artibus seu operibus rusticorum; quid inquam, vel in hoc genere rerum Gerardi subterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris, agricolis, hortulanis, sutoribus atque textoribus, facile magister erat. Cumque judicio omnium omnibus esset sapientior, solus in suis oculis non erat sapiens. Utinam multos, etsi minus sapientes, non plus tangeret illa maledictio : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris* (*Isai.* v). Scientibus ista loquor, et adhuc plura his de illo expertis et compertis. Parco autem, quia caro mea et frater meus est. Hoc autem securus addo, mihi utilis in omnibus et præ omnibus fuit; utilis in parvis et magnis in privatis et publicis, foris et intus. Merito ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solum pene reliquerat mihi provisoris honorem et nomen; nam opus ipse faciebat. Ego vocitabar abbas; sed ille præerat in sollicitudine. Merito requievit in illo spiritus meus, per quem licebat dilectari in Domino, prædicare liberius, orare securius. Per te, inquam, mi frater, erat mihi mens sobria, quies grata, sermo efficacior, oratio pinguior, frequentior lectio, et ferventior affectus. Heu, sublatus es, et hæc omnia simul. Tecum pariter abierunt omnes deliciæ et lætitiæ meæ. Jam curæ irruerunt, jam molestiæ hinc inde pulsant, et angustiæ undique solum me reperiunt, solæ mihi te abeunte remanserunt; solus sub sarcina gemo. Aut ponere, aut opprimi necesse est; quia tu tuos humeros subduxisti. Quis mihi tribuat cito mori post te? Nam pro te nolim, nec tua te fraudare gloria. Porro supervivere tibi labor et dolor. Exite, exite, lacrymæ, jam pridem exire cupientes. Exite, quia is qui vobis meatum obstruxerat, commeavit. Non sum insensibilis, fateor, ad pœnas; horreo mortem meam et meorum. Meus erat Gerardus, meus plane. Annon meus, qui frater sanguine fuit, professione filius, sollicitudine pater, consors spiritu, intimus affectu? Is recessit a me; sentio, læsus sum, et graviter. Ignoscite, filii, imo, si filii, vicem paternam. Doleo super te, Gerarde charissime; non quia dolendus, sed quia ablatus. Et ideo fortassis dolendum mihi potius super me; quia bibo calicem amaritudinis. *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* (*I Cor.* xv.) Gerardus te non formidat, larvalis effigies! Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et lætabundus et laudans. Plango igitur primum super mea ipsius plaga, atque hujus jactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certe et super universi nostri Ordinis statu, nostræque professionis; qui de tuo, Gerarde, zelo, consilio et exemplo, robur non mediocre capiebat. Plango postremo, etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus afficior graviter, quia vehementer amo. »

CAPUT II.

De laudabili abstinentia domni Gerardi cellerarii.

Hoc est testimonium, quod de vita et conversatione dilecti fratris sui Gerardi reverendissimus Pater Bernardus perhibuit, quod nos de longo sermone ipsius diversis in locis excerpentes, ad demonstrandas tanti viri virtutes continuatim posuimus. Scimus vero fuscum adulationis et tanti Patris nostri verbis et sensibus longe prorsus abfuisse, nec sanguinis affectione attractum, ut vel uno verbo plus laudaret eum quam mera veritas laudandum esse censebat. Proinde si verum est, imo quia verum est testimonium ejus, liquet profecto perfectum in virtutibus fuisse famulum Dei Gerardum, cui magno ad observantiam veræ religionis exteriorum administratio nil oberat, quæ tam multos a tramite disciplinæ claustralis solet avertere, et in barathrum sæcularis conversationis immergere. Quis autem tantæ laudis præconium digne admirari sufficiat, quod plus omnibus laborans, minus omnibus accipiebat, quod nullo petulantiæ affectu in officio suo detinebatur; quod quidem temporibus nostris rarissimum est; sed solo intuitu charitatis; quod cum cæteris necessaria ministraret, ipse egebat in pluribus? Sane ad comprobandum quam fuit rigidus in observantia disciplinæ, quamque districtus castigator corporis sui, unum ex laudabilibus factis ejus exempli causa

Digitized by Google

ponemus, ut ni, qui sanctorum virtutes ad profectum suum scrutari satagunt, si ferventes in religione sunt, habeant quod imitari debeant ; sin vero remissi vel infirmi, habeant unde de se doleant. Solebat famulus Domini Gerardus, grangias ex debito officii sui circumiens, communi fratrum mensa et victu contentus esse, aquam cum eis et ipse bibens: nec facile aliud quid præter communia pulmenta sibi patiebatur apponi. Accidit autem quadam vice ut ad grangiam iturus infirmaretur. Quod sciens conversus, qui cum eo ire debebat, ad priorem accessit; cellerarium infirmari suggessit, timere se dicens, quia si aquam in grangia, sicut solebat, biberet, infirmitati ejus pondus accresceret. Jussu itaque prioris vasculum vino plenum secum tulit, cellerario penitus hoc ignorante : quod etiam ipsi sedenti cum fratribus ad mensam obtulit; signum, sicut moris est, ex parte prioris faciens, ut causa infirmitatis suæ modico illo vino solus uteretur. Quando vero ille paupertatis et communis vitæ ferventissimus æmulator in hoc consentiret, ut, cæteris omnibus aquam bibentibus, ipse solus poculo vini delectaretur ? Erat autem vas aqua plenum in medio positum, unde fratres bibere debebant. Parumper ergo intra semetipsum quid sibi faciendum esset deliberans, continuo surrexit; et tollens vasculum vini, cunctis videntibus, urceo qui aquam habebat vinum infudit, signum faciens, ut omnes biberent in commune. Malebat quippe corpus suum infirmitate periclitari quam vel in tantilla remissione abstinentiæ conscientiæ suæ maculam dare. De quo ejus tam religioso facto fratres exhilarati pariter et ædificati, delectabilius aquam illam biberunt, quam si pretiosissimum vinum eis propinari fecisset. Legebant nimirum in vita et moribus optimi cellerarii sui quam contemnenda sit carnis illecebra, qui nec pro tuenda vel recuperanda corporis sui sanitate poculum sumere acquievit, unde infirmis occasionem scandali dedisse videretur.

CAPUT III.

De pretiosa morte venerabilis viri Gerardi.

Cum pro sedando schismate Petri Leonis S. Pater Bernardus tertia jam vice, vocante domno papa Innocentio, Italiam intrasset, et magnis ubique signis et miraculis claresceret, domnum Gerardum cellerarium suum tanquam fidelissimum adjutorem prudentissimumque consiliarium, per omnia secum habebat. Contigit vero cum essent Viterbi ut idem domnus Gerardus gravissima valetudine correptus lecto decumberet, venerabilemque abbatem conturbatum vehementer et consternatum redderet. Cumque manifesta signa mortis exitum imminere denuntiarent, servus Domini Bernardus ægerrime fere[illegible]omitem peregrinationis, et illum comitem, in terra relinquere aliena, nec resignare iis, qui eum sibi commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde, cum fletu et gemitu conversus ad Dominum : « Exspecta, inquit, Domine, exspecta usque ad reditum, restitutum amicis tolle eum jam, si vis, et non causabor. » Sed quomodo pius et misericors Dominus humillimum servum suum, cum tanta contritione cordis in propria causa postulantem, despiceret, quem tanta facilitate, quanta benignitate in causis alienis exaudire continue solebat ? Nempe præter spem universorum tanquam de portis mortis ad vitam revocatus, cito convaluit Gerardus; perfectisque negotiis, pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ reddita, Leonina rabie penitus exstincta, redierunt in patriam, cum exsultatione universæ terræ reportantes manipulos pacis. Haud multo vero post hoc elapso tempore, tanquam jam votis et desideriis fidelis servi sui Bernardi satisfecisset Dominus, rursus Gerardus cœpit viribus corporis repente destitui, paulatimque ad exitum appropinquare : qui occupationem quidem Marthæ pro injuncto sibi officio patienter sustinuerat, sed vacationem Mariæ toto mentis conamine amplexus fuerat. Sentiens itaque se certissime migraturum, et de laboriosis hujus sæculi curis ad æternæ beatitudinis requiem transiturum, ubi vacare incipiens, gustaret et videret quoniam suavis est Dominus, et comprobaret nequaquam se carnali seu sæculari aliquo desiderio in officio suo detentum fuisse, elevatis in cœlum oculis : « Deus, inquit, tu scis quod, quantum in me fuit, semper optavi quietem intendere mihi, vacare tibi. Sed implicitum tenuit me amor tuus, et voluntas fratrum, et studium obediendi ; super omnia vero abbatis et fratris mei germana dilectio. »

Circa medium vero noctis, quam ultimam cum miseris mortalibus egit, mirum in modum exhilarato vultu in voce exsultationis subito erupit in illud Davidicum, stupentibus qui aderant : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis* (*Psal.* XLVIII). Jam enim huic beato viro nocte adhuc media diescebat, et ultima nox ipsius sicut dies illuminabatur, prorsus illa nox illuminatio ipsius in deliciis æterni luminis, quod est Christus Dominus. Quomodo enim tenebræ non vertuntur in lucem, ubi cantando moritur homo, et moriendo cantat ? Usurparis, o inimica mors, ad lætitiam, cum sis mater mœroris ; usurparis ad gloriam, gloriæ adversatrix ; usurparis ad introitum regni, porta inferi ; fovea perditionis, ad inventionem salutis. Fratres itaque qui aderant, tanti novitate miraculi attoniti, cucurrere citius, dilecto fratri ipsius S. Bernardo hominem in mortem exsultantem et insultantem morti nuntiantes. Qui cum debilis et infirmus accelerans venisset, extrema jam psalmi quem cantabat ipso audiente clara voce complevit. Et suspiciens in cœlum, ait : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Et repetens eumdem sermonem, ac frequenter ingeminans : Pater, Pater, conversus ad sanctum abbatem et fratrem suum, exhilarata facie : « Quanta, inquit, dignatio Dei Patrem hominum esse ; quanta hominum gloria, Dei filios, Dei esse hæredes. Nam si filii, et hæredes. » Sic sancta illa anima in jubilo et exsultatione spiritualis gaudii carne soluta, et hymnidicis angelorum choris admista, tanto liberiori volatu sidereas petiit mansiones, quanto suum nil in ea malignorum caterva spirituum invenire poterat. Funeri ejus sanctus abbas et frater ipsius debitum commendationis et exsequiarum officium dulcissima mentis affectione devote impendit, cum tamen aliis flentibus ipse non fleret, sed erumpere gestientes lacrymas magna fidei constantia castigaret, ne quasi mortuum plangere et fleré videretur illum quem de morte sua in æterna vita et gloria sempiterna natum esse non dubitabat.

CAPUT IV.

De reverendissimo Patre Humberto, quondam priore Clarævallis.

Postquam gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi domus Clarævallis fundata est, et fragrantissima sacræ religionis ejus opinio multis facta odor vitæ in vitam, inter cæteros, quos divinæ bonitatis arcanum consilium de diversis mundi partibus vocabat, plures religiosi viri, qui suis in locis perfecti in religionis observantia videbantur, audientes, quod tam specialiter et excellenter magnificasset misericordiam suam Dominus cum domo eadem, et ejus sanctissimo abbate, tanquam novi tirones, ex emeritæ militiæ laboribus venientes, tantæ sanctitatis collegio sociari ferventissima spiritus devotione cupiebant. Inter quos primi vel præcipui exstiterunt Humbertus Igniacensis cœnobii primus abbas, Renaldus, et Petrus, cognomento Tolosanus, Guillelmus, et Gerardus Farsensis : qui non uno quidem in loco, sed divisis et inter se distantibus provinciis habitantes, ita se, ab ipsis infantiæ rudimentis, divinis obsequiis mancipaverant,

Digitized by Google

ut in omni virtutum gratia florentes, alienis, quasi perfectioribus, exemplis instituï, minus necessarium habere viderentur. Verumtamen mellifluam sanctitatis dulcedinem, qua cæteris sui temporis sanctus beatus Pater noster Bernardus, tanquam cedrus exaltata in monte Sion, supereminebat, crebra et certa relatione cognoscentes, tanquam vere mites et humiles corde, nec surda aure prætereuntes illud de Apocalypsi : *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (*Apoc.* XXII); priora sua nihili reputantes, sed in anteriora extenti, tanti et tam spiritualis Patris magisterio prona et humillima se voluntate subdidere. Quos etiam pro suæ reverentia sanctitatis idem beatus Bernardus unico semper charitatis amplectebatur affectu. Nunc itaque de reverendissimi Patris Humberti purissima et vere monastica conversatione pauca commemorabimus; de cæteris vero, suo loco, quod Dominus dederit dicemus. Servus Dei Humbertus a puerilibus annis in sanctuario Domini locatus, cum jam per viginti annos in religione strenue Domino militasset, tandem perfectioris et sanctioris vitæ desiderio Claramvallem se contulit, in ipso fere principio domus illius. Ubi tantis virtutum charismatibus effulsit, tantaque mansuetudinis et charitatis gratia decoratus exstitit, ut tanquam unus de numero cœlestium seraphim universitatem congregationis ferventissima conversatione sua in amorem Dei vehementer accenderet. Ipse etiam sanctæ hujus et a Deo benedictæ congregationis speciali prærogativa benedictus abbas in vertice virtutum stans, neque ab homine religionis incrementa mendicare necesse habens, cum esset tamen doctus unctione Spiritus sancti humiliora sectari potius quam sublimiora, Humbertum Dei famulum ad imitandum perfectionis exemplum sibi proposuerat, ipsius virtutes admirari satagens, merita ejus magna et sublimia æstimare; ipsum sanctitatis exemplar, religionis formam, monasticæ puritatis speculum reputare, respectu illius conversationem suam nullius momenti pensare, sancti fervoris ipsius intuitu, sua licet ferventissima studia, tanquam minus habentia, diu noctuque castigare, sciens nimirum omnem hominem consideratione infirmorum deficere, perfectorum vero contemplatione quamvis in virtutibus consummatum, propter ipsam sanctæ humilitatis laudabilem curiositatem, adhuc virtutis incrementa reperire. Hinc idem B. Bernardus in quodam sermone suo sic ait : « Utinam, fratres mei, nos peccatores haberemus illam humilitatem in peccatis nostris, quam sancti viri habuere in virtutibus suis! »

Igitur venerabilis Humbertus missus postmodum ad ædificandum Igniacense cœnobium, et ejusdem cœnobii primus abbas a beato Bernardo constitutus, impatientissime ferebat amicam sibi paupertatis, humilitatis et subjectionis materiam esse subtractam. Denique ferre non valens pro speciosa sanctæ quietis et contemplationis Rachele lippientem Liam, id est sæcularium negotiorum inquietos tumultus supponi sibi, invito licet et renitente S. Bernardo, sarcinam curæ pastoralis deposuit, et Claramvallem rediens, nobili suo collo subjectionis et obedientiæ jugum imposuit, quia nullum collum nobile, nisi flexibile, quod etiam indefessus, tanquam jugum Domini suave, et onus ejus leve, usque in finem vitæ suæ portavit. Cum vero jam senuisset, et fatiscentibus membris vigor corporis defecisset, insuper variis adversæ valetudinis incommoditatibus urgeretur : erat tamen animus vigens et fervens in opere Dei, ita ut arduos Ordinis labores, quos vix robusta juvenum ætas tolerare poterat, ipse senex et fere decrepitus patienter, imo alacriter percurreret : remissiones vero et indulgentias misericordiæ, quæ senibus causa compassionis impenditur, non solum minime appeteret, verum etiam concedere volentibus nequaquam acquiesceret. Peractis autem in Claravalle triginta circiter annis, felici agone consummatus mortem lætus subiit, non ab ipsa consumendus, sed de ipsa in assumptione novæ vitæ, et tunc in anima, et postmodum in corpore gloriosissime triumphaturus. De cujus transitu beatus Bernardus vehementer turbatus, quid de ejus excellentissima conversatione sentiret, in conventu fratrum quodam sermone declaravit (19).

(19) Serm. in obitu Humberti.

CAPUT V.

Ex illo sermone colligitur consummatum fuisse sanctum senem Humbertum in virtutibus.

Considera, lector, tanquam in brevi tabella, virum perfectæ virtutis coram oculis tuis eleganter depictum, ita ut ex sententia dicere possis quoniam iste beatus vir monachus factus monachi vigilavit in actus : qui hoc quod erat habitu et nomine, solertissima industria elaboravit, ut esset etiam in rei veritate, indignissimum fore reputans vacuo nomine monachi sine virtutis opere gloriari. Sciebat nimirum virtutem gradum esse ad gloriam et vanam prorsus gratiam, fallacemque pulchritudinem, quam non parturiret illa. Idcirco, beatissime Pater Humberte, longe erit a te ironicum illud elogium, quo quidam, qui vacuo nomine monachi absque virtutis opere in vita gloriatus fuerat, post mortem irrisus fuisse perhibetur. Si vestis pulla, rasum caput, ampla cuculla quemquam justificant : hic homo justus erat. O quantum distat inter lucem et tenebras! quam magnum chaos firmatum est inter filios iræ et filios gratiæ! quam disparem sententiam hinc exeuntes excipiunt ficte religiosi et vere religiosi! Non erat Humbertus de numero fatuarum virginum, quæ acceptis lampadibus suis detestanda negligentia oblitæ sunt oleum secum sumere; erat de numero prudentum, de quo non fucatus adulator, sed verus laudator ipsius dicit quod fuerit compositus supra omnes homines quos viderit in diebus suis, unus idemque perseverans omni tempore et omni hora; pulchre eadem sententia, licet aliis verbis diffinitionem illam qua poeta sapientem diffinit, repræsentans :

Constans ipse sibi, totus teres atque rotundus,
(HORAT. *Sat.* lib. II, vers. 85.)

quod est unum eumdemque perseverare, et omni tempore et omni hora. Sciendum præterea hunc beatum virum prioratus officio sub S. Bernardo in Claravalle functum fuisse : ad quorum doctrinam exemplaque virtutum universa Claravallis irrigabatur sicut hortus deliciarum et sicut paradisus Domini, saliebatque in singulis et in omnibus fons justitiæ in acquisitionem vitæ æternæ. Cujus vero memoria ejus in benedictione erit omni generationi fratrum, qui in Claravalle Domino servituri sunt, in monumento, quo supra diximus dominum Robertum secundum Clarævallis abbatem positum, quod est sub arcu in muro claustri prope capitulum, etiam reverendissimi Patris Humberti venerabile corpus reconditum est, ubi et loculus qui sacra ejus ossa servat, titulum nominis ipsius præfert, ut proinde fratres in claustro sedentes, et ex lectione ferventissima sanctæ religionis ejus studia cognoscentes, quæ tanta tamque magnifica fuerunt, ut ea litterarum monimentis tradere beatissimus Pater Bernardus non dubitaret, simul etiam tumbam sacrorum cinerum ejus præ oculis habentes, incalescant animis, oblivionem fugiant, torporem et negligentiam procul a se repellant : nec omnino nisi per arduos claustralis disciplinæ labores, coronam monachis propositam se adepturos esse præsumant.

CAPUT VI.

De domno Odone, quondam subpriore in Claraualle.

Fuit quidam de senioribus Clarævallis, Odo

Digitized by Google

nomine, suppriorātus officium in eadem domo per plures annos strenue administrans, homo vere pauper spiritu et humilis corde; qui a primis fere annis domus illius arduos labores, non solum voluntariæ paupertatis, sed etiam duræ necessitatis, qua in novitate sua domus illa ob penuriam rerum sæpius constringebatur, tam alacriter percucurrit, ut tunc ferventior esse in Dei laudibus notaretur, cum corporalibus subsidiis ex aliqua parte carere videretur. Tanta autem inerat ei morum suavitas, tantaque mansuetudinis dulcedine tractabat conventum fratrum, quem priore alias occupato, assidue ducebat et reducebat ad laborem vadens et inde rediens, ut usque hodie sancta illa congregatio memoriam abundantiæ suavitatis ejus cum gratulatione erutuet. Cum autem fidelis pastor S. Bernardus, ruinis sacri corporis ejus crebrescentibus, magis ac magis ad depositionem vitæ corruptibilis et introitum beatæ incorruptibilitatis approximaret, omnipotens Deus, qui humilium vota nunquam despicit, huic beato Odoni, secundum desiderium cordis sui, concessit, ut ante Patrem sanctum ipse decederet, ne post aurea sæcula, quæ sub tanto Patre jucundissime floruerant, ferrea, quæ mox subsecutura erant, lugentibus oculis, videre cogeretur. Quod etiam futurum esse, ita Dominus uni ex fratribus, priusquam fieret, manifesta visione præostendere dignatus est. Aspiciebat namque quidam frater in visu noctis : et ecce parabat vir beatissimus Bernardus ascendere Jerosolymam, jamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo reverenter accedens, dicebat se præcessurum. Cujus visionis sic ostensa est veritas, ut prædictus vir Deo dignus, ad cœlestem Jerusalem, ubi vera visio pacis est, parantem jam egredi, et paulo post subsecuturum Patrem sanctum, felici functus legatione præiret. Post prædictam enim visionem idem famulus Dei Odo, molestia corporis tractus, ad extrema pervenit. Ad quem visitandum cum beatus Bernardus ingressus fuisset, videns eum pavere et anxiari, quasi si minus perfecte vixisset, et ob hoc ancipitem adhuc sententiam Judicis exspectaret, sic eum allocutus est : « Quid trepidas? quid turbaris, o anima beata? A diebus adolescentiæ tuæ devotum Christo famulatum in multis et magnis laboribus exhibuisti : et exire formidas? Perge, perge securus, ego tibi in veritate dico, quia recto cursu ad Creatorem tuum pervenies, et sanctus coram ipso apparebis. » Qua consolatione dilecti Patris sui humilis Odo roboratus, placidiori vultu ad exitum tendens, et post modicum hominem exuens, mortem perdidit, et vitam veraciter apprehendit. Ut autem Pater sanctus sententiam, quam de eo protulerat, piæ humilitatis obsequi veram esse comprobaret, corpore sancto adhuc in area jacente, antequam ad lavandum deferretur, reverenter accedens, funeris Deo digni vestigia sacra devote osculatus est, patenter cunctis ostendens quanto honore digni sint, qui in exercitiis regulæ, quam professi sunt, sine dissimulatione exercentur, et in via mandatorum Dei, sicut in omnibus divitiis, delectantur. Benedicti corporis ejus exuviæ in monumento, quo piæ memoriæ Humbertum locatum diximus, ob reverentiam sanctitatis ipsius, reconditæ sunt, ubi felici pausatione requiescens, Salvatorem exspectat Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis ejus configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* III). Dicit Psalmista loquens ad Dominum : *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* (*Psal.* XCIII.) Si enim dici libeat, quid est electis Dei omnis pressura, dolor et angustia præsentis temporis, nisi quædam fictio laboris? Momentaneum namque et leve tribulationis eorum, quæ in præsenti est, immensum pondus gloriæ operatur in eis in sublimitate æternæ vitæ (*II Cor.* IV); ad quam venerabilis Odo jam nunc in anima pervenisse, et postmodum in corpore perventurus esse, certissime speratur

CAPUT VII.

De domno Guerrico quondam monacho Claræ-vallis, postea Igniaci abbate.

Sanctæ recordationis domnus Guerricus quondam abbas Igniaci, dum adhuc sub disciplina beati Bernardi monachus esset in Claravalle, et regalibus sacræ doctrinæ uberibus lactaretur, haud degenerem se tanti patris filium moribus et vita probabat. Tanto siquidem sublimius arcem virtutum conscendere didicerat, quanto secretius, magno Dei munere, de incorruptionis titulo testimonio conscientiæ gloriabatur. Sicut enim ii, quibus secreta tanti viri nosse datum fuerat, astruebant, immaculatam incorruptionis tunicam, duce gratia, usque ad exitum vitæ conservavit. Porro quantæ puritatis et integritatis fuerit vita et conversatio ejus, quamque purissimum sanctæ devotionis thymiama quotidie Deo in ara cordis incenderet, Dominus gloriosis et manifestis indiciis declarare dignatus est. Accidit namque quadam vice ut ad lectionem in vigiliis legendam ascriptus esset. Cumque se moveret de stallo suo ut ad gradum presbyterii veniens, sicut moris est, inclinaret, alius quidam spiritualis monachus, qui sanctorum ejus in Domino studiorum curiosus scrutator esse solebat, non livoris vel invidiæ peste tabescens, sed ut exemplis ejus ad meliora provocaretur, observavit euntem. Itaque inclinante eo devote ante gradum presbyterii, ecce angelus Domini de cœlo veniens, supradicto fratri spirituali cernentè, veste candidissima et splendidissima induit eum; et per medium chori reverenter deducens, usque ad analogium cum eo ascendit; et stans juxta eum, quousque totam perlegeret lectionem, cum multa reverentia ministri officio functus est. Qua perlecta, rursus per medium chori eum deducens usque ad gradum presbyterii prosecutus est, illoque satisfactionem, quæ post lectas lectiones ante gradum fieri solet, faciente, angelus Domini recepta veste cœlesti ab oculis hæc videntis sublatus est. Frater autem ille, cui tanta dignatione gratiæ Dei tam secretum divinæ benignitatis donum cognoscere datum fuerat, de gloriosa hac visione multum ædificatus, didicit, ipsum de quo talia videre meruit, vere esse Dei famulum, qui angelicæ puritati approximans, tanquam Benjamin amantissimus Domini, tota die cum illo in thalamo sanctæ contemplationis moraretur. Succedenti vero tempore venerabilis Guerricus factus abbas Igniaci, qualem se exhibuerit, quam strenue officium sibi commissum adimpleverit, non est nostræ parvitatis edicere. Plane quam sanæ et uberis doctrinæ fuerit, luculentissimi atque discretissimi et vere spirituales sermones ejus, quos in solemnitatibus præcipdis in conventibus fratrum fecit, et a cantore ejusdem ecclesiæ excepti sunt, manifeste declarant. Cæterum supernus ille artifex, qui pressuris et tunsionibus variis solet polire vasa misericordiæ, ut discernantur a vasis iræ, continuis et gravibus infirmitatibus hunc famulum suum laborare permisit. Quas ille incommoditates patientissime tolerabat, sciens nimirum tanto se in futuro gloriosiorem de summi Regis manibus coronam percepturum, quanto alacrius in præsenti certaminis agone desudasset. In hoc tamen nimis contristabatur, et semetipsum valde humiliabat, quod pene continue conventum fratrum deserere, et in infirmitorio jacere, causa debilitatis suæ, cogebatur; nec poterat ita fratribus suis exemplum quotidiani laboris præbere, sicut verbum sanctæ prædicationis impendere. Verum quidquid minus habebat de exercitio corporali, totum sinceræ pietatis affectus, et ardens in Deum devotio supplebat. Conqueritur ipse debilitatem et insufficientiam suam in quodam sermone

Digitized by Google

suo, ita dicens (20) : « Amici venerunt ad me de via ; sed non habeo, quod ponam ante illos. Non sum medicus, et in domo mea non est panis. Ideo dicebam ab initio : Nolite me constituere principem. Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem novit, qua sciat curare, nec doctrinam, qua sciat pascere? Hæc quidem dicebam, sed heu, non audistis me; principem enim constituistis me. Supererat igitur, ut quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, et audirem super hoc illud Sapientis consilium : *Pincipem te constituerunt, esto inter illos quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII). Sed væ mihi, neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas esse non patitur inter alios; et sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, ita corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse, nec coesse; ubi potero esse, nisi ultimum et tutissimum eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo; humilia, imo vera, de me sentiendo : nihilque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio. Tu Domine Deus, ipse es, qui subesse mones; et nihilominus præesse jubes. A te expeto ut humilem simul et utilem in injuncto me facias ministerio : humilem, vera de me sentiendo; utilem, recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum et bene sonantem in apertione oris mei, qui dixisti : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX) : ut omnis familia tua benedictionibus repleatur. »

CAPUT VIII.

Quanta districtione domnus abbas Guerricus conscientiam suam in obitu suo discusserit.

Perpende, lector, sinceritatem conscientiæ sanctæ viri hujus, qui tam fiducialiter sibi facile esse pronuntiat, quod paucissimis et perfectissimis divina concedit benignitas, cunctis videlicet animo subesse, quamvis cogantur officio præesse. Cum autem fidelis servus Domini Guerricus, fidelissima distributione conservis suis annona domini sui dispertita, plenus dierum et virtutum transiturus esset de hoc mundo ad Patrem, tactus ægritudine, ipsiusque ægritudinis molestia ingravescente, ad extrema deductus est. Curiosius vero cunctos angulos conscientiæ suæ eo discutiente, ne si quid forte esset perperam gestum et inemendatum, districtum sibi Judicem offensum redderet, et malignis spiritibus occasionem calumniandi præberet, recordatus est libelli Sermonum quem fecerat, simulque memoriæ occurrit Patres statuisse nullum absque generalis capituli licentia libros facere debere. Et graviter ingemiscens, convocatis fratribus dixit : En fratres, dum vestris profectibus invigilare vestræque petitioni parere studui, crimen inobedientiæ, quod, testante sancto Samuele (*I Reg.* XV), quasi scelus idololatriæ est, incurri. Libellum nempe Sermonum, quem rogatu vestro dictavi, temerarie nimis absque capituli generalis licentia edere præsumpsi. Quapropter quantocius illum afferentes, igne cremate, ne pro culpa inobedientiæ ultricibus gehennæ flammis tradar consumendus. Dei vero providentia accidit, ut jam in aliis quaternulis transcriptus esset liber : Deo aliquid melius pro nobis et in hoc disponente, ne videlicet sancta Ecclesia, ipsius et præcipue Cisterciensis Ordo, tantæ eruditionis gratia privaretur. Mirabili namque temperamento ita litteralis scientiæ lepos in volumine illo tumet; et Christianæ simplicitatis humilitas sic in eo resplendet, ut non modo minime onerosus, verum etiam gratiosus valde sit legentibus. Porro igitum eloquium Domini vehementer, quod in sermonibus illis invenitur, ita movet, afficit et accendit legentem, ut durissimus corde sit, qui non ex eorum lectione compunctus, ad meliora proficere studeat. Sic itaque justus et timoratus servus Dei, delicto, quod conscientiam ejus remordebat, severa examinatione correcto, alacrius jam et propensius ad cœlestia suspirabat, Christi Domini jucundissimam et beatissimam præsentiam votis et desideriis sacræ devotionis requirebat : qua etiam post modicum, misera mortalium consortia relinquens, sicut pie credimus, satiari promeruit.

CAPUT IX.

De domno Roberto monacho Clarævallis, postea abbate.

Domnus Robertus quondam Domus-Dei abbas, et S. Bernardi secundum carnem propinquus, in adolescentia sua jugum Domini suave et onus ejus leve apud Cistercium susceperat, postmodum vero reverendissimo viro Dei Bernardo primo Clarævallis abbate constituto, sub ipso in eodem cœnobio cœlestibus disciplinis instituebatur. Cumque doceretur a pio Patre carnis incentiva sacris orationibus repellere, petulantes et inquietos adolescentiæ motus labore manuum, vigiliis et jejuniis edomare, delicatus adolescens pusillanimitate victus, sacrorum quoque exercitiorum assiduitatem pertæsus, minus patienter verbum post tergum monentis audiebat. Interea Cluniacences fratres audientes, quod idem adolescens Ordini Cisterciensi se reddidisset, indignati sunt vehementer, asserentes eum hoc juris ratione nullo modo facere potuisse ; quippe qui ipsorum monasterio a parentibus suis, secundum Regulam S. Benedicti, puer promissus fuisset. In astipulatione etiam suæ assertionis monstrabant terram, quam a parentibus ipsius cum eo Cluniacensi monasterio fuisse donatam memorabant. Cumque auctoritate B. Bernardi premerentur, ne eum publice repetere præsumerent, ad callidiora sese argumenta vertere. Missus est namque prior quidam ab ipso summo priore magnæ illius domus, ut, si fieri posset, blanditiis et suasionibus suis juvenem illum circumveniret, quatenus, abdicato Cisterciensi Ordine domoque Clarævallis relicta, spontanea voluntate Cluniacum se transferret. Veniens itaque memoratus prior Claramvallem, speciem pietatis, quam foris in vultu et habitu prætendebat, intus habere credebatur. Sed heu, nusquam tuta fides, idcirco fallimur omnes. Heu! væ illud, quod intentatur peccatori terram ingredienti duabus viis (*Eccli.* III) : cujus cor et cor diverberat conscientiam, in ipsa quoque religione (quod sine gemitu dicere non possumus), duplicitatis et maledictionis spinas germinare quandoque deprehendit. Hic enim, de quo loquimur, prior, conveniens magistros fratrum, petebat sibi dari licentiam loquendi fratri Roberto, gratia visitandi et consolandi eum se venisse testatus. Sed quis hoc tali viro negaret? Quis non crederet novum Christi tirunculum de tanti senis ædificatoriis verbis virtutis incrementum capere, quo validior ad vitia propulsanda efficeretur? Sed heu, pelle sub agnina deprehensa est mens lupina; et qui credebatur ad virtutem provocare, suadet rudi adhuc militi stationem suam deserere, arma projicere ; nec tam spontanea quam misera voluntate crudeli hosti ultro se tradere. Quid plura? Suadet et persuadet delicato adolescenti duros Clarævallensium labores fugere, Cluniacensium mollia carnemque magis quam spiritum redolentia instituta capessere. Sequitur itaque ovicula lupum, nesciens se in horrendum apostasiæ ruere barathrum. Venerabilis autem Pater Bernardus, licet factum hoc ægerrime ferret, dissimulavit tamen, ne lædentibus se vel in aliquo talionem reddidisse videretur. Postea vero quam aliquandiu dissimula-

(20) Serm. in Rogation.

Digitized by Google

vit, eumdem fratrem statuit per epistolam revocare. Quo dictante domnus Guillelmus Rievallis, postea monasterii primus abbas, in membrana scribens eamdem excipiebat epistolam. Erant autem ambo pariter sub dio sedentes. Ad dictandum quippe secretius, septa monasterii egressi fuerant. Subito autem inopinatus imber erupit, et is qui scribebat, sicut ipso referente didicimus, chartam reponere voluit. Ad quem Pater sanctus : « Opus, inquit, Dei est ; scribere ne timeas. » Scripsit ergo epistolam in medio imbre, sine imbre. Cum enim undique plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis ; et quæ dictabat epistolam, schedulam quoque pariter conservabat. Et hæc quidem epistola ob tam grande miraculum in codice epistolarum ejus a fratribus non immerito prima est ordinata. Hujus vero epistolæ textus hic erat : *Satis et plusquam satis, sustinui, dilecte fili Roberte*, etc.

CAPUT X.

Quanti periculi sit, professum Cisterc. Ordinis ad alium Ordinem declinare.

Accepta itaque et perlecta hac epistola, frater ille, mox ut diligentis se abbatis et propinqui sui characterem recognovit, perpendens quam intimis charitatis visceribus calamum tinxerit, simul etiam considerans quam dissimilibus studiis, in loco ubi tunc manebat, et illo quem inconsulte reliquerat, viveretur, compunctus resipuit et, licet sero, se errasse, vel potius ab aliis in errorem missum ingemuit. Spiritum denique libertatis tota mente concipiens, locum quem inordinate petierat, ordinate deseruit ; et Claramvallem rediens, sub disciplina beati Patris Bernardi in tantum profecit, ut succedentibus virtutum incrementis, Domus-Dei postmodum sit abbas constitutus. Perspicue docemur hoc exemplo omnem hominem Cisterciensem Ordinem professum, nequaquam absque gravi periculo animæ suæ, ad alterius religionis vel Ordinis professores declinare posse : imo, ut, quod verum est ingenue fateamur, majus bonum, quod enerviter deserit, perdit ; et minus bonum, quod majus eligendo, sibi illicitum fecit, minime consequitur ; insuper etiam fœdissimo apostasiæ cauterio inustus perpetuæ confusionis notam, nisi resipiscat, non evadet. Ut autem assertioni nostræ, remoto dubietatis scrupulo, fides adhibeatur, quoniam in ore duorum testium stat omne verbum, aliud exemplum in astipulatione veritatis subnectimus. Abbas quidam de filiis Clarævallis in partibus Italiæ abbatizans, licet alias religiosus, pro quadam tamen culpa sua ab officio prælationis depositus est. Quam dejectionem suam minus patienter ferens, quam deberet, indiscreto quoque dolore stimulatus, Ordinem Cisterciensem deseruit, et Cluniacum se contulit. Ubi dum aliquanto tempore in simplicitate cordis sui Domino secundum Ordinis illius instituta serviret, Deus qui solus simplicitatem cordis intuetur, præteritorum laborum ipsius, quos in Ordine Cisterciensi desudaverat, recordatus, per revelationem ei insinuare dignatus est, quod nequaquam in Ordine illo animam suam salvare posset : quippe qui etsi in oculis hominum in minori bono stare videretur, ante conspectum tamen ipsius a majori bono cecidisset, ideoque minus bonum modis omnibus infructuosum sibi fecisset. Hac itaque revelatione senex ille salubriter admonitus, gratiæ Dei se tam misericorditer ab errore suo revocanti nequaquam ingratus exstitit ; sed continuo a præcipitio prævaricationis pedem retrahens, Claramvallem quantocius rediit ; ibique de præterito errore suo pœnitentiam agens, et deinceps vitam suam in sancta conversatione consummans, beato fine quievit.

(21) Visitationem hanc referens Cæsarius, pro S. Elizabeth S. Annam ponit. Sed cum librum Clarævallis laudet huic auctori notum, errare creditur ipse.

CAPUT XI.

De Rainaldo monacho, qui vidit B. Mariam fratres metentes visitantem (21).

In cœnobio Clarævallis fuit monachus quidam religiosus et bonorum memoria dignus, nomine Renaldus, vir bonæ simplicitatis, timens Deum et retinens innocentiam suam ab infantia sua usque ad senectam. De hoc senior ille, quem supra diximus de religiosis personis Ordinis nostri, præcipue de senioribus tam monachis quam conversis suæ Clarævallis, plura litterarum monimentis tradidisse, quæ eadem fide qua ille ea expressit, nos inseruimus, ita scribit : « Vir Domini Renaldus, licet ante conversionem suam per triginta annos et in habitu sæculari degeret, non tamen sæculariter vixit, sed operibus pietatis insistens, in corpore suo glorificare et portare Deum sollicitus fuit. Nam inter cætera bona, quæ corde integro faciebat, etiam corporis integritatem Domino dedicavit, cujus opitulante gratia incentiva libidinum, et carnis spurcitias, ab utero matris suæ usque ad diem mortis, impolluto calle transivit. Suscepto autem monastico habitu in monasterio Sancti Amandi, viginti et eo amplius annos ibidem in sancta conversatione transegit : ubi et sanctitatis suæ non parvum specimen omnibus dedit. Inde majore virtutum ardore flammescens, ad domum Clarævallis Dei æmulatione se contulit, antea tamen præmonitus a Deo revelationibus multis. Quantos vero labores, quantasve molestias, a fratribus Ordinis illius, dum felicibus ejus actibus inviderent, et ab istiusmodi proposito eum avertere cuperent, beatus iste pertulerit, supersedeo dicere, dum legentium tædio volo consulere. Susceptus autem in Claravalle, illico ad novam militiam viriliter se accinxit, et ex milite veterano fortissimum se nobis tironem exhibuit ; in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, cæterisque sanctæ disciplinæ obsequiis, seipsum tota die mortificans. Habebat autem incessanter orandi studium, et in oratione mirabilem vim lacrymarum. Quadam igitur die cum in laborem triticeæ messis cum cæteris exisset, segregatus paululum a conventu, cum magna animi delectatione cœpit intueri metentes, secum reputans pariter et admirans quia videlicet tot sapientes, tot nobiles et delicati ibidem viri propter amorem Christi laboribus atque ærumnis seipsos exponerent, et ferventissimum solis ardorem cum tanta alacritate susciperent, ac si in horto deliciarum suavissimæ fragrantiæ poma decerperent, vel in mensa lautioribus epulis plena deliciosissime convivarent. Inde ergo protensis in cœlum oculis ac manibus, grates Domino referebat, quod eum tantæ multitudini, quamvis indignum et peccatorem, adjunxerat.

Dum hæc et similia animo volveret, et præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet, en subito apparuerunt ei quasi tres matronæ venerabiles, vultibus, roseis et candidis vestibus renitentes, quarum una, quæ præcedebat, veste fulgentior, forma venustior et statura procerior apparebat. Descendebant vero de monte propinquo ; et appropinquabant conventui fratrum, in ipsius latere montis fruges metentium. Quas cum ille vidisset, præ nimia admiratione turbatus et obstupefactus, erupit in vocem hujusmodi : « Domine Deus, inquit, quænam sunt istæ feminæ, tam formosæ, tam reverendæ, quæ, præter aliarum consuetudinem feminarum, conventui nostro appropiant ? » Et dum talia diceret, astitit ei quidam veneranda canitie, stola candida coopertus, qui dixit ad eum : « Major illa, quæ cæteras præcedit, ipsa est virgo mater Jesu Christi Maria ; aliæ, quæ sequuntur, sunt S. Elizabeth, et S. Maria Magdalena. » Ille vero cum audisset matrem Domini nominare, commota sunt omnia viscera

Digitized by Google

ejus super pietate nominis illius, quam vehementer amabat, iterumque percunctatus est dicens: « Et quo tendit, domine mi, quo tendit Domina nostra? » Cui ille respondit: « Ad visitandum messores suos venit. » His ita dictis, persona quæ loquebatur repente disparuit. Quo viso vir Dei plus magis intra se stupuit. Et reductis oculis ad sanctam Dei genitricem, et ad comites ejus, attonito visu intendebat in eas. Illæ autem moderatis gressibus incedentes, venerunt una post aliam usque ad conventum. Quæ cum introissent, separatæ ab invicem deambulare cœperunt, tanquam gratia visitationis, huc atque illuc, inter monachos et conversos. Et dum ita facerent, tandem ab oculis intuentis evanuerunt, seque in cœlos unde venerant receperunt. Porro vir Dei hærebat fixus; et de loco moveri non poterat, usquequo miraculum finiretur. Quantum vero de hujusmodi visitatione profecerit, quantumque in amorem Dei, et ipsius beatissimæ Dei genitricis excreverit, æmulanda conversatio ejus, et quotidiana virtutum incrementa monstrabant. Multas quidem et alias revelationes sæpe divinitus accipiebat: quas tamen ad devitandum cænodoxiæ vitium, reticere quam dicere maluit. Nam et hanc eamdem, quam per octennium fere silentio presserat, parvo tempore, id est quadraginta, si bene memini, diebus ante obitum suum invitus, et quodammodo coactus, mihi, licet indigno, tali occasione patefecit. Quadam siquidem die, cum de salute animarum ambo familiariter loqueremur, ego sciens eum virum justum et sanctum, et a Domino sæpius visitatum, in ea confidentia, qua illum diligebam, et me ab illo diligi sentiebam, ausus sum sciscitari et petere aliquid ab illo. Itaque propter amorem Christi, et propter miserationes ejus, cœpi illum medullitus obsecrare, ac vehementer insistere, ut ad honorem Dei unam aliquam ex suis consolationibus mihi manifestaret, illam scilicet de qua me magis ædificandum censeret. Tali igitur obsecratione compulsus, supradictam visionem mihi narravit. Sed quo tandem affectu? Testis est ipse Deus quanto timore et tremore, quanta lacrymarum inundatione, quantis gemitibus et suspiriis ea protulerit, ita ut gemitus et singultus a fundo cordis erumpentes, vocem loquentis sæpius interrumperent, tanquam si eadem hora ipsam cerneret visionem.

Evolutis autem postea diebus quatuordecim, apparuit ei per visum Domina angelorum, incidens ac præparans ei ornamenta candida et pretiosa, quibus in proximo vestiendus erat. Quæ cum præparasset, colligavit in unum, et recedens detulit ea secum. Quod cum vidisset, subsecutus est eam, et clamabat post tergum ejus dicens: « Eia, mi Domina mea desiderantissima, quando habiturus sum ista, quæ mihi præparare dignata es ornamenta? » Cui sanctissima Dei genitrix ait: « Quando venies ad me, tunc recipies ea. » O visio læta! o promissio certa: quæ utique tanto certior exstitit, quanto celerius exhibita fuit. Mane igitur facto, introivit ad me ille Dei servus, tanquam infirmum visitaturus. Ego enim tunc ægrotabam pene usque ad mortem; et erat languor fortissimus, ita ut de sospitate mea etiam medici desperarent, et ob hoc die præcedenti fui inunctus oleo infirmorum: quia credebant me concito moriturum. Ille vero cum venisset ad me, multo pietatis affectu compassus est mihi: et ut posset me aliquatenus consolari, retulit mihi istam, quam in eadem nocte viderat visionem, reputans scilicet atque denuntians, quia non propter ipsum, sed propter me facta fuisset ad eum. Erat enim humillimus corde, et nihil tale præsumens de sua sanctitate. Cui ego mox respondi: « Noli, quæso, pater amantissime, noli benedictionem tuam interpretatione sinistra a te alienare. Ornamenta, quæ tibi sunt cœlitus præparata, nunquam alterius erunt; sed miserante Deo salva tibi et integra permanebunt. Tu vero piissimam illam visitatricem tuam instanter efflagita, ut in beneplacito misericordiæ suæ alia quæcumque voluerit mihi præparare indumenta dignetur. Potens enim atque benigna est, dives in omnes, qui invocant illam. » Quid multa? Ego, qui morti proximus æstimabar, vellem nollem, revocatus sum ad tolerandas vitæ hujus ærumnas; ipse vero, qui sanus videbatur atque incolumis, non amplius quam viginti quinque diebus postea supervixit. Qui tandem, cursu vitæ feliciter exacto, corruptibilis carnis indumenta deposuit, et stolam immortalitatis per beatissimam Dei matrem, cui devote servierat, juxta fidem promissionis illius, absque dubitatione recepit. Non est autem silentio prætereundum quod iste vir, ante diem sextam suæ dormitionis, dum in ecclesia solus post Completorium orationi instaret, repente pulsata est in auribus ejus tabula defunctorum duobus ictibus tantum. Quo ille audito, statim exsiliit, et petiit infirmitorium, putans ibi aliquem de fratribus infirmis esse moriturum. Sed dum certius cognovisset nullum ibi tunc in extremis positum, venit ei in mentem quod ipse esset propter quem signum hoc factus fuisset, et quod in sonitu tabulæ sua sibi migratio significaretur. In hac igitur memoria mortis subito totus infremuit, invasitque eum tremor atque horripilatio carnis, et cœpit illico febricitare, et ingravescente morbo, tandem ad extrema pervenit. Porro beatæ Virginis matris salutationem, quam antea semper frequentare solebat, quandiu lecto decubuit, pene incessanter corde et ore volvebat, atque cum verbis ejusdem dulcissimi oraculi felicem animam exhalavit. Contigit autem conversum quemdam religiosæ conversationis et boni testimonii virum, ipsa die migrare ad Dominum, ita ut amborum exsequiæ simul celebrarentur, et in eodem mausoleo ambo pariter tumularentur. Et dum ista fierent, viro cuidam spirituali demonstratum est in visione quod duo pulcherrima templa fabricarentur in Claravalle, unum in infirmitorio monachorum, alterum in infirmitorio conversorum; sed primum illud hoc altero longe nobilius erat, atque honestius, vel venustius. Constat igitur quia in gemina constructione templorum, et in gemino ictu tabulæ mortuorum, designata sit evidenter pretiosa in conspectu Domini mors amborum. Templorum autem differentia meritorum distantiam indicat quia, quamvis utrumque sanctum, tamen alterum altero sanctiorem existere, credimus apud Deum, de cujus misericordiæ thesauris tantum quilibet eorum accepit, quantum mater gratia impertiri dignata est.

CAPUT XII.

De monacho qui tabulam in signum mortis suæ audivit.

Eodem mense, quo prædictus Dei servus migravit ad Dominum, contigit ibidem tale aliquod factum. Erat in eodem monasterio sacrista, nomine Gerardus, vir bonis moribus pollens et bene religiosus. Hic, juxta prophetæ consilium (*Thren.* III), jugum Domini portavit ab adolescentia, et levavit se super se, quoniam, cum adhuc tenellus esset et fragilis, manum suam ad fortia misit. Lactatus itaque mammilla regum, et casta disciplina feliciter educatus, crevit atque profecit semper in melius, et magno Dei munere carnis corruptionem, sicut familiares ejus testantur, nunquam fuit expertus. Appropinquante autem hora, qua de mundo ad Deum transire debebat, die quadam cum in ecclesia post Completorium more solito remaneret, factus est repente sonus in auribus ejus, ac si tabula morientium crebris ictibus percuteretur. Quod cum ille audiret, putavit quempiam fratrum in infirmitorio tunc obire. Post paululum vero, ubi certissime comperit quia sonitum illum nullus hominum fecerit, subiit animum tabula illa prognostica, quam vir Dei Renaldus ad indicium suæ dormitionis audierat. Jam enim exierat sermo iste inter fratres, et stupidos at-

Digitized by Google

tonitosque reddiderat universos; et dum ista recogitaret, ascendit in cor ejus quod ipse per signum illud mortis debitum solveretur. In hac autem memoria mortis subito pili carnis ejus inhorruerunt, et timor et tremor venerunt super eum. Protinus ergo invasit eum peremptoria febris, et infra decimum diem consumptus, feliciter emigravit. De cujus pia devotione illud silere non possumus, quod quasi divinitus factum ab eo, vel potius in eo miraculum vidimus et gratulati sumus. Nam cum ultimum spiritum traheret, et jam vires loquendi non haberet, tribus aut quatuor fere horis manus junctas atque protensas tenuit immobiles contra crucem, ac si aliquo fune colligatæ essent; et cum cætera corporis membra huc atque illuc, urgente dolore, crebrius jactitaret, manus tamen, quas, ut diximus, tendebat ad crucem, nunquam ab invicem separavit, nunquam amplius ad se retraxit, et quid vivens sæpius actitasset, etiam mortuus indicavit.

CAPUT XIII.

De servo Dei Petro, qui Dominum Jesum tempore sacrificii in altari videre solitus erat.

Inter cæteros, qui in beata illa domo Clarævallis, exemplis, exhortationibus et orationibus sanctissimi Patris nostri Bernardi, in robur spirituale evaserant, et virtutum arcem conscendere didicerant, senex quidam erat, nomine Petrus, cognomento Tolosanus, vir multæ puritatis magnæque devotionis. Huic unum semper a puero studium atque desiderium fuit, seipsum crucifigere mundo et mundum sibi. In juvenili autem ætate, antequam Cisterciensi Ordini se submitteret, habitavit in solitudine, jejuniis et laboribus multis veterem hominem in se mortificans, et sacrificium spiritus contribulati quotidie Domino in ara cordis immolans. Denique herbis agrestibus et pane lexiva confecto jugiter utens, multo ibi tempore Christo militavit, et innumera bella tentationum a spiritibus malignis, protegente se Deo, fortiter superavit. Postea autem, comperta celebri fama de sanctitate beati Bernardi abbatis, atque ipsius monasterii Clarævallis, cum magno spiritualis desiderii fervore ad eumdem locum se contulit, quatenus in tanta congregatione justorum, velut in tabernaculo Domini, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia tutior viveret, sub disciplina prædicti Patris, quod sibi deerat perfectionis, consecuturus, ubi etiam per multos annos Christo Domino feliciter serviens, usque ad exitum vitæ suæ perseveravit. Huic autem, cum adhuc vivens esset, Dominus per visionem apparere dignatus est, residens in throno sublimi et sanctorum millia cum eo. Videbatur autem ei quod ad judicium coram Domino duceretur. Cumque tremendæ majestati præsentatus fuisset, pavidus ac tremebundus procidit ad pedes sedentis in throno, flagitans, ut sui misereretur. Dixit autem illi Dominus : « Quid tibi vis faciam? » At ille : « Domine, ut salvus fiam. » Et Dominus ad eum : « Vade, convertere cito ad servitium meum, et in eo jugiter persevera; nec deerit tibi salus quam postulas. » Hanc ergo promissionem firmissimum pignus æternæ salutis habens servus Dei Petrus, mundum perfecte deseruit, et se totum divinis obsequiis mancipavit

Accinxit itaque fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum ad expugnandas nequitias spirituales, quæ illum postea multis diebus et annis acriter impugnarunt. Super omnia vero spiritum fornicationis infestum tolerabat : qui eum tam dormiendo quam vigilando, magnis tentationum aculeis continue stimulabat. Propter quod sibimetipsi vehementer indignans, in labore et ærumna, in vigiliis et jejuniis multis, aliisque pœnitentiæ cruciatibus carnem suam incredibiliter affligebat, ita ut mente turbatus, abscindere sibi virilia plerumque proponeret, cum aliunde tentationis remedium invenire non posset. Sed neque hoc silendum quod hostis ille antiquus multoties ab eo in diversis formis videbatur. Una siquidem vice apparuit ei sub humana effigie in choro Clarævallensi, oculis ardentibus et vultu terribili. Erat autem statura enormis atque deformis valde. Qui etiam indutus erat cuculla nigerrima, cujus manicæ decurtatæ erant, et vix usque ad cubitos pertingebant; reliqua vero brachiorum pars discooperta erat. Venit ergo et stetit ante hominem Dei, ille malignus apostata, superbo oculo respiciens illum, et quasi indignans quod suggestionibus ejus tam pertinaciter reluctaretur. Porro vir Dei stupidus animo, tanquam vinctus tenebatur, ut se movere non posset. Tandem visitante se Deo, signo Dominicæ crucis se munivit, cujus virtute perniciosum monstrum evanescens nihil eum nocuit, nisi quod tentationis auxit incendium. Evolutis autem postea diebus paucis, apparuit ei in eodem loco, figuram belluæ monstruosæ prætendens; quæ partim leoni sævo, partim aquilæ rapaci similis esse videbatur. Stabat vero contra fortissimum athletam pervicax monstrum, acriter imminens illi, rabidoque hiatu efferebatur in eum, quasi vivum devoratura. Sed divina virtute reprimebatur, ut eum tangere non valeret. Tunc demum ad invocationem nominis Christi phantastica bellua repente disparuit. Qua recedente illico vir Dei tantum supradictæ passionis incendium pertulit, ut evidenter agnosceret ibi præsentem fuisse illum de Isaia fabrum, qui sufflat in igne prunas (*Isa.* LIV). Unde quia vidit violentiam tentationis patientiæ suæ modum excedere, definito consilio statuit seipsum abscindere, malens in hac parte apud Deum periclitari quam in barathrum luxuriæ labi. Jamque nihil aliud exspectabat, nisi ut novaculam, vel aliud quodlibet ad hoc idoneum ferramentum reperire posset. Verum misericors et miserator Dominus, ille adjutor in opportunitatibus, in tribulatione (*Psal.* IX), ille qui solus laborem et dolorem considerat, famulum suum noluit in tanto agone deserere; sed fecit cum tentatione proventum, ut sustinere posset (*I Cor.* X).

Itaque dormienti apparuit angelus Domini in forma juvenis, dicens se medicum esse peritum, et ejus rei gratia advenisse, ut eum secaret, et ab illa passione sanaret. Quod ille gratanter accepit et voluntati ejus in continenti seipsum exposuit. A quo dum incideretur, tolerabat in omni patientia secantis manum et doloris acerbitatem. Cumque evigilasset, amputationem illam in se veraciter et materialiter factam esse putavit. Ubi vero cognovit membra quidem corporis integra sibi manere, tentationem autem radicitus in se abscissam, ita ut nihil omnino molestiæ postmodum ex ea sentiret, divinæ gratiæ, sicut dignum erat, gratias referens, curavit tanto alacrius currere viam mandatorum Dei, quanto bonitatem ipsius in suis tentationibus largius experiri meruerat (22). Ab hoc itaque tempore, exstinctis in eo passionum carnalium incentivis, cœpit illum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ visitare, et implere splendoribus animam ejus (*Isa.* LVIII), ita ut ex sententia dicere posset : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Ex tunc ergo, et deinceps, increpante Domino feras arundinis (*Psal.* LXVII), quieverunt ab eo penitus stimuli carnis, et requievit super eum Spiritus universæ consolationis. Magnificavit enim Dominus misericordiam suam facere cum illo (*Psal.* CXXV), thesaurizans super eum jucunditatem et exsultationem, atque in bonis omnibus satians desiderium ejus. Quem enim diu potaverat vino salubris amaritudinis, postmodum inebriare dignatus est nectare suavissimæ contemplationis. Inter cætera

(22) Hanc etiam eunuchizationem Cælarius referens, in circumstantiis fallitur, ut ad Distinct. ejus 4 videre est, in tom. II *Biblioth. Cisterc.*

Digitized by Google

vero Dei dona, specialem acceperat devotionis gratiam in oratione, præcipue vero in Dominici corporis et sanguinis consecratione. Unde fratres, qui ei ad missam ministrabant, satis superque mirabantur in eo redundantiam lacrymarum, qua totus ibidem affluere solebat. Revelabat ei Dominus de secretis cœlestibus magna et multa, atque innumeris consolationibus eum, seu dormiendo, seu vigilando, seu etiam mente excedendo, creberrime visitabat : Quæ si omnia litteris mandarentur, magni voluminis comprehenderent quantitatem. Unde quia mihi longum est atque onerosum etiam illa quæ de eodem beato viro comperta sunt mihi, universa stylo exprimere, unum ex eis saltem, quod stimulante conscientia penitus reticere non audeo, sicut ab ipsius ore audivi, specialiter refero. Quod quidem tale ac tantum est, ut ex uno hoc a fidelibus auditoribus cætera credi vel æstimari facile queant. Vereor siquidem et multum vereor Deum meum offendere, si rem gloriosam, atque mirabilem, quæ vel mihi soli, vel forte rarissimis credita est ab eodem Dei famulo, quorum tamen nullum hodie superesse existimo, silentio meo perire permittam, in qua Deum glorificari, et multorum fidem atque devotionem ædificari posse, confidimus.

Igitur, dum sacris altaribus offerens vivifica sacramenta vir beatus adstaret, in ipsa perceptionis hora tenenti in manibus super calicem sacrosanctum Domini corpus, apparebat in specie parvuli speciosi parvulus ille speciosus forma præ filiis hominum, verus Deus et verus homo, Dominus noster Jesus Christus : ille mitis et humilis corde, qui seipsum sapientibus et elatis abscondere, et parvulis revelare consuevit. Quod cum ille cerneret, tremefactus præ fulgore atque reverentia majestatis illius claudebat oculos suos : non enim audebat respicere contra Dominum. Qui etiam tunc clausis oculis videbat eum, sicut apertis. Cumque declinaret vultum suum in alteram partem, et aliquandiu maneret palpebris obductis, facieque sic aversa, videbat eum nihilominus sicut ante se positum, aliquando super manum, aliquando super brachium suum : miro videlicet atque ineffabili modo, tanquam si alios oculos haberet in occipitio, vel in tempore defixos, quibus eum intueretur. Hac autem tam dulci tamque mirabili revelatione, non semel aut bis, sed frequenter ille vir lætificatus est a Deo, ut per quatuor aut quinque menses singulis fere diebus illi appareret. Quæ si aliquanto diutius interdum tardare videretur, tanta inerat illi cum Deo familiaritas, tanta de ejus pietate fiducia, ut ipsius sacrificii consummatione protelaret, nec facile illud vellet explere, donec redditta sibi lætitia salutaris Dei, consuetam benedictionem mereretur accipere. Hæc ego, sicut jam dictum est, fideliter ac simpliciter narrare curavi, quemadmodum ipso, cui tanta gratia collata est, referente cognovi. Nam cum ei familiari affectu propter sanctitatem ipsius adhærere satagerem, multumque de ejus solamine atque allocutione penderem, hanc ab eo visionem, sicut et alia multa, precibus magnis, et quadam violentia charitatis extorsi, ea tamen conditione, ut nulli ante obitum ejus præsumerem indicare, quod et facile potui observare. Parvo namque posten tempore superstes, felici tandem consummatus agone, collectus est ad patres suos, cum quibus nunc, propitio Deo, in Claravalle quiescit, ubi religiose conversatus, supremum quoque claudere diem ardenti devotione semper optavit.

CAPUT XIV.

De venerabili Guillelmo monacho, quem angelus Domini pro culpa sua corripuit, et pœnitentiam ei injunxit.

Erat eodem tempore in Claravalle monachus quidam venerabilis, nomine Guillelmus, ætate pariter et religione provectus. Hic annis ferme quinqua- A ginta in habitu monachali Domino serviens, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis assidue crucifigebat, longumque diutino cruciatu martyrium trahebat. Qui priusquam Cisterciensium Ordini se contulisset, multo tempore vixit in monasterio Sancti Albini Andegavensis, ubi religiose conversando, formam bonorum operum se ipsum exhibuit, et magnæ sanctitatis spem ejusdem loci fratribus demonstravit. Unde etiam tam ab abbate quam ab universitate congregationis in magna reverentia habebatur et diligebatur ab omnibus. Erat autem in possessione monasterii quidam locus, qui magis solitarius magisque quieti religionis videbatur accommodus. Ad hunc igitur cum paucis fratribus, annuente abbate, se contulit, ubi in cellula angusta reclusus annis plurimis habitavit, ut et arctiori continentia se ipsum affligeret, et de austeriori conversatione sua infirmioribus fratribus molestiam non inferret. Itaque jejuniis et orationibus dies noctesque congeminans, non modo carnis edulium et lautiores epulas, quibus interdum fratres illi ex pristina monasterii consuetudine utebantur, funditus recusabat, verum etiam cibo quadragesimali, et ipsius aquæ potu sæpius abstinens, parcissimo victu corpus debile sustentabat. Hanc autem continentiæ virtutem non sine difficultate magna obtinuit, sed post longum inediæ cruciatum, post inenarrabiles gemitus et singultus, cooperante gratia Dei, tandem genuinas ventris et gulæ illecebras cum cæteris vitiis a propriis sedibus exturbavit. Quadam itaque die cum venisset ad eum salutandum unus de senioribus monasterii, præcepit ei carnium refectionem apponi, eo quod debilis et longo itinere fatigatus esse videretur. Senex vero ille respondit se nullo modo carnium cibum gustare, nisi ipse qui ministrare jusserat causa charitatis, secum inde reficeret. Cujus familiari amore et persuasione quodam modo coactus, atque ipsius, ut postea fatebatur, obsonii quantulacunque aviditate illectus, ut comederet acquievit, finitoque prandio senex amico et hospiti suo valefaciens, ad monasterium rediit. Post cujus discessum confestim frater ille ad se reversus, cœpit a fundo cordis alta suspiria trahere, et ingemiscere graviter, quod tanti temporis propositum tam frivola occasione fregisset.

Vix talia cœperat cogitare, et ecce repente quidam ad fenestram cellulæ pulsabat. Cui cum aperuisset, tremefactus in conspectu illius obstupuit. Erat enim persona reverendissimi vultus et habitus, ac supra hominum modum mirabilis, cui similem in omni elegantia ipse non viderat. Vestimenta ejus candida et pretiosa ; capilli capitis ejus sicut lana alba, et sicut nix. Facies ejus singulari refulgens venustate angelum potius quam hominem indicabat. Verba oris ejus plena suavitate et gratia erant : et supercœlestem sapientiam mirabiliter redolebant. Denique quidquid apparebat in illo, supra hominem esse videbatur. Nudis tamen pedibus incedens, dicebat se peregrinum esse, et de remotis partibus gratia visitandi venisse ad illum. Qui blanda salutatione præmissa, cœpit eum super iis quæ mente volvebat familiari et amica increpatione, tanquam cogitationum illius cognitor atque inspector esset, convenire et dicere : « Merito quidem ingemiscis, merito plangis super excessu tuo, quo nunc diuturnum laudabilis parcimoniæ propositum deliciosa charitate rupisti. Non bona est charitas, quæ destruit charitatem. Improbanda est pietas illa, quæ animas lædit, ut corpora foveat. Et nunc audi exemplum, quod tibi propono. Erat in partibus Hispaniæ sanctimonialis femina reclusa : quæ pane et aqua, vel semicrudis interdum oleribus utens, conversatione sobria et casta petulantiam carnis viriliter edomabat. Huic aliquando instinctu diaboli desiderium hoc malum incidit, ut carnem comedere vellet. Quæ diu multumque tentationi reluctans, cum jam violentissimas inimici suggestiones susti-

Digitized by Google

nere non posset, manibus illicito desiderio datis, ad consensum trahebatur. Jussit itaque sibi carnis edulium præparari. Quo super mensam posito, priusquam gustare præsumeret, prostrata in oratione voce lacrymabili Dominum supplicabat, ut ei non permitteret præparatum tangere cibum, si hunc saluti animæ suæ periculosum fore præsciret. Surgens vero ab oratione, ad mensam ingreditur, et data benedictione operculum submovet, quo carnis ferculum velabatur. Et ecce pro carnibus quæ appositæ fuerant, tres pulli corvorum in disco vagientes et sine plumis apparuerunt. Quo viso sanctimonialis illa vehementer expavit; et accita sorore, quæ illi ministrabat, rei veritatem inquirit. Illa vero sub obtestatione tremendi judicii Dei respondit se in eodem mensali non implumes aviculas, sed tria frusta carnis cocta apposuisse. Erat autem cellula ipsius super ripam violenti cujusdam et magni fluminis sita, quod de saxeis montibus erumpens, et confragoso itinere ruens, præcipiti cursu labitur ad inferiora.

« Igitur ancilla Dei exsultans et gratias agens, quod exaudita esset ejus oratio, jamque multo vehementius abhorrens esum carnium, quam prius desideraverat, præcepit nigredinis et malæ suggestionis pullos cum catino in quo continebantur, in præfatum fluvium jactari. Qui projecti in amnem, nullatenus potuere segregari ab invicem, sed fluitante vasculo super undas, tandem devoluti sunt in quemdam sinum, eidem cellulæ proximum : ubi ingentis saxi concavitas copiosam aquarum congeriem stagnat. Ibi ergo jam per multa temporum curricula assidue rotantur, et usque hodie, in testimonium miraculi hujus, in ipso vasculo super aquas fluitare videntur (23). » Hæc et his similia viro perorante, frater idem compunctus est valde de gratissima illius sermocinatione. Et cadens in faciem, fusis lacrymis reatus sui veniam postulabat. Acceptaque pœnitentia, non modo absolutionem peccatorum, verum etiam consolationem plurimam ab eo suscipere meruit. Cumque jam fiducialiter illi loqueretur, percunctari cœpit ab illo quisnam esset. Cui ille respondit : « Non est tuum scire modo quis sim ego, neque agnoscere unde veniam, aut quo vadam. » Tunc ille : « Obsecro, inquit, domine mi, ut hodie saltem ingrediaris ad nos, et ministremus tibi. » Respondens alter : « Ego, ait, non vestro pane, non veste, non lare indigeo : sed abundo omnibus bonis, et habeo cibum manducare, quem vos nescitis (*Joan.* IV). Tantummodo sollicitus sum de vestra salute; et vos nihilominus inde solliciti estote. » His dictis cum festinatione recessit : et ita repente ab oculis intuentis subtractus est, ut magis visus sit evanuisse, quam abiisse. Ille vero quantocius accitis fratribus qui ei ministrabant, jubet eos instantius persequi recedentem, et ad hospitium precibus multis cogere. Qui celerrime abeuntes, cum hac illacque discurrerent, nullum prorsus vestigium ipsius reperire potuerunt. Unde vir Dei certissime credidit angelum Domini adfuisse, qui cordis ejus arcana cognoscere, et ipsum pro excessu suo mœrentem tam dulci consolatione valuit refovere. De cujus etiam beata præsentia tantum devotionis et gratiæ mente concepit, ut post annos ferme viginti, cum mihi ista referret, præ nimio pietatis affectu, etiam tunc a lacrymis abstinere non posset.

Processu itaque temporis, cum B. Bernardi abbatis celebre nomen, ejusque virtutum fama, necnon et cœnobii ipsius clarissima religio ubique jam vulgata ad prædicti viri notitiam pervenisset, non potuit requiescere spiritus ejus, donec felicissimo ejus magisterio gubernandum se subderet, ut de ferventiore ferventissimum, et de sanctiore sanctissimum redderet. Susceptus vero a beato Bernardo abbate, et desiderato Clarævallensi collegio sociatus, tanta in eo virtutum gratia radiavit, ut in omni sanctitate mirabilis appareret, etiam quibusque perfectis. Huic ergo multas et magnas consolationes per Spiritum suum pius Pater mittebat, multaque illi, quod pro certo comperimus de secretis cœlestibus revelabat. Ipse tamen, quia xenodoxiæ pestem incurrere metuebat, de multis paucissima, ipsaque paucissimis referebat. Factum est autem in una dierum, cum Prima cantaretur in choro, et ipse conjunctus psallentibus stabat in ordine suo, vitulos labiorum suorum in voce exsultationis Domino reddens. Et ecce apparuit ei vigilanti atque psallenti S. Malachias Hiberniensis quondam episcopus, qui in eadem basilica jacet honorifice, tumulatus. Residebat vero in cathedra juxta altare, annulo, baculo, mitra cæterisque pontificalibus ornamentis mirifice decoratus, tanquam missarum solemnia post finem illius horæ celebraturus. Erat autem tunc anniversaria dies depositionis ejusdem beatissimi præsulis, quæ etiam omnium fidelium defunctorum memoria est solemnis. Apparuit quoque cum eo B. Bernardus, ejusdem Ecclesiæ felicissimus pastor atque patronus : qui et ipse erat vestibus pretiosis et candidis micans, atque mitratus, minime tamen infulatus. Et merito quidem. Erat enim paterfamilias in propria domo, deferens atque congratulans venerando ac speciali hospiti suo, dignoque honore præveniens amantissimum, cedebat ei libentissime solemnia missarum, ea potissimum die, qua sanctus ille pontifex curiam supernam ingressus, et cœlestibus hymnis primo fuerat honoratus. Unde etiam ipse beatus pater officiosum ac sedulum sese circa eumdem sanctum episcopum, et circa ipsius altaris ministerium, exhibuit. Porro beatus antistes baculo pastorali innixus, defixa lumina versus chorum assidue tenebat. Sanctus vero Bernardus modo episcopum, modo conventum, modo ipsum altare, tanquam sollicitus omnium respiciebat. Hæc visio tam manifesta eidem famulo Dei vigilanti, et corporeis oculis intuenti, visibiliter apparuit, quandiu psalmus unus in eadem hora a conventu percantaretur.

Finito itaque psalmo, finita est visio, sed in corde videntis deinceps finiri non potuit visionis illius pia devotio. Altera quoque die apparuit ei nihilominus idem beatus Bernardus, vultu et habitu gloriosus. Quem cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, orans et petens aliquid ab eo. Cui Sanctus ait : « Quid tibi vis faciam? » Et ille : « Domine mi Pater, si inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi utrum salvus fieri debeam? » Et sanctus ad eum : « Nunquid parva res est ista, quam postulas? Hodie cum egrederer de paradiso, quam multa millia hominum foris ad januam reliqui, qui utique istiusmodi timore torquentur, ignorantes utique utrum amore an odio digni habeantur (24). » His itaque præmissis, dedit ei responsum super verbo quod imploraverat. Sed quid ei definite responderit incertum est nobis, quia vanæ gloriæ pestem vitans, hoc nobis indicare noluit. Erat enim vir ille circumspectus et gravis in locutione, multumque cavebat ne quid diceret quod suam ipsius gloriam redoleret. Verumtamen ex fiducia sermonis, et vultus illius hilaritate, satis dabatur intelligi, quia jucundum a sancto Patre super tali verbo responsum acceperit. Iste est Guillelmus, quem supra memoravimus (25), spiritum fornicationis in specie phantasticæ meretricis vidisse infirmitorium curiose circumeuntem, et ex iis quæ ab ea audierat, et viderat, D. Roberto abbati Clarævallis apostasiam duorum adolescentium prædixisse : quod etiam ve-

(23) Miraculum illud continuum rotationis pullorum corvinorum, cum a nullo notatum sit, dubium est.

(24) Non videtur S. Bernardi loqui de defunctis, quasi incerti sint, sed de vivis, qui bonis operibus ad januam cœli accessisse dicuntur, adhuc tamen de sua salute incertis.

(25) Supra dist. 2, cap. 22.

Digitized by Google

rum fuisse, fœda eorum fuga in continenti subsecuta demonstravit. Sunt autem et alia plura, nobis de prædicto viro Dei comperta, quæ legentium devotionem excitare possent, sed ea silentio premimus, dum et fastidiosis lectoribus consulimus, et nos ad alia narranda festinamus. Hic ergo beatus et sanctus, sicut fideliter vixit, ita et feliciter obiit, plenusque dierum et virtutum migravit ad Dominum Desideratam et votis omnibus expetitam sibi sepulturam in sanctissimo Clarævallensium collegio, Domino largiente, sortitus.

CAPUT XV.

De domno Gerardo de Furfa, magnæ sanctitatis monacho.

Dilectus a Deo et hominibus Gerardus de Furfa, cujus memoria in benedictione est, quemque pro sua singulari puritate et sanctimonia, beatus Bernardus singulari gratia præ cæteris honorabat : mirabilem atque amabilem nimis se universitati congregationis in omni forma religionis exhibebat. Qui dum adhuc esset monachus in Farfa, quæ est Tusciæ nobilis abbatia, revelante Domino vidit in spiritu se transpositum in Claravalle, idque gerentem officii, ut cum duobus bacinis singulas officinas circuiens, fratrum manibus abluendis aquam infunderet. In quo nimirum designatum fuisse rei exitus docuit, quia ipse futurus esset qui fratrum Clarævallensium excessus quotidiana, imo fere continua oculorum inundatione, ac si duobus infusoriis, abluëret. Cum itaque dulci hac revelatione præsagium futurorum accepisset, exarsit continuo in præcordiis ejus vehemens ignis sacri desiderii, nec omnino quiescere poterat spiritus ejus, donec pauperum Christi, quorum se servitio deputatum fuisse divinitus cognoverat, consortio jungeretur. Cumque cæteris floreret virtutibus, sacræ tamen compunctionis pietas speciali prærogativa pectus ejus repleverat, ita ut columbinæ pupillæ oculorum ejus raro quiescerent : sed tanquam gemini fontes fere ubique, præsertim in celebratione divini mysterii, maximo lacrymarum imbre faciem ejus madidarent. Habebat autem gratiam singularem, tam apud Deum quam apud homines, quam universi mirabantur et intuebantur vultum ejus, tanquam vultum angeli stantis inter illos atque dicebant : Hic est fratrum amator et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo et universa societate nostra (*II Mach.* xv). Huic autem Dominus multas, quod dubium non est, consolationes in abscondito faciebat, ipse tamen ut verecundus et humilis, virtutes suas latere malebat, et nullus ei super hujusmodi percunctatione, propter sanctitatis illius reverentiam, molestus fieri audebat. Novitius autem quidam, nomine Julianus, honestæ vitæ sacerdos, qui de Ordine regularium clericorum Clarævalli se contulerat, vidit aliquando spiritum immundum in choro petulanter ad instar hædi pervagantem. Qui cum venisset ante ipsum, aliquandiu substitit, et cœpit eum rictu patulo subsannare, obscenum caput contra illum exagitando, et dentes ad invicem minutissime concutiendo. Cumque recessisset ab eo, venit et stetit ante hominem Dei Gerardum, et cœpit eum similiter petulcum animal pudendis gestibus irridere. A quo magis irrisum atque exsufflatum, illico tanquam fumus evanuit, et ultra eum novitius non vidit. Qui mox accepta colloquendi licentia, percunctatus est eum utrum in choro aliquid in tali illa hora conspexisset. Perpendens autem senior eum secreti illius conscium fuisse, confessus est ei phantasticum hædum se vidisse, qui lubricis motibus et se et illum pariter subsannasset. Quod audiens novitius ille, miratus est valde; ac per hoc intellexit quod multa hujusmodi cerneret, licet secretum suum Deo et sibi, teste conscientia, celaret. Huic autem viro Dei, quamvis corpore nimium esset debilis, utpotè qui jam fere erat nonagenarius, nulla tamen senectus vel debilitas bonæ consuetudinis usum præpedire poterat, sed quotidie infatigabilis animi fervore juvenescere videbatur, ita ut vix ægritudine gravi compellente, posset in infirmitorio detineri, vix posset etiam a labore messium retineri. Qui aliquando gravissima valetudine pressus, cum in quadam secretiori domuncula lecto decumberet, contigit quadam nocte exstingui lampadem ibi ardentem. Quo viso frater quidam, qui ei tunc temporis ministrabat, surrexit, et abiit reaccendere illam. Cumque reperisset clausas undique officinas, sine igne reversus est tristis, et firmato ostio cellulæ iterum recubans obdormivit. Profunda vero nocte cum sanctus ille vir ad necessaria surgere vellet, assurrexit frater, dolens quod luminare ei deesset. Respiciens autem ad fornaculam præsentem, in qua per octo dies antea focus non fuerat, vidit ibi prunarum ardentium non parvam congeriem. Accensaque ex eis lampade, cum statim ad eamdem fornaculam oculos reduceret, non modo prunas illas non reperit, sed ne ullum quidem in ea caloris vestigium deprehendere potuit. Cum autem ultima ægritudine qua et mortuus est decumberet, jam in extremis posito beatus Bernardus angelico vultu et vestibus albis decoratus apparuit, in ea tamen consistentia et habitudine corporis quam ante obitum habuit. Quem cum ille conspiceret ad se ingredientem, et veteranos ac venerandos artus baculo sustentantem, manu et voce qua poterat, suis sermonibus innuit, ut sancto venienti assurgerent, et locum sedenti citius præpararent. Illis vero mirantibus, atque quærentibus de quonam sancto senex loqueretur, premente se ægritudine respondere non poterat. Postmodum autem, recepta virtute loquendi, cum idipsum denuo sciscitarentur, confessus est vidisse se sanctum Bernardum blando ipsum alloquio consolantem, qui cum benedixisset eum, signo crucis edito, totam etiam domum benedixit, subjungens hæc eadem verba, et dicens : « Hæc est domus mea, quam ædificavi : Dominus custodiat eam in æternum et in sæculum sæculi. » Benedictione itaque sanctissimi Patris sui vir Domini Gerardus firmatus, lætus mortis debitum solvit ; æternæ vitæ fonte, quem tanto desiderio sitierat, satiandus. Aliquanto vero postea tempore elapso, apparuit in visione cuidam converso religioso, nomine Laurentio, lætus atque præclarus pretiosis etiam vestibus decenter ornatus, indicans ei quia per Dei gratiam gaudium sempiternum obtineret et gloriam. Fratri autem impensius supplicanti, ut ejus benedictionem atque suffragia mereretur, benedixit, atque ita respondit : « Ego orare non cesso, non solum pro te, verum etiam pro ipsius universitate Ecclesiæ. De hoc tamen conqueror aliquantulum quod fratres infirmarii, adhuc viventem et spirantem me, præ nimia festinatione collegerunt, atque tanquam penitus exanimem, de loco in extremis agentium asportaverunt. » Transactis vero post obitum ejus aliquantis annis, consummatis jam novo claustro et nova ecclesia, quæ licentia et benedictione beati Bernardi initiata fuerant, sacra ossa ipsius de loco quo primitus tumulata fuerant sublata, in theca, qua supra diximus venerabiles Patres, Robertum abbatem, Humbertum priorem, Odonem subpriorem reconditos fuisse, condigno honore ob reverentiam sanctitatis ejus collocata sunt.

CAPUT XVI.

De mirabili gratia cuidam monacho perfectæ religionis specialiter a Deo collata.

Egregius quidam adolescentulus de partibus Germaniæ oriundus, comitante magistro suo, studiorum causa Parisius adibat. Qui cum transitum haberet per domum Clarævallis, magister ille videns loci conventum et ordinem, nescio quo Dei judicio compunctus, ad horam petiit et obtinuit ut susci-

Digitized by Google

peretur ad conversionem. Cumque rogaret adolescentulum, ut secum remaneret, penitus non acquievit. Multum siquidem abhorrebat a consortio simul et colloquio Cisterciensium monachorum, sæpiusque rogabat Deum, nunquam sibi dari voluntatem ad Ordinem illum causa conversionis veniendi. Proinde roganti magistro, fratribus quoque monasterii adhortantibus cum dura cervice resistens, nullis prædicationum machinis poterat expugnari. Cæterum, quam mirabilis sit Deus in consiliis super filios hominum, quamque irrefragabile stet sempiternæ prædestinationis ejus arcanum, quis digne admirari sufficiat, qualiter scilicet electorum suorum mentes misericorditer immutat, ridens eorum vana conamina, insuper voluntates sibi adversas ad pietatis lineam dirigens, quatenus in ipsis, et de ipsis, loco, modo et tempore, quo ab æterno decrevit, propositum voluntatis ejus impleatur? Eadem itaque nocte, dum prædictus adolescens monita fratrum mente revolveret, facta est vox divinitus ad eum, dicens: « Si hinc recesseris, et Parisius veneris, usque ad Pentecosten morieris, et sine dubio morieris. » Ad hanc itaque vocem juvenculus ille multum obstupuit, necdum tamen potuit duritia cordis ejus emolliri. Porro sequenti nocte cum sopori membra dedisset, videbatur sibi demersus esse in limo putei profundi. Cumque ibi desperatus jaceret, subito apparuit ei desuper ad os putei beatus Joannes evangelista, in vultu et habitu sancti Bernardi tunc adhuc in corpore viventis, cum alio quodam sancto, qui et ipse simillimus esse videbatur cuidam religioso monacho, nomine Gerardo, portario Clarævallis. Quos cum ille tremulus et anxius vidisset, rogabat attentius, ut sui misererentur. Cui beatus Joannes respondit: « Tu sano consilio acquiescere contemnis, et opem flagitas a nobis? » Cumque ille promitteret se esse facturum quidquid illi placeret, tantum ut imminens periculum evadere mereretur. « Vis ergo, inquit, fieri monachus in monasterio Clarævallis? » Et ille: « Etiam, domine mi, libentissime volo. » Quod cum firmiter pollicitus fuisset, eductum continuo de profundo laci liberum abire dimiserunt.

Mane igitur facto postulavit se quantocius præsentari beato Bernardo. Quem cum antea non vidisset, mox illum in vultu et habitu deprehendit ipsum pro certo esse quem transacta nocte sub conditione convertendi se liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer atque compunctus, protinus eidem sancto viro se reddidit; a quo benigne susceptus, mox in ætate teneriori gravitatis et sapientiæ canos cunctis mirantibus induit. Porro prædictus magister ejus a proposito bono citius corruens, et eumdem secum evertere satagens, fundatum in Christi amore tirunculum movere non potuit.

Hic ergo delicatus atque tenerrimus adolescens, cum esset annorum quatuordecim, manum suam ad fortia mittens, lætantibus angelis et hominibus, jugum Christi suave portandum aggreditur, et quasi agnus ad aratrum susceptus Ordinis applicatur. Miserante vero Domino ab ipsis rudimentis conversionis suæ juvenci fortitudinem induens, sed agni mansuetudinem retinens, tanta charismatum eminentia a primis annis enituit, ut conversionis ipsius elegantia atque fragrantia contubernales vehementer affecti gratularentur, sanctæque devotionis et humilitatis, quæ in ipso relucebat, exemplis informari certatim niterentur. Quidam vero religiosus ac spiritualis ejusdem cœnobii frater, protestatus est mihi quod aliquando vidisset visionem hujusmodi. Aspiciebat eumdem adolescentem Invitatorium ante altare canentem. Porro imago crucis, quæ super altare erat, quasi melodia ipsius delectata, de cruce descendit, veniensque ad eum, expansis ulnis dignanter amplexata est illum, tenere sibimet astringendo ac deosculando eum. Quod cum frater ille vidisset, animadvertit in hoc animam illius sanctam et Deo placentem existere, et apud illius clementiam magnæ familiaritatis accessum specialiter obtinere. Hic ergo amantissimus Domini tota die cum illo velut in thalamo morabatur, et beata ipsius præsentia per contemplationis dulcedinem suavissime fruebatur. Per prædictam namque visionem Dominus manifestare dignatus est quanta dilectionis et gratiæ suæ plenitudine famulum suum repleverat. Itaque cum in omnibus sancti Ordinis exercitiis devotus et fervens existeret, et per continuum sacræ compunctionis studium misericordiam Domini imploraret, quadam nocte apparuit ei in somnis angelus Domini, et introduxit eum in quemdam thalamum gloriosum, in quo videbatur Dominus Jesus Christus in cruce pendere, et beata mater ejus virgo Maria, cum beato Joanne evangelista juxta crucem illius stare. Quem cum ingressus fuisset, tantæ suavitatis fragrantiam sensit, ac si cellam aromaticam respersam omni pulvere pigmentario introisset. Videns vero Dominum majestatis passionis et crucis suæ signa piissima dignatione sibi repræsentantem, prostratus in faciem solo tenus adoravit, benedictionemque ipsius totis medullis cordis flagitare cœpit. Quam etiam benigna largitate Domini consecutus mox evigilavit, sed visionem illam non vanam seu illusoriam fuisse, manifestis indiciis declaratum est. Fragrantia nempe cœlestis nectaris, quam dormiens hauserat, excitus a somno mirabili suavitatis unctione totum interiorem hominem suum delibutum sensit, sed tribus continuis postea diebus eadem benedictione se renovari et illuminari gavisus est.

Alia quoque nocte cum esset intentus orationi, meruit audire corporeis auribus angelicas voces harmonia dulci atque præclara in æthere personantes. Quarum videlicet vocum tanta erat altitudo, ut quantalibet humanarum vocum intentio ad eam non posset ascendere. Cumque fuisset in eis aliquandiu delectatus, sublata est tandem ab auribus ejus melodiæ cœlestis amœnitas, sed remansit in corde conceptæ devotionis immensa jucunditas, ita ut sæpe memoriam abundantiæ suavitatis illius eructans, mira devotione afficeretur, et totus in gaudium verteretur. Jam vero secretorum cœlestium conscius effectus, ibat sicut pater Abraham proficiens atque succrescens, donec magnus effectus est valde (*Genes.* XXVI), sed quod omni magnitudine excellentius est, quanto potioribus donis cœlestis gratiæ cumulabatur, tanto se humiliorem, non solum coram Deo, sed etiam coram fratribus suis exhibere curavit, nihil insolitum, nihil singulare in conversatione sua præsumens, licet in ipsa communi vita singularis puritatis devotione singularis existeret. Sed quoniam humilibus semper augetur gratia, adjecit Dominus adhuc manifestare [*forte* magnificare] servum suum, ut illum, quem cœli cœlorum, et agmina eorum, quem cherubim et seraphim cœlesti harmonia collaudant, in quem desiderant angeli prospicere (*1 Petr.* I), Dominum nostrum Jesum Christum, in beatissima humanitatis suæ forma corporalibus oculis videre mereretur. Accidit enim quodam tempore, cum hic de quo loquimur beatus homo, sacris Quadragesimæ diebus jejunantium et orantium particeps effectus, cum Ruth Moabitide buccellam piæ operationis intinxisset in aceto salubris compunctionis (*Ruth* II), ut sacratissimus Dominicæ resurrectionis dies illucesceret. Cumque, sicut tantæ diei sublimitas exigebat, solemnes a fratribus vigiliæ devotissime celebrarentur, ipse, laxato intimæ meditationis sinu, cœpit attentius cogitare de passione et resurrectione Domini, ita ut ardente pietatis affectu totus in lacrymis funderetur. Et ecce secunda lectione jam lecta, cum Responsorium *Angelus Domini* a conventu cantaretur, repente is qui in corde ejus devotionis ignem accenderat, Dominus Jesus Christus vigilanti et flenti apparens, stetit ante illum in medio chori, manus suas expandens, et quasi ostendens ei. Porro in ejus beatissimis palmis loca

Digitized by Google

clavorum evidentissime apparebant, ita ut de ipsis plagis recentibus sanguis emanare videretur.

Viso itaque Domino, frater ille gavisus est gaudio magno valde, sed obstupescens, et quasi extra se factus, nesciebat in arcto temporis quid agere deberet. Volebat namque in medium prosilire, et pedes apprehendere Salvatoris, sed retinebat eum pudor et reverentia conventus, ne velut insaniens reputaretur. Nam et hoc ignorabat utrum videlicet apparens Dominus ab ipso solummodo, an et ab aliis pariter videretur. Flebat autem uberrime, eratque cor ejus in semetipso pietate liquescens, præ immensa dulcedine amoris illius quem intuebatur. Eadem vero apparitio Domini tandiu duravit, quousque in Responsorio, quod tunc cantabatur, dictiones istæ, *jam surrexit, venite et videte*, tanta morositate, quanta a sancto conventu illo cantari solebat, perdicerentur. Quis autem digne explicare valeat quantum de visione illa profecerit, quomodo cunctis motibus, universisque affectionibus animæ ipsius recreatis et renovatis, in amorem illius quem viderat, totus incanduerit! Solius dantis et accipientis nosse est, quam festivos exinde cum dilecto suo duxerit dies, cum sponsa non tam vocibus oris quam affectibus cordis exclamans : *Inveni quem diligit anima mea, tenui illum nec dimittam* (*Cant.* III). Et cum Patriarcha Jacob : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Quia vero in humilitatis custodia fiduciæ pedem ulterius extendere curavit, ut secundum divinum promissum, omnis locus, quem calcasset pes ejus, ipsius fieret, adhuc excellentiori charismatum gratia ditari meruit. Qui enim, sicut jam diximus, Christi Domini nostri dulcissimam humanitatem beatis oculis conspexerat, etiam ad sempiternum individuæ Trinitatis mysterium contemplandum, quantum quidem homini adhuc mortali carne circumdato possibile erat, mirabili dignatione gratiæ Dei admissus est. Factum est namque in die sancto Pentecostes, dum a fratribus alacri instantia sacræ vigiliæ celebrarentur, et jam divinus ille hymnus, *Te Deum laudamus*, in quo evangelicæ gratiæ prænuntia laus figuratur, cantaretur, et universitas fratrum mystica illa verba quibus sub distinctione trium personarum unus Deus prædicatur et adoratur, scilicet, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, ob honorem sanctæ Trinitatis inclinis, sicut est consuetudinis, cantaret; in ipsa vero inclinatione prædictus servus Dei, non quidem scrutans, seu commissum fidei secretum irrumpere gestiens, sed pavendo, tremendo, et admirando, cœpit in simplicitate cordis sui meditari quam sublime et incomprehensibile esset tantæ majestatis arcanum, quam nosse vita, et vita æterna est, secundum quam sapere, sapientia sine errore est, in qua delectari, voluptas sine comparatione, cui conformari, similitudinem Dei, quam in Adam perdidimus, recuperare est, cui servire, regnare est, sine cujus gratia omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram ipsa, quæ in futura vita erit sanctis omnibus par exsuperans omnem sensum, et gaudium sine interpolatione, seu temporis discursione. Inclinatione vero illa divinæ reverentiæ exhibita, cum frater idem se erigeret, subito aperti sunt intellectuales oculi ejus, et quasi totus extra se raptus vidit visionem quamdam gloriosam atque mirabilem de Trinitate, quæ Deus est, quam mirabiliorem, digniorem, atque excellentiorem esse omnibus visitationibus, quibus unquam a Domino visitari meruerat, intelligebat. O felix anima, in qua divinæ dilectionis ignis scoriam peccati et rubiginem negligentiæ usque adeo excoxit, ut illam dulcedinem, illam beatitudinem, quam Dominus electis suis reservat in præmium, in hac corruptibili vita prælibare quodammodo et prægustare mereretur. Felix nihilominus beatissimus pater ille Bernardus, sub cujus disciplina tantæ perfectionis discipuli in Claravalle floruisse noscuntur.

Talibus ergo visitationibus et consolationibus Domini ille vere monachus lætificatus et corroboratus, quotidianis lamentis exercebatur, suspirans et desiderans corruptibilis vitæ sarcinam deponere, ut faciem Domini, quam per speculum et ænigma intuitus fuerat, in ipsa sui puritate contemplando, unus cum ipso spiritus efficeretur. Rogatus autem, ut ad honorem Dei et ad ædificationem proximi, aliqua ex iis, in quibus a Domino visitatus fuerat, pandere dignaretur, non facile acquievit, timens utique ne hoc forte Domino displiceret, sed tamen precibus multis constrictus, hæc quæ memoravimus, et alia nonnulla, cum tremore et profunda humilitate revelavit : quæ licet magna esse sciamus, quia ad alia festinat intentio, brevitatis studio reticuimus. Modum tamen visitationis, quam de beata Trinitate, quæ Deus est videre meruerat, nullatenus explicare consensit, asserens quod nunquam eam alicui revelare præsumeret, nisi fortasse voluntatem divinam super hoc ei daretur agnoscere. Quæ vero pandere voluit, ea conditione patefecit, ut usque ad obitum ipsius silentio premerentur : quod etiam studiose servatum est. Expletis autem in Ordine Cisterciensi, quem in adolescentia sua tantum abhorruerat, viginti et sex annis, cum quadraginta esset annorum, sicut sincera devotione vixerat, ita quoque felici defunctione carne exemptus est, sicque consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima ipsius (*Sap.* IV). Libet nunc in timore pariter et exsultatione cum Psalmista exclamare et dicere Domino : *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est, hunc humiliat, et hunc exaltat* (*Psal.* C et LXXIV). Ecce enim magister ille, cujus supra mentionem fecimus, qui non gratia, sed præsumptione duce, pietatis opus adorsus, manus ad fortia mittere tentaverat, tanquam seminatus supra petram, ad tempus credidit, sed in tempore tentationis citius exaruit. Hunc vero, cujus fidem et sanctitatem descripsimus, repugnantem quodammodo atque reluctantem mater gratia assumens, minime contenta est communi servorum Dei cœtui inserere, verum etiam de negligentia purgatum cum paucis ad perfectionis et divinæ speculationis apicem provehere dignata est. Sicut igitur beatus, quem elegisti et assumpsisti, Domine, habitabit enim in atriis tuis (*Psal.* LXIV), sic nimirum omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur (*Jer.* XVII).

CAPUT XVII.

Qualiter vir magnificus Arnulphus per S. Bernardum conversus sit.

(Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 434, usque ad hæc verba : *ut scilicet pro omnibus peccatis suis ordinem servaret?* et hic accipe quæ in excerptis suis Mabillonius non dedit) : Arguit profecto instantia pœnitentiæ ejus tepiditatem et negligentiam nostram, qui eumdem Ordinem pro peccatis nostris in pœnitentiam suscepimus, et non solum tepide et negligenter vivimus, sed etiam pro frivola aliqua infirmitate vigilias fratrum deserere, seu infirmitorium intrare non erubescimus; cum iste servus Dei, nisi pro infirmitate responsum mortis habente, infirmitorium intrare non acquieverit, et insuper ad vigilias servitii Dei quandoque gravi debilitate laborans, devote perstiterit. Volat irrevocabile tempus, quo nihil est pretiosius, quo tamen nil vilius a nobis æstimatur, et dum pœnam, quæ in præsenti pro Domino suscipitur, declinamus, centuplicatam in futuro incurrimus. Si autem aliquis carnis suæ infirmitatem causatur, sciat scriptum esse quod nihil deest timentibus Deum, et quia Propheta junior fuit et senuit, nec vidit justum derelictum (*Psal.* XXXIII et XXXVI). Quis enim speravit in Domino, et confusus est : permansit in man

Digitized by Google

datis ipsius, et derelictus est? Quod ut non solum testimoniis Scripturarum, verum etiam exemplis præcedentium Patrum manifestius fiat, duo gratiæ Dei miracula subjicimus; quatenus per hæc et tepiditas nostra convincatur, et infirmitas nostra ad agonem certaminis roboretur.

CAPUT XVIII.

De monacho qui a gravi dolore capitis virtute sacramentorum Christi liberatus est.

Frater quidam, nomine Petrus, Clarævallis postea futurus abbas, cum in adolescentia sua in observantia sacri Ordinis satageret quotidie semetipsum exhibere hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, quoniam omnes pie in Christo vivere cupientes, persecutiones inimici sustinent, permittente Deo, qui omnia ad salutem electorum operatur, gravissima capitis passione laborare cœpit. Quam passionem fortis miles Christi patienter tolerabat; studens semper in dolore gratias agere, et viperam propriæ voluntatis a murmure compescere. Et licet optaret cum propheta, ut ingrederetur putredo in ossibus ejus, quatenus quiescere mereretur in die tribulationis (*Habac.* III), pro hoc tamen magis animo gravabatur, quod spiritum in eo promptissimum ad ardua quæque virtutum; caro infirma pro voto subsequi non valebat. Quadam itaque nocte Dominica dum sacris vigiliis interesset, sentiens se præfato incommodo solito amplius stimulari, cogitavit exire de choro, et ire pausatum. Sed mox inspirante Deo recogitavit, ut propter Dominum usque ad horam diei primam sustineret, quoniam ipso die intemeratis mysteriis pretiosi corporis et sanguinis Christi participare debebat. Prima vero transacta, quamvis doloris immensitas non cessaret, proposuit tamen tolerare, nec conventum deserere usque post missam majorem, quatenus sacram posset accipere communionem. Cumque jam communicaturus ad gradum altaris accederet et solitam ibidem veniam, flexis genibus, devotissima humilitate peteret, ecce repente de vertice ejus lapsa est quasi ingens massa plumbi, quæ illi per medium frontis veniens, et in pavimentum cadens non parvam collisionem fecit. Ipse vero ejusdem molis concussionem atque ruinam apertissime sentiens, sed nullam speciem videns, de tanta novitate miratus, vehementer obstupuit. Et o mira clementia Redemptoris nostri. Quia enim frater iste gravissimos quidem dolores sentiens, sed tamen ob reverentiam sacramentorum ipsius, erat quasi non sentiens, mox ut eadem sacramenta fideli devotione percepit ab omni pristina infirmitate eadem hora convaluit, et ita perfecte curatus est, ut nullam deinceps molestiam ex ea sentiret. Ipse vero gratiæ Dei nequaquam ingratus existens, adeo in sancta religione profecit, ut pastoralis curæ officium, primum in Igniaco, postmodum in Claravalle consecutus, nomen abbatis vita et moribus decoraret, subditosque suos per viam veræ humilitatis ducens, Christi bonus odor esset in omni loco.

CAPUT XIX.

De fratre, cui B. Virgo Maria cœlestem pitantiam per visum dedit.

In Claravalle fuit item monachus quidam, qui, quamvis homo bonæ voluntatis existeret, corpore tamen delicatus atque infirmus erat; et propterea in observatione ciborum et procuratione medicaminum curiosus atque superstitiosus. Clemens autem Dominus, qui misericorditer solet errantes corrigere, ipsum voluit ad viam veritatis reducere, et ut sciret et intelligeret quam salubriter monet nos, omnem sollicitudinem nostram projicere in ipsum, quoniam ipsi cura est de nobis (*I Petr.* V), tali modo visitationem suam simpliciter delinquenti prærogare dignatus est. Aspiciebat idem frater in visu noctis, et ecce universitas fratrum quasi ad Laudes divini servitii celebrandas ad ecclesiam festinabat. Porro ad ostium ejus ecclesiæ stabat illa tam humilis quam sublimis, mater misericordiæ pia Virgo Maria: quæ tanquam pretiosi electuarii pixidem portans, singulis fratribus oratorium intrantibus singula ex eo cochlearia dulcissima sua manu dignanter tribuebat, et mira dulcedine gustantes reficiebat. Quo viso frater ille gratulatus est vehementer, reputans secum quod et ipse cœlestis illius alimoniæ sine obstaculo particeps fieri deberet. Cumque ad manum piissimæ procuratricis accederet, benignissima dissimulatrix, et vere mitis Virgo repulit eum dicens: « Nunquid nostro medicamine opus habes? Nonne tu sapiens medicus es, et tuimet sollicite curam geris? Vade itaque, vade, et tuis medicamentis, sicut volueris, utere, quoniam de iis, qui curam suam super Dominum et Filium meum jactant, cura est mihi. » Quod cum ille audisset, erubuit, et petens indulgentiam promisit ei quod amplius de seipso se non intromitteret, sed totam vitæ suæ curam Deo et sibi committeret. Ad quam sponsionem, generale refugium omnium Christianorum, sed specialis protectio specialium servorum suorum Cisterciensium fratrum, satisfactione accepta, benignissime indulsit; et medicamenti salutiferæ pitantiæ pabulum impertivit. Gustata igitur benedictione cœlestis antidoti, protinus a sua teneritudine et infirmitate frater ille convaluit; et abdicatis omnibus medicamentis et delicatioribus alimentis, ad communes cibos se transtulit. Ideoque cooperante gratia Dei in brevi decorem et fortitudinem, cum salute corporis et animæ, pariter induit. Ubi nunc sunt fratres illi, qui plus videntur sectari scholas Hippocratis quam scholas Christi, qui nimis affectuose diligentes sanitatem morituræ carnis suæ, tota æstate, tota intentione occupantur ad quærendas seu colligendas quaslibet viles et agrestes herbulas vel radices; et nihilominus hieme solliciti sunt, easdem exsiccando, terendo, molendo, componendo; et non habituri effectum medicinæ, in solum se præcipitant reatum propriæ voluntatis, qua proprietas periculosior invenitur? Discant, quæso, discant supradictis exemplis, magis confidere in Domino quam in Galieno, plus sperare in Regina cœli quam in herbis terræ, scientes certissime quoniam in tremendo examine justi judicis Dei, non de complexione, sed de professione judicabuntur, ubi sera nimis pœnitentia volent magis animarum suarum curam gessisse quam pro adipiscenda sanitate carnis suæ tota vita sua inutiliter occupatos fuisse.

CAPUT XX.

De venerabili sene Achardo, quondam magistro novitiorum in Claravalle.

Senex quidam, Achardus nomine, nobilis genere, sed conversationis dignitate nobilior, novitiorum curam in Claravalle gerebat, vir potens in verbo ædificationis et consolationis, qui etiam in juventutis suæ robore, jubente simul et mittente beato Bernardo abbate suo, plurimorum cœnobiorum initiator et exstructor devotus exstiterat: Hic jam veteranus, et emeritæ militiæ senex, instituendis tironibus deputatus, officium suum strenue adimplebat, et ex iis quæ longo usu didicerat, rudes adhuc mentes contra triplicem funiculum, carnis, mundi et diaboli, qui difficile rumpitur, quotidianis exhortationibus informabat; exemplis etiam, tam veteribus quam recentioribus, adversus vitia cautiores reddebat: unde et nos aliqua, sicut ex ipsius ore audivimus, perstringemus. Cum adhuc novitius esset idem Achardus, venerabilis abbas Bernardus quadam die intravit ad consolandos novitios suos, sicut frequenter facere solebat. Terminato autem sermone, prædictum Achardum cum aliis duobus novitiis traxit in partem, et præmonuit eos in spiritu prophetico, ita loquens: « Futurum est, inquit,

Digitized by Google

« ut novitius ille, designavit autem unum ex nomine, ante diem crastinum furtive recedat. Vos itaque, vigilate et estote parati, et fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser a nobis exierit, quia non erat ex nobis : spolia tamen, quia nostra sunt, tenebitis vobis. » Quo audito mirati sunt illi: et cum silentio præstolati sunt exitum rei. Profunda vero nocte duo ex illis, cum fugitivum in lecto firmiter dormientem aspicerent, tunc et ipsi dormire cœperunt. Erant enim oculi eorum gravati, illudente utique eis spiritu erroris. Verumtamen Achardus, quia certissime credidit verbum a sancto Patre prolatum haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Nunc enim frontem, nunc tempora fricando, modo pilos capitis et barbæ vellicando, modo manus et faciem locitans, nunc de loco ad locum deambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, evicit. Cumque prope esset, ut signum ad vigilias pulsaretur, ecce duo quasi gigantei Æthiopes, nigerrimis capuis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is vero qui præcedebat, gallinam assatam in spito portabat. Porro in ipso veru coluber ingens per caput et caudam infixus erat, qui eamdem gallinam hinc inde cingebat. Cum tali itaque ferculo accedunt ad lectum falsi novitii : et gallinam fumantem naribus applicant dormientis. Quo statim expergefacto dæmones egrediuntur : et quid intus in corde ejus invisibiliter actitarent, horrendo hoc visibili signo demonstrarunt. Cumque evigilasset miser ille, non sicut Jacob, de somno contemplationis, sed sicut apostata vilis a somno deceptionis, continuo surrexit, et vestimentis onustus post dæmones exiit, veniensque ad ostium armarii quod erat in claustro, machinamentis suis moliebatur firmaturam effringere ac secum tollere libros. Porro prædictus Achardus celerrime socios excitat, et prophetatam apostatæ fugam signis et nutibus insinuat.

Itaque recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ubi malignus ille persensit, illico datis saltibus evolat, et præcipiti cursu per ostia pomerii ruens, murorum tandem septis retinetur atque reducitur. Die autem facto, cum malorum impœnitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem, ut abiret in locum suum. Eadem vero die arreptus a diabolo dementiam incurrit, et usque ad mortem furere non cessavit. Confessus est etiam nobis venerabilis senex Achardus, quod in primordio conversionis suæ multa dæmonum bella et multa flagella pertulerit, multaque eorum phantasmata viderit. Sæpius namque cum esset in ecclesia psallens atque orans, copiosa coram eo luminaria quasi cereos et lampades accendebant, quæ protinus ad invocationem nominis Christi tanquam vanitas disparebant. Quadam denique vice apparuit ei diabolus, gladiatorio cum eo conflictu in modum palestræ decertans, cui crebros ictus et vulnera infligebat, atque ab eo vicissim recipiebat. Ad ultimum vero dæmonem subactum colliso capite excerebravit. Quem dum traheret per capillos, partem capitis confracti cum carne et ossibus evulsam manu retinuit, moxque ex ea tam intolerabilis putor exhalavit, ut passibilitatis humanæ modum videretur excedere. Quam cum horrore et exsecratione longius a manu sua ipso excutiente, protinus olidum monstrum quod videbatur evanuit, vestigia tamen immunditiæ suæ altius impressa reliquit. Nam per unius anni spatium ex eadem manu tantus fetor jugiter exhalavit, ut præ angustia cordis vix eam valeret vel ori apponere, vel naribus admovere. Cum in partibus Germaniæ idem Dei servus pro construendo cœnobio, quod in territorio Treverorum situm Claustrum nominatur, aliquando moraretur, cœlitus concessum est ei videre et alloqui hominem sanctum, hominem vere divitem, magnum quidem solitarium, qui in partibus illis multo tempore per montes et silvas sine tecto et vestimento pro Christi nomine nudus oberrans, herbis agrestibus et earum radicibus morituræ carnis vitam sustentabat, æstatis ardores hiemisque asperrimos algores incredibili patientia tolerabat, ita ut quadam vice cum brumale gelu solito amplius inhorruisset, et nix multa valde de nubibus flueret, ipse non habens, quo a facie nivis et frigoris hujus fugeret, sed in terra nudus jacens non modica spissitudine nivis totus operiretur, nullumque indicium corporis ejus illic esset, excepto quod virgula fumantis anhelitus ab ore procedens superjectam nivem aliquantulum reliquabat. Hujus beati viri admirandas virtutes, et humanæ fragilitatis modum excedentem patientiam, domnus Achardus novitiis suis referebat, quibus rudimenta tirocinii eorum magnifice roborabat, atque in amorem virtutum non mediocriter accendebat.

CAPUT XXI

De domno Gaufrido monacho Clarævallis, postea Sorensi episcopo.

Sanctæ memoriæ domnus Gaufridus, quondam Clarævallis monachus, et postea Sorensis Ecclesiæ, quæ est in Sardinia, pontifex, antequam ad episcopatum promoveretur, cum esset aliquando in choro Clarævallis, vota labiorum suorum cum cæteris fratribus Domino strenue reddens, visionem hujusmodi, sicut ab eo recepimus, beatis oculis aspicere meruit. Videbat, et ecce processio gloriosa et splendida, quæ a septentrionali parte oratorii quasi de cœmeterio veniens, et coram presbyterio transiens, recto itinere ad infirmitorium tendebat. Porro in ipsa processione, acolythi, subdiaconi, diaconi atque presbyteri apparebant, qui per singulos ordines septeni atque septeni dispositi, alii ante alios ordine congruo incedebant. Acolythi vero, stolis albis amicti, singulos cereos manibus præferebant, qui tamen magis ignei quam cerei esse parebant. Verum subdiaconos tunicæ pretiosæ, diaconos autem dalmaticæ fulgidæ decorabant, ipsosque presbyteros planetæ holosericæ insigniter adornabant. Horum omnium singuli congrua ministerii sui vasa manibus bajulabant. Veniebat autem post eos copiosa turma candidatorum, ordinata similiter, et cum reverentia incedens. Ad ultimum vero gloriosa Dei genitrix Virgo Maria subsequebatur, quam beati apostoli Petrus et Joannes dextra lævaque comitabantur. Ipsa vero piissima Theotocos tanta venustate, tantaque claritate vultus et habitus radiabat, ut ex fulgore de ipsa procedente tota basilica coruscaret. Porro species quæ ista revelabat, loquebatur interim in corde videntis, et dicebat: Hæc est Regina cœlorum; hæc est domina angelorum. Transeuntes ergo ita solemniter, ut diximus, ante gradum sacrarii, tandem per ostium, quod ad infirmitorium vergit, de oratorio exierunt et ita ab oculis intuentis evanuerunt. Verum in eodem infirmitorio senex quidam venerabilis, et sanctæ conversationis sacerdos, nomine Tescelinus, diu languerat, sed flagella pii Patris tanquam filius obediens patientissime sustinuerat; qui tunc in extremis positus agonizabat, et post modicum temporalis vitæ amaritudinem perpetis vitæ dulcedine commutavit. Unde vir Domini Gaufridus, qui hæc viderat, indubitanter credidit quia ad indicium transitus et beatificationis illius processio talis apparuit. O quam sublimia sunt bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum! (*I Cor.* II.) Si enim cum tanta ambitione spiritualis pompæ occurritur animæ timenti Deum de corpore egredienti, quanto putamus tripudio, quantave lætitia exsultabit in possessione cœlestis patriæ, ubi satiabitur dulcissima Conditoris sui visione?

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Item de visionibus ejusdem famuli Dei Gaufridi.

Altera quoque vice, dum idem Dei famulus in ecclesia cum cæteris fratribus staret ad psallendum, conspicatus est manifeste spiritum immundum instar simiæ per medium chorum transeuntem. Cumque venisset et staret ante eum ridicula bestia, dedignanti oculo respiciens illum atque despiciens, patulis naribus aliquandiu subsannabat. Quæ postquam ab eo pertransiit, tandem egressa de choro, ulterius non comparuit. Infirmabatur aliquando iste beatus homo, et circa gutturis partes gravi molestia laborabat. Crescebat languor in dies, factusque tandem est morbus inveteratus, et pene a medicis desperatus. Unde etiam angustiabatur animo vehementer, pro eo maxime quod arteriis ab ægritudine coarctatis, psallendi et cantandi in ecclesia vires amisisset. Proinde conversus ad beatum Bernardum, die noctuque in multis lacrymis precabatur, ut cantandi gratiam recipere mereretur. Cujus precibus et lacrymis motus pius pater, ei per visionem apparuit, et loco dolenti, manu sua tangendo ac benedicendo, signum crucis impressit. Cum vir Dei evigilasset, sanatum se reperiens, mire ad cantandum convaluit, et nullum deinceps impedimentum ab eadem ægritudine pertulit. Alio quoque tempore contigit ut frater quidam spiritualis, quem unice in Christo diligebat, graviter ægrotaret. Eratque languor fortissimus, ita ut mori putaretur. Unde prædictus vir mœrore nimio contabescens, ut verum se comprobaret amicum, lacrymosis precibus ardenter insistere cœpit, et pro recuperanda sospitate dilecti stabat in confractione in conspectu Domini. Laboranti vero continue in gemitu suo astitit quidam per visionem, et ait : « En frater ille, pro quo sic afficeris, sanitati restituetur; sed tamen alter quidam, quem æque spiritualiter diligis, loco ejus est migraturus. » Et factum est ita. Nam convalescente illo, qui morti proximus videbatur, defunctus est in ipso tempore senex quidam venerabilis et sanctus, Renaldus de Cluniaco dictus, quem et ipsum miro affectu in Christo diligebat. Præterea, cum pro matre defuncta nimium foret sollicitus, et diuturnos exitus aquarum pro ea deducerent oculi ejus, multa siquidem collata erat ei gratia lacrymarum, flagitabat instanter a Domino, ut sibi de illa revelare dignaretur, utrum adhuc in pœnis esset, an jam indulgentiæ requiem percepisset. Diu vero in hac supplicatione fatigato, facta est tandem divinitus vox ad eum, dicens : « Cur importunis precibus extorquere conaris, quod tuæ cognitioni non debetur? Tu tantum ora pro tuis, et salvabuntur. »

CAPUT XXIII

Quomodo per revelationem ostensum est ei quod episcopus esset futurus : et de pretiosa morte ejus in Claravalle.

Erat aliquando in oratione constitutus vir Domini Gaufridus, cum ecce per visionem persona quædam reverenda apparens ei, digito ipsius aureum annulum imposuit, præsagium scilicet futuræ in proximo pontificalis dignitatis. Nam in eodem anno, sicut ipse nobis innotuit, assumptus est in episcopatum Ecclesiæ Soriensis : quam septem annorum curriculo strenue regens, et suam ipsius vitam in omni puritate custodiens, ministerium suum magnifice honoravit, dignumque sanctitatis exemplum posteris dereliquit. Appropinquante autem vocationis ejus termino, quem solus Deus noverat, egressus de Sardinia venit ad visitandum Claramvallem, cujus filius erat, et in qua sepeliri magno desiderio præoptaverat. Quam cum a longe intuitus esset, elevatis oculis suspiravit in cœlum, toto cordis affectu deprecans Dominum, ut si infra triennium esset moriturus, tali siquidem spatio temporis semper eamdem domum vel una vice visitare decreverat, nunquam ipsum amplius ab ea separari permitteret, ne forte alibi consummari contingeret, et desiderata sibi sepultura privaretur. Ingressus itaque dilectum sibi monasterium, cum aliquandiu sanus ibidem perstitisset, et fratres universi de tanto hospite lætarentur, tandem, corripiente se acuta valetudine, per dies aliquot ægrotavit; et ingravescente morbo ad extrema devenit. Cumque fuisset inunctus oleo sancto, et munitus etiam viatico sacramentorum Christi, eadem hora, imo eodem fere momento, mirantibus universis, obdormivit in Domino. Transiit autem circa medium noctis in festivitate Dedicationis ecclesiæ Claræ-vallis. Porro venerabilis ejusdem monasterii abbas, qui ejus conscientiæ puritatem optime noverat, cum jam exanimati corporis oculos clauderet, cum magna fidei pietate exclamans ait : O dulcis et venerande Pater, Deus omnipotens faciat me quantocius ad tuum pervenire consortium. Dum vero commendationis officium sacro funeri ejus impenderet, tanto pietatis affectu movebatur, ut erumpentes lacrymas continere non posset, ita ut etiam duros corde in fletum commoveret. Cum autem primum ægrotare cœpisset iste sanctus sacerdos, revelatum est de eo cuidam ex fratribus ipsius monasterii, quia in proximo esset migraturus. Deinde, post dies paucos, cum idem frater vigiliis servitii divini interesset, vidit in spiritu stratum quoddam fulcris mollibus diligenter aptatum, et niveis operimentis decenter ornatum, qui eidem episcopo servabatur, nimirum significans æternæ felicitatis requiem, ad quam post modicum erat assumendus. Eadem vero nocte qua defunctus est, posito in Ecclesia corpore, cum signum ad solemnes vigilias Dedicationis pulsaretur, prædictus frater evigilans cœpit illico pontificem defunctum ad mentem reducere; statimque facta est vox in auribus ejus, loquens de eodem famulo Dei defuncto, et dicens : « Ecce nunc a principio signi hujus recipiunt illum sancti Dei omnes in consortium suum. » Hanc vocem frater ille audiens, gavisus est valde : surgensque venit in chorum, et stabat cum cæteris ad psallendum, semper glorificationem beati viri mente revolvens. Cumque celebrarentur matutinæ Laudes, respiciens vidit, et ecce in parietibus templi circa defunctum antistitem quasi unius horæ spatio luminaria copiosa divinitus accensa, ita ut præ multitudine numerari non possent.

Spiritualis itaque claritatis lumen corporalibus oculis intuens, compunctus est valde, et gratias agens Deo pro omnibus iis quæ viderat et audierat, in jubilo cordis ait intra se : *Domine Deus virtutum, beati omnes qui sperant in te* (*Psal.* LXXXIII). Vere *beatus* iste sanctus, *quem elegisti*, Domine, *et assumpsisti : habitabit in atriis tuis* (*Psal.* LXIV). Credo enim atque confido quia dignus est jam inter sanctos et electos tuos computari; qui in præsenti sæculo per viam humilitatis incedens, studuit mandatis tuis fideliter obedire. Expletis autem post depositionem beati viri duobus mensibus, cum idem frater esset in choro ad vigilias vigilans et psallens, subito venit in mentis excessum. Et ecce apparuit ei beatus episcopus induens se sacerdotalibus, et quasi præparans ad missam celebrandam, ita ut frater ipse adjuvans eum reversaret casulam supra brachia illius. Porro in eadem hora cantabatur hic versus in ecclesia : *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* (*Psal.* XLII). His ita de conversatione et consummatione sancti viri breviter annotatis, placet hoc loco subnectere miraculum dignum relatione, quod idem Dei famulus cum gaudio asseverabat se vidisse. Consilium ejusdem præsulis fuit ut quædam ipsius basilica vetus ac ruinosa dilapidaretur, et in meliorem statum repararetur. Cum ergo ipsum altare in præsentia sua dirui præcepisset, reperit in eo capsulam scabrosam ac veterem, sanctorum reliquias continentem. Porro inter easdem reliquias corpus Domini

Digitized by Google

repositum erat, quod ita sanum et integrum, ita mundum et candidum, et ab omni corruptione penitus alienum inventum est, ac si recentissime ibi reconditum esset. Sane nemo in terra illa repertus est, qui ejusdem ecclesiæ vel altaris constructionem ve. consecrationem se vidisse recoleret. Viso itaque tanto miraculo, universi qui aderant lætati sunt valde, et ædificati in fide glorificaverunt Deum, cognoscentes utique ipsum esse sacratissimum corpus Domini, de quo veraciter scriptum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv). Migravit autem a sæculo idem beatus pontifex anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo octavo, tertio Idus Novembris, et condigno honore sepultus est juxta venerabilem Godefridum quondam Lingonensem episcopum, qui sub beato Bernardo prioris officio in Claravalle functus, et inde ad apicem pontificalis dignitatis assumptus, ministerium sibi commissum, sancte religioseque conversando, multiplicer honoravit.

CAPUT XXIV.

De domno Balduino monacho Clarævallis, postea Pisano episcopo.

Inter cœlestis gratiæ pinguedine pullulantes propagines, quas vinea Domini Sabaoth, Ecclesia scilicet Clarævallis emisit, ut transplantarentur super aquas multas, id est super diversarum regionum populos pontificali honore sublimarentur, natalis soli specialis gloria Balduinus mirabiliter emicuit, qui doctrinam reverendissimi Patris Bernardi secutus, sprevit universas mundi pompas et voluptates, ipsique mundo moriens, in Claravalle vivere cœpit, et veras voluntariæ paupertatis divitias fallacium divitiarum irritamentis se prætulisse gloriabatur. Discens namque ab Apostolo stultus esse, ut sapiens fieret (*1 Cor.* III), divitias quæ potius exhauriunt hominem quam repleant, exsecratus est, et illas quæ immensum pondus gloriæ operantur in ipso in æterna beatitudine, toto mentis desiderio complexus est. Cum perfectissimorum monachorum imitator factus didicisset ab irriguo inferiori in quo peccata planguntur ad irriguum superius, in quo ad cœlestis patriæ felicitatem gemitibus inenarrabilibus suspiratur, ascendere, dignus jam qui non soli sibi viveret, sed etiam multis aliis verbo et exemplo prodesset in salutem, vocante Deo, Pisanæ Ecclesiæ, quæ est metropolis Thusciæ, archiepiscopatum sortitus est. Consecutus vero amplæ hujus dignitatis eminentiam, tanta spiritualis sapientiæ luce refulsit, tantaque auctoritate ac spiritus libertate officium suum exercuit, tanta nihilominus mansuetudine et humilitate verum se monachum in pontificali culmine demonstravit, ut non solum Cisterciensis Ordo, verum etiam universi fideles intra Italiam gratularentur vehementer, gratias agentes Deo, qui splendidissimam hanc columnam et fulcimentum inconcussum S. Ecclesiæ suæ temporibus ipsorum concessisset. Sed quoniam in rebus humanis nihil ex omni parte posse beatum esse plangimus, contigit, instigante diabolo, ut propter ipsum inter Pisanos atque Lucenses populos gravis et periculosa guerra oriretur : quæ etiam post obitum ipsius contentione partium inflammata atque protelata per aliquot annos duravit, et vix tandem ad pacis concordiæque vinculum renovari potuit. Cujusmodi vero fuerit occasio hujus dissensionis, nihil interest : hoc solum dicimus, damnosam et pœnalem tanti pontificis animæ guerram illam exstitisse, sicut divina revelatione declaratum est. Post dormitionem nempe hujus beati præsulis aliquanto tempore elapso, fuit in insula Sardiniæ sacerdos quidam honestæ conversationis, qui etiam ibi præerat cuidam ecclesiæ parochiali. Erat autem eadem ecclesia extra villam ædificata, atque ab omni hominum habitatione remota.

Quadam itaque die cum missam celebraret, hora perceptionis invenit hostiam sacram super corporale fractam, atque in duas partes a seipsa divisam, quam antea consecraverat integram et sanam. Quod ubi conspexit, turbatus et anxius cum metu et admiratione sacrificium consummavit. Expleto autem ministerio, cæterisque dimissis, solus ibi remansit. Cumque tristis esset pro signo quod acciderat, egressus foras venit et stetit ad orientalem plagam ejusdem ecclesiæ, dorso adhærens parieti templi, et facie versa ad orientem. Qui dum ita positus aliquandiu staret, et de re quæ sibi evenerat, timide ac sollicite cogitaret, infremuit spiritu, et inhorruerunt subito pili carnis ejus. Tunc irruente in eum nescio qua virtute externa, ita defigi atque arctari cœpit, ut nullo modo se posset inde movere. Et ecce apertis oculis vidit innumeræ multitudinis turbas equestres et pedestres coram ipso citatis gressibus transeuntes. Erant autem in eis homines promiscui sexus, diversæ ætatis et conditionis, in quibus etiam multos deprehendebat, quos viventes in carne antea cognoverat. Unus ergo ex eis ipsi presbytero quondam notus et charus, ad eum accessit, et fixo gradu cœpit cum eo familiariter loqui. Percunctante vero presbytero quænam esset, aut quid etiam ageret tanta turbarum infinitas, respondit : Animæ hominum sunt carne solutæ, quæ omnes pro varietate culparum variis subditæ pœnis, ita semper discursu reciproco longe lateque vagantur in mundo. Quædam autem ex eis citius, quædam tardius liberandæ sunt, quarumdam vero pœnæ insolubiles manent. Dum hæc ille loqueretur, respiciens presbyter, vidit supradictum episopum demisso vultu coram se prætereuntem, tanquam districti Judicis sententiam patienter ferentem, et inimicæ potestati, quæ illi ad tempus insultabat, cum propheta dicentem : *Ne lætetis super me, inimica mea, quia cecidi : surgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea erit* (*Mich.* VII). Viso ergo eo, sacerdos vehementer obstupuit, et cum terrore magnæ admirationis exclamavit dicens : « Væ mihi misero peccatori ! quid est hoc quod video? Nunquid iste est dominus noster Balduinus, Pisanus quondam archiepiscopus, de monasterio Clarævallis assumptus? » Respondit is, qui loquebatur ad eum. « Ipse est vere. » Et presbyter ait : « Hiccine ergo tantæ professionis monachus et tantæ perfectionis episcopus, deputatus est pœnis, quem nos sperabamus jam in cœlo gaudere cum angelis? » Ille vero respondens, ait : « Pro certo scias, et nullatenus dubites quia ipse est vere sanctus, celsique meriti pontifex, et magna erit ejus gloria coram Deo. Sed quoniam propter ipsum inter Pisanos atque Lucenses populos diurna jam guerra versatur, propterea differtur a requie, donec inter illos ad pacem discordia revocetur. » Post hæc apparuit eidem presbytero columna quædam jubaris immensi, cujus claritas ultra communem solis valentiam coruscare videbatur, de cœlo ad terram usque porrecta : per quam anima quædam angelico ductu ad sidera contendebat. Sciscitante vero presbytero quidnam hoc esset, respondit alter : « Ipsa est anima Constantini, quondam judicis et domini Turritani. Hæc autem per novem annos ventis et pluviis et algoribus semper exposita, a die exitus sui usque nunc in stillicidio domus suæ constitit, ibique suorum excessuum pœnas luit. Sed quia misericors et liberalis in pauperes exstitit, et judicium injuriam patientibus fecit : insuper etiam de malis quæ commisit, confessa et pœnitens a corpore exivit; idcirco misericordiam a Deo consecuta hodierna die meretur a malis omnibus liberari, et bonis omnibus satianda ad æternam beatitudinem introduci. »

Hæc et multa alia sacerdos ille vidit et audivit de secretis alterius vitæ ; inter quæ etiam dictum est et quod eodem anno esset moriturus, quæ subsecuta mors ejus vera fuisse comprobavit. Sic omnipo-

Digitized by Google

tens Deus innotescere voluit, dilecti sibi pontificis animam, quamvis justam, quamvis sanctam, quantulacunque tamen rubigine culpæ fuscatam, non potuisse regnum puritatis intrare, nec fulgorem meridianæ lucis, in qua cœlestis sponsus cubat, intueri, donec ipsius gratia expiata, et pace inter dissidentes reformata, ab eodem sponso mereretur audire : *Tota pulchra es, amica mea, tota pulchra es, et macula non est in te. Veni de Libano, veni, coronaberis* (*Cant.* IV). Quid vero in divisione sacræ hostiæ nobis insinuatum putamus, nisi, quod tales revelationes non absque nutu et voluntate Redemptoris nostri ad commonitionem et correctionem fiunt mortalium, maxime cum a religiosis personis tale aliquid videri contigerit?

CAPUT XXV.

De domino Eschylo, quondam Danorum archiepiscopo, postea monacho Clarævallis.

Vir magnificus, et cum omni reverentia nominandus, Eschylus, quondam Danorum archiepiscopus, et apostolicæ sedis in insulis aquilonaribus legatus, postea vero humilis Cisterciensis Ordinis monachus et cœnobii Clarævallis professus, cum adhuc esset adolescens, annos natus circiter duodecim, trasmissus a parentibus, causa studiorum, in Saxonia morabatur, quæ tunc in nobili illa Hildesemensi Ecclesia florentissima, a clericis diversarum regionum celebri concursu frequentabatur. Itaque dum aliquandiu ibidem moratus fuisset, gravissimam valetudinem incidit, et diuturno languore tabescens, tandem a medicis desperatus est, ideoque procuratum ut oleo sacro ungeretur. Cumque presbyteri cæterique fideles hujus rei gratia lectulo ejus assisterent, subito factus in agonia, omni membrorum ac sensuum officio destitutus est, ita ut fere mortuus putaretur. Exemptus ergo carnis sensibus, ductus est in spiritu ad quamdam mansionem totam interius quasi clibanum ardentem, ad quam cum propius accederet, et curiosius inspicere vellet, subito erumpens vapor incendii apprehendit incautum, moxque in illam fornacem flammivomam traxit invitum. Qui cum protinus ardere cœpisset, jamque nihil aliud, nisi ignem æternum sibi superesse cogitaret, ecce miserante Deo apparuit ei in uno diversorii latere meatus quidam quasi tramitis angusti, de ostio ad ostium ducens, qui etiam flammis vacuus esse videbatur. Quem cernens, et spe evadendi animatus, conatu quo potuit reptans ad locum illum refrigerii pervenit; et per illum ad ostium tendens celeriter exiit et fugit, palpitans ac tremens a facie ignis devorantis. Moxque palatium quoddam regale et amplum reperiens et illuc ingrediens, vidit in eo Reginam cœlorum, Dominam angelorum, vultu et habitu mirabili coruscantem atque in throno gloriæ residentem. Ad quam, pavidus et anhelus, accedens, flagitabat obnixe ut sui misereretur. Quem protinus illa, dedignanter aspiciens, atque minaciter alloquens quod ausus fuisset in conspectu ipsius apparere, mandat quantocius egredi, et cruciandum ad ignem reverti. Porro inter alios matri misericordiæ assistentes, apparebant ibi tres viri venerabiles, quorum unus ejusdem civitatis episcopus erat, alter vero decanus, tertius nihilominus nescio quid officiii in eadem ecclesia administrans.

Hos itaque præfatus adolescentulus intuens ac recognoscens, lacrymabiliter precabatur, quatenus piissimæ Dominæ pro ipso supplicare dignarentur. Quod cum devotissime facerent, misericordissima illa dissimulatrix respondit eis dicens : « Quid est, quod rogare præsumitis pro adolescente isto vanissimo meoque respectu indigno? Hic enim perversus et lubricus nunquam salutationem meam mihi vel una vice repræsentavit. » Cumque rogarent illi, ut solita pietate delicta juventutis et ignorantias illius dimitteret, si de cætero se emendaturum promitteret, accessit iterum tremebundus adolescens, obsecrans eam, et dicens : « Miserere mei, piissima Domina, miserere mei, reparatrix generis humani, et ne claudas a me misero inexhausta viscera misericordiæ tuæ, quia paratus sum amodo et usque in sempiternum servire tibi, et te super omnia post Deum venerari. Quod si genitor meus istam calamitatem meam agnosceret, maximæ auri pondera pro mea liberatione libenter impenderet. » Talia itaque cum lamentabili voce depromeret, beatissima Virgo vera mater misericordiæ serenata facie respiciens illum, dixit : « Quid igitur? Putasne quia valeas teipsum apud me condignum pretio redimere? In hoc enim forsitan placare me posses, si congruum mihi pretium pro tua redemptione persolveres. » Tum ille, non modice exhilaratus, in verbo isto, fiducialius accessit et dixit : « Etiam atque etiam clementissima Domina, ego me optime redimam; et quidquid jusserit mihi dignatio tua, libentissime faciam, tantummodo esto mihi propitia, nec me in illum ignem cruciandum amplius remittas. » Cui Regina virginum respondit : « Volo igitur, ut de quinque generibus annonæ quinque mihi modios, hoc est de singulis singulos non negligas reddere. » Quo ille audito lætanter accepit, respondensque alacriter dixit : « Charum est mihi, o charissima Domina, quod imponis, valdeque jucundum : et ego mensuram bonam et confertam et coagitatam et superefluentem dabo in horreum tuum. » Quod cum in fide sua firmiter promisisset, datis fidejussoribus intercessoribus supradictis, dimissus est ad humana reverti. Redditus itaque sibi, confestim aperuit oculos, receptoque usu loquendi surrexit et sedit in lectulo suo, moxque in jubilum erumpens, cœpit clamare cum gaudio magno dicens : « Benedictus Deus, liberatus sum; et amplius non ardebo. » Videntes cuncti qui aderant adolescentem illum de mortis janua revocatum ita clamantem, et ita præ gaudio gestientem, mirati valde sciscitabantur ab eo tantæ lætitiæ causam. Ipse vero per multum temporis spatium nil aliud dicere poterat, nisi tantummodo : « Deo gratias. Ego non ardebo, ego non ardebo. » Et cum sæpius illud repetisset, conversus tandem ad illos, quid sibi accidisset, vel quid vidisset per ordinem indicavit. Unus autem ex ipsis, vir bonus et eruditus, hæsitantem de visione adolescentem secretius alloqui atque instruere curavit dicens : « Scito prænoscens futurum te esse magni nominis virum, et gradum maximæ dignitatis in Ecclesia sortiturum. Quem cum favente Deo adeptus fueris, oportet te in honorem Dei et sanctæ Virginis matris, diversorum Ordinum cœnobia quinque de tuo construere, in quibus juxta mensuræ tibi propositæ rationem, habeantur ad minus personæ duodecim divino jugiter obsequio famulantes. »

His ille auditis interim tacuit; sed quem res exitum habitura foret, semper sollicitus fuit. Porro in ipsa visione significatum est ei tres illos venerabiles viros, qui pro eo intercessores exstiterant, cum adhuc in carne degerent, eodem anno fore de mundo migraturos : quod etiam celerius secuta mors eorum verum fuisse comprobavit. Processu vero temporis, cum præfatus adolescens ætate pariter et sapientia crescens jam in virum optimum profecisset, ordinante Domino ad regimen Lundensis Ecclesiæ, quæ Daciæ metropolis habetur, assumptus est. At postquam jamdudum prophetatæ sibi dignitatis culmen ascendit, illico reddendi voti sui tempus adesse cognovit : in quo sub quinque generibus annonæ, secundum interpretationem voti sui, diversorum Ordinum cœnobia quinque se fundaturum Reginæ cœli devoverat. Nactus igitur opportunitatem, de remotis Galliarum partibus, ubi fontem religionis esse cognoverat, non solum quinque, sed etiam plures spiritualis professionis conventus, evocare

Digitized by Google

curavit, inter quos etiam Cisterciensis Ordinis duos conventus obtinuit, unum scilicet de ipsa domo Cistercii, et alterum de Claravalle : quosque in optimis terræ suæ locis tanquam vites fructiferas vinum justitiæ germinantes pastinavit. Ut enim semetipsum perfecte redimeret, mensuramque bonam et supereffluentem piissimæ liberatrici suæ, sicut promiserat, persolveret, quinque cœnobiorum fundatione contentus esse noluit; sed alia atque alia, tam de suo quam de aliorum fidelium dono, studuit ædificare. Dabat etiam operam paganitatis ritus, quibus adhuc ex magna parte terra illa imbuta erat, radicitus exstirpare, et Christianæ disciplinæ moribus omnes salubriter informare, superbientes et contemnentes ultionis mucrone ferire. Ita denique zelo justitiæ armatus, noxia quæque et superstitiosa eliminare, et omnia saluti animarum profutura genti suæ providere satagebat, ut a multis retro temporibus nullum in metropoli illa antistitem sedisse putemus, qui tantum in Ecclesia Dei fecerit fructum, quantum fecit ipse. Dominus autem, qui ob illius honorem et amorem cuncta faciebat, curabat voci ipsius dare vocem virtutis; et quos hic anathematis vinculis innodabat, ipse terribili morte mulctabat, in tantum ut adulterum quemdam divitem ac potentem, quem venerabilis sacerdos in cœna Domini publice excommunicaverat, in ipsa sacratissima nocte Dominicæ Resurrectionis cum adultera et duobus filiis ex adulterio natis malignus spiritus crudeliter suffocatum, ad inferos æternaliter puniendum detraheret. Sanctum quoque Bernardum reverendissimum Clarævallis abbatem, licet longius a se remotum, unico venerabatur affectu, unica devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum cœnobium exstruxisset, et ab eo, sicut prædiximus, desideratum sacræ congregrationis examen impetrasset : prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet et labori.

Venit igitur Claramvallem persona humilis et sublimis : quam a finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus et plenitudo devotionis attraxerat. Ubi quantum fleverit, qualem sese non modo erga eum, quem tam unice suspiciebat, sed etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu. Demum rediturus ad propria, ut benedictum a famulo Dei panem referre posset, et diutius conservare, humano sensu præcepit ut in clibano recoqueretur, sicut solent qui maria transeunt, panem ferre bis coctum. Sed abbas sanctus amicabiliter arguens, in hac parte fidem ejus modicam inveniri : « Itane, » inquit, « non poterit benedictio ipsum panem magis quam recoctio conservare? » Et non acquievit benedicere illum, sed communem panem sibi præcipiens exhiberi, benedixit, et ait : « Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sollicitus. » Tulit, et ad suos per multa quidem terræ et maris spatia prospere rediens, gloriabatur fidei suæ defectum evidentissima rei veritate convictum. Haud multo vero post hæc elapso tempore, tristissimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati viri specialis amici sui, scribente sibi libellum de transitu ejus domno Gaufrido monacho Clarævallensi, qui notarius ejusdem sanctissimi abbatis non parvo tempore fuerat. Tum vero concaluit cor ejus intra ipsum, et in meditatione ipsius exarsit ignis, vana, transitoria atque caduca reputans universa, quæ hominis intentionem præpedire possunt a recto cursu, quo ad patriæ cœlestis beatitudinem tenditur. Itaque commendans Ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo et principibus terræ, relictis parentibus et propinquis, notis et amicis, ipsique patrio cespiti valedicens, exsul egregius Claramvallem venit, sepulcrum beati viri intimi quondam amici sui visitavit, et ad sacratissimam tumbam ipsius vivere et mori delegit, ubi etiam sacræ religionis habitum, Deo donante, postmodum suscepit. Nec enim minus in defuncto, quam olim in vivente confisus est : quippe quem post mortem carnis verius vivere omnino non ambigebat. Quanto ergo ab ecclesiasticis et sæcularibus negotiis secretius vacabat, tanto sanctius divinis obsequiis intendere curabat, devotioni sacræ orationis quotidie, imo pene continue sollicitius invigilare; pro peccatis suis præteritis myrrham cordis contriti et spiritus humiliati Deo offerre, et gratiam supernæ benedictionis thymiamate piæ compunctionis enixius implorare. Quadam igitur vice dum in oratorio suo solus consisteret, apparuit ei vigilanti et oranti quidam frater ejus uterinus, qui olim defunctus fuerat, quique hostili gladio trucidatus occubuit, et morte præventus viaticum non accepit. Hic etiam, dum adviveret, eumdem archiepiscopum aliquando injuste offenderat, nec ei ante mortem reconciliatus fuerat per satisfactionem. Cumque venisset ante illum, demisso capite suppliciter inclinabat ei, quasi de offensa veniam postulans, aut etiam orationum suffragia flagitans. Stetit ergo aliquandiu coram illo, nihil penitus dicens, nisi tantum humiliato capite calamitatem ac necessitatem propriam innuens. Sed neque archiepiscopus quidquam locutus est ei, quia præ timore et admiratione nimia mente turbatus, et sui minime compos erat. Verumtamen ex eodem mortuo nil aliud agnoscere poterat, nisi solummodo caput et collum ac summitatem scapularum. Reliqua namque pars corporis ita ardere videbatur, ut nulla penitus in eo membrorum lineamenta discernere posset, nec quidquam aliud cerneret, nisi flammam, quæ totum eum occupaverat. Cumque aliquandiu sic miserabilis apparuisset, tandem ab oculis ejus sublatus est; sed fraternam animam super angustia sua magno dolore conterebratam reliquit; qui etiam postera die veniens in capitulum monachorum, multa missarum et orationum impendia pro eodem mortuo impetravit.

CAPUT XXVI.

De felici consummatione duorum peregrinorum sepulcri Domini, avunculorum domni Eskili.

Verum, quoniam germani tanti pontificis mentionem fecimus, nequaquam absurdum reor, si etiam duorum avunculorum ejus pretiosam in conspectu Domini mortem, quam mirabiliter gratia Dei meruerunt, commemoremus. Non parum namque devotas mentes in amorem Christi flammescere speramus, si ejusdem Redemptoris nostri mira et vere jucunda clementia circa sceleratissimum peccatorem præcordiis legentium insinuetur. Igitur hi duo fratres ex præclarissimo Danorum sanguine oriundi, inter terræ illius proceres post regem videbantur sublimiores. Unus autem ex eis, Eskilus nomine, homo bellicosus et carnali potentia tumidus, cum esset animo ferus atque terribilis, multum sanguinis fundebat, et mala innumera quotidie perpetrabat. Alter vero nomine Sueno, vir sanctæ vitæ perspicuus, atque episcopus Wibergensis erat, qui etiam præcelsi generis nobilitatem elegantia morum atque prærogativa virtutum, longe superabat. Hic itaque germani sui animam sincere in Christo diligens, sed tyrannicam ejus vitam vehementer abhorrens, studebat eum frequenter secretius arguere, et ut a suis pravitatibus resipisceret, admonere. Sed cum parum in hujusmodi pia intentione proficeret, quadam die colloquentibus eis ad invicem, suadebat ei venerabilis præsul, ut accipiens signum Dominicæ crucis Jerosolymam proficisceretur. Ille vero respondit se hoc nullo modo facere posse, nisi secum pergeret ipse, qui consilium dabat. Quo audito, fidelis et verus amicus gratanter accepit, seque quod petebat facturum incontinenti

Digitized by Google

spopondit, malens periculis ac laboribus tantis seipsum exponere, quam fratris animam de ore leonis non liberare. Quo prospere pervenientes, gloriosum Domini sepulcrum, ipsumque vivificum lignum sanctæ crucis, in qua salus mundi pependit, cum magno pietatis affectu adoraverunt. Dehinc cum cætera sancta loca devotissime visitando, venerando atque adorando peragrarent, venerunt ad quemdam locum non longe ab Jerosolyma situm, qui *Pater noster* ab incolis nuncupatur : eo quod Dominus Jesus Christus in ipso loco dicitur discipulis formam orandi tradidisse, et eamdem ibidem orationem composuisse. Erat autem ibi ecclesiola parva vili, schemate constructa.

Cum ergo prædicti peregrini cognoscerent hunc esse locum, unde fons orationis saliens in vitam æternam de ore Filii Dei primitus erupit, et ad imbuenda fidelium corda per universas mundi partes cum tanta benedictionis affluentia derivatus est, tunc et ipsi ingredientes oratorium, haurientesque de fonte Salvatoris pietatis et confidentiæ spiritum, orationem de corde puro fuderunt ad Dominum, obsecrantes, ut sibi peccata dimitterentur et ab omni malo liberarentur. Nec defuit eorum votis supernæ clementiæ respectus, quemadmodum rei declaravit eventus. Nam cum protinus venientes ad fluvium Jordanis, unda illa sacra potati essent atque perfusi, unus ex eis, magnus videlicet ille peccator Eskilus, magnifice de misericordia Dei præsumens, et effundens animam suam in oratione, clamavit ad Dominum, et dixit. « Deus omnipotens et clemens, esto propitius, obsecro, mihi peccatori, et ne despicias animam qualiscunque servi tui, quam de profundo malorum eduxisti ; et post tanta scelerum meorum naufragia, ad portum pœnitentiæ misericordiæ adduxisti. Et nunc, Domine Deus, suspecta est mihi valde fragilitas mea, et dudum inolita peccandi consuetudo, multumque timeo mihi a memetipso, ne forte reversus ad patriam, blandiente rerum prosperitate, peccati quoque materia illiciente, ad pristinas meas pravitates relabi compellar. Proinde, piissime pater, qui dives es in misericordia omnibus invocantibus te, si bonum videtur in oculis tuis, et ita saluti animæ meæ expedire cognoscis, precor indulgentissimam benignitatem tuam, ut absoluto jam voto peregrinationis hujus, absolvere me digneris a vinculo corporis istius, solutumque pariter a nexibus peccatorum jubeas duci in refrigerii locum. » Oratione vero completa, cognovit illico vitæ suæ terminum instare, suumque desiderium mox a Christo esse complendum. Unde perceptis sacramentis, valedixit eadem hora germano suo, cæterisque qui simul aderant, et protinus in sancta confessione reddidit animam. O incomprehensibilis clementia Salvatoris nostri Dei ! Nonne tibi videtur in peccatore isto, prodigi illius filii qui devoravit substantiam suam cum meretricibus vanitatum et voluptatum, persona realiter præsentari : quem adhuc longe agentem pater misericordiarum vidit, et misericordia motus præcepit eum cito indui stola prima innocentiæ, sicque festinabat absolvere miserum de reatu conscientiæ suæ ; ut propemodum tardius fuerit paternæ pietati reo indulsisse, quam ipsi misero indulgentiam percepisse? Quid enim aliud fuit, sceleratissimum peccatorem in ipso limine pœnitentiæ sic orasse, et tam celerem petitioni suæ effectum obtinuisse, nisi effusis super se visceribus divinæ pietatis, miseria corruptibilitatis despoliari, beatæ immortalitatis stola vestiri, annulo divini amoris insigniri, pedes affectionum calceamentis æternæ puritatis muniri, pro receptione filii perditi festivas epulas toto cœlo indici? Videns itaque venerabilis antistes animam fratris sui, pro cujus salvatione ita sollicitus exstiterat, tam celeriter, tam feliciter assumptam, tunc et ipsi vehementer affectus desiderio migrandi, petivit animæ suæ ut A morereturet, ait : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quoniam exaudisti orationem meam ; vidisti lacrymam meam, qua tibi toties supplicavi, ut susciperes pœnitentiam fratris mei. Quæso ergo te, piissime Fili Dei, ne me patiaris ab illo diutius separari, sed jubeas me cum illo in tua pace nunc recipi, ut simul abeamus, et simul ad tuam misericordiam, te donante, perveniamus. O vere amplectenda et amanda pietas Domini nostri Jesu Christi ! »

Vix orationem finierat, quam ardentissima fidei devotione fudit, et ecce vocante se Domino, viribus corporis cœpit repente destitui, vitæque transitoriæ finem jam sibi adesse cognovit. Moxque dispositis pro temporis brevitate quæ necessaria videbantur, præcepit astantibus ut corpus ipsius una cum corpore fratris ejus ad ecclesiam supra memoratam, quæ *Pater noster* dicitur, quam Domino inspirante sincero pietatis affectu exoptaverant, remota occasione referrent et ibi sepelire curarent. Itaque commissum sibi populum divinæ providentiæ reconsignans, et bona sempiterna illis omnibus imprecans, præsentibus etiam valefaciens ac benedicens, feliciter obdormivit in Domino. Factumque est a Domino grande miraculum, ut desiderii sui compotes, peregrinationis voto peregrini consummato, peregrinationem quoque præsentis exsilii terminarent, ita ut ambo simul uno in loco atque una die de mundo migrarent, simulque in unum locum, ubi decreverant, sublati, sepulturam acciperent. Porro præfata ecclesiola, cum antea brevis ac ruinosa fuisset, solo tenus est eversa, et de eleemosynis ipsorum, quas propter hoc ipsum ibidem copiose delegarunt, in ampliorem et venustiorem statum reædificata est : in qua etiam nunc corpora eorum pausant, honorifice tumulata. Horum felicissimorum peregrinorum consanguineus erat beatæ memoriæ Eskilus Danorum quondam archiepiscopus, a quibus non solum sanguinis, sed etiam fidei et devotionis succum trahens, domestico animatus exemplo, peregre vivere, et peregre mori pro Christo Domino proposuit. Quapropter relicta præcelsa dignitate, qua in terra sua singulariter præeminebat, Cisterciensis Ordinis habitum in Claravalle suscepit, et de abundantia divitiarum suarum pauperum Christi inopiam largissime supplevit, sicque eorumdem pauperum numero pauper et ipse consociatus, et in optima conversatione vitam suam consummans, sepultus est in presbyterio ejusdem loci ante altare beatæ Virginis matris : cujus ex hoc memoria in benedictione erit Clarævallensibus in generatione et generatione. Tales itaque personæ tam sublimes honoribus, reverendæ dignitatibus, odore virtutum beatissimi Patris nostri Bernardi, sacri quoque Cisterciensis Ordinis puritate attracti, improperium Christi cunctis Ægyptiorum pompis præferentes, maluere sub disciplina Ordinis temporaliter potius macerari quam impensis sibi favoribus et honoribus falsis æternaliter cruciari.

CAPUT XXVII.

De nobili principe Gunnaro, postea monacho Claræ-vallis

Nam et nobilissimus princeps Gunnarus, judex quondam et dominus Sardiniæ detrachalis, cum aliquando gratia orationis Sanctum Martinum Turonensem expetiisset, in reditu transiens per Claramvallem, et a beato Bernardo devote susceptus, de salute quoque animæ copiose admonitus, conversioni minime consensit, licet Pater sanctus ipso præsente et multum garrulante, cæcum quemdam illuminasset. Cui abeunti vir Domini sic locutus est : « Ego quidem instanter pro tua conversione Dominum rogavi, sed ad præsens exaudiri non merui. Et nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum. Scias tamen te huc iterum de Sardinia rever-

Digitized by Google

surum. » Abiit ergo in patriam suam, sed verba quæ ex ore viri Dei audierat, incessanter animum ejus stimulabant, spiritu intus suggerente, prophetiam, quam tantus Propheta sibi de se prædixisset, cassari penitus non posse. Modico post hinc elapso tempore, cum nuntiatum esset ei beatum virum transisse de hoc mundo ad Patrem, consternatus est animo vehementer, arguens semetipsum, et pœnitens valde quod ad illius prædicationem conversus non fuisset. Mox ergo igne illo, quem Dominus mittit in corda electorum suorum, et vult vehementer accendi, totus incanduit, nec omnino moram facere sustinens, primogenitum filium suum pro se in regno suo principari constituit; [illegible]ero, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis et animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omnique gloria mundi spreta, pauper et humilis ingressus est in Claramvallem, ibique sub disciplina suscepti Ordinis usque ad decrepitam ætatem, imo usque ad mortem perseveranter militans, regnum terrenum pro cœlesti se commutasse gloriabatur.

CAPUT XXVIII.

Qualiter venerabilis abbas Simon relicta abbatia in Claravalle professus est.

Vir venerabilis Simon, quondam abbas Cazinci, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat, adeo ut de consilio et voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem desiderium magnum inerat, curam pastoralem deserere, et fieri monachum in Claravalle. Verumtamen sanctus Pater Bernardus sciens virtutem viri et gratiam, qua commisso cœnobio idoneus valde atque pernecessarius erat, quandiu vixit in carne, nunquam ei super hujusmodi petitione consensum præbere voluit. Quadam igitur die dixit ad eum idem abbas: « Domine Pater, ego senex et pene decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, et insuper urgentibus morbis, jamque resolvi me sentio. Quod si extra Claramvallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis et irrecuperabile damnum. Unde necesse est ut vel nunc abire me jubeas, et satisfacere votis meis, quia mors accelerans, moram amplius facere me non permittit. » Cui vir Dei respondit: « Mane in loco tuo et noli timere: Ego securum te facio, quia morieris in Claravalle. » Credidit homo sermonibus sancti, et mansit interim in prælatione sua securior pluribus annis. Post transitum vero beati viri, cum jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claramvallem se contulit, ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit.

CAPUT XXIX.

De seniore qui vidit B. Mariam capitulo monachorum præsidentem.

Quidam de senioribus Claræ-vallis vir religiosus ac devotus, quadam vice, sicut ab ipsius ore audivimus, vidit in visione beatissimam Virginem matrem splendidissimo vultu et habitu capitulo monachorum præsidentem, quæ etiam in ipso capitulo abbatis locum tenere, et officium gerere videbatur. Illæc vero benedictum fructum ventris sui, parvulum qui natus est nobis, gestabat in gremio, totusque conventus monachorum circa eam residebat in ordine suo. Porro senior qui hæc videbat, mirabatur atque jucundabatur valde in conspectu gloriosi pueruli speciosi præ filiis hominum, et ejusdem sacræ puerperæ; at reverberatis oculis propter luminis claritatem, non satis prævalebat in facies eorum intendere. Cumque jam expleto capitulo solvendus esset ille conventus, imperiosa Virgo conversa ad seniorem illum, qui ad ejus dexteram sedebat, osculum pacis ori ejus dignanter impressit, et insuper benedictum fructum ventris sui ad intuendum atque amplectendum obtulit ei. Quo facto convertens se ad alterum senem, qui ad sinistram ejus sedebat, similiter osculata est illum et nihilominus gaudium cordis sui ei ad intuendum præsentavit. Tunc universi qui aderant monachi, cœlesti pace a senioribus illis hinc inde mutuata, de tantæ Reginæ præsentia salutare Dei in gremio suo confoventis, in jubilum et lætitiam cordis lætati sunt, sicque conventu illo soluto visio ab oculis intuentis sublata est. Tantam vero devotionem de visionis hujus dulcedine senior ille concepit, ut domum capituli non esse aliud, nisi secretarium Dei et portam cœli intelligeret; ideoque quoties per ante eamdem domum transire debebat, toties fere contra locum, in quo matrem misericordiæ cum adorando filio suo residere conspexerat, inclinare solebat.

CAPUT XXX.

De quodam fratre, cui Dominus Jesus Christus cum sancto Joanne Evangelista apparuit.

Frater quidam religiosus ac timens Deum, dum proficiendi desiderio flagraret, et sanctis meditationibus die noctuque vacaret, beatissimum Joannem evangelistam præcipuo diligebat affectu: in cujus etiam scriptura atque memoria mira pascebatur devotione, studens ex dictis ejus sententias tanquam mala punica decerpere, quibus lectulum conscientiæ suæ stipatum, contra fetorem vitiorum virtutum odore refoveret. Factum est autem quadam vice in vigilia Omnium Sanctorum, dum missa in conventu celebraretur, ut ipse stans in ordine suo in choro, pistillo vigilantis sollicitudinis in mortariolo cordis ad susceptionem tanti festi thymiama sacræ devotionis contereret. Cumque de more legeretur Epistola illa de Apocalypsi, mira dulcedine in eisdem verbis fruebatur. Tandem vero in ultimo versu, quod dicitur, *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem*, et cætera quæ sequuntur (*Apoc.* v.) tota in ipso liquefacta est anima ejus igne divini amoris, tantaque jucunditatis affluentia perfusus est, ut præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet. Proinde totus in jubilum raptus, totus extra se fuit; solum Christum quasi præsentem cordis oculis intuens, et brachiis ardentis fidei et pietatis amplectens. Dum vero adhuc ibidem ita staret, et pitantia illa cœlesti mentem abunde reficeret, necdum finita missa sopor Domini irruit super eum; tenuis quidem, sed divina gratia suavis. Statim namque præsentiam suam dignanter exhibuit dormienti, qui supradictam jucunditatem infuderat vigilanti, Dominus Jesus Christus, cum dilecto sibi apostolo Joanne, alloquens eumdem apostolum, audiente fratre, et dicens: « Hanc ego revelationem dudum tibi ostendi, non propter te solummodo, cui jam de mea virtute et dilectione certa cognitio, certaque fiducia inerat, sed maxime propter cæteros, qui me similiter diligunt, ut et ipsi gloriam meam agnoscentes, fiduciam habeant in me. In his verbis evigilans frater ille repletus est gaudio magno, tum propter indultam sibi gratiam Dominicæ visitationis et consolationis: tum propter ipsius Domini attestationem de veritate Apocalypsis, pro eo maxime, quia dolens audierat quosdam hæreticos eidem sancto libro detraxisse, dicentes eum a beato Joanne apostolo scriptum non esse.

Evolutis autem postea diebus circiter quindecim, cum supradictus frater pro peccatis suis valde sollicitus, faciem Domini in confessione et quotidiana cordis contritione prævenire curaret, astitit ei per visum Dominus Jesus Christus cum eodem apostolo suo Joanne. Qui etiam, ipso fratre audiente, prior sic locutus est: « Si quis voluerit a Domino perfectam indulgentiam consequi, oportet eum peccata sua instanter flendo ac pœnitendo punire. » Respon-

Digitized by Google

dens autem Dominus ait : « Quicunque voluerit ad me pervenire, oportet eum hoc ipsum ardenter desiderare. » Postmodum autem die natalis ejusdem sancti Joannis, vidit in visione Dominum Jesum Christum cum gloriosa matre sua quasi quoddam palatium magnum intrare, in quo dicebatur esse paradisus. Illis verò ingressis janua remansit aperta. Cumque miraretur et secum cogitaret quare porta eadem minime clauderetur, dictum est ei : « Hæc est janua vitæ, quæ, ingresso per eam Domino cum sua matre, non claudetur, sed cunctis fidelibus usque in diem judicii patebit. »

Quo ille audito gratulans et exsultans, ait intra se : ergo et mihi patet aditus paradisi. Ingrediar ergo locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Quo cum introire cœpisset, protinus excepit eum inenarrabilis jucunditas quædam atque suavitas ; quæ cunctos sensus ipsius penetrans et replens, nihil aliud cupere, nihil aliud cogitare sinebat, nisi memorari misericordiæ et justitiæ Dei solius. In hac ergo mira suavitatis dulcedine evigilans, adhuc in deliciis paradisi Dei se esse putabat ; sed continuo corruptibilis vitæ motibus et sensibus vallatum se sentiens, tantam felicitatem nondum ad fruendum sibi collatam, sed ad excitandum in se cœleste desiderium, gustui tenuiter prærogatam esse, cognovit. His et hujusmodi revelationibus frater ille de lecto desidiæ, torporis et negligentiæ excussus et ardore divinæ charitatis vehementer inflammatus, tanquam Issachar asinus fortis supposuit humerum ad portandum indeclinabiliter onus pœnitentiæ, ut requiem quam viderat adipisci mereretur.

CAPUT XXXI.

De fratre, qui vidit Dominum Jesum Christum in exitu cujusdam fratris de cœlo descendere.

Monachum quemdam de collegio Clarævallis, spiritualem et bonis moribus pollentem, Dominus, secundum quod in Apocalypsi ait : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* 3), ad decoquendam in eo scoriam peccati gravissima valetudine quadam vice laborare permisit. Sed antequam ad diem criticum pervenisset, divino nutu raptus est in quemdam excessum mentis, et dimidium fere noctis spatium quasi extra se fuit ; multa videns et audiens quæ nunc replicare nostri propositi non est. Eadem vero nocte defunctus est ibi religiosus quidam adolescens, miræ mansuetudinis et patientiæ monachus, qui languore maximo cruciatus quam plurimis annis, durum ac diuturnum martyrium duxit. Hic itaque moriens, et flatum novissimum diutius trahens, præ acerbitate doloris crebros gemitus plangendo emittebat. Porro prædictus æger, cum eum plangentem audiret, dicebat intra se : « Planctus iste citius convertetur in canticum, et doloris istius extrema jam nunc occupabit gaudium sempiternum. » Cum hæc et his similia cogitaret, en quasi persona quædam invisibilis ante lectum ejus assistens, ac diutissime commonens, ad singulos fere planctus, quos ille moriens emittebat, mirabili atque inexperta quadam fragrantia ac suavitate nares ejus et fauces uberius indulcorabat. Tunc vero sentiebat quasi cœlestem quamdam virtutem sensibiliter ac manifeste in semetipso introeuntem, et penetralia cordis ejus suavissime perungentem. Cumque hac mirabili unctione recreatus et totus quodammodo renovatus fuisset, ecce repente apparuit ei apertura quædam in cœlo, per quam videbatur sibi quasi usque ad tertium cœlum oculorum aciem intendere. Et facta est in auribus ejus vox clamans de excelso, et dicens : « Sileat omnis terra, discedat omnis malignitas, Christus venit. » In ipsa hora visum est ei quod Dominus Jesus Christus pauperum et humilium consolator de cœlo descenderet, ac totam domum illam sua benedictione repleret. Ipse vero frater, cui hæc videre concessum est, tanta alacritate et gratia perfusus est, ut se in paradiso Dei esse reputaret, et in jubilo cordis exsultans diceret : « Domine Deus meus, en ista est vita æterna, quam promisisti nobis. Et nunc si revelatis oculis bonum istud quod sentio et quod teneo, mihi videre ac semper habere liceret, jam gaudium meum plenum atque perfectum esset. » Mox igitur imminente hora exitus monachi illius adolescentis pulsata est tabula, et convenientibus fratribus, ut animam ipsius Domino commendarent, liberata est continuo de corpore mortis hujus, et æterna lætitia subintrante fugit ab ea dolor et gemitus. Credimus enim et pie confidimus quia non dedignatus est eam introducere in requiem suam, qui propter eam ad terras descendere dignatus est, Jesus Christus Dominus noster. Dum autem corpus ejus sepulturæ traderetur, alius quidam frater bonæ conversationis, revelante Domino, apertis oculis, sicut ipse protestatus est nobis, vidit quasi quoddam feretrum de monumento procedere et sursum in æthera tendere. Porro prædictus æger ab ægritudine sua Domino miserante convaluit, et iis quæ in obitu fratris viderat et audierat, seu etiam experiri meruerat, magnifice consolatus, gratias egit Deo. Cæterum benedictionis illius suavitatem, quam velut manna absconditum in odore eximio seu sapore præstantissimo expertus erat, postmodum per annos plurimos, non quidem continue, sed tamen frequenter atque copiose consecutus est, prout ille benignus ac suavis Spiritus, qui ubi, et quando et quantum vult spirat, pauperi suo misericorditer infundere dignabatur. Nec modo per somnium, aut per excessum mentis, sopitis vel attonitis sensibus corporis, ut in illa forsitan agonia contigerat, sed corpore vigilante sensuque vigente, orando, psallendo, legendo, seu quidpiam aliud agendo, eamdem suavitatis gratiam divinitus sentiebat. Quam dives et liberalis es in misericordia tua, Domine, omnibus invocantibus te, cunctis quærentibus nomen tuum, pusillis et magnis, abscondens gustum internæ suavitatis et dulcedinis ab his qui sapientes et magni sunt in oculis suis, et revelans eum parvulis tuis, qui omnia, quæ hujus mundi sunt, arbitrantur ut stercora, ut te in dulcedine tua lucrifaciant!

CAPUT XXXII.

De viro Dei Bosone, qui in exitu cujusdam fratris angelorum concentus audivit.

Non putamus silentio prætereundum esse virum venerabilem Bosonem, genere et moribus insignem. Hic unus de primogenitis filiis, quos beatissimus Pater Bernardus in Christo per Evangelium genuit, satis in sua nobili conversatione monstrabat quam regia mamilla lactatus, et quam castæ disciplinæ rudimentis ab initio fuerat imbutus. Hic homo patiens et filius pacis ita benignus, ita mansuetus omnibus apparebat, ut nunquam aliquis nostrum eum viderit iratum seu turbatum, sed inter adversa et prospera immobilis fide stans, tranquillo semper animo durabat. Qui dum jam ad decrepitam pervenisset ætatem, et ita viribus esset destitutus, ut etiam baculo sustentante vix incedere posset, nunquam tamen otio indulgere, nunquam corpori quietem impendere acquiescebat, sed variis illud laborum exercitiis spiritui servire cogebat. Iste vero venerabilis vir, dum aliquando secretius colloqueremur, et de quorumdam fratrum pia ac desiderabili dormitione, quam sæpius nos vidisse contigerat, mutua collatione invicem pasceremur, protestatus est nobis quia in exitu cujusdam religiosi fratris beatorum spirituum choros audierit, suavi melodia in aere modulantes, atque ipsius defuncti animam ad æternæ beatitudinis requiem cum gaudio deferentes. Qui quanto sublimius ascendebant, tanto magis eorum voces inferius rarescebant, quousque tamen cœlo recepti,

Digitized by Google

audiri ultra minime potuerunt. Cumque et ipse beatus senex, vocante se Deo in pace, in idipsum velut obdormiens spiritum emisisset, tanta serenitate et gratia subito refulsit, tamque mirabili quadam immutatione facies ejus glorificata apparuit, ut devotione omnium attestante, beatorum spirituum præsentiam atque ipsius Dei nostri respectum serenissimum ibidem adesse nullomodo dubitaremus. Nunquam enim in aliquo moriente vel mortuo talem transformati vultus claritatem aspeximus. Quapropter universi gratias agentes Deo, commendationis exsequias et officium tanto alacrius persolvimus, quanto de ipsius glorificatione per tam mirabile signum certiores esse meruimus.

DISTINCTIO QUARTA.

De aliis monachis, ac etiam conversis, et novitiis Claræ-vallis.

CAPUT PRIMUM.

De Alquirino monacho, quem Dominus Jesus morientem visitavit.

Fuit in cœnobio Claræ-vallis monachus quidam professioni suæ morum integritate concordans, Alquirinus nomine, vir religiosus atque spiritualis, sobrius in victu, humilis in vestitu, et durus admodum castigator corporis sui. Ita namque circumcisus ac temperans erat in iis quæ ad usum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate et vanitate depulsa, ipsis necessariis etiam parcissime uteretur, licet occasio certum limitem excedendi se ei frequenter ingereret. Erat enim peritus in arte medicinæ, et quamvis magnates et nobiles terræ operam ejus incessanter expeterent, et invitum et renitentem per diversa loca distraherent, ipse tamen super egenos et pauperes magis intelligens, omnimodam eorum curationi sollicitudinem impendebat. Nec modo ipsorum ægritudines livoresque curabat, sed et languentium putridas carnes et sanie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Et vere sic erat. Totum enim pro Christo faciebat, et totum sibi Christus imputabat, qui misericordiæ opera sectantibus in fine dicturus est: *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv). Unde et ipse Dominus famulum suum secretis consolationibus sæpius visitabat, et ad opus ministerii hujus mirabiliter incitabat. Quadam igitur vice vidit hujusmodi visionem in Claravalle. Imprimis audivit quasi quemdam præcursorem cœlestem præconaria voce clamantem et dicentem: « Ecce Christus venit: Surgite et occurrite obviam Salvatori. » Cumque omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc et ipse cucurrit et stetit in ostio claustri, per quod venturus esse sperabatur. Itaque, ingrediente Domino, accessit et adoravit eum, flagitans ut acciperet benedictionem et misericordiam a Deo salutari suo (*Psal.* xxiii). Qua percepta cœpit eum attentius intueri, et miro pietatis affectu compatiebatur illi. Siquidem apparebat ei veluti dolens et infirmus, confixus clavis et lancea perforatus, ac si eadem hora de cruce depositus esset, ita ut sanguis ubertim de plagis recentibus emanaret. Porro ipse Dominus linteolos mundos, quasi corporalia tenens, eisdem vulneribus imprimebat, et cruore deterso in terram projiciebat eos. Quos frater ille cum summa veneratione recolligens, ac multa devotione deosculans, quasi redemptionem animæ suæ in sinu suo repositos conservabat

His et hujusmodi revelationibus frequenter a Domino recreatus, non cessavit usque in finem operari bonum ad omnes, maxime autem ad peregrinos et pauperes ægrotantes. Quam vero rigidus in pœnitentia servanda, quamque districtus castigator corporis sui fuerit, ex hoc satis apparet quod cum indigentibus cunctis cum fervore charitatis curationis operam impenderet, se solum ab hujusmodi cura excipiebat. Licet enim valetudinarius esset ac debilis corpore, nunquam tamen acquievit carnalem sibimet impendere medicinam, sed totum se Deo committebat, quoniam ipsi cura est de nobis (*I Petr.* v). Sciebat nimirum virtutes animæ in corporis infirmitate perfici (*II Cor.* xii), nec posse monachum spirituales a Domino consolationes percipere, qui consolatiunculas carnis suæ tenere sollicitus, gustare et videre negligit quoniam suavis est Dominus. Cursu itaque vitæ suæ laudabiliter peracto, cum jam tempus instaret, quo pro laboribus et sanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extrema pervenit. Cumque venerabilis abbas Pontius, cujus supra meminimus, ad eum gratia visitationis venisset, quæsivit ab eo quid ageret, vel quomodo se haberet. Ille vero respondit: « Bene, charissime Pater, bene omnino agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum. — Quid ergo, inquit, corporalem molestiam ægre non toleras, et mortis angustias non formidas? — Ego, inquit, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia jam præventus sum a Domino in benedictionibus dulcedinis, quæ omnem mihi mœrorem a corde, et omnem pene dolorem a corpore tulit. » Respondens itaque abbas dixit ei: « Obsecro te, dilecte mi frater, ut propter Deum dicas nobis ad ædificationem nostram, si tibi divinitus aliquid est revelatum. » Tunc ait illi: « Modo antequam huc intrassetis, apparuit mihi, licet misero et indigno, Dominus Jesus Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuens, ac signa beatissimæ passionis suæ ostendens, ait: Ecce peccata tua deleta sunt a facie mea. Veni ergo securus; veni et vide, ac deosculare vulnera mea quæ tantum dilexisti et toties confovisti. Tali ergo promissione firmatus, jam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo (*Job* xix). Et scitote quia proxima nocte (erat autem vigilia beati Martini) migraturus sum, dum opus Dei celebrabitur in ecclesia, et tali hora. » Defunctus est ergo eadem nocte et eodem tempore quo prædixerat: jamque, ut vere confidimus, requiescit a laboribus suis (*Apoc.* xiv); et tanquam columba super nivem dealbata nidificat in foraminibus petræ (*Cant.* ii), id est sacratissima Christi Domini vulnera complectendo adorat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT II.

De fratre mirabilem gratiam compunctionis habente, quem Dominus magnifice consolatus est.

Frater quidam de eodem monasterio, dum pro peccatis suis, quibus Deum nimis offenderat, pavidus et anxius, tota die contristatus ingrederetur, fletibus et lamentis finem imponere recusabat, sciens nimirum confessionem oris absque contri-

Digitized by Google

tione cordis ad promerendam veniam minus sufficientem coram Deo judicari. Cumque volumen timoris Dei, in quo scriptæ sunt lamentationes et væ (*Ezech.* II), salubri amaritudine ventrem conscientiæ ejus aliquandiu amaricasset (*Apoc.* X), divina tandem aspirante gratia, membrana charitatis Dei, in qua scriptum est carmen, facta est in devotione cordis ejus, tanquam mel dulcis (*Ezech.* III). Cœpit namque jam primitias quasdam laborum suorum prægustare, et experimento discere quoniam sacrificium spiritus contriti et humiliati Deus non despicit (*Psal.* L). Nam cum in tanta amaritudine, quam prædiximus, continue conversaretur, nocte quadam vidit in visione Dominum Jesum Christum, tanquam sacerdotalibus ornamentis indutum, et missam celebrantem. Quoties vero juxta ritum sacrificii se ad populum convertebat, tollens in manibus suis calicem de altari, cunctis qui aderant, videndum offerebat. Porro in ipso calice nihil aliud erat, nisi tantummodo lacrymæ, quibus beata Maria Magdalene pedes ejus in domo Simonis flendo et pœnitendo rigaverat. Cumque prædictus frater secus pedes Domini positus ista videret, percunctatus est eum, dicens : « Obsecro, Domine, ut quid ostendis nobis calicem istum, cum lacrymis, quæ in eo sunt? » — « Ut videant, inquit, et sciant universi quantum mihi placet contritio cordis, et pœnitentiæ luctus, qui ad exemplum pœnitentiæ tandiu servavi lacrymas hujus peccatricis ad pedes meos flentis et pœnitentis. » Quanto igitur divinæ majestati acceptabiliores esse lacrymas pœnitentiæ didicerat, tanto magis incitabatur et inflammabatur in ipso spiritus ejus, ita ut legendo, psallendo, meditando, nihil aliud quæreret, nihil aliud intenderet, nisi ut mentem ad lamenta formaret, et compunctionis gratiam in se excitaret, sciens quoniam *regnum cœlorum vim patitur, et violenti* talibus armis *diripiunt illud* (*Matth.* XI). Addidit autem Dominus adhuc consolari servum suum, qui malorum suorum pœnitudine in frixorio disciplinæ continue macerabatur. Vidit namque in visu noctis, se quasi in lacu profundissimo fluctuantem ac periclitantem.

Cumque jam evadendi spes nulla esset, en subito adfuit adjutor in opportunitatibus Dominus Jesus Christus, nudis pedibus ambulans super aquas. Qui cum ad eum venisset, extractum de aquis dignanter levavit miserum in sinum suum, ac posuit in prato jucundissima viriditate amœno. Considerans autem frater ille tantæ dignationis gratiam, procidit ad pedes Domini Jesu, et præ immensitate lætitiæ gestiens animo, cœpit insatiabili pietatis desiderio sibi astringere et deosculari pia vestigia Salvatoris. Cumque evigilasset, sagaci discussione visionem examinans, lacum, in quo demersus fuerat, profundum vitiorum, sinum gratiæ in quem dignanter levatus est, remissionem indulgentiæ, pratum floridum, in quo transpositus est, æternæ quietis viriditatem interpretatus est : Et propterea tota mente conversus ad Dominum, tanquam præteriti labores ipsius parvi fuissent, in anteriora se extendere cœpit, jejuniis, vigiliis, et orationibus continuis, lacrymis et gemitibus inenarrabilibus a Domino postulans, quatenus indulgentiæ ipsius largitatem in visionis imagine sibi præostensam, duce gratia, in rei veritate experiri mereretur, et ut hoc ei aliquibus indiciis divina pietas insinuare dignaretur. Dominus vero virtutum omnium distributor et earum moderator, cum laborantem continue in gemitu suo, et panem doloris assidue comedentem consolari decerneret, quadam nocte desiderio quo supra diximus valide affectus fratrum vigiliis intererat. Et ecce subito psallens et orans venit in mentis excessum. Et vidit, et ecce persona quædam novaculam acutam et quasi insensibilem leviter ac suaviter ducens per caput ipsius, in momento, in ictu oculi, veluti rasit ei barbam, collum et coronam, divinæ indulgentiæ bonitatem signo hoc flenti et suspiranti A declarans. Verumtamen paucos pilos in uno tempore deferens, quotidianarum, ut reor, negligentiarum, sine quibus vita ista non ducitur, nævum denotavit. His et hujusmodi consolationibus idem frater sæpius relevatus, inspirante Domino, didicit in spe veniæ respirare, et de perceptis beneficiis gratias agens ad ampliora suspirare. O felix humilitas pœnitentium! o beata spes peccata sua perfecte plangentium, quam potens es apud Omnipotentem! quam famule vincis invincibilem! quam cito tremendum Judicem convertis in piissimum patrem, tanto dulcius altissimam æternæ munditiæ jucunditatem perceptura, quanto nunc profundius in descensu Jordanis a lepra vitiorum mundari consenseris!

CAPUT III.

De monacho, cui eucharistia mirabilis savoris gratiam præstabat.

B Frater quidam in sacræ religionis observantia fervens et sollicitus, dum aliquando die Dominico, secundum consuetudinem Ordinis, corpori et sanguini Christi participasset, visum est illi tunc et per totam deinceps diem quod favum mellis dulcissimum, in ore teneret. Sequenti vero Dominica, dum similiter eucharistiam percepisset, per continuum triduum similem expertus est gratiam. Tertia quoque Dominica, dum divinam nihilominus alimoniam reaccepisset, tota jam hebdomada semel indultam suavitatem sentire promeruit. Ex tunc ergo et deinceps hanc panis vitæ dulcedinem multipliciter et multo tempore sensit, modo rarius, et modo crebrius, prout dator gratiæ Spiritus Sanctus pauperi suo concedere dignatus est. Factum est autem ut aliquando quempiam de amicis suis pro culpa sua objurgans, justæ invectionis mensuram supra modum excederet, nec tamen antequam divinorum sacramentorum munus ab altari sumeret, exasperatam fratris conscientiam per satisfactionem lenire C curavit. Unde factum est ut, hostiam pacificam, fratre necdum pacificato, percipere præsumens, pro mellea spiritualis suavitatis dulcedine, qua antea refici et recreari consueverat, super fel et absynthium amarissima amaritudine fauces suas infectas tremebundus horreret. Quocirca reatum suum quantocius ad memoriam reducens, et pro culpa minus discretæ invectionis humillima satisfactione pœnitentiam agens, apostolicam illam sententiam de cætero sollicitius observare curavit, in qua ait : *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (*Galat.* VI). Attendant, quæso, istud exemplum, quicunque æmulatores Ordinis sunt, quicunque zelo justitiæ accensi, fervent spiritu. Attendant, inquam, et cautius observent, ne forte modum justæ correptionis in arma vertant furoris, et emendationis poculum, quod fratribus propinare conantur, tam sibi quam aliis, pro indiscretione in perniciem trahant, dum et seipsos per iram dilaniant, D et quæ emendare debuerant, dum exasperant, exulcerant, et ad excusandas excusationes in peccatis prorumpere compellunt.

CAPUT IV.

De monacho multa dæmonum certamina perpesso, qui Dominum Jesum Christum videre meruit.

Ad confutandam pigritiam et excitandam devotionem nostram unum de bellatoribus proferemus in medium, qui in cœnobio Clarævallis ab adolescentia sua usque ad decrepitam ætatem sub monasticæ disciplinæ jugo desudans, tam multiplicia et acerrima dæmonum certamina perpessus est, ut nisi Spiritus adjuvisset infirmitatem ipsius, tantam larvalium umbrarum malitiam caro et sanguis sustinere nequaquam potuisset. Hic itaque in omni sanctitate et justitia Domino serviens, et corporis integritatem magno Dei munere a matris utero conservavit, cui et Dominus in testimonium geminæ pu

Digitized by Google

ritatis multa de secretis cœlestibus revelare dignatus est. Quadam igitur vice dum diutius protelatis vigiliis in quodam diversorio solus oraret, inhorruerunt subito pili carnis ejus, et præter solitum turbari cœpit a facie nocturni. Et ecce turba dæmonum glomeratim per ostium irruens, et quasi se invicem a multitudine introeuntium comprimens, totam domum implevit, ita ut undique perstrepens, ipsum quoque orantem hinc inde converteret. Quod ubi ille persensit, illico signo crucis armatus, crebras venias petere cœpit, et beatæ Virginis salutatione eos exturbavit. Nocte vero sequenti cum eumdem locum orationis gratia repetisset, ecce iterum contrariæ potestates in impetu furoris accelerantes, domicilii parietem lapideum ita validissime percusserunt, quomodo percutit aries ad murum applicatus, ita ut domum totam quaterent. Cumque vir Dei levaret oculos suos contra fenestram magnam in eodem pariete apertam, in ea vidit consistere dæmonem quemdam pennatum, ad instar gryphi aut struthionis, qui ei minaciter imminebat, quasi mox ruiturus in eum atque devoraturus. Quo viso, machinamenta dæmonis animadvertit; et invocato Salvatoris nomine, efferato prodigio signum crucis opposuit, ac fugavit. Multa ejusmodi ludibria atque certamina passus multo tempore, ferire et referire non destitit luctator egregius, jugi intentione contra spirituales nequitias luctamen sine fœdere exercens. Accepit autem hanc gratiam spiritualem a Domino, quam perpauci homines assequuntur. Nam quoties voluisset, intentis luminibus in aere solitus erat videre corporis oculis per diem globos dæmoniorum stipatis agminibus passim ubique vagantium, quorum tanta est infinitas, ut præ immensitate æstimari non valeat. Qui cum multiformiter soleant apparere, una tamen est forma, vel potius informitas, in qua frequentius eosdem conspicabatur. Igitur secundum corporis lineamenta monstruosi homines esse videntur, statura gigantes, colore Æthiopes, agilitate angues, leones ferocitate, capitibus grossis atque turgidis, ventribus prominentes, corporibus curti atque gibbosi sunt, colla quoque producta habent, et exilia brachia, nihilominus et crura longissima præferunt. Quando autem alicubi in aere sistunt, tunc eorum corpora membratim discernuntur. Quando vero discursu gyrovago huc illucque vagantur, tunc nihil ex eis, nisi tantum larvales umbræ et turbidi glomeres deprehenduntur. Porro serenis diebus, quando sol in virtute sua lucet, tunc visiones hujusmodi frequentius cernere solebat et clarius discernere.

Huic venerabili viro beatus Augustinus eximius Ecclesiæ doctor quodam tempore per visionem apparuit, ducens illum per innumera loca pœnarum usque ad ipsum putei gehennalis ingressum, in quem ex alto prospiciens, trementibus membris, et palpitante anima præ timore intolerabili, vidit illam tartareæ abyssi voraginem plenam clamoribus horrendis, atque exsecrandis ululatibus miserorum viventium semper in igne devorante, quibus est mors amarissima, mors omnium pessima, mori scilicet non posse. Inde reflexo gradu eductum de loco horroris et tenebrarum, transtulit ad regionem felicium gaudiorum, ostendens ei lucifluas sedes et mansiones beatissimarum animarum, ubi corporibus exutæ, vita incorruptibili vivebant, atque in pace Christi, quæ exsuperat sensum, regenerationem corporum suorum exspectantes, felicissime quiescebant. Tunc ait illi sanctus Augustinus : « Ecce vidisti fines ultimos boni et mali. Elige, quod bonum est in oculis tuis. Si viam justitiæ, quæ in libris meis copiose digesta est, tenere decreveris, portionem accipies in terra viventium cum omnibus istis. Si vero post concupiscentias tuas ire volueris, in gladio numerandus es cum iis quos vidisti, terribili quidem, sed justo Dei judicio projectos in anathema oblivionis. Finita itaque visione, cum fuisset ad se reversus homo, totus infremuit, totus vehementer inhorruit, duplici nimirum constrictus articulo, tum ne beatorum gloriam amitteret, tum etiam ne pœnam reproborum incurreret. Ex tunc vero et deinceps, cœpit beatissimum doctorem Augustinum dulcius amare, et dicta illius sapidius ruminare. Contigit autem aliquando ut infirmaretur in Domo-Dei, quæ est Abbatia Ordinis Cisterciensis, sita in pago Bituricensi. Porro ibidem tunc ægrotavit ad mortem frater quidam honestæ conversationis. Qui cum jam in area positus esset, casu accidit ut infirmariis absentibus spiritum exhalaret. Prædictus vero frater, cum ibidem in stratu suo recubans gravi corporis molestia langueret, revelante sibi Domino vidit manifeste corporeis oculis animam illam longo tractu a corpore exeuntem, et quasi fumum incensi de thuribulo procedentem. Quæ cum tota fuisset egressa, collegit se in unum globum, et stetit supra corpus in aere suspensa, altitudine quatuor aut quinque cubitorum. Erat autem species ejus tanquam nubecula condensa atque perspicua ; et quasi ad mensuram unius modii oppansa. Mansit ergo ibidem immobilis; usquequo fraternis orationibus comitata, et sacerdotali commendatione munita, periculosi atque ignoti itineris ducatum accipere mereretur. Quod cum frater ille videret, sonitu et voce qua potuit, infirmarios evocavit. Qui protinus accelerantes, tabulam defunctorum pulsaverunt, et fratres ad exsequias concurrerunt. Præsente vero conventu cum cruce et aqua benedicta, cum jam sacerdotalis commendatio esset initiata, tunc anima illa quasi secura processit, et nebula illa quæ videbatur, evanuit. Alio quoque tempore accidit ut præfatus vir Dei die Dominica divinis interesset officiis in Ecclesia quadam parochiali. Dicta itaque offerenda, cum jam ministratio panis et vini aqua mixti sacræ fuisset mensæ imposita, protinus apparuit ei Dominus Jesus, stans super eamdem aram in forma parvuli præ filiis hominum speciosi, ita manifeste atque morose, ut usque ad consummationem sacrificii ipsa propemodum visio perseveraret. Verumtamen presbyter ejusdem loci, qui missam celebrabat, homo inhonestæ vitæ, atque flagitiosus erat. Quamdiu ergo sacerdos ille, seu fidelium oblationes recipiendo, seu sermonem, ut in die festo fieri solet, ad populum proferendo, seu aliquid aliud faciendo, dorsum ad altare habebat, tandiu sanctus infans ante calicem stabat. Quandiu vero sacerdos ad sacramentum faciem tenebat, tandiu sanctus ille puerulus, tanquam immundum presbyteri halitum exhorrens, longe remotus ab eo, post calicem consistebat. Quod cum frater ille conspiceret, compunctus est vehementer, et totus in lacrymas resolutus, ita ut inundatio lacrymarum a contuitu dulcissimi Redemptoris oculorum ejus aciem interdum præpediret. Completa autem revelatione, glorificavit Deum, qui sibi talia dignatus est demonstrare. Et vere cognovit quod distantia meritorum minime faciat discrepantiam sacrificiorum, quoniam sacramenti effectus nullatenus constat ex virtute et merito sacerdotis; sed ex institutione et gratia Salvatoris.

CAPUT V.

De seniore, cui Dominus Jesus in die Parasceves vigilanti apparuit. Per Parasceven hoc loco intelligitur dies, quo memoria passionis Christi in Ecclesia celebratur. Apud Judæos enim quælibet feria sexta Parasceve dicebatur, id est præparatio; quia illo die præparabantur cibi et alia necessaria ad sequentem diem Sabbati, quo nec cibos coquere, nec aliquid hujusmodi facere licebat. Quia ergo Christus in parasceve Paschæ crucifixus est, dies passionis ejus parasceve appellatur. Nec enim ecclesiastici viri dies idolorum nominibus vocant, ut solent profani, qui dies Martis, Jovis, Veneris, etc, *velut ethnici, dicunt.*

Monachus quidam præfati monasterii, religione

Digitized by Google

pariter et ætate provectus, dum aliquando die sancto Parasceves sederet in claustro, librum ante se habens, apparuit ei Dominus Jesus Christus, manibus et pedibus in cruce expansis, acsi eadem hora fuisset crucifixus. Quæ scilicet visio felicissima, quamvis brevis et pene momentanea fuerit, adeo tamen manifesta atque efficax exstitit, ut visionis ipsius devota memoria de corde videntis ulterius deleri non potuerit. Sicut enim qui camino ignito oleum injicit, totum flammescere facit, sic gratia revelationis hujus præcordia senis illius longo sanctæ conversationis usu ignita, sacri desiderii flamma peramplius et perfectius illustravit : unde et ascensiones in corde suo disponens, de virtute in virtutem proficiens, quadragesimum, ni fallor, in Ordine supergressus est annum, tandemque corruptibilis carnis onere deposito videre meruit, non in imagine infirmitatis, sicut antea, sed in gloria majestatis Deum deorum in Sion.

CAPUT VI.

Quam misericorditer Dominus quemdam clericum ut converteretur admonuit.

A

ineffabilis Deus, et ineffabilia opera ejus. Quis enim digne effari queat quam mirabilis sit in sanctis suis, quam miris et multiplicibus modis in tempore vocet quos ab æterno præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ita ut etiam nonnullos ex iis qui per flagitia in massa perditionis penitus absorbendi videbantur, potenti virtute eruens, transferat in regnum claritatis ejusdem dilecti Filii sui? De quorum numero clericum quemdam juvenem, divitem, nobilem, sæculo prona intentione deditum, de voragine voluptatum paterna castigatione clementer eripiens, docuit non sperare in incerto divitiarum, nec lubricæ ætatis petulantiam sequi, sed per duros labores pœnitentiæ ad veras divitias æternæ vitæ pervenire. Hic itaque delicatus adolescens advertere nolens, ideo ferias clericis a sanctis Patribus institutas, ut vacarent et viderent quoniam Dominus ipse est Deus, non ut scacis aut aleis, seu quibuslibet diabolicis nugis intenderent, solebat frequenter cum coævis et sodalibus suis, spectaculis et ludis variis diem perdere. Quadam igitur vice cum ad aliquam domum jocandi causa multi confluerent, ut theatricis plausibus et nugis diem ipsum solito more consumerent, accessit etiam illuc, præfatus adolescens, ut et ipse pasceret hædos suos de spectaculo vanitatis. Erant autem illic aleatores quidam cum aleis ludentes quos ut melius ex alto prospiceret, super mensam ibidem positam pronus accubabat. Et ecce facta est super eum subito quasi manus hominis, ipsum invisibili flagello diutius cædens, quæ caput illius et humeros ac dorsum totum veluti pilo desuper feriente crebris ictibus tundebat. Ipse vero jacebat immobilis, quid faceret, quo se verteret ignorans. Volebat præ nimia doloris angustia in vocem clamoris et planctus erumpere, sed præ pudore, propter frequentiam circumstrepentis populi non ausus, ne velut insanus reputaretur, molestiam verberum ægerrime ferebat. In semetipsum vero reversus, et mortem quasi jam imminentem præ oculis habens, arguebat se in conspectu Domini, gemens in amaritudine animæ suæ, et dicens : « Eia mihi, Domine Deus meus! Nunc invenerunt me peccata mea : et ecce jam morior, et ad inferos cum dolore descendo, carens pœnitentiæ fructu. O Pater misericordiarum, Domine Deus meus, si respiciens videris afflictionem peccatoris in angustia constituti, et me, licet indignum, de præsenti periculo misericorditer eripueris, promitto, voveo, spondeo quoniam non ero ingratus beneficiis tuis, sed continuo spretis cunctis quæ sunt mundi, servum me tibi tradam sempiternum. »

Dum hæc et similia in corde coram Domino loqueretur, facta est vox ad ipsum dicens : Si Claram-Vallem conversionis gratia adire volueris, et in anima et in corpore salvus eris. Ad quam vocem respirans et a Domino se visitatum intelligens, illico respondit : « En trado me servum Deo, et domui Claræ-Vallis. » Adhuc eadem verba in corde volvebat, cum mox recedente flagello, totus etiam dolor evanuit. Sentiens autem factam in se misericordiam, continuo non acquievit carni et sanguini ; et si ita equitatura ad manum fuisset, ne unius quidem horæ morulam sustinuisset, quin incontinenti votum quod voverat persolveret. Neque enim carnalem illam cogitationem admisit, ut domum rediret, parentes et amicos consuleret, domum familiamque disponeret, redditus, agros censusque locaret, sed omnia hæc abrumpens potius quam solvens, et cuncta hæc propter Christum arbitratus ut stercora, eadem die comparata equitatura, in crastinum summo mane iter arripuit, a facie sæculi, tanquam a facie leonis fugiens, ut maneret in solitudine. Ferventissimo itaque desiderio veniens ad solutionem voti Claram-Vallem, quæ prius vallis absynthialis dicebatur ; fratribus quoque modum et ordinem suæ conversionis exponens, tanto jucundiori charitate susceptus est, quanto per hæc judicia Domino vitam conversationemque suam placere, fratres illi humiliter præsumebant. Susceptus itaque et probatus, Domino quoque donante, fidelis inventus, veterem hominem cum suis actibus exuit, et novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV), induens, tanta instantia Cisterciensis Ordinis arduos labores usque ad finem vitæ suæ complexus est, ut cunctis sanctissimam conversationem ejus intuentibus liquido pateret primam illam conversionis ejus vocationem vere ab illo fuisse, qui eos quos amat, arguit et castigat ; omnemque filium quem recipit, paterna pietate flagellat (*Apoc.* III ; *Hebr.* XII).

B

CAPUT VII.

De novitio, quem beatus Bernardus sæpius in visu visitavit.

C

Frater quidam de Ordine regularium canonicorum, cum esset proficiendi avidus, atque charismatum meliorum æmulator desiderabat desiderio magno beati Bernardi magisterio subjici, et Claræ-Vallensium collegio sociari, licet hoc, ipso sancto Patre vivente, consequi minime potuerit. Quo decedente, audita fama pretiosæ mortis ejus, consternatus est animo vehementer ; miserum se, atque indignum clamitans, quod voti sui compos fieri non meruisset. Post autem paucos dies apparuit ei in visu venerabilis Pater, quasi strenuus operator præcinctus ad laborandum in agro latissimo, in quo manipuli triticeæ messis innumerabiles esse videbantur, ex quibus multitudinem magnam in acervum grandem congesserat ; reliquis vero qui supererant, qui etiam multo plures erant, comportandis et coacervandis pertinaciter insistebat. Quod cum vidisset, intellexit illico congeriem illam manipulorum figuram tenere multitudinis fratrum, quam ideo egregius prædicator, quandiu vixit in carne, Christo Domino aggregarat ; adhuc autem restare innumeros, qui ejus meritis et exemplis ad salutationis gratiam essent perducendi. Unde multum exsultans, seque ex illis fore, non desperans, Claram-Vallem, quam citius potuit, adiit, postulans et impetrans se ad probationem admitti. Qui dum adhuc ibidem novitius esset, et beati viri memoriam pene incessanter atque insatiabiliter animo volveret, quadam die Dominica circa finem vigiliarum, fatigato illi, et modis pluribus afflicto, cœpit obrepere sopor. Et ecce apparuit ei reverendissimus Pater, cujus amore flagrabat, dignanter alloquens eum, et monens de dirigenda ad Deum jugiter intentione, cum quotidiana lacrymarum effusione. Quod si faceret, divinam miserationem, et suam ipsius visitationem securus exspectaret. Et cum ista dixisset, recepit se in tumbam suam, quæ ibidem coram altari beatæ Virginis ma-

D

Digitized by Google

tris posita erat. Quæ videlicet receptio tam evidens fuit, ut frater ille nesciret utrum dormitans, an vigilans hoc vidisset. Cumque aperuisset oculos, et piissimi Patris admonitionem dulci recordatione pensaret, subito iterum apparuit illi jam plene vigilanti et corporeis oculis intuendum se obtulit. Stabat igitur dominus coram ipso, ita ut manu tangi facile posset; diligenter eum considerans, et quasi explorans utrum dormiret, an vigilaret, more eorum qui excitant ad vigilias dormientes. Quem cum novitius stupidus et attonitus intueretur, protinus ille qui videbatur, evanuit; et (quod mirum dictu est) visum est illi quod quasi sensibiliter præcordiis ejus illapsus fuisset. Unde vehementer accensus in amorem Dei et ejusdem beatissimi viri, ad susceptionem novæ vitæ in gaudio et exsultatione spirituali de die in diem instituebatur. Denique sequenti nocte cum vigiliis fratrum similiter interesset, talem ac tantam divinæ visitationis gratiam ibidem expertus est, qualem ac quantam in vita sua nunquam antea senserat : quod totum utique meritis ejus, quem diligebat, se obtinuisse, gratulatus est. Cumque per dies plurimos memoriam abundantiæ suavitatis hujus recolendo frequentius eructaret, fundebat ubertim dulces et pias lacrymas, quibus die noctuque satiari non poterat. Transacto autem anno probationis ejus, sacrum habitum cum multa devotione suscepit, vestem innocentiæ, quam non tam foris quam intus vestitus fuerat, jugi meditatione perpetuaque sollicitudine illibatam servare contendens, sicque post vestigia venerandi Patris, quem unice diligebat, indefesso studio pro modulo suo gradiens, et vitam suam in bona perseverantia consummans, illi, ut confidimus, est associatus in cœlis, cujus in terris positus consortium ardenter desideravit, et vigilanter requisivit.

CAPUT VIII.

De monacho, cui Dominus Jesus Christus semel et secundo apparuit.

Alius quidam in eodem cœnobio novitius frater, cum ex toto corde Dominum quærere proposuisset, conjunctis sive expansis manibus frequenter orare solitus erat, ubi tamen opportune id facere potuisset. Quadam itaque nocte in principio vigiliarum, cum esset in choro, clausis oculis, manibusque protensis ad Deum intendens, subito adfuit ibi Dominus Jesus Christus, loquens ad eum, et dicens : « Porrige mihi manus tuas. » Ad hanc itaque vocem cum aperuisset oculos frater ille, multum obstupuit; sed utrum dormiens an vigilans hoc audisset, non facile discernere potuit. Ex hac autem voce multum fervorem, multamque devotionem mente concipiens, eamdem formam orandi servare deinceps sollicitus fuit. Post aliquantum vero temporis, cum jam monachus factus in quodam ejusdem ecclesiæ angulo secretius staret, intento animo junctisque manibus, sicut solebat, orans, subito fuit in spiritu. Et ecce astitit ei Dominus Jesus Christus, suppositis atque expansis manibus suis manus illius excipiens, et quasi ad professionem admittens. Quo facto cum fuisset homo reversus ad se, gavisus est gaudio magno valde, jamque felici doctus experimento certissime credidit ubique divinam esse præsentiam, maxime vero, sicut testatur legislator noster S. Benedictus (26), quando operi Dei, sive orando, sive psallendo insistimus.

CAPUT IX.

De fratre Ansulpho, qui vidit Dominum Jesum in cruce pendentem.

Magnæ devotionis vir, et magna præditus gratia, nomine Ansulphus, cum adhuc esset in Claravalle novitius, vidit in visione apparentem sibi Dominum Jesum Christum, tanquam in cruce pendentem.

(26) S. Benedic. in cap. 19 Regulæ.

Erant autem, ut sibi videbatur, ibidem duo alii novitii, qui secum erant in probatione. Cum ergo supplicitер Dominum adorasset, et ut sui sociorumque suorum misereretur humillima prece rogaret, motus misericordia pius Dominus respexit ac benedixit eum; et alterum cum eo supradictorum novitiorum. Cernens vero novitius, qui hæc videbat, tertium illum Dominica benedictione minime roboratum, fraterna pietate commotus, cœpit attentius rogare Dominum, ne ipsum a largitate suæ benedictionis excluderet. Respondit autem Dominus nequaquam illum esse benedicendum; sed magis ad massam pertinere maledictorum. In his verbis evigilans novitius ille, de benedictione, qua cum socio suo a Domino benedici meruerat, oppido gratulatus est, sed quidnam de illo, de quo tam tristem sententiam audierat, futurum foret, dubius exspectabat. Post diem itaque tertium tertius nempe neophytus trinitatis vinculum rumpens, ut tristem sui nominis etymologiam exprimeret, Malgerus siquidem vocabatur, Ordine derelicto reversus est ad vomitum vitæ sæcularis, et factus est apostata vilis. Reliqui autem duo, qui benedictione Domini firmati fuerant, ipso miserante benedictionem hæreditate possederunt : et quoniam ad sortem benedictorum Domini pertinerent, in proposito suo juste et pie usque in finem vitæ perseverando, declararunt.

CAPUT X.

De fratre qui dexteram Domini se benedicentem in visu deosculatus est.

Frater quidam ejusdem cœnobii, cum se ad quærendum Dominum magno desiderio convertisset, et pii Salvatoris nostri Domini Jesu Christi memoriam dulci meditatione continue ruminaret, vidit illum quadam vice in visione sibi apparentem. Sollicitus autem de sua salute, flagitabat obnixe salutiferam ejus benedictionem, dicens : « Obsecro, Domine, benedic mihi ut salvus fiam. » Pius vero Dominus, qui propterea pauperi suo apparere dignatus fuerat, ut aliquam stillam dulcedinis suæ ipsi misericorditer impenderet, elevata sancta dextera sua, benedixit eum. Qui protinus sibi in eadem visione videbatur inenarrabili gaudio repletus, et pia præsumptione apprehendens beatissimam dextram, a qua benedici meruerat, cum ingenti devotione deosculabatur eam, atque dicebat : « Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, quia benedixisti mihi; et salvus ero. »

CAPUT XI.

De fratre qui vidit B. Mariam Magdalenam in visu.

Alteri cuidam fratri religioso atque devoto datum est in spiritu videre B. Mariam Magdalenam splendidissimo vultu et habitu ante altare stantem. Qua visa, repletus est frater idem lætitia magna. Cumque cogitaret animo, optando atque supplicando, et cum magno æstu sacri desiderii suspirando, quatenus ei beatissima Dei genitrix virgo Maria, cui devotissime die noctuque serviebat, similiter monstraretur, facta est vox ad eum in ipsa visione dicens : « Nosse te convenit quod necdum idoneus es ad sublimissimam immaculatæ Dei genitricis et Virginis claritatem contuendam. Satage ergo, cresce et profice, quantum poteris, ut eam quandoque videre merearis. »

CAPUT XII.

De magno projectu cujusdam Monachi Laici. (26*)

(Vide supra Vitam primam, lib. VII, col. 437.)

CAPUT XIII.

De converso, cujus devotionem S. Bernardus per spiritum cognovit.

(Vide ibid. col 439.)

(26*) Conversi numerantis in alio virtutes, quibus se judicabat carere, humilitas a S. Bernardo commendatur in serm. *De altit. et bassitud. cordis.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De visione quam vidit frater quidam in obitu alterius fratris.

Frater quidam sanctæ conversationis, dignus cui Dominus secreta sua revelare dignaretur, vidit quadam vice in visione se quasi in infirmitorio Claræ-vallis positum. Et ecce pretiosa quædam indumenta de palliis et sericis a venerabilibus quibusdam personis in eadem domo incidebantur et præparabantur. De cujus rei novitate cum multum obstupuisset, dictum est ei : Ornamenta ista, de quibus ita miraris, præparata sunt cuidam de filiabus abbatis Claræ-vallensis, quæ modo processura est ad nuptias. Et quia minus habet pulchritudinis in se, quam convenjat generi suo, oportet ut habeat saltem pretiosarum fragrantiam vestium, atque decorem, unde placeat æterno sponso, in cujus purissimum thalamum non modo macula peccati, sed neque ruga negligentiæ, quod benignissimæ charitatis ipsius indulgentia non texerit, ullomodo intrare poterit. Eadem igitur hora pulsata est tabula defunctoria, et defunctus est ibi frater quidam : de quo Inventum est quod, quamvis innocentem et mansuetam vitam duxerit, in operatione, tamen aliquantulum negligens et remissus exstiterit. Unde necesse erat ut cui gratiam absoluti decoris propria merita non præstabant, ei nimirum fratres de orationibus suis copiosiorem ornatum impenderent.

CAPUT XV

De monacho laico qui missam per somnium didicit.

Charismatum cœlestium distributor Spiritus sanctus, qui omne datum optimum, et omne donum perfectum descendens a Patre luminum, singulis fidelibus, prout vult, dispensat, monacho cuidam laico et illitterato speciale ac mirabile quoddam gratiæ suæ conferre dignatus est. Hic itaque beatus homo, Galterus nomine, doctis et litteratis fide et devotione non inferior, vestiarii officium in Claravalle multo tempore gerens, non secundum personarum acceptionem, sed secundum necessitates indigentium vestimenta fratribus cum multa charitatis dulcedine providebat : qui etiam puritate innocentis vitæ tam Deo quam hominibus carus et acceptus erat. Huic aliquando in strato suo quiescenti, persona quædam reverenda dormienti apparuit, præcipiens ut oratorium quantocius intraret, et divinæ majestati missam devotus cantaret. Ille vero super hujus præcepti novitate non parum attonitus, simul etiam personæ suæ humilitatem considerans, nutabat quidem præ verecundia, sed præcipientis auctoritate pressus, nec resistere ausus, velociter paruit imperanti. Aggressus itaque insolitum opus, et sacerdotalibus ornamentis indutus, missam de Spiritu sancto cum magna devotione per somnium celebravit. Cumque evigilasset, eamdem missam, quam antea penitus, utpote litteras nesciens, ignorabat, corde tenus scivit, et eam deinceps per plurimos annos in memoria retinuit, tantoque eam in meditationibus et orationibus suis dulcius ruminare studuit, quanto se hanc non ex humana doctrina, sed ex inspiratione divina didicisse jucundius meminit.

CAPUT XVI.

De magna patientia cujusdam conversi in infirmitate sua.

(Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 441.)

CAPUT XVII.

De converso, cui scientia divinarum Scripturarum collata est.

Solebant infirmarii Claræ-vallis cum gaudio et admiratione magna referre de quodam religiosæ vitæ converso, gratiam quamdam admirabilem et memoria dignam, quam Dominus ipsi ante obitum illius conferre dignatus est. Cum enim mater gratia bonæ vitæ ipsius merita remunerare disposuisset, et infirmitate correptus aliquandiu decubuisset, tandem ingravescente languore mortis signa evidentius apparentia resolutionem corpusculi imminere nuntiabant. Et ecce spirante ubi voluit, et quando voluit, Spiritu sancto, novo vere et stupendo miraculo illuminatus est intellectus ejus, et aperta lingua illi, cœpitque homo rusticanus, qui nunquam litteras didicerat, expedite Latino uti eloquio, miras quasdam sententias de Scripturis sacris disserens, nihil tamen proferens, nisi quod sanæ doctrinæ congruebat. Mirabantur fratres laici, qui litteras nesciebant, quænam esset hæc rei novitas, et accitis quantocius monachis, in audientia nihilominus eorum idem infirmus Scripturarum mysteria luculento sermone pandebat. Præterea suaves quasdam cantilenas de mysteriis sanctæ Ecclesiæ modulatis vocibus decantabat, quæ nusquam audiri consueverant, ita ut audientes miraculi novitate attonitos redderet, et cantus suavitate mulceret. Sed quid omnipotens et misericors Deus in hac tam insolita gratia simplici et rusticano homini collata mortalibus innotescere voluit, nisi hoc, quod in æterna beatitudine regni ipsius, secundum Apostoli sententiam. *Non erit Judæus aut Græcus, Barbarus et Scytha, servus et liber, litteratus seu illiteratus?* (*Colos.* III) sed, secundum Prophetam, *erunt omnes docibiles Dei;* (*Isa.* LIV; *Joann.* VI) *et : Omnes, a maximo usque ad minimum eorum, cognoscent me, dicit Dominus?* (*Jer.* XXXI.) Utinam attenderent exemplum istud homines inquieti, qui circumeunt mare et aridam, ut palea litteræ repleantur, et typho scientiæ turgeant, ut vocentur ab hominibus Rabbites et magistri, ut glorientur se esse legistas et decretistas, dialecticos et sophistas ut, de negotio pietatis avaritiæ et ambitioni serviant. Utinam, inquam, cordis aure perciperent et intelligerent, quoniam sicut rustico huic et idiotæ, qui simpliciter in timore Dei ambulare studuit, in obitu ipsius divinæ scientiæ sublimitas collata est, et notitia mysteriorum cœlestium reserata : sic econverso ipsi stulti et fatui remanebunt in obitu suo, cum divitias scientiæ, quas sine timore Dei devoraverunt, evomient, et de ventre illorum extrahet eas Deus. (27) Et hæc dicimus, non ut scientiæ appetitores generaliter condemnemus, sed ut doceamus omnem hominem, primitus fundamentum timoris Dei collocare in fossato humilitatis, quia timor Dei, secundum veram diffinitionem, initium sapientiæ est : dehinc quantumcunque voluerit scientiæ superædificet, quia nulla unquam scientia inflat, ubi divina pariter et fraterna charitas ædificat. Itaque novus iste theologus de quo locuti sumus, qui a timore Dei incipiens, fastigium perfectæ sapientiæ apprehendere meruit in consummatione præsentis vitæ, cum aliquandiu sententiarum varietate, et cantuum modulata suavitate, tanquam dulcissimo poculo audientes lætificasset, tandem in bona confessione transivit ex hoc mundo ad Patrem, felici absorptione in abyssum æterni luminis absorbendus, cujus in hac vita primitias ad hoc tantum, ut reor, acceperat, ut nos in odore unguentorum, quibus delibutus erat, tanto avidius currere faceret (*Cant.* I), quanto solis mansuetis et humilibus fontem veræ sapientiæ patere cognosceremus.

CAPUT XVIII.

De converso bubulco, qui vidit in visione Dominum Jesum boves secum minantem.

Conversus quidam in una grangiarum Claræ-vallis bubulci gerebat officium, homo purus ac magnæ

(27) Alludit ad Job. XX.

Digitized by Google

simplicitatis, qui omnia quæ sibi a magistris suis fuissent injuncta promptus ac devotus exsequebatur, et intuitu retributionis divinæ quotidianos labores patientissime tolerabat. Hic quadam vice vidit in somnis juxta se Dominum Jesum Christum jucundo nimium spectaculo illa sua dulcissima manu tenentem aculeum, atque ex alia parte temonis boves secum minantem. Cumque evigilasset, et piissimi collaboratoris sui mansuetudinem, benignitatem dulcedinemque mente revolveret, exarsit subito in præcordiis ejus ignis vehementis desiderii, ipsum suspirantis, ipsum facie ad faciem videre cupientis quem in beata visione collaboratorem habere meruerat. Cumque dissolvi vehementer cuperet et cum Christo esse (*Philipp.* I), pius Dominus, qui cum mitibus ambulat, et cujus sermocinatio cum simplicibus est, desiderium pauperis sui nequaquam differre voluit, sed mox idem frater ægritudine correptus lecto decubuit, et die septimo laborem et dolorem cum morte finivit, vitamque perpetuam cum requie sempiterna, quæ est Christus Dominus, feliciter apprehendit. Ad hunc in extremis agentem reverendissimus abbas ipsius beatus Bernardus gratia visitationis intravit, quatenus filio repatrianti, cujus conscientiam puram ac simplicem noverat, valefaceret, et jam exire parantem contra latrunculos spiritualis nequitiæ sua benedictione muniret. Cum vero prædictam visionem ipso infirmo referente cognovisset, plurimum inde gratulatus est. Quo defuncto, pronuntiavit de eo confidenter quoniam cum Deo ambulavit, et vere cum ipso operatus est Deus : ideoque transtulit illum Dominus. Non enim poterat miserator Omnipotens servum suum in supremo agone deserere, cui dignantissimus comes et cooperator fuerat in labore.

CAPUT XIX.

De humilitate magna cujusdam conversi.

(Vide supra, S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 442.)

CAPUT XX.

De converso, post cujus mortem Dominus gloriosa revelatione demonstrare dignatus est quantæ perfectionis in vita sua fuerit, et quantam beatitudinem in morte consecutus sit.

In supradicto cœnobio alter quidam conversus exstitit, vir religiosus ac magnæ mansuetudinis, qui per magisterium divinæ gratiæ didicerat esse mitis et humilis corde. Huic cæteri fratres testimonium perhibebant quod nunquam visus fuisset irasci, nunquam quibuslibet injuriis provocatus ad impatientiam erumpere. Hic inspirante Deo, statuerat firmiter in animo suo, ut quoties a quibuslibet fratribus juste sive injuste proclamaretur, toties pro illis oraret, et pro singulis *Pater noster* ad minus una vice diceret. Cujus etiam exemplo informati multi Claræ vallensium fratrum, eamdem consuetudinem usque hodie quasi pro lege custodiunt. Verumtamen si accepta Deo et grata hominibus erat devotio et humilitas hujus beati viri, videant, quid responsuri sint Deo in die tremendi examinis ejus, qui econtrario nituntur, qui si forte ab aliquo proclamati fuerint, exasperantur, et ad impatientiæ verba prorumpunt, rancorem quoque, quem adversus proclamantes se concipiunt, dissimulare nequeunt, seu etiam opportunitatem captant, quo non charitatis, sed rancoris spiritu impulsi, eos qui se clamaverant, cum quanta possunt exaggeratione reclament. Prædictus itaque vir Dei quadam vice pro negotiis Ecclesiæ suæ in via directus, necesse habuit per fauces cujusdam nemoris solus transire. Contigit autem eum ibidem in manus incidere latronum, qui etiam despoliantes eum, jumentum quoque quo vehebatur cum sarcinulis rapuerunt, et nihil ei penitus præter solam A charitatem reliquerunt. Illa vero, quoniam non erat incaute foris in cistarcia relicta, sed firmissimæ patientiæ nodis intus in intimo cordis sapienter astricta, sicariorum violentiam timere non potuit. Salva igitur charitate, nihil Dei servus amittere poterat, quia pro nihilo erat quidquid illa remanente perdebat. Recedentibus vero latronibus, cum jam paululum processissent, ipse ad orationem prosternitur, obsecrans Dominum, ut hanc eis impietatem remitteret. Quidam autem ex ipsis nutu Dei reversus, et fratrem illum a longe subsecutus, curiosius observabat, volens scire quid ageret. Et videns eum orationi diutius insistentem, celeri cursu revertitur ad socios, percutiens pectus suum, et dicens : « Væ nobis miseris et damnatis. En moriemur omnes, quia hunc tam sanctum hominem, et tam sancti monasterii fratrem malo nostro tam male tractavimus; » siquidem ipso revelante cognoverant quod de Claravalle esset. « Hic enim, inquit, ex quo re- B cessit a nobis, non cessat orare cum gemitu et lacrymis : nec dubium est quin ipse Dominum roget etiam pro suis inimicis. » Quod audientes latrunculi illi, compuncti sunt animo, velociterque redeuntes, invenerunt illum adhuc in oratione flexis genibus intentum. Cui mox universa, quæ violenter ei abstulerant, restituunt, et venia suppliciter postulata in pace dimittunt. Quo viso, frater ille Salvatori Christo immensas gratias referens, gavisus est gaudio magno valde de compunctione prædonum, magis quam de receptione spoliorum.

Iste ergo vir bonus cum in proposito sancto laudabiliter usque in finem vitæ suæ perseverasset, tandem vocante se Domino collectus est ad patres suos, visurus bona Domini in terra viventium, a modo et usque in sempiternum. De cujus glorificatione visio talis apparuit, eadem qua defunctus est die. Erat in quodam monasterio longius a Claravalle remoto monachus quidam religiosus et magnæ C opinionis vir : quem pro sua sanctitate omnes ejusdem monasterii fratres sincere diligebant, omnes singulariter honorabant. Hic igitur eadem die, qua prædictus frater in Claravalle defunctus est, et ipse moriens ad extrema devenit. Cumque jam morti proximus videretur, raptus est ab humanis, ita ut omni membrorum officio destitutus, a mane usque ad horam nonam jaceret immobilis. Tantummodo in pectore modicum spiramenti supererat, quod eum a mortuo secernebat. Ita ergo de mane, sicut jam diximus, usque ad horam nonam in exstasi positus, tandem ad seipsum revertitur, et virtute recepta lingua iterum in verba laxatur. Stupentes vero qui aderant, causam ab eo repentinæ discessionis ac reversionis, flagitant. Quibus ipse respondit : « Hodie cum a sensibus carnis in spiritu sublevatus abstraherer, inveni me subito introductum velut in paradisum voluptatis, in locum gloriosum atque præclarum nimis, cujus aptitudinem, pulchritudinem, D atque amœnitatem humani sensus angustia æstimare non sufficit. Videbatur illic pretiosorum vasorum aliorumque ornamentorum gloria magna et diversitas multa, infinita quoque deliciarum præparatio, quomodo fieri solet in adventu cujuspiam potentissimi regis aut imperatoris. Erant etiam illic sancti innumerabiles, immensa claritate coruscantes, quorum alii jam advenerant, alii adhuc de cunctis partibus veniebant, quasi ad grande spectaculum certatim properantes, et velut ad diem solemnem undique confluentes. Audiebatur præterea ibidem suavitas harmoniæ cœlestis, et resonabat undique gratiarum actio et vox laudis. Ego vero cum in iis quæ videbam et audiebam nimis obstupuissem, sciscitatus sum ab angelo ductore meo quænam esset tantæ solemnitatis et lætitiæ occasio. » Ipse vero respondit : « Hæc est celebritas nova, novi cujusdam sancti hodie de domo Claræ vallis assumpti, et in gaudia ista modo solemniter introducendi. » Hoc itaque dicto jussit me citius egredi, atque ad humana

Digitized by Google

reverti. Quod cum ego nimium detestarer, obsecrabam medullitus, ut ab illa felicitate ad miserias corporis amplius non remitterer. Ille vero respondit : « Modis omnibus oportet te ad fratres tuos regredi, donec annunties quæ vidisti. Quo facto protinus reverteris, et æternæ istius lætitiæ participium obtinebis. Hujus rei gratia missus sum ad vos indicare ista quæ vidi, ut et ipsi benefacientes proficiatis et perseveretis in bono, scientes utique quod non deerit merces operi vestro. » Et cum ista dixisset, illico valedicens eis, obdormivit in Domino. Planxit autem eum omnis congregatio monasterii planctu magno, utpote sanctissimum, et magnæ utilitatis virum, de cujus exemplo omnes erant informati, et de cujus consilio pendebant universi. Illi ergo sollicite tempus horamque notantes, cum requisissent in Claravalle, cognoverunt fratrem supradictum, eadem die qua visio hæc demonstrata est, fuisse defunctum. Cujus nimirum tanta ac talis inventa est conversatio, ut fidem facile faceret tanto ac tali miraculo. Beatus vero Bernardus, cum quidam de fratribus hanc visionem coram eo cum grandi admiratione referret, ita respondit : « Et vos fratres, ista miramini? Ego vero magis admiror incredulitatem et duritiam cordis vestri, qui adhuc minime creditis, aut minus forte advertitis vocem illam veridicam, qua de cœlo clamatur : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV). Mihi siquidem luce clarius, et vita qua vivo certius constat omnes, qui in Ordinis hujus puritate obedientes et humiles perseverarint, mox ut carnem exuerint, ab omni miseria protinus exuendos, et immortalitatis gloria vestiendos. Audientes vero fratres ab ore tanti Patris testimonium tale de puritate Ordinis, vehementer confortati sunt, et de glorificatione fratris qui puritatem Ordinis totis viribus sectatus fuerat, Domini clementiam collaudantes, studebant et ipsi districtioris vitæ vias nequaquam abhorrere, ut et glorificationis, quæ arctam et angustam viam propter Christum incedentibus repromittitur, participes effici mererentur. Utinam et nos, qui temporibus istis novissimis quibus, refrigente jam charitate, tepiditas et negligentia usquequaque subintrare cœpit, hæc audimus vel legimus, recalescamus ad imitandum vigorem fervoris et devotionis sanctorum Patrum, ne forte, qui similia ipsis conversionis initia habemus, conversatione reproba degeneres effecti, sicut puritatem Ordinis sacri negligimus, sancta puritate illius summæ beatitudinis alienati, illic deputemur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (*Job* X).

CAPUT XXI.

De fratre, quem S. Bernardus in visu ne tentationi cederet admonuit.

Post transitum reverendissimi Patris Bernardi, fuit in Claravalle frater quidam, qui in primordio conversionis suæ, tanquam novus miles, crebros hostium assultus tolerabat, crebra tentationum jacula scuto patientiæ viriliter excipiebat, super omnia vero spiritum fornicationis adeo infestum sentiebat, ut phantasias miseræ carnis, quas malignus ille cordi ejus ingerere continue nitebatur, manu sacræ compunctionis et orationis vix abigere valeret, et in hoc frixorio confrixus tota die contristatus incederet. Augebatur in dies molestissimi hujus conflictus molestia, nec erat rudi tirunculo tanta patientia, ut violentiam passionis duræ se ulterius ferre posse consideret. Unde etiam deliberavit animo cedere tentatori, et projecto religionis habitu ad sæculum reverti. Cumque jam sollicite recedendi opportunitatem observaret, astitit ei per visum beatus Bernardus paulo ante defunctus, increpans ipsius socordiam, et super iniquitate, quam mente conceperat et actu perficere satagebat. Cui cum ille respondisset sese diutius reluctatum fuisse, et jam tentationis violentiam ferre non posse, ait sanctus ad illum : « Scito prænoscens quoniam multa adhuc te certamina manent. Sed age viriliter, et noli deficere, quia Dominus aderit tibi, tanquam adjutor in opportunitatibus, ut eruat te. Unde tibi polliceor quia, si in Ordine usque in finem perseveraveris, salvus eris. Quod si forsitan aliquis tibi nocere tentaverit in die novissimo, ego respondebo pro te, et animam meam ponam pro anima tua. » O vere amicum fidelem, pium patrem, auxiliarium fortem, qui post mortem carnis in vita beata magis se fidelem probans, oviculam nutantem, jamjamque in barathrum apostasiæ ruentem tam dignanter visitavit, blandis consolationibus fovit, exhortationibus roboravit, et per Dei gratiam de præcipitio mortis ad vias vitæ reduxit. Tali namque pollicitatione tanti patris prædictus frater animatus, spiritum pusillanimitatis et diffidentiæ penitus a corde suo eliminavit, et ad agonem certaminis incredibiliter roboratus, deinceps a stabilitate sua nullis maligni spiritus machinamentis, seu tentationum violentiis moveri potuit; sed sicut ei prædictum fuerat, multorum certaminum agones desudans, de cunctis per Dei gratiam victoriæ triumphum reportare meruit, atque in Ordine sancto usque in finem vitæ suæ in optima conversatione perseverans, salutem æternam, secundum sponsionem Deo dilecti Patris sui, feliciter consecutus est.

CAPUT XXII.

De fratre, cui S. Malachias et B. Bernardus apparuerunt, et pro culpa sua castigaverunt.

Alius quidam de fratribus ejusdem cœnobii, cum instructu diabolico ita mente corruptus esset, ut jam apostatare a Deo, et pactum cum inferno facere, id est ad sæculum redire disponeret, vidit in visu noctis beatum Bernardum, sanctumque Malachiam, reverendissimos ipsius loci patronos in dormitorio deambulantes, et fratres in lectis suis pausantes sigillatim visitando benedicentes. Qui cum in Ordine visitationis ad lectulum videntis hæc devenissent, nec tam benigne eum respexere, nec benedictione, qua cæteros firmaverant roboravere, sed magis quasi indignantes adversus eum stabant : sicque beatus Malachias ad sanctum Bernardum locutus est : « Homo iste pravus et inquietus nihil omnino boni gerens animo non timet iniquitatem meditari in cubili cordis sui : jamque prona voluntate diabolicæ suasioni assensum dedit, ut ad vomitum sæculi, quam citius poterit, revertatur. » Quo audito, beatus Bernardus dixit ei : « Tu de monasterio meo fugere quæris? Et quo fugies, miser, a facie Domini? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitasti. Scio, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui; et qui per timorem Dei te corrigere neglexisti, dignis verberibus castigatus, ulterius fugere non tentabis. » Et his dictis cœpit cum crebris ictibus tundere baculo quem tenebat, et ait : « Ecce stipendia, quæ mereris. Surge nunc, et fuge, si poteris. » Evigilans autem frater ille invenit se tunsionibus illis totum conquassatum atque confractum, ita ut in infirmitorium ductus, lecto detineretur. Tremens itaque ac pavens, fratres qui sibi assistebant rogat, ut priorem quantocius ad se venire faciant. Quo accersito, cum multa contritione cordis confessus est malitiam, quam mente conceperat, et opere perficere intenderat; pœnam quoque, quam inde pertulerat. Priore vero desidiam et socordiam ejus, sicut dignum erat, corripiente, et pro reatu instabilitatis pœnitentiam injungente, frater idem perfecte resipuit; et non apprehendit eum ultra desiderium fugiendi. Cum enim salubriter didicisset durum sibi fore, contra stimulum pungentis gratiæ recalcitrare, studuit de cætero eidem gratiæ salutem suam in se misericorditer operanti cum timore et tremore cooperari.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De converso, qui sanctos angelos in obitu suo videre meruit.

Infirmabatur aliquando conversus quidam de fratribus præfati monasterii, homo religiosus et laudabilis conversationis, qui in simplicitate cordis sui viam arctam et angustam, per quam itur ad Deum, inoffenso pede, sicut in morte ipsius patuit, cucurrerat. Cum enim bonum cursum consummasset, et jam ad extrema devenisset, apertis oculis vidit angelos sanctos præsentes assistere lectulo suo. Quos ut vidit, mirum in modum exhilaratus, quasi jam de morte triumpharet, circumstantibus fratribus ait : Nunquid non aspicitis angelos Dei, qui modo advenerunt? Pulsate ergo quantocius tabulam, quoniam ipsi præstolantur exitum meum. Vix verba finierat, et mox pretiosam resolutus in mortem, felicem animam reddidit : nec dubium quin spiritus beati quos prævidere meruerat, eam susceperunt, et secum ad gaudia sempiternæ beatitudinis perduxerunt.

CAPUT XXIV.

Qualiter conversus, qui sine licentia caligas suas lavit, divinitus punitus sit.

Quoniam de præclaris moribus religiosaque conversatione, seu etiam pretiosa morte sanctorum Patrum, ad ædificationem proficientium multa jam diximus, libet nunc ad cautelam desidiosorum, negligentiam cujusdam fratris, et pœnam, quam pro eadem negligentia sua divinitus sustinuit, inserere, quatenus sicut proficere volentes virtutum exemplis ad meliora provocantur, ita negligentes quique divinæ animadversionis ultione territi, non solum majora, verum etiam minora sacri Ordinis instituta transgredi vereantur. Conversus quidam in una grangiarum Clarævallis caligas suas absque magistri licentia lavare præsumpsit. Exierat autem solus, et stabat in crepidine rivi, qui prope grangiam fluit, cœpto operi insistens. Heu miser, non considerans quod graviter delinquunt qui vel in minimis puritatem sacri Ordinis violare præsumunt! Cum ergo, ut diximus, temerario operi, cujus magistri sui testem conscientiam non habebat, instaret, audivit vocem clamantem, tanquam si aliquis alteri loqueretur, et dicentem : « Percute, percute. » Nec mora sensit se idem conversus duobus gravissimis ictibus feriri, uno in capite, et altero in pedibus, tremensque ac pallens concitus in grangiam rediit; quid fecisset, vel quid audisset, quid etiam pateretur, trementibus labiis fratribus indicavit. A quibus cum confestim ad abbatiam transmissus fuisset, peccatum suum pariter et pœnam peccati, qua poterat humilitate, confessus est. Dicebat autem eosdem ictus quos invisibiliter acceperat, paulatim ad interiora sua serpere, unum a parte capitis, et alterum a parte pedum : seque modis omnibus vitæ terminum sortiturum, dum iidem ictus in corde ipsius sibi mutuo jungerentur. Quod etiam verum fuisse rei exitus probavit, dum idem frater paucis interpositis diebus in bona confessione vitam finivit, tanto purior, ut credimus, ad Deum vadens, quanto terribiliore morte pro culpa sua puniri promeruit. Sed quid causæ esse putamus, quod ille Judex justus, Dominus Sabaoth, qui judicat orbem terræ in æquitate, pro consimili culpa disparem frequenter videtur ferre sententiam, cum certum sit, nec fallere velle, nec falli posse sapientiam Dei, quæ non solum suaviter, sed et prudenter disponit omnia? O quanti sunt hodie, qui religionis habitu teguntur, et monachorum nomine censentur, qui cum secundum Regulam et Ordinem suum proprietati abrenuntiaverint, exemplo tamen Ananiæ et Saphiræ temeraria nimis præsumptione proprietates habere non verentur; cum illos virtus quæ exivit de ore Petri apostoli terribili morte mulctaverit (*Act.* v), istos vero nulla plaga tangat; sed econtrario videantur in bonis ducere dies suos, utinam non in puncto ad inferna descensuri! Sed et in ipso Cisterciensi Ordine, qui licet per gratiam Dei purus et integer sit a tam enormi vitio proprietatis, nonnulli tamen fuere, vel sunt, ab illo tempore, quo frater ille pro levi, ut videbatur, culpa tam duræ mortis sententiam excepit, qui sine respectu sacri Ordinis facile in levibus excedentes, solent significare, aut verbo dicere, quid, vel quantum est? Nec attendunt quod scriptum est quoniam *Qui minima spernit, paulatim deridet* (*Eccli.* XIX). Quos tamen omnipotens Deus non continuo punit, non quia nunc in hoc tempore non sit adeo grave delictum absque licentia quidpiam lavare, vel aliud sine nutu senioris facere, sicut eo tempore, quo talia voluit Deus ad exemplum posterorum districte ferire, sed quia pius et misericors est, et ipsa benignissima patientia sua nos ad confessionis et pœnitentiæ remedia provocare dignatur. Cæterum, si qui sunt (quod Deus avertat) qui se hæc levia absque gravi periculo animæ suæ facere posse putant, et tales excessus suos per condignos confessionis et pœnitentiæ fructus diluere negligunt, paulatim ipsis minus curantibus sentina negligentiæ excrescente, navis conscientiæ ipsorum sine dubio, nisi Deus succurrat, in profundum demergetur. Quapropter omnes nos, qui præclarissimo Cisterciensi Ordini professionis titulo astricti sumus, studeamus non solum majora, sed etiam minora ejus instituta omni sollicitudine servare, ne forte (quod absit!) fervor Ordinis intepescat et pereat temporibus nostris, et nos, si tanti sacrilegii rei coram justo judice fuerimus inventi, districta ejus sententia tollamur cum impiis, ne videamus gloriam Dei.

CAPUT XXV.

De monacho, qui sine caligis dormire præsumpsit, et propterea per divinam revelationem vetitus est abbas fieri (28).

Quia, sicut superiora declarant, cognovimus, quanta districtione punitus sit excessus, per deliberationem quidem, sed quantum reor per contemptum minime contractus, adhuc aliud quiddam simile huic, licet non in Claravalle, sed in alia domo Cisterciensis Ordinis factum, referre libet; quatenus per hoc probemus etiam minimorum mandatorum transgressionem non parvi ponderis apud Deum esse, et ut mentis nostræ desidia gemino hoc exemplo, quasi manu quadam sollicitudinis, ut ad cautelam sui evigilet, excitetur. Cœnobium quoddam Cisterciensis Ordinis vacabat abbate. Vocatus est autem Pater abbas, quatenus, ipso præsente et consilium dante, secundum Ordinis instituta fratres domus idoneam personam in Patrem et pastorem animarum eligerent. Cum autem tempus electionis instaret, et Pater abbas tam ex privatis quam ex publicis collocutionibus singulorum vota et voluntates didicisset, cognovit saniorem partem unanimi consensu eademque sententia in personam quamdam convenisse, quæ tunc forte aberat, sed incontinenti sperabatur esse ventura. Erat autem persona eadem major cellerarius domus illius. Nocte vero diem electionis præcedente, audivit Pater abbas per divinam revelationem vocem dicentem sibi : « Vide ne monachum illum constituas abbatem, qui sine caligis dormire præsumpsit. » Ad hanc vocem venerabilis abbas vehementer expavit; et cum multa admiratione quidsiqua fuit, levis fuit, ac pœnitentia deleta. Sed nihil de hoc statuo.

(28) Hoc factum monachi sine caligis dormientis, dicit Cæsarius in Gallia contigisse, sed nec ille nec iste locum vel testem profert idoneum : et culpa

Digitized by Google

nam sibi Dominus per hoc insinuare dignaretur, ancipiti cogitatione pensabat. Porro persona supra memorata, quæ ad tanti officii dignitatem idonea sperabatur, pridie quam electio celebraretur, sero venerat : quæ etiam summo mane Patrem abbatem signo confessionis facto in capitulum traxit, et quia quadam vice dum esset in itinere, nimio æstu decoctus, caligas exuere, atque sine caligis dormire præsumpsisset, humiliter confessus est. Dehinc senioribus et qui maturioris erant consilii cum Patre abbate convenientibus, quatenus de electione tractarent, cœperunt omnes pari voto eademque sententia petere illum quem divinæ revelationis arcanum tali honore privandum judicaverat. Eapropter Pater abbas secretius eis innotuit quid sibi divinitus imperatum fuisset; et ut aliam personam eligerent, consilium dedit, dicens impossibile esse ut contra conscientiam suam mandato Domini inobediens existeret.

CAPUT XXVI.

De mirabili fervore dulcis memoriæ Joannis quondam prioris Clarævallis.

Opportunum fore existimo, virum virtutis, dulcis videlicet memoriæ Joannem quondam priorem Clarævallis, quem conditio tulit, ad ædificationem posterorum styli officio revocare, qui de calore domus Rechab, quod nomen *ascendens* interpretatur, id est de fervore cœlestis disciplinæ, quam sanctus Pater Bernardus tradidit, incentivum sumens, ascensiones in corde suo disposuit; et tanta constantia indeclinabilis intentionis limitem paternæ traditionis observavit, ut vinum carnalis voluptatis seu pompæ sæcularis, tanquam virus pestiferum perhorrescens, sumere illud penitus non acquiesceret. Exigit autem hoc a nobis nostri hujus temporis plane miserabilis inopia : in quo tepiditas et negligentia usque adeo invaluere, ut hodie ferventissimus sibi quisque videatur, si non usquequaque tepidus et remissus inveniatur. Hic itaque strenuus vir prioratus officio in Claravalle per plures annos functus, tanta alacritate spiritus et patientia corporalis exercitii partem hanc sollicitudinis administravit, ut quasi signaculum videretur posuisse super cor suum, sententiam illam, quam beatus Pater Benedictus præposito, seu priori monasterii proponit, dicens (29) quia quanto plus prælatus est cæteris, tanto eum sollicitius oportet servare præcepta Regulæ. Erat ergo in exsequendis divinis promptus et alacer nimis, non noctibus, non diebus requiescens. Præcipue vero dulcedini psalmodiæ, quæ in sacro illo conventu multa morositate et vocis intentione persolvitur, tota mentis sollicitudine insistebat, ita ut stupori et admirationi posset quidem esse omnibus, paucis vero imitationi. Dederat autem ei Dominus ad opus pietatis congruum satis instrumentum, vocem scilicet grossam et validam, quam etiam in servitio largitoris feliciter expendere curavit, sciens nimirum fluenta gratiarum proprio fonti sine fraude esse restituenda, ut uberius iterum flueren.. Stabat ergo in medio juvencularum tympanistriarum, sicut superior cæteris pro officii sui dignitate, sic etiam eminentior cunctis sanctæ devotionis fervore, et vocis exaltatione, psallens et satagens prævenire principes, id est, spiritus angelicos conjunctos psallentibus, paratos devotionem psallentium in conspectu divinæ majestatis in odorem suavissimi thymiamatis offerre. Nec levem conscientiæ suæ jacturam reputabat, si quando raucitatis, vel alicujus infirmitatis incommodo interveniente, solemnem psalmodiæ synaxim minus alacriter persolvisset. Quod tamen rarissime accidebat, quia cum cæteris donis etiam a gratia sanum et competentis roboris corpus acceperat, et ad omne opus bonum, pro regentis illud spiritus arbitrio, paratum.

(29) S. Benedict., c. 65 Regul.

Cæterum inflexibilem mentis ejus in servitio Dei vigilantiam quis digne admirari, quis congrue effari queat, qualiter scilicet infra longissimum et quotidianum sacrarum vigiliarum spatium seipsum ad tolerantiam ardui illius laboris animabat, acediam, pigritiam seu somnolentiam viriliter propulsabat; et si propter humanæ naturæ fragilitatem dormitare se vel raro deprehendebat, quam severa invectione negligentiam suam redarguebat? Ut autem pertinuitatem vigiliarum quasi commonitorio quodam pulsatus illibatam servare valeret, lignum quoddam in superiori parte stalli in quo stabat, ingeniosa compositione sic aptaverat, ut, si quando prolixitate vigiliarum pertæsus dormitare cœpisset, nutantis capitis inclinationem malleolus repercutiens exciperet, et ad vigilandum repentino ictu suo sollicitiorem redderet.

Porro ad opus manuum cum forte alias exoccupatus esset, frequenter erat haud segnem se et in hoc exercitio demonstrans, et pusillanimes, non tam voce quam exemplo, ad tolerantiam laboris exhortans. Præcipue vero secationis et messionis tempore, quando beati illi Claræ-Vallenses martyres velut in frixorio tota die friguntur, adeo tenaciter labori instabat, ut omnes pariter negligentias aliorum temporum illis laboriosis diebus quotidiano sudore se diluere reputaret. Ut vero peregrinum et advenam se esse super terram, nec habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere reminisceretur, de substantia mundi, quantum minus poterat, accipiebat; sobrietatis et parcimoniæ decore corpus suum castificans, quoniam virtus animæ in carnis maceratione perficitur. In vestitu quoque eamdem modestiam et humilitatem servabat, grossos, veteres, et consutos pannos semper appetens et amplectens, pretiosos vero, molles, et subtiles, quasi quamdam pestem fugiens. Nam, ut de cæteris taceam, ipsum capitale lecti sui, in quo post nocturnas vigilias et diurnos labores fessum caput reclinare consueverat, non patiebatur qualescunque plumas habere, sed feno et paleis illud farciens sic cubabat, haud surdus auditor sententiæ, quæ in Vita Patrum legitur, sed a multis quasi dura declinatur, quoniam abominabilis omnis corporalis requies. O beata, et potius appetenda hujus sancti viri vilitas et abjectio sui in humilitate vera, quam arrogantia illius abbatis in præsumptione pessima : de quo certa relatione cognovimus, quod in partibus Saxoniæ cœnobium quoddam Cisterciensis Ordinis regens, pannis qui de lana terræ illius fiebant, nequaquam uti dignabatur, sed pretiosos de Flandria pannos, quibus lenociniis voluptatis et vanitatis satisfacere posset, annuatim sibi comparari faciebat! Quo defuncto, cum monachi vestimenta ejus inter se partirentur, prior domus unam de tunicis ejus sibi retinuit : quam etiam cum quadam solemni noete, quasi pro reverentia diei festi indueret, tanquam si ardentibus laminis candentis æris ureretur, terribiliter exclamavit, et detestabilem vestem longius a se projecit. Quæ projecta, velut candens ferrum scintillas ex se emittere visa est. Attoniti stupore miraculi cæteri, qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cum omni velocitate partes singulas in medium proferunt, ac in unum locum componunt, scintillis creberrimis undique, quasi de clibano ardente, micantibus. Nec cessavit exitiale prodigium, quousque vicini abbates in testimonium tam tremendi judicii Dei asciti sunt. Non sic humilis Joannes, non sic; qui improperium humilitatis Christi pluris æstimavit omnibus pompis Ægyptiorum (*Hebr.* xi); qui vestem pretiosam non quæsivit, sed ad gloriosum votis et desideriis amictum angelorum suspiravit.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Quanta constantia mentis venerabilis prior Joannes voluptates carnis calcaverit.

Verum in his et hujusmodi sanctæ religionis piique laboris exercitiis tanta inerat ei constantia mentis et longanimitas patientiæ, ut licet in quotidiano agone desudaret, non facile tamen refrigerium qualiscunque temporalis consolationis sibi subripere pateretur, nunquam, nisi extrema necessitate urgente, vigilias fratrum deserere, seu infirmitorium introire, consentiret. Accidit autem quadam vice, dum sacris vigiliis interesset, ut corporali molestia tactus infirmaretur, nec valeret psalmodiæ odas strenuitate qua solebat explere. Cumque magis ac magis malum intra se grassari, et per vitalia diffusum serpere sentiret, licet multum a cogitationibus suis urgeretur, ut de choro exiret, perstitit tamen, tristis quidem, et reputans ne forte ejusdem invaletudinis inæqualitate pressus, infirmitorium, quod, quantum in se fuit, semper vitare studebat, intrare compelleretur. Finitis vero vigiliarum solemniis, locum quemdam secretiorem adiit, ibique, remotis arbitris, quanto secretius, tanto securius talia secum loquebatur : « Quid modo miser Joannes, quid modo erit? Nunquid infirmaris? Nunquid infirmitorium, quod solet aut sub flagellis Dei laborantium corpora misericorditer refovere, aut flagellari se simulantium conscientias terribiliter dissipare, tantilla incommoditate victus intrabis? Bene, videlicet ut lectum mollioribus culcittis stratum et ornatum ascendas, quæque molliora sunt in cellario, quæque delicatiora in promptuariis, propter reverentiam officii, quo indignus fungeris, morituræ et putredini obnoxiæ carni tuæ accuratius præparentur, et sic negligentiores quique fratrum ad sectanda carnis suæ commoda tuo provocentur exemplo. Ergone deliciosa hac infirmitate cursum pœnitentiæ tuæ interrumpere debebis? Quare non potius præsumis de misericordia Dei, qui potens est tibi morbum temperare, ut et corpus exerceat, et de labore pœnitentiæ, qui est seminarium beatitudinis æternæ, nihil minuere cogatur? » Nutu vero Dei monachus quidam proximus erat loco illi, in quo vir Domini talia secum loquebatur, qui parietis tantum interstitio ab eo divisus, clarius pii murmuris susurrium audiebat; quique mox festinus ad reverendissimum abbatem Giraldum, cujus supra mentionem fecimus, currens, quid a priore audisset, intimavit. A quo vocatus, vix obedientia cogente, infirmitorium intrare compulsus est, licet hoc invalescentis ægritudinis ejus pondus per se requirere videretur. Cæterum, quam strenue, quam discrete, quam prudenter officium sibi commissum administraverit, quam benignum, quam pium quam charitativum se fratribus suis exhibuerit; quam rigidum, quam auctborabilem, cum forte censura justitiæ id deposceret, se ostenderit, non est nostræ parvitatis evolvere. Ita enim delicatis et teneris morem gerebat, ut tamen novas, et contra formam Ordinis usurpatas consuetudines, carnem magis quam spiritum redolentes : quas per negligentiam prælatorum, in subversionem religionis, et perditionem animarum, facile pullulare noverat, nunquam temporibus prioratus sui Claræ-Valli subripere passus sit. Sciebat nimirum, sicut beati sunt prælati, qui traditiones Patrum per vigorem disciplinæ illibatas custodiunt : sic profecto miseri nimis, qui per negligentiam et incuriam suam religionem intepescere, et Ordinem deperire permittunt. Nam semel exterminata religio, non sine gravissimo scandalo et perturbatione, tam prælatorum quam subditorum, reformari poterit. Nec modo in majoribus, sed etiam in minoribus occasionibus, sicubi forte emersissent, cautissime vigilabat, adeo ut cum quadam vice unus de senioribus prorsus decrepitus et fere edentulus indulgentia venerabilis abbatis Gerardi panem infirmitorii in conventu fratrum manducaret, patienter ferre nequaquam valeret.

Hæc autem impatientia non de tabida peste invidiæ, sed de fervore religionis et Ordinis æmulatione descendebat. Dicebat ergo : « Nunquid non senes et debiles ante nos in hac sancta domo fuerunt, a quibus tamen nunquam tale aliquid usurpatum est, quale nunc a nobis præsumitur? Nunquid non remissiones et indulgentias corporales magis pro arbitrio imperantis, quam requisitione propriæ voluntatis accipiebant, ita tamen ut misericordia eis impensa consuetudinibus Ordinis minime obviaret. Scimus vero nonnullos eorum tanta altitudine spiritualis vitæ a curis carnis avolasse, ut etiam in decrepita ætate miseros se reputarent, si inferiores aliis in vigiliis, vel in jejuniis invenirentur, consolatiunculas quoque corporales a prælatis sibi oblatas, recipere nullatenus acquiescerent. Timendum et valde timendum nobis est ne, cum sancti antecessores nostri spiritu fortiter cœperint, et spiritu fortius consummaverint, nos spiritu incipientes, carne (quod Deus avertat!) consummemur (*Gal.* III). Quapropter si quis est inter nos emeritorum laborum senex, qui fatiscentibus membris in acie conventus stare non possit, satius est ut missionem accipiens, necessitate sua in infirmitorio transigat, quam conventum tenens inter abstinentes, et naturam grossioribus alimentis utcunque sustentantes, consolationes infirmitorii requirat. Certus sum autem quod unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor.* III); et qui parce seminat, parce et metet (*II Cor.* IX); et quia Judex, qui terribiliter minatur, scrutaturum se Jerusalem in lucernis (*Sophon.* I), subtilissima examinatione discutiet qua occasione, quave necessitate, quis pondus diei et æstus, quod in vinea Domini Sabaoth portare suscepimus, declinet. » In hac igitur sancti fervoris æmulatione et religiosæ conversationis claritate, gratiæ Dei alumnus Joannes vitam suam laudabiliter consummans, denarium diurnum, et insuper mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem, quam sibi laboribus multis, vigiliis supra modum, strenua quoque exsecutione servitii Dei conquisierat, a summo patrefamilias recepturus, infirmitate correptus lecto decubuit. Ad quem visitandum cum venerabiles viri Eskilus, Danorum quondam archiepiscopus, et Alanus, Antissiodorensis quondam episcopus, venissent, videntes hominem ferventissimum nec in ipsa gravissima infirmitate a solito rigore suo in tantum cedere, ut saltem vestibus ægritudini et debilitati suæ competentibus refrigeraretur, zelo quodam compassionis ducti vestes aliquantulum tractabiliores, quas tantæ personæ et infirmitati congruere noverant, jusserunt afferri, petentes ut causa levaminis eis vestiri dignaretur. Tum vero fortis athleta Domini eadem vestimenta coram se posita severius intuens, ait : « Itane beatiorem me faciet vestis mollis et tenera, magis quam grossa et rusticana? Aut quale emolumentum erit, humilitatem, quam a primis conversationis meæ annis tanta sollicitudine servare curavi, imminente mortis articulo perdere? Credite parvitati meæ, quia quandiu super est spiritus in visceribus meis, non recedam a vilitate, per quam elegi abjectus esse in domo Dei mei (*Psal.* LXXXIII), nec dabo occasionem inimicis meis confundendi me, cum loquar eis in porta (*Psal.* CXXVI). Cum autem vocante Domino moribundos hos, jamjamque morientes artus exuero, quantum vultis, putridum hunc carnis saccum induite et ornate; quia quidquid de massa vitali spiritu carente fiat, nihil mea interesse, confido. » Tanta itaque fidei virtutisque constantia munitus vir Domini Joannes, corruptibilis carnis materiam exuit, et bona Domini in terra viventium videre promeruit. Corpus ejus juxta sacra ossa fratrum veteris abbatiæ, quorum patientiam et hu-

Digitized by Google

militatem haud segniter imitatus fuerat, condigno honore sepultum requiescit in pace.

CAPUT XXVIII.

De venerabili D. Gerardo monacho Clarævallis, postea abbate.

Vide supra, S. Bernardi vitam primam, lib. VII, col. 444.)

CAPUT XXIX.

De visione, qua a tentatione sua quidam novitius Clarævallis liberatus est.

Clericus quidam de Ordine regularium canonicorum arctioris et secretioris vitæ desiderio Claramvallem veniens, devote susceptus est, sed et ipse primordia tirocinii sui floribus suaveolentis conversationis ornare sollicitus fuit. Cumque prioris vitæ suavitatem nimis ægre dedisceret, et novæ quam assumpserat asperitas palato cordis minus saperet, cœperunt de interioribus ejus variarum tentationum ebullire tempestates, sicut necesse est homines alterius Ordinis ad Ordinem Cisterciensem venientes, plus multo quam sæculares de sæculo venientes, experiri. Versabantur ante oculos cordis ejus imagines consuetudinum, quas antea diu in usu habuerat, et eas rationabiles et honestas fuisse, callidus hostis suadebat, Cistercienses vero observantias, quas tunc discere cogebatur, velut rusticas et minus suaves, rudis adhuc mens fugiebat et abhorrebat. Verum,.nutantem atque fluctuantem oviculam, jamjamque ad apostasiæ retrogradam turpitudinem respicientem, divina miseratio tali modo ab errore retrahere, et in bono proposito confirmare dignata est. Aspiciebat in visu noctis, et ecce in nubibus cœli Dominus majestatis, rex regum, et Dominus dominantium Jesus Christus Filius Dei veniebat, tanquam jam judicaturus orbem terræ in æquitate, et redditurus unicuique secundum opera sua. Tum vero universo genere hominum cum timore et tremore multo ad hanc examinationem suspenso, singuli quique Ordines qui sunt in Ecclesia Dei, seorsum et seorsum coadunabantur, solliciti valde de observantiis et cæremoniis Regulæ et Ordinis sui, ne forte perperam quid ab eis gestum severissimus judex suo illo subtilissmo scrutinio deprehenderet. Utinam illud attenderent illi, qui Regulam beati Augustini profitentur, et singulas ejus sententias quotidie in capitulis suis legunt, et tamen sæculariter vivere, sæculares dici et esse, non solum non verentur, verum etiam gloriantur : vel illi, qui cum Regulam S. Benedicti habitu et specie religionis profiteantur, omnimoda sæculari conversatione sua servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Videbat interea præfatus novitius præclarum quemdam Ordinem magnæ multitudinis separatim ab aliis consistere, in cujus medio splendidissimus quidam juvenis, cœlesti gloria adornatus stabat, et quasi dux et patronus divini illius exercitus esse videbatur. Cumque sacer ille conventus de statione sua se moveret, ut coram Domino appareret, præfatus juvenis cum multa alacritate præcedebat, universo cœtui sequentium se non mediocrem fiduciam consequendæ misericordiæ præbens. Porro cæteri Ordines cum summa reverentia venientibus cedentes, et per sese transeuntibus inclinantes, prærogativæ felicitatis eorum congratulari quodammodo videbantur. Ipse etiam splendor paternæ gloriæ Dominus Jesus, cum sit tremendus ineffabilis majestatis omnipotentia, tamen quasi tenerrimus ligni vermiculus pietatis et miserationis dulcedine, susceptum in osculo pacis juvenem divinæ claritatis suæ gloria ipsum cum omni collegio suo illustravit. Novitius autem qui hæc videbat, cœpit cum ingenti admiratione quærere, quænam esset illa justorum congregatio, quæ tam speciali prærogativa præ cæteris Ordinibus a Domino meruit honorari. Dictumque est ei quia ipse esset Ordo Cisterciensis; juvenis vero ille splendidus sanctissimus Bernardus primus Clarævallis abbas. Mox ubi hæc audivit, quasi de extasi quadam in se reversus, dicebat intra se : « Nunquid non ego fui novitius in Ordine Cisterciensi, in magna illa domo Clarævallis? Ut quid ergo miser otio torpeo, et non festino me conjungere, huic præclarissimo cœtui, quatenus cum eis æternæ beatitudinis particeps fiam? » Et hæc dicens, cœpit totis viribus celeres gressus moliri, sed obstaculo quodam præpeditus proficere non valuit. Nam veluti ramus quidam arboris tortuosus atque nodosus perplexis recurvitatibus pedes et tibias ejus sic arctabat, ut licet summopere impedimentum hoc rumpere niteretur, incassum laboraret. Unde sibimetipsi vehementer indignatus, quod tam frivola occasione tanto bono privaretur, dum totus ad expediendum se movetur, evigilat; et visionem suam prudenter advertens, indignationem suam, quam dormiens conceperat, vigilans et sobrius in laqueos tentationis, qua irretitus fuerat, viriliter intorsit. Tanta namque severitate pristinarum suarum consuetudinum imagines, quas ante delectabiliter recipere, et cum eis fornicari solebat, a corde suo eliminavit, ut eas sibi dominari ulterius non permitteret. Cisterciensium vero sacra instituta, quæ licet sint speculum justitiæ, factione tamen malignorum spirituum in æstimatione ejus viluerant, toto mentis desiderio complexus est; et in eis per arduam et angustam viam, non quasi in incertum currens, coronam beatitudinis æternæ consecutus est.

CAPUT XXX.

Qualiter dæmones converso cuidam nocere voluerunt, sed non valuerunt.

Conversus quidam unus ex opilionibus Clarævallis, cum esset vir bonus et religiosus, officium sibi commissum cum omni sollicitudine et mansuetudine timoris Dei exsequebatur. Omnium vero bonorum invidus inimicus, devotione et simplicitate conversationis ejus nimium exacerbatus, aliquid nequitiarum suarum contra eum moliri conatus est; sed Deo auxiliante fraudis ejus commenta in se collisa ad nihilum redacta sunt. Cum enim esset aliquando idem frater ad caulas, vigilans et custodiens vigilias noctis supra gregem suum, ecce subito facta est in aere commotio magna turbinum, et compugnantium inter se tempestas valida ventorum. Tonitrua quoque crebra, et terribiliter undique crepantia mugiebant; sed et fulgura creberrima cœlo erumpentia timorem et horrorem maximum mentibus hominum incutiebant. Prædictus itaque frater surrexit, et signo crucis frequenter se muniens, nomen Domini trepidus et anxius invocabat, sanctorumque omnium suffragia suppliciter implorabat. Cum ergo sit staret ad orationem, cœpit audire strepitum et vociferationem quasi exercitus ingentis, ad partes illas cursu rapido venientis; et quanto amplius propinquabant, tanto voces eorum clarius resonabant. In quibus non soli hominum clamores, clangoresve tubarum audiebantur, sed insuper diversi generis ferarum monstrorumque rugitus, et voces terribiles inesse deprehendebantur. Cum ergo usque ad caulas ovium cum ingenti strepitu pervenissent, tanquam ipsas oves usque ad ossa laniaturi, fratre attentius orante, divina virtute repulsi sunt; et intrare quidem minime potuerunt, sed divisis agminibus hinc inde celeriter transeuntes nihil eis penitus nocuerunt. Verumtamen duo ex eis statura enormes et fuligine nigriores, ad fratrem orantem deverterunt. Cumque paululum coram eo substitissent, unus ex eis locutus est ad alterum, dicens : « Vere diabolus nos deducit, et ipse modo nos huc venire fecit. An non satis dixeram vobis quia non licet nobis transire per bonum? » His itaque dictis quasi pennigero lapsu perniciter abierunt; et cum paululum pro-

Digitized by Google

cessissent, omnes tenebrarum incolæ una cum eis evanuerunt. Hanc autem visionem frater ipse qui vidit, sub testificatione veritatis innotuit nobis. Cujus nimirum talis erat conversatio, ut fidem dictis ejus non adhibere nefas esse putaremus. Constat ergo quia per bona justorum contrariæ potestates transire vetantur, nisi forte exigente aliqua causa divinitus permittantur.

CAPUT XXXI.

De fratre, cui Dominus Jesus cum gloriosa matre sua apparuit.

In domo Fontis-Mauriniaci conversus quidam degebat, nomine Robertus, qui illuc a Claravalle transmissus, religionis et disciplinæ, quam in Claravalle didicerat, nequaquam immemor erat, sed virtutis et devotionis exempla fratribus ejusdem loci in omni conversatione sua dabat. Inter cætera vero pietatis studia, quæ Domino sedulus offerebat, hoc præcipuum habebat, quod beatissimæ Dei genitricis et virginis Mariæ servitio devotus insistebat, specialis quoque patroni sui Bernardi memoriam frequenti et dulci meditatione ruminabat. Cursu denique præsentis vitæ feliciter peracto, salvationis suæ certitudinem, diem quoque mortis suæ prognostica visione prævidere meruit. Ante quintum diem dormitionis suæ vidit in visione Dominum Jesum Christum, et beatissimam Dei genitricem, cum sancto Bernardo abbate, stantes in quodam horto deliciarum, cujus amœnitatis et gloriæ tanta erat immensitas, ut humana locutione explicari non valeat. Ipse vero frater, qui hæc videbat, stabat seorsum; ac respectum divinæ miserationis suppliciter flagitabat. Tunc piissima mater ait ad filium suum : « Domine fili, quid facturus es de isto paupere tuo? » Et Dominus ad eam : « Quidquid tibi placuerit, mater. » Respondit illa pauperum susceptrix, et humilium consolatrix : « Volo igitur, ut mittas eum in requiem tuam. » Dixit autem ad eam : « Fiat ei, sicut vis. » Respondit ei beatissima Virgo : « Et quando fiet istud? » Ait Dominus : « Quinta die veniat, et salvetur. » Transacta itaque visione, frater ille quod viderat et audierat cæteris indicavit, et attonitos, et ad prædictum diem suspensos reddidit. Ut autem certitudo revelationis probaretur, ingravescente ægritudine qua premebatur, quinta die juxta sermonem Domini migravit a corpore, et in requiem et pacem quæ exsuperat omnem sensum, assumptus est : quam ei beatissima Virgo Dei genitrix suis piissimis precibus obtinere dignata est. Beati igitur omnes, qui confidunt in ipsa, ejusque servitio vigilanti devotione insistunt, quoniam mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, largissima remuneratrix reddet in sinum eorum (*Luc.* VI). Cæterum fratres ejusdem cœnobii de tam felici assumptione hominis Dei multum ædificati, Claravallensis quoque disciplinæ, quam in eo viderant, æmulatores effecti, venerationi sanctæ Theotocou Dominæ nostræ, tanto alacrius intendebant, quanto sibi perire non posse sciebant. quidquid ejus famulatui impendere potuissent.

CAPUT XXXII.

De monacho, cui dictum est : Dimissa sunt tibi peccata tua.

Inter athletas Christi, qui spirituali palæstra in stadio Claravallis exercebantur, erat strenuus quidam agonotheta, Enarrandus nomine, nobilis quondam in sæculo miles, qui relicta mundiali pompa vanam militiam fructuosa militia commutavit. Militibus namque Templi Domini sociatus, et apud ipsos fidelis inventus, militum quoque Templi magister effectus est, in quo officio industriam animi, viresque corporis, quas a Domino acceperat, non in cives, sed in hostes vibrare didicit, et de strenuitate sua non plausum terræ, sed præmium cœli sperare, cautus fuit. Quia vero eadem militia, Mariæ otium nesciens, tota erat in laboriosis negotiis Marthæ, quæ sine pulvere delictorum vix aut nunquam peragi possunt, ut in sacratioris adhuc militiæ sacramenta juraret, Clarævalli se contulit, ubi sicut antea priorem militiam secunda nobilitarat, sic nunc secundam tertia superavit. Cœpit namque robur corporis non exercere, sed frangere jejuniis, vigiliis, et laboribus multis, propriæ quoque voluntatis mortificationi intendere : voluntariæ paupertatis, quæ sola Christianæ religionis vera militia est, amatorem se probans. Sedulus erat in compunctione et oratione, pro præteritis erratibus suis Christi Domini misericordiam quotidianis lamentis enixius implorans. Cum talia diutius actitaret, factus, secundum prophetam, vir videns paupertatem suam in virga indignationis Domini (*Thren.* III) : volens jam pius Dominus lactucis agrestibus, id est, amaritudini pœnitentiæ ejus, azymos panes, id est, gratiam consolationis adjungere, sine quibus agnus æternæ vitæ mandi non potest, tali modo indulgentiæ suæ largitatem mœrenti ac affligenti se prærogare dignatus est. Cum esset aliquando positus in oratione, prævenions faciem Domini in confessione et obsecratione pro peccatis suis, raptus est subito in excessum mentis, viditque Dominum Jesum Christum mansuetissima voce dicentem sibi : « Dimissa sunt tibi peccata tua. » Mox vero ab exstasi dimissus, et in se reversus, consolatus est vehementer; et gratias agens Deo, didicit de cætero servire Domino in timore, et exsultare ei cum tremore (*Psal.* II); sicque in optima conversatione consenescens, plenus dierum appositus est ad patres suos, laboris sui præmium vitam æternam a Domino percepturus.

Hic autem vir venerabilis memorabile Dei miraculum, quod nuper acciderat, retulit nobis quod a quibusdam honestissimis fratribus et commilitonibus suis audierat, quodque ipsis præsentibus et rem certius explorantibus acciderat. Erat in partibus Germaniæ miles quidem strenuus, et genere nobilis, qui tempore vitæ præsentis explicito, spiritum emisit. Cumque diu mortuus jacuisset, et jam tempus humationis instaret, anima redeunte repente homo redivivus apparuit, et velamine revoluto aperuit oculos, atque in stratu funereo resedit (30). Stupentibus cunctis qui aderant, planctus et lamenta mœrentium illico sopiuntur, et a mortuo suscitato causa tantæ novitatis exquiritur. Ille vero præsente uxore atque germano, qui ei succedere habebat in patrimonio, ita exorsus est fari ad illos : « Cum in mortem, inquit, oculos clauderem, ductus sum protinus ad tribunal Judicis examinandus. Ibique appensus in lance æquitatis, inventus sum minus habens, quam oporteat ad salutem. Cumque jam damnationis sententia merito esset proferenda, intercedentibus qui ibidem aderant sanctis, permissus sum redire ad vos, et ex duobus, quæ mihi principaliter obsunt, remedium vestræ pietatis expetere, videlicet obligatione maxima debitorum, et illegitimo fœdere nuptiarum. » Tunc conversus ad mulierem : « Nosti ait, mi delecta conjux, quod affinitatis linea juncti, illicito matrimonio conjuncti sumus, unde etiam mortis æternæ rei ambo tenemur. Unum tantummodo superesse remedium, agnosce : Si relicta sæculi pompa Christi connubio monastica professione te junxeris, mihi veniam, et tibi gloriam impetrabis. » Quod illa gratanter accipiens, sese incontinenti facturam esse firmavit. Deinde convocatis singulis debitoribus

(30) Si miles resurrexit, ut hic dicitur, alias damnandus, supponendum omnino est, licet non dicatur, sacramentalem Confessionem tunc fecisse.

Digitized by Google

suis germano suo præcipit, ut ad ea quæ expostularent, singulis satisfaceret. Inter cæteros vero Judæus quidam accessit, trecentos debiti solidos exigens ab eo. Quem severo vultu et reverberantibus oculis intuens, cunctis qui aderant mirantibus, dixit ad eum : « Tu neque in cœlo, neque in terra, neque in omni creatura Dei, habes aliquid juris. Tamen ne videamur te ante tempus judicare. » Tunc præcepit, ut per omnia responderetur ei, sicut et cæteris. Cum ergo hæc et similia multa dixisset, reclinato iterum capite emisit spiritum.

CAPUT XXXIII.

De religioso quodam converso Clarævallis, nomine Laurentio.

Erat in Claravalle conversus quidam religiosus, nomine Laurentius, cujus etiam superius (31), dum de venerabili viro domno Gerardo de Farfa litteris aliqua mandaremus, mentionem fecimus. Erat ergo vir ille spiritualis et devotus in omni conversatione sua, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia jugiter insistens, ita ut per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachiæ corpora in secretario die noctuque servaret, vix unquam aliqua hora posset ibidem aliter inveniri, nisi semper orationi incumbens, et diuturnis fletibus pavimentum rigans. Hujus autem puritatis et devotionis celsitudinem non sine multo labore per gratiam Dei conquisierat, quoniam in primordio conversionis suæ multis tentationibus vexabatur, et contra maliguorum spirituum venenatas suggestiones diuturno certamine exercebatur. Nocte vero quadam, dum finitis Matutinis in quodam domicilio solus esset, ecce immundus spiritus mugiens et plangens, discursu gyrovago circa eum rotabatur. Ipse vero fronti suæ signaculo crucis imposito, quisnam esset interrogavit. Versipellis autem malignator, ut rudi adhuc et teneræ menti graviorum metum incuteret, respondit : « Ego sum ille, qui tentavi et flagellavi Job. » Quod audiens frater, quoniam adhuc novus in conversatione sancta erat, timuit vehementer, et fugit a facie maligni spiritus, et eum ulterius non vidit. Post transitum autem B. Bernardi contigit ut idem frater a domno Philippo venerabili Claræ vallis priore ad regem Siciliæ Rogerum mitteretur, pro negotio ejusdem Ecclesiæ. Qui cum Romam fuisset, ingressus, comperto quod idem rex nuperrime mortuus fuisset, consternatus est animo ; et quid in tali articulo facere deberet, prorsus ignorabat. Et recordatus sancti Patris sui Bernardi, sub quo pro diversis negotiis frequenter missus prospere ibat et redibat, cum gemitu et lacrymis multis conversus ad orationem, eumdem sanctum Dei invocabat dicens : « *Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus* (*IV Reg.* XIII), ut quid dereliquisti nos? Heu me, Pater sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus et misellus, ego omni consilio et auxilio destitutus? Te vivente et te jubente securus procedebam ad terras et ad nationes diversas, et ubique recipiebar ob gratiam tui, nimirum deferens salutationes et litteras tuas, quas reges et præsules cum cæteris omnibus tanquam cœlitus missam benedictionem suscipiebant, et eulogiis tuis nobiliores quique se nobilitari gaudebant. Nunc autem te defuncto defuncta est tecum pariter et gratia mea ; nec erit jam, qui peregrino et inopi manum porrigat adjutorii. Et ecce mortuus est rex, qui te sincero diligebat affectu ; surrexitque filius pro eo, puer qui te forsitan ignorat. Quem adhuc tam longe remotum si adire voluero, et repulsam ab eo pati contigerit, inconsolabilis mihi erit dolor, post tanti laboris et longissimi itineris defatigationem, infecto redire negotio, qui te vivente bonis omnibus cumulatus in Claramvallem tuam redire solebam. Si vero incontinenti reversus negotium intentatum reliquero, A torporis et insipientiæ argui pertimesco. Porrige, precor, auxilium, præbe consilium indigenti ; et ne despicias gemitum servuli miserandi. »

Eadem itaque nocte apparuit ei idem beatissimus Pater, et magnifice consolatus est eum, dicens : « Quid tibi visum est frater, ita de Dei misericordia et mea interventione diffidere? Quando enim, vel ubi sensisti, defuisse tibi adminiculum meum in necessitatibus tuis? An forte impotentiorem me modo autumas, quando jam introductus sum in potentias Domini, quam olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo securus, quia prospera cuncta evenient ; et in hoc ipso scies quia ego te miserim. » Hæc et alia plurima sancto loquente, frater ille præ nimio pietatis ardore totus in anima liquescebat ; et corde ejus immensam parturiente lætitiam, foris quoque devotionis lacrymæ erumpebant. Cumque evigilasset, madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum in quo caput B reclinarat, eodem lacrymarum profluvio undique perfusum esse cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de urbe fuisset egressus, reperit cuneum institorum mercimonii gratia Siciliam adeuntium. Qui cognoscentes eum esse de Claravalle, mox eum in suo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, et quæque necessaria gratis quotidie ministrabant. Tandem ingressus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus. Et non solum de negotio pro quo fuerat ad Patrem destinatus, prosperum eventum obtinuit, verum etiam rex apertis thesauris suis ad ædificationem novæ basilicæ Claræ vallis, pro ejusdem Patris sui anima non modicam auri summam per eumdem fratrem magna devotione transmisit. Reversus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis cardinalium, aliorumque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam largientibus eis ex urbe usque ad decem bubalos educeret, quos non sine ingenti C omnium stupore Deo se protegente, sanctique Patris sui meritis patrocinantibus, Claramvallem usque perduxit. Quis enim satis mirari sufficiat, quod homo debilis ac veteranus, cum duobus tantum puerulis, tantæ enormitatis ac ferocitatis animantia, quæ etiam boves multa corpulentia et fortitudine superant, per tot locorum discrimina, per tanta latronum prædonumque molimina, tam longo itinere salva et incolumia minare potuerit, præsertim cum genus illud animalium citra Alpes, ut asserunt, in toto Occidente hactenus visum non fuerit? Vix enim vel una die malignantium occursus ac violentias poterat declinare : quæ tamen omnia, Deo fidelem famulum suum per orationes S. Bernardi tutante, pertransivit indemnis. Factum est autem ut transire cogeretur per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant, quorum manus nullus immunis evadere poterat, nisi forte qui viribus prævalebat. Mane vero jam D rutilante aurora, cum de aliquo prato, in quo cum animalibus pernoctarat, egrederetur, rogabat attentius Dominum, sanctumque Bernardum, ut ab imminenti periculo erueretur. Et ecce apparuerunt ei procul quasi duo viri obviam venientes, et singulos cereos accensos in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquantes, cum jam pene ad ipsum pervenissent, subito ab oculis ejus evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque illum diaboli nidum, illico sistitur, atque ad prædam diripiendam undique accurritur. Nutu vero Dei supervenientes eadem hora quidam honesti viri, cum eum Clarævallensem esse cognovissent, de manibus irruentium liberarunt, et cum suis omnibus abire fecerunt. Tandem vero perveniens ad Claramvallem, mirantibus universis novi generis bestias intulit, quæ multiplicatis fœti-

(31) Distinct. III, cap. 15.

Digitized by Google

bus quotidie propagantur, atque ex eo loco per multas jam provincias dilatantur. Ipse vero frater ad spiritualia reversus studia, sacræ disciplinæ, quam sanctus tradiderat Bernardus, seniles humeros tota alacritate supposuit, pia confidentia præsumens ejus se meritis et precibus ab æternis malis eruendum, sempiternisque bonis perfruiturum; qui ipsum de præsentis itineris tam multiplicibus periculis misericorditer absolutum, ad Claramvallem suam salvum perducere dignatus est.

CAPUT XXXIV.

Narratio cujusdam spiritualis monachi de Claravalle.

Quidam religiosus et spiritualis monachus de collegio Claræ vallis in partibus Daciæ in una de domibus Claræ vallis diutius habitavit. Hic igitur quadam vice rediens in Claramvallem, fratribus suis causa ædificationis retulit jucundum, et omni acceptione dignum miraculum, quod in confinio Saxoniæ noviter accidisse, asseverabat. Erat in eisdem partibus quoddam Cisterciensis Ordinis cœnobium, in quo quidam magnæ religionis et admirandæ humilitatis monachus in simplicitate cordis sui Domino devote serviebat. Qui cum in omni sacri ordinis observantia fervens esset, atque devotus, semetipsum in omnibus despiciens et humilians, maxime tamen silentio et quieti operam dabat, orationi, compunctioni, atque lectioni, continue vacans, ita ut semper ad orandum sive ad legendum, ubicunque poterat mirabili dulcedine traheretur, fructum tamen devotionis magis quam eruditionis in lectione requirens, ita in ea delectabatur, sicut in omnibus divitiis. Appropinquante autem hora migrationis ejus de hoc mundo, cum graviter ægrotaret, et oleo infirmorum jam inunctus esset, rogavit ut corpus ejus in præsenti lavaretur, et vestimentis quibus sepeliendus erat, indueretur. Fratribus vero causantibus novitatem, et facere differentibus, cum in sua petitione persisteret, ob reverentiam sanctitatis suæ quod volebat obtinuit. Quo facto, circumstantibus ait : « Revertimini unusquisque ad officia vestra, quia modo morituros non sum, sed die sequenti post refectionem servitorum vocabit me Dominus. » Cunctis itaque fratribus ad hanc prophetiam hominis Dei suspensis, illuxit dies altera, et eadem qua prædixerat hora, sonitus tabulæ universos ad commendationis officium migraturo persolvendum ocius invitavit. Quod cum tanto devotius facerent, quanto morientem in æterna vita mox glorificandum fore certius sperabant, ipse frater ultimum jam trahens spiritum subito divina gratia illuminatus est, et exhilarata facie circumstantibus dixit : « En modo ingreditur ad nos ille dilectus Domini, beatus Joannes evangelista. » Et cum paululum reticuisset, iterum dixit : « Ecce nunc venit beata Dei genitrix et virgo Maria. » Et post modicum intervallum ampliori repente gratia illustratus, clara voce subjunxit. « Eia, fratres, ecce jam venit Dominus Jesus Christus, et cum eo sanctorum angelorum aliorumque sanctorum frequentia. » Et cum hoc dixisset, confestim in jubilum et exsultationem cordis, præ dulcedine illius quem intuebatur, raptus, cantare cœpit, et imponere Antiphonam illam dicens : *Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini.* Atque ita cantando animam reddidit. Videntes autem fratres hominem in morte exsultantem, et cantando morientem, eamdem Antiphonam quasi de ore ipsius festinato rapuerunt; et cum multo pietatis affectu elevata in excelsum voce percantaverunt. Hæc itaque prædictus senior fratribus Claræ vallis fideliter innotuit, eorumque animos ad contemptum mundi, despectum sui, amoremque Dei, vehementer accendit : quorum utinam imitatores efficiantur, omnes qui hæc legerint, vel audierint, scientes certissime quoniam quanto quis in hoc mundo despectior, silentii, quietis et humilitatis appetens fuerit, tanto in futuro apud Deum gloriosior et sublimior apparebit.

CAPUT XXXV.

De claris luminibus Claræ vallis.

Hactenus itaque de claris luminaribus Claræ vallis, nec non et de clarissimo sole, qui de eadem conspicua valle consurgens, universas mundi partes claritatis suæ radiis illustravit, nos disseruisse sufficiat, cum tamen paucos admodum flores de spatiosissimo floridissimoque prato vernantis ejusdem beatæ vallis, ad accendendum in nobis sacræ devotionis fervorem, decerpserimus, quatenus rutilantis eorum pulchritudinis venustate illecti, suaveolentiaque recreati, mundum cum omni vanitate et voluptate sua spernere, atque ad æternæ claritatis patriam anhelare, in libro veræ theologiæ, in quo scriptæ sunt lamentationes, carmen, et væ, tota mentis vigilantia discamus. Sed quis ad hæc tam idoneus? Propterea quid aliud restat nobis, nisi comedere panem doloris in amaritudine compunctionis, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte, ut totis medullis cordis suspiremus ad eos, de quibus locuti sumus, si forte cœlestes convivæ misericordia moti, ad ora latrantium sub mensa catulorum, vel exigua aliqua sublimium illarum deliciarum fragmenta demittant, per quæ, ne in via pœnitentiæ deficiamus, sustentemur? Cæterum sicut in prædictis Patribus cognovimus quam liberalis sit misericordia Dei in sanctos ejus, quamque pius respectus in electos illius, qui mandata vitæ absque dissimulatione custodiunt, sic in subsequentibus exemplis demonstrabimus quanta benignitate quandoque peccantibus ignoscat, seu quanta districtione delinquentes interdum feriat, quatenus sic misericordiam amplectamur, ad omne opus bonum parati; ut tamen, si forte negligentiores nos in via mandatorum Dei deprehenderimus, maledictionem, quæ opus Dei negligenter exsequentibus intentatur, pavida semper mente pensemus.

DISTINCTIO QUINTA.

Continens salutaria Monita exemplis probata, de quorumdam vitiorum periculo, et punitione.

CAPUT PRIMUM.

Admonitio domni Gerardi abbatis Claræ vallis de non jurando et de periculo jurantium.

Beatæ memoriæ Domnus Gerardus, quondam Claræ vallis abbas, cujus supra (32) pretiosam in conspectu Domini mortem descripsimus, solebat aliquoties fratres suos a consuetudine jurandi compescere, et, ut hoc efficacius posset, rem quamdam terribilem, quæ tunc cuidam juratori recens acci

(32) Distinct. II, cap. 27.

Digitized by Google

derat, exempli gratia narrare curavit. Dicebat vero eamdem rem venerabilem virum Cadorcii episcopum sibi innotuisse, cui etiam ejus capellanus vir valde honestus se præsentem interfuisse affirmabat. Erat igitur in partibus illis homo quidam carnalis, qui, dum aleis aliquando luderet et tesseris sibi male cadentibus perderet, quidquid dementi in buccam veniebat, ore furibundo jurabat. Cumque jam pene omnia amisisset, alius quidam nefandus aleator accessit; et tumida illum indignatione amovens, ait: « Cede, iners, cede; ego ludam pro te, quia tu nescis, neque ludere, neque jurare. » Cumque et ipse, ut erat filius perditionis, similiter perderet, diabolico furore inflammatus, cœpit omnia Domini nostri Jesu Christi, tam interiora quam exteriora, quasi per ordinem membra jurare, nihil omnino injuratum dimittere volens. Proferebat igitur juratione quasdam, seu blasphemias horribiles atque inauditas, quemadmodum cordis et oris ejus instructor, imo vere destructor diabolus excogitabat. Ast ubi Dei et hominis Domini nostri omnia membra furioso et blasphemo ore consumpsit, adjecit ad cumulum damnationis suæ, etiam intemeratæ matris ejus sanctissima membra jurare, terribili nimis temeritate satagens universa sigillatim atque seriatim venenato dente discerpere, ita ut sanæ mentis omnes qui aderant, a facie blasphemantis et obloquentis aures obstruerent, et pectora tunderent. Necdum juramenta omnia sacrilegus jurator expleverat, et ecce repente ultio digna atque divina invisibili et quasi fulmineo ictu feriens ac perforans sceleratum, majestatis iratæ terribile dedit experimentum. Percussus itaque blasphemus corruit, et putans quod aliquis eum materiali gladio confodisset, horrendo gemitu exclamans, ait: « Heu, heu, miser quis es, qui me interfecisti? » Cumque diutius in terra palpitans, et mortiferos gemitus efflans, volutaretur, tandem urgente maligno, cui traditus fuerat, abominabilem animam tartareis ignibus concremanda expuit. Nudato itaque corpore ad lavandum, inventa est in dorso ejus plaga recens tetribili apertura dehiscens, ac si aliqua securis amplissima ibidem immersa fuisset, ita ut penetralia cordis, hepatis et pulmonis funditus apparerent. Quo viso conterriti sunt juratores, videntes quia zelus Domini exercituum tam gravi animadversione mulctavit juratorem impium atque blasphemum. Cumque rumor velocius pervolans tremefactos undique vicinos traheret ad videndum, quidam de intimis ejus mœstus accelerabat ad illum. Huic ergo itineranti apparuit quidam mortuus homo, quem viventem ipse cognoverat, et ait: « Agnoscisne me? Ego sum ille defunctus, olim tibi non ignotus. Novi ego quo tendas, sed incassum te fatigas. Jam enim morte absorptus est, quem viventem invenire te putas. Porro unum est, quod te latere nolo, quia Dominus Jesus Christus a suis contumeliosis multas contumelias et injurias patitur, patienter exspectans, tamquam patiens redditor. Verumtamen immaculatæ genitricis suæ læsiones atque convitia non facile sustinet: sed aut præsenti supplicio citius punit, aut si forte reservat in posterum, cæteris malis acerbius ferit. » His ita peroratis, defunctus ille, qui loquebatur evanuit (33). Is vero ad locum perveniens, amicum jam mortuum juxta mortui vaticinium reperit; et referens quæ audierat, terrorem terrori, et miraculo miraculum adjecit. Alium quemdam juratorem impudentem et exsecrabilem circa fines supradictæ civitatis Cadorcii fuisse affirmabat prædictus venerabilis abbas Gerardus. Qui cum beatæ Dei genitricis et Virginis Mariæ sacrata et secreta membra ore spurcissimo jurare præsumeret, mox immundo spiritui traditus, durissima passione diu vexatus atque distortus est, ita ut oculis eversis, et facie tota enormiter intumescente, linguam ardentem atque ejectam longius ab ore porrigeret. Qui cum ita fuisset longo et horrendo tormento excruciatus, tandem miserabilem animam dæmoniacis spiritibus reddidit, linguamque effrenem, quam extraxerat, nec in morte retraxit. His et hujusmodi exemplis domnus Gerardus abbas Clarævallis fratres suos, ne jurationibus assuescerent deterrebat, quia licet omni homini consuetudo jurandi periculosa sit, a monachis tamen et omnibus religiosis, etiam minimas juraliones sine gravi periculo usurpari non posse certissimum est.

(33) De blasphemo illo lusore idem narrat Cœsarius, quod hic. Quod autem dicitur Deus citius ulcisci Matris injurias quam proprias, id facit, ne illa contemni et parvi fieri a Deo putetur: Dei autem majestas, licet non puniat, non potest non esse veneration.

CAPUT II.

De periculo proprietatis.

Piissimæ recordationis domnus Abraham quondam Prateæ abbas, quæ est una de filiabus Clarævallis, florem virginitatis cum fructibus bonorum operum, sine quibus castitas non magna est apud Deum, usque ad consummationem immaculatæ vitæ, largiente Christo, conservavit. Hic itaque homo sanctissimus, ac singulari mansuetudinis gratia præditus fuit, jugumque Domini ab adolescentia cunctis diebus vitæ suæ indefesso studio portavit. Qui cum adhuc esset ætate pariter et religione novellus, modicam panni novi scissuram ad resarciendam vestem in grabatulo suo sine licentia condidit. Sed dum eam post paululum requisisset, et reversato undique stratu minime reperisset, miratus abscessit; et remordente conscientia, furtivam rapinulam privata confessione quantocius delere curavit. Et o magna virtus confessionis! magna nihilominus pietas Redemptoris, qui totam quodammodo spem salutis humanæ constituit in sacramento Confessionis! Sicut enim nulla multiplicitas, nulla enormitas criminum aut scelerum potest obsistere, quin gratia pure et humiliter confitentem sublevet de imo barathri, et collocet in fastigio cœli, sic nimirum etiam minima delicta confiteri dissimulantem præcipitant de fastigio perfectionis in ima miserabilis dissolutionis. Itaque prædictus juvenculus, qui prudenter adverterat tantillum peccatum suum sine confessionis remedio aboleri non posse, cum post modicum temporis intervallum solus in coquina scutellas ablueret, ecce subito panniculus ille per aerem lapsus, et velut aliquo portante manibus ejus injectus est, quatenus cum ipso sordes materiales detergeret, propter quem sordibus proprietatis animam ejus Satanas fœdare tentaverat. Quem cum certissime recognosceret, et porrectis quaquaversum obtutibus neminem in eadem domo, neque sursum neque deorsum aspiceret, manifeste comperit ab immundo spiritu furtim sublatum fuisse, sed post factam confessionem ab eo retineri non potuisse. Quapropter in timore pariter et exsultatione cordis gratias agens Deo, animadvertit, quam cavendum, quamque timendum sit ab ejusmodi proprietatibus, quamlibet minimis, eis qui puram atque perfectam paupertatis professi sunt vitam, cum etiam sanctimonialis quædam, ut legitur, propter exiguum sericum fili, quod sine licentia lectulo suo reposuerat, diaboli sustinuerit in morte calumniam.

Alius quidam Cisterciensis Ordinis monachus, cum infirmitate tactus ad horam ultimam devenisset, jamque loquendi officium amisisset, vidit immundum spiritum ad instar simiæ sedentem in pertica juxta parietem posita, ubi scapulare ipsius dependebat. Porro in ipso scapulari veteri et dirupto idem frater modicam panni scissuram sine licentia nuper assuerat: quam ille impurus spiritus suavi-

Digitized by Google

ter attrectans, et sæpe deosculans, etiam lingua lingebat, et manu palpabat. Quod cum ille videret, ingemuit : et quia jam loqui non poterat, protensione indicis indicando, verbisque semirutis ac dimidiatis balbutiendo, quomodo poterat innuebat, ut derisorem pessimum amoverent. Fratribus vero qui circa ipsum stabant mirantibus, et diu percunctantibus quid diceret, aut quid intenderet, divina tandem miseratione recepit officium linguæ, et ait : « Nunquid non videtis obscænum illum sedentem in nostro scapulari, et ore spurcissimo lambentem pitacium illud, quod nuper in eo sine licentia consuere præsumpsi? Expellite ergo quantocius sceleratum, et tollite de indumento pitacium, ne mihi in finem calumniosus et impius iste derisor insultet. » Cumque omnes intente respicerent, et spiritum nequam, quem ille conspicabatur, videre non possent, amoverunt scapulare de loco, et protinus recessit exprobrator pessimus. Frater vero infirmus accepta pœnitentia pro delicto suo rursus obmutuit, atque post paululum in bona confessione decessit. Itaque summopere cavendum est omnibus nobis, qui sacri Cisterciensis Ordinis puram et defæcatam religionem professi, mundo et universis quæ mundi sunt, insuper etiam nobismetipsis abrenuntiamus, ne saltem in minimis et vilibus quibuslibet rebus dandis vel accipiendis seu habendis sine licentia, maculam demus conscientiæ nostræ, et atrocissimis hostibus nostris materiam calumniæ, qui in exitu Israel de Ægypto, id est, animæ de corpore, tanto atrocius a tergo instabunt malignissima exprobratione, nequissima insultatione, severissima ultione, justo Dei judicio tales excessus plectentes, quanto nunc eos nos facilius cavere possemus, si timorem Dei, sicut in Regula nobis præcipitur, continue præ oculis haberemus.

CAPUT III.

Quantum sit periculum monachum sine habitu suo, id est, cuculla mori (34).

Vir illustrissimus, Romanus genere, et honestæ conversationis monachus, domnus Jordanus de Fossanova, quæ est una de domibus Claræ-vallis, retulit nobis quoddam grande miraculum, quod intra Italiam in quodam cœnobio Cisterciensis Ordinis Dominus ad admonitionem et correctionem nostram fieri concessit. Monachus quidam ibidem cum per tramitem disciplinæ regularis devote et humiliter usque ad metam sibi a Domino constitutam cucurrisset, ægrotabat ad mortem. Qui cum imminente jam exitu magnis febrium æstibus ureretur, infirmarii minus discreti, minusve monastici habitus sacramentum considerantes, ad relevationem ardoris exutum cuculla, scapulari induerunt : et ita per negligentiam eorum manendo spiritum exhalavit. Verum antequam corpus terræ commendaretur, qui mortuus fuerat, repente redivivus apparuit : et mirantibus universis ita exorsus est fari : « Ego cum in morte carnis oculos clauderem, et carnis sensibus exemptus in vita animæ spirituales oculos aperirem, mox a sanctis angelis benigne susceptus, in eo habitu quo carnis induvias exui, id est, absque cuculla usque ad portas paradisi perductus sum. Cumque ductores mei me introducere conarentur, et in æternæ beatitudinis mansione collocare, spiritus angelici, qui illic janitorum officium habere videbantur me diligentius intuentes, et monachum absque monachali esse veste deprehendentes, clauserunt portas continuo, meque exclusere dicentes : Nunquid iste sine cuculla recipiendus erit in ordine vel requie monachorum? Repulsus itaque, pavidus et trepidus manebam foris, metuens nimirum damnationis subire tristem sententiam. Verum ductores mei pro me rogantes dicebant me, exceptio sermone hoc, virum exstitisse probabilem, et in observantia monastici Ordinis satis fuisse devotum : sed responsum est illico, æterna lege sancitum esse, monachum sine habitu monachi, id est cuculla, per portas illas nequaquam intrare. Cumque magis ac magis anxiarer, et ne ab æternæ beatitudinis januis penitus excluderer vehementer pertimescerem, subito ab iisdem sanctis janitoribus audivi, pium judicem Dominum Jesum Christum sententiam dedisse, ut ad humana reverterer; quatenus accepta pœnitentia pro negligentia mea, cucullaque reindutus, portas paradisi jam sine obstaculo intrarem. » His auditis fratres cum gaudio et admiratione multa gratias egerunt Deo, qui facit mirabilia solus; sed mox prædictus frater qui revixerat, ad confirmationem dictorum suorum accepta pœnitentia indutusque cuculla, migravit in pace. Constat ergo monachicum habitum, in quo etiam crucis forma exprimitur, si vita monachi teneatur, magnum habere mysterium, sicut in Vitis Patrum legimus cuidam sancto fuisse monstratum, qui eamdem Spiritus sancti gratiam, quam super baptismi sacramentum venire conspexit, postmodum etiam super habitum monachi, cum benediceretur, descendere vidit.

(34) Quod de monacho cuculla exuta mortuo dicitur, a Cæsario etiam narratur. At hoc tempore ægroti longe humanius tractantur : et sicut in usu carnium, ita et in vestitu cum ægrotis solet dispensari.

CAPUT IV.

De converso, a cujus memoria peccatum grave exciderat.

Cum facta esset aliquando mortalitas magna in domo Grandissilvæ sub venerabili Patre Pontio, postmodum Claræ-vallis abbate, ægrotabat ibidem religiosus quidam conversus, nomine Stephanus, qui moriendi desiderio tactus vix aliquid cibi sumere acquiescebat, sed votis et suspiriis continuis, ut ab hac valle plorationis, de hoc durissimi exsilii filiorum Adam ergastulo educi mereretur, orabat. Unde factum est ut desiderium cordis ejus tribueret ei Dominus. Quem cum infirmarius qui ei sedule ministraverat, cum tanta devotione et tranquillitate cordis morientem cerneret, actensus et ipse vehementer desiderio moriendi dixit ad eum : Obsecro, carissime frater, quia video te de ærumnis hujus sæculi mox erundum, et in gaudium Domini tui feliciter introducendum : ut cum perveneris ad Dominum nostrum Jesum Christum etiam mihi celerem commeatum ab ipsius benignitate impetrare digneris. Ille vero respondit suum ei non defuturum auxilium, dummodo liceret. Evolutis autem post dormitionem ipsius paucis diebus apparuit eidem infirmario suo per visionem, et dixit ad eum : en ego in pace receptus video bona Domini in terra viventium, quæ incomparabiliter exsuperant omne delectamentum carnis et sanguinis. Et nunc ex debito sponsionis meæ revertor ad te, opem laturus tibi, non tamen illam quam incaute petisti, sed quam tibi potius expedire cognovi. Recordare ergo quia, dum adhuc in sæculo esses, illud tale piaculum commisisti, de quo nondum per contritionem cordis et confessionem oris absolvi meruisti. Confitere igitur, et pœnitentiam age celeriter, quia si ante obitum per confessionem deletum non fuerit, post mortem insolubile permanebit. Evigilans itaque frater, reduxit ad mentem illud grave delictum, quod ante annos duodecim perpetrarat, sed ab ipsius memoria lethali oblivione funditus abolitum erat. Acceleravit ergo confitendo et satisfaciendo liberari, et gratias agens Deo, manifeste cognovit quia non frustra sanctorum suffragia expetuntur, nec parvipendendum esse confessionis sacramentum, sine quo etiam tales ignorantiæ taliter imputantur.

Digitized by Google

CAPUT V.

De periculo eorum qui peccata sua confiteri erubescunt.

Quoniam misericorditer Dominus prædicti fratris ignorantiam et oblivionem discussit, et eum ad salutare remedium confessionis attraxit, nunc ostendere libet quantæ damnationis rei sint, qui tremendi judicii Dei immemores, peccata gravia, quæ commiserunt, per vanam et inutilem verecundiam, de qua Scriptura dicit: *Est confusio adducens peccatum* (*Eccli.* IV), cæcati, confiteri vel dissimulant, vel erubescunt, et in virtutum operibus, quæ fortassis processu temporis acquisierunt, confisi, semetipsos decipiunt, cum scriptum sit: *Qui in uno*, hoc est in confessione, *delinquit, multa bona perdet* (*Eccle.* IX); et: *factus est omnium reus.* (*Jac.* II.) Dominus Arnoldus abbas Belliloci, vir fidelis ac religiosus, narravit nobis miraculum gloriosum, quod sibi a quodam Calacensis monasterii priore, viro sancto, relatum esse dicebat, quo præsente res ipsa contigerat. Erat in territorio Lemovicensi matrona quædam religiosæ valde conversationis, quæ licet maritali vinculo teneretur, tamen jejuniis, orationibus, eleemosynis, cæterisque religiosis actibus insistens, in habitu sæculari vitam regularem ducere videbatur; verum in adolescentia sua piaculum grave commiserat, de quo vehementer erubescens, nunquam illud alicui præ nimia verecundia confiteri volebat. Quoties tamen presbytero suo confitebatur, palliatam de isto crimine mentionem faciebat, ita confessionem suam concludens: « De omnibus peccatis meis, quæ modo protuli, et quæ non protuli, culpabilem me fateor coram Deo et vobis. » Cumque hunc finem et confessionis veluti sigillatum sermonem emitteret, trahebat ex imo cordis longa suspiria, et tota protinus in lacrymas solvebatur. Hoc igitur per annos plurimos frequenter ac uniformiter actitante, sacerdos, ut erat prudens et sollicitus, advertit aliquid pestiferum latere in corde ipsius: unde etiam tentabat multis argumentis idipsum ab ea per confessionem elicere. Sed dum nihil hac sollicitudine proficeret, monuit eam vicini monasterii Calacensis supra memoratum adire priorem, et ei tanquam viro sanctissimo conscientiam suam totam exponere. Porro sacerdos eumdem priorem super hujusmodi verbo secretius præmunire curaverat. Cum ergo venisset ad eum mulier, et ipsi confiteretur, nihil ab ea potuit extorquere, nisi quod presbyter solebat audire. Factum est autem ut infirmata et minime confessa moreretur. Cumque diutius mortua jacuisset, tardante filia ejus, quæ de alio remotiori vico ad materni corporis exsequias vocabatur, dilata est interim sepultura. Quæ cum tandem concito gradu adveniens magnis ejulatibus fleret et omnes qui aderant ad lamenta converteret, repente misericordissima Dei omnipotentis virtute femina defuncta revixit, et redeunte in proprium corpus anima, post triste divortium factum est dulce spiritus et carnis consortium. Tunc quasi de gravi somno evigilasset, flenti et lamentanti filiæ sic locuta est: « Noli timere, filia. Cessent a fletibus oculi tui, quia jam miserante Deo revixi. Discinge velaminum impedimenta quibus amicior, ut surgere queam. » Solutis itaque cum omni velocitate ligamentis, erecto capite femina resedit. Tunc illa jubente sacerdos properanter ascisitur, et secedentibus cunctis contagium veternosum protinus per confessionem emittitur ac diluitur. Postea vero confluentibus populis ad miraculum intuendum, ipsa mulier inæstimabilis gratiæ Dei in se factæ testis et annuntiatrix effecta, rei gestæ ordinem cunctis exposuit, et qualiter per interventionem piissimæ Dei genitricis et Virginis Mariæ liberata fuisset, hoc modo dicens: « Ego miserabilis peccatrix cum in hac vita cum hominibus conversarer, propter bona opera quæ faciebant et religiosam conversationem quam prætendebam, videbar coram oculis hominum stare, sed coram oculis omnipotentis Dei in ruina mortis jacebam; cujus mandati prævaricatrix esse impia temeritate non pertimui. Constituit enim Dominus in sancta Ecclesia sua, neminem absque confessione posse salvari. Ego autem misera, licet de cæteris peccatis meis puram frequenter confessionem facerem, tamen quoddam grave peccatum quod in adolescentia mea commisi, præ nimia verecundia nulli unquam hominum ausa fui confiteri: propterea omnia bona opera quæ faciebam infructuosa et inutilia mihi reddebam. Verumtamen hunc lapsum meum solebam singulis fere diebus beatissimæ Dei genitrici Mariæ, coram ipsius altari vel imagine, seu ubicunque poteram, pœnitendo, lugendo, et flendo confiteri, et ipsius misericordiam miserabili querimonia implorare, ne me pro hoc peccato meo pateretur æternæ damnationis sententiam subire. Postquam autem mortis debitum solvi, protinus a malignis spiritibus undique vallata crudeliter rapiebar, impellebar, discutiebar, et cum amarissima exprobratione peccati mei ad inferni supplicia damnanda trahebar. Recordabar interea eleemosynarum quas feceram, jejuniorum, vigiliarum, orationum, cæterorumque bonorum operum, in quibus multo tempore sudaveram, et mirabar quod tanquam omnium criminum rea gehennalibus tormentis absque ulla miseratione destinarer. Quærebam lucem operum meorum, et continuo pestifero tabo inconfessi peccati mei de imo conscientiæ meæ terribiliter evaporante, ita oculi mei obnubilabantur et contenebrabantur, ut radios veri et æterni luminis, quod per eleemosynas et bona opera conquiritur, nullo modo respicere valerem. Heu! tunc, licet tarde nimis, intellexi hæc esse stipendia obstinati et obdurati cordis mei; tunc quam sit perniciosum miseris mortalibus Domini et Creatoris sui præceptis non obedire, non solum scire, sed etiam experiri compulsa sum. Itaque omni consilio et auxilio destituta, recordata sum, quod hoc ipsum peccatum meum, pro quo justam damnationis sententiam excipiebam, beatissimæ Dei genitrici et Virgini flendo et lamentando frequenter confiteri solebam: et continuo modicum aliquid spei concipiens, ipsam veram matrem misericordiæ, et unicam spem miserorum, ne me misellam in supremo necessitatis articulo constitutam derelinqueret, votis magis atque suspiriis quam verbis orabam. Nec mora, eadem consolatrix et protectio omnium ad se confugientium, tanquam stella matutina et fulgor meridianus adveniens, terruit et increpavit dæmones qui mihi illudebant, quod suam ancillulam invadere præsumpsissent: jussitque quantocius deponere prædam, ibique dimittere eam, donec a Domino egrederetur sententia, quid inde juberet fieri. Cumque dicto citius paruissent nequam spiritus, ipsa mater misericordiæ accedens ad benedictum fructum uteri sui Dominum nostrum Jesum Christum, adoravit et ait: Obsecro pietatem tuam, Domine, Fili, ne tradas bestiis animam illam, quæ suam transgressionem coram imagine mea toties deploravit. Cui respondit Dominus: Nosti, dilecta mater, quod sine confessione salvari non potest? At illa: Domine, omnia tibi possibilia sunt: ne, quæso, confundas faciem pauperculæ hujus, quæ fiduciam habuit in me: et per multa bona et justa opera faciem tuam, licet non secundum scientiam, placare curavit. Ait Dominus: Quoniam fas non est, ut pro quavis petitione repulsam a me patiaris, et quoniam extra carnem locus confitendi et pœnitendi non est, placet ut anima hæc proprio corpori reddita, quod male deliquit, et pejus apud se retinuit, humiliter pœnitendo confiteatur, statimque reducta, debito tandem ordine misericordiam consequatur. Mox itaque Domino imperante, et piissima domina nostra sollicite procurante, missus est ad me ap-

Digitized by Google

gelus bonus, qui me de omni exspectatione mallgnorum spirituum eripiens, proprio corpori, ut cernitis, restituit. Nunc ergo confessione peracta, tempus est ut abeam, minime jam reditura, sed in æternum misericordias Domini canitura, qui me, licet indignam, tremendo judicio suo, eadem misericordia præveniente et subsequente, tam dignanter subduxit. »

Cum hæc illa dixisset, caput in feretro reclinavit: et signaculo sanctæ crucis se muniens, spiritum exhalavit. Utinam quicunque mortis æternæ jaculo per criminale aliquod peccatum transfossus exemplum istud legerit vel audierit, ad confessionis et pœnitentiæ salutare remedium animetur, sciens procul dubio neminem a Domino veniam consecuturum, qui vicario ipsius, hoc est prælato vel sacerdoti suo, humiliari contempserit! Quod si quis absque fundamento confessionis, virtutum opera super inane præsumptionis ædificare tentaverit, vel de confessione quæ in extremis fit, propter ipsa bona opera sua præsumpserit, seu majore dementia tale aliquid, quale nunc retulimus, de se somniaverit, noverit, quia quanto altius absque alis confessionis volaverit, tanto ruina ejus gravior erit, et quia confessio in extremis tanto difficilius conceditur, quanto superbius de ea præsumitur: singularia quoque privilegia paucissimis per divinam gratiam collata, generalitatem prorsus excludunt (35). Ex his colligitur multo melius esse, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, prævenire faciem Domini in confessione pura, quam in obstinatione nostra perdurantes, in die generalis resurrectionis sempiternæ confusionis et opprobrii nunquam finiendi coram angelis et hominibus notam sustinere; insuper etiam horrendæ maledictionis jaculo ferirl, quando dicetur impiis et inconfessis: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV).

CAPUT VI.

Quanta pietate Dominus somnolentiam cujusdam devoti monachi castigavit; quanta severitate alterius tepidi et negligentis inertiam corripuit.

Erat in supradicto cœnobio Grandissilvæ monachus quidam spiritualis, et magna gratia præditus, qui licet assidue cum somnolentiæ vitio luctaretur, contendens puram Domino, sicut oportet, devotionis servitutem in psalmodia exhibere, tamen naturæ fragilitatem in hac parte superare non poterat. Quadam itaque vice dum staret in ordine suo in choro, et quasi pigritando et dormitando psallere videretur, astitit ei quædam reverenda persona, cujus vultum non agnoscebat, quæ etiam excitans dormitantem, apprehendit eum per vestimentum a parte pectorali, et quasi de choro extrahere nitebatur. Qui dum traheretur, aperiens oculos, et videns eum dixit: « Quis es, domine, et cur me ita trahis? » Ille autem respondit: « Et tu, cur ita dormis? » Tanquam diceret: Nunquid propterea de stratu tuo surrexisti, et chorum intrasti, ut dormitando et capite nutando risum de te inimicis tuis faceres; et non magis propterea, ut Domino creatori tuo in conspectu sanctorum angelorum ipsius alacriter psalleres? Et cum hoc dixisset, dimisit eum, et statim evanuit. Frater vero, qui tam misericorditer a Domino pro somnolentia sua castigari meruerat, in timore Dei excutiens a se somnum torporis et negligentiæ, curavit deinceps ad vigilandum et psallendum cautior inveniri. Alius quidam in eodem monasterio monachus erat, nomine Bernardus. Hic quamvis juvenili et vegeto corpore robustus appareret, tamen remissius cæteris agebat, exhibens se ad opus manuum pigrum, et ad vigilias somnolentum.

A Unde etiam contubernalibus suis non parum onerosus erat, et ubique de inertia notabatur: præcipue in ecclesia, ubi negligentior inveniebatur. Quadam itaque nocte, cum eum dormientem ad vigilias præcentor monasterii pertæsus nimiam pigritiam ejus solito severius excitasset, ille commoto animo surrexit, et in dormitorium perrexit. Cumque ad necessariam domum accederet, ecce turba dæmonum ad ostium cum ingenti strepitu et terrore adversus eum clamans, et crebris vocibus iterans, « Apprehendite, apprehendite illum. » Quo audito repente totus inhorruit, et fugam festinanter arripiens, rapido cursu in ecclesiam rediit. Cumque venisset ad stallum suum tremebundus et anhelus, illico defectum cordis incurrit, et corruens in terram, sine motu et sensu diutius velut exanimis jacuit... Sublatus autem inde fratrum manibus, et in infirmitorium delatus, cum ab illo terrore aliquantulum respirasset, et sui compos effectus fuisset, B percunctantibus fratribus quidnam ei accidisset, rem per ordinem referens, contumaciæ et somnolentiæ suæ pœnas se luisse testatus est. Porro novitius quidam dum ipsa hora in oratorio esset, eumdem dæmonum strepitum et clamorem se audisse testabatur.

Sic ergo frater ille piger et negligens divinæ correptionis stimulo salubriter castigatus, didicit pigritiam, somnolentiam, atque desidiam, cæteraque hujusmodi pestes, vere esse stercora, quæ boves, hoc est, fortes in timore Dei, projiciunt, hoc est abominantur et detestantur: quibus etiam stercoribus immunda dæmonia pigros quosque et inutiles ad ipsorum multam confusionem lapidare non cessant (*Eccli.* XXII). Ecce quantum distat inter negligentiam ex infirmitate contractam, ubi in quotidiano conflictu vigor mentis velut aquis nivis se lavans, puram Domino nititur exhibere servitutem: et tamen ne insolescat et superbiat, somnolentiæ C sordibus intingitur; et miseram inertiam, quæ arma spiritualia projiciens, hostibus ultro se tradit, non dormitans, sed dormiens et stertens profundius aliquando in choro quam in lecto; nec ulla vivacitate mentis resistens malignis spiritibus illudentibus et dicentibus: *Incurvare, ut transeamus* (*Isa.* LI). Pulchre vero gemino hoc exemplo quod retulimus, ipsa distantia expressa est, quia illum athletam Christi, cujus supra mentionem fecimus, per gratiam quidem pugnantem, sed ex infirmitate succumbentem, bonus angelus blando alloquio ad cautelam sui sollicitiorem effecit: hunc vero, cujus inertiam et vecordiam prodidimus, caterva malignorum spirituum terroribus et clamoribus improbis insectando mente captum et fere alienatum reddidit. De bonis sumamus exempla, eligentes magis cum viris virtutum in agone spirituali viriliter certare; pigrorum vero et inutilium tepiditati sic ex animo compatiamur, ut tamen negligentias eorum, propter spem divinæ retributionis, seu D propter metum gehennæ ignis, modis omnibus fugere studeamus.

Nam et seniores Clarævallis de beatissimo Patre nostro Bernardo referre solebant quia dum quadam vice nocturnis vigiliis interesset, vidit angelum Domini cum incensorio cœlesti thymiamate referto utrumque chorum lustrantem; et quos vigilantes, psallentes et orantes inveniebat, suavissimo nectare spiritualium aromatum corda eorum reficiens, fastidium tollebat, et devotionem in eis exacuebat; quos vero somnolentos, pigros et inutiles cernebat, quasi cum indignatione quadam præteribat, nec eos aliquatenus cœlesti pitantia dignos judicabat. Venerabilis etiam Pater dominus Richardus, quondam abbas Saviniaci, de quodam religioso et sancto

(35) Historia hæc fere incredibilis, certa tamen videtur. Hanc noster auctor ait se ab abbate Beffiloci Arnaldo accepisse, et ille asserebat a priore Calacensi, qui testis erat oculatus, se eam audivisse. Nec tamen quisquam debet inde præsumere, et saluti suæ non consulere.

Digitized by Google

abbate, qui in una domorum Saviniacensium abbatizabat, mirabilem quamdam, ac paucissimis, ut reor, expertam gratiam nobis innotuit; quam ipsi ob meritum devotionis suæ largitas divinæ pietatis prærogare dignata est. Nam cum carnalibus non solum desideriis, verum etiam cogitationibus a corde suo penitus eliminatis, in puritate et devotione mentis vigilaret, psalleret et oraret, superna desuper aspirante gratia solebat sentire naribus suis influentiam peregrini cujusdam odoris, nectaream suavitatem cinnamomi, thuris, et balsami, omniumque odoramentorum fragrantiam incomparabiliter exsuperantem. Faucibus etiam suis quasi cœlestis mannæ dulcedinem infundi sentiebat, omnem in se saporem, et omne delectamentum suavitatis habentem. Quod veluti fons vivus in ore illius scaturiens, indeque ad interna corporis et animæ defluens, utrumque ipsius hominem dulcore mirabili perfundebat et afficiebat, ita ut ex sententia dicere posset : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII). Felix anima, quæ non modo in seipsa, verum etiam in corpore suo, quamvis adhuc corruptibili, jam gustare et videre meruit : *Quoniam suavis est Dominus!* (*Psal.* XXXIII.) Nullatenus namque dubitandum est, quod cuicunque tam excellens donum concessum fuerit, carnalia mox in eo desideria potenter exstinguit, spiritualia vehementer accendit, ipsamque animam totam igne divini amoris liquefacit. Præterea malignorum spirituum fugam insinuat, sanctorum angelorum præsentiam indicat; et præoptatum divinæ clementiæ respectum tam felici quam veraci experimento denuntiat. Sic sic novit Dominus consolari humiles in servitio suo strenuos et devotos : novit etiam terrere desides et inertes, commoda carnis suæ plus justo sectantes, præsenti quodammodo judicio declarans quod in futuro examine manifestandum propheta denuntiat (*Malach.* III); videlicet quid intersit inter servientem Domino, et non servientem ei; inter voventem Domino et reddentem, voventem et non reddentem; cui, secundum testimonium sacræ Scripturæ (*Eccle.* V), melius fuerat non vovere, quam post votum promissa non reddere. Itaque quod in supra memoratis personis, diversis pro qualitate meritorum stipendiis, corporaliter et visibiliter Dominus fieri voluit, hoc in cunctis servitium Dei profitentibus spiritualiter et invisibiliter actitari, certissime scire debemus. Sicut enim professionis suæ memores, et nulla laboris seu vigiliarum instantia pertæsos, quominus quotidianum psalmodiæ et hymnorum cursum prompta et alacri devotione persolvant, divinæ dignationis pietas secretissima visitatione relevat, fovet et consolatur; sic nimirum professionis suæ oblitos, et nec summis, ut aiunt, digitis arduos labores vigiliarum et servitii Dei tangere volentes, horrida dæmonum colluvies variis illusionum et passionum phantasiis fœdare non cessat, et in barathrum periculosissimum tepiditatis et negligentiæ de die in diem procliviores efficere conatur.

CAPUT VII.

Quantum periculum sit sacros ordines ambire (36).

Audiant ambitiosi, auscultent ad sacros ordines seu ad ecclesiastica beneficia impatienter anhelantes, exemplum de ambitioso : audiant, inquam, et contremiscant; et quid sibi de maximis timendum sit, in minimis considerantes, tandem patrimonio crucifixi Domini se imprudenter ingerere vereantur, quoniam *hæreditas ad quam festinatur in principio*, eodem Domino majestatis, qui ex infirmitate crucifixus est, *irato, in novissimis benedictione carebit* (*Prov.* XX). Monachus quidam Cisterciensis ordinis, religiosa admodum conversatione vitam suam consummans, tentationibus et ærumnis hujus mutabilis vitæ morte interveniente subtractus est. Quo defuncto sacrista domus illius nocte quadam imminente jam tempore vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii vigilans sedebat sic in lecto suo, cum ecce spiritus ejusdem fratris tanquam solido et palpabili corpore vestitus, repente astitit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum : « Domine sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus, sed cur nunc ad te venerim, quæso, ut pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim dum adhuc essem vivens in corpore, licet per gratiam Dei vigilanter satis in observantiis Ordinis meipsum exercerem, in uno tamen graviter deliqui : quod scilicet sacrum diaconatus ordinem carnaliter concupivi, et ut ad hunc honoris gradum ascenderem, sine respectu timoris Dei valde inquietus fui : quodque adhuc est gravius, absque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Sed pius Dominus idcirco nunc me tibi apparere concessit, quatenus qui jam per meipsum mereri nihil possum, fratrum nostrorum, qui adhuc tam sibi quam aliis misericordiam Dei promereri possunt, orationibus debeam adjuvari. Itaque obsecro per pietatem Domini nostri Jesu Christi quatenus calamitatem meam priori exponas, ipsumque roges, ut in capitulo me absolvens, generalem orationem pro mea liberatione fratribus injungere dignetur. Ut autem noveris hæc quæ vides et audis phantasticam nequaquam illusionem esse, in argumentum veritatis psalterium quod portarius ante aliquot dies in capitulo requisivit et nondum invenit, in tali loco repositum invenies. »

Verum sacrista qui hæc audierat et viderat, licet multum miraretur tam insolitam novitatem rei, tamen cum esset homo maturi consilii, ipso die nemini quidquam super hoc verbo locutus est, reputans ne forte tanquam somniator aut a dæmonibus illusus derisui haberetur. Nocte vero sequenti, dum sicut prius vigilans et sedens in lecto suo, de iis quæ præterita nocte contigerant attentius cogitaret, rursus idem defunctus sicut antea vigilanti et stupenti apparuit, dixitque ei : « Non recte agis, domine sacrista, non recte agis circa me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manus quam horrendum sit incidere, utinam et tu non experiaris ? O si scire posses quam gravis est jam minima pœna animæ carne solutæ, profecto non tam negligenter ageres, sed totis viribus sucurrere satageres. Quapropter etiam atque etiam contestor te per Deum, ne ulterius dissimules, sed petitionem meam effectui mancipare festines, quia spero me per orationes fratrum nostrorum apud clementissimum judicem Deum misericordiam adepturum. Ut autem totius dubietatis scrupulus de corde tuo tollatur, et meipsum esse, quem paulo ante viventem in carne bene noveras, non dubites, ecce tolle de manibus meis psalterium quod portarius in capitulo quæsivit, et nec dum invenit. » Tulit itaque sacrista psalterium de manibus ejus, super tam inauditis mirabilibus Dei vehementer obstupefactus, quia ipse vere est qui facit mirabilia magna solus. Porro idem sacrista scire volens, utrumnam solidum et palpabile esset corpus quod videbat, utrumve sic subjaceret tactui sicut visui, cum haberet prope se virgam, tulit eam et quasi tangendo experientiæ satisfacturus, levi ictu vibravit illam ; sed mox nullo penitus obstaculo resultante, quasi per vacuum aerem, sic per corpus quod apparebat transducta est. Mane autem facto, priori et fratribus quæ viderat et audierat innotuit : psalterium etiam quod acceperat, tanquam veritatis pignus protulit, sicque fratris illius anima per communes fratrum orationes, et missarum celebrationes pœnis, ut credimus, absoluta, beatudinis æternæ consortium Deo miserante promeruit. Sed quid est quod omnipotens Deus in his novis-

(36) Historia de ordinum ambitioso incerta est.

Digitized by Google

simis præsentis sæculi temporibus tam multa de animarum statu clarescere facit, quæ antea latuerunt, ita ut apertis revelationibus atque ostensionibus, animarum post mortem vita, futuri quoque sæculi manifestatio se nobis quodammodo inferre, jamjamque aperire videatur, nisi hoc quod beatus ait papa Gregorius, quia, « quanto præsens sæculum propinquat ad finem, tanto futurum sæculum ipsa jam quasi propinquitate tangitur, et signis manifestioribus aperitur ? »

Væ igitur iis qui, tremendi et æterni judicii Dei tantis et tam manifestis erumpentibus signis, adhuc, secundum Apostolum, turpe lucrum sectantes, quæstum æstimant pietatem, qui sacris ordinibus et ecclesiasticis honoribus per fas nefasque se intrudere non verentur : et cum item dicat Apostolus neminem sibi debere assumere honorem, *sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron* (*Hebr.* v), isti e contrario superbo oculo et insatiabili mente quaslibet ecclesiasticas dignitates prece, pretio et obsequio mendicare non erubescunt, non ut vigiliis, jejuniis et orationibus intenti, lucrandis animabus invigilent, sed ut gulæ et ventri, vanitati, voluptati et superbiæ vitæ satisfaciant, quorum damnatio, nisi resipuerint et pœnitentiam egerint, tanto erit præ omnibus hominibus durior et importabilior, quanto ipsa divina sacramenta indigne pervadere et vicariorum Christi sacros ordines carnaliter sibi arrogare non timuerunt. Sed quid agimus, vel potius quo lacrymarum imbre plangere poterimus, quod hac ambitionis peste universum genus filiorum Adam sic generaliter infectum est, ut quanto quis religiosior, sanctior et perfectior esse contenderit, tanto subtilius hoc infirmæ mentis vitio se pulsari erubescat? Sicut enim in quodam sermone suo testatur beatus Bernardus, nobilis creatura sumus, quippe ad imaginem Dei creati, sursum aspiramus omnes, ad alta nitimur cuncti, et sublimia sectamur universi : nec esset omnino ullum vitium altitudinis appetitus, si legem ab Altissimo præfixam nullus ascendere gestientium transgrederetur. Quia vero interveniente peccato intentio nostra curva, ratio cæca, voluntas infirma effecta est, necesse habemus pro imperfectione nostra compungi in cordibus nostris, scindi in confessionibus, humiliari in pœnitentiæ laboribus, et omnino solliciti esse, ne unquam demus membra nostra arma iniquitatis peccato; hoc est ut nunquam vanis adulationibus, simulatoriis obsequiis, vel quibuslibet quasi suavium morum lenociniis, morbo nos ambitionis laborare, a proximis vel præpositis nostris deprehendi patiamur.

CAPUT VIII.

De periculo inobedientiæ (37).

Cum Apostolus de Domino et Salvatore nostro dicat quia *factus est Patri obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II), et beatissimus legislator noster Benedictus obedientiam usque ad impossibilia extendat (38); ipse etiam Dominus de prælatis Ecclesiæ suæ fateatur : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X); dolendum valde est sacræ religionis professores, et obedientiam super omnia et ante omnia voventes, in tantum quandoque superbiæ et inobedientiæ fastum prorumpere, ut nec precibus flecti, nec minis terreri queant, ut ab insaniæ suæ fervore detumescere velint. Unde necessarium reor exemplum inobedientiæ in medium adducere, quatenus ii, qui iracundiæ felle commoto, et superbiæ ulcere exasperato, nec Deum timent, nec homines reverentur, audientes quam terribili judicio suo Deus superbis resistit, discant magis humiliari et obedire cum mitibus, quam spolia contumaciæ et arrogantiæ dividere cum superbis. Conversus quidam Cisterciensis ordinis priori suo inobediens factus, quod sibi imperabatur superba mente facere despiciens, nullo respectu timoris Dei, nullis fratrum blandis admonitionibus ad hoc poterat induci, ut obediret imperanti : quinimo tumidis et indisciplinatis responsionibus hoc se nunquam facturum garriebat. Interea sole ad occasum vergente clauditur dies : et ipse rancoris et amaritudinis felle plenus, et in contumacia sua perdurare non pertimescens, tanquam pausaturus in lecto suo se collocavit, illius Apostolici male memor : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Ecce autem primo conticinio noctis, cum necdum obdormisset, sed adhuc diræ superbiæ vitio, corde machinando malum, satisfaceret, adsunt duo nequam spiritus fuligine tetriores, draconibus crudeliores, stantes ante lectum ipsius : quorum unus alteri quasi interrogando sic locutus est : « Quisnam est iste qui jacet hic? » Respondit alter : « Conversus quidam. » Rursus ille qui prior locutus fuerat, quasi substomachando : « Nequaquam, inquit, sed inobediens quidam. » Et continuo subjecit alter dicens : « Ergo si inobediens est, trahamus illum ad portam. » Nec segnius dicto quod dixerat exsequuntur. Nam manus misero injicientes, et de lectulo minus suaviter excutientes, os etiam ipsius, ne clamare posset, obturantes, de dormitorio et cœtu fratrum obedientium inobedientem et contumacem traxere crudeliter. Deinde per aera eum ferentes, cum venissent extra septa monasterii, cœperunt illudere ei, proh nefas! ad alterutrum eum jaculantes, sicut solent homines ludentes pilam jacere et capere. Cumque diutius illusissent ei, dimiserunt illum ad horam recedentes ab eo. Sed, o inexplebilis diabolicæ nequitiæ crudelitas! post paululum namque reversi, cum sicut prius cœpissent illudere ei, ecce signum servitii omnipotentis Dei subito insonuit : ad cujus tinnitum, tanquam si tonitruum de cœlo cum fragore super eos rueret, territi fugerunt; miserum vero conversum jam non superbum et contumacem, sed ad instar damulæ pavidum ac tremebundum, in quamdam paludem quæ ibi erat projecerunt. Qui se inde prout poterat propipiens, subtus quamdam arborem consedit, totus ex uligine paludis denigratus atque fœdatus. Ubi cum mœrore et angustia depressus sederet, et incontinenti redituras larvales dæmonum effigies formidaret, astitit ei repente persona quædam reverenda, dicens ad illum : « Confortare, et noli timere, quoniam maligni illi tenebrarum ministri, superbiæ et contumaciæ altores, tibi ulterius nocere nequaquam præsument. Hæc autem justo Dei judicio tibi propterea acciderunt, quia tam superbe inobediens et rebellis esse seniori tuo non timuisti. »

Mane autem facto cum conversus idem inter cæteros fratres non appareret, et licet multum per officinas quæsitus inveniri non posset, suspicati sunt omnes clandestino eum discessu ad sæculi vomitum rediisse. Erat autem situs loci talis, ut coquinarios oporteret ad ministerium coquinæ mundam aquam extra portam haurire. Unde fratres qui tunc coquinæ officio inserviebant, summo mane egressi ad hauriendam aquam, viderunt conversum illum, velut amentem, sub arbore sedentem : festinatoque redeuntes priori et fratribus quod viderant indicarunt. Prior itaque assumptis secum aliquantis ex fratribus exivit foras ad eum; videnque eum sic miserabiliter se habentem, quæsivit quare illic sederet, vel quid mali illi accidisset. Ipse vero caninis rictibus morsum intentans fratribus ad se accedere volentibus, et torvis oculis

(37) Quod de fratris inobedientis pœna refertur, debuisset iste auctor expressione nominum propriorum probabile reddere : ut fecit in sequenti cap. probabilem narrationem de pio, sed inobedienti pastore.

(38) S. Bened. cap. 68 Reg.

Digitized by Google

singulos respiciens dicebat : « Vos tota nocte hac vidistis me ludibrio fuisse malignis spiritibus, et nemo ex vobis auxilium mihi ferre curavit. » Protinus ergo intellexerunt fratres eum pro culpa inobedientiæ et contumaciæ suæ aliquas pœnas solvisse; et præcipiente priore ductus est in infirmitorium, ibique diu jacens et eadem amentia laborans, didicit ex iis quæ passus est, contumax et rebellis non esse, et, sicut scriptum est, sola vexatio intellectum dedit auditui (*Isa.* XXVIII). Itaque sicut incomparabile malum est superbia et rebellio, ita sine exemplo punientur, damnabuntur et cruciabuntur superbi, arrogantes et rebelles. Quorum sententia longe sit ab omnibus nobis, qui Deum sincera et humili charitate diligere, et vicariis ipsius prælatis nostris in omni sollicitudine propter ipsum subdi et obedire decrevimus.

CAPUT IX.

Item de periculo inobedientiæ.

Sunt vero nonnulli, qui licet ab hac grossa et quodammodo manifeste peremptoria inobedientia tota sollicitudine, sicut dignum est, declinent, in minoribus tamen præceptis per obedientiam injunctis minus cauti, limitem obedientiæ facile transgrediuntur, sed etsi postea reatum inobedientiæ confessione et pœnitentia diluere conantur, magis hoc perfunctorie, quam vera cordis contritione facere comprobantur. Illis ergo adhuc exemplum inobedientiæ proponere non gravabor, ut quibus panis mendacii, id est propriæ voluntatis appetitus, contra mandatum prælati sui suavis esse dignoscitur, hoc exemplo territi resipiscant, ne forte panis furtivus in stomacho conscientiæ vertatur in fel aspidum : sicque divitias inobedientiæ, quas delectabiliter devorarant, evomant, et de ventre eorum extrahat eas Deus. In provincia quæ dicitur Germania trans Rhenum, quæ etiam generali nomine Saxonia vocatur, territorio civitatis Parbrunnensis, quam Carolus magnus imperator condidit, exstat cœnobium sanctimonialium Aroldisseium nuncupatum, quod sanctissimorum apostolorum filiorum Zebedæi sacro nomini attitulatum, magnæ antiquitus religionis et districtissimæ disciplinæ fuisse dignoscitur. Huic monasterio quodam tempore præfuit vir vitæ venerabilis, nomine Petrus, de ordine Regularium canonicorum assumptus, quoniam et ipsius monasterii instituta secundum Regulam beati Augustini disposita sunt. Erat ergo homo ille mandatorum Dei scrutator sedulus, et exsecutor devotus, charitate clarus, humilitate submissus, castitate præcipuus, quique, tanquam fidelis paranymphus et amicus sponsi, sponsarum Domini sui sibi commissarum castitatem pervigili devotione zelabat, latrunculos quosque integritatis corruptores, ne thalamum cœlestis sponsi violarent, viriliter propulsabat. Cumque bonis polleret moribus, hoc in conversatione sua præcipuum velut pretiosam margaritam habebat, sacræ videlicet venerationi Dei genitricis sincera cordis affectione insistere, hostiam salutarem et sacrificium singulare, per quod peccata mundi tolluntur, in ejus honore multa cum devotione frequenter immolare; ipsam sibi in cunctis necessitatibus suis advocatam eligere, ipsiusque suffragia lacrymosis et continuis precibus implorare. Porro laudabilem talem consuetudinem sibi effecerat, ut quoties nomen mellifluum ejusdem beatæ Virginis et matris nominari audisset, si opportunitas petendæ veniæ deesset, inclinato reverenter capite, genibus etiam aliquantulum incurvatis, salutationem angelicam eidem matri misericordiæ, quanto devotius poterat, repræsentaret. Denique optimi agonis certamine feliciter consummato, tempus advenit, quo veridicam illam cœlestis oraculi sententiam experiretur dicentis : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur!* (*Apoc.* XIV.) Adversa namque correptus valetudine febribus cœpit æstuare, et quanto viciniorem esse mortem signa mortis erupentia nuntiabant, tanto specialis patronæ personæ suæ, dominæ nostræ, auxilium cœpit enixius flagitare : et ut ad servuli sui exitum occurrere, seque a malignorum spirituum nequissima crudelitate tueri dignaretur, attentius orare.

Itaque paucis diebus ante dormitionem suam vocavit ad se priorissam ejusdem loci, nomine Gislam, prudentem valde ac religiosam virginem, quasdam etiam de senioribus sororibus, dixitque ad illas : « En ego ingredior viam universæ carnis; et licet pro modulo meo puram Domino studuerim exhibere servitutem, tamen quia nescit homo utrum amore dignus sit, an odio, districti Judicis ancipitem sententiam reformido. Porro notum vobis facio quod beata Dei genitrix Virgo Maria, Regina cœli, Domina mundi, me cras qualemcunque servulum suum circa horam sextam visitare, atque, ut spero, credo, confido, de hujus mundi exsilio eruere secumque ad cœlestis patriæ lucidas mansiones assumere dignabitur. Quod enim meis me meritis consequi posse nullatenus præsumo, hoc per ipsius sanctissima merita mihi fiducialiter usurpo. Vos ergo domum totam mundari quantocius facite, sedilia componite et ornate, ac circa horam quam prædixi, universas sorores cum thymiamate et cereis adesse præcipite; cumque ego versiculum illum sequentiæ Assumptionis B. Virginis, *Te, cœli Regina*, incœpero, cunctæ simul sorores in jubilo cordis et vocis sequentiam ab eodem versiculo usque ad finem alacri devotione percantent. Verum priorissa cæterisque sororibus quæ aderant, fidem continuo dictis ejus adhibentibus, utpote sanctitatis et innocentiæ ipsius conscius, conversus quidam nomine Theodericus, ad caput lectuli in quo homo Dei jacebat stans, et incredulus iis quæ dicebantur, talia in corde suo loquebatur : « O vere mobile, et infirmum omnique verbo credens genus femineum! Ecce enim homo hic in vicinia mortis constitutus, deficiente sensu, aliena loquitur : et istæ sorores verba ejus tanquam ex ratione prodeuntia, vel veritate subnixa, putant continuo effectui fore mancipanda. » Talia eo cogitante, sanctus sacerdos caput virtute qua poterat elevans, et ad partem illam ubi conversus stabat oculos dirigens : « Esne, inquit, ibi, frater Theoderice? » Quo respondente : « Sum, domine.—Accede, ait, huc ad me. » Illo quoque protinus accedente : « Da, inquit, manum tuam. » Obstupefactus conversus, et adhuc eum quasi minus compotem sui considerans, non ausus tamen contradicere sermonibus sancti, dedit manum suam. Quam vir Dei apprehendens, et digitis suis digitos ejus fortius stringens : « Sicut, ait, verum est quod ego manu mea manum tuam teneo, digitisque meis digitos tuos stringo, sic verum est quod ego per virtutem gratiæ Dei locutus sum : quod autem tu in secreto cordis tui loqueris, falsum esse scias : me scilicet delirare sensuque turbato nescire quid dicam. »

Sic itaque per unius increduli propheticam ac vere divinam correptionem, omni dubietatis nubilo a cordibus cæterorum deterso, tantam gratiam spirituali Patri suo cœlitus fuisse collatam omnes in commune gratulabantur. Jam altera dies illuxerat, et hora quam vir Dei prædixerat, sole ad centrum festinante proximabat, universitasque sororum cum fratribus laicis adunata piissimæ Reginæ cœli adventum tanto certius præstolabantur, quanto eam is qui prædixerat, manifestiore miraculo comprobarat. Tanta vero reverentia mentibus cunctorum qui aderant circa prætaxatam horam infusa est, ut divinam aliquam adveniase virtutem, nemini astantium dubitare fas esset. Ipse vero beatus sacerdos mirum in modum serenata facie, elevatis in cœlum oculis, manibus quoque sursum protensis, versiculum quem prædixerat cantando imposuit dicens : *Te, Regina cœli, hæc plebicula viis concelebrat mea-*

Digitized by Google

tibus. Sed quis digne effari queat quanta devotione et compunctione, quantoque pietatis affectu eadem sequentia a sororibus percantata sit? Jacebat interim servus Dei in agonia, raptusque in exstasin multa de secretis cœlestibus et de statu ejusdem cœnobii per revelationem cognovit, quæ postea priorissæ, senioribus sororibusque indicavit. Omnium vero oculis in eum defixis, subito obnubilata est facies ejus, et corrugata fronte mœroris cujusdam et anxietatis magnæ signa dedit, erumpensque in vocem, miserabili lamentatione talia edidit verba: « Cur, domina piissima, servulum tuum pauperculum in hac fæce mortalitatis relinquis, quem licet indignum tam benigna visitatione consolari dignata es? Dulcissimam præsentiam tuam tantis desideratam votis, expetitam precibus et lacrymis, jamjamque morituro dignanter indulsisti, et nunc ad patriam vitæ, ad gaudia paradisi rediens, misero comitatus tui consortium negas?» Cumque frequenter iterando: « Domina piissima, domina misericordissima, ne derelinquas me. Tecum volo, tecum volo cunctosin fletum et lamenta convertere: » repente redditus sibi, postquam propter nimiam defatigationem corpusculi modicum conquieverat, dimissis cæteris et priorissa cum paucis senioribus secum retenta, sic locutus est: « Refocillandi gratia modicum aliquid liquoris afferri præcipite, quatenus, aridiate linguæ delinita, fauciumque rheumate deterso, expeditius proferre valeam quod dicere debeo. » Festinato itaque priorissa per seipsam modicum vini in vasculo afferente, mox ut limen domus in qua homo Dei jacebat attigit, ille, cum neque visu neque ullo corporis sensu percipere posset quid illa gestaret, exclamavit, dicens: « Non, domina priorissa; nequaquam afferatis nobis vinum, quia vinum arcana denudat (*Eccli.* XXVII), et vinum apostatare facit sapientes (*Eccli.* XIX).» Audiens illa tam evidenti prophetiæ spiritu se esse deprehensam, adeo intremuit, ut gradum vix reflectere posset. Dehinc modica aqua refocillatus, ita exorsus est: « Quanta sit culpa inobedientiæ utinam, miser, antequam pœnam experirer, subtilius intellexissem! Utinam hoc mentibus vestris, sicut necesse est, imprimere valeam! Ecce enim pro reatu inobedientiæ piissima domina mea in hac lacrymarum valle nunc me reliquit, nec dignum censuit ut sub protectione ipsius aereas pertransiens potestates cœli secreta penetrarem. Qualis autem ipsa inobedientia mea fuerit, audite: Accidit aliquando ut plurimi diœcesis hujus presbyteri improvida calculatione decepti, jejunium Quatuor Temporum mensis Septembris illegitimo tempore celebrarent, in quo errore et ego, canonum scita minus attendens, prolapsus sum. In proxima vero synodo, cum ii qui jejunium illegitimo tempore celebrarant, hanc transgressionem accusarent, præceptum est in virtute obedientiæ ut quicunque hujus delicti sibi conscius esset, veniam peteret et se culpapilem redderet. Cumque cæteri, quos accusabat conscientia, malentes periclitari famam quam conscientiam, quod jussum fuerat humiliter facerent, ego miser plus deferens Ordini et opinioni meæ quam veritati, quia et unus ex prælatis Ecclesiæ eram, et nonnullius religionis esse putabar, heu! confusionis opprobrium non sustinens, publice veniam petere erubui. Hoc est peccatum meum, hoc delictum inobedientiæ, propter quod hodie tanto bono privor, ut a consectatu universalis dominæ matris misericordiæ repulsus, ab introitu æternæ vitæ et sempiternæ gloriæ ad erumnas mortalitatis hujus revocatus sum. » Porro priorissa inquirente utrumnam peccati illius maculam per confessionis et pœnitentiæ lavacrum non diluisset, illeque se hoc non semel, sed pluries confessum fuisse assereret, cum magnæ admirationis stupore priorissa subjunxit: « Væ mihi peccatrici, domine Pater: quid ergo dicemus de sacramento confessionis? Si tibi non semel, sed pluries confitenti indulgentia est negata, quis jam alius mediante confessione delictorum veniam sperare poterit? » At ille dignum memoria verbum respondit dicens: « Scire debetis quoniam, secundum intentionem vel contritionem confitentis sive pœnitentis, intentio judicii, sive remissio indulgentiæ reformatur. Quia enim ego miser peccatum meum secundum veram æstimationem ponderare neglexi, nec quanta oportuit contritione et compunctione cordis confessus sum, propterea necdum indulgentiam consequi merui. » Cumque talia tristis et mœrens locutus fuisset, sororum quæ præsentes aderant corda magno terrore concussa sunt, et ad obedientiæ puritatem sectandam non mediocriter accensa. Triduo, si bene memini, postea supervixit, tanto amarius lugens peccatum suum, quanto divini judicii districtionem evidentius fuerat experA B tus. Moriens autem, mortalitatem magnam in eadem domo futuram esse prædixit, quæ etiam mortem ejus e vestigio subsecuta est: sicque in pace consummans dies suos, plenus operibus bonis appositus est ad patres suos. Verumtamen festivam illam et omnino gloriosam assumptionem, qua cum beata Dei genitrice Maria sanctorumque angelorum frequentia assumi meruisset, si culpa non intervenisset, merito inobedientiæ perdidit: cujus utinam exemplo nos omnes, qui obedientiam professi sumus, terreamur, ut nunquam ad inobedientiæ vitium prosiliamus: aut si per infirmitatis humanæ corruptionem prolapsi fuerimus, condignis hoc pœnitentiæ lamentis diluere festinemus.

CAPUT X.

De periculo conspirationis.

C D Apud provinciam, quæ Germania prima dicitur, cujus metropolis est Maguntia, territorio civitatis Wangionum, quæ est Warmatia, exstat cœnobium Cisterciensis ordinis, de linea Clarævallis, quod Germanica lingua Sconaugia dicitur, quodque interpretatum *pulchra insula* dicitur. In hoc monasterio temporibus bonæ memoriæ domni Godefridi abbatis facta est aliquando, instigante maligno, gravissimi scandali occasio talis: Superiori tempore per negligentiam, seu potius indiscretam benevolentiam prælatorum, consuetudo, contra formam Ordinis, præsumpta in eadem domo inoleverat, scilicet ut conversis sicut et monachis annuatim novæ botæ darentur. Cum autem prædictus vir strenuus de altera domo assumptus divina pariter et humana vocatione primum honoris gradum non pecuniæ vel carnis et sanguinis prærogativa, sed vitæ merito prudentiæque decore in eadem Ecclesia obtinuisset, et invenisset conversos temerario hoc fastu delectari, laudabili zelo accensus, præsumptionem pessimam censuit esse corrigendam. Itaque privatim in consiliis et publice in fratrum capitulis cœpit ingenue de præsumpta novitate causari, monere, rogare, tandem etiam præcipere, ut tortitudo pravæ consuetudinis Ordinis rectitudini non conveniens, absque scandalo dissensionis, si fieri posset, amputaretur. Sed quia viscus diræ præsumptionis carnalium fratrum mentibus tenacissimo glutino miseræ obstinationis sic inhæserat, ut absque scandalo avelli nequaquam posset, maluit vir prudens ut, secundum beati Gregorii doctrinam, scandalum magis oriretur quam veritas relinqueretur (39). Cœperunt itaque conversi primo quidem in angulis susurrantes murmurare, dehinc conspiratione paulatim invalescente, seditionem publicam effrenata insania meditari. Totius vero mali incentor et conspirationis auctor exstitit conversus quidam, cui dormitorii fratrum servandarumque botarum cura commissa fuerat: qui diabolico spiritu reple-

(39) Greg., hom. 7 in Ezech.

Digitized by Google

tus, et secundum prophetam in omni loco silentium projiciens (*Amos* VIII), nunc singulos, nunc simul plures conveniebat, suadebat, hortabatur, ut nunquam consuetudinem suam insolentiæ fomitem, elationis incentivum, quacunque precum seu minarum occasione sibi paterentur auferri. Et o quam mirabili, imo quam lamentabili dementia, spiritus superbiæ illos quos semel deceperit, illaqueat, ita ut arduos durissimosque labores, quos si propter Deum subire cogerentur, intolerabiles judicarent, contumaciæ fastusque typho inflati, tanquam leves et faciles subire non vereantur! Cum enim domnus abbas susurria eorum primum deprehendisset, præceperat per virtutem obedientiæ, ut quicunque ex eis silentium rumperet, si ante cibum hoc faceret, eadem die; sin vero postea, sequenti die in pane et aqua jejunaret. Quod is cujus supra meminimus, non conversus, sed perversus, nequaquam virtutis amore, sed ut invidiam abbati suo suscitaret, tanquam cœlitus datam sententiam servare curabat. Nam cum pene quotidie conspirationem conflando silentium frangeret, singulis etiam fere diebus in pane et aqua jejunabat, ut vel sic animos fratrum in odium abbatis inflammaret qui tam duram et inhumanam sententiam promulgasset.

Interea sacratissima Dominici Adventus celebritas supervenit; et conspirationis procella clandestinis susurriis aucta et roborata undique intonabat: jamque publicum scandalum, et ipsum gravissimum minitabatur. Dederat namque prædictus pseudoconversus consilium pessimum, quod etiam sceleratissima instantia perurgebat, scilicet ut vigilia Natalis Domini congregatis fratribus de grangiis unanimo consensu dormitorium monachorum tempore laboris ascenderent, atque de singulorum lectis botas auferentes, minutatim eas ferro secarent, manibusque discerperent. Licet vero prodigiosa hæc et infamis eorum nequitia venerabilis abbatis conscientiam minime lateret, dissimulavit tamen, sicut scriptum est, quia *prudens in tempore malo tacebit* (*Prov.* XI). Cæterum quanto in tantis angustiis longius aberat humanum consilium pariter et auxilium, tanto enixius divinæ pietatis viscera statuit interpellanda, monachisque generalem orationem indicens, monebat, ut singuli secundum possibilitatem suam Domini misericordiam peterent, quatenus de tanta insolentia carnalium fratrum melius aliquid disponere sua pietate dignaretur. Instabat jam præcipua et festiva Natalis Domini solemnitas; et ante paucos dies ejusdem solemnitatis domno abbate capitulo conversorum præsidente, prædictus signifer dissensionis et minister Satanæ de indiscreta abstinentia, et quia barbam suam novacula penitus abrasisset (quod quidem miser ille intentione commovendi scandali fecerat), a quibusdam complicibus suis, nequaquam zelo ordinis, neque fraternæ charitatis intuitu, sed studio exercendæ malitiæ proclamatus est. Cumque domnus abbas blando affatu quæreret ab eo cur hoc fecisset, et ex tumidis inordinatisque responsionibus ejus intelligeret malitiam ipsius esse completam, laudabili quodam justitiæ zelo accensus, sic ad eum præsago spiritu coram omnibus locutus est: « Debueram quidem, frater, salutaribus monitis aggredi contumacem animum tuum, si forte resipisceres a laqueis diaboli, a quo captivus teneris ad ipsius voluntatem; sed quoniam trabs superbiæ oculum cordis tui adeo obnubilavit, ut eam per humilitatem meam ejici posse non præsumam; et quoniam sic te alienatum sensu video, ut monita nostra irrideas potius quam recipias, idcirco omnibus hic sedentibus de te fiducialiter pronuntio quia, nisi celerius et sine dilatione resipiscas atque humiliato spiritu ad satisfactionem venias, omnipotentis Dei terribile judicium in brevi senties, et, sicut scriptum est, *in tempore vindictæ disperdet te* Dominus (*Ecc.i.* V). Ecce iterum ac tertio dico omnibus hic sanum intellectum habentibus, quoniam sicut pius et misericors Dominus humilibus dat gratiam, sic terribilis Deus indeclinabili linea rectitudinis suæ superbis resistit (*I Petr.* V), ideoque tu, qui pacis et institutionis, quam sancti Patres sanxerunt, publicus hostis es, si in malitia perseveraveris, durissimum intra paucos dies judicium portabis. Confido enim in Domino Jesu, et in gloriosa Virgine matre ipsius, cujus nos inutiles servuli sumus, quia domum istam ab ipsa sui fundatione fraternæ charitatis glutino, laudabiliumque morum disciplina conspicuam, non patientur tua nimium improba pervicacia corrumpi. »

Jam preces fratrum super intestinæ discordiæ tabe gementium ad aures Domini Sabaoth ascenderant, et angelus Domini accepta ab eo sententia, pertransiens eos, quorum frontes signo Thau (40), hoc est vexillo humilitatis Christi, insignitas reperit, miserum conspirationis auctorem, cujus fronti characterem bestiæ et draconis, qui est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI), impressum vidit, percussit, ac sine mora exstinxit, pariterque cum eo totius scandali turbinem et præsumptionis nebulam dissipavit. Vespera namque diei vigiliam Natalis Domini præcedentis, cum post completorium de dormitorio descendisset, et infirmarius conversorum, qui quasi secundarius ejusdem conspirationis esse videbatur, cum quo etiam venenata dissensionis consilia frequentius tractabat, ei occurrisset, subito vocem doloris cum gemitu valido cœpit emittere, et pallescente facie, naribusque contractis, oculis etiam de statu suo eversis, mortem incontinenti adfuturam, tristia signa declarabant. Turbatus alter, cum jam nutantem cerneret, ne forte repentino lapsu terræ allideretur, medium complexus est; sed adeo subitanea mors fuit, ut antequam terram petere posset, inter manus tenentis se funesti sodalis miseram animam exhalaret. Tunc conturbati sunt principes conjurationis, robustos in contumacia sua obtinuit tremor, obrigueruntomnes dissensionis et schismatis incensores. Quam bonus es, Domine Jesu, sperantibus in te! quam dulcis est misericordia tua in tempore tribulationis! sicut ros matutinus, et sicut pluvia opportuna in diebus siccitatis. Tu enim es Rex regum, et Dominus dominantium, qui sedes in throno judicii, dissipans omne malum intuitu tuo (*Prov.* XX); qui per unius peccatoris terribilem mortem peccatores coercuisti multos, et domum illam, quoniam placita tibi in ea inventa sunt opera, a turbine præmeditati diuque conflati scandali misericorditer liberasti. Accurrerunt undique ad signiferum suum conversi; et quem postero die ad inauditum scelus perpetrandum quasi ducem sequi decreverant, ejus, Jesu bone, cadaver exstinctum miserabili tumultu in infirmitorium deferentes, in area, ubi fratres vita excedere solent, consternati metu et tremore, collocarunt. Non enim passus es, Domine, sacratissimam solemnitatem tuam in qua primum ministerio angelorum pax terris annuntiata est, discordiæ schismatisque perturbatione fœdari. Cumque tabula defunctoria signum dante universorum aures percellerentur, tum maxime propterea, quia neminem illic sic proximum morti sciebant, domnus Theobaldus tunc subcellerarius, postmodum vero ejusdem loci abbas, quique inde assumptus prælatus est matri Ecclesiæ, scilicet Everbacensi, quæ est una de primis filiabus Clarævallis, cujus etiam revelatione nos ista didicimus, orationem, quam domnus abbas pro pervicacia conspirationis constituerat, usque ad illam horam oblivioni traditam eodem momento, quanto devotius poterat, persolvebat. Audito vero sonitu tabulæ, festinanter in infirmite-

(40) Alludit ad Ezech. IX.

Digitized by Google

rium cucurrit; et cum rescisset quis defunctus esset, vehementer admiratus judicium Dei, domnum abbatem, qui tunc forte de dormitorio descenderat, ad commendationis officium defuncto persolvendum quantocius invitavit. Illo quoque celerius accurrente, cum, remoto a parte capitis operimento quo corpus tegebatur, faciem jacentis intuitus esset, complosis manibus, et ex intimo cordis trahens suspiria : « Heu ! inquit, tu miserrime, ecce quomodo sine pœnitentia malitiæ tuæ divino judicio extinctus jaces. » Et hoc ipsum secundo et tertio ingemiuans : « Utinam, inquit, monita mea contumaci animo non sprevisses ! utinam misericordiam Dei æternaliter a te non excluseris ! »

Aliquandiu itaque quid sibi faciendum esset deliberans, tandem id consultius esse credidit, ut commendationis officio ex more peracto, corporeque in ecclesiam delato, postero die fratres omnes tam monachos quam conversos convocaret; quatenus quid sibi in tali articulo faciendum esset, in commune decernerent. Concione autem facta, sic domnus abbas in audientia cunctorum locutus est : « Nostis, fratres charissimi, in quam perverso proposito pravi cordis et malitiosæ voluntatis suæ homo iste deprehensus sit : quem nisi districta judicii Dei censura quantocius de medio tulisset, domum istam in optima pace et concordia hactenus durantem gravissimi scandali cauterio cum complicibus suis, quos ad hoc susurriis improbisque suasionibus illexerat, inurere non timuisset. Quapropter, quoniam perversitatem ejus omnes scimus, confessionem vero seu pœnitentiam ipsius non novimus, corpus ejus inter corpora fratrum nostrorum nequaquam poni debere censeo; et hoc non temeritate aliqua sed libramine justi judicii decernere confido. » Quo audito extimuere et expalluere conversi, utque sibi cum senioribus monachis seorsum loquendi licentia daretur suppliciter postularunt. Hoc per indulgentiam domni abbatis consecuti, cum in partem divertissent consilii gratia, post paululum reversi, et solotenus coram ipso prostrati, tam monachi quam conversi, ut misericordia defuncto non negaretur, multa precum instantia petierunt, spondentibus conversis, atque sub attestatione divini nominis asseverantibus, quoniam si domnus abbas districtionem sententiæ temperaret, et defuncto, licet minus digno, communem sepulturam non negaret, se ab omni intentione conceptæ malitiæ cessaturos, et super petitione novarum botarum verbum ulterius nullo modo se moturos. Dicebant præterea quidam de senioribus, excepto sermone hoc, alias virum satis exstitisse probabilem; nec debere ab hominibus judicium sine misericordia decerni in eum quem fortassis divina misericordia ideirco temporaliter punisset, ne conceptam malitiam effectui mancipare posset, pro qua æternaliter damnari debuisset.

Considerans itaque domnus abbas ita tempori expedire, et ne forte novissimus error pejor fieret priore, si conversi, qui hac occasione facile sedari poterant, in majus aliquod scandalum prorumperent, simulque metuens sibi, si præpropere austeriorem quam oporteret sententiam daret, quoniam sententia conspiratorum necdum a capitulo generali promulgata fuerat, annuit petitioni ipsorum, celebratisque ex more missarum exsequiarumque solemniis, inter corpora fratrum defunctus frater terræ commendatus est. Benedictus per omnia Deus, qui domum illam de altissima rupe malitiosæ conspirationis pendentem, jamjamque in profundissimum barathrum gravis scandali præcipitandam, sicut pius, sicut misericors liberavit, ita ut sepulto fratri totius discordiæ fæx consepulta quodammodo videatur, nec calidissimæ vulpeculæ fœda vestigia succedenti tempore in eadem domo deprehensa fuisse, omnis illa sancta congregatio usque hodie glorietur. Cæterum domnus Theobaldus, cujus supra mentionem fecimus, cum esset eidem defuncto fratri ex antiquo intimæ familiaritatis amicitia conjunctus, seque invicem tam in vita quam in morte, cum alterutrum eorum decedere contigisset, orationum suffragiis adstrinxissent, quoniam idem conversus ante conspirationis turbinem non contemnendæ religionis exstiterat, sciens in suprema sorte necessitatis amicum probari, dolensque valde de periculo animæ illius, quem viventem familiariter dilexerat, statuit apud semetipsum, annuam pro eo facere orationem. Indubitanter namque credidit quod, etsi exigentibus meritis, precum impendia defuncto nihil emolumenti ferrent, sibi tamen bonæ voluntatis suæ fructum perditum iri non posse. Cumque toto illo anno supplices pro eo preces ad Dominum fudisset, revoluto anni circulo idem defunctus ei in visu apparuit, lugubri vultu tristem sese subiisse sententiam significans. Interrogatus quomodo se haberet, respondit se ab hora exitus sui usque ad tempus illud, in ultionem contumaciæ et rebellionis, gravissimorum suppliciorum pœnas luisse, non tamen de misericordia Dei usquequaque desperare. Sane, utrum hoc simplex somnium, an alicujus revelationis mysterium fuerit, sicut temerarium est defluire, ita pium est super anima fratris defuncti præcipitem frenare sententiam, cui fortassis temporalis mortis horrendum exitium sempiternæ misericordiæ fuit adminiculum, quia misericordia et judicio e regione se respicientibus clarius elucescit miseridia. Certe quam sereno pietatis oculo Dominus hanc domum respexerit, Everbacensis probat Ecclesia, in qua cum longo post tempore novarum botarum quæstio malignissimo dæmonum instinctu mota fuisset, tantorum scandalorum tantarumque calamitatum spinæ eruperunt, ut eas magis flere liceat quam verbis explicare. Sit ergo nobis propositum exemplum in humilitatis et cautelæ monimentum, ut si unquam serpens ille antiquus, hostis inveteratus, zizania discordiæ et conspirationis propter consuetudines ordinis, in locis in quibus fuerimus, seminare tentaverit, nos in timore Dei pacis concordiæque violatores velut aspides et basiliscos fugientes, cum filiis pacis, qui pravas consuetudines contra formam ordinis præsumptas, zelo Dei exstirpare et exstinguere conantur, ex adverso viriliter ascendere, murumque pro domo Domini nos opponere non pigritemur (*Ezech.* XIII); quoniam, quod sæpe dicendum, ac sine oblivione retinendum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV; *I Petr.* V).

CAPUT XI.

De periculo excommunicationis.

Licet universorum, qui Christiano nomine censentur, mentibus, per fidem, qua imbuti sunt, velut naturaliter persuasum sit excommunicationis sententiam nihil aliud esse quam separationem a Deo alienationemque a vita æterna, tamen, quia corda per negligentiam torpentia plus quandoque movent exempla quam verba, necessarium duxi demonstrare peremptoria hac sententia quam sit pavenda rationali creaturæ, quæ etiam irrationalem creaturam nonnunquam aut morti, aut gravissimæ subjicit calamitati, quatenus miser homo, cui specialiter ob meritum superbiæ anathematis spiculum intentatur, quid sibi de se metuendum sit, penset, quando ea quæ rationis experientiam subire nesciunt, per virtutem divini nominis anathematis mucrone feriuntur. Ludovicus pius, imperator Augustus, Caroli magni filius, qui primus ecclesias Christi per Galliam et Germaniam de amplissimis imperialis fisci redditibus magnifice ditavit, ob quod etiam Pius meruit cognominari, quique, ut fertur, audivit vocem dicentem sibi : « Ludovice, venerum ecclesiis addidisti, » in partibus Saxoniæ super ripam Werre magni fluminis cœnobium monachorum fundavit, quod secundum magnificentiam imperialem

Digitized by Google

divitiis et honore nobilissime exaltatum, ad distinctionem Corbiæ veteris, quæ in Galliis est, Corbiam novam appellari decrevit. In hoc monasterio temporibus divæ memoriæ Friderici imperatoris erat abbas quidam, nomine Conradus, qui secundum pompaticam consuetudinem imperialium abbatum, inter cæteras sæcularis gloriæ illecebras, annulis aureis utebatur, longe aliter, ut credo, affectus quam ille vere pauper et humilis spiritu Clarævallis primus abbas, quem, sicut de eo scribitur, plus delectabat rastrum et sarculus quam tiara et annulus. Contigit vero ut quadam vice haberet annulum aureum, qui erat ei pretiosus, quem una dierum sedens ad mensam, dum juxta morem curiæ causa abluendarum manuum deposuisset, nugis nescio, an seriis intervenientibus, aliquanto negligentius sic super mensam relictus est. Advolans interea domesticus ales corvus, quem curiales abbatis in deliciis habebant, nullo penitus advertente, raptum ore annulum, nec furti se reum intelligens, pernici volatu in nidulum suum asportavit. Verum postquam exempta est fames epulis, mensisque remotis surrexere omnes, abbas damnum suum intelligens, ministrorumque negligentiam culpans, annulum quaquaversum quæri ocius jubet, sed auctore sceleris conscientias omnium eludente minime reperitur.

Itaque tam convivas quam ministros suspectos habens abbas, gravique indignatione commotus, mandavit plebanis oppidi, quod amplissimum et ditissimum haud longe a muris cœnobii situm abbatis subjacet ditioni, quatenus acerrimam excommunicationis sententiam publice intorquerent in eum qui se hoc scelere maculare non timuisset. Quo facto sicut cunctis ratione utentibus in hac parte testimonium conscientiæ factus est decor innocentiæ, sic ipsa irrationabilitas naturæ subterfugere non potuit, quin temporales anathematis solveret pœnas, quas sempiternas solvere transitoria conditionis suæ vetabat infirmitas. Cœpit namque improbus quidem, sed tamen culpæ inscius fur paulatim languescere, cibum fastidire, ludicras crocitationes, cæterasque irrationalis creaturæ ineptias, per quas stultorum hominum timorem Dei negligentium animos oblectare solebat, segnius exercere, dehinc etiam pennas projicere; ad postremum vero ipsis quoque plumis tabescentis carnis corruptionem fugientibus, miserabilis et admiratione dignus cunctis se cernentibus apparere. Factum est autem quadam die domesticis abbatis, ipso præsente, de tam prodigiosa alitis illius immutatione inter se quærentibus, remque tam insolitam nequaquam sine causa fieri posse asseverantibus, ut unus ex ipsis sic quasi joco diceret abbati : « Considerandum vobis est, domine, ne forte iste sit fur quem quæritis, et hæc horrenda plaga quam cernitis, vinculi anathematis quo innodatus est, indicium det. » Attonitis ad hoc verbum cunctis, uni ex ministris præcepit abbas, arborem in qua cubile alitis illius erat festinato ascendere, stratumque stipula et sarmentorum repugiis subornatum diligentius reversare. Qui mox ut ascendit, repertum annulum ab injuria sordium vindicavit, nec sine stupore omnium qui aderant manibus abbatis restituit. Ita misero fure, qui atrocissimas furti pœnas luebat, nec tamen furti se reum intelligebat, divino, ut credimus, nutu prodito, ad consilium discretorum virorum domnus abbas iis qui excommunicationis sententias dederant, mandavit, quatenus anathema, quod reo intorserant, restituto damno celerius relaxarent. Quod postquam factum est, sicut prius paulatim deficere, pestiferoque tabo de die in diem languescere prædictus ales visus fuerat, ita postmodum per incrementa reviviscere quodammodo atque revirescere cœpit, quoadusque pristinæ formæ sanitatique amissæ, non sine magno Dei miraculo integraliter restitutus est.

Invenitur etiam in gestis beatissimi Patris nostri Bernardi, quia cum ad dedicationem novæ basilicæ Fusniacensis cœnobii invitatus fuisset, tam innumerabilis muscarum multitudo propter nidorem novæ calcis in ecclesiam recens linitam convenerat, tantamque inquietudinem intrantibus generabant, ut fratres valde timerent, ne forte dedicationis solemnitas, quæ postero die celebranda erat, earum improbitate impediretur. Quod cum Patri sancto intimatum fuisset, solita confidentia, quam in Deum habebat, usus : « Excommunico, inquit, eas. » Mane autem facto universæ muscæ illæ anathematis spiculo percussæ et mortuæ ita pavimentum omne repleverant, ut palis eas in congeriem adunari, gerulisque exportari necesse fuerit. Sed et de milite quodam audivimus, qui ob pravitatem suam publice excommunicari meruerat, quia sedens ad mensam panem canibus projiceret, sed canes solo odore polluti panis exterriti retrocedebant, et eum tangere nullatenus acquiescebant. Quam vero pavidus et circumspectus debet esse homo, qui ratione et gratia duce malum vitare bonumque operari valet, ne in exterminii et separationis adeo terribilem sententiam incidat, si sic irrationalis creatura quæ peccare nescit, ac per hoc peccati pœnas solvere non tenetur, intervenente anathematis severitate quandoque puniri videtur.

CAPUT XII.

De periculo indiscretorum confessorum, et de laude discretorum (41).

Quam pulchre sacra Scriptura discretionem matrem commemorat esse virtutum, quæ, quasi sacer quidam limes inter virtutes et vitia medius, alterutra hæc ab invicem sagaci providentia disterminat, vitia virtutum specie adumbrata exsufflat, ipsas virtutes per devotionem impinguat et ordinat, infirmum in fide non projicit, sed materna magis pietate suscipit, conscientias peccatrices sibi per confessionis verecundiam denudatas per invectionis asperitatem nequaquam exulcerat, sed benigna consolatione mulcet et erigit; ac, si tanta est pusillanimitas confitentis etiam gravissima scelera, quæ vix multorum annorum luctu aboleri posse sperarentur per sacrificium spiritus humiliati cordisque contriti, facile deleri posse melliflua exhortatione suadet. Non sic pastores multi in Ecclesia Dei, indiscreto et impetuoso spiritu suo dispergentes gregem Domini, qui discretionis virtutem ignorantes, et pretiosam linguam eucharin, qua peccatricis animæ tabida vulnera linguntur, ut ad sanitatem perducantur, non habentes, quos sanare debuerant, amplius vulnerant : quippe pietatis visceribus vacui, exaggeratione duræ diuturnæque pœnitentiæ quasi seminarium quoddam contemptus et desperationis infirmis inducunt. Neque vero ista sic dicimus, quasi non recte faciant qui peccatoribus pro qualitate seu quantitate criminum condignam pœnitentiam injungunt, sed quia ubi est tanta pusillanimitas confitentis, ut non solum præ confusione perpetrati sceleris, verumetiam præ gravamine subsecuturæ pœnitentiæ, pallentem, trementem, spirituque deficientem, discretus confessor viderit eum,

(41) Multa sunt, quæ narrationem illam de discretis et indiscretis confessariis faciunt suspectam. 1. Non videtur adeo indiscretus fuisse primus confessarius, et multi illum in pari casu sequerentur. 2. Quantus ille miles erat, qui confessarium quasi pullum gallinaceum impune occideret, et omnes mutirent? 3. Illa noctis vigilia fabulosa videtur, maxime cum rei tam celebris locus, tempus, et personæ non exprimantur.

Quædam alia, præsertim capita 20 et 21 sunt incerta.

Digitized by Google

qui confitetur, interim omnino dissimulet, necesse est, ac lacte dulcis consolationis, blandimentoque piæ exhortationis sustentet animam pavore lassam, quoadusque benevolentia ipsius roborata, solidiorem fructuosæ pœnitentiæ cibum sumere convalescat. Quanti vero periculi sit vim discretionis ignorare, nec scire, juxta Apostolum, cum infirmo infirmari (*II Cor.* XI), neque qualitatem confitentis pensare, itemque quanto laudis præconio attollendus sit discretus confessor, qui per unctionem gratiæ docentis se de omnibus, uniuscujusque confitentis qualitati vel possibilitati conformare se novit, pulcherrimo valdeque jucundo exemplo lectoris sensibus imprimere curabo, ut qui sanctus et discretus est, in discretione proficiat adhuc; qui autem durus et indiscretus est, hoc exemplo quasi manu quadam sollicitudinis pulsatus, sordes indiscretionis quantocius abstergere festinet; et quanto pietatis studio parvulos Ecclesiæ Dei parturire debeat, donec Christus formetur in eis, solertis considerationis industria discere non gravetur.

Miles quidam, nobilitatis, divitiarum, juventutis magnorumque virium titulis adornatus, et ob hoc sensu carnis suæ inflatus, leges divinas pariter et humanas contemnebat, et jura civilia juraque naturalia confundebat; incendiis, rapinis, seditionibus, et homicidiis omnia replens, fas nefasque parvipendebat; et ut breviter universa ejus mala concludam, nec Deum timebat, nec homines reverebatur. Habebat sane fidelem conjugem, in omni Christianæ religionis pietate, quantum sub tam crudeli marito licebat, devotam: quæ virum suum sincera charitate diligens, perversitatem ipsius irremediabilibus lacrymis flebat, atque pro emendatione ejus assiduas ad Dominum preces, spiritualis magis quam carnalis amoris affectu, fundebat. Præterea si quando tumidum animum ejus ab ira deferbuisse, sereniorique vultu lætitiam prætendentem vidisset, salutaribus eum monitis aggrediebatur, et ut a tantis malis aliquando cessaret, faciemque Domini per confessionis et pœnitentiæ humilitatem placaret, exhortationibus et lacrymis multis obsecrabat. Ille vero nunc quidem periculosa dissimulatione, nunc autem turbida indignatione uxorem optimam salutem suam zelantem a se repellebat, dicens sibi nondum hanc inesse voluntatem, se magis bellicis ac militaribus rebus debere intendere, nec posse pati opprobria propinquorum et amicorum exprobrantium sibi, si otio et inertia torpens, inimicis suis mala irrogantibus talionem duplicatam, aut etiam triplicatam non reddidisset. Sed licet sæpius sic repulsa, nullo modo tamen desperatione frangebatur optima mulier, quæ virum suum sacri desiderii vulva parturiebat; nec desistebat casta consilia etiam invito importune opportuneque ingerere, donec tandem assiduitatem benevolentiæ ipsius pertæsus, uxoria quoque charitate delinitus, sic ad eam locutus est: « Ecce ad consilium tuum confiteri volo, sed ubi talem confessorem inveniam, cui tuto conscientiam meam credere possim, quique se mihi benignum atque humanum exhibeat? » Mox illa, quæ salutem viri sui ardentissimo pietatis affectu sitiebat, verbum hoc velut auspicatum de ore ipsius læta rapiens: « Domine, inquit, ego vobis fidum et humanum confessorem procurabo: tantum ab hac bona et sancta voluntate non moveamini. » Igitur quærente illa spiritualem medicum, veternosis ac multiplicibus peccatricis animæ vulneribus curandis idoneum, invenit quemdam religiosæ quidem conversationis presbyterum, sed heu! gratiæ discretionis ignarum, curationis spiritualis gnarum, sed qualitates et complexiones ægrotantium discernere nescientem. Ad hunc ergo venerabilis matrona feminea simplicitate omnem religiosum etiam discretum esse reputans, miserabilem virum suum adduxit, monens et obsecrans quatenus puram ruboriqueconfusionis nequaquam cedentem confessionem, non sicut homini, sed sicut Christo Domino facere non dubitaret. Quod cum ille prout poterat fecisset, audiens sacerdos tam multiplicia tamque enormia scelera obstupuit; et quem de profundissima perditionis fovea malagmate piæ consolationis eripere debuerat, indiscreti rigoris mucrone in barathrum repetitæ, imo duplicatæ desperationis miserum injecit. Ait namque ad eum: « Si quidem, o bone vir, excessus tui qualicunque mediocritatis meta cohiberentur, nec te tanta criminum et scelerum enormitas involveret, utique mediocritatis meæ consilium tibi libenter impenderem. Verum quoniam talia ac tanta te commisisse constat, quæ non cujusvis sacerdotis, sed solius summi pontificis examini reservanda, sacra canonum sanxit auctoritas, suadeo et hortor ut, quam citius poteris, limina apostolorum petens, sanctæ sedis apostolicæ pontifici conscientiam tuam humiliter pandas, atque ad ipsius nutum pœnitentiæ laborem subire non graveris. »

Ad hæc verba effera mens illa, quæ asquantulum mitigata et humiliata esse videbatur, tanquam si validissimo lapidis ictu in fronte percussa fuisset, infremuit, et recrudescente crudelitate miserabilis homo totus in insaniam versus dixit: « Ergone nil aliud a te exspectare debeo, qui ad hoc me humiliavi, ut tibi conscientiam meam manifestarem? » Presbytero vero simpliciter respondente se ad præsens melius et sanius consilium non habere, mox ille filius Belial, ante cujus oculos tanquam nihil erat sanguis, evaginato gladio caput ipsius amputavit, rediensque ad uxorem suam, tristem eventum et sanguinem fœdatæ confessionis aperuit. Expavit et expalluit illa; atque præ nimio dolore cordis pene exanimata, detestando parricidii nuntio non verbis, sed luctu et lacrymis respondit. Sed quando charitas de corde puro, et conscientia bona fideque non ficta, quæ in pectore optimæ conjugis altius radicaverat, difficultatibus cederet, obice perversitatis repelleretur, malitiæ malleo extunderetur, quæ fortis ut mors, dura sicut infernus, a Sapiente perhibetur (*Cant.* VIII)? Imo quanto durius repellebatur, tanto valentius insistebat: nec destitit, donec ad victoriam perduceret judicium pietatis, et secundum sententiam Apostoli, salvaretur vir infidelis per mulierem fidelem (*I Cor.* VII). Æstuabat altera Theodora, ferventissimo desiderio salvare cupiens alterum Sisinnium, et vere altera Natalia, de viro suo, si fieri posset, alterum efficere gestiens Adrianum. Nec dormitavit oculus ejus, nunc quidem terribile judicium Dei compari suo proponendo, nunc vero præsentis vitæ brevitatem atque instabilitatem inculcando, quousque rursus ab eo, cooperante gratia Dei, confitendi voluntatem elicuit. Tum vero velut apis sagacissima pia curiositate quærere cœpit, sicubi non solum, sed etiam discretum confessorem reperire posset, qui præoccupatum multis delictis in spiritu lenitatis instruere nosset, qui sciret calamum quassatum penitus non esse conterendum, ne forte novissima miserabilis viri sui deteriora fierent prioribus. Et, volente Domino, cujus judicia sunt abyssus multa nimis, qui secundum altitudinem beneplaciti sui quamdoque sceleratissimos quosque ad vitam vocat, præsumentes vero de innocentia sua relinquit in manu consilii sui, invenit episcopum quemdam religione conspicuum, discretione præcipuum, lucrandis animabus idoneum, negotioque quod fortis mulier intendebat, aptissimum. Ad hunc itaque alter Naaman Syrus spiritualis lepræ contagione a planta pedis usque ad verticem percussus, adducitur in descensu Jordanis (42), hoc est in humiliatione puræ confessionis, per virtutem septiformis gratiæ sancti Spiritus

(42) Alludit ad IV Regum V.

Digitized by Google

abluendus, ut de cætero mortuus quidem esset peccato, viveret autem Deo. Facta autem confessione, stomachoque conscientiæ pestiferi fellis humoribus evacuato, prudens et pius medicus ferrum secationis, ignemque adustionis penitus abscondens, suavissimæ consolationis unguento seminecem aggreditur dicens : « Gravia quidem sunt, o amice, peccata tua, quibus Deum offendisti, et animam tuam vulnerasti ; sed qualiacunque, seu quantacunque sint, quid sunt ad incomprehensibilem divinæ pietatis abyssum ? Non plus quam stilla situlæ ad pelagus maris. Quapropter suadeo tibi bono animo esse. Et quia per gratiam Dei confessionis antidotum consecutus es, pœnitentiæ quoque potionem, licet aliquantulum amaram, sumere non graveris, quoniam sine illa confessionem nemini prodesse posse divina sanxit auctoritas. Meum autem erit salutarem hanc pœnitentiæ potionem ita tibi temperare, ut per eam mortis æternæ periculum evadas, sempiternæ quoque vitæ participio non fraudéris. »

Nutante illo, soroque pœnitentiæ nomine audito responsum non dante : « Quid, inquit episcopus, frater, charissime, quid tibi videtur ? Poterisne aliquantulum pœnitentiæ sacrificium pro tantis peccatis tuis offerre ? » Ille respondit : « Duram ac diuturnam pœnitentiam nec agere possum nec volo ; sed si secundum sponsionem tuam servata mediocritatis consideratione, tale aliquid mihi imposueris, quod vires possibilitatis meæ non excedat, conabor aggredi quod hortaris. » Et episcopus : « Considera ergo jam nunc mecum, metiamurque vires tuas ; ut ea tantum tibi injungamus, quæ te perficere posse putaveris. — Quid ergo ? — Saltemne facilia tibi sunt aliquanta jejunia ? Eleemosynarumve larga erogatio nunquid te gravare poterit ? » At ille : « Nihil horum facere queo. Neque enim vel usque ad horam tertiam jejunare valeo : reique familiaris quotidiana et inconsiderata effusio citius domum meam ad ultimam egestatem perduceret. » Episcopus ait : « Si te nihil horum facere posse putas ; saltem vel in hoc consentias nobis, ut aut sepulcrum Domini peregrinus pro peccatis tuis visites ; aut certe Romæ limina apostolorum, sive corpus sancti Jacobi in Galecia adeas ; quatenus ipsorum interventu peccatorum tuorum indulgentiam percipere merearis. » Mox miles ille fortis quidem corpore, sed nimium pusillus ac debilis corde, conceptam indignationem cohibere non valens, substomachando respondit : « Utquid sine causa vana loquimini ? Si enim unius diei itinere a terra mea recessero, continuo rapinis, incendiis, direptionibus, dilapidationibusque patebunt omnia mea : et ego rediens, inveniensque nihil, opprobrium ero propinquorum et amicorum, subsannatio et derisio inimicorum. Absit a me, ut tam grave dispendium honoris mei simul et patrimonii mei incurram ! » Quid faceret quantumcunque peritus medicus, ægro inter manus ipsius miserabiliter tabescente atque deficiente, omnemque medicinam prorsus respuente ? Quid, inquam, faceret illi, qui, non dico secantem aut urentem, sed foventem et ungentem abhorrebat ? Hic jam necesse erat ut pia discretio, sanctaque compassio partes suas exerceret ; ne forte oviculam moribundam et languidam, pro qua Christus mortuus est, inveteratus ille draco devoraret, qui absorbet fluvium impœnitentium, et non miratur, sed habet fiduciam, quod et ipse Jordanis pœnitentium influat in os ejus (*Job* XL). Igitur episcopo quidnam sibi in tali articulo faciendum dicendumve foret ancipiti mentis trutina pensante, divina subito gratia illustratus, hilari vultu dixit ad eum : « Eia, fortissime miles ! poterisne saltem una nocte pro peccatis tuis silentium tenere ? » At ille licet esset pronus ad desperationem, neque, sicut dicit Scriptura, laborare, vimque facere perditioni suæ nullatenus acquiesceret, audito tamen hoc verbo, quasi de gravi somno evigilans, ait : « Si propter unius noctis silentium omnia peccata mea mihi condonantur, faciam quod consulis. » Episcopus vero de Domini pietate fiduciam plena fide concipiens, metuensque, ne forte recidivum passus, omnibus se rursus sceleribus involveret, respondit : « Fac tantummodo quod judico, et sub qualicunque forma pœnitentiæ vel obedientiæ humiliare coram Deo ejusque vicario, firmum habens propositum criminaliter de cætero non peccandi ; et ego pro anima tua in die tremendi examinis justi judicis Dei respondebo. »

Fit itaque consensus vere mirabilis, statuitur pactum pene sine exemplo, initur cambitio commercii a sæculis inauditi, ut propter unius noctis silentium multorum annorum crimina, flagitiaque gravissima et innumera relaxarentur, et tamen tanta est virtus obedientiæ, tantaque sublimitas charitatis, ut quod pia mens fratris animam salvare cupientis de Dei sui larga benignitate præsumebat, irritum fieri nullo modo potuerit. Declinante interim ad occasum sidere lucis, noctisque tenebris incumbentibus, ducit ad ecclesiam pœnitentem suum verus pastor, vere dignus nomine et honore pontificis ; atque ante ipsius ecclesiæ fores novus de inveterato diaboli milite Christi tirunculus, de fide, de patientia, de perseverantia, de multimoda dæmonum calliditate diligentius instruitur ; et quia nisi quis legitime certaverit, non coronabitur (*I Tim.* II). Super omnia vero commonetur, sæpiusque ei ab episcopo inculcatur et præcipitur, ut quidquid audiat, quidquid videat, quoscunque terrores, quantascunque horripilationes sentiat, ne ullum omnino verbum loquatur, quousque facto mane ipse episcopus cum cruce Dominica veniat, suaque benedictione faminis officium restituat. Dehinc rudis agonotheta qualiter in spirituali palæstra se exercere debeat sufficienter instructus, lætantibus angelis, frementibus dæmonibus in ecclesiam introducitur, factaque oratione ante altare sistitur, rursumque ab episcopo de perseverantiæ constantia admonetur : sicque recedentibus cunctis, januarum quoque repagulis firmissime clausis, in manu Dei relinquitur. Circumseptus ergo timore et horrore nocturno didicit jam mitescere, superbiæ fastum deponere, crudelitatis belluinæ rabiem in mansuetudine commutare, Dei misericordiam, quam ante tumidus despexerat, trementibus labiis invocare ; et ut se divina pietas in hoc periculosi certaminis agone non desereret, suppliciter orare. Vidit hæc peccator ille, qui ab initio peccat, et iratus est, dentibus suis frenduit et distabuit, de antiqua possessione sua nova pietatis arte se expelli vehementissime indoluit ; totamque malignorum spirituum catervam ad calliditatis et deceptionis laqueos tendendos invocavit. Primo igitur conticinii tempore, dum pœnitens ille pavido corde pericula omnia metuens, sonum aure captaret, audivit repente quasi ecclesiæ fores reserari, viditque phantasticos institores, re autem vera dæmones in specie quorumdam negotiatorum, gratia pretiosarum vestium coemendarum sibi familiarium ad se intrare : qui singuli, velut pannos diversi coloris multæque subtilitatis ac magni pretii portantes, eos coram ipso deposuere : sicque quasi compatiendo ei locuti sunt : « Utquid, domine, sequimini hypocritam illum, qui vos seducere conatur, qui etiam ad hanc vos ineptiam perduxit, ut in mediis tenebris et horrore nocturno inter sepulcra mortuorum, velut amens ac sensu alienatus, sedeatis ? Aut nunquid non poteritis maturiori post hoc ævo, competentiorique modo, pro peccatis vestris pœnitentiam agere, tantum ut nunc non efficiamini opprobrium et derisio inimicis vestris ? Omnes enim propinqui et amici vestri audientes vos subito amentem effectum, lamentantur et plangunt ; inimici autem vestri exsultatione magna tripudiant, possessionesque vestras

Digitized by Google

avidissima cupiditate rapere festinant. Quapropter et nos audientes calamitatem vestram venimus ad vos, pannorum quos attulimus, si eos comparare volueritis, pretium, prolongato, quantum placuerit, termino, præstolaturi; et si forte hortatu nostro ab amentia resipere, honoremque pristinum recipere dignaremini. » Cumque vidissent calidissimi et malignissimi spiritus quod verbis eorum nullo modo moveretur, nullumque ab eo possent elicere responsum, confusi recesserunt, alterius tentationis præstigia post modicum machinaturi.

Circa medium vero noctis, dum miles memoratus de iis quæ viderat attentius cogitaret, audivit de longe velut strepitum equitum, cum tumultu properantium atque ad ecclesiam in qua sedebat festinantium. Cumque foribus ipsius ecclesiæ appropinquassent, citis saltibus de equis suis desilientes, luctuosis vocibus clamare cœperunt, dicentes: « Numquid hic est charissimus socius et consanguineus noster? » Erant autem dæmones in specie quorumdam propinquorum ipsius, quos peculiari familiaritate dilexerat, quosque flagitiorum et scelerum socios frequentius habuerat. Effractis itaque, ut sibi videbatur, potius quam reseratis januis, ingressi sunt ad eum; et nunc dolentis, nunc indignantis vocibus usi, proprio eum nomine compellabant dicentes: « Heu, heu! amicorum propinquorumque dulcissime, quæ te necessitas ad hanc lugendam fatuitatem perduxit? Et quis tibi hanc voluntariam, insanamque calamitatem persuadere potuit? Quis crederet virum prudentem et industrium, in agendis rebus strenuum, et militaris disciplinæ guarum, in bellicis conflictibus experientissimum, ad tantam subito amentiam prolabi potuisse, ut propinquorum et amicorum immemor, ipsius quoque honoris sui negligens, seipsum extremæ infelicitati et miseriæ subdere, cuncta vero bona sua rapinis et incendiis exponere non cunctetur? Scias namque omnes inimicos tuos, quorum superbiam et audaciam in robore fortitudinis tuæ virili constantia retundere solebas, audito quod adversa fortuna dejectus atque humiliatus sis, lætari et exsultare, sicut exsultant victores capta præda, dispositisque agminibus tyrannica crudelitate omnia quæ tui juris sunt rapere, suæque ditioni mancipare velle. Hac ergo malitia eorum permoti, venimus hortari te, amice charissime, quatenus abjecta dementia qua involveris, sociisque et commilitonibus tuis quantocius ascitis, adversariis in manu valida occurras, ne si (quod absit!) amicos honorem tuum zelantes spreveris, et exire distuleris, postquam fertiles fundi tui, cunctaque tibi attinentia rapinis et incendiis consumpta fuerint, sero nimis hujus te fatuitatis pudere simul et tædere incipiat. Quæ enim major dementia esse poterit quam credere, propter unius noctis silentium, peccata tibi dimitti, quod pseudoepiscopus ille de corde suo confinxit, non ad aliquam utilitatem tuam, sed ut strenuitati tuæ qualitercunque satisfaciens, placentia tibi loqui videretur! » In his omnibus subtilissimæ deceptionis concinnationibus pœnitens ille divina gratia illustratus, immobilis perseverabat, nec ullum omnino garrientibus dedit responsum, sed inanes, ac sine effectu malitiæ suæ, seque ipsos præ ira et furore discerpentes abire permisit. Videntes itaque impietatis ministri, fabricatores mendacii, se in cunctis astutiarum suarum argumentis esse frustratos, maximumque peccatorem, de cujus quasi certa perditione sibi applaudebant, mediante virtute obedientiæ in puncto, ut ita dicam, temporis ad vitam revocari, livore invidiæ nimium exasperati, crudelitate jam et tormentis rem agere decernunt, quatenus, si fieri posset, qui blanditiis non cesserat, saltem terroribus et cruciatibus actus, aliquod qualecunque verbulum depromeret, sicque pretiosum salutis unguentum, quod in mortariolo obedientiæ pistillo patientiæ contundebatur, per impatientiæ vitium effunderetur.

Igitur cursu noctis magna jam ex parte transacto, gallicinii tempus immineebat, cum ecce maligni spiritus, non jam in peregrina, sicut antea, sed in propria specie pœnitenti illi apparuere, deformes et tetri corporibus, truces vultibus, minaces oculis, dirumque malitiæ virus sæviendo spirantes. Qui etiam undique eum vallantes, terribilibus vocibus increpabant dicentes: « O miles damnate, criminum fæx, scelerum sentina, flagitiorum charybdis, quæ est ista vana spes tua, qua seduceris? Nunquid aliud de cætero esse poteris, quam unus ex nobis, qui horrendis criminibus et sceleribus ipsos etiam dæmones vicisti? O quam stulta, quam vana, quam fatua est hæc cogitatio tua, ut pro unius noctis silentio consortium nostrum evadere, magistrique nostri jugum de collo tuo excutere te posse præsumas, cujus jam charactere ad militandum regno mortis signatus es! Ne ergo contemptus nostri pœnas condignas solvas, neque sentias iratos, quos placatos habere poteris, si volueris, exi celerius hinc, atque, favore nostro florentis juventutis tuæ vigorem in cunctis oblectationibus dulcis mundi lætificato, de adversariis quoque tuis adjutorio nostro devictis et confusione opertis gloriosissimum triumphum reporta. » Hæc quidem illi. Cæterum fortis athleta Dei, qui paulo ante adeo pusillanimis ad patientiam fuerat, merito fidei et obedientiæ fundatus jam supra firmissimam petram, id est Christum, sicut fallendo blandientes, sic terrendo increpantes despiciens, propositumque silentium viriliter servans, in tantam dæmones insaniam provocavit, ut versi in furorem irruerent irreverenter in eum, plagisque acerrimis lacerantes, licet livore vulnerum saucium, illæsæ tamen conscientiæ testimonio gloriantem reliquerunt. Superato itaque timore nocturno primæ tentationis, a sagitta quoque volante in die, id est prosperitate secundæ victoriæ scuto divinæ gratiæ protectus, tertia nihilominus vice a negotio perambulante in tenebris diabolicæ sævitiæ thorace patientiæ communitus, quid illi restabat, nisi dæmonium meridianum, quod tanto acrius insurgit in splendore bonorum operum, quanto per extollentiam cordis jactantiamque virtutum facilius se posse supplantare præsumit? Jam rutilantes aurora radios spargebat, et homo peccator, sed pœnitens, tot triumphis subactæ diabolicæ nequitiæ clarus exsultabat in gratia Dei, penitusque in alterum virum mutatus, cum magno desiderio suscipiendæ legitimæ pœnitentiæ præstolabatur adventum episcopi, qui se orto diluculo venturum esse promiserat. Vere *hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI), vere *beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis, quando fodietur peccatori fovea* (*Psal.* XCIII), æternæ perditionis, et barathrum numquam finiendæ confusionis. *Quis accusabit adversus electos* tuos, Domine? (*Rom.* VIII.) Te, Domine, aperiente, quis est qui claudat? te, Domine, quatriduanum Lazarum lethaliter fetentem horrore vitiorum, et insuper malæ inveteratæque consuetudinis lapide pressum, in virtute vocis tuæ foras evocante (*Joan.* XI), quis est, qui dicere audeat: Cur ita facis? Tibi, Domine, super peccatorum, qui tanquam jumenta computruerunt in stercore suo, justificatione laus, honor, potestas et imperium in sæcula sæculorum!

Lividissimus autem ille Leviathan serpentis antiqui oculus, qui de sublimi merito superbiæ cecidit, et tamen omne sublime per desiderium gloriæ videt (*Job* XLI), ideoque omni ad sublimitatem, quam ipse perdidit, ascendenti invidet, considerans pœnitentem illum de victoria sua in gratia Dei exsultantem, longe alia via, multoque periculosiore quam antea, insatiabilis homicida tentare aggreditur. Sciens namque in proximo venturum esse episcopum, convocatis tartareis ministris suis fraudulentissimam commentatur scenam; ipsoque lupus rapax puniendæ temeritate pastoris habitum induit, crudelissimus

Digitized by Google

tyrannus infausto prodigio pontificis personam assumit, tenebrarumque ministros falsa luce perfusos, velut ministros justitiæ subornat. Procedit subito ridiculum plasma, progreditur falsus et fallere moliens antistes splendidissima stola decoratus, facie lætus, habitu incessuque quasi reverendus, ut nihil minus quam diabolus putaretur; subsequuntur satellites falsitatis, vestibus et ipsi candidis fallaciter adornati, tanquam sacerdotes, et levitæ cæterique inferiorum graduum clerici, portantes singuli velut utensilia Ecclesiæ, alii vasa sacra altaris, alii indumenta sancti sacrificii, quidam vero velut libros divini officii impuris manibus ferentes. Sic ergo versipellis et tortuosus draco transfiguratus in angelum lucis, cum comitatu impietatis pietatem simulante accedens ad hominem peccatorem, sed gratia Dei ad pœnitentiam roboratum, sereno ore lethale deceptionis virus evomuit, dicens ad eum: « O serve Dei, magna est patientia tua, invicta est fides tua, quia et propositam tibi obedientiam illæsam servasti, et seductores spiritus in omni malignitate atque fallacia sua ad nihilum redegisti. Noveris enim, nequissima eorum molimina nos nequaquam latere, quibus tota hac nocte multiplici fraude patientiam tuam frangere, fidem cassare, obedientiam pessumdare conati sunt, cum tamen protegente te Domino, effectu malitiæ suæ privati sint. » Adjungunt se pestilenti huic adulatori cæteri nequam spiritus, qui in specie presbyterorum et diaconorum, aliorumque clericorum astabant; miris laudibus victoriam ejus efferentes: et alii quidem, quod speciem sibi oblatam nec saltem respicere, nedum tangere dignatus sit; alii vero, quod propinquos et amicos, possessiones, et omnia quæ mundi sunt, timori Dei postposuerit, magnificabant; omnes autem in commune, quod atrocissima verbera patientissime tulerit, prædicabant, eumque martyrum collegam fore asseverabant. Deinde summus ille, non pontifex, sed doli artifex: « Eia, inquit, frater, bonum certamen certasti, cursum consummasti, obedientiam sicut bonus athleta servasti, nunc superest ut quia aurora illuxit, accepta licentia loquaris, et qualiter de illis erroneis spiritibus triumphaveris, nobis hoc a te audire cupientibus per ordinem pandas. » Interim gratiæ Dei alumnus cujus oculos et aures talibus phantasiis ludificabat Satanas, graviter in cogitationibus suis turbabatur, quoniam iidem seductorii spiritus, qui foris visibili specie ei illudebant intus invisibiliter ad credendum fallaciis suis vipereis suggestionibus ipsum illiciebant. Sed quem misericordissima Dei pietas servare decreverat, quomodo ei malignissimi insidiatores nocere poterant? Ideo namque antiquus hostis mille modis miseros mortales tentare non cessat, quia quis sit electus, non nisi per dejectionem et confusionem suam intelligit. Cum ergo, sicut diximus, multum turbatus utrum loqui deberet, necne, dubius et anxius animo volveret, secretissima subito Dei gratia inspirante recordatus est dixisse episcopum cum cruce Dominica se esse venturum. Curiosus vero perlustrans oculis cuncta illa, quæ quasi sacra insignia scelestis manibus indignissimi bajuli ferebant, signum salutare inter ea non esse sagaciter deprehendit, quia licet cætera omnia fallendo et mentiendo simulare possit Satanas, signum tamen admirabile, per quod devictus, et ad nihilum redactus est, effigiare penitus non valet. Territus ergo vehementer, jamque erumpere vocem intra fauces castigans, intellexit omnem illam candidatorum turbam ministros esse tenebrarum, atque ad deceptionem sui falsæ illius religionis finxisse apparatum. Ubi vero ille quondam lucifer, nunc autem noctifer, cæterique apostatici spiritus, viderunt cuncta fallaciarum suarum argumenta cassari, seque ab homine peccatore, sed pœnitente, in omnibus versutiis suis velut pannum menstruatæ despici et projici, tanquam si ipsius summæ divinitatis in vase fragili virtutem operantis præsentia percellerentur, territi, sicut fumus evanuerunt, nec ultra ausi sunt nequissimis dolis vellicare eum, quem sub umbra alarum gratiæ Dei protectum, viderunt insidiarum suarum laqueis teneri non posse. Hostibus igitur totius boni cum principe suo devictis atque confusis, secundum pollicitationem suam cum cruce Dominica advenit episcopus, sacri cleri non fictitia, sed vera et germana religione insigniti, vallatus frequentia. Cumque facta oratione reclusum suum salutasset, et ut loqueretur in nomine Domini imperasset, ille nocturna adhuc pericula metuens, vix ut in verba linguam laxaret, suaderi poterat: quippe qui multimodas dæmonum insidias expertus, academicorum more de omnibus dubitandum putaret, seque inter verum et falsum discernere posse diffideret. Tandem viso signo sanctæ crucis, quod solum dæmones contremiscere et fugere non ignorabat, inclinato reverenter capite adoravit, requisitusque ab episcopo, utrumnam brevem quidem, sed salutarem pœnitentiam sibi injunctam servasset, vel si aliquid amplius satisfactionis superaddere posset, respondit: « Ego Pater, ut obedientiam servarem, immensos agones, et periculosa valde certamina brevis temporis spatio desudata percucurri: ideoque gratias ago Salvatori nostro Deo, qui mihi misero licet et indigno, quam pertinax hucusque salutis meæ inimicus exstiterim, vel quam crudelis tyranni pernicioso satellitio meipsum vecors manciparim, in hac nocte demonstrare dignatus est. »

Ad hæc verba cunctis qui aderant attonitis, et rem gestam scire desiderantibus, præcipiente episcopo, ut quid vidisset, vel audisset, absque cunctatione ediceret, tragœdiam diabolicæ versutiæ mirantibus universis recitavit, et insuper tyrannicæ crudelitatis indices plagas, quarum livore dorsum cæteraque membra ejus intumuerant, ostendit. Cumque gratias in commune Domino Jesu Christo super inenarrabili dono pietatis ejus referrent, episcopus grata hilaritate subridens dixit ad eum: « Quid ergo, frater, tibi videtur? Nunquid sola hac pœnitentia contentus vis esse, an adhuc legitimam pœnitentiam secundum ecclesiasticas sanctiones consentis subire? Ille vero pristinæ infirmitatis suæ penitus oblitus, et ad tolerantiam gravissimorum quorumlibet laborum per sancti Spiritus gratiam roboratus, respondit: « Domine Pater, quidquid jusserit paternitas tua libens et devotus implebo, tantum ut malignorum spirituum consortium effugere valeam, quorum quam sit detestanda et amara societas, sicut horrendum est experiri, utinam sic miseri mortales præscire et præcavere valerent! Quapropter solemnes carinas, extensa jejunia, votivas peregrinationes, et si qua sunt alia, quæ legitimæ pœnitentiæ congruunt, subire paratus sum: quoniam absque amaritudine pœnitentiæ peccatores ad vitam redire non posse, per gratiam Dei certus effectus sum. Sed quis digne effari queat quanto episcopus gestierit gaudio, quantas universi qui aderant, omnesque cognati et amici ejus sanum sapientes, Deo gratias reddiderint, cum ab ore peccatoris ante unius noctis spatium superbissimi et obstinatissimi, omnemque prorsus pœnitentiam respuentis, tam sancta, tam humilia, tamque devota verba resonarent. Super omnes vero admirabilis et bonorum memoria digna conjux ipsius speciali tripudians gaudio, benedicebat Dominum, quoniam virum suum, cui carnali copula jungebatur, ad spirituales et castissimas Agni immaculati nuptias labore atque industria sua per sanctæ orationis ac piæ exhortationis assiduitatem attraxerat. Ecce quam dulces, quam suaves quamque salubres pietatis fructus sanctæ discretionis virtus protulit; et e regione quam amaros, quam perniciosos, quamque mortiferos perditionis fructus miseræ in-

Digitized by Google

discretionis vitium fecit, quando supra memoratus sacerdos, qui ad sanandum ægrotum susceperat, virtutum discretionis ignorans, et quam benignum compatientemque infirmæ conscientiæ se exhibere debuisset, non intelligens, sibi quidem mortem temporalem ascivit; illi vero, quem ad vitam revocare debuerat, æternæ mortis pondus duplicavit. Hic vero beatus episcopus, quoniam virtute discretionis magnifice pollebat, cum omnia pietatis argumenta illi defecisse viderentur, per sagacitatem piæ discretionis aliquid invenit, unde superbum salubriter prosterneret, et humiliatum ad vitam resurgere faceret.

CAPUT XIII.

Quantum periculum sit, quacunque hora confiteri volentem differre.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum esse, et *a Patre luminum* descendere, Jacobus testatur apostolus (*Jac.* I), stultam videlicet philosophiam illorum redarguens qui lumen boni operis, vivacitatem intellectus libero assignantes arbitrio, suam conantur statuere justitiam, ideoque justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X). Quis enim pensare sufficiat quantis casibus, quantisve calamitatibus, non solum humanæ carnis, sed etiam humanæ mentis infirmitas pateat, si vel ad momentum a gratia deseratur; quandoquidem nec quid oremus, secundum quod oportet, nesciamus, si non spiritus infirmitatem nostram adjuvet (*Rom.* VIII)? Unde, quæso, patienter feras, lector, si adhuc de sacramento confessionis pernecessarium, ut reor, exemplum breviter perstrinxero: in quo evidentissime clarebit quam lamentabili ruinæ cæcitas humanæ mentis, quæ per liberum arbitrium corrupta est, obnoxia sit; et rursum, quam potens, quam efficax sit gratia ad salvandum quod perierat, quæ utique ab ipsa etiam ruina servare poterat, si non secundum egregiam Ambrosii sententiam necessarium fuisset Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est, ut proinde nobilis ad imaginem Dei creata natura quid per se, vel quid per gratiam sit agnoscens, miserationum Domini in æternum non obliviscatur. In uno ex monasteriis ordinis Præmonstratensis, quidam de fratribus aliquando infirmarii officium sortitus est: qui secundum ea quæ in facie sunt, competentis religionis et honestæ conversationis esse videbatur. Sed heu! *pondus et pondus*, quod *utrumque est abominabile coram Deo* (*Prov.* XX), deprehensus est appendere in statera dolosa, quoniam foris per hypocrisin sobrium, parcimoniæque amatorem se esse simulabat; intus vero in secreto suo gulæ et voracitati laxans habenas, obsonium, quod forte lautius infirmis præparasset, cibosque delicatiores fidei ejus ob necessitatem infirmorum creditos, non veritus judicium Dei, sceleratissime insumebat. Contigit vero ut cum huic nequissimo vitio punienda temeritate aliquandiu subjacuisset, nescio quo judicio compunctus ad horam, confiteri deliberaret. Itaque in sacra Vigilia Pentecostes circa horam nonam, eum jam abbas ejusdem loci ad celebrandum officium ipsius diei sacris vestibus ornandus esset, accedens ad eum, signum confessionis, sicut moris est confiteri volentibus, fecit. Abbas autem putans eum de quotidianis negligentiis aliquid habere dicere, renuit; significans ut competentiorem potius horam ad confitendum quæreret; se ad celebranda sacrosancta mysteria incontinenti esse processurum. Repulsus ergo abiit tristis, eo quod scelus omni confusione et ignominia plenum dicturus, effectum confessionis habere non meruisset; timebatque, ne forte igniculus ille timoris Dei, qui ad præsens in eo accensus fuerat, hac dilatione tepesceret; nec se post modicum talem inveniret, ut confusionem quæ gloriam adducit sufferre valeret, sed magis confusionem quæ peccatum operatur incideret (*Eccli.* IV).

Tali ergo mœrore affectum, atque ad desperationem proclivem fratrem illum hostes humani generis maligni spiritus considerantes, velut latrones super pupillum irruere; miseram animam, quæ se præter rationem, contra ordinem, contra omnem juris et honestatis pulchritudinem indecenti carnis suæ voluptate fœdaverat, felle obdurationis, absynthioque desperationis potantes, et insuper in suimetipsius jugulum hominem jam mente captum violentissima suasione impellentes. Denique ab hora qua repulsam passus est usque ad vesperam, factione dæmonum variis et perniciosis cogitationibus fluctuans, factus est insipiens, et elongatus a sapientia Dei, quæ dicit: *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus* (*Prov.* VIII). Judam proditorem, qui cœlo terræque perosus inter utrumque periit, infelicissima dementia statuit imitari. Jam sacratissimæ solemnitatis vespertina synaxis a fratribus agebatur, et ille quasi pro infirmantium solatio remoraretur, stationem suam deserens cœtui fratrum se subtraxit, non intelligens, miser, tanto se malignorum spirituum insidiis facilius decipi posse, quanto se à congregatione justorum Deum laudantium magis elongare præsumebat. Quid plura? Victus tandem tædio et desperatione, ipsius quoque vitæ suæ odium incurrens, iniit stultus pactum cum morte, et fœdus cum inferno pepigit, atque in ipsa sancta nocte Pentecostes cultrum gutturi, cujus voluptati dedecoroso lenocinio satisfecerat, immergens, eumdem in sceleratissima interfectione sui incentorem habuit, cujus instinctu cyclopeam voracitatem sectari non timuit. Tum vero apostatæ spiritus nequissimo tripudiantes gaudio, quo specialius et profusius exsultare solent, si quando aliquem de numero religiosorum supplantare potuerint, ignorantesque præsumptionem suam divina censura celerius esse reprimendam, tanquam jam plena victoria potiti, consilium iniere, quatenus sic seminecem de medio tollentes absentarent, ne forte antequam penitus exspiraret, inventus a fratribus, quacunque pietatis arte ad confessionis et pœnitentiæ subsidium revocaretur, sicque prædam nefariam tartarei principes amitterent. Cæterum, cum neque in vesperis, neque in sacris vigiliis frater ille in ordine suo in choro appareret, recordatus abbas signi confessionis quod fecerat, et repulsæ quam sustinuerat, totus intremuit, et quasi jam præsagiente sibi spiritu suo, ne forte fieret quod factum esse nesciebat, gravissima cordis contusione cœpit vereri. Velociter ergo quibusdam fratribus ascitis ad inquirendum eum pavidus et anxius mittit, sibi a justo judice Deo imputandum fore reputans, quidquid adversi pertulisset is, quem confiteri volentem, licet evidenti necessitate, minus tamen discrete repellere præsumpsisset. Quæsitus itaque in infirmitorio cæterisque locis, in quibus inveniri posse sperabatur, minime repertus est; sed tandem curiosius iis qui missi fuerant, etiam obstructos quoslibet angulos perscrutantibus, in necessariis infirmorum culter horrendi sceleris minister cruore infectus, pavimentum quoque multo sanguine rubens, tristem eventum recenter admissi homicidii indubiis declaravere indiciis.

Quo viso expavere et expalluere fratres ad inquirendum destinati, atque illius qui ab initio homicida est, crudelem malitiam adversus fratrem pusillanimem prævaluisse ingemuerunt. Sed cum quidnam de cadavere, ut putabant, exstincto factum fuisset, abdita et obscura quæque loca perlustrando diligentius explorarent, nec ullum omnino vestigium viventis vel defuncti reperire valerent, majori stupore perculsi sunt: celeriusque regressi, lamentabile fraterni exitii eventum abbati et fratribus pandere maturarunt. Oritur mox mœror et

Digitized by Google

luctus omnium, vox una fratris ruinam pio compassionis affectu plangentium, sed is præ cæteris impatientius luget, qui pastoris nomen et officium tenens, miserabili oviculæ perditionis occasionem dedisse notabatur. Illuxit interea festiva devotione colendus dies Pentecostes, et fratres ob tanti diei reverentiam missarum solemnia devotissime celebrantes, omnipotentis Dei clementiam suppliciter postulabant, quatenus solita pietate quidnam de fratre illo factum fuisset, ipsis manifestare dignaretur. Verum divinæ clementiæ bonitas, quæ incomparabiliter et merita supplicum excedit et vota, minime contenta id solum concedere, quod petebatur, largiori dono gratiæ suæ demonstrare voluit quam dignanter ruinæ peccatoris illius manum misericordiæ suæ supposuit, ne is qui pro culpa sua castigari meruerat, diabolicæ malitiæ præsumptione collideretur. Non enim passa est irrefragabilis censura misericordis æquitatis Dei, judicium sine misericordia recipere illum, qui judicium metuens, sub alas misericordiæ per confessionis et pœnitentiæ adminiculum confugere desiderarat, licet hoc negligentia prælati sui consequi minime potuisset, sed neque sacratissimum diem, quo Spiritus sanctus corda primitivæ Ecclesiæ suæ, ad illuminandas omnes gentes copiose illustravit, adversæ partis mortifera victoria fœdari sustinuit. Ecce namque dum sacra mysteria celebrarentur, quidam de fratribus seorsum stans sub turre quæ campanas sustentabat, sursum forte respexit, viditque hominem illum sui ipsius infelicitate vere miserum, sed plane magnifica Dei gratia beatum, super murum quemdam præruptum pronum jacere, ita ut a renibus et deorsum de muro pendens, incontinenti casurus esse videretur. Attonitus is qui viderat, ciet cæteros, curiosiusque considerantes ipsum esse deprehendunt, quem fraudibus inimici circumventum corpore et anima periisse reputabant. Rati vero cadaver exstinctum se soluminodo reperturos, allatis scalis ascenderunt, sed miseratione illius qui neminem prædestinatorum suorum perire patitur, spirantem adhuc hominem invenerunt.

Quod postquam clamore misto gaudio ab iis qui ascenderant cæteris innotuit, exsultantibus omnibus, præcipue tamen abbate, qui se flens et ejulans mortis illius esse reum clamitabat : Gloria tibi, Christe Deus, gloria tibi, Spiritus sancte Deus, a cunctis ingeminatur. Dehinc præcipiente abbate summa cum cautela diligentiaque depositus, in infirmitorium delatus est, cunctisque in gutture ipsius horrendi vulneris hiatum cernentibus et mirantibus præ gaudio quonammodo sic salutis integritate mutilatus vivere posset, in lectulo collocatus est. Cumque paululum conquievisset, accedentes fratres aperturam hiantis enormiter gutturis manibus compressere, ne flatus vitalis contrario meatu erumperet, tentantes, si vel hoc modo qualitercunque verba edere posset. Sed misericors Deus, ei quem de tyrannica hostis antiqui malitia potenter eripuerat, faminis quoque officium ad laudem gloriæ suæ, contra vim deficientis naturæ confessionis gratiam concedere dignatus est. Quod ubi pia explorantium fratrum curiositas advertit, contra omnem legem mortalis naturæ etiam fratrem illum sanitati restitui, mox secedentibus cunctis abbas confessionem incaute dilatam, vere magno munere Dei stupendo miraculo tandem recepit, confitenti quoque pœnitentiam congruam injunxit. Ut vero plenum et absolutum esset donum, quod Spiritus sanctus, qui pietas Dei dicitur, excellentissimo solemnitatis suæ die prærogare dignatus est, tanto propensius et devotius puritatem sanctæ conversationis postmodum æmulatus est, quanto in semetipso certius expertus fuerat, Leviathan serpentis antiqui virulentis patere morsibus eos, qui schemate religionis insigniti, conscientias suas latebrosis sceleribus maculare non verentur. Sicut igitur, testante Apostolo : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* xv); ita procul dubio quæcunque magnalia Dei in sancta Ecclesia ipsius facta sunt, ad nostram eruditionem facta sunt : et propterea quicunque curam animarum gratia Dei sortiti sunt, caveant, ne quavis occasione seu necessitate confiteri volentem, sibi duntaxat commissum, sine gravi pondere discretionis differre præsumant, ne contrarii sint Apostolo dicenti : *Spiritum nolite exstinguere* (*I Thess.* v) ; et ne forte is qui nunc ad vitam revocari poterat, ipsa repulsione sua in aversionem cordis vadens, post modicum ad vitam redire contemnat.

CAPUT XIV.

De periculo discordiæ.

Cum Dominus in Evangelio dicat : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v); itemque Apostolus salubriter admoneat, dicens : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv); dolendum valde est quosdam etiam de numero religiosorum negligentius iræ frena laxare, et usque ad contentionis discordiæque fæcem interdum prorumpere : qui, dum foris invicti esse cupiunt, intus graviter feriuntur, dumque foris parva et vilia defendunt, intus magna et pretiosa perdunt, quia, dum rem temporalem tenere diligunt, pro ea, si auferatur, plus quam expedit irascendo, veræ dilectionis incomparabilem thesaurum amittunt. Ut ergo quisquis religiosam vitam sectetur, templum Dei se esse meminerit, dominumque majestatis habitantem in se iracundiæ seu discordiæ passione offendere pertimescat, qualiter sacerdos quidam religiosus, dum pacem, quam cœli Rege in terris nato cœli cives terrigenis annuntiaverunt (*Luc.* ii), in proximo suo violare non timuit, admirandam quamdam gratiam specialiter a Domino sibi collatam perdidit, ad cautelam torpentium describere non pigritabor. Hic ergo laudabilis vitæ presbyter ignaviæ nequaquam marcens otio, sollicite satagebat, quatenus conversationis suæ qualitas ab excellentia gradus sui non discreparet, tumque præcipue in oblatione hostiæ salutaris, in qua Filius immolatur Patri, ut tollat peccata mundi, per sacrificium cordis contriti et spiritus humiliati semetipsum in præsentia summæ divinitatis mactare curavit. Habebat vero parochianum quemdam, qui licet sæcularis vitæ negotiis implicatus esset, fidei tamen integritate devotionisque sinceritate pastoris sui meritis fortassis impar non erat. Ejus namque doctrina et exemplo religiose institutus, ecclesiæ limina sine cessatione terebat, missarum celebrationi sedulus observator intererat, sanctarumque precum instantia cœlos pulsans, in simplicitate cordis sui tempore divini sacrificii cum Domino loquebatur. Volens autem Dominus utrorumque meritum ad laudem et gloriam nominis sui manifestare, laici illius tam spirituales quam corporales aperuit oculos, cœpitque infra sacri mysterii actionem Dominum nostrum Jesum Christum beatis oculis videre super altare stantem juxta calicem sanctum, qui amborum conscientias mira suavitate præsentiæ suæ misericorditer perungebat. Consecratione vero divinorum sacramentorum rite peracta, cum pacis osculum in populum esset diffundendum, et sacerdos juxta morem quorumdam sacram hostiam primitus oscularetur, in ipsa hora pius Dominus accedens, eidem ministro suo pacis osculum dignantissime porrigebat. O quanta est benignitas Redemptoris nostri ! o quantum de Deo suo quorumdam pia et devota simplicitas meretur, ut ineffabilem illam æternæ visionis Dei dulcedinem, quæ generaliter omnibus electis in finem servatur, ipsi quodammodo in hac mortali vita prælibare videantur ! Is ergo qui ad tam divinæ contemplationis reverendum arcanum admissus fuerat, juxta pro-

Digitized by Google

phetam, secretum suum sibi retinuit : et cum frequenter speciosum forma præ filiis hominum videret, nihil tamen presbytero indicare voluit, ne aut ipse vanitatis notaretur, si tantum Dei mysterium facile sine magno pondere rationis propalaret, aut ille cui tanta gratia a Domino collata erat, per elationis vitium eadem se gratia privaret.

Accidit interea ut hortum præfati sacerdotis diversis herbis et oleribus virentem, cultorique suo ipsa vivacitate germinis quodammodo arridentem, pauperis cujusdam porcellus furtivis irruptionibus intrare consuesceret, et quia in domo domini sui, ob rei familiaris penuriam, unde ventriculum suum replere posset, non inveniebat, aliunde hoc mendicare compellebatur. Itaque sacerdos ægerrime ferens hortum suum vastari, cum frequenter pauperem illum admonuisset, quatenus porcum suum domi teneret, ipsumque porcum teneras olerum plantas suffodientem cum injuria verberum extra septa horti sæpius expulisset, nec tamen quidquam proficeret, ad extremum dolore stimulatus eumdem porcum occidit. Verum pauper ille animalis sui interitum cognoscens, adminiculum substantiolæ suæ se magna ex parte perdidisse ingemuit, volensque agere cum presbytero, quatenus damnum sibi illatum secundum leges restitueret, illo econtra horti sui jacturam exaggerante, quoniam pauper ubique jacet, cum detrimento causæ suæ despectus et repulsus est. Itaque sacerdos irreconciliatus manens pauperi fratri suo, ad immolandam veræ reconciliationis hostiam temerarius accessit; sed Dominus Jesus, qui factus est nobis a Deo Patre justitia, redemptio, et reconciliatio (*I Cor.* 1), discordiæ peste maculato præsentiam suam exhibere dignatus non est. Ecce namque homo Dei, cujus supra meminimus, infra sacri canonis actionem stans, et devotissime orans, illum in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* 1), more solito se visurum sperabat, sed frustratus a spe sua vehementer turbatus est, considerans sacerdotem gratia sibi collata prorsus nudatum, et quasi nubilo quodam divinæ indignationis offuscatum. Quod ergo verecunda humilitate sola testante conscientia aliquandiu celaverat, causa exigente silentio premere noluit; sed assumpto seorsum presbytero, qualem et quantam gratiam perdidisset, secretius suggessit, monens et obsecrans, ut si in peccatum aliquod lapsus esset, per confessionis et pœnitentiæ remedium diluere illud quantocius festinaret, si forte gratiam amissam larga Redemptoris nostri benignitate recipere mereretur. Consternatus animo sacerdos, nullius quidem criminalis delicti sibi conscium se esse, sed nec in his quæ quotidianis excessibus evenire possunt, conscientiam se plus solito remordere, respondit, excepto duntaxat, quod hortum suum pessumdari non sufferens, pauperis illius porcum occidisset, eique per satisfactionis humilitatem necdum reconciliatus fuisset. Intellexerunt ergo utrique pauperum susceptorem Dominum injuriam pauperis sui tanto severiore quanto occultiore vindicta punisse; festinavitque sacerdos pusillo Domini per condignam illati damni recompensationem satisfacere. Sed utrum sublimem illam gratiam, quam perdiderat, recuperaverit, necne, non constat nobis, quoniam servus Dei, qui eamdem cum illo gratiam, vel fortassis præ illo, participabat, censorio semetipsum castigabat silentio, ne mysteria Dei passim sine certæ necessitatis articulo revelare præsumeret. Cæterum quoniam duritia cordis humani difficulter ad custodiam sui excitatur, adhuc etiam ipsius inimici testimonio, quam sit periculosum discordiæ vitium comprobabimus, qui licet invitus et coactus veritatem prodat, tamen quandoque talia verba depromere videtur, qui fidelibus commonitoria esse noscuntur.

In monasterio quodam sanctimonialium præpositus ejusdem loci tractabat aliquando cum sororibus, quamdam possessionem ipsius cœnobii vendere volens, et sicut fieri solet ex studiis partium suam sententiam tanquam saniori consilio subnixam defendentium, gravis inter ipsum et sorores discordia exorta est. Verum præposito dicente sibi creditam esse dispensationem, totumque negotium auctoritate prælationis suæ ad arbitrium voluntatis suæ cogente, sorores, quæ contrario nitebantur, graviter scandalizatæ recesserunt. Erat autem femina quædam laica in eodem monasterio, quæ ab immundo spiritu vexabatur, pro cujus liberatione quotidiana precum instantia sorores in commune laborabant; et ut pestiferum spiritum validius urgere possent, Dominicis eam sacramentis frequentius participare faciebant. Postero itaque die præpositus parvipendens scandalum sororum, turbatus ipse cum gravius turbatis eisdem sororibus, ut pacificam hostiam immolaret, ingressus est ad altare Dei, peractaque ex more divinorum munerum consecratione, etiam patientem illam causa percipiendæ eucharistiæ sibi præsentari fecit. Tum vero spiritus nequam mirum in modum recalcitrans, truculentas et horrisonas cœpit edere voces, ipsumque præpositum amarissima invectione redarguens, dixit : « O miserrime et infelicissime hominum, quid facis ? Lethale virus rancoris et discordiæ toto pectore spirans, insuper etiam gravis scandali pusillarum Domini coram oculis summæ majestatis reus, ad consecrandam, tractandam, et manducandam carnem Altissimi imprudenter simul et irreverenter irrumpis ? Noveris pro certo quia consultius fecisses, si domum Dei hodie non intrasses, quam tantæ præsumptionis cauterio conscientiam tuam ustulasses. » Cumque exorcismis et orationibus multis cogeretur quatenus divinis sacramentis reverentiam exhibens cederet, quoadusque mulier quam torquebat communicasset, per multas difficultates vix cogi poterat, ut de manibus illius qui dissensionis et contentionis vitio sordebat, eucharistiæ gratiam eam sumere permitteret.

Hinc colligimus negligentia nostra hostibus nostris contra nos vires accrescere; et quia quanto quis ad peccandum proclivior fuerit, tanto principis tenebrarum dirissimum jugum difficilius evadere possit. Quanta vero diligentia discordiæ vitium fugiendum sit, quamque festinanter ad pacis concordiæque vinculum redeundum sit, etiam magnus ille Joannes, qui Eleemosynarius dicitur, satis ostendit : qui propter incomparabilem largitatem et compassionem, quam circa egenos habebat, græco vocabulo Eleimon, id est *Misericors*, appellatus est. Hic beatus pontifex, cum esset Alexandriæ magnæ civitatis patriarcha, Niceta ejusdem urbis patritius adulterinas quasdam leges in foro rerum venalium proponere volebat : quæ exactionem magis et avaritiam quam justarum legum moderamina redolerent. Sed liberalis patriarcha hoc in gravamen pauperum, qui pascua sunt divitum, fieri prospiciens, magnanimiter resistebat, sicque factum est ut gravissima dissensione turbati, discordes ab invicem discederent. At vero mitis pastor, qui a summo Pastore Domino Jesu Christo didicerat mansuetus esse et humilis corde, licet potuisset conscientiam suam potioris causæ testimonio tueri, scandalumque illius, qui avaritiæ æstibus inflammatus irrationabiliter movebatur, parvipendere, tamen propter timorem Dei, cum sol jam festinaret occumbere, per religiosos clericos mandavit patritio dignum memoria verbum, dicens : « Domine Patritie, sol ad occasum est. » Ad quod verbum compunctus Patritius, cum festinatione surrexit, currensque tenuit pedes honorandi patriarchæ. Sicque verus imitator mansuetudinis Christi, dum se ad humilitatis celsitudinem inclinare studuit, in corde proximi superbæ discordiæ fomitem exstinxit.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De laude patientiæ.

Sed, o mihi suavem locum, in quo pro similitudine exempli congruenter valde memoria fiat admirandæ patientiæ cujusdam fratris, qui cum eo qui oderat pacem, pacificus esse, et secundum Domini præceptum, etiam pro inimico orare satagens, miserante Domino inveterati livoris virulentas radices de corde fratris exstirpavit; et quem diu patienter sustinuerat violentissimum persecutorem, devotissimum recipere meruit obsecundatorem. Igitur in monasterio quodam Cisterciensis Ordinis contigit aliquando inter duos quosdam fratres dissensionis et odii seminaria, causa simultatis cujusdam, pullulare. Verum uno eorum in malitia discordiæ perseverante, alter per gratiam Dei cito resipiscens, quod male in se pullulare cognovit, rastro compunctionis eradicare quantocius festinavit. Quantoque malevolus ille clanculis seu apertis insectationibus, irrisionibus detractionibusve fratris animum ad amaritudinem perducere nitebatur, tanto iste in humilitate timoris Dei semetipsum submittens, livoris et impatientiæ stimulos, quos in corde ipsius adversarius exacuere tentabat, confitendo, flendo et orando vigilanter retundebat. Verum, quid non mortalia pectora cogis, livoris et invidiæ exsecrabilis tabes? Quod enim patiens iste et humilis frater conscientiæ suæ præstabat, dando locum iræ, percutienti que se in maxillam, secundum Evangelicum præceptum præbendo alteram, hoc totum perversus et tumidus ille sinistre interpretando superbiæ contemptuique suo deputabat, quantoque is efferos animos patientia sua linire tentabat, tanto ille malitiæ suæ furiis agitatus ad persequendum innocentem misero livore magis ac magis accendebatur. Hinc factum est, ut versus in amaritudinem vitis alienæ, sanctum profanare, jus proscribere, fas nefasque confundere non vereretur, dum modo illius, quem scelestissimo odio persequebatur, tranquillitatem turbare, gratiam obnubilare famamque fuscare potuisset. Cernens namque invictum robur mentis colluctatoris sui de cunctis nequitiæ suæ adinventionibus sublimiter triumphare, fortique patientiæ pede malitiæ suæ collum calcare, acriori sæviens invidia abbatem suum lupus sævissimus ovem mentitus adiit, detestandi cujusdam criminis, quod nequiter concinnaverat, fratrem suum nequius insimulans, ut quem decus innocentiæ gloriosum reddebat, pessimi mendacii fermento corrupta fama, si fieri posset, humiliaret. Ubi vero frater falso accusatus in causam vocatus est, sciens scriptum quia *crudelis est, qui famam negligit*, se hujus criminis sibi conscium non esse ingenue protestatus est, seque ad comprobandam innocentiam suam examen quodcunque placuisset, spontanea voluntate subiturum. Quia tamen sensum cordis humani non solum ad faciendum, sed etiam ad suspicandum de altero malum ab adolescentia pronum noverat, verbum semel emissum occasionem scandali de se infirmis dedisse, graviter doluit, et qui secure cum Apostolo dicere poterat: *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I), malitiam diei vanis suspicionibus se exagitare, patienter ferre nequibat. Cæterum cautus sequi consilium Apostoli dicentis: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII), timens etiam ne forte continuus dolor impatientiæ stimulis nutritus in odium adversarii verteretur, totam vim grassantis in se doloris ad negotium transtulit pietatis, assiduis orationibus et fletibus, tam pro se, quam pro æmulo suo, Domini misericordiam, beatissimæque Dei genitricis pietatem exorans, qualenus divina gratia et se in charitate confirmaret, et in æmulo suo magnitudinem malitiæ comprimeret, et ad tollendum scandali fomitem vinctione dulcedinis suæ compungeret.

Nec frustra laboravit in gemitu suo, neque pu-

A pillæ oculorum ejus otiosæ pietatis aquis fluebant: sed qui consolatur humiles, tribulatorum susceptor Dominus exaudivit vocem ejus, impletumque est in eo quod sapientissimus Salomon ait: *Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem* (*Prov.* XVI). Cum enim sacrificium cordis contriti et spiritus humiliati in simplicitate devotionis suæ Domino aliquandiu obtulisset, nec tamen dolor, qui tam ob infamiæ notam, quam innocens incurrerat, quam etiam pro perditione fratris, qui mendacii et odii veneno infectus peribat, præcordia ejus depascebatur, cessaret, contigit ut taliter affectus quadam nocte in choro stans in ordine suo Vigiliarum solemniis interesset. Et ecce ad memoriam calamitatis suæ simul et fraterni periculi cœpit ebullire de intimis cordis ejus medullis fons lacrymarum, vere de fonte domus David patente in ablutionem peccatoris et menstruatæ venarum suarum principia trahens (*Zachar.* XIII), quo B scaturiente fluebant ab oculis lacrymæ, non super deducentem eas, non ut confunderetur et periret, qui fundenti eas confusionis et perditionis foveam paraverat; sed ut resipiscens a laqueis diaboli, a quo captivus tenebatur ad ipsius voluntatem, æternæ vitæ beatitudinem et gloriam recuperaret. Inebriatus itaque sincerissimo vino charitatis, quod lætificat cor hominis, cujus dignior portio et eminentior laus est, diligere inimicos, et orare pro persequentibus et calumniantibus, non se poterat in medio fratrum pati, sed cito secretum petens, coram uno de altaribus ad orationem prosternitur, quatenus bullientia ardentissimæ compunctionis aromata liberius evaporandi, cœlosque sicut virgula fumi penetrandi opportunitatem nancisceretur. Ibi omnium misericordiarum Domini quæ a sæculo sunt memor, beatissimæ quoque Dei genitricis inexhausta pietatis viscera mente revolvens, non tam verbis quam immenso rugitu cordis largissimoque lacrymarum imC bre, ipsam matrem misericordiæ, quæ spes miserorum esse dignoscitur, ut suam adversariique sui causam suscipere dignaretur, suppliciter postulabat, quoniam negotium quantumcunque intricatum, pro quo summæ pietatis mater coram piissimo judice filio suo allegationis officio fungi non recusaret, non nisi pietatis ordine terminari posse, pia fiducia præsumebat. Nec fefellit simplicitatem fidei ejus magnificus e vestigio subsecutus pietatis effectus. Ecce enim dum in multa contritione cordis sui frequentius iteraret: « Pie Domine, miserere, pia Domina Dei genitrix, Virgo Maria, succurre misero, omni prorsus consilio et auxilio destituto, » et adhuc pii murmuris verba corde et ore volveret, adest illa spiritualis pauperum susceptrix, et peculiare miserorum refugium, Dei genitrix Virgo, Domina nostra, non qualemcunque, non mediocrem afferens consolationem desolato, sed plane tantam ac talem, quantam ac qualem, Reginam cœli, Dominam mundi, D matrem misericordiæ, spem miserorum, ei quem visitatione sua dignata est, decebat impendere. Jam psalmi, quem tunc chorus psallentium ad laudem Dei decantabat, ultimum versum fratres psallebant, cum respiciens frater ille, oculis lacrymas stillantibus, vidit illam sublimem Dominam angelorum, spem miserorum, quasi a dextro latere altaris egredientem, ad se venire, vultu et habitu et modo, qui matrem misericordiæ decebat, reverendam immensi quoque luminis jubare coruscantem. Sequebatur vero eam juvenis splendidissimus, cœlesti et ipse gloria insigniter adornatus. Interim dum finito psalmo fratres gloriam sanctæ Trinitati dicerent, et sicut moris est, ob reverentiam summæ majestatis omnes pariter inclinarent, substitit beata Virgo, sublimissimumque verticem, cui non adæquabitur omnis creatura, excepta duntaxat illa quæ in sacro et de sacro virginali utero ipsius a Verbo Dei in unitatem personæ assumpta est, illum, inquam, tam humilem quam celsum verticem reverenter submisit, et quous-

Digitized by Google

que fratres *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto* perdicerent, tanquam vere humilis ancilla Domini inclinis permansit.

Post hæc erigens se, vultumque ad fratrem in angustia constitutum dirigens, mellifluis verbis consolata est eum, dicens : « Homo Dei, cessent lacrymæ jam ab oculis tuis, et amaritudo mœroris quo cor tuum vehementer affligitur recedat a te, quia est merces operi tuo, qui summæ innocentiæ altissimæque charitatis Domini ac Filii mei, pro modulo tuo imitator effectus, adversarii tui violentiam non solum æquanimiter tolerasti, verum etiam salutis ejus piam sollicitudinem gerens, in luctu et lacrymis temetipsum pro eo in conspectu Domini humiliare non dubitasti. Quapropter noveris me, ob sinceram fidei tuæ devotionem, tam tibi gloriam, quam æmulo tuo veniam a Domino impetrasse. » Frater vero, qui ad tantam secretorum cœlestium celsitudinem admissus fuerat, ut cunctis ordinibus angelorum reverendam matrem Domini carneis oculis videret, nil territus (neque enim turbari poterat, qui suavitatis matrem et securitatis videbat), fiducialiter dixit ad eam : « Obsecro, Domina, quæ es tu, quæ sic dignanter loqueris ad cor servuli tui ; vel quis est juvenis iste qui tecum est? — Ego sum, ait, Maria Mater Dei ; juvenis vero iste Joannes est evangelista, cujus castis obsequiis, benignissimus Filius meus in cruce pro nostra pendens salute, me commisit. » Et frater ait : « Si ergo tu es illa, per quam salus humano generi venit, quam reveretur et laudat universitas creaturæ; cur, quæso et tu tanquam una de cæteris, ipsis etiam potestatibus angelicis honorandum caput tuum inclinas? » Piissima Domina respondit : « Scire debes quia quotiescunque gloria sanctæ Trinitati cum metu et reverentia exhibetur in terris, toties omnes virtutes cœlorum commoventur, et ad laudem sui Creatoris excitantur. »

His dictis, visio beata ab oculis videntis sublata est. Porro tam mirifica nectarei odoris suavitas eadem hora apparitionis beatæ Virginis, non solum fratris illius, qui mœrore et anxietate tabescebat, verum etiam cunctorum tunc in choro devote psallentium penetralia cordis adeo gratiosa inspiratione refecit, ut facile daretur intelligi, non materialium aromatum fragrantiam illam, sed divinæ plane fuisse virtutis : *Quis loquetur potentias Domini ; auditas faciet omnes laudes* miserationum *ejus?* (*Psal.* cv.) Vere investigabiles sunt viæ ejus, et incomprehensibilia opera pietatis ipsius. Lividus namque ille detractor et accusator innocentis fratris sui, qui, quantum in se fuit, proximi vitam pariter et honorem crudelis mendacii gladio exstinxit, cum juste prorsus terribili illa sententia percellendus fuisset, qua Dominus dicit ad filios Israel : *Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque adversus vos incedam, et corripiam vos septem plagis propter scelera vestra* (*Levit.* xxvi) ; et illud de Psalmo : *Dilexisti malitiam super benignitatem, propterea Deus destruet te in finem* (*Psal.* li) ; cum hoc, inquam, dignus fuisset audire, non tamen hoc audivit; sed, interveniente patientia innocentis, fraternæ quoque charitatis pro se pie gementis humillima intercessione, potius audire meruit evangelicum illum Patremfamilias prodigo filio viscera pietatis exhibentem, et dicentem : *Cito afferte stolam primam* compunctionis, *et induite eum*, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus, *et date annulum* aureum confessionis *in manu ejus*, ut lotus aquis confusionis, quæ gloriam adducit in salutem, (quia in confessione omnia lavantur), signaculum innocentiæ recipiat, *et date calceamenta* fructuosæ pœnitentiæ *in pedes ejus* (*Luc.* xv), ut ambulans vias justitiæ, de cætero non offendat ad lapides malitiæ pedes affectionum suarum. Enimvero ubi suavissimi illius odoris fragrantia, qui de virgineo corpore intemeratæ Dei Genitricis erupit, inter cæteros, qui hac gratia digni habiti sunt, etiam livore et odio tetrum pectoris ejus antrum tetigit, mox vehementer compunctus, et illo igne quem Dominus Jesus mittit in terram salubriter inflammatus, cœpit jam scelus suum veritatis lance trutinare, se reum, se miserum, seque omnibus tormentis dignum reputare, fratris quoque sui, quem falso crimine infamaverat, innocentiam consequenter beatificare.

Denique redarguentis se conscientiæ stimulos ferre non valens, proposuit in animo suo se ab omnimoda fratris sui insectatione cessaturum, concinnati quoque facinoris fabula per confessionem patefacta ad arbitrium abbatis sui, se ei quanta posset humilitate satisfacturum. Mane autem facto fratribus non sine magna admiratione inter se quærentibus quidnam tanti odoris suavitas, quam noctu psallentes senserant, portenderet. Is qui tanti mysterii conscius erat, abbatem secretius adiit, quæ viderat quæque audierat simpliciter pandens, ipsamque horam apparitionis beatæ Dei genitricis fuisse, qua psallentium naribus cœlestis suavitatis fragrantia infusa est, asseverans. Abbate vero stupente, difficiliusque fidem dictis adhibente, magnitudine quippe tam gloriosi miraculi æstimationem personæ supergrediente, ecce in astipulationem veritatis malitiosus ille infamator innocentis fratris sui pallens et tremens advenit, detestandi criminis scenam livore invidiæ cogente fictam potius a se quam veritate subnixam, flens et ejulans confiteur, seque multis modis multoque tempore in persecutionem ipsis exarsisse, cum magna cordis contritione deplorat. Porro requisitus unde illi tam repentina cumpunctio et peccati sui recognitio accidisset, respondit se, licet indignum, eadem gratia suavissimi odoris, qua et cæteros perfusum fuisse, moxque ut doni cœlestis unctio cordis ejus intima penetravit, in odium malitiæ et amorem innocentiæ mirum in modum respirasse. Abbas audita quibusdam spiritualibus senioribus refert, et super tantis mirabilibus divinæ pietatis gratiæ Domino in commune referuntur. At vero frater ille, qui patientia sua inimicum hominem ad pacem converterat, et inimicum diabolum sub pedibus suis contriverat, locum in quo cœlestia mysteria cognoverat, tota aviditate revisens, cum devotissime adoraret illic, ubi sacros pedes reginæ cœlestis stetisse meminerat, ad confirmandam visionis veritatem mellifluum suavitatis odorem, quem in ipsa visione senserat, lapides beata vestigia fragrantia sua repræsentantes spirare lætus deprehendit. Quod ubi abbas ipso celerius nuntiante comperit, assumptis secum quibusdam religiosis fratribus, designatum locum cum metu et reverentia adiit, quodque verbis audierat, rebus probans, suavitatem quippe mirifici odoris naribus hauriens, communicato cum fratribus suis consilio, eosdem lapides erui, atque in sacrario, loco competenti, in memoriam tanti miraculi reponi præcepit. Ecce ad litteram, et quodammodo manu palpantes probare possumus beatos esse pacificos, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v) ; cum e contrario sicut superiora hujus capituli declarant, etiam ii qui per religiosam vitam in numero filiorum Dei computati esse videbantur, si pacis et concordiæ vinculum in unitate fraternæ charitatis servare neglexerint, celsi nominis consortio privantur, si non ocius ad pacis tranquillitatem, sine qua Deum nemo videbit (*Hebr.* xii), redire contendant. Oremus ergo Dominum, fratres, ut per sancti Spiritus sui dulcedinem, exstinguat in nobis discordiæ amaritudinem, rancoris et malevolentiæ pestes, per quas religiosi communi vita degentes quandoque graviter periclitari noscuntur, de cordibus nostris eliminet : quatenus omnes unanimes idipsum in invicem sentientes, tanquam filii Dei, cum sint filii pacis, habitemus in domo Domini omnibus diebus vitæ nostræ.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De periculo psalmos negligenter ruminantium.

Divini servitii quotidianam pensionem cum metu et reverentia summæ majestati nos exhibere Psalmista hortatur dicens : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II). Quia vero imbecillitas cordis humani ad negligentiam ab adolescentia prona, facile in spiritualibus studiis tepescit, maxime ubi identitas fastidium generat, velut in cursu continuæ psalmodiæ, dignum duximus ad correctionem negligentium pandere, qualiter Dominus noster Jesus Christus per seipsum blasphemam negligentiam cujusdam clerici corripere dignatus est, quatenus tanto propensius ad emendationem sui negligentium mentes evigilent, quanto sollicitius majestas corripientis pavido corde pensatur. Beatus Anno Coloniensis archiepiscopus Sigebergensis cœnobii fundator, ubi etiam sacri corporis ejus cineres gloriam futuræ resurrectionis præstolantur, quantæ sanctitatis, quantæque auctoritatis in Ecclesia Dei fuerit, cunctis historiam vitæ ejus legentibus liquet. Hic venerabilis sacerdos, si quando ab exterioribus negotiis liber, frequentiæ se subtrahere potuisset, psalmodiæ cum quodam clerico suo, quem sibi ad tam religiosum studium idoneum præviderat, attentius vacabat. Verum is, quem non devotio voluntarium faciebat, sed necessitas, ut reor, ad tam continuas odas persolvendas angariabat, identitatem pii operis pertæsus, cœpit quandoque dimidia, nonnunquam vero etiam integra verba transilire, ita ut ad omnem gloriæ pronuntiationem, primæ tantum et tertiæ personæ mentionem faciens, mediam penitus reticeret. Cumque dies diei succederet, et hanc pessimam negligentiam, quia nullus advertebat, nullus corriperet, sancto quippe pontifice in iis versibus, quos sibi sors alterna dabat, intentionem cordis figente, quadam vespera dum idem pontifex in lectulo suo gratia quietis se collocasset, antequam obdormiret, audivit quasi vocem hominis festinato negligenterque dicentis : *Gloria Patri, et Spiritui sancto*, atque idipsum secundo et tertio repetentis. Quod cum audisset, et quid sibi hæc vox portenderet, discernere nullomodo valeret, in somnum resoluto astitit ille speciosus forma præ filiis hominum Dominus Jesus Christus : qui etiam manu protensa, duobus quoque in ea digitis, id est pollice et auriculari in volam replicatis, medios tres erectos tenebat; dehinc dexteræ manus indice alterius manus indicem tangens : « Ecce, inquit, Pater; » moxque medium similiter tangens : « En, inquit, Filius; » ad postremum vero annularem tangens : « Ecce, ait, Spiritus sanctus : » deinde subjunxit : « Cum itaque tres istæ personæ, quæ unus Deus sunt, pari honore ab universa Ecclesia colantur, quare blasphemias clerici tui non redarguis, qui ad omnem gloriæ decantationem, mihi, qui media in Trinitate persona sum, laudis honorem subtrahit? » Post hanc jucundam visionem evigilans sacerdos Dei, gratulabatur valde de visitatione tantæ majestatis : et quod in spiritu audierat, festinans aure corporis probare, accito post quietem clerico consuetæ cœpit insistere psalmodiæ. Diligentius vero qualem in psallendo disciplinam teneret auscultans, comperit certissime, quod in singulorum conclusione psalmorum punienda negligentia Trinitatem in dualitatem contrahens, personam Filii transiliebat. Quem mox severa, ut dignum erat, correptione castigatum, ut de cætero distinctius et devotius psalleret, sub gravi interminatione præcepit. Hic idem beatus antistes per virtutem illius qui revelat mysteria, raptus aliquando in spiritu, cognovit universas tribulationes et calamitates, quæ Ecclesiam Dei usque ad finem mundi oppressuræ sunt, rediensque ad se, non solum mente, sed et corpore, præ horrore visionis quam viderat, aliquanto tempore languit. Cumque a religiosis viris obnixe rogaretur, quatenus mysteria quæ viderat, ad ædificationem fidelium pandere dignaretur, hac tantum scisciantibus se voce respondit : « Væ, væ, væ, universis angulis terræ, ab iis qui dicuntur episcopi rectoresque animarum, quorum doctrina et exemplo populus Dei informari debuerat, ut puram Domino exhiberet servitutem! » Cæterum, quam fugienda, quamque cavenda sit hæc periculosa negligentia, qua psalmorum, seu quarumlibet precum cursus, sine mente, absque devotione, festinando, atque dimidiata seu etiam integra quandoque verba transiliendo percurritur : liber quoque, qui *De miraculis beatissimæ Dei genitricis Mariæ* intitulatur, manifeste declarat. Ibi enim invenitur, quod quædam virgo religiosa, secundum numerum psalmorum centum quinquaginta salutationes angelicas cum totidem veniis eidem Reginæ cœli matri misericordiæ singulis diebus offerebat; sed quoniam propter ipsam multiplicitatem minus digna devotione quam oporteret, id faciebat, admonita est ab eadem Domina nostra, quatenus recisis duabus partibus, quinquaginta sibi quotidie salutationes cum competentibus veniis intente et morose persolveret : patenter insinuans Deo et sibi acceptius fore, quamlibet parum servitii cum devotione, quam multum negligenter, et sine devotione exhibitum. Quid ad hæc respondere poterunt qui in multiplicatione precum seu psalmorum qualitercunque prolatorum confidunt qui in brevissimo temporis spatio quinquagenam, sive etiam psalterium integrum se percurrere gloriantur? Discant, quæso, his exemplis, non pensare Deum, quantum, sed quanto pietatis affectu quid in sacrificio ipsius offeratur, nec posse holocaustum dici quod totum flamma devotionis incensum non fuerit. Si quis vero ad tantam perfectionis celsitudinem per gratiam Dei excreverit, ut et multa et devote solvere valeat, huic, secundum Scripturam, lex non est posita (*I Tim.* I), sed sicut in hac vita imperfectorum vota transcendens et merita, absque tædio mentis et corporis bonum semen seminat, ita in futuro immensum pondus æternæ gloriæ tanquam stella multis sideribus clarior hæreditabit.

CAPUT XVII.

Quantum bonum sit servitium Dei in quotidianis vigiliis sollicite persolvere.

Eximius prophetarum, illustrissimusque patriarcharum et regum sanctus David, homo quem Dominus secundum cor suum non tam invenit quam elegit, qui primus mortalium choros psallentium statuit, ad confitendum Domino *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV, CVI, etc.), dispositionem domus Dei, itemque ordines et vices cantorum Salomoni filio suo tradens : *Omnia*, inquit, *venerunt ad me, manu Domini scripta*, perspicue demonstrans quia quidquid gratiæ, quidquid decoris et virtutis habet Jerusalem peregrinans in terris, atque sub onere carnis peccati gemens, totum hoc de plenitudine cœlestis Jerusalem quæ sursum, et ob hoc libera est, descendit, cujus participatio in idipsum, in cujus plateis dulcissimum Alleluia sine intermissione cantatur. Ad cujus utique exemplar terrigenæ et filii hominum charitatis, castitatis et innocentiæ sanctimonia ornati, laudum præconia Domino creatori suo sedula devotione persolvere conantur. Hanc divinæ laudis exsecutionem, licet singuli quique fidelium in Ecclesia Dei pro modulo suo sectentur, vero tamen judicio cæterorum Ordinum pensioni Cisterciensis Ordinis arduus labor in hac parte devotionis anteferetur, cujus professi paulo post medium noctis, nonnunquam vero circa medium noctis ad vigilias surgentes, spretaque dulcedine matutinalis somni usque ad solis ortum sic perseverantes in labore et ærumna, in vigiliis multis satagunt prævenire faciem Domini in confessione precum et laudum, dicentes cum Psalmista : *Propter te morte afficimur tota die* (*Psal.* XLIII); et : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI). Verum, quanti me-

Digitized by Google

riti sit apud omnipotentem Deum, in sancto et quotidiano servitio ipsius sollicitas servare excubias : itemque quanti periculi sit stationem vigiliarum sine necessitatis articulo deserere, gemino docebimus exemplo, quatenus ii qui fervore sancti Spiritus accensi, sacræ psalmodiæ carmen sapientes, onerosam prolixitatem non perhorrescunt, sed vivacitate vocis ac spiritus Deum laudare, cordaque purificare contendunt, testimonium operis sui lætis auribus audientes, in gratia Dei respirent; ii vero, qui acediæ et somnolentiæ vitio pressi, Deum non timent, nec homines erubescunt, servitii Dei jucundam fraternitatem facile deserentes, et ad requiem lectuli festinantes, quam crudelis tyranni dominio se subdant, perpendere non negligant, et ne atrocibus pœnis post hanc vitam pro ipsa socordia sua crucientur, torporem pigritiæ a se repellere terribili exemplo commoniti curent. Cum sanctus, et omni spiritualis amoris dulcedine nominandus Pater Bernardus primus Clarævallis abbas, monasticæ religionis perfectionem, quam a Patre luminum, a quo omne datum optimum est, plenius et sincerius cunctis sui temporis hominibus didicerat, diversarum nationum populis tribubus et linguis transfunderet, et ex oblatione fidelium monasteria Cisterciensis Ordinis ubique terrarum missis fratribus exstrueret, rogatu venerabilis viri Auberti senioris, Moguntinæ civitatis, quæ est Germaniæ primæ metropolis, archiepiscopi, Everbacense cœnobium duarum leugarum spatio a mœnibus præfatæ urbis distans, haud procul a ripa Rheni magni et inter omnes præcipui fluminis fundavit.

Hæc itaque domus ad benedictionem tanti Patris validissimum incrementum sumens, optimeque matrizans, religione, divitiis, celebri fama, personarum probitate, prælatorum auctoritate grandique conventus numerositate, celsitudinem reverendæ matris suæ usque hodie æmulatur : ita ut in cunctis Germaniarum provinciis velut speciale religionis et honestatis speculum Everbacensis fulgeat Ecclesia. Sane vicini fideles, nec non et remotiores nonnulli, bono odore virtutum sanctæ congregationis illius attracti, de plenitudine ejus consilii gravitatem, orationum suffragia, periculorum tutamina quærere, et de abundantia sua pauperum Christi inopiam largiter supplere, præcipuas etiam solemnitates quidam devotionis intuitu illic agere, consueverunt. De quorum numero miles quidam armis strenuus, natalibus clarus, devotione non infimus, nomine Conradus, solemnem diem Purificationis beatæ Virginis et matris ibidem celebrare, sacrisque vigiliis ob reverentiam tantæ diei in longum valde productis a principio usque ad finem devotus interesse solebat, quatenus sanctæ illius multitudinis precibus adjutus, exhortatione solemnis sermonis recreatus, divinis missarum sacramentis munitus, lares proprios lætior repentens benedictionem domui suæ reportaret. Licet enim sæcularis vitæ casibus irretitus, et ea quæ mundi sunt cogitans, vitem fructiferam se non esse humiliter recognosceret, tamen velut ulmus promptissima vitem spiritualem cum suis fructibus temporalia impendendo sustentare satagebat. Accidit vero ut quadam vice urgentioribus rei familiaris occupationibus præpeditus ad prædictam festivitatem minus tempestive occurreret, ideoque profunda jam nocte cubitum vadens, dum ex lassitudine itineris fatigatos artus in lectulo collocasset, alto sopore depressus, signum vigiliarum, quo fratres ad divinas laudes persolvendas excitabantur, nequaquam audivit. Post horam expergefactus, dum concentus melodiæ in auribus ejus resonaret, celerius de lectulo exsilivit, veniensque in ecclesiam, in parte australi ejusdem ecclesiæ, ubi hospites divinis interesse solent, coram uno de altaribus mœstus consedit. Sedens ergo, negligentiamque suam recompensare volens, nitebatur sanctæ devotionis, quæ per totam ecclesiam illam, tam in cantibus quam in orationibus certatim fervebat, aliquomodo particeps fieri, sed fallacia somnolentiæ pressus, ad vigilandum et orandum se minus expeditum esse, dolebat. Unde sibimetipsi iratus, dum in longum extenderentur vigiliæ, nunc quidem stabat, nunc vero sedebat; interdum etiam frontem et tempora manu fricabat, sicque quasi arte quadam somni violentiam evincere conabatur. Interim vero considerans, cum quanta alacritate vocum et mentium fratres divinis laudibus insisterent, simul etiam carnis suæ imbecillitatem perhorrescens, non sine magnæ admirationis stupore, sic quasi causando loquebatur ad Dominum, dicens : « Domine Deus, quæ est hæc tolerantia, ultra possibilitatem humanæ fragilitatis extensa, qua fratres isti velut metas corruptibilis naturæ excesserint, propter te morte afficiuntur tota die et nocte? Ecce enim cum in quotidianis vigiliis jejuniisque exerceantur, et insuper hac nocte vix aliquid somni ceperint, nihilominus cum tota alacritate spiritus tibi Domino creatori suo laudum vota impendere comprobantur. Ego vero miserabilis peccator, nec unius saltem noctis aliquantulum protelatas vigilias propter nomen tuum sustinere valeo, quas isti continuas propter præmium vitæ æternæ se sufferre gloriantur, ita ut nullis omnino calamitatibus cedant, quominus ad eosdem rursus agones subeundos valentius inardescant. »

Inter has piæ querelæ meditationes parumper obductis palpebris in somnum, tenuem quidem, sed felicem, resolutus est; viditque duas personas cœlestis pulchritudinis venustate conspicuas, monachico schemate reverendas, de choro psallentium ad se egredientes : quarum una quasi cogitationibus ejus respondens, ut eminentia laboris et vigiliarum in Dei servitio expensarum commendaretur, nequaquam naturali militis illius lingua, hoc est Germanica, sed versu latino eleganter composito litteras penitus ignoranti locuta est, dicens :

Talia posse pati soli meruere beati.

His dictis confestim excusso somno aperuit oculos, magnoque Dei miraculo verba quæ audierat memoria retinens, gratias egit Deo; et licet vim dictorum nequaquam per intelligentiæ acumen discernere posset, tamen boni aliquid sibi eadem portendere certissime sperabat. Reliquum ergo noctis propulsata viriliter somnolentia, quanta potuit devotione vigilando et orando transegit, magno desiderio æstuans et optans diem fieri, quatenus divinum oraculum sibi larga benignitate gratiæ Dei revelatum, priusquam a memoria excideret, litterato alicui revelaret, cujus adminiculo ad intelligentiam quoque dictorum pertingere valeret. Mane autem facto exspectata opportunitate loquendi priorem ejusdem loci virum valde religiosum secretius adiit, quid vidisset, vel quid audisset, simpliciter pandens, postulatusque angelicum dicere versum, absque obstaculo linguæ homo idiota et sine litteris sonabat verba Latina, iterumque repetebat : quousque præcordiis prioris tenacius impressa, labilis memoriæ fugaci levitate abolcri non possent. Mirandis plus miranda succedunt, et quia non propter se tantum mysterium hoc cognovisset, verum multo magis propterea ut quorum tolerantiam pia simplicitate mirabatur, eorum beatitudinis jucundus vates efficeretur, Dominus adhuc manifestius declarare dignatus est. Mox namque ut verba quæ audierat, sed non intellexerat, intelligentis conscientiæ communicavit, ipsoque interpretante vim dictorum comprehendit, recurrens ad armariolum memoriæ vacuum illud prorsus invenit, nec unquam postea versus quem ad horam didicerat, ne minimam quidem syllabam exprimere valuit. Ædificatus ergo multum in gratia Dei, et confortatus, conservatorem loci illius vere credidit esse Dominum, pensionemque annui census in eadem ecclesia professus est; quem etiam singulis annis, quoad vixit tempore, fideliter solvere curavit. Quisquis itaque

Digitized by Google

metu corporeæ fragilitatis excluso, cordisque pusillanimitate discussa, strenuum se atque devotum in servitio Dei exhibere contendit, beatitudinem et requiem cœlestis patriæ tanto fidelius exspectet, quanto recentiori hoc miraculo Dominus arrham bonæ spei fidelibus suis prærogare dignatus est.

Erat vero supra memoratus prior, nomine Meffridus, vir quantum ad Deum religionis eximiæ, quantum vero ad sæculum auctoritatis præcipuæ : qui etiam domum suam inter horribiles procellas schismatis, quod temporibus Alexandri papæ factione Frederici imperatoris Ecclesiam Dei diutina evisceratione cruciavit, ne penitus destrueretur, mirabilis industriæ providentia conservavit. Huic famulo Dei inter cætera charismatum dona, quibus feliciter pollebat, arcana quoque revelationum nonnunquam divinitus pandebantur ; et sicut beatorum spirituum visitatione quandoque consolabatur, ita etiam malignorum spirituum larvalibus umbris, ut purgatior redderetur, terrebatur. Erat autem in eadem domo juvenculus quidam Henricus nomine, Argentinensis natione, robustus, et vegetus corpore, sed spirituali macie fœdus ac debilis corde, quales, heu ! nostris temporibus multos videmus et dolemus, plus formidantes temporaliter macerari, quam gehennæ suppliciis deputari. Qui videlicet juvenis, licet in cunctis observantiis Ordinis segnitiei et inertiæ a cæteris fratribus notaretur, gravius tamen in exsecutione divini servitii delinquebat, quod modis omnibus negligebat, cum utique multis aliis validius id exsequi potuisset, si non sub ascella nimiæ pigritiæ manus naturalis vigoris occuluisset ; et insuper sacrarum vigiliarum collectam, quasi causa infirmitatis frequenter deserere solebat, atque ad repausandum miseram carnem cubitum ire non erubescebat. Hujus detestabilem negligentiam venerabilis prior paterna sollicitudine nunc quidem publice, nunc vero privatim, monendo, obsecrando, redarguendo, sanare cupiebat, sed frustra ; ipso enim pluris æstimante carnis suæ commoda, quam animæ requiem, ideoque tanquam stultus æstimator rerum, pascebat sterilem quæ non parit, et viduæ non benefaciebat (*Job* XXIV). Accidit interea, ut idem dissolutus frater laboris et disciplinæ fugitans, stationem vigiliarum, sicut solebat, deserens, de choro exiret, quatenus infirmorum matutinis quanto brevius posset dictis, voluptati carnis suæ cubitum se recollocando satisfaceret. Dominus autem volens ostendere sollicito priori, quam justo zelo moveretur, quantaque esset pernicies negligentiæ, vel potius contemptus et superbiæ fratris illius, aperuit oculos ejus ; viditque, fratre ipso de stallo suo se movente, et ante gradum altaris modicum quid inclinante, ostiumque chori egredi festinante, tetterrimum dæmonem collo ejus insilientem, ipsumque usque ad introitum infirmitorii miris modis gesticulando atque cachinnando, ut verbo usitato inertiaque digno loquar, equitantem. Post modicum vero de infirmitorio egredientis humeris ferus agitator rursus insiliit, et tanquam vere irrationale jumentum capistro socordiæ tractum, flagello turpissimæ mollitiei usque ante spondam lectuli, in quo malo suo pausare gestiebat, minavit. O quam felicius, quamque consultius stolidum hoc jumentum pii illius jumenti sanctam devotionem secutum fuisset, quod in simplicitate cordis sui dicebat Deo : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII) ; quatenus sessorem potius habere meruisset illum qui ascendit super occasum, ad destruendum peccatum et statuendam justitiam ; non eum, qui pro temporalis delectationis jucunditate, sempiternæ calamitatis nexibus miseros illaqueat ! Denique nullus corrigere valet eum qui timorem Dei neglexerit, miser ille optimi prioris quid de eo vidisset intimantis monita spernens, claustralis disciplinæ vigorem, nec saltem superficie tenus tenere curavit ; sed ingrati sessoris sui mortifera consilia secutus Ordinem deservit, factus apostata vilis, ut in falsis bonis vel potius corruptionibus hujus mundi duceret dies suos, et in puncto ad inferna descenderet. Sicut ergo superius exemplum labores et vigilias servitii non refugientibus incentivum devotionis fore speramus, ita nimirum necesse est ut hoc posterius teneris et delicatis, atque ad arduos labores invalidis, luctum et mœrorem cordis indicat ; iis vero, qui cum robore valetudineque corporum ac vocum polleant, per turpissimam tamen inertiam laboribus pro Deo fatigari contemnunt, timendum valde est, ne novissima eorum hujus, cujus miserabilem vitam, sed miserabiliorem apostasiam prodidimus, similia fiant

CAPUT XVIII.

Quanti periculi sit vigilias servitii Dei tepide persolvere.

Cæterum de inertia et negligentia atque somnolentia in servitio Dei, nec non et de phantasiis et illusionibus, quas tepidiores quique etiam in choro dormientes per immissiones dæmonum inviti patiuntur, subtilius et exploratius in revelationibus cujusdam servi Dei invenitur : quem in partibus Britanniæ in domo quadam Cisterciensis Ordinis, quæ Strata florida dicitur, habitantem, ad correctionem servorum suorum Dominus spiritu prævidentiæ implere dignatus est. Qui videlicet famulus Domini, cum a diebus adolescentiæ suæ terrena despicere et amare cœlestia, sanctitatem quoque sacri Ordinis enucleatius observare contenderet, quadam solemnitate Pentecostes, dum ad sonitum horologii surgens matutinas Dominæ nostræ psallere inciperet, repente quamdam novam et antea sibi inexpertam devotionem præcordiis suis illabi sentiebat : quæ per extensum vigiliarum spatium magis ac magis incrementum sumens, mira alacritate interiorem pariter et exteriorem hominem ipsius reficiebat. Cum autem hymnus, *Benedicite, omnia opera Domini Domino* (*Psal.* CII.), in quo omnis creatura ad benedicendum et laudandum invitatur, fratribus inciperetur, vidit carnalibus oculis angelum Domini per oppositam sibi fenestram cum magnæ claritatis fulgore in medium chori descendere, thuribulum cœlesti thymiamate refertum in manu ferentem : qui inde versus altare progrediens, thurificabat illud, sicut in solemnitatibus ad missam fieri solet, indeque versus utrumque chorum lustravit ; et monachis vigilantibus et psallentibus spiritualium aromatum vivificum vaporem offerebat. Cum autem psallentes chori ad versum illum, *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu* pervenissent, angelus Domini per ordinem circuiens universos, jam ad fratrem, cui hæc videre concessum fuerat pervenerat. Tum vero idem frater mira devotione pietatis succensus, tanquam cum Propheta diceret : *Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam* (*Psal.* CXVIII), totum se extendit, ut halitum attraheret, quatenus inclinans laudem Patri et Filio et Spiritui sancto ferventius decantaret. Angelus vero Domini carbonem ardentissimum atque lucidissimum duobus digitis de thuribulo tollens, in os anhelitum trahentis projecit ; qui per totum corpus ejus descendens, omnia interiora ejus suavissimo ardore succendit : ita ut ex sententia dicere posset cum propheta ; *De excelso misit Dominus ignem in ossibus meis* (*Thren.* I).

Itaque ardorem carbonis desolatorii salubriter in eo vitia consumens ferre non valens, pallidus et exsanguis in terram corruit : indeque delatus in infirmitorium, tribus diebus ibidem sine voce et sine motu tanquam mortuus permansit. Post triduum vero eadem hora qua raptus fuerat, ad se reversus, ab omni carnali corruptione quæ animam aggravat, illo igne quo feliciter arserat, in tantum purgatus est, ut

Digitized by Google

absentia quasi præsens spiritualibus oculis videret; tentationes etiam monachorum domus suæ, quibus vel vigilantes vel dormientes vexabantur, ediceret, modumque et causas earum exponeret, ita ut multi ex fratribus purioris vitæ sanctimoniam exhortationibus ejus provocati æmularentur. Dicebat præterea, singulis quidem noctibus, maxime autem Dominicis et festivis, nimiam multitudinem dæmonum in choro psallentium fratrum convenire, quorum exsecrabile officium non erat aliud, nisi multis et variis modis fratribus illudere, eorumque mentes ab intentione servitii Dei avertere, pigritantibus quoque et dormientibus malignissimis applausibus et cachinnis insultare, de dormiente ad dormientem gyrovaga pernicitate ire et redire. Habebant vero in capitibus suis caputia quædam veterum pannorum sordidissima et nimis fetentia, interius et exterius quasi sanie scabiosorum ulcerum perfusa, sub quibus abscondebant larvales facies suas, quasi timentes agnosci, venientesque ante unum quemlibet de monachis, callidissima exploratione observabant utrumnam vigilaret, an dormiret. Quod si dormientem eum reperissent, omnem continuo fetorem et corruptionem putridi caputii sui in vultum illius excutiebant, conclamantesque quasi ad signum plurimi coram illo conveniebant, et quandiu dormitabat, phantasmata et turpia somnia illi immittentes non recedebant. Sane quos vigilantes et psallentes advertebant, a facie illorum, velut a facie ignis fugiebant, ita ut halitum qui de ore cantantium, Deumque laudantium procedebat, ferre nullatenus possent. Quia ergo consummata beatitudo et felicitas nostra in vita æterna erit Dominum ac Creatorem nostrum non solum sine labore, verumetiam cum summa voluptate perpetuo laudare, antequam claudantur in morte oculi nostri, et lingua, quæ ad laudandum Deum creata est in pulverem religatur, seminemus, licet cum labore, bonum semen servitii Dei; tempore enim suo metemus, inenarrabili lætitia exsultantes, sicut e converso hi qui nunc spinas et tribulos tepiditatis et negligentiæ in terra carnis suæ seminare non metuunt, ignem et supplicium in ultionem prævaricatricis conscientiæ metent, quando iidem maligni spiritus inertiæ suasores tormenta puniendis atrociter cumulabunt, qui nunc desides voluptate carnis suæ enerviter victos, ad pausandum illicere non cessant. Porro auctoritas libri, qui Vitæ Patrum dicitur, his quasi recentioribus, et ob hoc, ut videtur, minus authenticis revelationibus, in firmamentum et astipulationem veritatis non immerito assumitur. Ibi enim invenitur scriptum quia, cum malignus spiritus cuidam sanctorum Patrum dixisset, se cum complicibus suis vigiliis fratrum frequenter interesse, illeque Dominum orasset, ut sibi veritatem hujus rei pandere dignaretur, veniensque ad collectam fratrum, vidisset dæmones velut Æthiopes per totam ecclesiam discurrentes, atque universa quæ fratres orantes et psallentes in cordibus suis versabant, per phantasias in oculis suis figurantes, sicut postmodum ex confessionibus singulorum patuit, animadversum esse vanas, et perversas cogitationes mortiferasque delectationes, quas fratres in hora divini servitii patiuntur, dæmonum suggestionibus fieri. Quapropter in spiritu contrito et corde humiliato necesse est exclamare cum Psalmista: *Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi; et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem* (*Psal.* LXXIII).

CAPUT XIX.

De periculo religiosorum molliter in hac vita viventium.

Quam vero metuendum et tremendum sit examen ignis purgatorii, ubi Dominus, secundum Prophetam, *abluit sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem lavat de medio ejus spiritu judicii et spiritu ardoris* (*Isa.* IV), sicut et ipse Dominus per alium prophetam testatur, dicens: *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaverant* (*Joel* III); et sicut item propheta de Domino dicit, quia *ipse erit quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans et emundans argentum, purgansque filios Levi* (*Malach.* III), utinam attenderent ii, qui in levitatibus et negligentiis atque somnolentia non timent perdere dies suos. De hoc metuendo examine in quadam collectiva legisse me memini quod monachus quidam in extremis agens, antequam decederet raptus est in spiritu, ductusque ad loca infernalia, vidit (quod sine horrore referre non possumus), animas scilicet multas verubus et contis acuminatis infixas ad rogum permaximum, in modum anserum torreri et assari, ipsosque crudelissimos tortores cum sufflatoriis aliisque ignis instrumentis miserarum tormenta toptis nisibus exaggerantes. Alii vero patellas et sartagines ignitas de subtus jacientes ponebant adipemque qui de ardentibus jacentium membris fluebat diligentissime colligentes, eumdem rursus bullientem et nimis ferventem super eos, a quibus fluebat, refundebant: quam pœnam cæteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse considerabat. Post hæc ductus est ad quemdam refrigerii locum, ubi multitudinem animarum quasi post gravem aliquem laborem quiescentium invenit, interrogatusque ab angelo ductore suo si sciret quæ hæc essent, se nescire respondit. Sanctus vero angelus dixit ei: « Hi quos vidisti ad ignem illum permaximum assari, homines sunt Ordinis tui, qui, licet criminalibus peccatis se nequaquam fœdaverint, non tamen, sicut monet Scriptura, servire Domino in timore et tremore curarunt, non disciplinæ censuram tenere, non quietis et silentii patientes esse, denique vigiliarum et orationum solemnem devotionem, neque laboriosam psalmodiæ exsecutionem strenue, sicut oportet, æmulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, vagi, superflui, desides, pigri, somnolenti, signis, jocis et levitatibus indulgentes, monasticæ professionis puritatem violare non timuerunt. Qui postquam æquissimam justi Judicis Dei sententiam, in supra visis pœnis, alii brevius, alii prolixius pro antiquitate seu qualitate excessuum suorum purgati fuerint, mediante gratia Dei in hunc refrigerii locum introducuntur: atque hic post horrenda illa supplicia pausantes, perfectionem beatudinis suæ cum patientia præstolantur. » Luce ergo constat clarius, revelationes hujusmodi per divinæ pietatis dispensationem tanto magis crebrescere, quanto magis finis mundi appropinquat, ut quoniam abundante iniquitate et negligentia refrigescit charitas multorum, tanto electi Dei per hoc incentivum charitatis habentes, incalescant animis, quanto is in proximo venturus esse putatur, cujus faciem totius boni præcedit egestas. Quid vero per hoc nobis innuitur, quod prædictus frater vidit tartareos focarios adipem diligentius collectum, super eos a quibus stillabat in augmentum supplicii refundere, nisi hoc quod quanto quis contra professionem suam in hac vita sibi pepercit, voluptati carnis suæ per inordinatæ quietis pinguedinem satisfaciendo, tantum in altera vita locis purgatoriis deputatus suppliciorum solvere cogetur? Sic nempe de purpurata illa meretrice, quæ calice carnalium voluptatum, et vino sæcularis pompæ inebriat omnem terram, Dominus per Prophetam dicit: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII).

Quocirca ad vocem tonitrui hujus evigilemus, fratres, et intentis animis audiamus quid etiam inter monachos perfectissimus, et inter Patres reverendissimus, Pater noster B. Bernardus, de quotidianis istis et valde perniciosis negligentiis nostris

Digitized by Google

sentiat, qui in sermone(43), quem de vita et moribus beatæ memoriæ Humberti quondam prioris Claræ-vallis fecit, cum fratres ad æmulandam conversationis ejus puritatem hortaretur, inter cætera sic ait : « De reliquo, fratres, dico vobis, quia si sequeremini vestigia ejus, non tam facile in vanis cogitationibus et otiosis sermonibus, in jocis et scurrilitatibus laberemini, nam in his multum perditis, et de vita vestra et de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus, et dum vos creditis cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote quia post hanc vitam in locis purgatoriis centupliciter, quæ hic neglecta fuerint, reddentur, usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius et multo durius erit futuras illas molestias tolerare. » Porro quam timoratos, quam alacres, quamque sollicitos nos in exsequendis divinis laudibus esse oporteat, non solum ut Domini et Creatoris nostri gratiam consequamur, verumetiam ut malignorum spirituum inextricabiles fallacias evadere valeamus, idem venerabilis Pater in sermone super Cantica canticorum quadragesimo octavo docet, ita dicens : « Ex Regula namque nostra nihil operi Dei præponere licet. Quo quidem nomine laudum solemnia (44), quæ Deo in oratorio quotidie persolvuntur, Pater ideo Benedictus voluit appellare, ut ex hoc clarius appareret quam nos operi illi vellet esse intentos. Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces S. Spiritus depromentes. Pure vero, ut nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas et otiosas, vitandæ sunt et illæ, illa duntaxat hora, et illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate, quasi necessario admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis : qualia et nunc me viva voce disserente, ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quam debes, neglecto quod debes, obtuleris. » Hæc quidem beatus Bernardus. Quid, rogo, de perversis et noxiis cogitationibus illa hora et illo loco cogitantibus nobis est sentiendum, si non modo vanas et inutiles, sed ipsas quoque necessarias inter psallendum vitari debere Pater sanctus censuit? Hic plane, hic cordium nostrorum instabilitas deprehensa, secundum Prophetam confunditur, sicut confunditur fur, quando deprehenditur, ita ut etiam perfectiores quique cum luctu et gemitu cordis necesse habeant dicere Deo : *Non intres in judicium cum servis tuis, Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Sed aliud, imo valde aliud est, per infirmitatem mortalis naturæ ab intentione psalmodiæ mentem interdum avolare, atque aliud per inertiæ oesidiam perversis et noxiis cogitationibus nullo mentis vigore reluctari : ideoque sicut dispar est causa venialiter delinquentium graviterque peccantium, ita dispar erit et sententia pro meritis digna recipientium.

—

(43) Exstat post sermones de S. Andrea.
(44) Habetur nunc hic locus sermone 47 in Cant.

CAPUT XX.

De periculo eorum, qui in servitio Dei lascive vel plausibiliter cantare præsumunt.

Ecce vero dum considero qualiter vir propheticus miserrimam et nimis superstitiosam quorumdam tenaciam reprehendit dicens : « Non parcentes vocibus, non remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes (45) : » occurrit memoriæ terribilis casus, quem referente viro venerabili abbate Morimundi, cuidam talium accidisse cognovimus. Sunt namque nonnulli, quibus etsi largissime fœneret Dominus instrumenta laudis suæ, ipsi tamen parcissime fœnerant Domino, prompti magis de eisdem instrumentis quærere gloriam hominum quam gloriam Dei, et cum parcentes vocibus quotidianum psalmorum et hymnorum cursum prorsus negligant, ne forte acumen vocum retundatur, si tempus et opportunitas gloriandi in se et in vocibus suis arriserit, continuo validos, gnaros et expeditos se ad cantandum, et in excelsum voces tollendas, esse demonstrant. Dicebat ergo præfatus abbas, fuisse monachum quemdam in uno de cœnobiis Cisterciensis Ordinis, qui dono nobilissimæ vocis exsultans, vigorem ejus in communi labore servitii Dei expendere dedignabatur, sed magis propriam gloriam captans festiva quæque responsoria, quæ pro singulari privilegio vocis suæ ipsi assignabantur, lætus, sed non timoratus; hilaris, sed minime devotus, solemnizando cantabat. Factum est autem in quadam festivitate Domini, ut in omnibus, qui communiter a conventu fratrum ad laudem Dei decantabantur, velut mutus et elinguis staret, ut versum responsorii sui non plane in gravibus, sed in acutis, vel potius in acutissimis, vocem quatiendo modulosque tinnulos flexibilitate vocis formando, solita lascivia decantaret. Quo finito, ut a quo merces ridiculosi cantus speranda esset, intelligeret, tam ipso quam cæteris qui circa eum erant videntibus et audientibus, apparuit dæmunculus in modum puerili Æthiopis teter et fuscus, qui manibus impuris plausum faciens, et miro modo cachinnans, exclamavit dicens : « O, o bene, valde bene cantavit, optime cantatum est. » Noverit ergo quicunque gratiam jucundæ vocis a Deo accepit, horribile malum esse inde dæmonum malitiam pascere, lascive et plausibiliter cantando, unde Deum honorare debuerat, devote et humiliter jubilando : ideoque summopere nitendum est quatenus secundum mediocritatem quam nobis sanctus Ordo noster præscribit, nec non et secundum auctoritatem, qua Regula quam professi sumus, nos instruit, et singuli specialiter, et omnes in commune pariter, cum gravitate, cum timore et tremore, atque cum humilitate psallamus et cantemus Deo nostro. Certe ironia diabolicæ nequitiæ, vel maxime, vel sola ruborem et suffusionem vultus nobis incutere, atque ad cautelam nostri nos excitare poterat; sed quoniam dura corda hominum plus reverentur testimonium spiritus veritatis, quam subsannationem spiritus fallacis, quid etiam nostris temporibus eximiæ religionis et specialis abstinentiæ sancta quædam virgo, de hac lascivia cantus divina revelatione instructa prodiderit, non tacebimus. Cum enim domnus abbas Cisterciensis, qui est pater patriarchalis totius sancti Ordinis nostri, ad eam gratia visitationis aliquando venisset, inter dulcia æternæ vitæ colloquia, cœpit abbas attentius rogare quatenus eadem Dei famula divinitus sibi revelari deposceret quid in Ordine Cisterciensi puritati veræ religionis magis contrarium per negligentiam irrepsisset. Illa vero post acceptas inducias, fusasque ad Dominum preces, ita respondit : « Sciatis, domine Pater, tria esse in Ordine vestro, quæ specialiter oculos summæ ma-

(45) S. Bernar., serm. 47 in Cantic

Digitized by Google

jestatis offendunt, multiplicatio scilicet agrorum, superfluitas ædificiorum atque lascivia vocum. Quapropter omnes qui ad sacrum Ordinem cleri asciti, judicio sanctæ Ecclesiæ psallendi et cantandi officium sortiti sunt, si mediocritatis, gravitatis et humilitatis metas excedant, noverint se recte quidem offerre, sed nequaquam recte dividere, timeantque necesse est comminationem Domini per prophetam dicentis : *Solemnitates vestras odivit anima mea* (*Isai.* I), quoniam cum derident hostes Sabbata vestra, nullomodo acceptare dignatur omnipotens Deus quod subsannat inimicus.

CAPUT XXI.

De periculo prælatorum parentes suos carnaliter diligentium.

Apostolus de iis, qui summi Patrisfamilias vicem gerunt in terris, quique dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia constituti sunt, loquens : *Hic*, inquit, *jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (*I Cor.* IV). Hoc scrutinium, hanc discussionem, quidam heu! minus formidantes, si forte per divinam gratiam in partem sollicitudinis vocantur, continuo se ad plenitudinem honoris assumptos esse gloriantur; et in prælatione non solum quæ sua sunt, non Jesu Christi, verumetiam ea quæ consanguineorum suorum sunt, omni sollicitudine quærunt, et pro eorum exaltatione patrimonium crucifixi Domini, bona videlicet Ecclesiæ, quæ se in promotione sua sacramento præstito congregata servare voverunt, profligare et dilapidare non verentur. Adhuc autem, quod gravius est, si aliquos nepotulorum suorum ad hoc erudiendo et informando provexerint, ut alicujus muneris functione illustrari posse videantur, carnis magis et sanguinis affectione attracti, quam proximorum utilitati consulentes, successores eos sibi designant, omnia cernentis Dei judicium nec in ipsa terribili hora exitus sui recogitantes. Quapropter qualiter omnipotens Deus, qui glorificantes se glorificat, et contemnentes se reddit inglorios, unius talium intolerabiles cruciatus, quibus post mortem carnis addictus est, ad correctionem viventium demonstrare voluit, memorabimus, si forte exasperatores Domini hæc audientes, et talia pati pertimescant, et ab inordinato amore parentum, severitatem ultionis præ oculis habentes, quiescant. Abbas cujusdam cœnobii monachum quemdam nepotem suum a puero nutrierat, et usque ad spectabiles mores provexerat. Contigit vero ut idem abbas, extremæ sortis articulo sibi imminente, viam universæ carnis ingressurus esset. Fratribus itaque, quos sub cura sua habuerat, destitutionem suam lugentibus (fuerat enim vir prudens et providus) cum de substitutione alterius tractaretur, diversis diversa sentientibus, ne forte ex studiis partium res in contentionem veniret, communi consensu decretum est, quatenus vota et consilia sua ipsi tanquam patri spirituali committerent, qui conscientias et merita singulorum plenius nosset; et quem ille sibi successorem voce deprómeret, hunc absque refragatione unanimiter in abbatem eligerent. Sed heu! quam tenere necessitudini parentum suorum adstricti sunt, quos ab amore mundi charitatis ardor nondum perfecte separavit. Cum enim prædictus abbas in illa hora tremenda exitus sui memorari debuisset justitiæ Dei solius, et pure secundum Deum puram sibi exhibentibus obedientiam consulere, carnis et sanguinis affectione male illectus, antefatum nepotem suum fratribus illis designavit, dicens eum bene esse religiosum, et in exterioribus negotiis providum et consideratum. Quod licet ex parte verum fuisset, quia tamen nequaquam sincera intentione, fratrum videlicet utilitatibus consulendo, tale consilium dederat; sed quantum ex pœna quæ subsecuta est, intelligi datur, magis eo intuitu, ut parentela ipsius nepotis sui promotione illustrior redderetur; quam districtæ sententiæ pro hoc reatu suo moriens addictus sit, Dominus eidem successori minus canonice adeptæ dignitatis demonstrare dignatus est.

Erat namque in eodem monasterio locus quidam amœnus, et ad refrigerandum accommodus, atque in ipso loco fons perspicuis fluentis levi murmure scaturiens : qui per crepidinem alveoli sui luxuriantibus herbis jucundus, tam vivacitate sui quam etiam herbarum gratiosa viriditate animas et oculos accedentium mulcebat. Hunc locum defunctus abbas, dum vitales adhuc carperet auras, refrigerandi gratia frequentare solebat, ibique animum mordacium curarum æstibus defatigatum relaxans, tanto liberius, quanto secretius evaporare sinebat. Cujus relaxationis consuetudinem successor ipsius eodemmodo tenere decernens, locum frequentabat et ipse, magis, ut reor, proclivis ad commoda carnis, quæ in prædecessore suo viderat, sectanda, quam si virtutis alicujus specimen, a conversatione ipsius exempli gratia trahere potuisset. Una vero dierum cum, solito more, ad prædictum locum accederet, audivit quasi de fundo fontis vocem lacrymabiliter plangentis, et, heu! heu! me miserum, ingeminantis. Territus vero vehementer et consternatus, ubi propius accessit, diligentius auscultans, hanc esse prædecessoris sui defuncti abbatis vocem, ex olim nota sibi qualitate vocis ipsius, recognovit. Tum vero trementibus præ stupore labiis quærenti quisnam esset qui illic ita plangeret, eadem vox quasi de sub aquis respondit, dicens : « Ego sum ille consanguineus tuus quondam abbas, nunc autem miserabilis spiritus, cui tu ad multam confusionem et infelicitatem meam in regimine monasterii hujus successisti. » Interrogatus cur ita plangeret, « quia ardeo, inquit. » Rursus interrogatus quare arderet, cum religiosa vita ipsius, quam in corpore gesserat, requiem magis quam tormenta meruisse videretur. « Tu, inquit, incendii mei causa es. » Et ait abbas : « Ego quare, vei quomodo? — Quia, inquit, fratribus, quibus indignus præeram, personam animarum suarum saluti proficuam quærentibus, et mihi post Deum vota et consilia sua committentibus, heu! affinitatis, qua mihi junctus eras, lenocinio cæcatus, non secundum timorem Dei, sed secundum propriæ voluntatis insipientiam, consilium dedi, ut te ad apicem hujus dignitatis proveherent. Idcirco justo Dei judicio in hoc aquæ elemento cruciatibus addictus ardeo, liquesco, deficio; et in nihilum pene redactus, ad eadem tormenta rursus toleranda, restauror. Quod si certius probare vis, non esse frivola quæ audis, fac afferri candelabrum æneum, et lenta submissione in aquam mitti. » Mox præcipiente abbate allatum est candelabrum æneum, et sensim in aquam missum, stupendo miraculo ita a facie frigidæ illius, ut videbatur, aquæ liquefactum est, sicut fluit cera a facie ignis, vel sicut fugatur nebula a facie solis. Quanta ergo severitate censura justi judicii Dei damnabit eos qui parentes suos de pecuniis vel possessionibus Ecclesiarum sibi commissarum divites et inclytos faciunt, si sic puniri meruit, qui personam fortasse satis idoneam, ad officii spiritualis eminentiam, sanguinis magis quam charitatis intuitu provehere præsumpsit?

Hæc itaque, de periculis quorumlibet vitiorum, seu negligentiarum aliquandiu jam tractavimus, ex occasione relationis beatæ memoriæ D. Gerardi Clarævallis abbatis, qui de periculo assidue jurantium fratres suos admovere studuit, ad exhortationem legentium summatim perstringere curavimus, scientes, simplicium fratrum animos exempla plus movere quam verba, quoniam devota mens, quæ ex lectione spiritualis compunctionis fervorem magis quam inflantis scientiæ eruditionem quærit, dum facti memoriam versando atque reversando, quasi manu cogitationis tangendo palpat, ad amorem virtutum, horroremque vitiorum amplius ex ea accendi

Digitized by Google

tur, quam si decem millia sententiarum chartulis exarata transcurreret. Hoc igitur quasi grandi fenore absoluti, ad Claramvallem nostram, de qua cum Isaac ad meditandum in agro diversorum Christi Domini nostri magnalium egressi fueramus, revertamur : sicque tandem narrationis nostræ series, quæ de venerabilium Patrum religiosa conversatione pretiosaque in conspectu Domini morte ad ædificationem multorum texitur, competenti conclusione terminetur. Nam et rivulus secus prata fluens certis venarum meatibus derivatus, arentia quæque impinguat, marcescentia gramina revirescere facit, demumque universis sufficienter irrigatis sese in se recolligens, proprioque alveolo restitutus, legitimi cursus vivacitate prolabitur.

DISTINCTIO SEXTA.

Varia continens de sacramento altaris et confessionis, de animabus defunctorum, et alia quædam.

CAPUT PRIMUM.

De incauta contemplatione cujusdam monachi Claræ-vallis, et de periculo contemplativorum.

Dominus ad beatum Job de multiplici calliditate antiqui hostis sub specie Leviathan loquens, *Nervi*, inquit, *testiculorum ejus perplexi sunt* (*Job* XL) : omnem videlicet hominem manifestius instruens, subtilissimarum deceptionum ejus inextricabiles nexus neminem absque gratiæ suæ adjutorio evadere posse. Verum, si cunctis qui Christiana professione censentur, et ad cœlestem gloriam, de qua superbus Satanas cum angelis suis cecidit, duce humilitate nituntur conscendere, summopere considerandum est illud Apostoli : *Videte quomodo caute ambuletis, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* V); et illud : *Ne circumveniamur a Satana : ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* II). Quanta putamus sollicitudine vigilandum est iis, qui sacratioris vitæ desiderio in cœnobiis Domino militare, et contra spirituales nequitias spiritualibus armis dimicare proposuerunt? Falluntur nempe, stolidissimoque errore raptantur, qui sæcularis molæ tumultuosa negotia tantum, et non etiam cœnobialis lecti quieta silentia insidiis inimici patere arbitrantur, cum tanto subtiliores laqueos tendere soleat callidus hostis, quanto quis altius scalam virtutum scandere, atque de hujus mundi naufragio nudum se evasisse confidit. Quapropter gravissimam unius viri spiritualis tentationem, quam in otio silentii sui indiscrete contemplando incurrit, ad cautelam contemplativorum proponemus, quatenus ii qui ferventiori studio lectioni incumbentes diversas memoriæ sententias commendant, atque ex eis primo quidem meditationis, dehinc etiam contemplationis oculum exacuunt, semper illius sententiæ memores : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (*Prov.* XXV), magis in timore sanctæ humilitatis se utiliter deprimant, quam in luce periculosæ contemplationis pueriliter volare præsumant.

Erat in Claravalle senior quidam purissimæ religionis, quæ sub venerabili Patre nostro B. Bernardo in eadem sancta domo multis etiam simplicioribus gratiam perfectionis contulit, strenuus imitator effectus, et in quotidiano virtutum exercitio devotus, qui ob sapientiæ suæ gravitatem, consilii maturitatem eximiæque conversationis sanctitatem, non tantum sibi soli, sed et aliis quoque prodesse posse judicatus, Fusniacensis Ecclesiæ, quæ est una de dignioribus et magis religione conspicuis filiabus Clarævallis, abbas constitutus est. Positus ergo in honore, ipsiusque honoris pondus assidue pensans ne, secundum Prophetam, periculum honoris non intelligeret (*Psal.* XLVIII), pastoralis officii dignitatem, humilitate, quæ spiritualem virum decebat, administrabat; tandemque laboriosæ prælationis sollicitudini seniles humeros subducens, Rachelis quanto sterilius, tanto jucundius contubernium Liæ licet fecundis sed tamen valde periculosis prætulit amplexibus. Ad suam itaque Claramvallem reversus, ac velut haud degener pullus nidulo proprio restitutus, quotidianæ conversationis suæ discussione motus et affectiones cordis dudum prælationis occasione quaquaversum sparsas ad se recolligebat, exemploque sanctissimi Patris sui Benedicti habitavit secum. Spiritualibus autem studiis intentus, et a strepitu garrulæ occupationis penitus sequestratus, orationi, lectioni, compunctioni sacræque meditationi operam dabat, sciens adversus virulentas suggestiones mundialis pompæ, carnalisque illecebræ, efficacius his non esse antidotum. Porro continuæ meditationis assiduitate provocatus, suavitateque illectus, cœpit jam sanctæ contemplationis subtilitate divina quæque mysteria scrutari, scrutando jucundari, exsultans in jubilo cordis, dicensque cum Psalmista Domino : *Mirabilia testimonia tua*, Domine, *ideo scrutata est ea anima mea* (*Psal.* CXVIII.) Quia vero salutarem hostiam per quam redempti et reconciliati sumus Deo Patri cum fructu bonorum operum sedulus immolabat, altitudinem imperscrutabilis hujus mysterii tanto dulcius contemplando ruminabat, quanto id frequentius altissimam Dominicæ passionis humilitatem repræsentando iterabat. Sed o utinam, sicut pius, ita etiam cautus et timoratus contemplator esse curasset, præsertim in tam mira profunditate tantorum mysteriorum, ubi omne rationis humanæ deficit argumentum, solumque sacræ fidei consulitur oraculum. Nam cum admirando pensaret, et pensando admiraretur quonammodo panis et vinum, quæ in altari proponuntur, mediante virtute Dei in verum corpus et verum sanguinem Jesu Christi Domini et Redemptoris nostri transsubstantiaretur, plusquam oportebat scrutabundus, rationisque oculo insolentius innixus, sacrum mysterium arcano fidei commissum rationis temeritate discutere præsumptuose tentabat. Cæterum, sicut testatur B. Bernardus, ratio, si quod fidei est, tentet irrumpere, effractrix judicatur (46), et B. Gregorius dicit fidem non habere meritum, cui humana ratio præbet experimentum (47). Enimvero præfatus senior minus considerans sapientis consilium qui mel invenientem parcius edere suadet, ne forte satiatum evomere contingat (*Prov.* XXV) ; Apostolum etiam monentem, non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII) ; dum sacri mysterii dulcedinem, ipsis, ut reor, angelicis spiritibus imperscrutabilem, avidius rimatur, summæ majestati debitam reverentiam non exhibens, impegit in lapidem offensionis, et Dominus in ira declinavit a servo suo. Ubi vero spiritus bonus, vel potius

(46) Bernard. epist 190, et alibi.

(47) Greg., hom. 26, in Evang.

Digitized by Google

spiritus bonitas lucis suæ radios subtraxit, malignus extemplo spiritus malitiæ suæ tenebras ingessit, variis cogitationibus animam jam nutantem exagitans rationemque fluctuantem pessimo dubietatis spiritu quatiens. Nempe dum quod fidei certissime constat, mortalitatis suæ tenebras dissimulans, quasi revelata facie speculari præsumeret, justo Dei omnipotentis judicio de certitudine fidei cecidit in opinionis ambiguum, ita ut quod ratione comprehendere non poterat, impossibile esse præsumptione cæcatus æstimaret. *Est enim*, sicut elegantissime definit Apostolus, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). *Quod enim videt quis, quid sperat* (*Rom.* VIII). Si autem quod in hac mortalitatis valle, in hoc peccati et mortis corpore videre non possumus, per patientiam exspectare jubemur, ut in æternæ claritatis patria in nobis compleatur ubi erit Deus omnia in omnibus : compescamus oculos cordis a vitio inquietæ curiositatis, quoniam, sicut testatur Sapiens, *Hæreditas ad quam* præpropere *festinatur in principio, in novissimis benedictione carebit* (*Prov.* XX).

Igitur ubi primum incautus ille contemplator hoc dubietatis malum clandestinis animæ suæ moribus irrepere deprehendit, totus intremuit, nisusque vigore mentis tenebras diabolicæ versutiæ discutere, non potuit. Non enim sicut liberum est inquietæ voluntati spontanea deliberatione in foveam se præcipitem jacere, ita etiam liberum habet propria virtute vel industria de fovea conscendere. Gubernaculo itaque fidei procelloso præsumptionis spiritu violenter evulso, navis conscientiæ miserabilis hominis validissimis perniciosarum cogitationum fluctibus quatiebatur, malignis spiritibus cunctis nequitiæ suæ dolis ad id nitentibus, ut quem de certitudine fidei violenter perturbaverant, etiam de dubietatis nubilo in assertionis blasphemæ densissimas tenebras præcipitarent, ut videlicet exemplo Berengarii, qui primus impiæ hujus hæreseos inventor et defensor exstitit, sentiret et diceret panem et vinum quæ in altari proponuntur, post consecrationem verum corpus et verum sanguinem Christi nequaquam esse. Verum omnipotens et misericors Deus, qui servum suum angelo Satanæ ad colaphizandum tradiderat, ut disceret præsumptuosus non esse, quemque summum cognitionis gradum, qui soli beatæ vitæ debetur, in hac misera vita et in hac carne peccati insolentius rimantem, etiam de fidei stabilitate corruere permiserat : de periculosa tamen dubietatis rupe pendentem, in hæreticæ pravitatis barathrum præcipitari passus non est. Ibat ergo miserabiliter marcescens et contabescens in semetipso, præ angustia spiritus et violentia tentationis, sacrisque mysteriis, quæ antea devotissime celebrabat, approximare non audens, atroci huic passioni se merito præsumptionis suæ addictum esse gemebat. Miro namque modo errorem suum recognoscebat et dolebat, nec tamen ipsius erroris nubilum discutere poterat, et sicut de B. Maria Magdalena, sanctus ait papa Gregorius : « Amabat et dubitabat, quantoque prioris devotionis suæ sinceritatem recordabatur, tanto perversæ opinionis suæ cæcitatem plangendo detestabatur (48). » Augebatur in dies perniciosæ hujus tentationis calamitas, nec solum interiorem, sed et ipsum quoque hominem ejus exteriorem occupabat, ita ut, deficiente pariter vigore mentis et robore corporis, in infirmitorio frequenter pausare, necessitatemque suam, quomodo poterat, transigere cogeretur. Audientes autem spirituales quondam filii ejus, fratres videlicet Fusniacenses, dulcissimum quondam Patrem suum tali mœrore et afflictione oppressum, venerunt ad eum, blandisque precibus persuasum cum multa reverentia Fusniacum eum reduxerunt ; si forte officiosa charitate ipsorum recreatus aliquod emolumentum calamitatis suæ caperet, et de angustia tentationis, qua vehementer urgebatur, respiraret. Verum, quia sicut eleganter poeta canit :

Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit,

(HORAT. *Epist.* I, ep. 11, vers. 27.)

et sicut Sapiens perhibet, quoniam, *Nemo corrigere valet, quem Deus despexerit* (*Eccle.* VII), nec loci mutatio, nec fratrum illorum favorabilis exhortatio, tentationis aculeum de præcordiis senis illius evellere potuerunt, quia nondum venerat tempus miserendi ejus, sed temerariæ præsumptioni durior adhuc instabat cruciatus. Itaque usque ad ultimum pene terminum vitæ suæ in hoc frixorio blasphemæ dubietatis confrixus, et tanquam aurum in camino tribulationis probatus atque purgatus, tandem, miserante Domino, lumen fidei plenissime recepit, tanto utique humilius de cætero credulitatis stabilitatem retinens, atque ab inquietudine illiciti scrutinii contemplationis oculum retrahens, quanto Deum superbis resistere, præsumptoresque reprimere, propriæ calamitatis experimento didicerat (49). Quisquis ergo claustralibus disciplinis subditus, Mariæ otium Domino largiente sortitus est, si callens ingenio divinam paginam scrutari dulce habet, necesse est ut semper meminerit se discipulum esse, non magistrum, ne forte ingenii sui subtilitate provocatus, signaculo fidei signata malo suo tentet irrumpere : vel temere quidquam discutere præsumat, quod ob reverentiam profunditatemque mysteriorum Dei, indiscussum vigilantissima sanctorum Patrum præteriit solertia.

CAPUT II.

De excellentia fidei sacramentorum corporis Christi et sanguinis, et de discretione contemplationum.

Sane quantum distet inter scrutinium quod parit curiositas, et speculationem quam gignit pietas, inter contemplationem quam in fidei simplicitate conscientiæque puritate parturit humilis devotio, et meditationes quæ descendunt ex præsumptionis supercilio, lucidius adhuc declarabimus, quatenus sicut terruimus in spiritu suo præsumptuosos, ita mulceamus in spiritu Dei humiles et devotos. Certe præcipuus et maximus ille contemplator, a quo in Clarissima valle totius devotionis et contemplationis religio sumpsit exordium, beatum dico Bernardum, qui copiose in scriptis suis disserit quam fugienda sit præsumptuosæ contemplationis temeritas, quanta reverentia sacro fidei arcano subdenda sit humanæ rationis infirmitas, quodam loco satis evidenter indicat, ita dicens (50) : Fidenter loquor, Trinitatem sanctam quam non intelligo, credo. Quid hoc verbo abbreviato sanius ad fidem, simplicius ad meritum, quid fidelius ad devotionem ? Porro eamdem fidei simplicitatem, quam hic de sancta Trinitate paucis verbis comprehendit, etiam de sacramento altaris se firmissime tenere, non solum verbis, sed et mirabilium operum patratione, magnifice demonstravit. Cum intrasset aliquando partes Italiæ, et propter efficacissimam gratiam, quam in effugandis spiritibus immundis habebat, fama virtutum ejus ubique claresceret, feminam quamdam atrocissimo dæmone multo tempore possessam, oblatam sibi in ecclesiam introduci præcepit, nimirum sciens eam non tam facile ut cæteros posse curari. Ipse vero ad altare accedens, sancta missarum solemnia celebravit, peractaque ex more sacrorum munerum consecratione, corpus Dominicum super patenam posuit, atque super caput mulieris spurcissima colluvione maligni spiritus fœdum et horridum tenuit, « adest, inquiens,

(48) Greg. hom. 25 in Evang.

(49) Reginaldo non est ascribendum peccatum infidelitatis, sed solum motus involuntarius contra fidem, quem quia vincere non poterat angebatur animo, reum se criminis scrupulosius indicans

(50) Lib. II, c. 3.

Digitized by Google

inique, judex tuus, et cætera, quæ in libro vitæ ejus continentur : sicque tartaricum Cerberum, quem consuetudinaria precum facilitate fugare non poterat; fide et virtute divinorum sacramentorum potenter ejecit. Quadam etiam vice dum comitem Pictaviæ schismati Petri Leonis obstinatius faventem, dominoque papæ Innocentio subdi recusantem, nullis monitis, nullisve exhortationibus ad humilitatis fastigium, Catholicæque Ecclesiæ unitatem reducere valeret, negotium, quod humanæ industriæ viribus impossibile fore videbatur, divinæ potentiæ commendans, ad immolandam hostiam salutarem, per quam vita, salus, pax, et unitas miseris mortalibus conceditur, ecclesiam ingressus est, principe cum cæteris, quos ab introitu domus Dei excommunicationis sententia sequestraverat, præ foribus ecclesiæ præstolante. Sacris itaque mysteriis consecrationis corporis et sanguinis Domini rite celebratis, homo Dei, non jam secundum hominem se agens, antequam pax in populum diffunderetur, manna cœleste, purissimum virginalis uteri fructum super patenam reverenter posuit, cunctis qui aderant admirantibus: et cum maximo stupore exitum rei præstolantibus, ipsam patenam pretiosum depositum pignus æternæ salutis continentem secum ferens, foras exivit, atque vultu igneo, voce non deprecatoria, sed minaci, verbis auctoritate plenis principem compellans, ita exorsus est : Rogavimus te, et audire nos contempsisti, Ecce egressus est ad te filius Virginis, Filius altissimi Patris : ille, inquam, Filius, qui pretio innocentissimi sanguinis sui sanctam Ecclesiam redemit, quam tu, quantum in te est, scindere et conturbare non formidas; adest judex universitatis, in cujus manus illa tua anima deveniet, ante cujus terribile judicii solium totius vitæ tuæ actuum rationem redditurus es : huic resiste, si vales. » Videns autem comes reverendum abbatem cœlestia sacramenta cunctis Ordinibus angelorum tremenda sanctis manibus tenentem, et ignito vehementer eloquio peccatricis conscientiæ suæ secreta terebrantem, summæ majestatis præsentiam non ferens, obrigescente gelido per membra sanguine velut exanimis in terra collapsus est, jacensque spumas horrendas, nigrescentibus labiis, egerebat, ac si ultimum jam efflaturus esset spiritum, et crebris singultibus vitalia quatiebat. Cumque sic miserabilis aliquandiu jacuisset, flentibus et pectora tundentibus qui aderant, accedens vir propheticus, et pede eum pulsans, in virtute illius quem portantem se portabat imperiosa voce præcepit ut surgeret, et episcopis, quos de sedibus suis expulerat, quorum aliqui præsentes erant, reconciliaretur, seque magis Ecclesiæ Catholicæ filium, quam schismaticorum fautorem fore, demonstraret. Quod etiam, cooperante gratia Dei, continuo factum est, sicut liber gestorum ejus plenius docet sane præter spem universorum qui aderant, qui obstinatum nimis animum principis illius in schismate noverant : sicque tam clerus quam populus terræ, virtute incontaminati sacrificii, fideque viri Dei, a rabie Petri Leonis liberatus, et unitati sanctæ matris Ecclesiæ reincorporatus, Domini clementiam collaudabat. O quanta est pietas fidei, de qua excellenter pronuntiat Apostolus, quod habeat promissiones vitæ quæ nunc est, pariter et futuræ (*I Tim.* IV). O vere mirabilis artifex Spiritus sanctus, qui tam mirabili glutino charitatis summis ima connectit; ut illum splendidissimum, nitidissimum et suavissimum panem angelorum habentem in se omne delectamentum, quod est Verbum Dei, mediante beatissima humanitate ejusdem Verbi, vermiculis terræ comedere concedatur, et terrenæ substantiæ portiuncula, quæ ipso aspectu et æstimatione sui vilipendi poterat, per ecclesiasticæ traditionis regulam consecrata, in verum corpus et verum sanguinem Christi Domini nostri transsubstantietur, fiatque pabulum dulcissimum, quo pium rationale, sed miserum jumentum deliciose refectum, rationali, sed beatæ naturæ in beatitutidinis gloria consors efficiatur! Cæterum hæc altissima Dei magnalia, quæ ineffabili dignatione gratiæ suæ miseris mortalibus largitur, fidei quidem manifesta sunt, rationi vero cæca : et propterea credere hæc, pietatis est; discutere, temeritatis; nosse, vita et vita æterna est. Nonne tibi videtur admirandus iste sanctus cum sancto sene Simeone in profunditate mysterii majestatis celsitudinem non solum agnoscere, sed etiam aliis patenter ostendere, sub accidentibus, quæ carneis et sensibus et oculis ingeruntur, id est visibili specie, pondere, et sapore, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, non rationis temeritate scrutari, sed fidei simplicitate crèdere, venerari et colere, atque in eadem fidei constantia superbis terribiliter repræsentare?

Cesset ergo jam humanæ rationis temeritas discutere velle quod signaculo fidei signatum mortali naturæ scire denegatum est; et licet cum patriarcha Jacob, qui simplicitate sua contentus erat, pede cognitionis claudicet, cum Petro tamen apostolo, qui virtute fidei Ananiæ et Saphiræ duplicitatem deprehendit et exstinxit (*Act.* v), fidei pedem fortius figat, ut per devotionem fidei quandoque ad cognitionis plenitudinem pervenire mereatur. Quid enim, curiose, interest tua scire, quo ordine superni largitoris vivificum beneficium consequaris, dummodo id efficacia teneas, utilitate probes, et insuper multimoda signorum et prodigiorum gloria, quæ ab initio fidei usque nunc in sacramento altaris Deus operari non cessat, jucunda exhibitione, quantum fas est, experiaris? Sed, ut de majoribus taceam, et modicus de modicis Dei mirabilibus loquar, qui licet sit magnus et laudabilis nimis in magnis, gloriosius tamen mirabilia operatur in minimis, quanta benignitate trepidationem illius abbatis refovere dignatus est, qui araneam in calice sancto hora divini sacrificii repertam, fide plenus cum ipso sacramento hausit, prudenter advertens mortem vitæ prævalere non posse : quique eadem die sanguinem minuens, araneam ipsam integram de vulnusculo cum sanguine erupisse, miratus expavit! Alterum quoque sacerdotem quemdam quanta dulcedine docuit pius Dominus : aliud in altari videri, et aliud debere credi, qui in simili casu deprehensus, nec dispari fide armatus, mortem cum vita sumere non dubitavit; sed, advesperascente jam die, dum pruritum in pede sentiret, scalpendo, araneam quam sumpserat, nulla parte corpusculi sui contritam seu mutilatam evulsit. Illud vero quam stupendum, quam admiratione dignissimum censebitur, quod idem virulentus vermiculus, qui fidem sinceram debitamque reverentiam Dominicis sacramentis exhibentibus, etiam intra vitalia receptus, nequaquam nocere potuit, quosdam eisdem terrificis sacramentis impudica irreverentia se ingerentes, licet longe positus, terribiliter exstinxisse perhibetur! Legitur enim in gestis Caroli Magni imperatoris quod cum idem religiosus Augustus quadam solemni die missam solita sua devotione audiret, diaconus qui ad ejusdem missæ Evangelium legendum deputatus fuerat, præcedenti nocte, mulierculæ cujus amore deperibat, impudicis amplexibus se fœdare non timuit : hoc quoque gravissimo piaculo cauteriatam habens conscientiam, Dei terribilis in consiliis super filios hominum judicia non veritus, sanctum Evangelium legere præsumpsit; postmodum etiam sacris mysteriis secundum officii sui dignitatem eadem impudentia ministerium manibus impuris exhibiturus, si non ultio divina districta animadversione temerarium celerius de medio tulisset. Ecce namque dum verba sacra labiis pollutis depromeret, prædictus vermiculus desuper a laquearibus oratorii se per filum suum semel, secundo ac tertio, super caput contaminati lectoris demittens, tertia nihilominus vice ipso imperatore aspiciente caput obscenum pupugit, ac sine mora miserum exstinxit. Si ergo, o curiose, nullo humanæ rationis acumine

Digitized by Google

perpendere vales qua via, quove meatu vermiculus ille venarum abstrusas perplexitates irrepserit, seu qualiter a stomacho naturalem descensum intestinorum evadens, usque ad ima corporis inter carnem et pellem illæsus serpendo pervenerit, quomodo scire poteris quo ordine quove modo, panis et vinum quæ in altari proponuntur, verum corpus et verus sanguis Christi efficiantur? Nam si, secundum prophetam, cum peditibus currens laborasti (*Jerem.* XII), quomodo contendere poteris cum equis, id est si in minimis istis mortalitatis tuæ densissimis tenebris obvolutum te sentis, qua fronte, quave temeritate altissima Dei magnalia inquietus scrutari præsumis? De sacramento ergo altaris, sicut quidam de martyrio ait : « Totum demus Deo, nihil nobis. »

Volenti itaque in sancta religione proficere correctioni morum mundationique cordis, modis omnibus necessarium est insistere, mysteriis vero S. Scripturarum per contemplationem castigatius intendere, quoniam campus exercitii et laboris pertinet ad rudes et imperfectos, lectus vero contemplationis ad humiles et devotos. Sed quales putas humiles, vel quales devotos? Non utique qualescunque, sed qui curiositatis, vanitatis et voluptatis vitiis jamdudum mortui, sanctæ humilitatis et perfectionis arcem conscenderint, qui possint cum Psalmista dicere Domino : *In via testimoniorum tuorum, Domine, delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*Psal.* CXVIII). Cæterum quisquis in hac virtutum claritate nondum a Deo stabilitus est, ut in lumine earum ambulet tota die, sed adhuc vitiorum caligine circumfusum habet intellectum, licet ingenii subtilitate vigeat, et acumine rationis polleat, noverit tamen expedire sibi magis orare, psalmosque ruminare frequentius, legere vero parcius, et in ipsa lectione non scientiam inflantem, sed Spiritum vivificantem quærere, non ut disertus, sed ut sobrius efficiatur, quemadmodum monet Apostolus : Non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII); non ut jactet se scire quod nescit : sed ut scientiam suam Deo et sibi, sicut decet monachum, in humilitate conscientiæ custodiat, ne forte subsannet eum satyricus (*Persius*), vel potius immundus spiritus, quod usque adeo scire ejus nihil sit, nisi eum scire hoc sciat alter. Unde cum doctorum doctissimus Pater Augustinus dicat: « Orare et legere, utrumque bonum est, si liceat; si non liceat, melius est orare quam legere, » miramur valde quosdam orationis et devotionis prorsus necessariam utilitatem pene vel penitus negligere, lectioni vero atque meditationi totis diebus ac noctibus incumbere, quasi non super inane pingat, aut pulverem in vento portet, qui scientiam in conscientia nondum a vitiis purgata multiplicat, et contemplationis subtilitas, quanto magis absque perfectionis plenitudine ad alta volat, non tanto magis, quemadmodum in multis experti sumus, periculosæ ruinæ pateat. Quia ergo talibus valde metuendum est, ne solum lampadarum nitorem præferentes, olei vero pinguedinem negligentes, id est de sola scientiæ claritate absque devotionis et humilitatis mansuetudine gloriantes, a justo judice Deo, qui ob inordinatum scientiæ appetitum protoplastos de paradiso ejecit, cum fatuis virginibus reprobentur, curemus omnes, curemus singuli, tum pro indulgentia peccatorum, tum pro acquisitione virtutum, tum etiam pro vitanda æternæ mortis miseria atque adipiscenda sempiternæ beatitudinis gloria, Domino Deo nostro sacrificium cordis contriti et spiritus humiliati in ara devotionis sedule immolare. Si quis autem in sacræ devotionis assiduitate gratia duce tantum proficere poterit, ut bonitatem bonæ religionis et disciplinam non fictæ humilitatis in fundamento stabilis conscientiæ collocare prævaleat, hic jam secure cum Psalmista scientiam se doceri postulet (*Psal.* CXVIII), nec tamen scientiæ salutaris efficaciam lectionis atque meditationis instantia solummodo, sed multo magis unctione illius qui docet hominem scientiam (*Psal.* CXXVI), se adepturum esse præsumat, testante enim Psalmista, vanum est omni homini ante lucem perfectæ humilitatis ad scientiam anhelando surgere, ideoque modis omnibus necessarium est, sedendo in pœnitentia prius manducare panem doloris (*ibid.*), id est compunctionis, et sic demum surgere ad lucem scientiæ vel contemplationis; quoniam non inveniet locum de scientia superbiendi arrogantiæ vanitatis, ubi universos angulos conscientiæ bonitatis et disciplinæ repleverit maturitas

CAPUT III.

De felici consummatione monachi desiderantis in Claravalle mori.

Joannes apostolus et evangelista, qui arcana verbi Dei, quantum mortalibus in tenebris et in umbra mortis sedentibus scire fas est, fatu revelavit sacro, in Pathmos insula propter testimonium ejusdem verbi Dei exilio relegatus, inter multiplicia cœlestis revelationis mysteria, ad consolationem omnium in via Dei laborantium, et sub pondere tentationum gementium, audivit vocem de cœlo dicentem sibi : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV). Et ejusdem beatitudinis causam subdens : *Amodo*, inquit, *jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos* (*ibid.*). Hujus beatæ mortis, per quam transitur de labore ad requiem, de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam, de miseria ad felicitatem, de fide ad cognitionem, jucundam memoriam sancti viri sedula meditatione pensantes, et ipsi votis et desideriis continuis ad eam suspirabant, dicentes : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI), et aliis morientibus pium congratulationis et compassionis impendebant affectum, sicuti de beato Bernardo abbate legitur quod vix unquam mortuum sine lacrymis compassionis sepelierit, et reverendissimus Alexandrinorum patriarcha Joannes excellentis personæ suæ auctoritatis oblitus, ad morientes quoslibet fideles per semetipsum accedebat, sedensque coram eis obeuntium agonem cum multo pietatis affectu considerabat, propriis quoque manibus morientium oculos claudens, animas de corporibus egredientes divinæ gratiæ devotissime commendabat. Sed et beatus episcopus Malachias Hiberniensis, in omnibus operibus suis memorans novissima sua, ut in die defunctionis benedictionem consequi mereretur, cum venisset aliquando Claramvallem, et amicitiam familiaritatemque S. Patris nostri Bernardi ob sanctitatis suæ reverentiam obtinuisset, tanto tanctæ charitatis ardore anima ejus animæ viri Dei adhæsit, tantoque desiderio in Claravalle moriendi accensus est, ut reversus in patriam, reliquo quo advixit tempore, hanc precum suarum summam Domino devotus offerret, quatenus et in Claravalle, et in die commemorationis animarum omnium fidelium mori, atque juxta dilecti sui abbatis cineres et ipse incineratus beatæ resurrectionis gloriam præstolari divina largitate mereretur. Nec frustratus est a spe sua, quandoquidem desiderium animæ ejus tribuit ei Dominus, et locum quidem pro gloria, diem pro merito, socialis vero pausationis triumphum pro meritorum suorum prærogativa sortitus est.

Hujus gloriosi præsulis fidem et devotionem secutus est frater quidam, non minus sanctæ conversationis odore quam naturali nomine Balsamus, qui erat monachus S. Anastasii, quod est Cisterciensis Ordinis cœnobium ad Romanæ urbis mœnia situm. Hic cum venisset aliquando propter injuncta sibi negotia ad B. Bernardum in Claramvallem, vidissetque sanctæ et numerosæ illius congregationis disciplinam, in observantia sacri Ordinis maturitatem, concaluit cor ejus in ipso, et in meditatione illius

Digitized by Google

exarsit ignis, ita ut si non charitas, quæ nequaquam quæ sua sunt quærit, aliud imperasset, vivere et mori in Claravalle cunctis divitiis et deliciis mundi præposuisset. Ne tamen vacuus inde recederet, et tam religiosum desiderium debita mercede privaretur, humillimis precibus a sancto abbate petiit, et pro fervore suæ devotionis obtinuit, quatenus in obitu ipsius plenarium ei servitium a conventu Clarævallis persolveretur. Quo adepto Claramvallem jam suam, seque monachum Clarævallis reputans, exsultabat in Spiritu sancto, reversusque ad propria, solebat ab illo tempore singulis fratribus Clarævallis, quorum obitum cognovisset, singularia semper reddere officia; et insuper unoquoque anno duodecim missas pro cæteris omnibus, quorum finem ignorabat. Hic itaque vir devotissimus, licet in curis monasterii, quibus admodum utilis ac necessarius erat, obedientia cogente, assidue detineretur, hanc tamen sibimetipsi temporis partem redimere studuit, ut inter easdem occupationes, præter communes observantias Ordinis, et alia bona, quæ solo Deo conscio faciebat, singulis diebus per octo annos diceret Psalterium, et ad minus quotidie disciplinam acciperet. Quam vero placita Deo fuerit sancta conversatio ejus, hoc unum quod subjicimus miraculum manifeste declarat: Missus aliquando pro negotiis monasterii sui ad domnum papam Alexandrum, qui tunc in Francia morabatur, casu incidit in manus quorumdam schismaticorum, qui pseudopapæ Octaviani partem tuebantur. Moxque de mula cui insidebat injuriose depositus, retrudi in custodiam jubetur. Unus autem ex eisdem raptoribus super mulam hominis Dei insiliens, cum secum eam ducere vellet, illa miris gestibus et saltibus recalcitrans, et quasi pro domino suo pugnans, ire penitus recusavit. Cumque calcaribus et flagellis innoxium animal undique cæderent, vinci omnino non potuit, sed magis retrogradis passibus incedens, et semper in vetitum nitens, conatus omnium superavit. Videntes itaque schismatici divinitus agi contra se miraculum, tandem victi tædio pariter et miraculo, virum sanctum dimiserunt, præcipientes ut eamdem mulam coram eis ascenderet et abiret. Illa vero mox cum tota mansuetudine recepto Dei famulo, mirantibus universis, sine ulla cunctatione vel coactione processit, ambulans alacriter, et portans dominum suum, quem læta recognovit. Porro desiderium illud moriendi in Claravalle, quod pridem fecunda devotione conceperat, quotidianis incentivis auctum, semper in corde ipsius vivebat. Appropinquante vero vocationis ejus die, qui soli Deo cognitus erat, cui desiderium pauperum exaudire familiare est, ipso Domino, qui omnia ad salutem electorum suorum operatur, disponente, etiam ad domum Clarævallis, quam locum dormitionis et sepulturæ sibi fore semper optaverat, alia quidem occasione venire meruit. Contigit namque ut supradicta domus S. Anastasii, quæ est filia Clarævallis, cujus erat ipse devotissimus monachus, spirituali pastore vacaret. Quapropter ab ipso summo pontifice et a fratribus suis missus domum adiit Clarævallis, ut novum inde abbatem ad arbitrium Patris ejusdem loci assumeret; magis autem missus a Domino venit, ut de mundi hujus pelago egrediens desiderii sui portum jamjamque teneret.

Dum ergo per dies aliquot ibidem moraretur, et de omnibus, quæ in sancto illo conventu videbat et audiebat, ædificaretur, compungeretur et ad devotionem excitaretur, contigit unum de fratribus præsentis vitæ finem sortiri. Cumque tabula defunctoria sonante grandis illius cœtus, monachorum scilicet atque conversorum devotissimum concursum et occursum videret, commendationis quoque solemnem exsecutionem, et in elatione funeris cantus pietatem magnæque multitudinis extensam et ordinatam processionem, sacerdotum etiam ac minis-

A strorum pro anima defuncti fratris hostiam salutarem immolantium sacrum obsequium, psalmodiæ nihilominus circa defuncti corpus religiosas excubias, totus in affectu pietatis resolutus, et hujus beneficii, quod semper optarat æstuanti corde participium mereri desiderans, cum gemitu valido petivit animæ suæ ut moreretur, ex intimis medullis cordis clamans ad Dominum, et dicens: *Moriatur*, Domine, *anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII). Exsequiarum vero solemniis rite celebratis delatoque ad tumulum corpore, dum, sicut moris est, tam poviter sepeliendi quam cæterorum fratrum ibidem pausantium sepulcra conventus amplissimo ambitu in modum coronæ gyraasset, explicitis jam psalmis sepulturæ attinentibus, Antiphona, *Clementissime Domine*, ab universitate fratrum dulci modulatione decantabatur. Interim vero prædictus servus Dei, oculos non curiositatis sed pietatis indices circum-
B quaque ducens ac reducens, sanctam illam multitudinem velut angelicum chorum lætus intuebatur, totusque dulcedinis ac devotionis affectibus in semetipso liquescens, quoniam in vita sua unum ex ipsis fieri non licebat, nimirum obedientia renitente, ut saltem moriendo unus ex eis fieri mereretur, ferventis desiderii æstibus optabat et orabat. Antiphona itaque percantata, dum in clausula ejus ubi dicitur, *Domine, miserere super peccatore*, cuncti solito more veniam peterent, et pro anima defuncti fratris supplices exorarent, servo Dei eamdem veniam cum cæteris petente, atque eumdem sermonem ardenti pietatis spiritu oranie, rupti sunt fontes oculorum ejus, largissimoque lacrymarum imbre faciem rigans, non solum defuncto requiem, sed et sibi celerem in eadem domo vitæ terminum postulabat. Mox igitur divina clementia desiderium servuli sui effectui mancipare volente, in ipso loco invasit eum peremptoria febris, quæ illum usque ad
C exitum variis incommodis vexans, et subrepentium delictorum, sine quibus præsens vita non ducitur, rubiginem purgans, voti sui compotem tam feliciter quam celeriter fecit. Sequenti vero nocte, cum membra sopori dedisset, apertum est ei cœlum, et vidit in eo Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque beatissimam genitricem Dominam nostram, nec non et S. Bernardum aliorumque sanctorum multitudinem copiosam cum gloria magna, quorum felicissima visione ita lætatus est, ut jam se quasi unum ex eis reputaret. Crescente autem languore in multa patientia gratias agebat Deo, oris confessione, cordis contritione, et sanctæ precis devotione, portionem sibi in terra viventium dari precabatur, sicque ad extrema deveniens infra decimum diem sancto fine quievit: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum* (*Psal.* CXXVII): qui bona quæ in aliis videt veneratur et diligit; et licet ipse pro viribus virtutum studiis invigilet, bravium
D tamen laboris sui fraternis meritis intervenientibus plenius et perfectius se consequi posse præsumit, si eorum quos meliores se reputat, consortium, vel in vita vel in morte adipisci potuerit. Ecce servus iste Dei, cujus vere felicem consummationem descripsimus, doctus a Deo, de virtutibus suis non altum sapere, sed pro imperfectione sua semper timere, dum sanctissimæ congregationis beatam societatem votis ardentibus concupivit; quod viventi virtus obedientiæ denegavit, ejusdem obedientiæ piissimus remunerator morienti benigne restituit, ipsumque ineffabili gloriæ eorum, quæ solis perfectis monachis debetur, associavit in cœlis, quorum sacris cineribus vel in sepultura sociari humilibus votorum suspiriis præoptavit in terris.

CAPUT IV

Item de converso, qui petivit a Domino ut in Claravalle moreretur.

Hanc autem moriendi in Claravalle gratiam, non

Digitized by Google

huic soli tantum, sed et nonnullis aliis divina novimus largitate concessam, sicut etiam nostris temporibus cujusdam servi Dei tali desiderio vehementer æstuantis gaudium impletum vidimus et lætati sumus : atque ad portandum pondus diei et æstus sub disciplina Clarævallis non mediocre incitamentum sumpsimus. Instabat aliquando tempus generalis capituli, et abbates Cisterciensis Ordinis de universis mundi partibus Cistercium festinabant. Inter quos abbas quidam de filiis Clarævallis abbatizans in regione Hispaniarum longo et laborioso itinere generationis suæ matrem, id est Claramvallem, adibat, habens secum in comitatu conversum quemdam moribus honestum, devotione præclarum. Is aliquoties audiens in patria sua nectaream famam de religione et sanctitate domus Clarævallis, incitabatur spiritu, desiderans videre Claramvallem, cui clarissimus abbas claritate sanctitatis clarum nomen in orbe dedit. Iter itaque capituli adorsus, quanto magis approximabat desideratæ Clarævalli, tanto magis optabat, si fieri posset, non solum eam videre, sed etiam sortis extremæ funiculum in ea sortiri. Ubi vero adeo contiguus factus est, ut eminus sacri templi pinnaculum prospicere posset, devotionis unguentis ad aspectum reverendi loci charitatis igne bullientibus, totus ad pietatem liquefactus est, elevatisque manibus et oculis ad cœlum, brevem quidem, sed fidei plenitudine sincerissimam precem effudit ad Dominum, quodammodo exclamans et dicens : « O Domine, si petitio pauperis et peccatoris non displicet majestati tuæ, sit, quæso, sacer iste locus, qui tantarum sanctarum animarum tecum jam regnantium pignora servat, requies mea in sæculum sæculi. Hic Domine, si dignaris, pausem, quoniam elegi eum. » Ingressus itaque locum tabernaculi admirabilis quod fixit Deus et non homo (*Hebr.* VIII), specialis patroni et tutoris ejusdem loci, scilicet S. Bernardi, nec non et insignis collateralis ipsius B. Malachiæ tumbas simpliciter veneratus est, et ut desiderii sui celerem consequi mereretur effectum, devote precabatur Nec tardavit piæ petitionis effectus, sed repente cœpit viribus corporis destitui, lectoque ægritudinis receptus, sic lætus et alacer ad agonem mortis, quasi ad epulas invitatus, properabat. Sane postquam eo prodente, et abbate ipsius testimonium perhibente, tam monachis quam conversis innotuit, illum ob desiderium moriendi in Claravalle, hanc sibi a Domino celerem mortem impetrasse, sacer ille conventus oppido gratulatus est, sicque feliciter morienti pie congaudens, sanctissimo collegio suo migrantem votis et desideriis bonæ voluntatis associavit. Ipse sacramentali oleo inunctus, et viatico Dominici corporis et sanguinis munitus, infra paucos dies, abbatibus qui in Nativitate sanctæ Mariæ Claramvallem ante capitulum Cisterciense convenerant, ibidem adhuc, ni fallor, demorantibus, in medio tantæ et tam sanctæ multitudinis, abbatum videlicet et monachorum et conversorum, sicut desideraverat, fraternis orationibus protectum spiritum exhalavit. Cujus exsequias magni et reverendi cœtus illius frequentia solemnibus et devotis officiis celebrans, terramque terræ adjiciens, mirabilem Deum in sanctis suis, qui quantum apud se sincera supplicum vota valeant, in hoc paupere suo demonstrare dignatus est, in commune glorificabat.

Cæterum quis ambigat per divinæ bonitatis abundantiam nonnullis quandoque concedi, quod sibi in se deest meritorum, alienis meritis debere suppleri, et quia ubi infirmus et imperfectus quisque Ecclesiæ in religione perfecte incorporatur, perfectorum meritis imperfectorum tegi deformitatem, dummodo iidem imperfecti pura intentione perfectionis et sacræ religionis pro modulo suo imitatores effecti de hoc mundo rapiantur, sicut Psalmista canit, quia, *cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris?* (*Psal.* XVII.) Nec solum religiosa quælibet Ecclesia credenda est in membris suis adhuc in carne peccati strenue militantibus infirmos meritis et precibus fovere, atque protegere, exitumque munire, verumetiam multo magis in membris suis post sacræ peractæque militiæ sudores, emeritorum requie et beatitudine gloriosis id speranda est actitare, quemadmodum quidam perfectæ religionis senior de fratribus Clarævallis, qui gratiam videndi quandoque res invisibiles a Domino acceperat, testatus est, dicens morientibus fratribus animas jam carne solutas ad animam carne solvendam non minori, vel potius majori frequentia et devotione, quam carnem adhuc vegetantes occurrere, atque et malignorum spirituum cum multa truculentia ex adverso occurrentium maliosas accusationes evadere, verique luminis, et æternæ beatitudinis participium consequi possit, officiosissima charitate insistere. Quapropter, sicut non immerito felices pronuntiamus eos qui exercitatione duræ et laboriosæ pœnitentiæ tam vivorum quam defunctorum fratrum suffragiis morientes fulciri merentur, sic nimirum miseros, et, ut ita dixerim, omnibus hominibus infeliciores plangimus eos, qui cur habitum religionis assumpserint, non attendentes, sed vitam suam morum corruptione depravantes, etsi viventium honestis obsequiis tumulo inferantur, tamen nec vivorum nec defunctorum opitulationibus quidquam consequuntur, sed qui spinas dissolutionis seminaverunt, ignem æternum malitiæ suæ stipendium sortientur.

CAPUT V (51).

De religioso viro cujus exsequias animæ defunctorum visæ sunt celebrare.

Enimvero si cui fortassis scrupulum movet quod præfatus senior dixit fratribus ex hac vita decedentibus animas carne solutas ad exitum morientium occurrere, nullatenus, quæso, vel sancto viro ista dicenti, vel nobis ea quasi falsa scribentibus succenseat, sed patienter sustineat, et veraci testimonio nos asserere comprobabit, hæc non solum specialiter a sanctis viris cognita, sed etiam omnipotentis Conditoris nutu etiam carneis oculis et corporalibus auribus visa et audita quandoque fuisse quatenus tanto minus mortalis homo de misera seu beata vita animæ post mortem secundum meritorum qualitatem dubitet, quanto perspicacius subtilem et invisibilem ejusdem animæ substantiam ad nutum Creatoris cui omnia possibilia sunt, in carne viventibus conjungi, et, ut ita dixerim, admisceri deprehenderit, præsentemque vitam, quam caducam atque transitoriam non ignorat, funditus despiciens, ad illam ad quam per momenta singula decurrit, omni sollicitudine bonis operibus invigilando se præparet. In partibus minoris Britanniæ erat aliquando homo quidam sæcularis, qui licet sæcularibus negotiis deditus, curæque rei familiaris intentus esset : erat tamen fidelis et timoratus atque in observantia mandatorum Dei pro modulo suo devotus. Inter cætera vero bona, quæ vel publice vel privatim solo Deo testante faciebat, talem sibi fecerat consuetudinem, ut ad ecclesiam vadens sive rediens, seu quacunque alia occasione cœmeterium transiens, pro animabus fidelium ibidem pausantium devotam Domino precem libaret. Contigit vero ut expleto tempore vitæ suæ de hoc sæculo nequam migraturus, lecto decumberet. Cumque jam morti se vicinum sentiret, mediis noctis tenebris misit ad presbyterum suum, rogans ut ad visitandum se cum Dominico sacramento venire dignaretur. Presbyter vero segnitie pressus, et heu ! plus diligens commodum carnis suæ quam salutem

(51) Historiæ capitum 5 et 6 piæ sunt utinam certæ

Digitized by Google

animæ parochiani sui, pergere recusavit; diaconum tamen suum, nomine Danielem, bonæ conversationis virum vice sua destinavit. Qui libenter obediens et jussa celeriter complens, postquam morienti viaticum tradidit, ad propria redire non distulit.

Mox ergo ut pauperculus ille, sed meritis dives, infirmus, perpetuæ sanitatis et non perituraram divitiarum largitorem Christum Dominum ad muninen sui recepit, lætus hominem exuit, et cum illo, ut credimus, qui pauperum susceptor fieri dignatus est, paradisi portas ingressus, lucidas beatorum spirituum mansiones accepit. Diaconus vero rediens, ubi ostio ecclesiæ appropinquavit, invenit illud apertum, quod clausum firmissimeque obseratum dimiserat. Unde cum multum obstupuisset, et ancipites mente versaret cogitationes, ita mox divina virtute in eodem loco defixus est, ut se inde movere non posset. Et ecce repente in cœmeterio illo audita est vox clamantis atque dicentis : « Surgite, fideles universi, surgite quantocius, et exite de tumulis vestris, quotquot in isto cœmeterio requiescitis, ut convenientes in ecclesiam commendemus animam defuncti hujus charissimi nostri, et rependamus ei vicem beneficii sui. Quoties enim per hoc cœmeterium transire solebat, toties pro nobis orationem specialem facere consueverat. » Ad hanc vocem cœpere velociter exsurgere mortui, factusque est fragor atque tumultus grandis, cum egrederentur de tumulis suis. Porro in ecclesia videbantur cerei multi hinc inde parietibus affixi, qui eamdem basilicam copioso lumine illustrabant. Quam cùm defuncti illi ingressi fuissent, cœperunt ibi suavi melodia Dominum in commune laudare, et commendationis officium solemniter decantare, ita ut, uno dicente, collectas et orationes, alii subjungerent, *Amen*, cæterasque responsiones, quemadmodum in choro psallentium fieri solet. Commendatione vero expleta, clamatum est denuo ut singuli reverterentur ad sua loca. Quibus egressis de oratorio, factus est iterum sonitus et collisio tumulorum, quando se in eis recollocaverunt. Tunc paulatim cœperunt deficere luminaria illa quæ in ecclesia videbantur, quousque penitus exstinguerentur. His ita completis, solutus est clericus ille, de loco in quo fixus hærebat, et intrans oratorium reposuit ibi sacramentalia vasa, quæ secum detulerat. Qui cum ad mansionem presbyteri rediisset, ille trutina inertiæ suæ metiens alios, et neminem profunda nocte facile vigilare reputans, quasi miseratus hominem pro labore, rogabat eum citius stratum repetere ac dormire. Cui ille respondit : « Non est mihi modo pausandum; sed tibi potius surgendum atque laborandum. Jam enim defunctus est æger, ad cujus exsequias procedere nos oportet. »

Vix verba finierat, et ecce nuntius venit, supradicti viri obitum nuntians, adventumque presbyteri flagitans. Surgens itaque licet invitus sacerdos, cum diacono sine mora perrexit, et debitum pio funeri obsequium impendit. Porro diaconus ille beneficio gratiæ Dei tam dignanter se visitantis nequaquam ingratus existens, sed de visione quam viderat affectus vehementer atque compunctus, omnia quæ vel in re, vel in spe habere poterat, reliquit; exiensque de terra et de cognatione sua Turonis in monasterio S. Martini religionis habitum suscepit. Ubi etiam religiosam vitam ducens, fideliumque defunctorum memoriam agens, proficientibus meritis postmodum prior ejusdem Ecclesiæ constitutus est. Præfatam vero revelationem quibusdam familiaribus suis secretius innotuit : quæ tamen ob mirandam rei novitatem silentio tegi non potuit; sed ad notitiam ejusdem loci abbatis celerius pervenit. Qui de re tam incredibili, aut probabiliter edoceri, aut eam penitus reticeri volens, coadunato fratrum cœtu in capitulo coram omnibus, eumdem priorem super hujusmodi verbo convenit, districte præcipiens atque in virtute obedientiæ adjurans ut veritatem ab eis non celaret. Qua ille tandem adjuratione constrictus, licet verecundiæ suæ parci voluisset, ne in publico hoc fieret, tamen ad honorem Dei et ad ædificationem proximi, quod sibi acciderat verecundus ac pavidus explicavit. Cognita igitur veritate prædictus abbas, cum esset vir bonus et religiosus, super tam inauditis mirabilibus prognosticæ hujus revelationis sacrum futuræ resurrectionis mysterium quodammodo præsignantis, gratias egit Deo, generalemque legem in cœnobio suo sanciens, præcepit ut quotiescunque cœmeterium aliquos de fratribus intrare contingeret, toties pro fidelibus ibidem pausantibus ad minus semel Orationem Dominicam dicere non pigritarentur.

Nemini ergo frivolum vel absurdum videatur quod diximus animas defunctorum fratrum decessui morientium fratrum quandoque interesse, atque ut ab instantibus tunc periculis eruantur propensius elaborare, cum præsenti manifeste doceamur exemplo tanto tunc eas ad succurrendum ferventius et devotius insistere, quanto quis in hac vita earum memoriam habere, atque ad mitigandam districti judicis sententiam precum suarum suffragia impendere sollicitior fuerit. Nam quid aliud etiam nobis innuitur per hoc quod de beatæ memoriæ D. Gaufrido Sorensi quondam episcopo supra in hoc volumine continetur (52), quia scilicet dum adhuc esset monachus in Claravalle, vidit manifeste quadam nocte infra vigilias sacras psallens alacriter et orans ab aquilonari parte ecclesiæ, id est ab atrio in quo defunctorum fratrum corpora pausant, multitudinem magnam candidatorum venientem, quæ perante gradum presbyterii transiens, ostium quod ad infirmitorium vergit egressa est, cum eodem momento in infirmitorio quidam bonæ conversationis senex in extremis agens agonizaret, nisi hoc, quod beatæ fratrum defunctorum animæ fratrem corruptibilis vitæ induvias exuentem in suum consortium recipere, atque malignorum spirituum phalangas calumniari eam cupientium propulsare veniebant? Quantum vero intelligimus, hæc de illis animabus solummodo sentienda sunt, quæ ab omni culpa simul et ab omni pœna emancipatæ, beatitudinis æternæ felicitatem jam adeptæ sunt, similiter et de illis morientibus, qui transactæ vitæ religiosa conversatione hoc meruerunt, ut beatarum animarum præsidiis in periculo mortis fulciantur.

CAPUT VI.

De milite a periculo mortis per fidelium animas liberato

Quia tamen relatione memorabilis hujus miraculi ostendimus, qualiter fidelium animæ pro se devote oranti vicem beneficii sui in morte ipsius impenderint, libet nunc referre quomodo quidam studiose pro fidelibus defunctis orantes, seu eleemosynas pro eis facientes, etiam de præsentis vitæ periculis et de inimicorum gladiis cervicibus suis imminentibus earumdem animarum opitulatione liberati sunt, quatenus religiosus quisque mercede laboris sui se privandum esse non certus existat, si affectum compassionis et actum subventionis porrigat animabus juxta sententiam justi judicis Dei, vapulantibus; cum etiam sæculares nonnulli, qui in hac parte devotionis ferventiores exstiterunt, extremæ calamitatis pericula propter hoc pietatis negotium evasisse cognoverit. Constat enim compassionis affectu nil Deo esse acceptius, quandoquidem summæ miserationis pietas summam divinitatis beatitudinem ad subveniendum miseris de cœlis ad terram descendere fecit, et quia defunctorum animæ quæ jam per se mereri nil valent, tanto gratius suscipiunt

(52) Supra dist. III, cap. 21.

Digitized by Google

nterventionis beneficium sibi a viventibus impensum, quanto per hoc pœnas suas aut mitigari, aut citius finiri sentiunt, quas, peccatis suis exigentibus, duras vel diuturnas fore debuisse non nesciunt. Igitur miles quidam in actu et habitu sæculari, sæcularem animum bonorum operum studiis reprimere satagebat, seque mortalem esse, et tempore suo moriturum fore crebro recogitans, mortuorum memoriam apud Deum prece et devotione qua poterat, frequentius faciebat. Decreverat namque ut nulla unquam necessitate, nulla festinatione atrium ecclesiæ transiens præpediretur, ut non stans facie ad orientem versa Dominicam Orationem pro fidelium animabus intente diceret, Dominumque defunctis misereri suppliciter oraret. Contigit vero ut ab inimicis suis insidiantibus sibi quadam vice ita repente circumveniretur, ut aut in instanti periculum mortis incurrere, aut vitam fugæ præsidio tutari necesse esset. Cursu itaque rapidissimo fugiens, casu accidit ut ad clausuram qua cœmeterium cingebatur currendo deveniret. Quia vero competentiorem compendii semitam ad effugiendum quos fugiebat, non inveniebat, citis saltibus clausuræ introitum per medium cœmeterium transiliens, cœpto cursui anhelus instabat. Verum inter currendum consuetudinis suæ, quam multo tempore illibatam servaverat, recordatus, concidit corde, et quid sibi in tanto rerum discrimine faciendum esset, æstuanti mente pensabat. Aut enim debitum spirituale cum periculo vitæ fidelium animabus persolvendum erat, aut debiti prævaricatorem coram justo judice Deo, qui in se confidentes in quantumlibet arcto necessitatis articulo servare potest, conscientia reum tenebat. Sed quia in tanta temporis et discriminis angustia diu deliberandi spatium non habebat, vicit cito pietas fidei metum corporeæ fragilitatis, decrevitque contempta morte fidelibus defunctis solitum precis subsidium nequaquam subtrahere; sed, si ita placeret Altissimo, supra tumulos eorum pro quibus orabat gladiis inimicorum confossus occumbere.

Itaque suppresso cursu gradum sistit, turbatumque tranquillans animum, facie, sicut solebat, ad orientem versa, Dominicam Orationem tanto sinceriori pietatis affectu dicere cœpit, quanto se hanc novissimam ad Deum fundere precem, et quasi ultimum vale fidelibus defunctis offerre existimabat. Interim vero crudelissimo lethalis odii livore exagitati rapidis passibus advolant inimici, cernentesque reverenter stantem virum, cujus sanguinem sitiebant, metu mortis diriguisse putabant; et quasi jam voti sui crudelem effectum habituri de scelere in continenti, ut sperabant, perpetrando, impie quidem, sed non impune tripudiabant. Nam ubi præcipitatione furibunda in insaniam versi, septa cœmeterii irrumpere, immunitatem ecclesiæ Dei violare, et hostiam submissa cervice inclinatoque capite stantem imitatione primi fratricidæ immolare festinabant, ecce repente vident armatorum multitudinem magnam totum cœmeterium replesse : quam defunctorum animas fuisse, pro quibus ille orabat, non improbabiliter credimus : quæ etiam intercessorem suum stipata corona ambientes, ut orationem quam pro eis inchoarat, absque impedimento perficere posset, sancta sollicitudine observabant, in adversarios vero gladios et hastas terribiliter vibrabrant. At vero Deo odibiles illi solo maligni desiderii voto homicidæ, videntes tam subitam rerum mutationem, et armatorum turbam sibi imminentem, stupefacti et mente consternati fugam velociter iniere; et qui alienam vitam crudeli occisione perimere venerant, emolumenti maximi loco reputabant, si suam fugæ præsidio servare potuissent. Devotus autem ille orator nil tale videns vel sentiens, postquam orationem suam complevit, cursum quem pietatis intuitu tantæ necessitatis articulo constrictus omiserat, repetens, pernici celeritate velut insequentium se inimicorum manus fugiens probe aufugit; et quia gladios furentium inimicorum, et de tam proximo sibi imminentium evadere potuisset, miratus expavit.

Cæterum post aliquantum temporis inimicitiarum nube charitatis ardore dissipata, pacisque pulchritudine inter partes stabiliter redintegrata, cum familiariter ab invicem quærerent, illi quidem, quid causæ exstitisset, quod, mortis articulo sibi imminente, immobilis stans de loco non motus fuisset; ille vero, cur vitæ ipsius pepercissent, cum opportunitatem perdendi eum nacti fuissent, cognita ab alterutro mysterii veritate, Dominum, qui facit mirabilia magna solus, magnifice collaudabant; et tam ipsi quam etiam plures alii qui tam grande miraculum percipere potuerunt, ad orandum pro fidelibus defunctis non mediocriter accensi sunt : quod utinam et nos et omnes quos hæc legere vel audire contigerit, religiosa devotione imitari non pigritemur! Quam stupendum, quantoque admirationis præconio dignum censebitur illud, quod de Eusebio Siciliæ duce divinitus factum per plures jam orbis partes, etiam per scripturam divulgatum est. Is enim cum haberet adversarium principem quemdam, qui divitiis multis et gloria terreni culminis exaltatus spem suam in robore et multitudine exercitus sui ponebat, ipse fiduciam suam Deo committens, pro liberatione animarum fidelium multa bona faciebat; et magno vere Dei miraculo per exercitum animarum sibi de cœlis missum niveis et equis et armis optime adornatum, tam ipsum æmulum suum quam cunctum exercitum ejus in deditionem recepit, atque per admonitionem earumdem animarum, pro impensis sibi ab eo beneficiis gratias agentium, et ad subveniendum defunctis exhortantium, confortatus, multo plura bona pro liberandis animabus fidelium, quam antea faciebat, per civitates et ecclesias suæ ditioni subjacentes agere decrevit. O quam certus de victoria esse poterit, qui pietate et precibus pugnat! O quam irrefragabili veritatis testimonio subnixa est sententia, qua dicitur, quia « qui pro alio orat, pro seipso laborat, » sicut huic religioso principi de quo loquimur, in summo honoris sui discrimine; et item devoto militi, cujus supra meminimus, in supremo vitæ suæ periculo tam feliciter quam excellenter experiri donatum est. Si enim pietatis opus esse creditur fideles pro fratribus et proximis, qui adhuc justitiæ opera exercere præmiaque justitiæ promereri valent, orare, quanto magis negotium pietatis omni acceptione dignum esse censebitur pro animabus fidelium intercedere, quæ jam nec opera justitiæ, per quæ bona merita conquæruntur, operari, nec ultra ad pœnitentiæ remedia confugere valent, sed solummodo peccatorum et negligentiarum suarum pœnas justa Divinitatis censura solvere coguntur?

CAPUT VII.

De sacerdote qui, dicens : « Requiescant in pace, audivit multas voces respondentes : « Amen. »

Verumtamen licet per se ultra operari nil valeant, pro se tamen laborantibus miro atque jucundo Dei omnipotentis dono collaborare, et quodammodo congratulari quandoque deprehenduntur, sicut ante multos annos cuidam religiosæ conversationis monacho accidisse certissima seniorum relatione audivimus, etiam et scripto ad posterorum memoriam signatum simus. Apud provinciam, quæ Germania trans Rhenum dicitur, quæ vulgo Saxonia vocatur, in cœnobio, quod de Ordine Cluniacensi infra muros Parbrunnensis civitatis constructum, nomini SS. apostolorum Petri et Pauli attitulatum est, fuit priscis temporibus, dum adhuc Cluniacensis Ordo in statu suo vigeret, monachus quidam, secundum nomen suum Christum amans, nam Amo naturali nomine vocabatur. Hic cum esset sacerdotali honore præditus, officium sanctum moribus

Digitized by Google

sanctis adornare curabat, et divina mysteria devotione, qua spiritualem ministrum decebat, celebrabat. Ut autem tanto devotius quanto secretius incontaminatum sacrificium in arca contriti cordis offerre posset, capellulam quamdam in honore sancti Alexii consecratam, et ab oratorio ejusdem loci cœmeterio tantum interjacente remotam, causa dicendæ missæ frequentare solebat : unde et ipsum cœmeterium reciprocato itinere assidue terere necesse habebat. Ad sacram vero ædem vadens aut inde rediens, manum devotæ orationis absque tædio identitatis porrigebat fidelibus defunctis : et quo se transactis diebus suis incinerandum fore recogitabat, incineratorum piacula pie pensans, eorum supplicia mitigari suppliciter precabatur. Factum est autem in una dierum, dum celebratis sacris mysteriis rediret, et pignus sanctæ orationis iis quibus eum debitorem pietas effecerat, impigre, sicut solebat, persolveret, completaque oratione in conclusione subjungeret : « Requiescant in pace, » audivit manifeste magnæ multitudinis turbam respondentem sibi, et dicentem : « Amen, amen. » Quod ubi audivit, totus intremuit : et has voces esse animarum pro quibus orabat, reputans, tam contiguas eas sibi invisibiliter esse, miratus expavit, bonæque consuetudinis usum, quem eatenus devote servarat, tanto deinceps propensiori vigilantia persecutus est, quanto devotionis suæ obsequium acceptabile Deo, fideliumque animabus gratum et fructuosum existere tam inusitati miraculi novitate lætus agnovit. *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (*II Mach.* XII).

CAPUT VIII.

De puero qui post mortem peccata sua confessus est (53).

O æterna Dei Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, sed tamen disponens omnia suaviter (*Sap.* VIII)! quæ per prophetam dicis : *Misericordia mea non deficiet, et miserebor cujus misereri voluero* (*Exod.* XXXIII). Quid amplius, quid excellentius, quid dulcius de tua piissima benignitate humana natura peccatis et vitiis obnoxia exspectare poterat quam hoc quod pauperum tuorum sic pie misereris, scilicet ut mirabili nimis, et solum omnipotentiæ tuæ possibili commercio inter mortuos et viventes discurrente, illi quidem culpas et negligentias suas, quas carnem vegetantes minus correxerant, viventibus prodant; et sanctæ orationis subsidium propensius quærant; isti vero animas in tremendo jam examine tuo constitutas, datæ sibi potestatis auctoritate absolvere præsumant; singularis quoque sacrificii devota oblatione cum sanctæ precis assiduitate, ad gaudia paradisi sublevare prævaleant? Sed ecce, o benignissime, o misericordissime Fili Dei vivi, et fili B. virginis Mariæ, Domine Jesu Christe, adhuc aliquid sublimius et dulcius nobis de melliflua petra dulcedinis tuæ profluxit, dum sacramentum videlicet confessionis, profundos et inenarrabiles gemitus contriti cordis, baptismum quoque amarissimarum pœnitentiæ lacrymarum uni ex pusillis tuis, quanto magis, indebite, tanto magis pie concessisse probaris; et quod infirmitatis humanæ naturæ præsumere non auderet, ut fieret, hoc immenso pietatis tuæ munere factum merito inter maxima laudis tuæ præconia deputando miratur. Obsecro autem eos, qui hæc lecturi sunt, ne iis quasi falso conscriptis derogare velint, quia nostra jam memoria res acta est, sicut hodieque nonnullæ probabiles personæ de Ordine Cisterciensi testificantur. Beatæ itaque memoriæ D. Hugo Bonævallis abbas, quanta spiritualium charismatum gratia decoratus fuerit, cunctis qui tantum virum nosse, vel famam virtutum ejus percipere potuerunt, liquet. Hic in obsequio suo puerum cursorem habebat, qui vivacitate et agilitate servitii sui ad itineris commoda pernecessarius exstitit : ideoque tam ipsi abbati quam cæteris exteriora negotia curantibus charus et acceptus erat. Contigit vero, ut in dimidio dierum adolescentiæ suæ horrendum spiritus ac carnis subire divortium, duræque mortis, quæ nec ætati nec conditioni parcit, crudele vectigal solvere cogeretur. Gravi namque repente corporis invaletudine correptus, dum florentis juventutis suæ vigorem quotidianis defectibus marcessere gemeret, experimento didicit quam veraciter Sapiens dicat, quoniam *adolescentia et voluptas vana sunt* (*Eccle.* XI). Tandem vero de præsenti vita desperans, cœpit de futuræ vitæ statu, quantum pondus ægritudinis patiebatur, vel potius, prout pius Dominus inspirare dignatus est, pavida mente cogitare, seque lubricæ ætatis impulsu contra Deum ac Creatorem suum multa deliquisse mœstus illacrymans, confessionis remedium velut unicam tabulam in hujus sæculi magno et spatioso mari naufragantium quærere. Sed utrum subripiente mortis articulo, quod pie desiderabat minime consecutus sit, an confessus confessoris sui simplicitate vel negligentia canonice absolutus non fuerit, ignoramus : tamen quod ab iis, a quibus tam moriens quam defunctus juvari debuerat, minus quam tali adolescentulo, uni utique ex pusillis Domini expediret procuraretur, confessionis post mortem carnis factæ mirabilis probat eventus. Supradicto nempe venerabili abbati Hugoni quadam nocte in stratu suo quiescenti idem adolescens jam defunctus in visu apparuit, mœrentis atque in angustia constituti supplicem vultum et habitum prætendens. Denique, cum multa reverentia accedens, et genua sua super genua sancti abbatis decenter componens, manus quoque supplices contra pectus ipsius protendens, supra venerabiles jacentis artus sic quasi ad orationem procubuit, atque ut confessionem suam recipere dignaretur, lacrymosa prece rogavit. Dehinc distinctis prorsus causarum eventuumque articulis in quibus se peccasse dicebat, confessionem flens et ejulans fecit : inter quæ in nonnullis etiam criminalibus se cecidisse, cum tantis suspiriis tamque largo lacrymarum profluvio fassus est, ut vix in vivente aliquo tantæ contritionis et compunctionis amaritudo possit inveniri. Confessione autem facta profundiores adhuc gemitus edens, uberioresque lacrymas lacrymis superaddens, cum maxima contritione cordis suppliciter precabatur ut sui misereretur, sibique supernum Judicem justis mitem, peccatoribus terribilem, sed pœnitentibus veniam promittentem, suis sanctis orationibus placatum redderet dignaretur. Interim vero religiosus abbas ad tantæ compunctionis lacrymas et suspiria per compassionis pietatem totus in semetipso liquescebat; et dum miseri angustiis per miserationis latitudinem respondere conatur, evigilat, secumque quod viderat et audierat mente pertractans, dum se ad compassionem defuncti intimis quibusdam stimulis urgeri sentiret, vanam non esse visionem intellexit. Ut vero totius dubietatis scrupulus de corde ipsius tolleretur (mirum dictum!) mira omnipotentis Dei clementia, quod spiritualis substantia spiritualiter gessisse visa fuerat, materiali experimento in assertionem veræ visionis ei probare concessum est. Nempe, dum locum in quo pœnitens anima pœni-

(53) Certa est hæc historia, de qua in notis tomi III, *Biblioth. PP. Cist.* ad distinct. III, cap. 25, fusius agitur. Hic solum nota, non recte hic dici, suffragiis viverum animam pœnis æternis subductam cum nullum peccatum mortale remittatur, nisi in hac vita : quo remisso, non est anima pœnis infernalibus addicta, ut inde egeat liberari.

Digitized by Google

tentiæ lacrymas fundens procubuerat, manu tangendo palparet, ita opertorium quo tegebatur, madefactum repetit, ac si spiritus, qui easdem lacrymas spiritualiter fudisse visus fuerat, liquidi elementi humorem in se habuisset. Sed in his similibusque divinæ potentiæ mirabilibus, si rationis consulatur sententia, quæ dicuntur, incipiunt esse incredibilia; sin vero virtus agnoscatur divina, desinunt esse mirabilia. Itaque reverendus abbas ex hoc jam nihil hæsitans, animam, quam sibi ad succurrendum Christi Domini clementia destinarat, in capitulo fratrum absolvens, et tam suis quam fratrum suorum orationibus, missarumque celebrationibus devotis, satisfactionem pro peccatis ejus offerens Deo, miseram et ream æternæ mortis suppliciis subduxit, immortalisque beatitudinis, ut pie credimus, per gratiam Dei participem effecit, sicque, quod impossibile erat apud homines, violentia sanctæ charitatis, cui etiam impossibilia cedunt, apud Deum possibile esse ostendit.

CAPUT IX.

De priorissa quadam per revelationem ad confitendum admonita.

Apostolus more suo de altitudine mysteriorum Dei loquens : *Ut innotescat*, inquit, *per Ecclesiam principatibus et potestatibus in cœlestibus multiformis sapientia Dei* (*Ephes.*, III). Dominus quoque, beato Job omnipotentiæ suæ opera dinumerando : *Concentum*, ait, *cœli dormire quis faciet?* (*Job* XXXVIII.) Mortali etenim naturæ impossibile est nosse quantæ dulcedinis, quamque intimæ suavitatis harmonia mulcet et delectat sublimes illas beatorum spirituum potestates per opera gratiæ multiformis sapientia Dei, per quæ sanctam Ecclesiam suam de lacu miseriæ et de luto fæcis, id est inquinamento peccati erutam, ipsorum sacro collegio consociat, non habentem maculam aut rugam, neque aliquid hujusmodi. Ipsa namque Sapientia et Veritate attestante didicimus, facilius esse, ut cœlum et terra transeat, quam ut unum iota, aut unus apex de lege gratiæ ipsius pereat (*Matth.*, v), id est ut vel minimæ occasiones, per quas etiam ultimi quique in populo Dei salutis remedia consequuntur, sic retardentur, ut non effectui mancipentur. Quapropter quam subtili occasione eadem benigna sapientia, cui pervigil cura est salutis hominum, cujusque oculis nuda et aperta sunt omnia; quamdam famulam suam de statu conscientiæ ipsius admonuerit, exempli gratia notabimus, quatenus omnis homo sanum sapiens, tanto validius ejusdem sapientiæ amore inardescat, quanto dulcius audit eam per familiare sibi sapientius organum protestantem delicias suas esse cum filiis hominum (*Prov.*, VIII). Priorissa cujusdam monasterii virgo erat Deo valde devota : quæ tam seipsam quam subditas sibi sorores ad districtionem disciplinæ regularis discreta sollicitudine coarctabat. Et licet placita Deo fuisset sancta conversatio ejus, unum tamen erat, quod puritati ipsius maculam inferebat; quamvis hoc ipsa in conscientia sua minime deprehenderet. Fecerat namque in infantia sua peccatum quoddam, quod puerili hebetudine neglectum, longitudine quoque temporis ita oblivione absorptum fuerat, ut nullatenus tale aliquid se fecisse meminisset. Nolens autem pius Dominus devotam sibi famulam, pro peccato, quod nequaquam verecundia, sed oblivio celabat, confundi ab inimicis suis in porta, tali ordine et quid, et quando deliquisset, ei manifestare dignatus est. Quadam namque nocte eidem venerabili priorissæ dormienti apparuit in visu femina quædam, quæ ipsam olim parvulam nutrierat, et quantum tenera ætas capere poterat, primis disciplinæ rudimentis imbuerat. Et proprio nomine eam compellans, sicut dudum infantem compellare consueverat : « Gilla, inquit, filia mea, quid agis? Quousque dissimulans negligentia torpes, et peccatum illud quod in infantia tua sub cura mea posita commisisti, per confessionis et pœnitentiæ remedia non diluis? » Cumque et qualitatem peccati ei intimasset, illa quasi rubore suffusa, et quod tanto ante perpetrarat ad memoriam reducens, respondit : « Nunquid tanti æstimabitur peccatum, quod infirma et stulta commisit ætas, nondum per exercitium et incrementum vitæ ad plenum explicita ratione, ut hoc tantopere confiteri, et pro eo pœnitere necesse habeam? » At illa : « Ergone parvi ponderis esse putas qualecunque peccatum, quod non est confessionis rubore pœnitentiæque labore deletum? Ausculta igitur diligenter quæ dico. Scias pro certo, et nullatenus dubites, quia sicut in cortinis seu parietibus effigies certis lineamentis expressisque proprietatibus membrorum depictæ cernuntur, ita in anima omnis hominis qui qualitercunque in vita sua discretionem boni et mali habere potuit, peccata etiam minima quæ commisit, fœda impressione signantur, exceptis duntaxat iis, quæ confessionis et pœnitentiæ officiis per gratiam Dei relaxata fuerint. »

His dictis somno priorissa excutitur, atque de verbis quæ audierat stupens, dum diligentius cogitat et recogitat, invenit vanam non esse visionem, sed vere in infantia sua tale aliquid se fecisse recolit, quale in visu audivit quod tamen ex quo annos discretionis intravit, et habitum religionis sumpsit, nunquam conscientiæ ipsius aciem reverberabat, quia a memoria penitus exciderat. Itaque gratias agens Deo, tanto sincerius et humilius confessa est et pœnituit, quanto sola largitate benignitatis Dei se hoc assecutam esse gaudebat, tantoque de cætero tam de præteritis quam de imminentibus peccatis suis sollicitior exstitit quanto divina hac revelatione certius didicerat decipi eos qui, vel de ignorantia vel oblivione sibi blandientes, impunitatem conscientiis suis temere promittunt (54).

Supra (55) quoque in hoc volumine continetur conversum quemdam defunctum alteri converso viventi per visum apparuisse, eique peccatum quod ante duodecim annos, dum adhuc sæcularis esset, commiserat, quodque mortifera oblivione memoriæ elapsum fuerat, ad memoriam reduxisse, et, ut quantocius confiteretur et pœniteret, consuluisse, verbum cum timore et tremore audiendum promens, scilicet quod peccatum ante mortem minime solutum, post mortem insolubile maneat. Quid ergo erit de peccatis quæ rubori confusionis, seu tædium duræ pœnitentiæ, vel (quod his periculosius est), exacte per tempus religiosæ vitæ confidentia celari suadet; si illa Dei famula de peccato in annis puerilibus perpetrato ad confitendum et pœnitendum, etiam per revelationem admoneri necesse habuit; et iste frater audivit, peccato criminali, quod oblivio celabat, si ante mortem legitime solutum non fuisset, post mortem veniam negari? Vere horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* x); quoniam terribilis Deus in consiliis super filios hominum. Expedit itaque omni homini, tum præcipue religionem professo, præteritos annos vitæ suæ sedule recogitare in amaritudine animæ suæ, atque sine dissimulatione, oris confessione, cordis contritione, boni quoque operis exsecutione semetipsum dijudicare, si non vult cum hoc mundo damnari. Angusta nempe via quæ ducit ad vitam exoneratos et expeditos vix recipit, quia justus vix salvatur; oneratos vero et dilatatos curis et voluptatibus sæculi prorsus rejicit; nec obest januam vitæ intrare volenti, quantumcunque se humiliet : est autem

(54) Supra dist. V, c. 4.

(55) Illud infantiæ erratum, ut ream teneret feminam, debuit cum aliqua notitia vel scrupulo gravis sceleris admissum esse, et adultæ menti obversatum, alioquin ejus consecuta fuisset veniam per generalem contritionem.

Digitized by Google

horrendum malum, si vel transverso unius digiti plusquam superliminare patitur, se erigat; quia mox impinget, et conquassato capite corruet. Confidimus autem in Domino Jesu quia, si quis in adolescentia sua laxioris vitæ vias secutus criminibus et sceleribus se involverit; si excitante illo qui dicit: *Lazare veni foras* (*Joan.* XI), evigilaverit ad circumstrepentes se laqueos mortis, conatusque ad arctioris vitæ vias redire, trepido et sollicito scrutinio non semel, sed pluries, imo toto tempore vitæ suæ conscientiam suam discusserit, et quidquid in ea invenerit pure confessus fuerit, et insuper tam ea peccata quorum meminit, quam ea quorum forte non meminit, cum luctu et lacrymis pœnitentiæ Deo in oratione confitendo, continue se pro eis humiliaverit, pœnitentiæ fructu non carebit. Cæterum, sicut Apostolus ait, quia *qui ignorat*, *ignorabitur* (*Cor.* XIV); ita profecto si quis secundum multitudinem iniquitatum suarum, multitudinem miserationum Domini quærere detrectaverit; hujus, ut inde merito timemus, misericordia obliviscetur; et tam pro iis peccatis suis, quorum meminit, quam pro eis quorum forte non meminit, judicium durissimum portabit, quicunque est ille.

Recapitulatio finalis eorum quæ in hoc volumine continentur.

Explicitis iis quæ de initio Cisterciensis Ordinis, nec non et de reverendis atque in omni religione conspicuis viris, qui in Cistercio et in Claravalle claruerunt, scribere necessarium duximus, simul etiam de exemplis, quæ pro rei similitudine, non incongrue, ut arbitror, juxta finem locis opportunis inseruimus, hanc a lectore nostro vicissitudinis gratiam postulamus, ut si aliquid in hoc opusculo invenerit, unde ad amorem virtutum, odium vitiorum, sanctæque devotionis fervorem, inflammari se sentiat, Deo, sine quo nihil boni fit, et Patribus, quorum industria hæc ad nostram notitiam pervenerunt, gratias agat, nobis vero, quorum non parvo labore compilata, et in unum corpus compacta sunt, piæ orationis suffragium impendere dignetur. Neque enim quasi novi alicujus operis auctores hæc conscripsimus, sed sicut in exordio hujus voluminis præfati A sumus, ea quæ a studiosis Patribus sparsim exarata reperimus, ad manifestiorem rerum notitiam, majoremque legentium utilitatem, in unum collegimus, pauca tamen capitula, quæ a religiosis et fide dignis personis certa relatione didicimus, continuationi intexere curavimus, ita pulmentum filiis prophetarum ex herbarum in agro veterum Patrum collectarum concisione et decoctione parantes, ut coloquintidas falsitatis tanquam mortiferum helleborum in olera concidere nefas duceremus. Duplicis autem rationis consideratio, nos ad hanc partem sollicitudinis invitavit: Et primo quidem, ut fratribus nostris, qui in remotioribus orbis partibus sacrum Ordinem nostrum professi, sanctam domum Cisterciensem, tanquam caput et matrem omnium nostrum, itemque sanctam domum Claræ vallis, propter beatum Bernardum charius amplectuntur, de initio Ordinis nostri certam notitiam traderemus, utriusque etiam domus primi Patres quam sublimem, quamque imB tatione dignissimam vitam duxerint, ad ipsorum ædificationem panderemus, secundo vero ut monachis Nigri Ordinis calumniandi occasionem tolleremus, qui coram sæcularibus et rerum ignaris derogant Ordini nostro, dicentes eum ex præsumptione cœpisse, et Patres nostros, qui primo de Molismo egressi sunt, absque licentia abbatis sui egressos fuisse, quod quam falsum sit, principia hujus voluminis plenissime testantur. Absit enim ut præsumptio, mater ruinæ, noverca stabilitatis, ullam partem habuerit in religioso proposito sanctorum virorum! absit ut non rationis et divinæ auctoritatis plenum fuerit voluntarium sacrificium servorum Dei, per quod laboribus et ærumnis multis desudantes, semetipsos in ara quotidianæ crucis hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, immolare non dubitarunt, ut Ordinis monastici puritatem, de squalore dissolutionis et barathro prævaricationis erutam, proprio labore et industria ad multorum salutem, in antiquum sacræ religionis statum, Deo auxiC liante reformarent! Horum fortissimorum athletarum Christi dux et signifer exstitit beatæ memoriæ D. Stephanus, cujus supra meminimus, etc. *Reliqua vide supra in S. Bernardi Vita prima lib.* VII, *col.* 449.

Digitized by Google

SANCTI BERNARDI

CLAREVALLENSIS ABBATIS

GENUS ILLUSTRE ASSERTUM.

ACCEDUNT

ODONIS de Diogilo, JOHANNIS Eremitæ, HERBERTI Turrium Sardiniæ archiepiscopi, aliorumque aliquot scriptorum opuscula duodecimi post Christum sæculi historiam spectantia

CURA ET STUDIO

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI.

(Divione, typ. Philib. CHAVANCE, 1660, in-4.)

REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO

D. PETRO HENRY

ABBATI CLAREVALLENSI MERITISSIMO

Multa sunt, Vir Reverendissime, quæ hoc opusculum tibi uni præ cæteris vindicant. Primum illa Sapientis quasi lex : « Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant (Eccle. 1, 7). » Odonem de Diogilo, Herbertum Turritanum archiepiscopum, Joannem Eremitam, adeoque hujus voluminis optima quæque, de Clarevallensis bibliothecæ penu divite accepi olim a decessore tuo beatæ memoriæ Claudio l'Argentier. Ea ipsa tibi a me potiori jure redhibenda sunt; quod ille fecit quidem ut ad me pervenirent, tu etiam ut publicum per me aspicerent. Deinde quæ his continentur, non modo prodiere e tua Claravalle, sed et eam maxime illustrant, docentque quantos hæc splendida vallis (ut ad Sidonium alludam (56) « miserit in cœlum montes. » Ecquis ascetarum tuorum his exemplis non inardescat, dum hic legerit quæ veterum Patrum suorum sanctitas morum, quam familiaris cum Deo et superis consuetudo, quæ morientium fiducia; quæ exsultatio, qui triumphi, e lectulis suis recto tramite ad æternas beatorum mansiones evolantium? Tibi nimirum hanc gratiam debebunt, qui has ipsas dignas cedro et sempiternis monumentis historias, de blattarum pulvere ac tenebris in apertam lucem emergere voluisti. Quid plura? De S. Bernardo in primis mira hic liber continet. Cui porro nuncupandus, nisi tibi, qui non modo Clarevallensis abbatis nomen geris, sed et cumulate « tanti (quod caput est) mensuram nominis imples. » Historice loquor : nullus hic tropus, nulla auxesis. Tu a primo tyrocinio per omnes regularium officiorum gradus probatus, sic horum munerum partes explevisti, sic tuis præluxisti, ut illi Patrem communem te maxime optarent, cujus in sinu acquiescerent, cujus regerentur consiliis, cujus vitæ ratione ac temperamento ad meliora incitarentur. Patere tibi a me dici, quod non adblandiendi libido, sed æqui, boni verique amor exprimit. Duo quædam præ aliis mirari licet in magno Bernardo, cujus obtines sedem. Hinc paternum erga suos affectum, et φιλανθρωπίαν quam vocant ac suavitatem in congressibus : inde zelum et vigorem animi in carpendis vitiis, ac præsertim in exagitandis Ecclesiæ rebellibus. Hæc ipsa in te amant qui te probe norunt. Sic se a te diligi, sic foveri gloriantur tui, ut filios ab optimo parente. Sic in rebus gerendis tu semper similis es, ut in te comitas gravitate condita omnium oculos feriat. Nec ideo deesse tibi dixerim, ubi res poscit, aculeum severitatis. Referam quod in Claravalle ante duos fere annos gestum est, quoaque ab oculatis testibus ipse accepi. Accumbebant mensæ tuæ graves aliquot viri, eratque cœtus convivarum quasi duodenarius. Ex his hospes unus, ætate juvenis, familia clarus, fando appulsus est ad exerendum animi sui virus : erat vero, ut ferunt, de Janssenianorum damnata turba, et inter illos æquo solutior. Igitur cæco impetu quædam impie in sanctorum reliquias, quædam in sanctissimum dominum nostrum Alexandrum papam septimum irreverenter effutiit. Non tulisti protervi hominis impudentiam. Erectus in pedes, silentium ei indixisti, temerariam ejus audaciam severe redarguisti; minatus, ni desisteret, mox illum a te et cœnaculo et domo cum dedecore exturbandum. Profuit juveni tua hæc castigatio. Ille quasi de cælo tactus repente obmutuit. Tu tuum de nostræ religionis sacris ac musteriis sensum, atque erga Romanos pontifices

(56) In *Eucharistico* ad Faustum.

Digitized by Google

intimam reverentiam gravi oratione testatus, sensus eosdem convivis, ac per eos aliis quamplurimis impressisti. Macte his studiis, abba reverendissime. Sic Bernardum quem officio repræsentas, exhibere perges etiam moribus. Sic illi, ac cæteris decessoribus tuis jam cœlo receptis, post vitam hanc bene beateque transactam (quam diuturnam apprecor) novum sidus accedes. Hoc opto, hoc voveo.

Divione, IV *Nonas Februarii, anno æræ Christianæ* M. D C. LX.

Rev. P. T.

Addictissimus Petrus Franciscus CHIFFLETIUS,
presbyter e Societate Jesu.

IN SEPTEM LIBELLOS

ODONIS DE DIOGILO

DE

LUDOVICI VII

FRANCORUM REGIS, COGNOMENTO JUNIORIS,

PROFECTIONE IN ORIENTEM

PRÆFATIO.

—

1 Est Diogilum (vulgo DEVIL) Parisiensis agri villa, S. Eugenii Toletanorum primi episcopi martyrio nobilis, a qua Odo hic, monachus Dionysianus et ortus est, et nomen tulit. Scribit de regis itinere ad abbatem suum Sugerium, regni Francici administratorem relictum, ipse regi comes itineris, a sacris et a secretis, regisque adeo lateri tantum non perpetuo affixus, ac ejus non modo rerum gestarum conscius, sed etiam consiliorum particeps. Tenuit ea peregrinatio annos omnino duos, quorum prioris cursum et casus varios Odo tam accurate explicuit ut scriptorum nemo alius. Indidem autem scribit; unde et rex ipse ad Sugerium de eodem argumento, nempe ex Antiochia Syriæ, ad quam jam multa passi appulerant die 19 mensis Martii, quæ fuerat feria sexta infra hebdomadam tertiam Quadragesimæ anni 1148. Et nos regiam illam epistolam huic relationi idcirco appendimus, ut alteri ab altera lux affulgeat. Quod enim rex integra vix pagina Sugerio insinuat, hoc ipsum Odo septem libellis eidem exponit, quos diu desideratos summeque expetitos, nunc tandem ex codice ms. Clarevallensi in publicum emittimus. Præfatur de conventu episcoporum et procerum apud Bituricas, ad diem Christi Natalem qui anni 1146 Dionysiani caput fuit; ubi Godefridus Lingonensis episcopus cum de Robes sive Edessæ depopulatione, Christianorumque a Turcis oppressione intolerabili perorasset, simul omnium 2 animos ad ferendum auxilium permovit. Legimus porro in Chronico Cisterciensi ms., et apud Robertum de Monte, compluresque alios ad sanctum sepulcrum peregrinationem illam susceptam ex voto a Ludovico rege, compuncto ob incensam castri Vitriaci basilicam, cum mille et trecentis promiscuæ multitudinis quæ in eam confugerat, capitibus in ea inclusis : quod regis facinus, anno Christi 1142 S. Petri Catalaunensis Chronicon vetus ascribit. Ut ut sit, ad eam expeditionem, crucis ex more assumendæ dicta est Paschatis proximi dies, quæ fuit Martii mensis prima et tricesima, locus Vezeliacum castrum, beatæ Mariæ Magdalenæ olim reliquiis, et Gerardi comitis Berthæque ejus conjugis liberalitate inclytum, ubi regis exemplo, et S. Bernardi Clarevallensis abbatis prædicatione accensus populus ingens, ei se peregrinationi in annum proximum devovit. Probatum maxime id consilium Eugenio papæ tertio. Interim Stampas indicta sunt comitia ad *Circumdederunt me*, hoc est ad Dominicam Septuagesimæ, quæ anno illo 1147, die mensis Februarii sexta decima evenit. Ibi sacræ militiæ firmata vota, totiusque exercitus lustratio ad Mettensem civitatem, et Pentecostes quartam feriam edicta. Trajectus est Rhenus Vormatiæ, Danubius Ratisponæ : inde per Bavariam, Hungariam, et Bulgariam, in Græci imperatoris Manuelis Comneni ditionem iter fuit. Is datæ Christianis Latinis fidei immemor, adversus eos cum Turcis clanculum fœdere inito, non Francicum modo, sed et Germanicum Conradi imperatoris florentissimos exercitus, datis amicitiæ obtentu viarum ducibus, per silvarum invia et montium confragosa circumductos, Turcorum deinde insidiis exceptos, opibus, impedimentis, equis, armis, viris nudavit ac pene ad nihilum redegit. Quam tragœdiam, inspector ipse Odo Sugerio suo tantum non oculis subjicit. Stupuit orbis terrarum potentissimorum duorum regum tantos apparatus conatusque paucorum mensium spatio in irritum cecidisse. Nec defuere qui tum Bernardo hujus belli incentori gravem struerent calumniam, cum nimirum (quæ vulgi imprudentia est) consilia ex eventis æstimarent. Sed eam abunde purgavit 3 perspecta viri sanctimonia, cujus etiam apostolico zelo divina ipsa virtus signis multis, ac prodigiis patrocinata est. Scribebat Odo ad Sugerium ea mente, ut hic, sicut Ludovici senioris, cognomento Grossi, vitam ac res gestas stylo explicuerat sic et filii ejus Ludovici Junioris historiam posteritati commendaret. Sed ne integra prodiret, intercessit Sugerii obitus, anni æræ Dionysianæ 1152, Idibus Januariis vita functi : cui successor electus Odo de Diogilo, ad annos octodecim Dionysiano monasterio abbas præfuit. Deprehendere autem mihi videor ex præfatione vulgata Gestorum Ludovici VII, quæ in regis hujus et Alienordis conjugis divortio finiuntur, ea Sugerii opus esse aut saltem ab illo inchoatum, quod vel Odo, vel recentiorum alius quispiam prosecutus, subinde interpolarit.

Digitized by Google

ITINERARII HUJUS OPUSCULI

TA TOHIKA, KAI TA XPONIKA.

1. In Natali Domini, adeoque primo ipso die anni Dionysiani 1146, apud Laturicas, in episcoporum et procerum conventu, Godefridus Lingonensis episcopus orationem habuit de Rohes, sive Edessæ depopulatione et Christianorum orientalium oppressione a Turcis. Indicta sunt super ea re comitia Vezeliaci in proximum Pascha.

2. Die Paschæ, 31 Martii anni ejusdem 1146, ad S. Bernardi Clarevallensis abbatis prædicationem, Vezeliaci decernitur expeditio in Terram Sanctam. Assumuntur cruces primum a rege Ludovico Juniore, atque ab ejus conjuge Alienorde regina; tum horum exemplo ab aliis innumerabilibus. Datur solidus annus bellico apparatui.

3. Anno 1147, Stampas regis jussu convocantur episcopi et optimates regni ad *Circumdederunt me*, hoc est ad Dominicam & Septuagesimæ, quæ fuit 16 Februarii. Eligitur via per Constantinopolim. Constituuntur qui rege peregre profecto regnum administrarent, Sugerius abbas S. Dionysii, cum Guillelmo Nivernense comite. Sed hic haud multo post in Carthusiam se recipiens, ibi monasticum habitum ex voto suscepit. Ad urbem Metensem concursus militiæ, et lustratio exercitus imperatur in imminentem Pentecosten.

4. Subinde Roma advenions Eugenius papa III Pascha 20 Aprilis ad S. Dionysium celebravit. Ibi rex de ejus manu vexillum regium, cum pera et benedictione accipit. In quartam feriam Pentecostes profectio indicitur. Guillelmo Nivernensi comiti Samson Remensis archiepiscopus, et Rodulfus Viromandensis comes regni rectores substituuntur.

5. Rex per Virdunum Metas venit ad Pentecosten. Eo post paucos dies totus confluit exercitus, ducitur, Wormatiam pervenitur apostolorum Petri et Pauli festa die, Junii 29.

6. Wormatiæ trajecto Rheno, Herbipolim seu Wirceburgum tridui itinere contenditur : indeque pari distantia Ratisponam, ubi trans Danubium exercitus deportatur.

7. Ratispona secundo Danubio, tribus pariter diariis ventum est Pataviam. Hinc in Novam urbem, seu Neoburgum quinque circiter dierum itinere. A Neoburgo ad portas Hungariæ, unius non amplius diei iter fuit.

8. Per Hungariam diebus quindecim transitum est. Indeque in aditu Bogariæ, seu Bulgariæ, Bellagrava Bogarensis, sic nuncupari solita, ut ab Hungariæ cognomine civitate distinguatur.

9. A Bellagrava uno tantum diario abest Brundusium paupercula civitas. A Brundusia quinta die perventum est in Græciæ urbem, nomine Nit.

10. A Nit quatuor diebus in Hesternit, totidem hinc in Philippopolim. Philippopoli jam ante obierat Aluisus Atrebatensis episcopus, VIII Idus Septembris, Constantinopolim ad Græcorum imperatorem præmissus legatus a Ludovico rege.

11. A Philippipoli Andrinopolim diaria fuerunt quatuor ; ab Andrinopoli Constantinopolim quinque.

12. Constantinopoli Ludovicus rex festum S. Dionysii cum Græcis celebravit.

13. Egresso rege Constantinopoli in Romaniam post exercitum suum, sol media sui parte obscuratus est, die Dominica, VII Kalendas Novembris. Quam defectionem illustrem fecit basilica S. Stephani Catalaunensis, cum primario altari, eo ipso die et hora, ab Eugenio papa III aliisque tum episcopis, tum cardinalibus ritu solemni consecrata; ut ex ejus ecclesiæ antiquis tabulis didicimus, quarum exemplar ad finem hujus opusculi lectori exhibemus.

14. Interim Alemannorum exercitu, qui a Constantinopoli Antiochiam versus brevissimum per Iconium, sed periculosissimum iter arripuerat Græcorum dolis Turcorumque armis pene confecto ; eorum imperator Conradus, triginta millibus militum suorum amissis, venit ad regem Ludovicum, opem ab eo et solatium quæsiturus : et cum eo ad lacum Nicænum, apud castrum Lupar colloquium habuit sub initium Novembris.

15. Post festum S. Martini rex ad castrum Esseron venit, hinc Demetriam, tum denique Ephesum, Smyrna et Pergamo ad sinistram relictis. In valle Ephesina, quæ et Decervion, Natale Domini cum feriis aliquot sequentibus celebravit.

16. Itum hinc Laodiciam versus per vada fluminis Mæandri : quæ ad vada Turcorum magna est edita a Francis strages, haud quidem ipsis incruenta : quippe eo loco inter cæteros Milo de Nogentiaco aquis præfocatus interiit.

17. Tertio post die perventum est Laodiciam : unde in montana eductus Francorum exercitus, Turcorum pariter et Græcorum circumseptus insidiis, mense Januario anni 1148, magnam partem disperiit. Acta est apud Satelliam a copiarum reliquiis Purificatio beatæ Mariæ : quæ urbs antiquis Attalia memoratur (*Act.* XIV, 24).

18. Capto deinde consilio de petenda Antiochia itinere maritimo, per quinque hebdomadas exspectati sunt venti ferentes, tum hebdomadis tribus iter confectum, appulsumque Antiochiam feria sexta post mediam Quadragesimam, die mensis Martii 19. Hinc datæ litteræ et regis, et Odonis de Diogilo ad Sugerium abbatem.

---

6 Epistola Ludovici VII, Francorum regis, cognomento Junioris, ad Sugerium abbatem S. Dionysii et regni administratorem, data Antiochiæ in Syria, cum ad eam rex navigio pervenisset anno 1148, die Veneris, post mediam Quadragesimam, mensis Martii 19.

(Est inter Sugerii vulgatas epistolas numero 39. — Vide *Patrologiæ* t. CLXXXVI, col. 1365, in Sugerio.)

Digitized by Google

ODONIS DE DIOGILO

DE

LUDOVICI VII FRANCORUM REGIS

COGNOMENTO JUNIORIS

PROFECTIONE IN ORIENTEM

Cui ipse interfuit

OPUS SEPTEM LIBELLIS DISTINCTUM.

EPISTOLA ODONIS

AD VENERANDUM ABBATEM SUUM SUGERIUM.

7-9 Ecclesiæ Beati Dionysii venerando abbati Sugerio, monachorum ejus minimus Odo de Diogilo, salutem.

Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio, ut de via sancti sepulcri vobis aliqua idoneæ denotem quæ mandetis stylo vestro memoriæ sempiternæ. Nam detentus adhuc in agone itineris, et imperitia præpedior et labore. Est tamen tentandum aliquando id etiam quod nequimus, ut nostro conatu viros strenuos ad hoc quod volumus, et non possumus, incitemus. **10** Ego igitur cum in via sancti sepulcri gloriosi regis Ludovici beneficia ubertim senserim et secretius familiaritati adhæserim, referendarum gratiarum affectum quidem habeo, sed non ministrant vires effectum. Sit hoc beati Dionysii, cujus amore hoc fecit, et vestrum, quia monachum vestrum loco vestro suscepit. Vos tamen multum pro vobis debetis, quem specialiter in regno suo dilexit, ei zelo ductus fidei propagandæ, ad tempus illud dimittens, vobis commissit. Ibi tamen vigilavit sibi, sua credens expertæ fidei, sapientiæ singulari. Vos Patris ejus gesta scripsistis, sed criminis erit fraudare posteros notitia filii, cujus omnis ætas est forma virtutis. Nam cum regnare cœperit pene puer non fuit illi gloria sæculi materia voluptatis, sed dedit augmentum virtutibus ejus et lucem. Unde, si quis gesta ejus ab itinere Jerosolymitano describere cœperit, futuris regibus exempli propositi a Deo maximam partem truncabit. Nos enim magis miramur in puero Nicolao quartam et sextam feriam papillarum et reliquam indolem, quam præsulatus ejus admirabilem sanctitatem. Vos igitur, cui jure debetur reverentia scribendi de filio, qui prius patrem stylo traxistis in lucem, et qui jure debetis obsequium, abundantiori gratia functus amborum, incipite a pueritia ubi cœpit virtus oriri. Quod vos melius scitis, quia, sicut nutritius, secretius didicistis, Ego vero, etsi impeditus sermone, sed non scientia rerum quæ in via sancti sepulcri gestæ sunt (quippe qui sicut capellanus illi surgenti sæpius aderam, et cubanti), ut ita dixerim, quasi balbutiendo, summatim vobis offeram veritatem, litterali eloquentia venustandam. Nec ideo vos pigeat exsequi **11** quod debetis, si hoc auditis a pluribus usurpari. Imo gratum habetote, si laudes habet multorum qui meruit omnium.

LIBELLUS PRIMUS.

Anno Verbi incarnati millesimo centesimo quadragesimo sexto, gloriosus rex Francorum et dux Aquitanorum Ludovicus, regis filius Ludovici, cum esset viginti quinque annorum, ut dignus esset Christo, Cerzeliaco in Pascha bajulando crucem suam, aggressus est eum sequi. In Natali Domini præcedenti, cum idem pius rex Bituricas curiam celebrasset, episcopis et optimatibus regni ad co-

Digitized by Google

ronam suam generalius solito de industria convocatis, secretum cordis sui primitus revelavit. Tunc religiosus vir episcopus Lingonensis, de Rohes, quæ antiquo nomine vocatur Edessa, depopulatione, et oppressione Christianorum et insolentia paganorum satis episcopaliter peroravit, et de flebili materia fletum plurimum excitavit; monens omnes ut cum rege suo ad subveniendum Christianis Regi omnium militarent. Ardebat et lucebat in rege zelus fidei, contemptus voluptatis et gloriæ temporalis, exemplum omni sermone præstantius. Tamen quod serebant, verbo episcopus, rex exemplo, non illico messuerunt. Statutus est ergo dies alius Verzeliaco in Pascha, quo in Passione Domini omnes unanimiter convenirent; et in resurrectione, quibus foret cœlitus inspiratum, crucis gloriam exaltarent. Rex interim pervigil in incepto, **12** Romam Eugenio papæ super hac re nuntios mittit. Qui lætanter suscepti sunt, lætantesque remissi, referentes omni favo litteras dulciores, regi obedientiam armis modum et vestibus imponentes jugum Christi suave suscipientibus peccatorum omnium remissionem, parvulisque eorum et uxoribus patrocinium promittentes, et quædam alia quæ summi pontificis sanctæ curæ et prudenti visa sunt utilia continentes. Optabat ipse tam sancto operi manum primam præsens imponere, sed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit. Sancto vero Clarevallensi abbati Bernardo curam istam delegavit. Tandem dies adfuit regi optatus. Abbas etiam apostolica auctoritate, et propria sanctitate munitus, et convocatorum maxima multitudo loco et termino pariter adfuerunt. Suscepit ergo rex a summo pontifice sibi missum crucis insigne, et proceres multi cum eo. Et quoniam in castro locus non erat qui tantam multitudinem capere posset, extra in campo fixa est abbati lignea machina, ut de eminenti circumstantibus loqueretur. Hanc ascendit cum rege cruce ornato. Cumque cœleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, cœperunt undique conclamando cruces, cruces expetere. Et cum earum fascem præparatum seminasset potius quam dedisset, coactus est vestes suas in cruces scindere et seminare. In hoc laboravit quandiu fuit in villa. Supersedeo scribere miracula quæ tunc ibidem acciderunt quibus visum est id Domino placuisse, ne, si pauca scripsero, non credantur plura fuisse; vel si multa, materiam videar omisisse. Tandem edicto quod post annum progrederentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt.

Abbas vero sub **13** tenui corpore, et pene præmortuo robustum tegens spiritum, ubique circumvolat prædicando, et multiplicati sunt super numerum in parvo tempore crucem portantes. Rex quasi jam naetus gaudium suum fidei propagandæ, de spe futuri exercitus copiosi, Apuliam regi Rogerio nuntios mittit. Qui de omnibus rescripsit ad libitum. Insuper viros remisit nobiles qui, regnum suum in victualibus, et navigio, et omni necessitate, et se vel suum filium itineris socium promittebant. Misit etiam alios Constantinopolitano imperatori, cujus nomen ignoro, quia non est scriptum in libro vitæ. Hic in longo rotulo prolixam adulationem depinxit, et regem nostrum nominando sanctum, amicum et fratrem, promisit plurima quæ opere non implevit. Sed hæc alias. Alemannorum et Hungarorum etiam reges de foro et transitu requisivit; quorum nuntios, et litteras ad suam voluntatem recepit. Harum quoque regionum duces multi et comites, ejus exemplo provocati, de itineris illi societate scribebant. Sic ad nutum omnia procedebant. Interea fama volat, Angliam transfretat, et aliarum recessus penetrat insularum. Parant naves maritimi cum rege navigio processuri. Cæterum, dum rex lustrans omnia statum regni ordinat, dum subditis in posterum pacem firmat, omnes undique nuntii Parisiis convenerunt. Revertenti omnes pariter affuerunt; imperatorum sacras et ducum chartas offerunt, verboque et litteris quidquid poposcerat pollicentur. Habet rex optionem cui fidem habeat, in quo compendium credat. Sed illi mos erat ut socii essent consilii quæ forent et laboris. Omnes igitur ad *Circumdederunt me* Stampas vocat, ut **14** pariter eligerent, quod pariter tolerarent. Qui sicut fuerunt inveniendo alacres, sic utinam essent in electione prudentes! Congregata enim loco et termino episcoporum et nobilium multitudine, tam gloriosa quam magna, prædictus etiam abbas et prædicandus præsentiam suam obtulit, et rumorem attulit, et utroque lætabundam reddidit concionem. Nam de Alemannia veniebat, regemque et regni proceres militiæ crucis Christi adjunxerat. Deinde diversarum regionum leguntur litteræ, nuntii audiuntur, et hæc usque ad vesperum protenduntur. In his duxerunt lætam diem; et quod superfuit in crastinum distulerunt. Venit dies magis læta quam prospera. Interfuere congregatis, qui Græcos dicerent, sicut lectione et experientia noverant, fraudulentos. Rex autem et sui, qui merito nullarum gentium vires timebant, fraudes utinam timuissent! Sed quia non est consilium nec prudentia contra Deum, elegerunt viam per Græciam morituri. Sic secunda dies terminata est, non secunda.

Tunc viri nobiles, regis Rogerii nuntii, confusi abeunt, dolentium habitu domini sui casus expresse monstrantes affectum, de dolis Græcorum prædicentes nobis quod postea sumus experti. Nec mirum si Rogerius rex potens et sapiens regem optabat, si Francos diligit, nostrarum partium oriundus. Postremo revolvit diem tertiam gratia Trinitatis; et congregati, gratia prius sancti Spiritus invocata, (quam pridie utinam similiter invocassent!) deinde a sancto abbate sermone habito spiritali, de regni custodia prosequuntur. Rex autem more suo sub timore Dei reprimens potestatem prælatis Ecclesiæ et regni optimatibus eligendi indidit **15** libertatem. Eunt igitur ad consilium, et post aliquantulam moram, cum quod erat melius elegissent, sa-

Digitized by Google

etus abbas præcedens revertentes, sic ait : Ecce gladii duo hic. Satis est. Te, Pater, Sugeri, et Nivernensem comitem monstrans. Quod valde placuit omnibus, si soli comiti placuisset. Sed se ille Carthusiæ devoverat, quod cito post effectui mancipavit, et nec regis nec omnium diutinis precibus potuit revocari. Imponitur tandem tibi soli onus amborum, quod inconcussa pace tulisti, et hoc esse onus Christi ex levitate sensisti. Inter hæc indicitur dies in Pentecosten profecturis, et in optatis undecunque Metis glorioso et humili principi congregandis. Post hæc, ne aliquid deesset benedictionis aut gratiæ, Romanus pontifex Eugenius venit, et Pascha Domini in ecclesia Beati Dionysii honore quo decuit celebravit. Affluunt multi multarum partium utrique miraculo, videlicet regi et apostolico peregrinis. Papa vero bene ordinata confirmat, enormia multa componit, dum regis promotionem exspectat. Illo anno in quarta feria Pentecostes edictum accidit. Sic regi celebria cuncta succedunt. Dum igitur a beato Dionysio vexillum, et abeundi licentiam petiit (qui mos semper victoriosis regibus fuit), visus ab omnibus planctum maximum excitavit, et intimi affectus omnium benedictionem accepit. Dum vero pergeret, rem fecit laudabilem, paucis tamen imitabilem, et forsitan suæ celsitudinis nulli. Nam, cum prius religiosos quosque Parisiis visitasset, tandem foras progrediens, leprosorum adiit officinas. Ibi certe vidi eum cum solis duobus arbitris interesse, et per longam moram cæteram suorum multitudinem 16 exclusisse. Interim mater ejus, et uxor, et innumeri alii ad Beatum Dionysium præcurrunt. Et ipse postmodum veniens, papam, et abbatem et Ecclesiæ monachos invenit congregatos. Tunc ipse humillime humi prostratus, patronum suum adorat; Papa vero et abbas auream portulam reserant, et argenteam thecam paululum extrahunt, ut osculato rex et viso quem diligit anima sua, alacrior redderetur. Deinde sumpto vexillo desuper altari, et pera, et benedictione a summo pontifice, in dormitorium monachorum multitudini se subducit. Non enim patiebantur moras oppressio populorum, et mater et uxor, quæ inter lacrymas et calorem pene spiritum exhalabant. Sed luctum et planctum qui ibi inerat velle describere, tam stultum est quam impossibile. Illo die retentis paucis suorum, in refectorio comedit cum fratribus; et osculatis postmodum omnibus recessit, orationibus et lacrymis omnium prosecutus.

LIBELLUS SECUNDUS.

Tædiosa est semper longa loquacitas pluribus occupato. Unde vereor ne nostra oratio nimis prolixe sine respiratione cucurrerit. Sed date, quæso, mihi, Pater, hanc noxam. Intereram lætis rebus, et patriæ meæ, nomina scribens, et rerum reminiscens, quod lætus videram, sine tædio diutius recolebam. Non enim [illegible] afferunt jucunda laborem. Modo vero [illegible] succingor ad aspera, intraturus exte[illegible]es, sicut actu fecimus, sic sermone; et la[illegible]ceps citius 17 terminabo.

Post discessum [illegible]osi regis ab ecclesia Beati Dionysii, nihil in regno ejus actum est memorandum, nisi [illegible] scribi quod in regni cura vobis dedit soci[illegible]nensem archiepiscopum. Nescio tamen si comes Rodulfus, quia tunc excommunicatus erat, debeat a communione nostri sermonis excludi, qui (ne vobis duobus deesset gladius sæcularis) tertius additus est, ut triplex funiculus difficile rumperetur (*Eccle.* IV). Metis ergo, quia ibi convenimus, stylum vertamus : ubi rex cum jure dominii nihil suum invenerit, omnes tamen invenit ex gratia, sicut Verduno jam fecerat, quasi servos. Fixis ergo tentoriis extra urbem, paucis diebus venientem exercitum exspectavit, statuitque leges paci cæterisque utilitatibus in viam necessarias, quas principes sacramentis et fide firmaverunt; sed quia ipsi non bene tenuerunt, eas nec ego retinui. Inde præmittit Wormatiam prudentes et religiosos viros, Aluisum Atrebatensem episcopum et Sancti Bertini abbatem Leonem, ut in Rheno qui ibi præterfluit navigium subsequenti exercitui præpararent. Quod optime compleverunt, congregata undique tanta multitudine navium ut ponte non egerent. Hujus clerus et populus civitatis in solemnitate apostolorum Petri et Pauli regem valde solemniter susceperunt. Hic primam nostri populi stultam superbiam sensimus.

Transmearunt enim milites, inventaque pratorum satis ampla latitudine, venerabilem episcopum Luxoviensem Arnulfum, cum suis Northmannis et Anglis domino regi placuit exspectare. Affluebant nobis per fluvium ab urbe victualia, et erat nostrorum et indigenarum assiduus commeatus. 18 Oboritur tandem rixa. Peregrini autem nautas in fluvium projecerunt. Quo viso cives currunt ad arma, et vulneratis aliquibus unum illico peremerunt. Turbantur hoc scelere peregrini, clamant ignem pauperes, tam civibus exitiabilem quam etiam quibusdam nostris, divitibus mercatoribus scilicet et cambitoribus. Sed utrosque stultos, Deo volente, represserunt utrarumque partium sapientes. Cives tamen adhuc timent, et subductis utrique ripæ navibus auferunt commeatum. Sed religiosus vir Atrebatensis episcopus, navi quadam cum labore se-

Digitized by Google

perta, cum quibusdam baronibus transmeat, turbam sedat, et securitatem civibus pollicetur. Postea reductis navibus commeant more solito, nobisque necessaria ministrantur.

Huc usque quod de populo malum præsagium habebatur, hic primo expertum est. Exinde multi de turba se per Alpes a nobis separaverunt, quia omnia præ multitudine carius emebantur. Rex quoque castra movet præmisso Ratisponam venerando Atrebatensi, cum cancellario et abbate Sancti Bertini causa nuntiorum imperatoris Constantinopolitani, qui ante multos dies regem ibi præstolabantur. Ad hanc urbem omnes Danubium ponte optimo transierunt, inveneruntque navium multitudinem copiosam, quæ sarcinas nostras, multumque populum usque Bogariam deportarunt. Bigas etiam et quadrigas nonnulli navibus imponebant, ut damnum præteritum in desertis Bogariæ compensarent. Sed prius et postea magis fuere spei quam utilitati. Ad cautelam hæc omnia dicimus posterorum. Nam cum esset quadrigarum maxima multitudo, si offendebat una, mora omnibus erat æqualis : **19** si vero plures vias inveniebant, omnes pariter aliquando sepiebant, et summarii vitantes earum impedimentum persæpe gravius incurrebant. Ex hoc erat mors frequens equorum, et de parvis dictis querelæ multorum. Hujus populi civitatis, regem valde regaliter susceperunt. Sed quoniam id toties replicari non potest, quoties illi gratis devotionem sui animi demonstrarunt, dicendum semel est omnes villas, castella, et civitates usque Constantinopolim honorem illi regium, magis et minus, omnes tamen pro viribus exhibuisse. Sed cum esset omnium par voluntas, magis et minus dico, quia non erat omnium idem posse. Fixis ergo tentoriis et rege hospitato, imperatoris legatarii vocati veniunt. Quo salutato, sacrisque redditis responsionem stantes exspectant; non enim sederent nisi jussi. Post præceptum vero, positis subselliis quæ secum attulerunt, subsederunt.

Vidimus ibi quem postea didicimus morem Græcorum, sedentibus dominis omnem pariter astare clientelam. Videas juvenes fixo gressu, reclino capite, in propriis dominis erectis aspectibus cum silentio, solo nutu ipsis parere paratos. Non habent amictus, sed vestibus sericis curtisque et clausis undique divites induuntur, strictisque manicis expediti, more pugilum semper incedunt. Pauperes, etiam excepto pretio, similiter se coaptant. Chartas autem plenarie interpretari, partim non decet, partim non possum. Nam prima pars earum et maxima tam inepte humiliter captabat benevolentiam, ut verba nimis affectuosa, quia non erant ex effectu, non solum imperatorem, sed, etiam mimum dicerem dedecere. Et ideo pudor est **20** tendentem ad alia talibus occupari. Non possunt autem, quia Franci adulatores, etiam si velint, non possunt Græcos æquare.

Rex vero cuncta, licet cum rubore, prius exponi tolerabat, sed ex quo fonte procederent nesciebat. Tandem vero cum eum in Græcia nuntii frequentarent, et semper ab hujusmodi proœmio inchoarent, vix ferebat. Religiosus autem et animosus vir, Lingonensis episcopus Godefridus, quadam vice regi compatiens, narrantisque et interpretis moras non ferens, ait : Fratres, nolite gloriam, majestatem, sapientiam et religionem ejus tam frequenter iterare. Se ipse novit, et nos bene novimus eum, sed quod vultis celerius et liberius intimate. Semper tamen, etiam inter quosdam laicos istud proverbium notum fuit :

.....Timeo Danaos, et dona ferentes.

(Virgil., *Æneid.*, lib. 2, vers. 49.)

Pars autem ultima chartarum, quæ ad rem pertinebat, continebat hæc duo : scilicet ut rex imperatori de suo regno nullam civitatem aut castrum offerret, imo restitueret ei si ab aliquo quod sui juris esset Turcos excluderet, et hoc sacramentis nobilium firmaretur. Primum satis competens nostris sapientibus videbatur, pro altero vero diu est quæstio de jure ventilata. Quidam dicebant : Quod sui juris esse potest vel pretio, vel ratione, vel viribus a Turcis expetere. A nobis autem cur non debet, si nos hoc viderit aliqua occasione possidere? » Alii vero dicebant illud debere nominari, ne de propositione indefinita lites possent in posterum excitari.

Inter hæc dies plures pertranseunt, et Græci moras causantur, verentes, ut dicebant, ne imperator cavens sibi comburat pabula, destruat immunita; hoc enim facturum se prædixerat, si nos, inquiunt, moraremur, quasi **21** sciens ex hoc quod vos pacifici non venitis. Quod si fecerit, postea nec, ipso volente, in via plenarie necessaria invenietis. Tandem vero quidam ex parte regis de securitate sui regni juraverunt, et ipsi forum idoneum, concambium competens, et alia quæ nostris utilia visa sunt pro suo imperatore sacramento simili firmaverunt. Aliud autem quod inter ipsos definiri non potuit, mutuæ regum præsentiæ reservarunt. Post hæc unus eorum, Demetrius nomine, cum festinatione recedit, alius qui Maurus dictus est, nobiscum remansit. Eliguntur deinde qui cum eodem Mauro Constantinopolim præmittantur (hoc enim inter alia litteræ requirebant) Aluisus Atrebatensis, Bartholomæus cancellarius, Archembaldus Burbonensis et quidam alii. Proceduntigitur expeditius legatione suscepta, subsequente rege morosius, sicut ferre poterat constipatio populosa.

In his quæ scribimus pro exemplo est descriptio probitatum, pro directione itineris nomina civitatum, pro cautela viatici qualitas regionum. Nunquam enim deerunt sancti sepulcri viatores, eruntque, si placet, de nostris eventibus cautiores. Igitur Metis, Wormatia, Wirceburgis, Ratispona, Patavia civitates opulentissimæ tribus dietis a se invicem distant. A postremo nominata quinque dietæ sunt usque ad Novam urbem; ab hac, una usque ad portas Hungariæ. Quæ interjacent, nemorosa sunt, et nisi deferantur de civitatibus, non sufficiunt exercitui

Digitized by Google

victualia ministrare, rivis tamen abundant, et fontibus et pratis. Cum transirem regionem istam, aspera mihi montibus videbatur, nunc autem planam judico respectu Romaniæ. Hungaria ex hac parte aqua **22** lutosa cingitur; ex alia vero a Bogaria amne lucido separatur. In medio sui fluvium habet Droam, qui stanni more unam ripam proclivem habet, et alteram arduam, unde modica pluvia effluit, et adjutus vicinis paludibus etiam aliquanto remota submergit. Audivimus eum multos Alemannorum, qui nos præcesserant, subito inundasse; nos autem ubi castra eorum fuerant, vix potuimus transvadere. In hoc parvas naves habuimus et paucas; ideo fuit opus equos natare, qui facilem ingressum et egressum difficilem habentes, cum labore quidem, sed tamen Deo volente sine damno transibant. Cætera omnis aqua terræ hujus, lacus sunt, et paludes et fontes, si tamen fontes sunt, quos paululum fossa humo, etiam in æstate faciunt transeuntes, excepto Danubio qui hanc satis in directum præterfluit, et multarum regionum divitias nobili civitati Estrigim navigio invehit.

Terra hæc in tantum pabulosa est, ut dicantur in ea pabula Julii Cæsaris exstitisse. In hac pro voto nobis fuerunt et forum et concambium. Hæc dietas quindecim habet. Deinde Bogaria in ingressu castrum attollit quod Bellagrava dicitur Bogarensis, respectu cujusdam quæ in Hungaria est, ejusdem nominis civitatis. Inde ad unam dietam interposito quodam fluvio, Brundusium civitatem pauperculam. Quod de illa superest, ut ita dixerim, pratum est nemorosum, vel nemus pabulosum. Bonis abundat quæ sponte nascuntur, et cæteris est habilis, si colonos haberet. Non plana jacet, nec montibus asperatur, sed inter colles vineis et segetibus habiles, rivis et fontibus lucidissimis irrigatur. Caret fluviis, sed usque Constantinopolim exinde nobis **23** navibus opus fuit. Hæc ad quintam dietam, primam sed modicam, ex hoc parte Græciæ civitatem Nit ostendit. Nit, Hesternit, Philippopolis, Andrinopolis civitates sunt, quatuor dietis ab invicem dissidentes, et ab ultima usque Constantinopolim sunt quinque. Quæ interjacent plana sunt, villis et castellis, omnibusque bonis redundantia. Dextra lævaque montes sunt, tam prope ut videantur, et tam longe ut lata, dives et jucunda planities includatur. Hactenus hæc.

Oportet autem nos ultro citroque progredi et reverti. Multa enim scribenda se offerunt, sed non debet oratio rerum multiplicitate confundi. Collateraliter incedunt causæ, sed oportet servari consequentiam in sermone. Ecce enim rex et imperator occurrerunt mihi memoriæ pariter Rastisponæ. Sed cum rex mihi sit principalis materia, me cogunt tamen de imperatore pauca inserere facta eorum communia. Nostrum regem præcessit Alemannus loco et tempore. Noster processit in Pentecosten, ille in Pascha; noster de Beato Dionysio movit pedem, ille de Ratispona; hoc tamen nostro contulit quod ille præcessit, quia cum in terra ejus multi fluvii sint, super ipsos, sine proprio labore et sumptu novos pontes invenit. Ut autem verum fatear, valde imperialiter egressus est et navali apparatu, et pedestri exercitu. Et bene; habebat enim tunc Hungaros inimicos. Igitur imperator animosus, navalis et pedes, habens in navibus copiosum militem secum, et juxta se per terram equos et populum, sicut et oportuit et decuit principem, ingressus est Hungariam. Erat autem quidam, Boricius nomine, qui jus hæreditarium in regno illo clamabat, et super hoc Stampas **24** regi nostro litteras miserat, plenarie querimoniam exponentes, et humiliter justitiam postulantes. Hic dum regi nostro veniret obviam, litteras suas sequens, ostendit in quo confidere posset imperatorem. Causam igitur suam illi exponit, multa promisit, imo sicut audivimus, dedit, et ab eo spem sui juris accepit. Rex autem Hungaricus sciens se posse vincere facilius auro quam ferro, multam pecuniam inter Alemannos effudit, et eorum impetum evasit. Boricius autem spe frustratus inani, delitescens arte qua potuit, regis transitum exspectavit, et nescio qua intentione furtive se Francis immiscuit. Dicitur tamen hoc duos principes scisse, et gratia imperatoris Constantinopolitani, neptem cujus habebat, hunc illis satis favorabiliter adhæsisse.

Tali velamine tectus et tutus, procedit cum exercitu per Hungariam. Inter hæc rex Hungaricus nostrum timens et veneratus, legatis et muneribus ejus gratiam conquirebat: sed interposito Danubio præsentiam devitabat. Optabat autem ejus colloquium quem fama sibi commendaverat, res monstrabat; sed cum navigare in nostram ripam timeret, humiliter supplicat regi, ut ad suam ripam sua dignatione veniret. Rex igitur, cui mos erat dilectione et humilitate facile superari, ductis secum quibusdam episcopis et ducibus, ejus paruit voluntati. Deinde post oscula, post amplexus, statuunt pacem, firmant amorem, et ut securi deinceps per Hungariam nostri peregrini transirent. Quo facto rex noster Hungarum lætum dimisit. Prosequuntur eum regia munera, equorum, vasorum et vestium et parat adhuc rex Hungarus nostrum et ejus optimates pro posse venerari, **25** cum ecce intelligit inter Francos esse Boricium. Mittit ergo qui regi fœdus novum dilectionis, et pacis prætenderent, et inimicum suum, qui latebat in exercitu sibi tradi prece humili postularent. Hoc totum factum est nocte. Rex autem, totius duplicitatis ignarus, id penitus non credebat. Sed tandem illis constanter hoc asserentibus et precantibus acquievit. Illi ergo læti audacter amplius quam prudenter incedunt, nam ille tumultu quærentium a lecto excitus nudus evasit. Unde illi confusi redierunt. Fugitivus autem non tamen stupidus dum tendens ad fluvium tentoria exiisset, obvium habuit armigerum super optimum equum, cum quo pro equo animose confligit. Clamat armiger, et resistit, et magis superat clamore quam viribus. Confluunt

Digitized by Google

enim undique qui Boricium sicut latronem capiunt. A et verberatum, luto sordidum, nudum, exceptis femoralibus, regi adducunt. Omnes eum latronem putabant, ipse vero regi prostratus, licet ignoraret linguam nostram, et rex tunc interpretem non haberet, quædam tamen verba nota, barbaris vocibus inserens, et suum nomen sæpius iterans, quis esset aperuit. Mox igitur honeste induitur et in crastinum reservatur. Hungarus autem rex qui prope nos tentoria fixerat, et Boricium jam expertus metuebat, loco vicinus et timore curiosus, illico scivit quod gestum est. Hunc ergo a rege sicut ab amico, et pro fœdere amoris quasi ex debito requirit, et insuper ob hoc multa, imo vix credenda promittit. Similiter prece et pretio sollicitat animos procerum; sed non valet extorquere a rege instantia precum aut munerum, nisi quod prius judicasset communis sententia 26 sapientum. Suum hunc fatebatur amicum, non tamen propter eum sibi faciendum esse quod dedeceret peregrinum. Episcopi tandem, et optimates alii convocati, discussa ratione judicaverunt ut rex regi pacem servaret, et viro nobili, licet capto, vitam servaret, quia scelus esset utrumque, et morti hominem vendere, et amici sine ratione fœdera rumpere. Ergo rex Hungarus se nostris non credens, sed tristis abscedens, tutiora et remotiora sui regni requirit; noster autem Boricium satis honeste secum habens, de Hungaria educit.

LIBELLUS TERTIUS.

Hucusque lusimus, quia nec damna pertulimus ex malitia hominum, nec pericula timuimus de astutia subdolorum. Ex quo autem intravimus Bogariam, terram Græcorum, et virtus laborem pertulit, et sensus exercitium. Ingressuri desertum, in Brundusio paupere civitate victualibus onustamur, quæ maxime Hungaria per Danubium ministravit. Erat ibi tanta navium multitudo, quas Alemanni adduxerant, ut domibus ædificandis, et igni civibus in longum sufficerent. Harum minores nostri accipiebant, et transducto amne, de quodam castro Hungariæ non longe posito, necessaria convehebant. Hic primo cupream monetam et stammas offendimus; et pro una earum j v denarios, et pro XII solidis marcam tristes dabamus, vel potius perdebamus. Ecce in introitu suæ terræ Græci perjurio maculantur. Debetis enim jam dicta reminisci, illos scilicet pro suo imperatore forum idoneum et concambium nostris jurasse, 27 Cæterum deserta transivimus, terramque pulcherrimam et opulentissimam, quæ sine interruptione protenditur usque Constantinopolim intravimus. Hic primo cœperunt injuriæ fieri et inveniri; nam cæteræ regiones quæ nobis necessaria competenter vendiderunt, nos omnino pacificos invenerunt. Græci autem suas civitates et castella observabant, et per murum funibus venalia submittebant; sed nostræ multitudini non sufficiebat victus tali mora ministratus. Peregrini ergo, in rerum abundantia penuriam non ferentes, prædis et rapinis sibi necessaria conquirebant. Visum tamen est aliquibus hoc Alemannorum nos præcedentium culpa fuisse, qui cum omnia prædarentur, invenimus eos insuper aliqua suburbia combussisse. Nam (quod ægre referendum est) Philippopolis extra muros nobilem burgum Latinorum habebat, qui supervenientibus abundanter pretio necessaria ministrabat. Ubi cum tabernis insedissent Alemanni, malo auspicio adfuit joculator, qui licet eorum linguam ignoraret, tamen sedit, symbolum dedit, bibit, et post longam ingurgitationem, serpentem quem præcantatum in sinu habebat extrahit, et scypho terræ imposito superponit, et sic inter eos quorum mores et linguam nesciebat, cæteris lusibus joculatoriis sese frangit. Alemanni quasi viso prodigio illico cum furore consurgunt, mimum rapiunt, et in frusta discerpunt. Scelusque unius omnibus imputant, dicentes quod eos occidere Græci veneno volebant. Turbatur urbs tumultu suburbii, et dux cum turba suorum ut sedaret turbam foras inermis sed festinus egreditur, Turbatus autem a vino et furore oculus Alemannorum non arma videt, sed cursum. Unde 28 causa pacis accurrentibus occurrunt irati, putantes a se homicidii vindictam exigi. Illi autem fugientes in urbem recepti sunt.

Tunc sumptis arcubus (hæc enim sunt arma eorum) denuo exeunt, fugant quos fugerant, occidunt, vulnerant, expulsisque omnibus de suburbio, cessant. Ibi multi Alemannorum occisi sunt, et maxime in hospitiis, et pro pecuniis suis in speluncis projecti. Resumptis ergo animis et armis, ut vindicarent suam verecundiam et aliorum necem, redierunt et extra muros fere omnia combusserunt. Nostris etiam erant importabiles Alemanni. Nam quadam vice quidam nostrorum regiæ multitudinis oppressionem vitantes, et ideo præeuntes, juxta illos hospitati sunt. Itur ad forum ab utrisque, sed Alemanni non patiebantur ut Franci aliquid emerent, nisi postquam ipsi exinde satis habuissent. Inde rixa, imo garritus obòritur, ubi enim alter alterum non intelligens, cum clamosa voce impetit, garritus est. Franci ergo percutientes et repercussi, de foro cum victualibus redierunt. Alemanni autem, quia multi erant, paucorum Francorum super-

Digitized by Google

biam dedignantes, contra illos arma sumunt, furiose invadunt, illique similiter armati animose resistunt. Sed Deus illud nefas nocte cito superveniente finivit. Nocte illa ignis eorum nec exstingui potuit, nec consopiri, quia mane debacchantes acrius surrexerunt. Sed sapientes eorum, stultorum genibus provoluti, humilitate et ratione insaniam sedaverunt. Sic Alemanni præcedentes omnia perturbant, et ideo Græci subsequentem nostrum pacificum fugiebant. Conventus tamen ecclesiarum, et clerus omnis de civitatibus exeuntes, cum iconiis suis et alio Græco apparatu, **29** illum semper cum timore et honore debito suscipiebant. Dux quoque Hesternensis, cognatus imperatoris, in via regi semper adhærens, et pacem indigenis, et ex parte forum fecit exhiberi peregrinis. Qui regi de victualibus satis honorifice serviebat, sed ipse inde sibi parum vel nihil retinens, modo totum divitibus, modo pauperibus dividebat. Ideoque cum illo pax districtius servabatur, quia ibi minus necessitatis et amplius erat timoris. Multæ vero illum præcedebant acies et sequebantur, vel de foro, si poterant, vel de prædis quia hoc poterant, sibi abundantiam conquirentes. Tandem venitur Philippopolim, ubi Aluisus venerandus Atrebatensis episcopus, dum legatione Constantinopolim fungeretur, octavo Idus Septembris in sancta confessione obierat. Hic post longam ægritudinem dum inter festum sancti Bertini, cujus monachus fuerat, et Nativitatem beatæ Mariæ acrius urgeretur, obortis lacrymis, quarum gratiam semper habuerat, monachis suis et clericis convocatis dixit : Charissimi, festum sancti Bertini honore debito celebratis, sed quia solemnitati beatæ Mariæ vobiscum non interero, impendite mihi gratiam quam potestis, ut præoccupantes eam, sumptis libris omne mihi servitium solemniter decantetis. Illi autem flebiliter obsequentes, diei et noctis omne servitium morosius decantarunt. At ille quotiescunque illud, *Ave*, singulare, vel nomen Virginis audiebat, in ipso mortis articulo, nitu debili, sed devoto surgebat. Post hæc reddidit Virgini animam, cujus ipsa tam devote jam tenebat memoriam. Corpus autem ejus extra urbem in ecclesia Sancti Georgii, ante altare venerandam habuit sepulturam **30** Ad cujus tumulum rex postmodum veniens, illum obiisse doluit et cum suis episcopis et abbatibus ei lugubres exsequias iteravit. Sciendum quoque est quod nos pro certo vidimus febricitantes prius subtus feretrum, deinde supra tumulum obdormire, postmodum de sua sanitate Deo et defuncto episcopo gratias agere. His autem paululum intermissis, libet Alemannos Constantinopolim duci, imo etiam et transduci, debet enim res ordine quo gesta est recitari. Incedunt igitur satis audacter, sed minus sapienter, quia, dum in terra illa ubique inveniunt opulentiam, et in ea non habent temperantiam, pedites eorum remanentes ebrii necabantur, et inhumatis eorum cadaveribus omnia fœdabantur. Unde Francis sequentibus minus nocebant armati Græci quam occisi Alemanni. Illi vero venientes Andrinopolim, invenerunt transitum Constantinopolim, partim resistendo, partim consulendo prohibentes, et apud Sanctum Georgium de Sisto [*an* de Xysto?] mare strictius et solum fertilius asserentes. Sed imperator eorum resistentes et consulentes æqua lance vilipendit. Tendens ergo quo cœperat, in medio fere itinere pratum invenit, fluviolo quodam vel torrente irriguum, et mari contiguo terminatum. Dum igitur ibidem fixis tentoriis pernoctaret, erupit pluvia super eos quidem sicut audivimus modica, sed in montibus tanta inundantia, ut eos potius raperet quam aspergeret. Torrens enim tumidus, et rapidus tentoria sibi obvia, et quidquid continebant involvens et rapiens, in mare vicinum præcipitavit, et ipsorum multa millia submersit. Imperator autem et superstes multitudo, non sine dolore quidem, sed tamen velut **31** sine damno tantum malum perferentes, consurgunt, et quasi audaciores redditi pro eventu Constantinopolim veniunt. Erat ante urbem murorum ambitus spatiosus et speciosus, multimodam venationem includens, conductus etiam aquarum et stanna continens. Inerant etiam quædam fossa et concava, quæ loco nemorum animalibus præbebant latibula. In amœnitate illa quædam palatia nimia ambitione fulgebant, quæ imperatores ad jucunditatem vernorum temporum sibi fundaverant. In hunc, ut verum fatear, deliciarum locum, Alemannus imperator irrupit, et undique pene omnia destruens, Græcorum delicias ipsis intuentibus suis usibus rapuit. Imperiale namque palatium et singulare quod muris supereminet urbis, istum sub se habet locum, et inhabitantibus in eo fovet aspectum. Tamen si tale spectaculum Græco imperatori stuporem attulit, vel dolorem repressit, et per suos Alemanni colloquium postulavit. Sed alius eorum ingredi civitatem, alius egredi timuit aut noluit, et neuter pro altero mores suos aut fastus consuetudinum temperavit. Rex interim Francorum, cui semper mos fuit regiam majestatem humilitate condire, imperatori Alemannorum cum multa prece mandavit ut eum citra Brachium exspectaret, et quorum voluntas eadem eumdem laborem susceperat, eodem consilio fruerentur. Ipse vero fervore quo cœpit accelerat, et accepto a Græco imperatore duce itineris, imo potius erroris et mortis, transmeat. Et licet ego præscripserim, et verum sit de illius exercitu infinitos jam obiisse, audivimus tamen a Græcis qui numerarunt transeuntes, eum cum nongentis millibus et quingentis sexaginta sex [*forte*. nonaginta.] transfretasse. **32** Venit ergo Nicomediam, ubi sui oborto scandalo schisma fecerunt. Imperator tetendit Iconium, frater autem ejus Otto Frisingensis episcopus, et nobiles multi cum eo maritima tenuerunt. Flebiles eorum eventus et celeres, loco et tempore referemus ; sed ad nostros interim redeamus. Venerandus Metensis episcopus, et frater ejus Renaldus

Digitized by Google

comes de Monçon, et Tullensis episcopus Alemannos non ferentes, cum copioso exercitu adventum pacifici principis exspectabant. Sed Græci quibus poterant injuriis et maxime fori subtractione illos transfretare cogebant, dicentes se pactum cum eorum imperatore firmasse, quod nullum suorum ibi permitterent remanere. Regii vero nuntii qui adhuc in urbe morabantur, hoc audientes, et verum esse credentes, litem illam tali pacto terminarunt, ut illi transmearent, et forum idoneum in aliam partem exspectantes haberent. Quo facto pauci Franci qui supervenerant remanserunt. Quos cum alios sequi monerent, cogerent, nec impetrarent, immensam multitudinem Pincenatorum et Cumanorum ad eos debellandos miserunt, qui etiam in desertis Bogariæ per insidias de nostris plurimos occiderunt. Illi autem quemdam terræ tumulum ascendentes, et in eo se bigis et quadrigis sepientes, viriliter restiterunt. Ibi nostri primam perpessi sunt penuriam, quia forum non habebant, nec illi ab impugnatione cessabant. In urbe vero regii nuntii tarde licet hoc scientes, imperatorem adeunt nimia commotione ferentes. Cognito enim doloso scelere, de his qui transierunt pridie, conqueruntur, et maxime de his qui in urbe Christianorum ab infidelibus impugnantur. Tunc imperator quasi aliter Pincenatos **33** inhibere non posset, jubet nostros accedere propius, et subtus se ad pedem palatii hospitari et mercatum præberi.

Igitur illi audito nuntio claustra sua qualiacunque exeunt, et quo jussi fuerant quasi nihil timentes incedunt. Cum ecce illos Pincenatorum alii persequuntur, alii locum illorum occupare nituntur. Illi autem celeriter et viriliter revertentes et persequentibus locum suum occupantibus animose restiterunt. Ibi multi pedites ut expeditius fugerent, suarum rerum projicientes aliqua perdiderunt. Tunc quidam nuntiorum ardentius inflammati, Eurardus videlicet de Britoilo, et Manasses de Bugues, et Ansellus dapifer Flandrensis, et quidam alii judicantes melius honeste pati mortem suam quam turpiter videre suorum, armantur, civitatem exeunt, junguntur suis, et participes efficiuntur discriminis. Magister vero templi domnus Eurardus de Barris, et Bartholomæus cancellarius, Herchembaudus Burbonensis, et quidam alii imperatorem aggredientes, eum quem tunc viribus superare non poterant, ratione viceruntur. Jurat ille se hoc nescisse, suis petit veniam, nostrosque facit juxta palatium hospitari, et omni propulsa inquietudine, mercatum facit præberi. Esset nuntiis satisfactum, nisi probarent scelus ex scelere; didicerant enim eum cum Turcis pacem habere. Et qui regi scripserat ad debellandas gentes incredulas secum ire, et se de illis novam et gloriosam victoriam habuisse, certum erat cum eisdem inducias duodecim annorum firmasse. Augebatur etiam ex hoc, et declarabatur perfidia, quod per regnum ejus sola incedebat multitudo secura. Episcopus enim Lingonensis, et comes Warenensis, et quidam alii qui ad **34** arma sibi præparanda, ciborumque viaticum Constantinopolim paucos præmiserant, magna rerum damna pertulerant, et suorum vulnera mortesque dolebant. Et hoc non semel accidit. Ex quo enim terram ipsius intravimus suorum latrocinia, quia viribus erant impares, perpessi sumus. Esset hoc forsitan tolerabile, et poterat dici mala quæ pertulimus, malis quæ fecimus meruisse, nisi blasphemia jungeretur. Nam si nostri sacerdotes missas super eorum altaria celebrabant, quasi essent profanata, lustrando et abluendo postea expiabant. Habent omnes divites capellas proprias, picturis, marmore, et lampadibus sic ornatas, ut unusquisque eorum merito diceret: *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (*Psalm.* XXV), si lampas in eis orthodoxæ fidei coruscaret. Sed proh nefas! audivimus scelus eorum morte luendum, quia quotiescunque nostrorum connubia contrahunt, antequam conveniant, eum qui Romano more baptizatus est, rebaptizant. Alias hæreses eorum novimus, et de more sacrificii, et de processione Spiritus sancti. Sed nihil horum nostram paginam sordidaret, nisi nostræ materiæ conveniret.

His enim de causis nostrorum incurrerant odium, exierat namque inter laicos etiam error eorum. Ob hoc judicabantur non esse Christiani, cædesque illorum ducebant pro nihilo, et a prædis et rapinis difficilius poterant revocari. Sed revertamur ad regem, qui, licet fere diebus singulis novos imperatoris nuntios habeat, causatur tamen moras suorum, quia quid cum eis agatur ignorat. Bona semper nuntiant, nunquam ostendunt, et minus creduntur, quia omnes eumdem adulationis semper habent proœmium. Polychronias eorum suscipit, sed vilipendit: **35** sic enim vocantur reverentiæ quas non solum regibus, sed etiam quibuslibet suis majoribus exhibent, caput et corpus submissius inclinantes, vel fixis in terram genibus, vel etiam sese toto corpore prosternentes. Interdum imperatrix reginæ scribebat, et tunc Græci penitus frangebantur in feminas, omne virile robur, et verborum et animi deponentes. Leviter jurabant quidquid nos velle putabant, sed nec nobis fidem, nec sibi verecundiam conservabant. Generalis est eorum enim sententia non imputari perjurium, quod sit propter sacrum imperium. Nec me putet aliquis odiosum genus hominum persequi, et odio eorum fingere quæ non vidi, requisitus enim quicunque Græcos noverit, fatebitur quia quando timent, nimia sui dejectione vilescunt et quando prævalent, gravi subditorum oppressione superbiunt. Cæterum multo studio consulendo laborabant ut rex ab Andrinopoli ad Sanctum Georgium de Sisto gressum diverteret, et ibi celerius et utilius transfretaret. Rex autem noluit incipere, quod Francos audiebat nunquam fecisse. Igitur eisdem vestigiis, sed non eisdem auspiciis Alemannos subsequitur præcedentes. Et cum ad unam dietam Constantinopolim propinquasset, suos nuntios habuit obvios, rumores de

Digitized by Google

imperatore quos jam ex parte retulimus reportantes. Tunc fuere qui regi consulerent retrocedere, et terram opulentissimam cum castellis et urbibus capere, et interim regi Rogerio, qui tunc imperatorem maxime impugnabat, scriberet, et ejus adjutus navigio ipsam Constantinopolim expugnaret. Sed væ nobis, imo Petri apostoli subditis omnibus, quod non prævaluerunt 36 voces eorum ! Processimus igitur et nobis appropinquantibus civitati, ecce omnes illius nobiles et divites, tam cleri quam populi, catervatim regi obviam processerunt, et cum honore debito susceperunt, rogantes humiliter ut ad imperatorem intraret, et de sua visione et collocutione illius desiderium adimpleret. Rex autem ejus timori compatiens, et petitioni obediens, cum paucis suorum intravit, et eum in porticu palatii satis imperialiter A obvium habuit. Erant fere coævi et coæquales, solis moribus, vestibus dissimiles. Tandem post amplexus et oscula mutuo habita, interius processerunt, ubi positis duobus sedilibus pariter subsederunt. Circumstante autem corona suorum, loquuntur per interpretem ; requirit imperator esse regis et voluntatem, optans ei quæ Dei sunt, quæ sua sunt repromittens ; utinam sicut honeste, sic vere ! Si gestus corporis, si alacritas faciei, si verba cordis intima demonstrarent, circumstantes illum nimio affectu regem diligere comprobarent ; sed tale argumentum probabile est, non necessarium. Post hæc sicut fratres ab invicem discesserunt, et regem foras ad palatium in quo erat hospitatus, imperii nobiles conduxerunt.

LIBELLUS QUARTUS

Constantinopolis Græcorum gloria, fama dives et rebus ditior, ad formam veli navalis in trigonum ducitur. In interiori angulo Sanctam Sophiam habet, et palatium Constantini, in quo capella est quæ sacrosanctis reliquiis honoratur : duobus autem lateribus 37 mari præcingitur. Venientes ad urbem, Brachium Sancti Georgii ad dexteram, et quemdam profluvium qui de ipso procedens, ad quatuor fere millia tenditur, habebamus ad lævam. Ibi palatium, quod dicitur Blacherna, fundatur quidem in humili, sed sumptu et arte, decenti proceritate consurgit, et triplici confinio triplicem habitantibus jucunditatem offerens, mare, campos, urbemque visibus alternis despicit. Exterior ejus pulchritudo fere incomparabilis est, interior vero quidquid de illa dixero superabit. Auro depingitur undique, variisque coloribus, et marmore studioso artificio sternitur area, et nescio quid ei plus conferat pretii, vel pulchritudinis, ars subtilis, vel pretiosa materia. Latus tertium de trigono civitatis, campos habet, sed duplici muro munitur, et turribus, qui a mari usque ad palatium fere duobus millibus tenditur. Hic nec robore firmus est, nec turres in altum subrigit, sed urbs, sicut æstimo, in sua multitudine, et antiqua quiete confidit. Infra muros terra vacua est, quæ aratra patitur et ligones, habens hortos omne genus olerum civibus exhibentes. A foris subterranei conductus influunt, qui aquas dulces civitati largiter tribuunt. Ipsa quidem sordida est et fœtida, multisque in locis perpetua nocte damnata. Divites enim suis ædificiis vias tegunt, sordesque et tenebras pauperibus et hospitibus derelinquunt. Ibi cædes exercentur, et latrocinia, et quæ tenebras diligunt alia scelera. Quoniam autem in hac urbe vivitur sine jure, quæ tot quasi dominos habet, quot divites, et pene tot fures quot pauperes, ibi sceleratus quisque nec metum habet nec verecundiam ubi scelus nec lege vindicatur, nec luce venit in 38 palam. In omnibus modum excedit ; nam sicut divitiis urbes alias superat, sic etiam vitiis. Multas quoque habet ecclesias, Sanctæ Sophiæ magnitudine impares, non decore ; quæ sicut sunt admirabiles pulchritudine, sic sunt etiam numerosis sanctorum pignoribus venerandæ. Ad has intrabant qui poterant, alii curiositate videndi, alii devotione fideli. Rex quoque, duce imperatore, loca sancta visitavit, et revertens, cum eo victus precum instantia comedit. Convivium illud sicut gloriosos convivas habuit, sic apparatu mirifice, dapum deliciis, voluptuosis jocorum plausibus, aures, et os et oculos satiavit. Timebant ibi regi multi suorum ; ipse vero, qui Deo commiserat curam sui, fide et animositate penitus nihil timebat. Non enim cito credit sibi noceri, qui nocendi non habet animum, licet Græci nullum argumentum perfidiæ demonstrarent : credo enim illos non tam sedulum exhibuisse servitium, si bona cogitarent. Suas vero dissimulabant injurias, post Brachii transitum exigendas. Nec imputabatur eis si portas urbis multitudini obserabant, quia multas eorum domos, et oliveta combusserant, vel penuria nemorum, vel insolentia et ebrietate stultorum. Faciebat eis rex aures, manus et pedes sæpius detruncare, nec sic poterat eorum vesaniam refrenare. Imo erat necessarium alterum e duobus, vel, multa millia simul occidere, vel eorum mala plurima tolerare. Forum igitur satis abundanter nobis afferebat navigium ; et ante palatium, vel etiam in tentoriis habebamus congruum si duraret, concambium, minus quam duobus denariis stammam unam, et earum triginta tres solidos propter marcam.

Postquam vero tribus dietis 39 urbem transivimus, pro una v vel vi denarios, et pro xii solidis mar-

Digitized by Google

cam unam perdebamus. Cæterum dum rex venientes per Apuliam exspectat inter Brundusium et Durachium transfretantes, solemnitas beati Dionysii accidit, quam ipse veneratione qua debuit celebravit. Novit hoc imperator; colunt etenim Græci hoc festum, et clericorum suorum electam multitudinem, dato unicuique cereo magno, variis coloribus et auro depicto regi transmisit, et solemnitatis gloriam ampliavit. Illi quidem a nostris clericis verborum et organi genere dissidebant, sed suavi modulatione placebant. Voces enim mistæ, robustior cum gracili, eunucha videlicet cum virili (erant enim eunuchi multi illorum), Francorum animos demulcebant. Gestu etiam corporis decenti et modesto, plausu manuum, et inflexione articulorum, jucunditatem visibus offerebant. Referimus imperatoris obsequia ut pateat dolus ipsius, qui prætendebat affectum quem solemus amicis præcordialibus demonstrare, et gerebat animun quem non possemus, nisi mortibus nostris placare. Certe nemo Græcos cognosceret, nisi experimento vel spiritu prophetiæ. Episcopus vero Lingonensis eorum fidem improbans, contemnens obsequia, prophetans mala quæ postea sensimus, urbem capi suadebat. Muros fragiles quorum magna pars ante nostros corruit, inertem populum, sine mora vel labore, ruptis conductibus, dulces aquas posse subtrahi comprobabat. Dicebat vir ille prudens animo, religione sacer quod capta illa civitate non esset necessarium alias expugnare, quia gratuitum possidenti caput earum præberent obsequium. Addebat 40 etiam quod ipsa rem Christianitatis non habet, sed nomen, et cum deberet per se Christianis auxilium ferre, non illos prohibere, ante paucos annos imperator Antiochenum principem agressus est expugnare. Prius cœpit Tharsum, et Manustram, et castella plurima, terramque latissimam, expulsisque Catholicis episcopis urbium, et hæreticis substitutis, obsedit Antiochiam. Cumque deberet, sumptis Christianorum copiis, paganorum viciniam propulsare, illorum auxilio nisus est Christianos exterminare. Deus autem horum cognitor, judex, et vindex, voluit ut ipse sibi toxicatam sagittam infligeret, et modico vulnere vitam indignam finiret. Iste vero qui nunc regnat, hæres quæstus et criminis, sicut jura Ecclesiarum sibi retinet, et alia quæ pater impie conquisivit, sic cæteris inhiat quæ ipse concupivit: et jam principibus extorsit hominium, et erigens altare contra altare, Patriarcha Petri despecto, in urbe statuit suum. Sit vestri judicii utrum illi parcere debeatis, quo regnante cruci Ghristi et sepulcro nihil tutum, quo destructo nihil contrarium. Cum perorasset episcopus, placuit aliquibus quod dicebat. Plures autem quibus displicuit, hæc et similia respondebant: De fide istorum non possumus judicare, legis ignari; quod autem impugnavit Antiochiam, malum fuit; potuit tamen causas habere justitiæ quas nescimus.

(57) Hic deest *transit*, vel quid simile.

Certum vero est regem nuper cum papa locutum fuisse, et super hoc nec præceptum ejus, nec consilium accepisse. Visitare sepulcrum Domini convenimus nos et ipse, et nostra crimina, præcepto summi pontificis, paganorum sanguine vel conversione delere. Nunc autem urbem Christianorum ditissimam 41 expugnare possumus et ditari, sed cædendum est et cadendum. Si ergo cædes Christianorum peccata diluit, dimicemus. Item, si nostris mortuis non nocet ambitio, si tantum valet in itinere pro acquirenda pecunia interire, quantum summi pontificis obedientiæ et voto nostro intendere placent divitiæ, sine timore mortis discrimina subeamus.

Talis erat eorum altercatio, et favebant sibi de jure, assertores utriusque sententiæ. Credo tamen quod vicisset episcopus, nisi Græci magis prævalerent dolis quam viribus, qui nostras moras habentes suspectui, urgere transitum non audebant, forum tamen ex parte subtrahentes, rumoribus Alemannorum nostros ad transitum concitabant. Primo retulerunt Turcos copiosum exercitum congregasse, et Alemannos de illis sine damno suorum quatuordecim millia peremisse. Post diem alteram feliciori eventu, infaustum transitum amplius persuadebant. Dicebant enim Alemannos pervenisse Iconium, et ante adventum illorum, ejusdem civitatis perterritum fugisse populum. Et quoniam ipsi festinant in antea, imperator alter alteri scripsit ut veniat, et quod sine suo labore conquisitum est, defendendo possideat. His stimulis exercitus agitatur, et de mora regis commurmurat, dum quidam lucris eorum, quidam laudibus invidebant. Victus ergo rex, et Græcorum monitis, et suorum querelis, antequam venirent quos exspectaverat, transfretavit. Et imperator sicut hoc ardenter voluit, sic velociter navium copiam præparavit. Rex autem cum Brachium (57), fecit dies quindecim partem sui exercitus exspectando, ultra similiter quindecim, Græcorum versutias tolerando. 42 Habent illi locum quem exspectaverant, et audent detegere quæ cogitaverant. Tamen nostrorum vesaniæ dederunt eis velamina suæ nequitiæ. Unde dictum est a pluribus quod nobis fecerunt non esse malitiam, sed vindictam. Ex parte judicat qui rem novit ex parte; sed non potest facere rectum judicium, qui causam ex integro non cognoscit. Illi enim offendi poterant, non placari. Ecce pertransivimus, et nos naves cibariæ cum cambitoribus subsequuntur; sternunt gazas in littore, fulgent auro tabulæ, vasisque argenteis quæ a nostris emerant honestantur. Veniunt de exercitu qui cambiunt necessaria, junguntur et illis qui ambiunt non sua. Igitur, una die Flandrensis quidam dignus flagris, et flamma, cernens immensas divitias, et immoderata cupiditate cæcatus, clamat, haro, haro, rapiens quod cupivit; et audacia pariter, et prædæ pretio, sibi similes ad

Digitized by Google

nefas animavit. Et quoniam ubique stulti eunt (in concambio enim quot occisi tot stulti) corruunt ubique qui pecunias in promptu habebant. Crescit clamor, furor, corruunt exedræ, conculcatur aurum et rapitur, metu mortis cambitores fugiunt spoliati, navesque suscipiunt fugitivos, et subductæ littori, referunt ad urbem qui cibos emebant nostrorum plurimos. Verberantur isti et spoliantur, civitas quoque quos hospites habuit, quasi hostes spoliavit. Fiunt hæc nota regi, succensusque ira requirit maleficum, qui a comite Flandrensi redditus, in prospectu civitatis illico est suspensus. Deinde festinat quærendo perdita, reddentibus donando veniam, celantibus comminando similem pœnam. Et ne suam præsentiam timerent vel erubescerent, jussit ut episcopo 43 Lingonensi omnia redderent. Revocantur in crastinum qui pridie fugerant, et quod se jurare poterant perdidisse, plenarie rehabebant. Requirebant plurimi amplius quam deberent, sed rex maluit quod defuit de suo restitui, quam pacem sui exercitus violari.

Quo facto eligit qui suos et quæ perdiderant ab imperatore requirerent, et exercitui forum reducerent, Arnulfum Luxoviensem episcopum eloquentia et religione præclarum, et Bartholomæum cancellarium. Et quoniam rex urgebat qui semper festinus erat errata corrigere, satis mane transfretaverunt, et ædituum gratia palatium intraverunt, sed loqui cum idolo nequiverunt. Illo die fuit alter alteri pro solatio, intuitus picturarum pro cibo, et instanti nocte marmoreum pavimentum pro culcitra vel lecto. Sequenti vero die cum profanus ille circa tertiam surrexisset, vocati veniunt ante illum sobrii et insomnes, suam legationem absolventes, et de satisfactione suorum, et de querela nostrorum; fecissetque eum episcopus satis tractabilem prudenti eloquentia et suavi, si posset serpens ille ab aliquo incantari; sed aspidis more surdus, et veneno turgidus, mutatus est ab illo quem antea viderant, imo detectus quem sub doli tegmine prius non cognoverant. Tamen instat episcopus, et ex parte prævalet, habet forum exercitus, et peregrinis suis rebus perditis patet egressus. Dicit ille se adhuc cum rege locuturum, et cito nuntios præmissurum, urget episcopum regredi privata necessitas, ne cum eo faceret triduanum jejunium. Ille bonum adhuc simulat, ut amplius noceat, exhibens forum, sed parce; locuturus cum rege, sed tarde. Dum ergo mittit nuntios et remittit, plures dies 44 pertranseunt, et Franci quod ad viam præparaverant comedunt. Volebat regem ad suum palatium regredi, rex in suam ripam vel in mari ex equo colloquium fieri. Tandem quod caute distulerat, per nuntios revelavit, et regis cognatam, quam regina secum habebat, cuidam suo nepoti conjugem, sibique baronum hominium requisivit. Ob hoc duces itineris, et ubique forum et concambium competens promittebat, ubi hoc non haberent prædarentur, si castrum vel civitas negarent hujus-

A modi caperentur, si sumptis spoliis sibi vacuæ dimitterentur. Offerebat insuper regi munera digna rege, et baronibus singulis suæ congruentia dignitati. His auditis fuit iterum opus morarum, tum quia comes Morianensis, et marchisus de Monteferrato, avunculi regis, Alvernensis comes, et plures alii quos exspectabamus, ultra urbem in conspectu nostro tentoria fixerant, tum quia barones de imperatoris quæstione dissentiebant. Græci autem qui solebant urgere transitum, prohibendo tardabant. Igitur egregii milites per montana dispersi, moræ providentes et itineri, prædis replent exercitum, Græcorum damno suis ementes navigium. Offerunt igitur quod prohibuerant, transductique recipiunt quos exspectaverant. Interea dum B quod requirebat imperator in dubio est, Perticensis comes Robertus, regis germanus, cognatam suam reginæ eam subripit, se cum quibusdam baronibus, illius subducens hominio, et cognatam suam nepotis ejus matrimonio. Sic præcedit Nicomediam, et rex cum episcopis et aliis baronibus, imperatoris discutit causam. Dicebant quidam et maxime Lingonensis : « Ecce impius patefacit quod ante celaverat : 45 vestrum requirit hominium, quorum servus potuit exstitisse, promittens turpiter quod victoria debuit acquisisse. Nos autem, charissimi, præferamus commodis honestatem, obtineamus viribus quod ipse quasi cupidis et timidis pollicetur. Turpe est enim in præsenti tam gloriosum habere C dominum, et infideli facere hominium. » Alii vero, quorum numerus et ratio superavit, hujusmodi respondebant : « Ex consuetudine post regem plures dominos habere possumus, quorum feodos possidemus, sed illi fidem principaliter observamus. Si judicamus hoc esse turpitudinem, deleamus consuetudinem. Nunc autem imperator sibi timens nostrum requirit hominium. Si ergo turpe est nos ab eo timeri, si est inhonestum quod minoribus facimus nos facere imperatori, dimittamus. Si vero metus imperatoris, vel mos nostræ consuetudinis, nec regi facit injuriam, nec nobis verecundiam, acquiescamus nostræ consuetudini, pro nostro commodo illius parcamus formidini, velimus commoda providentes itineris necessitati. Nemo nostrum novit D hanc terram, igitur opus est duce; contra paganos properamus, Christianorum utamur pace. »

Dum hæc aguntur, omnes fere quos rex exspectaverat, transfretarunt, quorum nomina mihi dolor est recitari, quia mortes eorum immaturas aspexi; et esset forsitan legenti tædium, qui quærit utilitatis vel probitatis exemplum. Et quoniam solus imperator erat ulterius causa morandi, imperat rex castra moveri. Quod ille audiens, præmissis nuntiis post eum properat, determinans quoddam castrum eorum colloquio; in quo sibi cavit vicini maris adunato navigio. Rex autem Alemannorum æmulus, quorum bonam famam 46 lætus audierat, et similem festinanter quærebat, nec morari voluit, nec colloquium respuit. Igitur exercitu præcedente re-

Digitized by Google

vertitur, ducens secum baronum gloriam et militum multitudinem expeditam. Ægre tamen ferebat quod ille suorum hominium requirebat, sed Dei servitio putabat esse utile quod promittebat. Si Christianus esset, illud sine aliqua exactione deberet; sed dicebat quod nostram gentem jam expertam suo regno timeret. Et esset ante illos quidquid foret eis utile fugiendum, si non eum facerent tali satisfactione securum. Rex autem contra paganos de festinatione succensus, ad illius voluntatem rigorem sui animi maluit inclinare, quam Dei servitium aliqua occasione tardare. Convenientes igitur, pactiones prius exponunt, videlicet quod ei rex nec castrum nec civitatem quæ sui juris essent auferret. Satis est hæc rationabilis et modesta petitio, quam subsequitur æque liberalis, sed fallax promissio. Ut enim paci regiæ imperialis gratia responderet, adjecit quod duo vel tres optimatum suorum cum rege procederent, quem recto itinere conducentes, forum competens ubique ministrarent. Ubi autem hoc deesset, prædationes castrorum, et urbium captiones sine querela toleraret, si sumptis spoliis terra illi vacua remaneret. Tunc temporis rex Rogerius Apuliensis illum importune et feliciter impugnabat et locis pluribus expugnabat. Contra quem si regem nostrum sibi sociare potuisset, omnem illi thesaurorum copiam effudisset. Sed cum eum nequiret ad hoc flectere, vel assidua prece, vel incredibili promissione, de supradictis alter alteri mutuo sese fœdere sociavit. Deinde sumpto baronum hominio, et rege cum illis donis satis 47 imperialibus honorato, hic post exercitum properavit, ille sacrilegus novo perjurio maculatus, exuto timore remansit, forum longo tempore necessarium paucis diebus exhibens, et promissos duces itineris nunquam reddens. Illo die sol vidit scelus quod ferre non potuit, sed ne videretur illud æquare proditioni Dominicæ, servivit mundo dimidius, et dimidius se abscondit. Cum igitur exercitus dimisso rege procederet, et solem in forma dimidii panis magna diei parte conspiceret, verebatur ne ille qui super alios fide lucebat, dilectione fervebat, spe superna tenebat, proditione Græcorum aliqua portione sui luminis privaretur. Sed aliud accidit æque dolendum. Imperator enim Alemannorum a duce suo proditus, et in concavis montibus clam relictus, multis suorum jaculis Turcorum confossis millibus, retrocedere compulsus est sicut postea referemus. Quod postquam didicimus, quid significaret cœleste prodigium rectius exposuimus, dicentes nostrum regem et Alemannum unum esse solem, quoniam unius fidei lumine coruscabant; et hunc lucere dimidium, et dimidii circuli radios abscondisse, quando rege fervore solito tenente cursum, Alemanni retrocedebant.

LIBELLUS QUINTUS.

Constantinopolis superba divitiis, moribus subdola, fide corrupta, sicut propter suas divitias omnes timet, sic est dolis et infidelitate omnibus metuenda. Si autem careret his vitiis, aere temperato, et 48 salubri fertilitate soli, et transitu facili ad fidem propagandam posset locis omnibus anteferri. Habet enim brachium Sancti Georgii quod fecunditate piscium mare est et salsedine, fluvius quantitate, qui possit in die septies vel octies ultro citroque sine periculo navigari. Ultra Romania est, terra latissima, montibusque saxosis asperrima, meridiana sui parte pertingens usque Antiochiam, et in orientali habens Turciam. Quæ cum tota esset juris Græcorum, hanc ex magna parte Turci possident, illis expulsis aliam destruxerunt; ubi vero Græci adhuc munitiones obtinent, redditus partiuntur. Tali servitio retinent quod Francorum virtus qui Jerosolymam conquisierunt liberavit; et perdidisset omnia populus iners, sed aurum auro redimens, diversarum gentium conductis militibus se defendit. Semper tamen perdit, sed multa possidens, non potest omnia simul; non enim sufficiunt alienæ vires propriis destituto. Quod nobis Nicomedia prima monstravit, quæ sentibus et dumis consita, ruinis sublimibus antiquam sui gloriam et præsentium dominorum probat inertiam. Frustra juvabat eam quidam maris profluvius, qui de brachio consurgens, post diætam tertiam in ea terminatur. Ab hac viæ tres dirigunt Antiochiam quantitate dispares, et qualitate dissimiles. Quæ vergit ad sinistram brevior est, si obstacula non haberet, et tribus hebdomadibus finiretur, sed post dies duodecim prætendit Iconium Solistani sedem, nobilissimam civitatem; et post quinque alios, præteritis Turcis, terram Francorum. Robustus autem exercitus fide munitus et multitudine ista contemneret, sed nivibus montium in hieme terreretur. Quæ dexteram tenet, 49 pacatior est et abundantior, sed marinis anfractibus triplicem moram facit viantibus, habens fluvios et torrentes timendos in hieme loco nivium et Turcorum. Media vero partis utriusque commodis et dispendiis temperatur; breviori longior, sed tutior longiori brevior et tutior, sed pauperior. Igitur Alemanni qui nos præcesserant, facto schismate, plures cum imperatore ad sinistram partem sinistro auspicio per Iconium tetenderunt. Reliqui vero cum fratre illius ad dexteram versi sunt, consequentes

Digitized by Google

omnia sinistrorsum. Nobis autem sors media cecidit, utriusque lateris infortunio temperato. Cum igitur ad sinistram relicta Nicæa super lacum ipsius sederemus, Græcorum rumoribus stimulati, post Alemannos properare et properari, viri nobiles ab eorum imperatore post regem missi supervenerunt, qui nobis illos refugisse Nicæam, contra votum nostrum et æstimationem flebiliter retulerunt. Audientes hoc nostri cum stupore dolent, et cum dolore stupent tam robustum exercitum tam subito defecisse, et inimicos Dei, et nostros, de nostris sociis tam leviter triumphasse. Requiruntur illi ordinem, modum, seu causam tanti infortunii, sed omnia hæc forsitan dicuntur et improprie; siquidem confusio non habet ordinem, nec excessus modum, nec causam illud quod ratio aliqua non præcedit. Habuit tamen finem et principium malum utrumque, sicut ii qui casum illum potuerunt evadere, docuerunt. Satis juste primo erant accusatores sui ipsorum. Quod nimium in propriis viribus confidebant, qui Deum sæpius, et solito amplius offendebant. Deinde Constantinopolitanum idolum exsecrabantur, qui cum dedisset eis viæ conductorem et **50** traditorem, quantum in ipso fuit, Christianorum fidem stravit, paganismum stabilivit, animos illorum timidos animavit, fervorem nostrorum frigidavit. Ducti enim Nicæam a duce suo, jussi sunt octo dierum cibariis onustari, tali viatico Iconium perventuri.

Finitis autem diebus et escis, putabant viam similiter finiendam; sed de illius infinitate, obsessi montibus, et eorum scopulis immersi possent capere conjecturam. Tamen a duce, imo truce suo seducti, amplius de crastino in crastinum usque in tertium patiuntur, et in montes invios longius intruduntur. Tandem credens adhuc vivum exercitum jam sepultum, proditor ille nocte per compendia sibi nota fugit, et ad prædam Turcorum maximam multitudinem convocavit. Diluculo igitur insequenti, cum more solito signiferi prævium suum jam irati in eum, quærerent nec invenirent; Turcos subito vident scopulos montium occupasse, dolentes maxime quem quærebant sine sui sceleris digna mercede fugisse. Fiunt hæc nota imperatori, tam relatione suorum quam solis. Consulit itaque in illo articulo sapientes suos, sed tarde, quia non erant de malo bonum, sed de malis levius electuri. Procedendum erat vel recedendum, sed processum fames prohibebat et hostis, et incognita montium labyrinthus; recessum æque fames et opprobrii metus. In hoc tamen erat spes aliqua evadendi, sed cum turpitudine, in alio certa mors sine veritate vel laude. Quid igitur faciet virtus jejuna? Fugiet in Dei servitio quæ non solet in suo? Item procedet, incassum, illico moritura, quæ adhuc servire Deo poterit conservata? Mallet certe mortem gloriosam quam turpem vitam; sed si utramque maculat turpitudo, **51** melius est strenuis actibus turpiter conservari, quam turpiter sine correctione finiri. Tali consideratione cedentes Alemanni faciunt quod non solent, recessum damnantes judicio, concedentes pro tempore, correctionis intuitu; faciunt quod possunt, volunt quod debent. Armantur itaque omnes ad tolerantiam contra famem. Habentes ad esum fessos et morientes equos, et quemdam comitem egregium, Bernardum nomine, solum cum suis ad militiam contra persequentes inimicos. Dum sic redeunt ordinati, augent diætas cibos quærentes, et minuunt vires labor et esuries. Turci vero paulatim eos tentabant, et debilitate cognita, de die in diem acrius infestabant. Tandem comes illustris, laude dignus et luctu, dum fessos exspectat, dum supportat debiles, exercitus quemdam montem pertransiit, et ipse nocte superveniente ultra remansit. Quem ididem Turci a longe circuiunt et sagittant, et sine damno suorum occidunt levius quam sperant. Carebat enim ille vir arcubus et balistis, famesque et labor abstulerat equos veloces armatis. Nolebant Turci manu ad manum congredi, nec ille habebat arma quibus a longe posset defendi, nec armatos in hostes ferre poterant equi jejuni. Plangenda nimis est juventus agilis, quæ sæpius extracto gladio, vervecum pelles habens pro scuto, dum velociter et audacter currit in hostem, in medio itinere offendit mortem volantem. Dum papa sanctus accipitres et canes prohibuit armisque militum et vestibus modum imposuit, sicut jussit sapienter et utiliter, sic qui ejus imperio non consensit, stulte et inutiliter. Sed æque utinam pedites instruxisset, retentisque debilibus, fortibus quibusque pro pera **52** gladium, et pro baculo arcum dedisset, quia semper debiles et inermes suis sunt onus, hostibus præda. In crastinum comes requiritur, qui ad defensionem suorum ultro se solebat offerre, et discitur illum sero ad exercitum non venisse, sed in via cum suis Turcorum jaculis interiisse. Plangunt omnes mortem illius, de cujus viribus et consilio plurimum confidebant, et quia mors similis immineret universis.

Armantur itaque omnes qui poterant, et fame et hoste solito acrius debacchante properant. Turci enim jam nihil a longe metuunt, ubi arcus non esse, et equos veloces agnoscunt. Ergo non solum postremos urgebant, sed etiam primos et medios sagittabant. Non possum describere damna itineris, in quo ipse imperator vulneratus duabus sagittis, ubi properantibus aliis remanent debiles, et in turba media pluvia sagittarum necat inermes. Sic tandem venere Nicæam morientes. Ibi currunt ad escas famelici, quas sicut in tali necessitate poterant, nimium charas vendebant Græci, spatas et loricas requirentes, non aurum, ut penitus nudarent exercitum. Cujus pars maxima viribus consumptis, et rebus perditis repatriare volens, Constantinopolim ivit; sed antequam possent habere vel forum vel transitum, eorum plusquam triginta millia, sicut audivimus, fames occidit. Imperator vero solatio destitutus humano, et præsumens adjutorium de divino, constanti animo tendit post regem, ad

Digitized by Google

Dei servitium ejus expetens societatem. Quem ab eo præmissi nuntii, super lacum Nicænum sicut prædictum est invenerunt, et ei quæ descripsimus retulerunt, rogantes ut occurrat obviam subsequenti, præstaturus opem et consilium indigenti. Rex autem damnum socii **53** sicut proprium doluit, et cum multo baronum comitatu ejus personæ et precibus libenter et celeriter obviavit. Amplexantur igitur alter alterum, et infigunt oscula quæ rorabant lacrymæ pietatis. Tandem statuunt ut rex imperatorem ad castrum quod Lupar dicitur exspectaret, et ille post istum sumptis in Nicæa cibariis festinaret. Dehinc cœperunt Græci nostris forum subtrahere, sed illi non poterant videre opulentiam et esurire. Dispersi ergo plurimi rapiebant quod libentius emerent, et alii prædas emebant ab eis, quasi justiores, si quoquo modo de suo viverent. Sic veniunt ad Lupar, ubi ex condicto Alemannos exspectant, quos subsequenter, ut residuum bruchi locusta comederet (*Joel.* 1), quotidie Græci rebus et vita spoliabant. Tandem fessus imperator et eques, cum non possent evadere, licet pauci essent inimici, armis viriliter resistendo, descenderunt in via misere procedentes animosius tolerando. Pauperes vero qui non impediebantur ad fugam sarcinis, post regem properant, non timentes cupidos gratia paupertatis. Imperator etiam illi per nuntios supplicat, ut cum militari manu in obviam cito recurrat, vel eorum cadavera sepelire, vel semivivis vitæ particulam custodire. Igitur conestabulus Ivo de Niella, Suessionensis comes, ad hoc urgente rege festinando laboravit, sed fessos Alemannos Græcis fugientibus sine labore liberavit. Et certe, sicut ipsi postea ferebant, nisi conestabulus tam cito venisset, omnes in horam et locum mortis inciderant. Heu! quam miseranda fortuna, Saxones Batavosque truces et alios Alemannos quos in antiquis historiis legimus quondam Romanam fortitudinem timuisse, nunc dolis Græcorum inertium **54** tam miserabiliter interiisse! Referetur quoque suo tempore Francorum occasus, et erit intolerabilis geminus luctus. Et habebunt gentes utræque quod semper defleant, si filii mortes parentum non vindicant. Dat autem nobis, qui pertulimus Græcorum scelera, divina justitia spem vindictæ, et quod nostræ gentes non solent verecundas injurias diu ferre. His interim mœstos animos consolamur, et ut sciant posteri Græcorum dolosa facinora, nostra infortunia prosequemur. Imperatore igitur ad regis tentoria conducto, et in partem alteram cujusdam fluminis hospitato, rex eumdem navibus transiit, et ad illum consolandum animosus et pius, virilis et flebilis pedes venit. Quem ille sicut naufragus portum tenens, verba ejus nimis gratanter suscepit, et ab eo quibus egebat valde humiliter postulavit, eventusque suos sic incipiens, satis constanter exposuit : « Domine rex, quem natura mihi vicinum præstitit et cognatum, et Deus servavit in necessitate patronum, referre vobis meos casus me non oportet, quia supervacuum est monstrare alicui quod jam videt. Mali quidem sunt; sciatis autem quod inde non irascor Deo, sed mihi. Deus enim justus, ego vero et populus meus stulti. Cum de meo regno numerosum exercitum et pecuniosum educerem, si bonorum Largitori dignas gratias redderem, forsitan qui dederat conservasset. Intraturus barbaras regiones si de præsenti vitam corrigerem, et de præterito pia satisfactione deflerem, Deus correpta vitia non punisset. Cum de Turcis victorias præsumebam, si de meo numero non tumerem, sed in Deo exercituum humiliter spem haberem, Deus non inventam contumaciam non domasset. Adhuc tamen **55** sua gratia sanus sum, et divitias habeo, et in voluntate sui servitii persevero, credens quia de tot periculis dives et incolumis non exissem, nec vos in mortis articulo ad meum suffragium invenissem, nisi me Deus adhuc valere aliquid in suo servitio providisset. Nolo itaque deinceps a vestra societate sejungi, nec susceptus primus vel ultimus collocari, quia non possem hostes obvios propulsare, nec sequentes sine damno mediorum sufferre. His exceptis, quo volueritis mea tentoria collocentur. Rogo autem ut de vestris sociis meus numerus augeatur. Cum hæc interpretante Metensi episcopo recenti dolore anxius perorasset, et ad fletum viscera omnium commovisset, rex episcoporum et baronum consilio suos avunculos, Morianensem comitem, et marchisum de Monteferrato, suosque cognatos Metensem episcopum, et fratrem ejus comitem Renaldum, et quosdam alios sibi sociavit, et ut e vicino posset ab illo consilium capere, ambos simul hospitari debere judicavit.

LIBELLUS SEXTUS.

Rex igitur imperatorem diligens pro persona, pene sibi præferens pro ætate, venerans pro fortuna, castra movit, et post festum beati Martini ad castrum quod dicitur Esseron venit. Ego vero interim dum recens est dolor, dum adhuc obsequii regii recordatur, regem adeo, injurias quas beato Dionysio faciebat de castro Estufin et Hescelingis expono, et excommunicationem **56** quam de hoc papam audierat in Pascha facere, ad memoriam reduco. Ille vero exsultans quod occasionem haberet suo patrono serviendi, non differt, sed illico jubet sibi possessores horum monstrari. Cui ego re-

Digitized by Google

spondi, quod ipse imperator in castro turrem unam habebat, et dux Fridericus aliam, qui præsens aderat, et cætera singulariter possidebat. Hoc audito requirit utrumque per se, per suos; prius privatim, deinde publice, pro se rogat, pro Deo placando et glorioso martyre hortatur, ex hoc familiares imperatoris sollicitans, et sollicitando frequentans. Ille vero prius dubia respondebat, quia regem cessare ab incœpto, tædio fatigatum, sperabat; sed ipse ab honesta et religiosa postulatione non destitit, donec ille quam irrevocabilis ab errore, et quam ingratus esset beneficiis, patefecit: « Quamvis hoc non sit de nostra materia, Pater Sugeri, tamen congruit ut sciatis, quatenus pro illo qui vos præsens honorat, et absens diligit, devotius supplicetis. Cæterum rex ex proposito Philadelphiam properabat, et erat usque illuc plena via octo dierum, sed plenarie victualia non habebat. Quod intelligens imperator, cum rex præsens et barones adessent, de hoc sermonem habuit, in quo nobis de sua fortuna forsitan nescius plenis phialis propinavit. Sicut virtutis est, ait gesta fortia imitari, sic prudentiæ est de alieno infortunio cautum reddi. Cum ego nuper exercitum haberem, cui nulla gens incredula restitisset, victus fame cessit his, quos habens victualia domuisset. In hoc autem nobis, duobus est æqua conditio, sicut non timetis gentis alicujus potestatem, sic non habetis jacula contra famem. Ecce vobis proponitur duplex via, una **57** brevior, sed egena; altera longior opulenta; sed certe melius est in opulentia diu honeste vivere quam cito turpiter in egestate perire; est mora melior, quæ robustum exercitum in abundantia servat, quam illa quæ fessum vel famelicum recreat. Unde vobis consulo quatenus maritima teneatis, et robur vestræ militiæ ad Dei servitium, licet tardius veniat, conservetis. »

Annuit itaque rex sermoni magis verisimili quam veraci, damna et pericula illico perpessurus, et ad Demetriam civitatem maritimam, quo pars exercitus quæ rectam viam tenuit die venit dimidia, vix die tertia perventurus. Deviavit enim in quædam concava, offendensque montium scopulos, dum eos circuit vel ascendit, non accedit quo volebat, sed alternis vicibus inferno et sideribus propinquabat. Mane tertio vidimus villulam habentem rusticos socios belluarum, quorum unum fugientibus aliis cepimus, ejusque beneficio eodem die, ad nostros socios de nobis valde timentes, ante Demetriam educti sumus. Primam vero jacturam et maximam fecimus in hos montes, mortuisque summariis, auro et argento, armis et vestibus valde ditavimus Græcos silvestres, damnum hoc, quia evasimus, æquanimiter patientes. Inerat enim ibi torrens sinuosus et rapidissimus, quem oportebat in die novies vel octies transvadare, qui si modica pluvia paulo amplius tumuisset, nemo posset procedere vel redire, sed erat necesse quemque in loco suo lugendo peccata, vitæ terminum exspectare. Post hæc sumus redditi marinis anfractibus, saxosos montes et arduos fere quotidie inventuri, et torrentium defossos alveos quos erat labor etiam vacuos pertransiri; et si nivibus vel imbribus augerentur, **58** non esset possibilis eorum rapacitas ab equite vel pedite transnatari. Ibi multas urbes destructas invenimus, et alias quas ab antiqua latitudine supra mare Græci restrinxerant, munientes eas muris et turribus. Ab his escas habebamus cum labore quidem, propter nostræ multitudinis importunitatem, et nimis chare propter illorum cupiditatem. Sed dicet forsitan aliquis qui non interfuit, has debuisse capi, et quod haberi non poterat justo pretio, gratis rapi. Sed illi turres habebant, et muros duplices ad tutelam, et in mari naves ad fugam. Quis igitur fructus si nostri mora, periculo et labore harum aliquam expugnassent, et cives sumptis urbis spoliis aufugissent? Villarum quoque animalia in montibus abscondebant, ut villani domibus vacuatis, de navibus escas ad suum libitum charas vendebant, et pauperes in tam longo itinere auro et argento, armis et vestibus spoliabant. Illi autem si quando naves poterant invenire, naufragio postposito dupliei intrabant, ituri quocunque illos Græcorum fraudes vel hiemis tempestas vellet deferre. Alii quos conditio damnaverat servituti, ducebant levius in eorum servitio remanere. Nec prætereundum nos in hac via stupentibus indigenis contra morem tres fluvios facile transvadasse, et unumquemque post nostrum transitum illico pluviis inundasse; unde habebatur pro miraculo contra solitum nobis imbres et hiemem pepercisse. Sic tandem præteritis Smyrna et Pergamo, venimus Ephesum, quæ inter ruinas antiquæ gloriæ, venerandas sui status habet reliquias, beati Joannis sepulcrum, in quodam terræ tumulo contra paganos muro circumdatum. Ibi rex imperatoris **59** nuntios cum litteris habuit, qui contra eum Turcos supra numerum congregatos dicebant, et ipsum refugere in illius castella suadebant. Cum vero rex Turcorum metum, et imperatoris gratiam æqualiter contempsisset, obtulerunt alias sputo simili dignas, exponentes quæ rex sibi fecerat damna, et quod non posset suos homines retinere deinceps a vindicta. His sine rescriptione despectis processit, volens in valle Decervion Nativitatem Domini celebrare, et Alemannus pœnitens quod Constantinopolitanum imperatorem non viderat, apud eum reversus est hiemare.

In vigilia itaque Natalis Domini fixis tentoriis in valle prædiviti, Turci Græcis ductoribus, nostris equis pascentibus primas insidias tetenderunt, quibus egregii milites animose et provide resistentes, de capitibus eorum læti primitias habuerunt, et illo terrore festis diebus pacem fecerunt. In his dum divinis laudibus intendimus et quieti, aer obscurior, quasi vellet ante nostrum os divina providentia desecari, (qui Deo volente non fuit nobis postea usque Satelliam vel frigore horridus, vel pluviis

Digitized by Google

nebulosus) imbres emisit, quibus rivi vallium inundabant, et montes nivibus albescebant. Post quartum denique diem aquarum decursis tumoribus, et aere serenato fugatis imbribus, rex torrentibus timens intercipi, si vel nives liquescerent, vel alto imbres defluerent, vallem deserit Ephesinam, sumptus victualibus properans Laodiciam. Erat in hac via inter montes arduos Mæander fluvius profundus et latus de aquis propriis, sed tunc inflatior allenis. Illic cujusdam vallis amplitudinem alveo suo mediam dividit, statimque ripam copiosæ multitudini perviam facit. In his Turci **60** sese diviserunt, putantes hos sagittis procedentem exercitum infestare, illosque vada fluminis timida prohibere, et utrosque quando nostris cederent, de refugio montium tutos fore. Venientes huc invenimus Turcorum manipulos montium scopulos occupasse, aliosque se in plano ad tentandum exercitum objecisse, et reliquos se ultra fluvium ad prohibendum transitum conglobasse. Rex autem sarcinis suis, et debilibus in medio congregatis, primos et ultimos et latera tegit armatis, sic procedens tutus, sed parum proficiens duabus diætis. Astu enim non viribus retardabant eum collaterales inimici, ad fugam docti et faciles, et ad persequendum protervi. Cum igitur illis proterve infestantibus, et docte et leviter refugientibus, pacem non posset habere, nec pugnam, transire volebat, sed nesciebat vadum in fluvio, Turcisque prohibentibus non poterat tentari sine periculo. Circa meridiem vero secundæ diei, Turcorum pars una (sicut condixerant) post exercitum, alia supra fluvium, ubi nostris erat ingressus facilis, et in partem illorum egressus difficilis congregantur. Deinde tribus suorum transmissis, qui contra nostros sagittas mitterent, illis jacientibus ambæ partes clamore unanimi tonuerunt, illique via qua poterant refugerunt. Sed egregii comites Henricus filius comitis Theobaldi, et Flandrensis Theodericus, Guillemus Matisconensis, post illos more turbinis irruerunt, ripamque arduam, sagittarum pluviam, et Turcorum copiam dicto citius penetrarunt. Rex quoque fortuna simili, a tergo sagittantibus laxatis loris obvians, fugavit, secuit, et quibus equorum velocitas dedit suffragium, in concavos montes retrusit. Sic uterque nostrorum **61** impetus cito et facile, de cadaveribus partis utriusque campos usque ad latibula montium seminavit. Ibi quidam Amiradus captus est, et adductus regi auditus est et occisus. Erat in præsenti quædam civitatula imperatoris, Antiochiæ nomen habens diminutivum, quæ paganis fugientibus patuit ad refugium, in quo ille de doloso proditore se in apertum transtulit inimicum. Hanc expugnasset rex ut reclusos caperet fugitivos, sed pene sibi deerant victualia, et in villa paupere nulla caperet spolia. Certe fuerunt qui dicerent album quemdam militem ante nostros ad transitum fluminis, quem non viderunt prius vel postea, se vidisse, et primos ictus in prælio percussisse. In hoc ego nec fallere velim, nec falli. Scio tamen quod in tali districto tam facilis, et tam celebris victoria non nisi divina virtute fuisset, nec adversæ multitudinis ferrea pluvia, sine morte vel vulnere cecidisset, dante nobis Deo victoriam sine damno, nisi Milo de Nogentiaco in flumine suffocatus obiisset. In nostra via habebant Turci cum Græcis terrarum terminos, et nos utrosque sciebamus nobis unanimes inimicos.

Illi ergo suos plangentes mortuos, alios convocant e vicino ad vindictam die septima numerosius et audacius reversuris, nosque die tertia venimus Laodiciam stolida præsumptione securi. Nunc venit in memoriam comes ille Bernardus, qui cum imperatore revertens de Iconio pro fratribus suis animam suam posuit, quia hic cum Frisingensi episcopo fratre imperatoris, alius comes ejusdem nominis et fortunæ, simili proditione interiit. Dux enim hujus urbis cum deberet illos educere de montanis, per loca invia superduxit eos Turcorum **62** insidiis, ubi comite occiso cum pluribus, qui potuerunt evadere latitando fugerunt; dux autem et Græci quos duxerat, cum Turcis spolia diviserunt. Ille idem vel timens regem pro suo scelere, vel nocere volens alio genere, urbem quibusque utilibus vacuavit, fraudemque devitans jam cognitam, aliam æque nocivam cogitavit. Sciebat impius quod usque Satelliam, quo usque postea plusquam quindecim diætas fecimus, non possent alicubi victualia inveniri, et esset necessarium cunctos fame mori, si cibi non possent ab urbe vacua vel emi pretio vel viribus extorqueri. Rex autem super hoc consulit episcopos et alios optimates, qui quamvis nemo dubitaret de illius prudentia nisi ipse, semper tamen ordinabat multorum consilio res communes, et erat equidem prudens humilitas, si se solum pluribus, juvenem senibus, æstimationem suam expertorum usibus postponebat; et quod posset ut dominus, quod sciebat ut sapiens, liberalitas fuit quod subditis deferebat. Illi autem qui solebant de causis aliis disputare, et de conjecturis diversarum rationum quandoque subtilitate superflua dissentire, modo stupebant non invenientes idoneam rationem in isto articulo, et dolebant quod non videbant exitum de communi periculo. Requirebant cibos in urbe de industria vacuata, potentes viribus ad tollendum, et rebus divites ad emendum, sed quia non est ibi quod quæritur, utrumque ad hoc habetur incassum. Consultum tamen fugitivos cives per montium devia quæri, et firmata pace cum venalibus illos reduci.

Quo facto ex parte, illi enim inventi sunt non reducti, processimus in hoc perdita una die, Turcos et Græcos habentes in nostro itinere **63** prævios et sequentes. Erant ibi montes adhuc de cruore Alemannorum madidi, et parebant iidem qui eos occiderant inimici. Rex incassum doctior, videns horum agmina et aliorum cadavera, ordinat acies. In quo Gaufridus de Rancone rancorem me-

Digitized by Google

ruit sempiternum, quem ipse cum suo avunculo Morianensi comite miserat primum. Circa meridiem secundæ diei mons exsecrandus faciliorem transitum habebat, quem rex die integro transire disposuerat, non ibidem tentoria figi præceperat. Quo venientes primi satis cito, quia non erant ab aliquo impediti, regis immemores qui tunc ultimos conservabat, montem ascendunt, et sequentibus aliis tentoria circa nonam in partem alteram figunt. Mons erat arduus et saxosus, et nobis erat per clivum ejus ascensus, cujus cacumen nobis videbatur tangere cœlum, et torrens in valle concava descendere in infernum. Crescit hic superveniens multitudo, urget invicem, constipatur, ponit sedem, equo non prævidet, hærens potius quam procedens. Labuntur de rupibus præruptis summarii, obvios quosque sternentes usque in profundum abyssi. Saxa quoque de locis suis mota stragem suam faciebant, sic dum vias quærentes latissime se sparsissent, omnes lapsum proprium vel aliorum fulminationem timebant. Turci vero et Græci labentium erectionem prohibentes sagittis, in partem alteram congregantur, et de tali spectaculo spe vespertini commodi gratulantur. Inclinatur dies, et semper crescit in antro supellectilis nostræ congeries.

Hostibus autem illud non sufficit, sed amplius audent, in nostram partem transeunt, quia primos jam non timent, et postremos adhuc 64 non vident, feriunt et sternunt, et vulgus inermo pecudum more cadit aut fugit. Inde clamor oritur, quo cœlum et aures regiæ penetrantur. Rex autem de hoc fecit quod potuit, sed de cœlo nullum tunc adjutorium nisi nox venit, nocte autem veniente pestis cessavit. Ego interim qui sicut monachus hoc solum poteram, vel Dominum invocare, vel ad pugnam alios incitare, mittor ad castra, rem refero, turbati currunt ad arma; festinarent regredi, sed vix ire poterant, asperitate loci et occursu venientium præpediti. Rex vero relictus in periculo cum quibusdam nobilibus, non habens secum gregarios milites, nec servientes cum arcubus, non enim se A præmunierat ad districtum, quem erat ex condictu communi transiturus in crastinum, contemnens vitam propriam ut morientem liberet turbam, ultimos penetrat, et mactantibus penultimos viriliter obviat. Aggreditur præsumptuose gentem incredulam, quæ numero centies superat, et quam locus maxime adjuvat. Ibi enim equus non poterat non dicam currere, sed vix stare, et tardior impetus debilitabat ictum in vulnere. Vibrabant nostri hastas in lubrico suis viribus, non equorum, et illi sagittabant de tuto, innitentes scopulis arborum vel saxorum. Turba liberata fugit suas deferens sarcinas, vel ducendo ferentes, loco suo morti objiciens et regem et comites; sed mori dominos ut B servi viverent esset lugendum commercium, nisi tale dedisset exemplum Dominus omnium. Marcescunt flores Franciæ antequam fructum faciant in Damasco. Quo relatu suffunder lacrymis et de visceribus intimis ingemisco. De hoc tamen potest mens sobria tali remedio consolari, quod hæc 65 eorum probitas et anterior mundo convivet, et finis correptis erratibus fide fervida martyrio meruit coronari. Pugnant, et quisquis circa se, ne moriatur impune, stragem cadaverum facit, sed numerus impugnantium reparatus a multitudine non decrescit. Occidunt equos, qui, licet currere non possent, valebant tamen armorum pondera sustinendo, et loricati pedites inter densos hostes submerguntur velut in pelago, fundentesque nudorum viscera, divisi sunt alter ab altero. In hoc rex parvulum sed gloriosum perdidit comitatum, regalem C vero retinens animum, agilis et virilis per radices cujusdam arboris, quam saluti ejus Deus providerat, ascendit scopulum. Post quem populus hostium ut eum caperet ascendebat, turba remotior eum ibidem sagittabat. Sed Deo volente sub lorica tutatus est a sagittis, cruentoque gladio ne capi posset defendit scopulum, multorum manibus et capitibus amputatis. Illi ergo non cognoscentes eum, et sentientes capi difficilem, metuentes superventum, revertuntur colligere spolia ante noctem.

LIBELLUS SEPTIMUS.

Adhuc prope turba sarcinaria pertransibat, quia quo densius eo segnius per præcipitia fugiebat. Ad quam rex veniens efficitur eques ex pedite, et ibat cum eis obscurato jam vespere. Tunc occurrunt ei de tentoriis anhelæ cohortes militum, quem videntes solum, cruentum et fessum, quod factum est gementes sine interrogatione sciebant, et absentes regios comites fere 66 quadraginta sine consolatione plangebant. Videlicet Warenensem comitem et fratrem ejus, Evrardum de Bretoilo, Manassem de Bullis, et Guacherium de Montegaio, et alios : sed D non refero nomina omnium, ne judicetur sine utilitate prolixum. Ardebant animo et abundabant numero, sed nox erat, et hostes abyssi profundæ contrariam partem tenebant, et ideo locum vel horam persequendi ulterius non habebant. Venerunt itaque cum rege ad tentoria nimis tarde, et qui timebant ibi, jam lugent certo dolore, sed Domino sospite consolantur ex parte. Nox illa fuit insomnis, dum quisque suorum aliquem vel exspectat nunquam venturum, vel lætus damno postposito venientem suscipit nudum. Inter hæc populus omnis Gaufre-

Digitized by Google

dum judicabat dignum suspendio, qui de dicta non obedierat præcepto regio, et forsitan ejus avunculum quem habebat in culpa socium habuit etiam de vindicta patronum. Quia cum essent ambo rei, et esset parcendum regis avunculo, non debebat alter sine altero condemnari. Illuxit dies crastina, mœroris tenebras non depellens, et apparet exercitus hostium, læta et diviti multitudine montes tegens. Nostri vero ab heri pauperes, suos plangentes et sua, tarde providi, ad residua servanda ordinati procedunt securitate depulsa. Rex vero nobilium paupertatem non ferens, et mediocribus pio animo condescendens, tam largiter egestatem expulit utrorumque, quasi esset immemor se cum eis aliquid perdidisse. Jam fames vexabat equos, qui diebus pluribus herbarum parum, et annonæ nihil comederant, jam cibus deficiebat hominibus, qui duodecim dierum adhuc iter habebant, hostesque nos sicut **67** fera quæ sanguine gustato fit trucior, hoc cognito securius, et post lucrum avidius infestabant. Quos contra magister Templi domnus Eurardus de Barris, religione venerandus, et ad militiam exemplar probitatis, cum fratribus suis vigilanter et prudenter conservabat res proprias, et tuebatur pro posse viriliter alienas. Rex quoque illorum diligebat et libenter imitabatur exemplum, et ad hoc voluit conformari exercitum, sciens quod si ejus robur fames valida infirmaret, et debiles unitas animi confirmaret. Indicitur itaque communi consilio, ut omnes mutuam, et cum illis in hoc periculo fraternitatem statuerent, firmantes fide dives et pauper quod de campo non fugerent, et magistris ab illis sibi traditis per omnia obedirent.

Accipiunt itaque magistrum, nomine Gislibertum, et ille socios quibus assignaret milites quinquagenos. Jubentur pati usque ad præceptum qui nos vexant, quia cito refugiunt inimicos, et cum jussi restiterint, illico regredi præmonent revocatos. Cognita lege, docentur et gradum, ne qui de primo est, vadat ad ultimum, vel ne se confundant custodes laterum. Illi vero quos natura fecerat pedites vel fortuna (multi enim nobiles rebus perditis vel expensis, more insolito ibant in turba) ordinati sunt extremi omnium, ut habentes arcus resisterent sagittis hostium. Rex quoque legum dominus, volebat obedientiæ legibus subjacere, sed nullus ausus est ei quidquam ex præcepto injungere, hoc excepto quod aciem copiosam haberet, et sicut dominus omnium et provisor, imbecilles quosque missis de illa sociis roboraret. Fiebat juxta præceptum processio, et de plano descensis montibus gaudebamus, et protervos **68** assultus hostium, vallati tutoribus, sine damno ferebamus. Erant autem in via duo rivi, uno milliario distantes ab invicem, lutosa profunditate transitum habentes difficilem. Primum transivimus, in partem alteram ultimos exspectantes, et de luto summarios debiles manibus sublevantes. Ultimi quoque milites et pedites, hostibus fere misti, transierunt sine damno mutua probitate defensi.

A Tendebamus ad secundum, inter duos scopulos transituri, de quorum verticibus poterat turba gradiens sagittari. Ad hos Turci ab utraque parte festinant, sed unum eorum milites nostri præoccupant. Illi vero alium ascendunt, et capellos de capitibus ad pedes projiciunt, quo signo dictum nobis est præmonstrari, illos de tali loco nullo timore moveri. Sed illa significatio tunc falsum vel nihil significavit, quia turba nostrorum peditum illos illico propulsavit. Sed dum illi de montis vertice contendebant, milites posse fugam illorum inter duos amnes intercipi cogitabant. Unde data licentia a magistro omnes unanimiter illos invadunt, et quos possunt consequi, mortes suorum et damna propria vindicantes occidunt. Quorum multi venientes ad
B lutum, in loco idoneo mortem sortiti sunt et sepulcrum. Dum perimit fugitivos iræ impetus, et fuga longior erat, omnibus fames levior et dies lætior. Sed Turci et Græci modis pluribus de nostro interitu cogitabant: ad hoc enim cum prius essent inimici fœdus inierunt. illi ergo congregatis undique pecoribus et armentis, depascentes fœdabant ante nos quidquid non poterat urere ignis. Ob hoc fessi, vel mortui equi remanebant in via, et eorum onera, tentoria, vestes et arma et alia multa, quæ **69** nostri ne remanerent hostibus comburebant, exceptis his quæ pauperes asportabant.

Comedebat igitur exercitus (et has abundanter habebat) carnes equorum; et qui non erant habiles
C ad portandum, contra famem dabant remedium: quibus dapibus contenti erant etiam divites quando habebant de farina subcinericium. Tali providentia temperata est fames, et fraternitate præscripta, quater fugavimus, et semper vicimus hostes, et usque Satelliam sine damno viribus illato, labore provido tutati sumus, excepto illo die quo Gaufredum de Rancone mortis et damni prævium fecimus. In hac urbe nuntius imperatoris Landulfus, qui cum Turcis, sicut ipse fatebatur, partim illic venerat, ex voto præstolabatur nostrum interitum. vel venientibus, si de imperatore quæreremus, excusationis præparabat responsum. Sed quia nemo veniret in jus, cessavere querelæ, erat enim victualibus opus famelicis, fessis quiete. Ille ergo conscius
D sceleris, causa fori cogit iterum nobiles pacem firmare imperatori. Tunc quæ nobis in via peperceerant inundantissimæ venere pluviæ, quas sentientes subtus et desuper, in parvis tentoriis, quia majora remanserant, celebravimus Purificationem beatæ Mariæ. Nam certe rex in tota via, nulla die missam vel horas perdidit, nec inundatione imbrium, nec oppressione hostium. Habebamus, licet solito charius, ciborum abundantiam, sed equis qui remanserant, nullo pretio inveniebamus annonam, Græcis hoc dolose agentibus, sicut nostrorum multi dicebant. Illi autem sui loci monstrantes asperitatem, se non habere dicebant. Erat extra urbem usque ad quemdam fluvium saxosa planities, et hostes ultra, forum veniens a foris et **70** pabula

Digitized by Google

prohibentes; unde nec etiam herbas habebant equi, nisi eos ducerent et reducerent armati milites. Videns ergo rex paucos equos qui remanserant non quiete refici, sed fame mori, nec in urbe venales aliquos inveniri, loquitur de processu baronibus convocatis, dicens ubi fame moriuntur equi, non habere milites locum quietis. Insuper pœnitentis esse pro quiete votum tardare, et devoti, fessum et ægrorum ad metam propositi festinare, et coronari ut martyres quorum Deus animas de tali sumit labore. Illi vero servantes obedientiam domino, et possibilem solventes perseverantiam voto, dierunt : « Sicut regis est jubere fortia, sic prudentis est militis audere possibilia. Omnes vestri exercitus gregarii milites, his diebus armis projectis pedites sunt effecti, et cum eis de nobilioribus multi. Alius horum non potest equos emere, quia sua omnia perdidit vel expendit, alius cui superest, venales non invenit. Illi didicerunt ab istis civibus esse per mare usque Antiochiam tres diætas, de portu in portum, parvas, opulentas et tutas; et per terram quadraginta torrentibus invias, hostibus obsitas, et egestate continuas; ob hoc nolunt se mari committere, et cum eis copia peditum, quibus jam deest virtus ad laborem, census ad victum, et Græci omnibus de vicinis villis et insulis superabundans promittunt navigium. Nos autem vobiscum mori, et vivere volumus, et libenter secundum hoc quod vobis placuerit audiemus. » Rex igitur illis regio more, suoque respondit : « Me divite nullus vir probatus egebit, nec probatus erit qui non mecum paupertatem in necessitate patienter pertulerit. His ergo electis, et de nostro reparatis inermem turbam 71 navigio committimus, quæ semper nobis nocuit, pro qua victus charior, et gressus tardior exstitit. Et nos nostrorum parentum gradiamur iter, quibus mundi famam et cœli gloriam probitas incomparabilis dedit. » Ad hæc illi : « Non, inquiunt, volumus deprimere, nec possumus, laudem parentum, sed levius cum eis hucusque actum est quam nobiscum. Cum enim illi Constantinopolim et brachium pertransissent, voti compotes, Turcos et eorum terras illico repererunt, et de exercitio militiæ alacres, et de captione urbium et castrorum sese divites servaverunt. Nos autem Græcos fraudulentos in locis illorum invenimus, quibus malo nostro velut Christianis pepercimus, otioque torpentes, tædio et molestiis ægrotantes, fere omnia nostra expendimus. Alii stulta securitate, vel aspera paupertate arma etiam vendiderunt, vel equis morientibus reliquerunt. Tamen hoc quod jubetis honestum est, sed supradictis de causis tutum non est. Sed nos illud labore et timore postposito faciemus, si equos ad reparandos milites invenire poterimus. » Qui requisiti, cum paucitate non sufficerent, et debilitate nihil valerent, coegerunt regem, vellet nollet, marina naufragia experiri, ut periculis in mari, periculis in solitudine, periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus, sicut et Pauli (*II Cor.* II), permitteret Deus ejus patientiam exerceri.

Denique dux urbis et nuntius imperatoris super hoc negotio consuluntur, qui respondent ad placitum, navesque cito venturas toto exercitu pollicentur. Hiems interim exercet quod distulerat, pluit, ningit, tonat et fulgurat, et differtur ventus usque ad quinque hebdomadas, quem cito sperabamus a Domino, navesque amplius, quas 72 exspectabamus de Græcorum promisso. Græci autem scientes quoniam modicum tempus habent, omnem quam possunt malitiam exercent, rebus in foro nos spoliantes, et, quantum possunt, suis consiliis vita privantes. Inveniebant sanus et æger quidquid requirebat eorum qualitas, sed gravabat eos pretii quantitas. Habebant gallinam pro decem solidis, et ovum unum pro sex vel quinque denariis, unum cœpe vel allium pro septem vel octo, secundum grossitudinem pretio temperato, nucesque duas habebamus pro uno; quibus equus vel mula remanserant, eos pro panibus cambiebant, vel more boum in macello vendebant. Hæc enim nostra fuit cum Græcis conditio, vendere sine pretio, et chare emere sine modo.

Itaque Turci militibus equos deesse Græcis referentibus didicerunt, et hac usi securitate ad invadendum exercitum se unanimiter paraverunt. Quod notum factum est regi, et contra illos abscondit secum viros ditiores, qui dextrarios suos quamvis famelicos, adhuc servaverant, et fratres Templi. Venientibusque apparens, subito coegit eos occidendo sine ponte fluvium retransire, et credere deinceps in exercitu equos optimos abundare. Parant interim Græci naves, sicut res alias, pretio inaudito; dabat unus homo quatuor marcas usque Antiochiam, quo venturi eramus sicut ipsi prædixerant, in die tertio. Eæ paucæ et parvæ regi quasi donum gratuitum a duce et imperatoris nuntio præsentantur, et ab eo episcopis et baronibus dividuntur. Voluit eas habere; tamen pretium ægre tulit, et querelas inutiles tegens silentio, reliquo exercitui sicut promiserant, naves quærit. Illi vero dum divites exspectant pauperes, illud 73 diu procrastinant, et rebus utrosque tali latrocinio spoliabant. Credo autem quod quietem charius emimus hujus urbis, quam labores totius itineris. Dicturi vero sunt ignari talium hanc urbem debuisse capi, et vindictam sumi de dolis civium. Recogitent illi, dextra lævaque privatis et extraneis hostibus, sine victualibus nos obsessos, et esse impossibile turres arduas sine machinis ruere, vel cito posse suffodi duplices muros. Poterant quidem dux, et imperatoris nuntius capi quando veniebant ad regem, sed cives pro illorum suspendio non redderent civitatem. Eratque regi abominabile, contra morem suum hac proditione capi, et commune periculum sine captione tentari. Parcat Deus Alemanno imperatori, cujus fortunam vitantes, et indocto consilio

Digitized by Google

acquiescentes, in hæc mala devenimus; sed Græco quomodo parcet justus judex Deus, vel homo, qui dolosa crudelitate tot Christianos occidit utriusque exercitus ? Populus ergo novorum pauperum affectus tædio, spoliatus argento, corruptus morbo, cognitoque de navibus Græcorum mendacio, ad regem veniunt, cui suam voluntatem et paupertatem his et similibus verbis exponunt : « Domine rex, in vestræ majestatis præsentia merito astamus confusi, tamen illud audemus de vestra bonitate confisi. Quando enim Græcis credentes, vobiscum per terram ire noluimus, in hoc inertes, in alio decepti sumus; modo vero, paupertate cogente, illud volumus facere sine duce. Vadimus in mortem, sed Deo volente valere poterit vitare præsentem. Tolerabilior erit forsitan Turcorum gladius quam post discessum vestrum istorum civium dolus. » Quibus rex solita miseratione condoluit, **74** et eorum egestati tam larga effusione consuluit, ut crederes eum nihil antea expendisse vel de cætero curam domus propriæ contempsisse. Deinde volens eos in itinere tutos fore, pactum facit cum nuntio imperatoris et duce, ut ab eo quingentas marcas acciperent, et suos ultra duos fluvios qui erant prope, cum magna manu conducerent, et postea darent eis competentem comitatum, qui posset eos securos ducere Tarsum; in urbe vero debiles et infirmi susciperentur, quousque convalescentes, invento navigio alios sequerentur.

Illi ergo de argento cupidi, et contra Turcos timidi, prius cum illis locuti sunt, et sicut tunc putavimus, cum eis pretium diviserunt, et reversi sumptis secum divitibus civitatis, pactum simul sicut prædictum est juraverunt. Redditur argentum, et illi jubent debiles civitatem intrare, et alios ad iter se in crastinum præparare. Adhuc suis rex providet, equos quos invenire potuit congregans, et probatis militibus eos donans. Fraudemque timens ubi sæpius illam invenerat, comitem Flandrensem, et Archenbaldum Borbonensem usque ad processum illorum dimisit, et ipse cum benedictione remanentium naves ascendit. In crastinum pedestris exercitus duces itineris exspectabat, et ecce Turcorum populus regem discessisse per Græcos edoctus, quasi ad certam prædam contra illos veniebat. Quos contra comes Flandrensis et Archembaldus Borbonensis acies suas ordinant, animosas, sed pigras, quia paucos et debiles equos habebant. Hostibus occurrunt, confligunt, dant terga qui veniebant ad spolia. Sed quoniam non fuit qui posset illos velociter insequi, pauci sunt illorum occisi. Post hæc ducem, nuntiumque imperatoris et **75** cives de pacto requirunt quod regi juraverant : et illi tunc primum de impossibilitate Turcos monstrantes et hiemem, se excusant. In hoc dies aliquos et verba plurima perdiderunt, nec illos jure, ratione vel honestate vicerunt. Tandem querela deposita de conductu, vix concedunt nostros infra murum propugnaculi hospitari, et eis ibidem usque ad navigium forum præberi. Quo facto viri regii vadunt ad naves, eo quod suas injurias non possunt vindicare dolentes. Deinde Turci urbi approximant, intrant et exeunt, et aperte Græcis communicant. Vident inter duo genera hostium et murorum suos hostes densos includi, sicut pecudes in ovili, et eos qui non audent exire vel ingredi, posse ibidem sagittari. Erat murus humilis et inflexus, et ei non poterat inhærere tam densus populus, unde remotiores patebant vulneribus. Turci ergo de locis congruis sagittas immittunt et vulnerant aliquos vel occidunt. Tunc probati juvenes cœperunt de muro sumptis arcubus prosilire, suam suorumque vitam tueri, vel mortem vendere, quærentesque pacem viribus, hostes longius cogunt refugere. Haberent pacem, sed eos Græci sine vulnere perimebant, qui sanos cum ægris in arcto et immundo loco recluserant, et dum hos fames occidit nummis deficientibus, luesque corrumpit alios vicinis cadaveribus, corruunt multi, Græcis non inferentibus mortem, sed exspectantibus. Ob hoc virorum fortium duæ turmæ trium et quatuor millium ne morerentur sunt mortuæ, judicantes idem, foras mori et intus vivere. Qui sumptis armis exeunt duos fluvios transituri, loco vicinos sed magnitudine dispari. Primum facile transierunt, sed ad secundum duplici obstaculo restiterunt. **76** Amnis enim non nisi natando, nec hostis ibi congregatus nisi pugnando poterat pertransiri, sed utrumque simul non poterat exerceri : et ideo revertentes fugati sunt, capti, vel mortui. Sanguine istorum sitis Turcorum exstincta est, et dolus Græcorum in violentiam conversus est. Illi enim reversi sunt eos videre qui remanserant, et deinceps ægris et pauperibus largas eleemosynas faciebant. Græci vero cogentes fortiores ad sua servitia, loco mercedis verberabant. Quidam Turcorum a suis sociis nostras monetas emebant, et inter pauperes plena manu dividebant; Græci vero illis quibus aliquid remanserat auferebant.

Vitantes igitur sibi crudeles socios fidei inter infideles sibi compatientes ibant securi, et sicut audivimus plusquam tria millia juvenum sunt illis recedentibus sociati. O pietas omni proditione crudelior ! Dantes panem fidem tollebant, quamvis certum sit quia contenti servitio, neminem negare cogebant. Deus autem exsecrans civitatem, tam districte cives ejus subita morte percussit, ut multæ domus in ea vacuæ remanerent, et vivi stupentes et timentes, eam omnino relinquere cogitarent. Imperator quoque Deo contrarius in judicio, eo quod illa regi forum paraverat et navigium, illam penitus auro et argento spoliavit. Sic Deus et ille contraria sentiebant, tamen hanc uterque punivit. Rex autem cum in hac quinque complesset hebdomadas, quibusdam suorum navibus confractis vel cassatis, non tamen Deo volente submersis, usque Antiochiam naufragando consummavit tres alias. Gravia sunt quæ pertulit damna et pericula, Pater Sugeri, sed ipso debeas sospite consolari. Illi etiam proderit laborasse, **77** qui scitur in periculis tutus, et post damna lætus, constanter et prudenter omnia pertulisse. Sola illi

Digitized by Google

gravis erat adversitas subditorum, quibus semper pro posse consuluit, putans esse regis non sibi nasci sed utilitatibus aliorum; et sicut regis est habere pietatem, sic ejusdem esse nunquam timere paupertatem. Ad probitatem cautelam regiam postponebat, et tutelam primam vel ultimam, et excubias noctium vicibus alternis faciens, algorem noctium dierumque fervorem sub lorica tolerabat. In tot laboribus servatus est incolumis sine medicina, pro exercitio sanctitatis. Quia semper a divinis sacramentis obviabat viribus hostium, et revertens ab hostibus requirebat Vesperas et Completorium, Deum semper faciens alpha et omega suorum operum. Sic liberalis ut rex, animosus ut princeps, acer ut miles, ut juvenis alacris, maturus ut senior, locis et temporibus et virtutibus singulis se aptabat, et de probitate favorem hominum, de religione divinam gratiam conquirebat.

---

78 Tempus eclipsis solaris, cujus Odo meminit lib. IV, extremo, supra, col. 1228.

(Ex veteri membrana cathedralis ecclesiæ S. Stephani Catalaunensis, cujus exemplar de manu reverendi domini Cuissote ejus ecclesiæ decani acceptum, ad nos misit R. P. Henricus Bacio, colegii Catalaunensis rector.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ne oblivionis obscuritas per desuetudinem humanis mentibus ingeratur, quo auctore ecclesia nostra consecrata fuerit, scripturarum adnotationibus committimus; quatenus secutura posteritas habeat quid futuris temporibus evidenter agnoscat. Cujus rei gratia, rogatu venerabilis Bartholomæi episcopi nostri, papa Eugenius tertius veniens in hanc civitatem, honeste receptus est. Quem comitati fuerunt cardinales episcopi, Albricus cardinalis Ostiensis episcopus, Himarus cardinalis Tusculanus episcopus, Jordanus presbyter cardinalis Sanctæ Susannæ, Julius presbyter cardinalis Sancti Marcelli, Hugo presbyter cardinalis Sancti Laurentii; Wido cancellarius, diaconus cardinalis SS. Cosmæ et Damiani, Gregorius diaconus cardinalis Sancti Angeli, Miscynthus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Humbaldus cardinalis SS. Joannis et Pauli, Sigibertus cardinalis Sancti Marci, Octavianus diaconus cardinalis Sancti Nicolai in Carcere, Odo diaconus cardinalis Sancti Georgii, Wido presbyter cardinalis Sancti Laurentii in Damaso, Wido diaconus cardinalis **79** *Sanctæ Mariæ in Porticu, Joannes diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ, Wido diaconus cardinalis Sanctæ Potentianæ, Haribertus diaconus cardinalis Sanctæ Anastasiæ, Joannes cardinalis Sancti Adriani martyris, Bartholomæus noster episcopus, Theobaldus Parisiensis episcopus, Bernardus Altisiodorensis episcopus, Hugo Nivernensis episcopus. Prædicti vero episcopi, ecclesiam circumeundo intus et foris, aspersione aquæ benedictæ consecraverunt. Papa vero consecravit majus altare in honore sanctæ Trinitatis, et sanctæ Mariæ, et sancti protomartyris Stephani, et sancti Joannis Baptistæ, et sancti Valerii et S. Vincentii martyrum, et SS. Chrysanthi et Dariæ. Et rogatu venerabilis episcopi nostri Bartholomæi, de reliquiis Nymphæ virginis, quas secum deferebat, in altari cum altero sanctuario recondidit. His peractis missam solemniter celebravit. Noster quoque episcopus, et Hugo Nivernensis episcopus, fuerunt præcentores in missa.* Quam cito missa fuit inchoata, eclipsis solis manifeste apparuit. *Post celebrationem missæ Apostolicus verrexit cum episcopis et cardinalibus in jardum episcopi, ubi habuit sermonem ad populum ae festo præsentis diei.*

Actum publice Catalauni, septimo Kalendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini 1147, regnante in Galliis gloriosissimo rege Ludovico, Ludovici regis filio. Et ipse eodem anno, inspirante Dei clementia, peregre profectus erat cum uxore sua Helionorae venerabili regina, et maximo exercitu, ad liberationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ (58).

(58) **80** Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, ad annum 1147: *Eclipsis solis fuit octavo Kalendas Novembris, die Dominica, ab hora secunda usque ad horam quintam.* Legendum *septimo Kalendas*, quam et Dominicam fuisse ostendit illius anni littera E. Apud Claudium Robertum in Gallia Christiana, in Bartholomæo LV episcopo Catalaunensi: *Eo præsente Eugenius III, dedicavit majorem basilicam* 1147, VII *Idus Novembris.* Lege VII *Kalendas.* Sammarthani in Gallia Christiana auctiore annum habent 1148, ex tabulis ut aiunt, Catalaunensibus. At in istis annus notatur 1147. De hora et de quantitate novilunii hujus ecliptici, quod et Catalauni et Constantinopoli observatum legimus, rogatus a me R. P. Petrus Courcier societatis nostræ theologus, et astrologus insignis, sic respondit datis litteris Mussiponti, 11 Junii 1658: *Defectionis ejus medium evenire debuit Catalauni hora* IX, *matutina, minutis* XX; *cujus ibi quantitas fuit amplius quam decem digitorum et semis. At Constantinopoli contingere debuit ejus medium, summaque obscuratio, hora de meridie prima cum* XII *minutis: quantitas ibidem sex pene digitorum fuit.* Quæ omnia belle quadrant cum oculatorum id ævi scriptorum testimoniis. Nam Robertus de Monte, deliquii hujus durationem protendit ab hora secunda ad quintam; nempe horis utens antiquis et inæqualibus (ut in Evangelio) a solis ortu deductis: quarum ideo horarum tertia et semis, medium defectionis obtinuit; secunda initium, sub quo missam solemnem ab Eugenio papa III, Catalauni ad S. Stephani altare primarium inchoari contigit. Hora tum erat a media nocte fere octava. Porro cum refert Odo visum Constantinopoli *solem in forma dimidii panis*, ac luxisse *dimidium, et dimidii circuli radios abscondisse*, quantitatem eclipseos senum digitorum distinctius expressisse non potuit.

Digitized by Google

CHRONICON CLAREVALLENSE

Ab anno Christi 1147 usque ad annum 1192 perductum. Auctore anonymo Clarevallensi monacho.

(Ex veteri codice ejusdem monasterii.)

81 Anno Domini 1147, beatus Bernardus abbas A Claræ vallis, in Alemannia crucem prædicavit, virtutes multas et magnas fecit, inter quas et mortuum illum resuscitavit, de quo habetur in libro Miraculorum domni Herberti.

Anno Domini 1148, beatus Malachias apud Claramvallem obiit.

Anno Domini 1153, beatus Bernardus obiit; abbas Robertus tribus annis et dimidio præfuit.

Anno Domini 1154, mortuus est rex Siciliæ Rogerius, et judex Sardiniæ Gunnarius Claræ valli se reddidit.

Anno Domini 1155, florebat sanctus Milo Terwanensis, de quo sic habetur in Vita domni Norberti: **82** « In Norberto fides, in Bernardo charitas, in Milone Tarwanensi episcopo resplenduit humi- B litas. »

Anno Domini 1157, mortuo apud Claramvallem abbate Roberto, electus est abbas Fastraudus Camberonensis, de cujus vita et promotione miraculosa continetur in libro Miraculorum domni Herberti. Ejus primo anno mortuus est in Claravalle abbas Berlo quondam Savigniensis, qui cum triginta abbatiis ad ordinem venit, et beato Bernardo se reddidit. Iste est qui juxta abbatem Robertum cum aliis personis requiescit.

Anno Domino 1159, cœpit generale schisma inter papam Alexandrum et Octavianum, quod per annos fere decem et novem perduravit.

Anno Domini 1161, episcopus Lingonensis Go- C defridus, quondam prior Claræ vallis episcopatum dimisit, et Claramvallem est reversus, ad amplexus suæ Rachelis.

Anno Domini 1162, episcopus Belvacensis Henricus, frater regis et monachus Claræ vallis, factus est archiepiscopus Remensis, et abbas Claræ vallis domnus Fastraudus promotus est in abbatem Cistercii. Abbas quoque Igniaci domnus Gaufridus, promotus in abbatem Claræ vallis quadriennio circiter præfuit; et quia litteris erat optime institutus, opus insigne super Cantica canticorum fecit, et plures libros alios et sermones scripsit.

Anno Domini 1163. De tribus regibus, qualiter venerunt de Mediolano Coloniam, per archiepiscopum Renaldum, sub imperatore Friderico. Eodem D **83** anno assignamus ea quæ referuntur in libro Miraculorum domni Herberti, de mortalitate quæ facta est in abbatia Grandissilvæ sub abbate Poncio.

Anno Domini 1164, obiit Parisius in præsentia papæ, sanctus abbas Fastraudus Cisterciensis. Et eodem anno mortuus est apud Claramvallem episcopus Godefridus quondam Lingonensis, VI Idus Novembris.

Anno Domini 1165, episcopus Alanus Antissiodorensis episcopatum dimisit, et apud Ripatorium reversus est, et frequenter morabatur apud Claramvallem, ubi postmodum obiit. Eodem anno abbas Claræ vallis domnus Gaufridus, videns contra se, sive juste, sive injuste quorumdam odia concitata, abbatiam dimisit, et factus est abbas Claræ- vallis vir nobilis et religiosus, Poncius Alvernensis, qui erat abbas in Grandisilva. Et iste quinquennio præfuit.

Anno Domini 1166, fervebat procella schismatis inter falsum papam quem tuebatur imperator, et papam Alexandrum cui favebat noster ordo: unde contigit monachos nostri ordinis ab imperio, maxime vero a Burgundia expelli, et abbatias Franciæ dispertiri.

Anno Domini 1170 finiente, abbas Claræ vallis Poncius, factus est Claromontensis episcopus in Alvernia. Abbas quoque de Fossanova domnus Geraldus, in abbatem Claræ vallis est assumptus. Hic est de Alvernia oriundus. Quinquennio præfuit. Hujus Vitam habemus.

Anno Domini 1171 incipiente, beatus Thomas Cantuariensis martyrizatus est, et eodem anno C sanctus Gundricus eremita requievit in Anglia, cujus Vita habetur.

84 Anno Domini 1172, Gislebertus quondam abbas de Hoilanda in Anglia, qui fecit sermones super Cantica canticorum in modum beati Bernardi, apud Ripatorium obiit.

Anno Domini 1173, obiit sanctus Haymo Savigniensis monachus, cujus Vita apud Claramvallem habetur.

Anno Domini 1174, obiit sanctus Petrus Tharentasiensis archiepiscopus, anno XXIII sui pontificatus. Ejus Vitam scripsit domnus Gaufridus, abbas quondam Clarevallensis. Eodem anno facta est dedicatio ecclesiæ Clarevallensis, et canonizatio beati Bernardi, et elevatio ejus, ubi adfuit domnus D Wichardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno, in capitulo generali receperunt cantum beati Bernardi, et cantum de Trinitate.

Anno Domini 1175, decimo septimo Kalendas

Digitized by Google

Novembris, apud Igniacum martyrizatus est abbas Geraldus Clarevallensis.

Anno Domini 1176, abbas Altæcumbæ domnus Henricus, in abbatem Clarevallensem promotus, quatuor circiter præfuit annis. Iste quam cito filius suus abbas domnus Geraldus de Fossanova factus fuit ante eum abbas Claræ vallis, domnum Gaufridum quondam Clarevallensem abbatem, tunc contemplationi vacantem, in Fossanova præfecit. Et item quando ipse de Altacumba ad Claramvallem assumptus est, eumdem abbatem Gaufridum ad Altamcumbam loco sui promovere curavit.

Anno Domini 1178, mortuus est apud **85** Claramvallem venerabilis Gaufridus, episcopus Soranus in Sardinia, in dedicatione Claræ vallis, et juxta Godefridum episcopum est sepultus : cum quibus paulo post adjunctus est episcopus Antisiodorensis. Et hoc anno domnus Herbertus monachus Claræ vallis, qui fuerat abbas de Moris, librum Miraculorum apud Claramvallem conscripsit. Unde si quando in eodem libro invenitur : « Ante tres annos, vel ante quatuor, vel ante septem annos contigit hoc vel illud, » debemus ab isto anno incipere, et ita superius ascendendo computare. Testimonium domni Gossuini monachi quondam Claræ vallis qui apud Chiniacum diu mansit, et in Burlencuria requievit. Hic ergo scripsit quemdam librum Miraculorum, ad abbatem Everbaci Gerardum, et in prologo suo ait : « Joannes prior Claræ vallis, pulchrum volumen fecit componi, in quo miracula diversorum et visiones, ad ædificationem legentium continebantur descripta. Præterea et domnus Herbertus, qui aliquando capellanus domni Henrici exstitit abbatis, magnum satis diversarum visionum et miraculorum edidit volumen : qui postea Dei providentia Sardiniæ fuit archiepiscopus. » Hæc Gossuinus. Cum eodem vero Herberto quidam abiit monachus Claræ vallis Ancherus, qui factus est Soranus episcopus, et post eumdem Herbertum fuit archiepiscopus Turritanus. Apud Berlencuriam sepulta est hoc tempore virgo Christi Emelina, de qua domnus Gossuinus prædictus quædam mira retulit.

Anno Domini 1179, facta est reconciliatio inter papam Alexandrum et imperatorem Fridericum : et idem papa concilium magnum tenuit Romæ in palatio **86** Lateranensi; in quo concilio abbas Claræ vallis domnus Henricus factus est Albanensis episcopus cardinalis. Et eodem anno rex Philippus Remis coronatus, XLIV circiter annis regnavit. Electus est in abbatem Clarevallensem abbas Petrus Igniacensis monoculus, cujus Vitam habemus. Septem annis præfuisse invenitur.

Anno Domini 1180, apud Tresfontes, tempore visitationis quam faciebat abbas Petrus Clarevallensis, intrante Martio, contigit venerabilem virum abbatem Alardum a quodam hypocrita monacho interfici.

Anno Domini 1181, apud Claramvallem mortuus est venerabilis Eskilus Danorum archiepiscopus, sumpto habitu ordinis : qui diu manserat in Claravalle, et sibi substituerat archiepiscopum in Dacia, Absalonem nomine. Albanensis autem episcopus Henricus, missus in Burgundiam legatus, duos archiepiscopos, Lugdunensem et Narbonensem, deposuit : castrum hæreticorum quod Vallis dicitur, per miraculum cepit : apud Cistercium generali capitulo præfuit, et anno sequenti ad curiam revertitur tempore papæ Lucii.

Anno Domini 1182, a Claravalle missus est conventus, ad fundandam abbatiam de Boccan, in Hungaria.

Anno Domini 1183. Usque ad hæc tempora vivebat sanctus Hugo abbas Bonævallis. Iste est qui mulierem inferratam primo ab acubus ferreis liberavit; quam postea sanctus Petrus Tharentasiensis a sudibus, id est brochis ligneis de brachio ejus exeuntibus, perfecte sanavit. Aliud miraculum eidem sancto Hugoni **87** assignatur, et in libro domni Herberti continetur; de Cursore, qui post mortem ei peccata sua plorando confessus est. Reliqua de vita ejusdem sancti, domne prior, si habere volueritis, colloquium, Deo dante, nobiscum habebitis.

Anno Domini 1184. In domo monialium, sita juxta Burlencuriam, sub providentia ejusdem domus, floruit hoc tempore in maxima opinione, quædam virgo Christi Ascelina, ejusdem loci priorissa : de cujus vita excellentissima breviter hic aliqua occurrunt inserenda ex narratione domni Gossuini satis prolixa. Mater hujus Ascelinæ beati Bernardi et episcopi Godefridi fuit consanguinea, de villa juxta Firmitatem super Albam procreata. Cum esset annorum circiter XXX, sub potestate viri constituta, Dominum rogavit ut ab ea tollere dignaretur quidquid saluti suæ obsistere videbatur. Et mortuo viro suo, cum filia quinquenni sæculum reliquit, submittens se consilio beati Bernardi. Hæc de matre. Ascelina vero puella adhuc quinquennis, in secretiori loco extensis ad cœlum manibus, levans oculos Dominum rogavit ut virginitatem sibi traditam deinceps conservare dignetur : quod in magna tunc fuit admiratione. Item. Dum mater prægnans esset, a quodam viro qui visus est in habitu candido, audivit quod filiam gestaret quæ magni apud Deum futura esset meriti. Et sancta Glodesindis Metensis apparuit matri et dixit : « Filia, ait, tua mihi procul dubio comparata, æquabitur in meritis, » etc. Abbatia Burlencuriæ Cisterciensem ordinem recepit; et mater cum filia, de licentia sancti Bernardi, in abbatiam monialium de Polengeio transierunt. Cunctas **88** ibi sorores Ascelina suo illustravit exemplo. Abbatissa loci erat filia fratris beati Bernardi, etc.

Anno Domini 1186, mortuus est apud Claramvallem vir reverentissimus, abbas Petrus monoculus; cujus Vitam, domne prior, credo vos habere, et idcirco de eo breviter pertranseo. Et abbas Albæripæ

Digitized by Google

Garnerius, in abbatem Clarevallensem promotus, A sex annis præfuisse dignoscitur.

Anno Domini 1187, terra Hierosolymitana fuit perdita.

Anno Domini 1187, domnus Henricus Albanensis episcopus, a papa Gregorio VIII constitutus legatus, cum diligentia omnimoda officium sibi injunctum peragebat. Et primo quidem, secundum mandatum sibi datum, instituit ut, a præsenti anno in quinquennium, per omnes sextas ferias esset fidelium populus in cibo quadragesimali; et ut feria quarta, et Sabbato omnes incolumes abstinerent a carnibus. Dominus vero papa, sibi et fratribus suis cardinalibus, et famulis, etiam secunda feria per eosdem annos usum carnium interdixit. Venit autem dictus legatus (post colloquium regis et impe- B ratoris quod fuit apud Yvodium) exinde Moguntiam, ubi cruce signatus est imperator, cum LXVIII magnis principibus. Inde venit Leodium, ubi Radulfum episcopum cruce signavit; et clericos LXVI, qui præbendas suas in manu sua resignaverant, ita de una ecclesia ad aliam commutavit per suam providentiam, ut et Simoniam evaderent, et præbendas non amitterent. Et hoc anno assignantur ea, quæ in parva historia Walliæ continentur, de archiepiscopo Cantuariensi Balduino, **89** qui fuit de ordine Cisterciensi, et de legatione ejus.

Inter hæc autem, et ista, Albanensis episcopus, domnus cardinalis Henricus, quemdam tractatum ad suos Clarevallenses edidit. Laborabat autem pro pace inter regem Franciæ et regem Angliæ, inter comitem Philippum Flandrensem et Ecclesiam Atrebatensem. Et ista lucerna talis exstinguitur apud Atrebatum Kalendis Januarii. Cujus corpus Claramvallem cum gloria relatum, tumulatum est in medio duorum sanctorum, retro majus altare, inter sanctum videlicet Malachiam, et sanctum Bernardum.

Anno Domini 1190, contigit insigne miraculum, de imagine gloriosæ virginis Mariæ, et imagine infantuli Filii sui; quam invenies in fine Miraculorum libri Clarevallensis, de Armario psalteriorum.

Anno Domini 1191, in partibus transmarinis civitas Acra recuperata est a Christianis. Inter alios principes, qui ante Acram mortui sunt, mortuus est etiam nobilis comes Flandriæ Philippus; cujus ossa Claramvallem relata, posita sunt decenter in lapideo sarcophago, in propria ipsius capella.

Anno Domini 1192, canonizatio beati Malachiæ. Lingonensis episcopus Manasses a partibus transmarinis cum rege Franciæ reversus, eodem anno moritur, et apud Claramvallem sepelitur. Et abbas Clarævallis Garnerius in episcopum Lingonensem eligitur. Apud Coloniam hoc tempore mortuus est, reverendus et religiosissimus presbyter Everardus; de cujus vita et obitu, et de locorum transitu animæ ejus post mortem, ipse qui hæc vidit in spiritu, domnus Gossuinus multa retulit.

ILLUSTRIUM ALIQUOT VIRORUM EPITAPHIA.

(Ex ms. codice monasterii Caritatis diœcesis Bisontinæ, ordinis Cisterciensis.)

90 *Epitaphium Ludovici Francorum regis, compositum a magistro Stephano, abbate Sanctæ Genovefæ Parisiensis.*

(Hoc Epitaphium Ludovici, ut dicitur, VII, seu Junioris, refertur a Duchesnio tomo IV Rerum Francicarum, pag. 444, sed absque auctoris nomine.

Transit in hæredem pius ille prior Ludovicus,
Nomine, sede, fide, nec pietate minus.
Servula, tristis, inops aliquo sub rege, sub isto
Floruit Ecclesia, libera, læta, potens.
Rex humilis, rex pacificus, David, et Salomonem C
Prætulit exemplo, seque suosque regens.
Quantum conjugii permisit copula, castus,
Quantum justitiæ regula, mitis erat.
Jejunans, vigilans, orans, devotus ad omnes
Divini cultus, obsequiique modos.
Lingua preces vivas, lacrymas pia palpebra fudit,
Pauperibus solidos officiosa manus.
His meritis rapuit cœlum violentia sancti
Raptus et a cœlo te tibi terra refert.

91 Versus magistri Symonis, cognomento Capra aurea, canonici Sancti Victoris Parisiensis summi et celerrimi versificatoris, quos composuit precibus comitis Henrici.

I.

Epitaphium sancti Bernardi abbatis Clarævallis.

(Hoc Epitaphium editum est cum operibus sancti Bernardi, tacito nomine auctoris.)

Ecce latet Clarævallis clarissimus abbas,
Qui summis summus, qui sibi parvus erat.
Religionis apex, lux mundi, laus monachorum,
Vox Verbi, pacis sanctio, juris amor.
Instructus, velox; sublimis, panper, abundans,
Artibus, ingenio, sanguine, veste, bonis,

Digitized by Google

Laudis eget titulo, cujus laus non fit ad omnes,
Cujus honor, cujus crescere fama potest.
Hunc vero quem plangit adhuc, quem prædicat orbis,
Si laudare velim, laus mea laude caret.
Dura, malum, cunctos, tulit, horruit, ædificavit,
Vana, Deum, requiem, sprevit, amavit, habet.

II.

Item ejusdem versus de episcopo Autisiodorense Hugone, quondam abbate Pontiniaci.

EPITAPHIUM.

Autisiodori præsul præclarus in orbe,
Mente polum scandens, membra reliquit humi.
Sensu, stirpe, bono, præstans, illustris, honestus,
Hugo, brevis, largus, nomine, voce, manu.
92 Et locuples, et inops, pauper sibi, dives egenis.
Et nullis impar, et sibi nullus erat.
Hunc a justitiæ norma revocare nequibant,
Obsequium, terror, gratia, dona, preces.
Sola triumphabat virtus pietatis in illo,
Cum post justitiam debuit esse pius.
Bis quinos Octobre dies claudente, dierum
Finem clausit, habens nunc sine fine diem.

III.

Item ejusdem versus de abbate Sancti Dionysii Sugerio.

Decidit Ecclesiæ flos, gemma, corona, columna,
Vexillum, clypeus, galea, lumen, apex,
Abbas Sugerius, specimen virtutis et æqui,
Cum pietate gravis, cum gravitate pius.
Magnanimus, sapiens, facundus, largus, honestus,
Judiciis præsens corpore, mente sibi.
Rex per eum caute rexit moderamina regni:
Ille regens regem, rex quasi regis erat.
Dumque moras ageret rex trans mare pluribus annis
Præfuit hic regno, regis agendo vices.
A Quæ duo vix alius potuit sibi jungere, junxit,
Et probus ille viris, et bonus ille Deo.
Nobilis Ecclesiæ decoravit, reppulit, auxit,
Sedem, damna, chorum, laude, vigore, viris
Cui rapuit lucem lux septima theophaniæ,
Veram vera viro theophania dedit.

IV.

93 *Item ejusdem versus de comite Theobaldo.*

Transiit ille comes Theobaldus, clarus ubique,
Ecclesiæ matris filius imo pater.
Magnus honore, potens armis, spectabilis ortu,
Mente sagax, verbis lucidus, ore decens.
Exiguis parvus, timidis ferus, asper iniquis,
Simplicibus simplex, omnibus omnis erat.
Lætis, pauperibus, monachis, ægrisque parabat
B Incessanter opem, munera, templa, domos.
Hujus erat servare bonos, punire nocentes,
Hujus erat juste vivere, justa loqui.
Omnes virtutes in eo lucere videres;
Certabantque simul mirificare virum.
Gallia nostra gemens, tanto viduata patrono,
Sicut eo stabat stante, jacente jacet.
Ergo dies decimus Jani fuit ultimus illi,
Cui Deus est melior millibus una dies.

V.

Epitaphium Eugenii papæ Romani.

Urbis et orbis honor, sed jam dolor Urbis et orbis,
Rector in orbe potens, pulvis in Urbe jacet.
Hoc in vase sacro, pia pleni gratia fontis,
Infudit gratis munera grata polo.
Magne Deus, dare magna potens, per te fuit illi
Lingua docere fidem, rem dare docta manus.
Mores angelici, devotio, finis honestus
Hunc tibi dant famulum; da requiem famulo

IN VITAM S. BERNARDI

CLAREVALLENSIS ABBATI,

A JOANNE EREMITA CONSCRIPTAM

PRÆFATIO.

94 Joannes, non conditione, opinor, sed cognomine Eremita (nam hujus appellationis plures in Galliis familias etiamnum superesse accepimus) libros duos scripsit De vita S. Bernardi, Petro cardinale episcopo Tusculano et Herberto Turritano in Sardinia archiepiscopo hortatoribus: utroque ipsi amicissimo, unde et Petrum appellat *Patrem dilectissimum*, et Herbertum *Militem Christi*, quem et sibi fiducia et charitate arctissime devinctum fuisse significat. Fecit autem, ut videtur, cognominis evangelistæ exemplo; nam sicut iste Evangelium novissimus scripsit, ut ait Hieronymus in libro De scriptoribus ecclesiasticis, nempe ut a prioribus prætermissa colligeret, sic etiam ille quæ de S. Bernardo nondum alii adnotarant, in commentarium retulit. De tempore quidem scriptionis hujus, vel ex Petro argumentari licet, quem constat creatum fuisse ab Alexandro papa III cardinalem episcopum Tusculanum anno Christi 1178, mense Decembri, qui Joanni Eremitæ tum primum innotuisse videtur, cum haud multo post venit in Gallias legatus apostolicæ sedis, et inter alia e sancti Cirici puellarum monasterio abusus nonnullos sustulit, ut nos docet Stephani Tornacensis epistola 88 ad G. archiepiscopum Senonensem. Aberat sane Roma anno 1179, quarto Kalendas Maii, qua die datam vidimus bullam monialibus de Ulmeto, ab Alexandro papa III, Laterani, absente Petro, cardinalibus aliis subscriptis. Et Petrus ad Lucii papæ III

Digitized by Google

electionem jam in Urbem reversus mense Augusto anni 1181, moxque vicarius Urbis ab eodem pontifice constitutus, exinde Romæ ad multos annos assiduus **95** fuit. Sed annum quo scribebat distinctus aperit Joannes ipse Eremita libro primo Vitæ S. Bernardi, circa medium, cum ait accepisse se quæ tum scribebat, a Roberto abbate, qui sobrinus erat S. Bernardi, *et magis quam sexaginta septem annis in monasterio, sub jugo regularis disciplinæ vixerat.* Nam si Robertus anno 1113, ut verisimile est, cum S. Bernardo Cistercium intraverat, annus ejus monachismi 67 fuit Christi 1180.

Frustra sit igitur qui hunc putet Joannem Eremitam, de quo Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1115, qui Morimundi fundationem promoverit, cellamque incoluerit uliginoso loco, ac pene inaccesso, haud procul Acrimonte oppido, in Campaniæ et Lotharingiæ confiniis. Nam hic Joannes longe inferioris ævi, ne visum quidem a se S. Bernardum refert, sed tamen de eo aliquid scribere ideo rogatum, *quod ego*, inquit ipse in Epistola ad Herbertum, *apud quosdam discipulorum ejus, olim assiduus fueram, adhuc puer.* At nisi me fallit conjectura, fuit hic Joannes prior Clarevallensis; idem ipse de quo Goswinus Clarævallis quondam monachus, in Prologo libri Miraculorum ad Gerardum Everbaci abbatem : *Joannes*, inquit, *prior Clarævallis, pulchrum volumen fecit componi. in quo miracula diversorum, et visiones, ad ædificationem legentium continebantur descripta.* Fallor autem ego, si non ipsummet cujus meminit Goswinus, Joannis prioris volumen, reverendissimi domini Claudii L'Argentier piæ memoriæ Clarevallensis abbatis singulari humanitate mihi exhibitum, his manibus versavi; in quo cum Vita S. Bernardi auctore Joanne Eremita, et Vita beati Petri Juliacensis prioris, habentur Herberti De miraculis libri tres, et visiones aliæ ac miracula anonyma quamplurima. Hujus ergo codicis Joannem priorem collectorem asserens Goswinus, auctorem non negavit; et cum ex variis opusculis conflatus sit, partim Joannis Eremitæ, partim aliorum stylo conscriptis, ego Joannem hunc Eremitam, priorem ipsum Clarævallis affirmare non dubito : ac fortasse eumdem, cujus memoriam ad mensis Maii diem 21, Menologium Cisterciense adnotavit. Ad ultimum monendus es, mi lector, codicem illum Clarevallensem, **96** Joannis prioris cura et jussu compactum, dictum fuisse a nonnullis *librum Herberti De miraculis;* quia nimirum hujus argumenti opus, ab Herberto tres in libros distinctum, longe maximam ejus voluminis partem obtineret. Itaque in aliquot editionibus operum S. Bernardi, refertur ex libro Herberti abbatis, mirum illud de volumine quorumdam miraculorum S. Bernardi, quod illibatum repertum est, cum per imprudentiam sub dio relictum, ibique unius circiter mensis spatio magnis et assiduis imbribus expositum jacuisset. Citandum autem fuerat ex epistola Joannis Eremitæ ad Petrum episcopum Tusculanum, quæ est proemialis ad Vitam S. Bernardi ab eo conscriptam : habeturque in eodem codice Clarevallensi cum libro Herberti De miraculis; sed alia manu diverseque stylo exarata. Nam Herbertus ipse ea de re nullum verbum facit.

VITA S. BERNARDI

CLAREVALLENSIS ABBATIS

AUCTORE JOANNE EREMITA.

Vide supra Vitam quartam S. Bernardi, col. 531.

IN VITAM BEATI PETRI

PRIORIS JULIACENSIS PUELLARUM MONASTERII, ET MONACHI MOLISMENSIS

PRÆFATIO.

97-132 Descripsimus olim hanc Vitam ex Codice monasterii Charitatis, diœcesis Bisontinæ, Ordinis Cisterciensis, eamque postmodum cum codice Clarevallensi contulimus, in quo tamen deerat præfatio, atque horum codicum manus, auctorem prodere nobis visa est, ipsi de quo scribit, beato Petro supparem. Cum autem vero quam simillimum sit, Petrum hunc Stephani popularis sui, qui tertius Cisterciensium abbas fuit, contubernalem, fuisse ex illis uno et viginti Molismensibus monachis, qui Cisterciensem inchoarunt familiam; unum quoque ex illis qui Molismum cum Roberto abbate post biennium redierunt; adeoque Petrus et Benedictinum et Cisterciensem Ordinem spectet, mirum videri potest diem ejus anniversariæ memoriæ consecratam, nullo in alterutrius Ordinis Martyrologio seu Menologio ascriptam reperiri, cum ad totius sanctitatis ornamenta nihil ei desit, nisi forte auctoritate apostolica vindicatus non est (de quo non constat); certe præcipuum locum mereri videatur inter viros illustres non vindicatos, qualibus respersi sunt Benedictinorum et Cisterciensium Fasti. Verum hujus silentii ratio in promptu est, direptio Molismensis archivi, et Juliacensis Parthenonis (cujus hodie, præter solum, et ædiculam eum virilis prioratus titulo, nihil superest) excidium vetus; quibus casibus et Petri sacræ exsuviæ periere, et quidquid de illo in Kalendariis aut Necrologiis adnotatum erat, adeo ut præter Vitam hanc velut e naufragio collectam, ad eum **133** pertinens appareat nihil. Quæ sane Vita eo majoris est pretii quo rarissima, et ne quidem Angelo Manrique Cisterciensium Annalium conditori nota, qui ea quæ de Humbergæ sive Humbelinæ S. Bernardi sororis felici ad superos transitu (ex his certe beati Petri Gestis derivata) retulit, ex Gallico scriptore Guillelmo Flamengo accepit, qui hac ipsa B. Petri Vita usus erat. Purius hauries, mi lector, ex fonte ipso. Sed adverte capite 11 ad codicis Clarevallensis pravam lectionem, ubi rex Philippus Theobaldi Campaniæ comitis filiam, ex B. Petri vaticinio uxorem duxisse legitur, falso utique; nam Aalis Theobaldi filia, uxor tertia fuit Ludovici regis VII, cognomento Junioris, mater autem Philippi Augusti. Quare Ludovici nomen ex codice Charitatis, in textu retinuimus.

Digitized by Google

VITA SANCTI PETRI

PRIORIS JULIACENSIS PUELLARUM MONASTERII, ET MONACHI MOLISMENSIS.

PROLOGUS.

134 Quotiescunque sanctorum solemnia anniversario curriculo celebramus, aliqua ex eorum gestis ad utilitatem fidei Christianæ convenientia, in Christi laudibus recitare debemus. Nam revera Christi muneris est quidquid in sanctis ejus laudabile est. Denique, laude sanctorum ejus desuescimus esse filii iræ, et assuescimus esse filii misericordiæ, atque eisdem sanctis, quibus merito actionis æquiparari nequimus, pro merito laudis ac venerationis ipsorum, ipsis intervenientibus assimilari utcunque valebimus. Participesque eorum recompensationis, divina favente clementia nos fore credimus, quorum divam memoriam pro cultu celebrare satagimus. **135** dum scilicet in veneratione justorum ejusdem Domini capitis vereramur præsentiam, qui ait: *Qui accipit, si quem misero, accipit eum qui misit illum* (*Joan.* XIII). Quem admodum et in laude justorum, eumdem Dominum nos laudare non ambigimus, ut Propheta innuit, dicens: *Laudate Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL). Laudare igitur debemus viros gloriosos in generatione sua, homines magnos virtute, prudentia præditos; quorum corpora quolibet sint occasu prærenta, in pace tamen quiescunt, et nomina eorum vivunt in generationes generationum. Horum sapientiam, et populis narrare, et in ecclesiis laudem eorum celebriter nuntiare debemus. Ex quorum collegio beatum Petrum Juliaci priorem luculentioribus præconiis attollamus; de cujus gestis et virtutibus plurima volumina conscribi potuissent, si non ejus concœnobitas negligentiæ comes obsedisset desidia. Illi enim sæcularibus curis irretiti, opus veneratione dignissimum silentio damnoso depressere. Sed devotæ ipsius filiæ, quibus Deo donante præfuit, et inter quas defunctus sepulturam habuit, de Vita ipsius pauca quæ superfuerunt fragmenta sibi collegerunt, quæ nos, divina auxiliante gratia, ne perirent, in codicellum redegimus, ut in ore hominum, dulci commemoratione vivat in terris, quem cum Domino spirituum manifeste regnare constat in cœlis.

Explicit prologus.

INCIPIT VITA.

I Igitur beatus Petrus Anglicæ regionis indigena, nobilibus parentibus secundum sæculi dignitatem procreatus est, qui, peractis infantiæ annis, liberalium **136** artium studiis ingenio capaci cœpit dare laborem; quem per omne pueritiæ vel adolescentiæ tempus exercens, usque ad virilem ætatem uberiori intentione mentem defixit. Tanta igitur exercitatione discendi divinæ sapientiæ cibum hauriebat, ut quo magis replebatur, eo magis esuriret, sicut ipsa Dei Sapientia loquitur, dicens: *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV). Ecclesiarum etiam conventibus frequenter intererat, et quæcunque ibi ex divinis Scripturis recitabantur, cordis armariolo recondebat, ita ut cum recessisset, ea quæ didicerat, meditatione intentissima ruminaret. Itaque adhuc in tenera ætate, cœpit in horreo cordis divini seminis grana recondere, ut haberet grandiusculus penes se, quo famelicum spiritum reficeret, aut unde conservis suis spiritalis tritici in tempore mensuram erogaret. Et cum puer scholas cum pueris frequentaret, puerorum devitans lasciviam, non otia appetens, sed propriæ utilitati consulens, quodammodo se claustralem exhibebat magis quam scholarem, ea libentissime legens quæ mores instruerent, nutrirent devotionem, mundi parerent contemptum, et cordi ejus disciplinam imprimerent sanctitatis. Induerat sibi faciem disciplinatam, et honestam totius corporis compositionem, ita ut eum amabilem cunctis, ac venerabilem redderent ea, quæ de foris in ipso apparebant, virtutum insignia, scilicet negligentior cultus corporis et vestium, sermo rarior, vultus hilarior, verecundior aspectus, incessus maturior, et continentiæ decus. Denique Evangelii magisterio se tradens, non surdus auditor, cœpit in pueritia ædificium boni operis in petra firmiter collocare, quod in senectute feliciter consummavit.

137 II. Igitur beatus Petrus, cor suum apponens ad legem vitæ et disciplinæ, cœpit intentissime declinare a malo et facere bonum. Et merito; in his nempe duobus officiis universa lex pendet et prophetæ. Et audiens Dominum in Evangelio vias vitæ demonstrantem, et dicentem: *Qui non reliquerit patrem et matrem, fratres et sorores, et omnia quæ habet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV), velut alter Abraham, de terra et de cognatione sua, et de domo patris sui peregre proficisci deliberat, et post utriusque genitoris decessum, fratribus et

Digitized by Google

sorori unicæ valefaciens, relictis omnibus quæ habebat, Christum vocantem se secutus est, decantans in corde suo et dicens : *Dirige, Domine, in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* v); *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, Dirige me in veritate tua, et doce me quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die* (*Psal.* XXIV); et illud : *Deduc me, Domine, in viam tuam, et ingrediar in veritate tua ; Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV). Itaque natali solo egressus, mari Anglico, Deo gubernante, transmisso, mente cœlum inhabitans, beatus Petrus peregrinus et hospes devenit in Gallias. Ubi aliquandiu demoratus, oratoria sanctorum peragrans, religiosorum frequentans consortia, non diebus, neque noctibus, a colloquiis divinis et oratione cessabat. Demum pius sanctorum locorum explorator, Burgundiæ partes subintrans, quemdam continentissimæ vitæ reperit adolescentem, natione Anglicum, Stephanum nomine, qui eodem desiderio ductus quo et Petrus, in hanc se contulerat regionem ; cujus vitam, et mores videns, et approbans Petrus, sese ei conjunxit familiarem et socium. Ambo igitur sanctæ societatis inito fœdere commanentes, **138** honore invicem se prævenire contendebant, ab omni iniquitate et immunditia carnis impetum cohibentes, proprias concupiscentias interimentes, illicita desideria mactantes. Omni custodia servabant cor suum, scientes quoniam ex ipso vita procedit. Orationi adeo instanter inserviebant, ut quotidie psalterium ex integro alternatis versibus psallerent. Tandem divinitus inspirati, orationis gratia Romam profecti sunt, ubi apostolorum Petri et Pauli introeuntes oratoria, vitulos labiorum et cordis hostiam oleo intimæ devotionis impinguatam, divinæ majestatis conspectui obtulerunt. Aliorum quoque sanctorum peragrantes ecclesias, ubique divinas aures instantissima prece pulsabant, ubique holocaustum medullatum ex integro offerebant, pro minuendis suis suorumque piaculis, pro adipiscendis supernæ promissionis muneribus. Ut vero propriæ devotioni satisfecere, urbe egressi, rursus in Burgundiam, unde advenerant reversi sunt; et Domini providentia Molismum pervenerunt. Ibi itaque comam capitis deponentes, et veste sæculari in habitum religionis commutata, sese divinis obsequiis ex toto mancipaverunt.

III. Beatus igitur Petrus monasterium ingressus, in omni conversatione sua, quasi Lucifer inter astra refulgens, instar magnæ lampadis emicuit. Perfectos æmulabatur ad bonum, sanctorum virtutes sibi proponebat ad exemplum, studebat se vas sanctificatum exhibere, ut habitatorem Deum in mentis suæ hospitio posset recipere. Non seminavit mala in sulcis injustitiæ, nec messuit scandala fructus eorum. Erat velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad **139** iram. Nulla in eo radix avaritiæ, nullus superbiæ vel arrogantiæ tumor. Oris sui septa ab otioso et vano eloquio compescuit, a derogationibus perpetuo silentio abstinuit. Certis temporibus lectioni, certis instabat orationi, et quia consuetudo monasterii non admittebat, ut cum socio suo Stephano Psalterium percurreret, sicut in sæculo consueverant, hanc sibi indixerunt legem, ut alter eorum quotidie medietatem Psalterii psalleret, alter vero reliquam medietatem compleret, quam consuetudinem beatus Petrus fere usque in finem vitæ suæ retinuit.

Quodam tempore cum beatus Petrus, missus ab abbate, in unam cellarum quæ ad abbatiam pertinent moraretur, accidit ut novella illa Cisterciensis plantatio, quæ populorum tumultum, et sæculi turbinem fugiens, in solitudine soli Deo vacare contendebat, Patre simul orbaretur et pastore. Quæ ad matris pia suffragia recurrens, consilio virorum Deum timentium, prænominatum Stephanum regulariter in abbatem sibi ordinavit. Pro cujus prosperitate et salute, Petrus in conspectu Domini devotissime assiduabat preces, et perpendens amicum diversis sollicitudinibus implicitum, psalterii illam medietatem quæ se contingebat, non posse implere, totum sibi pro se et socio adimplendum egregius orator assumpsit. O virum charitate suffultum! o verum Christi discipulum, et Apostoli imitatorem dicentis : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi !* (*Gal.* VI.)

IV. Contigit aliquando ut vir Dei quorumdam sæcularium causis impeditus, quotidianum reddere Psalterium plus solito moraretur. Et ecce, post **140** horam sextam votivi debiti memor, secessit in quemdam feriatum et secretum locum, et veniam pro negligentia petens, solitum cœpit psallere psalterium. Cumque illud maxima ex parte complesset, et versum illum scilicet : *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* (*Psal.* CIII), pronuntiasset, vidit a sinistris assistentem eum qui se transfigurat in angelum lucis, et accedens ad Petrum, codicem quem manu tenebat, velut lecturus accepit. Et huc illucque discurrens, et quædam ore putido submurmurans, servi Dei animum ab oratione impediebat. Cumque in eo diutius Petrus intenderet, ecce astitit a dextris ejus angelus Domini, ante cujus conspectum malignus ille aufugit, et Psalterium quod indignus tenebat projecit. Tunc beatus Petrus ab angelo lucis confortatus, vehementissime flere cœpit, tum quia Dominus eum visitare dignatus sit, tum quia a maligno spiritu eum liberavit. Ex quo tempore discretionem spirituum possedit, et divinis revelationibus cœpit insigniri. Et ex eo tempore, orationi, lectioni et contemplationi attentius operam dedit.

Sollicitabatur aliquando vir Dei pro quadam sorore sua, quam cum fratribus suis in sæculo dimiserat, orabatque Deum ut Spiritum consilii illi tribueret. Quadam igitur nocte, vidit se in visu duci ab angelo in patriam suam. Et introducens eum in quoddam cœmeterium, ostendit ei recentem sepulturam, dicens : Hic sepultum est corpus soro-

Digitized by Google

tis tuæ, anima vero ejus Domino spirituum assistit, noli amodo sollicitus esse pro illa.

V. Cum apud Alemanniam, in cella Molismensis cœnobii quæ Ysodenges dicitur, beatus Petrus adhuc novitius moraretur, et pro sanctitatis merito ab **141** omnibus amaretur et veneraretur, accidit quemdam præfectum nequissimum subitanea morte mori, cujus uxor virum Dei plurimum diligebat : quæ accurrens rogabat obnixe, ut pro viro suo Dominum exoraret. Cujus dolori beatus Petrus compatiens, genua in oratione inclinavit, et devotissime oravit. Reversa autem mulier in domum suam, invenit virum suum vivum, quem defunctum reliquerat, qui summo desiderio rogabat virum Dei ad se venire. Ad quem cum beatus Petrus venisset, confessus est inter cætera quod eum suspectum de uxore sua habuisset. Sanctus autem Dei indixit ei pœnitentiam, et viaticum tradidit. Qui disposita domo sua, tertia die migravit ad Dominum.

Alio tempore cum in Firmitate Galcherii idem beatus maneret, et nocte Marci papæ, libro aperto, candela accensa, Matutinos cantaret, psalmumque *Deus laudem* (*Psal.* CVIII), revolveret, astitit ei antiquus hostis, cantans cum eo. Cumque sanctus irasceretur ei, eo quod disturbaret eum, dixit ei malignus : « Respice, Petre, monachum qui in dormitorio furatur vestimenta fratrum. » Respiciens ergo sanctus Dei, licet muris interpositis, spiritalibus oculis intuitus est furem, cuncta quæ rapere poterat asportantem, egressumque de monasterio, cum his quæ abstulerat, in tuto loco latitantem. Ad quæ cum beatus Petrus intenderet, accidit diabolica fraude, ut candela quam manu tenebat, super librum corrueret, et folium libri concremaret : quod usque hodie in approbationem miraculi demonstratur. Percantatis autem Matutinis, redeuntes fratres ad lecta sua, et quæ ibi reliquerant vestimenta minime reperientes, turbati sunt, et ad virum **142** Dei concurrentes, sua furto esse sublata conquesti sunt. Ille vero annuit eis, ut usque mane silerent : die autem facto narravit eis quæ nocte viderat, et ubi fur, cum eis quæ abstulerat, lateret, indicavit. Qui abeuntes invenerunt omnia, sicut vir Dei prædixerat.

VI. In eadem cella clericus quidam, cui a priore denarii debebantur, furatus est calices et thuribula monasterii, et in vicino loco abscondit. Quod cum cognovissent monachi, multum diuque quæsierunt, nec invenire potuerunt : unde conturbati ad virum Dei venerunt; et velut a propheta ab eo responsum quæsierunt. Ille autem dixit eis : « Ego vobis ubi sit indicabo, si eum mihi reddideritis illæsum. » Quod cum ei promisissent, ubi lateret fur indicavit; illi vero euntes, quæ perdiderant invenerunt, et furem ad virum Dei, sicut promiserant, adduxerunt intactum. Ipse vero eum paterne corripuit, charitative refecit, et in pace dimisit.

Decoquebantur aliquando pisa ad refectionem fratrum. Et advocans Petrum quidam de monachis, præcepit ut concite pisa pararet. Petrus vero, qui obedientiam certatim tam majoribus quam minoribus exhibere consueverat, nihil cunctatus, accepit ollam ferventem nudis manibus, et ejecit aquam ardorem non sentiens; obedientiaque se protegente, utraque manus apparuit illæsa. Monachus autem qui hæc ei jusserat, videns quod non sensisset incendium, pœnitens quod male egisset, pedibus ejus advolutus, veniam ab eo postulavit. O quam merito ignis materialis eum non nocuit, cujus mentem contra omnem concupiscentiam carnalem, munierat gratia Spiritus sancti.

143 Quidam puer, ejus familiaris, subita infirmitate præventus, toto corpore intumuit. Qui veniens ad eum, sibi postulat subveniri. Cujus dolori homo Dei compassus, orationem fudit, et quædam Christi nomina ei in potu temperavit : quem potum cum hausisset, statim sanus factus est.

VII. Divinis revelationibus ita constat fuisse insignitum, ut de facili prædixerit multoties quid in longinquis regionibus ageretur. Cum enim Dominus Firmitatis Galcherii, Elias nomine, Hierosolymam adisset, et mater ejus pio affectu orationibus et eleemosynis pro eo insisteret, quadam die solito tristior venit ad virum Dei, sciscitans qualiter ageretur circa filium suum. Sciebat enim virum spiritalem, de absentibus veram notitiam habere. Sed invenit eum in oratione positum, et in exstasi raptum. Cumque eum tertio pulsasset, nec a dulcedine contemplationis eum avellere posset, ad propria redire festinabat. Cui cum prior domus obviasset, audissetque ab ea causam tristitiæ suæ, volens eam consolari, secum redire coegit, et inveniens virum Dei adhuc in oratione positum, dixit ei : « Frater Petre, præcipio tibi in nomine obedientiæ, ut huic dominæ dicas quid tibi Dominus revelaverit de filio suo. » Qui quasi de somno evigilans, respondit : « Nisi tam cito me a visione revocassetis, penitus scissem omnia quæ circa illum aguntur : scitote tamen quia jacet in mari de febre acuta, » et modo terminavit : « et quæritur ei gallina ad manducandum, quæ uno aureo eis venditur, et de infirmitate convalescens, in proximo veniet, et tibi pecten eburneum, mihi vero scyphum optimum deferet. » Recessit matrona audita **144** responsione viri Dei, nec est fraudata a desiderio suo; nam, modico tempore evoluto, secundum quod audierat filium suum sanum et incolumem recepit.

VII. Quodam tempore, idem sanctus, Tertia celebrata, in oratorio remansit, ut oraret. Quidam vero monachus, præteriens ante eum, intuitus est eum in oratione ridentem. Qua completa, quæsivit secreto ab eo monachus, quare in oratione risisset, ipse vero volens secretum suum latere, dixit ei : « Ab hodie in unum annum dicam tibi. » Evoluto autem anno, rediit monachus, et dixit ei : « Rogo, Pater, imple quod promisisti, annus jam præteriit : eia; dicito, quare in oratione risisti. » Cui ait : « Hora Tertia expleta, remanserunt duo fratres in sedilibus

Digitized by Google

suis, verbis vanis et otiosis intendentes. Vidi ergo dæmonem, retro altare juxta parietem, sedentem et scribentem scurrilitates, et verba otiosa quæ loquebantur. Dum vero deliberarent surgere, et regulares Horas cantare, tertio enim id fecerunt, hebetatus diabolus ignorabat quid ageret, vel quid scriberet. Tandem surgentes et orationi operam dantes, pœnituerunt coram Deo, eo quod male egissent. Cumque diabolus vidisset, tantas negligentias tam p rva satisfactione esse deletas, indignans et furore plenus, chartam quam scripserat, manibus et dentibus discerpens, adeo fortiter traxit, quod cervicem suam retro percussit ad parietem, et valide allisit. Hac, inquit, de causa me ridere vidisti. »

Alio tempore præteriens quidam frater ante illum, vidit eum abigere a se quosdam spiritus invisibiles, et in despectu illorum festucas detruncare : inde alios ad se vocare, assurgere et congratulari. Oratione autem **145** completa, interrogavit eum frater ille quid hoc fecisset. Cui sanctus : « Illi, inquit, spiritus quos abjiciebam, dæmones erant, volentes impedire orationem meam; et illi quibus applaudebam, angeli sancti erant, qui me consolabantur. »

Nocte quadam, dum post Matutinos orationi vacaret, apparuit ei anima abbatis Nigellæ, benedictionem et orationum suffragia postulans ab eo, eadem quippe hora migraverat a corpore; ipse autem eam devotissime Deo, cui omnia vivunt, commendavit; mane facto indicavit priori, et fratribus, quod abbas Nigellæ migraverit a sæculo. Qui ad monasterium prædictum mittentes, invenerunt abbatem eadem hora defunctum fuisse, qua viro sancto apparuerat anima ipsius. His et aliis quam multis virtutibus, beatus Petrus longe lateque celeberrimus habebatur.

IX. In territorio Lingonensi exstat monasterium feminarum famosissimum, quod Juliacum, a Julio Cæsare dictum est. Hujus monasterii sacratissimus conventus, patre spirituali orbatus, ab abbate Molismensi, ad quem locus ipse pertinet, beatum Petrum sibi in pastorem dari summis votis efflagitabat; cupiens cum sancto sanctus esse, et cum viro innocente innocenter vivere. Verum abbas Guido, qui tunc Molismensi præerat Ecclesiæ, petitioni huic noluit præbere assensum; loco illi volens præficere alterum. Tandem vero illustris comitis Theobaldi, et Andreæ domini Baldementi precibus devictus, concessit, et eum ad se venire concite præcepit. Qui vicino pede obedientiæ iter arripuit, et versus Molismum ire festinavit. Et cum die jam inclinata, ad vadum Riceii, **146** qui locus a Molismis duobus milliariis distat, venisset, et transvadare voluisset, incurrit in gurgitem, qui fundum non habere dicitur : in quo mox ut puer ejus pedem posuit, aquis interceptus non comparuit. Quod cum vidisset vir Dei, manu sancta elevata, signum crucis edidit; et statim famulus emersit, et alacriter cum illo ad ripam transivit. Tunc obvius factus est ei Robertus miles, ejusdem loci Dominus, qui viri Dei præsentia lætus effectus, in domum suam deduxit, et splendide refecit. Videns vero puerum ejus madidum, interrogavit per quem locum transvadasset. Vir autem Dei narravit qualiter periculum evasisset. Stupefactus miles gratias egit Deo, qui sanctum suum liberaverat; asserens, quod nemo unquam per locum illum transisset. Die autem sequenti venit Molismum, et commissa est ei ab abbate cura et providentia Juliacensis Ecclesiæ. Ad quod veniens, velut angelus Domini de cœlo missus, cum gaudio et devotione susceptus est. Ingressus est itaque Jacob noster tabernaculum suæ Rachelis; ingressus est in locum tabernaculi admirabilis, et usque ad domum Dei sui. Sic sic conjuncta est humilitatis viola rosis pœnitentiæ et martyrii, et liliis pudicitiæ et virginitatis, quæ plantaverat in horto Juliaci dextera hortulani cœlestis. Nempe floribus Juleii nec rosæ, nec lilia desunt. Sic sic recordatus Dominus misericordiæ suæ, et veritatis suæ, secundum quod promiserat per prophetam, dedit in solitudine spinam et cedrum, myrtum et lignum olivæ (*Isa.* XLI). Spinam nempe se exhibuit beatus Petrus, peccatores redarguendo; cedrum, cœlestia contemplando; myrtum, infirmis compatiendo; olivam, misericordiam miseris impendendo. **147** Itaque beatus Petrus locum sibi a Deo prædestinatum ingressus, proficiebat de virtute in virtutem, de virtute actionis in virtutem consurgens contemplationis. Tantam denique gratiam Dominus servo suo contulerat, ut multoties, tanquam verus propheta, quæ futura erant, indubitanter enuntiaret. Si quis quoque peccata sua illi confiteri voluisset, aliquodque peccatum oblitus forte fuisset, ille Spiritu sancto præscius, in continenti revelabat.

X. Infirmata est aliquando quædam sanctimonialis in prædicto monasterio, et infirmitas ejus ad mortem. Quæ confessa viro Dei peccata sua, unum per negligentiam oblita fuit confiteri delictum. Quod beato Petro non post multum tempus revelatum est, cum pro anima illius oraret. Quadam vero nocte ei apparuit præfata monialis, cum tanto clamore confitens peccatum suum, ut vir Dei æstimaret, illam auditam fuisse ab omnibus qui aderant. Sanctus autem indixit ei pœnitentiam tanquam si adhuc viveret, septem scilicet pœnitentiales psalmos, quos ipse pro anima ejus recitavit coram Deo cum tanta cordis compunctione, ut rivus lacrymarum ejus, omnibus manifestaret ubi in orationem procubuisset.

Fecit ergo sibi oratorium juxta ecclesiam, in cœmeterio, ubi orationi et contemplationi, vigiliis et jejuniis vacabat die ac nocte; veniebantque frequenter ad eum animæ pœnitentium, orationum suffragia deposcentes. Ibi quoque visione et colloquio sanctorum fruebatur angelorum, qui eum sæpissime de cœlestibus instruebant et futura prædicebant.

148 Cum sancta Humberga soror beati Bernardi

Digitized by Google

qui primus abbas Clarævallis exstitit, longa infirmitate fessa, finem vitæ præstoraletur, venerunt ad eum fratres sui, et alli quamplures religiosi viri, cupientes ejus sanctissimo transitui interesse. Inter quos aderat beatus Petrus, qui tertia die, post Completorium visitans eam, et videns quod nondum migraret, benedicens ac signans eam, cubitum revertebatur cum Vincentio capellano suo. Obvius ergo factus est ei angelus Domini, in locutorio claustri, dicens : « Revertere cito, quia modo migrabit sancta illa anima de corpore. » Respondit ei sanctus : « Quid faciam, quia foris sunt religiosi viri, qui ad hoc venerunt, ut videant finem ejus, et jam dormiunt. » Cui angelus : « Ergo, inquit, vadam excitare illos, tu cito revertere. » Regressus ergo angelus Domini, percussit super tabulam tam valide, ut qui obdormierant, excitarentur, et tremefacti surgerent. Concurrentes igitur ad videndum sanctæ animæ illius egressum, devotissime convenerunt.

XI. Igitur beati viri fama per universam Burgundiam crescebat, ita ut multi ad eum nobiles viri, ac feminæ benedictionis gratia convenirent. Inter quos advenit quædam nobilis matrona, ut confiteretur peccata sua ; quam sequebatur canis niger, quem nemo videbat nisi solummodo Pater sanctus. Quæ cum peccata confiteretur, percussit eam virga sanctus Dei, pœnitentiamque injunxit ; ac sic dæmon qui in similitudinem canis videbatur disparuit.

Sed ille magnus ac venerabilis Theobaldus, comes Campaniæ, cum magno apparatu venit ad eum, orans et petens benedictionem ab eo. Et cum ab eo lætus discessisset, **149** misit denuo ad eum uxorem suam in utero habentem : quam cum sanctus intuitus fuisset, denuntiavit ei quod filiam pareret, quæ Franciæ domina futura esset. Quod postea factum est ; nam gloriosus rex Ludovicus (59) illam duxit uxorem, et secundum verbum viri Dei, dominium regni obtinuit.

Sed et illud non prætereundum quod sanctis altaribus insistens, sæpe visus est nonnullis, quasi cubitum a terra in sublime elevari angelorum sine dubio manibus sustentatus, quorum vitam in terris positus imitabatur.

Quidam conversus, Geraldus nomine, de alto corruens, totus corpore comminutus exanimatus est. Cujus corpus in sacco posuerunt, et beato Petro obtulerunt. Qui lacrymis et orationibus ad eum fusis, vitam ei et sanitatem obtinuit.

Die quodam sanctæ Parasceves, post peracta sollemnia, Vincentius capellanus ejus dixit ei : « Vidi hodie, serve Dei, dum sancta mysteria celebrares, lumen splendidum circa te fulgere, et cereos clariori quam solent igne rutilare. » Cui sanctus : « Præcipio tibi, ait, in nomine obedientiæ, ut quandiu vixero, hæc nemini loquaris. » Jam quippe hominum gloriam devitabat, quod virtutes suas ut vitia latere volebat.

XII. Cum igitur beatus Petrus, quamplurimis virtutibus atque miraculis effulsisset, auctore Deo, de eo aliquid melius disponente, cecidit in infirmitatem, qua et mortuus est. Tunc frequenter vocabat ad se virgines quibus præerat, consolans eas, et docens de regno Dei. Audientes autem eum ægrotare plurimi viri religiosi, **150** convenerunt ad eum ; inter quos fuit Hatto prior Molismensis, qui cum eo mansit, quandiu supervixit.

Quadam ergo die, dum idem Hatto intraret ad eum, vidit omne cubiculum, in quo jacebat, claritate nimia splendere ; quæ statim ut idem vir pedem intromisit, disparuit. Qui cum requisisset ab eo causam claritatis, respondit : « Gratias ago Deo meo, qui mihi præbuit testimonium visionis meæ. » Angelus enim Domini astitit mihi, præcipiens ut mandem comiti Theobaldo, ne transeat mare, abiens in Angliam, accipere sibi regnum, quia non est ei a Deo prædestinatum.

Audiens autem comes Theobaldus, quod ægrotaret homo Dei, misit ad eum capellanum suum visitationis gratia, per quem vir Dei mandavit ei multa secreta, prædicens ei quod cum rege Francorum guerram post paucos annos haberet, de qua victor existeret, si Ecclesias et res earum ab invasione custodiret.

Iterum, cum quadam die intraret ad eum prædictus Hatto, increpavit eum vir Dei, et dixit : « Quare tam cito ingressus es ? » Tres virgines, nuper in hac domo defunctæ, super torale monasterii stabant modo ante me, tenentes in manibus ramos et flores suaveolentes ; et loquebantur mecum de secretis cœlestibus, et gloria vitæ æternæ. Post hæc in extasi raptus est, et dixit se vidisse duos angelos, tenentes vexillum crucis in manibus, et cantantes : *Populo meus* (*Mich.* VI). Deinde subjunxit se vidisse dæmones, sagittas igneas contra se jacientes, et e contrario sanctos angelos sagittas lucis emittentes, et sagittas diaboli exstinguentes.

151 XIII. Ut vero diem ultimum sibi imminere sensit, convocans ad se filias, quas in Christo genuerat, hortabatur eas ad perseverantiam, ad tentationum tolerantiam, dicens quia per multas tribulationes intratur in regnum cœlorum. Cumque filiæ ejus spirituales coram eo flerent, rogarentque eum ut vitam sibi a Domino, usque ad tempus impetraret, dulciter consolans eas, respondit : « Charissimæ filiæ meæ, nolite impedire desiderium meum ; quia si modo non abiero, ad festivitatem sancti Joannis non habebitis me præsentem ; si vero inter vos migravero, scitote quia pro vobis ante Deum intercessor existam. » Sed et hoc de Dei misericordia confisus promitto, quod nulla ex his quibus dedi velum, amittet regnum cœlorum. Post hæc

(59) Clar. *Philippus*. Vide præfationem.

Digitized by Google

præfatus Hatto eum monuit quatenus secundum morem religiosorum, redderet claves prioratus sui antequam obiret. Qui respondit : « Nequaquam, sed feram prioratum meum ante Deum, eroque pro illis intercessor, quas curæ meæ commisit Dominus, et protegam locum hunc et habitatores ejus. Et quia tempus meæ resolutionis instat, oleo sancto, secundum morem inungere me festinate. » Itaque olei sancti unctione perunctus, et corporis Dominici perceptione munitus, familiæ suæ ultimum valefaciens, simulque benedicens, beatus Petrus plenus sanctitate, et clarus miraculis, de exsilio ad regnum, de terra ad cœlum, et de corpore feliciter migravit ad Christum. Cujus corpus Molismensis monachi transferre disponebant, ut apud Molismum sepeliretur; donec dispositione divina per manum Henrici secretarii lugubri conventui sanctimonialium clanculo redditum est. **152** Quod illæ, velut manna de cœlo excipientes, super illud irruentes lacrymis rigare contendebant, plangentes se amisisse pastorem piissimum, qui tactu suo illas sanabat, orationibus Deo reconciliabat, colloquio fovebat, meritis protegebat. Celebratis igitur circa corpus de more vigiliis, post peracta missarum solemnia, cum maximo honore, a viris religiosis, juxta altare sanctæ Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ tumulatur, ubi florent orationes ejus, atque beneficia, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XIV. Post transitum beati Petri prioris Juliaci, cœperunt multi utriusque sexus, ad ejus tumulum concurrere, optantes ejus meritis peccatorum indulgentiam adipisci, et infirmitatum variarum consequi sanitatem. Puer ergo quidam in officiis monasterii deputatus, diabolo instigante sensum amisit; qui cum magno labore, ad sancti Petri sepulcrum adductus, mox, ut ibi quievit, sensu recuperato, ad propria gaudens et hilaris remeavit.

Mulier quædam e vicino, sensu similiter privata, adducta ad sepulcrum Patris sancti, mox ut illud tetigit sanata est.

Quædam monialis Juleii, Prisca nomine, cum pomum comederet, quoddam frustum ejusdem pomi adhæsit in gutture ejus, ita ut nec sursum, nec deorsum declinare posset. Quæ cum periclitaretur, ducta est ad tumbam beati viri, et statim exspuit particulam illam, pomi et liberata est.

Petrus major Castellionis, correptus validis febribus, **153** venit Juliacum, qui cum subter tumulum sancti dormisset, sanitati redditus est.

Henricus capellanus de Fontanis, exhaustus validissimis febribus, sperans ibi vitam finire, fecit se portare Juliacum. Qui cum ad tumbam sancti venisset, et quievisset, redditus est sanitati, in crastinum vero cum missarum solemnia celebrasset, lætus remeavit ad propria.

Quidam vir de vicinia Juliaci, a dæmone arreptus, ululabat ut lupus, rugiebat ut leo, ut bos mugiebat, et omnium imitabatur voces bestiarum, qui vix a pluribus hominibus ligatus, ad sancti viri memoriam adductus est; ibique diu quasi canis latrans, et seipsum discerpens, et inania loquens; tandem meritis servi Dei, post paucos dies a dæmone liberatus, donum salutis adeptus, Dominum glorificans ad propria remeavit.

XV. Archembaudus de Raveriis habebat nodum infirmitatis in gutture, ita ut nullum liquorem glutire posset. Diuturno itaque jejunio afflictus, mortis periculum metuens, tumulum viri Dei, ejus beneficia exposcens, devotus adiit; et cum ibi modicum soporatus quievisset, expergefactus, infirmitatem illam cum sanguine exspuens, ad propria cum salute reversus est.

Raynaldus presbyter de Saniveio, insanus, et diabolo plenus, clamans, et ululans, et blasphemias loquens, ad bustum viri Dei adductus est. Qui, paucis diebus demoratus ibi, beati Petri orationibus sanitati redditus est.

Puer quidam de Molismis, latrocinio deprehensus, missus est in boias ut in crastinum suspenderetur. Qui tota **154** nocte invocans auxilium beati Petri, mane liberatus est, et glorificabat Deum.

Domina Cacelina de Barro super Albam venit Juliacum cum oblationibus; sancti sepulcrum adiens, pro sospitate cujusdam neptis suæ orabat : erat enim officio eundi privata. Cum autem reversa fuisset in domum suam, invenit neptim suam ambulantem; et interrogans cognovit, quia die illa et hora convaluerat, qua apud Juliacum posita, beato viro illam voverat.

Die apostolorum Petri et Pauli, puer quidam de grangiis Juliaci mane surgens, antiquum hostem obviam habuit; qui paulatim ei visus est crescere, et caput suum usque ad nubes porrigere, et arripiens puerum, nitebatur eum trahere ad se. Exterritus autem puer, et sine sensu factus, retraxit ad se manum suam, quæ adhæsit ei retro post dorsum, ita ut nec movere manum vel brachium posset. Adductus ergo ad beati Petri memoriam, statim ut ibi dormivit, manus et brachii sui officium recepit.

Matrona quædam per singulos annos, in anniversario beati viri, conventum Juliaci pascere consueverat. Quodam vero anno, cum præfata dies immineret, præcepit ministro suo ut videret si in arca tantum frumenti esset, quantum ad refectionem dominarum sufficere potuisset. Qui reversus nuntiavit non haberi in arca plus quam unum cartallum de frumento. Quod illa audiens, valde tristis effecta est. Casu autem in crastinum abiit ad arcam, et invenit eam frumento plenam. Quæ lætior effecta, anniversarium beati Petri devotissime celebravit, cujus meritis repererat in arca sua abundantiam frumenti.

155 Quædam mulier non longe a monasterio habitans, habebat filium parvulum, cui irata dixit : « Diabolo te commendo, puerorum infelicissime. »

Digitized by Google

Antiquus vero hostis, ad vocem matris manum pueri arripiens, cœpit eum trahere ad se. Quod puer sentiens, manum suam ad se perterritus retraxit; quæ tam firmiter pectori ejus adhæsit, ut inde nullo modo posset avelli. Quod videns mater ejus, flens et ejulans, adduxit eum ad beati viri sepulturam. Qui mox ut ibi dormivit, manus læsæ sanitatem recepit.

De anno et die obitus beati Petri Juliacensis prioris observatio.

Diem anniversarium quondam celebrem Natalis B. Petri Juliacensis, notatum haberemus in Juliacensi Martyrologio seu Necrologio, si quod reliquum fecissent tumultus bellici, quibus ipsum etiam Juliacum monasterium funditus eversum est. Conjectura tantum superest ex ejus Vitæ capite 13, ubi morti proximus, astantes suas in spiritu filias, quarum precibus detinebatur in languido corpore, sic allocutus refertur : *Charissimæ filiæ meæ, nolite impedire desiderium meum; quia si modo non obiero, ad festivitatem Sancti Joannis non habebitis me præsentem.* Ipsa igitur ejus festi vigilia, adeoque die mensis Junii 23, videtur ad superos emigrasse.

Annum obitus ex ejus Vitæ capite 12 deprehendimus; ubi ex ultima ægritudine decumbens, Hattonem priorem Molismensem sic alloquitur : *Angelus Domini astitit mihi, præcipiens* **156** *ut mandem comiti Theobaldo, ne transeat mare, abiens in Angliam accipere sibi regnum, quia non est ei a Deo prædestinatum.* Obierat sine legitima prole mascula rex Anglorum Henricus I, anno Christi 1135, Kalendis Decembris, quæ tum in Dominicam incurrebant, ut notat Ordericus Vitalis libro Historiæ XIII. Regis soror Adela Stephano Blesensi comiti Theobaldum et Stephanum genuerat. Horum minor natu Stephanus vacuum avunculi sui regnum invaserat; magnoque omnium ordinum consensu, Londoniæ a Guillelmo Cantuariensi archiepiscopo rex susceptus et coronatus fuerat, XVIII Kalendas Januarii. Pupugit scilicet hæc rerum mutatio, Stephani novi regis fratrem prius genitum Theobaldum, cognomento Magnum, rei politicæ pariter et militaris scientissimum, qui cum avunculo suo Henrico Anglorum rege junctis viribus, Ludovici Grossi regnum Francicum non semel pervaserat, ut refert Sugerius in Grossi Vita. Dum ergo transitum in Angliam cum exercitu meditatur Theobaldus, ecce admonetur beati Petri Juliacensis nomine, ratum ac placitum Deo esse ut ejus expeditionis consilium deponat. Videtur hoc spectasse Ordericus, cum ait libro illo XIII : *Normanni autem Tedbaldum fratrem ejus* (nempe Stephani jam tum regis) *apud Novumburgum convenientes, sibi præferre voluerunt. Sed in ipso conventu, a quodam monacho qui Stephani legatus erat, audierunt quod omnes Angli Stephanum suscepissent; eique obedire, eumque sibi regem præficere vellent. Mox omnes annuente Tedbaldo decreverunt uni domino militare, propter honores quos in utraque barones possidebant regione. Tedbaldus igitur, cum major natu esset, indignatus quod regnum non habuerit, ad magna negotia quæ in Galliis eum urgebant, festinavit.*

Ex his igitur beatum Petrum anno Christi 1136, et quidem mensis Junii die 23 e vivis abiisse statuimus. Unde videre est, longe a scopo aberrasse Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus, anno Christi 1141, cap. 4, numero 1, ubi ait vixisse adhuc Humbelinam S. Bernardi sororem anno 1140, et haud procul anno 1141 pie in Domino obdormivisse. **157** Nam qui ei morienti adfuit Petrus prior, si obiit Junio anni 1136, quomodo illa quinto post anno adhuc in vivis fuit?

Scio objici posse ex Orderico Vitali, libro XIII, delatum fuisse Theobaldo comiti regnum Angliæ cum Northmanniæ ducatu, anno 1141, cum frater ejus Stephanus Anglorum rex in custodia teneretur, quod ille regnum si B. Petri monitu adire noluit, nihil erit quod Annales Cistercienses de Humbelinæ transitu circa annum illum assignato redarguantur, nec B. Petri obitus in anno 1136, erit defigendus. Pugnavit certe, captusque est rex Stephanus in Hypapante, die secunda Februarii, quæ anno 1141, ut observavit Ordericus, incidebat in Dominicam Sexagesimæ. Vide autem quid addat hic auctor : *In medio Quadragesimæ, principes regionum Moritoniæ convenerunt, et colloquium de negotiis reipublicæ habuerunt. Ibi Hugo Rothomagensis archiepiscopus, atque Northmanni Thedbaldum comitem adierunt, eique regnum Angliæ et ducatum Northmanniæ obtulerunt. Ille vero tantarum, ut prudens et religiosus, prægravari curarum pondere refutavit; sed Joffredo Henrici regis genero, interpositis quibusdam conditionibus, regium jus concessit, itavidelicet, ut Turonicam urbem quæ de feudo ejus erat, sibi dimitteret, fratremque suum Stephanum regem de vinculis absolveret, et pristinum honorem, quem vivente avunculo suo habuerat, ipsi et hæredi ejus ex integro restitueret.* Ex his intelligere est ad annum 1141, B. Petri obitum non pertinuisse, cum ab eo graviter ægrotante monitus sit comes Theobaldus per mensem Junium; hic vero in medio Quadragesimæ, circa Idus Martias delatum sibi regnum in Gaufredum Andegavensem, Henrici Anglorum quondam regis generum derivarit. His adde, prædixisse B. Petrum morti proximum Theobaldo comiti, fore ut post paucos annos bello peteretur a Francorum rege; hoc vero bellum (ex Roberto de Monte) cœpit anno 1140, et triennium tenuit, quod examussim quadrat cum oraculo ante paucos annos edito, anno scilicet 1136, quo (ex nostris calculis) B. Petrus e corporis ergastulo ad cœlites evolavit.

Digitized by Google

IN HERBERTI

TURRIUM SARDINIÆ ARCHIEPISCOPI

TRES LIBROS

DE MIRACULIS

PRÆFATIO.

158 Fuisse Herbertum natione Hispanum, patria Legionensem, colligi videtur ex ejus libro secundo de Miraculis, capite primo, ubi refert se *vidisse frequenter et familiariter cognovisse* Dominicum quemdam, ex Carrezedæ monasterii cœnobita solitarium, *in regione Hiberiæ, haud procul ab urbe Legionensi*. Carrezedæ seu Carracetæ domus, candorem vestium cum regula Cisterciensi non nisi anno 1203 accepit, ut me docent Annales Cisterciences, ad annum Christi 1127, cap. 6, numero 8. Erat ergo ex nigris Benedictinis admirandus ille senex Dominicus, quem non raro conveniens Herbertus, gemitus viri sancti, et uberes lacrymas spectans, *totus in lamentum et fletum cum illo* resolvebatur. Atque hæc, ni fallor, fuere Herberto vitæ perfectioris semina, qui deinde in Claravalle sumpto habitu monastico, inter S. Bernardi discipulos educatus, ex illorum, aliorumque religiosorum (quorum maxime consuetudinem requirebat) consortio, primævum sacri Ordinis Cisterciensis spiritum hausit. Per id tempus, *pluribus annis* ut ipse ait lib. II, cap. 25, Fastrado abbati *in sua mensa ministravit*, viro omnium virtutum, qui ex anno 1157, post Robertum S. Bernardi successorem proximum, Claræ-valli ad quinquennium præfuit, 159 ac deinde anno 1162, creatus abbas Cisterciensis; post duos denique annos, nempe anno 1164, sanctitatis fama inclytus e vivis abiit. Herberto ætate ac rerum experientia jam maturo delatum est regimen abbatiæ de Moris : unde postmodum in Claramvallem reversus, cum esset capellanus Henrici Clarevallensis abbatis, qui paulo post cardinalis episcopus Albanensis constitutus est, scripsit de Miraculis libros tres anno Christi 1178, annis quinque et viginti post S. Bernardi obitum, ut colligitur ex libro I, cap. 51, et lib. II, cap. 13. Quare, ut monet auctor Chronici Clarevallensis, ex hoc uno anno reliqui investigandi sunt, si quando ante tres annos, vel ante septem aut plures hoc vel illud contigisse memorat. Promotus est haud multo post in archiepiscopum Turrium Sardiniæ, moxque Joannes Eremita quædam illi obtulit de Vita et rebus gestis S. Bernardi, prætermissa a senioribus, quæ ex nonnullorum ejus discipulorum ore accepta, illius hortatu ediderat. Apud Chrysostomum Henriquez in Menologio, et in Fasciculo sanctorum Cistercii, itemque apud Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus, permulta occurrunt citata ex libro Exordii Ordinis Cisterciensis, ejusque Appendice, vel ex libro De viris illustribus Ordinis Cisterciensis, vel ex Joanne Eremita in Vita S. Bernardi, quæ ex his Herberti libris descripta sunt. Unde est quod Vitæ S. Bernardi per Joannem Eremitam longe plura capita ab his auctoribus laudata reperies, quam quæ nos ex autographo veteri hic protulimus, quia scilicet Herberti opus ἀνεπίγραφον, quod Joannis Eremitæ lucubrationi proxime subjectum erat, ipsi Joanni ab incautis attributum est, ac pro Vitæ S. Bernardi quadam continuatione habitum. Fontem ipsum damus, quem mirabitur lector tandiu latuisse in membranis Claræ-vallis, cum et ad fidem auctoris, et ad ejus narrationum gravitatem utilitatemque animum adjecerit. In codice ms. quia trium librorum capita arithmeticis duntaxat notis, non etiam titulis distincta erant, nos 160 omnibus inscriptiones proprias ex ipsismet singulorum argumentis elicitas præfiximus. De Herberti obitu, rebusque ab eo in episcopatu gestis docebit nos fortasse aliquando Sardinia, cœli gravitate infamis, de qua dixit poeta : cum mors venerit, *in medio Tibure Sardinia est*. Audeo vero ego dicere, cum in eam insulam appulit Herbertus (quæ erat ejus virtutum amœnitas) *Sardinia in media Tibur fuit*. Solidam ejus historiam dabit liber Vitæ, in quo *legunt* beati (inquit Augustinus) *sine syllabis temporum, et nunquam claudetur codex eorum*.

Digitized by Google

HERBERTI

TURRIUM SARDINIÆ ARCHIEPISCOPI

DE MIRACULIS

LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

161 CAPUT PRIMUM.

De Rainaldo, primum S. Amandi, postea Clarevallensi monacho, magnæ religionis viro, cui apparuit beatissima Virgo Dei genitrix Maria, cum sanctis Elisabetha et Maria Magdalena fratres messores invisens, ac postmodum aliquot ante ejus obitum diebus, candida ac pretiosa vestimenta a se præparata illi ostendit, quibus, cum ad eam veniret, esset induendus.

Fuit in cœnobio Clarævallis monachus quidam, nomine Rainaldus, vir bonæ simplicitatis, timens Deum, et retinens innocentiam suam ab infantia usque ad senectam. Qui licet ante conversionem suam per triginta annos viveret in habitu sæculari, non tamen sæculariter vixit, sed operibus pietatis semper insistens, in corpore suo glorificare et portare Deum sollicitus fuit. Nam inter cætera quæ corde integro faciebat, etiam corporis integritatem Domino dedicavit, cujus opitulatione, ab utero matris usque ad diem mortis, incentiva **162** libidinum et carnis spurcitias impolluto calle transivit. Suscepto autem habitu monachali in monasterio Sancti Amandi, viginti et eo amplius annos ibidem in sancta conversatione peregit, ubi et sanctitatis suæ non parvum specimen omnibus dedit. Inde majori virtutum ardore flammescens, ad domum Clarævallis Dei æmulatione se contulit, antea tamen prænonitus a Deo revelationibus multis. Quantos vero labores, quantasve molestias a fratribus Ordinis illius, dum felicibus ejus actibus inviderent, et propositum istiusmodi evertere cuperent, beatus iste pertulerit, supersedeo dicere, dum legentium tædio velim consulere. Susceptus autem in Claravalle, illico ad novam militiam viriliter se accinxit, et ex milite veterano, fortissimum denuo nobis sese tironem exhibuit, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, cæterisque sanctæ disciplinæ obsequiis, seipsum tota die mortificans. Habebat autem incessanter orandi studium, et in oratione mirabilem affluentiam lacrymarum.

Quadam igitur die, cum ad laborem triticeæ messis cum cæteris exisset, segregatus paululum a conventu, cum magna animi delectatione cœpit intueri A metentes, secum reputans pariter et admirans, quia videlicet tot sapientes, tot nobiles et delicati ibidem virî, propter amorem Christi laboribus atque ærumnis seipsos exponerent, et ferventissimum solis illius ardorem cum tanta alacritate susciperent, acsi in horto deliciarum suavissime fragrantia poma decerperent, vel in mensa lautioribus epulis plena deliciosissime convivarent. Inde ergo protensis in cœlum oculis ac manibus grates Domino referebat, quod eum tam sanctæ multitudini, quamvis indignum et peccatorem, **163** adjunxerat. Dum hæc et similia animo volveret, et præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet, en subito apparuerunt ei tres quasi matronæ venerabiles, vultibus roseis et candidis vestibus renitentes; quarum una quæ præcedebat, veste fulgentior, forma venustior, et statura procerior erat. Descendebant vero de monte propinquo, et appropinquabant conventui fratrum, in ipsius montis latere fruges metentium. Quas cum ille vidisset, præ nimia admiratione turbatus, et obstupefactus, erupit in vocem ejusmodi : « Domine Deus, inquit, quænam istæ sunt feminæ formosæ, tam reverendæ, quæ præter aliarum consuetudinem feminarum conventui nostro appropiant? » Et dum talia diceret, astitit ei quidam veneranda canitie, et stola candida coopertus, qui dixit ad eum : « Major illa quæ cæteras antevadit, ipsa est Virgo mater Jesu Christi Maria. Aliæ quæ sequuntur sunt sancta Elisabeth, et sancta Maria Magdalena. » Ille igitur cum audisset matrem Domini nuncupari, commota sunt omnia viscera ejus super pietate nominis illius quam vehementer amabat, iterumque percunctatus est dicens : « Et quo tendit, domine mi, quo tendit, obsecro, Domina mea? » Cui ille respondens ait : « Ad visitandos messores suos venit. » His itaque dictis persona quæ loquebatur repente disparuit. Quo viso, vir Dei plus magis intra se stupuit, et reductis oculis ad sanctam Dei genitricem et ad comites ejus, attonito visu intendebat in eas. Illæ autem moderatis gressibus incedentes, venerunt una post aliam usque ad conventum. Quem cum introissent, separatæ ab invicem deambulare cœpe-

Digitized by Google

runt tanquam gratia visitationis huc atque illuc inter monachos, et conversos; 164 et dum ita facerent, tandem ab oculis intuentis evanuerunt, seseque in cœlos unde venerant receperunt. Porro vir Dei hærebat fixus, et de loco moveri non potuit, usquequo miraculum finiretur. Quantum vero de hujusmodi visitatione profecerit, quantumque in amorem Dei et ipsius beatissimæ genitricis excreverit, æmulanda conversatio ejus, et quotidiana virtutum incrementa monstrabant.

Multas quidem et alias revelationes ipse divinitus accepit, quas tamen ad devitandum cenodoxiæ cœnum, reticere quam dicere maluit. Nam et istam supra memoratam, quam per octennium fere presserat, parvo tempore, id est quadraginta diebus ante obitum suum, invitus et quodammodo coactus, mihi licet indigno tali occasione patefecit: Quadam siquidem die, cum de salute animarum nostrarum ambo familiariter loqueremur, ego sciens eum virum justum et sanctum a Domino sæpius visitatum, in ea confidentia qua illum diligebam et me ab illo diligi sentiebam, ausus sum sciscitari et petere aliquid ab eo. Itaque propter amorem Christi, et propter miserationes ejus cœpi illum medulliter obsecrare et vehementer insistere, ut ad honorem Dei unam aliquam ex suis consolationibus mihi manifestaret, illam scilicet de qua me magis ædificandum censeret. Tali ergo obsecratione compulsus, supradictam visionem mihi narravit. Sed quo tandem affectu? Testis est ipse Deus quanto timore et tremore, quanta lacrymarum inundatione eam protulerit, ita ut gemitus et singultus a fundo cordis erumpentes, vocem loquentis frequentius interrumperent, tanquam si eadem hora ipsam cerneret visionem. Evolutis 165 autem postea diebus quatuordecim, apparuit ei per visum ipsa eadem Regina cœlorum, Domina angelorum, incidens ac præparans ei ornamenta candida et pretiosa, quibus in proximo vestiendus erat. Quæ cum præparasset, colligavit in unum, et recedens detulit ea secum. Quod cum ille vidisset, subsecutus est eam, et clamitabat post tergum ejus, dicens: « Ei mihi, Domina mea desiderantissima, quando habiturus eum ista, quæ mihi præparare dignata es ornamenta? Cui sanctissima Dei genitrix ait: « Quando venies, inquit, ad me, ut recipias ea. » O visio læta! o promissio certa! Quæ utique tanto certior, et tanto lætior exstitit, quanto celerius exhibita fuit. Mane igitur facto introivit ad me ille Dei servus, tanquam infirmum visitaturus. Ego vero tunc ægrotabam pene ad mortem, et erat languor fortissimus, adeo ut de sospitate mea etiam medici desperarent; et ob hoc die præcedenti fueram inunctus oleo infirmorum, quia credebant me quamcito morituram. Ille ergo cum venisset ad me, multo pietatis affectu compassus est mihi; et ut posset aliquatenus consolari, retulit mihi istam quam in eadem nocte viderat visionem, reputans secum atque denuntians quia non propter ipsum, sed propter me facta fuisset ad eum. Erat enim humillimus corde, et nihil tale præsumens de sua sanctitate. Cui ego mox ita respondi: « Noli, obsecro, Pater amantissime, noli benedictionem tuam interpretatione sinistra a te alienare. Ornamenta quæ tibi sunt cœlitus præparata nunquam alterius erunt, sed miserante Deo salva tibi et integra permanebunt. Tu vero piissimam illam visitatricem tuam et instanter efflagita, ut in 166 beneplacito misericordiæ suæ, alia quæcunque voluerit mihi præparet indumenta. Potens enim atque benigna est, dives in omnes qui invocant illam. » Quid multa? Ego qui morti proximus æstimabar, vellem nollem, revocatus sum ad tolerandas vitæ hujus ærumnas; ipse vero qui sanus videbatur atque incolumis, non amplius quam viginti quinque diebus postea supervixit. Qui tandem cursu vitæ feliciter exacto, corruptibilis carnis indumenta deposuit, et stolam immortalitatis per beatissimam Dei Matrem, cui devote servierat, juxta fidem promissionis illius, absque dubitatione recepit.

Non est autem silentio prætereundum quod iste vir Dei ante diem sextum suæ depositionis, dum post completorium in ecclesia solus oraret, repente pulsata est in auribus ejus tabula defunctorum, duobus ictibus tantum. Quo ille audito statim exsiliit, et petiit infirmitorium, putans ibi aliquem esse defunctum. Sed, dum vere cognosceret quia nullus ibi tunc mortuus esset, venit ei in mentem quod ipse citius moreretur, et quod in sonitu tabulæ sua sibi migratio mortis signaretur. In hac igitur memoria mortis subito totus infremuit, invasitque eum timor atque horripilatio carnis, et cœpit illico febricitare, et ingravescente morbo tandem ad extrema pervenit. Porro beatæ Mariæ salutationem quam antea frequentare solebat, quandiu lecto decubuit, pene incessanter corde et opere volvebat; et cum verbis ejusdem oraculi felicem animam exhalavit. Contigit autem conversum quemdam, religiosæ conversationis et boni testimonii virum, ipsa die migrare ad Dominum, ita ut amborum exsequiæ simul celebrarentur, et in eodem 167 mausoleo ambo pariter tumularentur. Et, dum ista fierent, viro cuidam spirituali demonstratum est in visione quod duo pulcherrima templa fabricarentur in Claravalle; unum in infirmitorio monachorum, alterum in infirmitorio conversorum. Sed primum illud hoc altero longe nobilius erat atque venustius. Constat igitur quia in gemina constructione templorum, et in gemino ictu tabulæ mortuorum, designata sit evidenter pretiosa in conspectu Domini mors amborum. Templorum autem differentia meritorum distantiam indicat, quia, quamvis utrumque sanctum, tamen alterum altero sanctiorem existere credimus apud Deum.

CAPUT II.

De Gerardo sacrista Clarevallensi, quem pulsata invisibili manu tabula morientium de imminente sibi obitu admonuit.

Eodem itaque mense quo prædictus Dei servus

Digitized by Google

migravit ad Dominum, contigit ibidem tale aliquod factum : Erat in eodem monasterio sacrista quidam, nomine Gerardus, vir bonis moribus pollens, et bene religiosus. Hic juxta prophetæ consilium, jugum Domini portavit ab adolescentia, et levavit se super se (*Thren.* III); quoniam adhuc ætate tenellus et fragilis, manum suam ad fortia misit. Lactatus itaque mamilla regum, et casta disciplina feliciter educatus, crevit atque profecit semper in melius, et magno Dei munere, carnis corruptionem, ut aiunt, nunquam fuit expertus. Appropinquante autem hora qua de mundo ad Deum transire **168** debebat, die quadam, cum in ecclesia post completorium more solito remaneret, factus est repente sonus in auribus suis, acsi tabula morientium crebris ictibus percuteretur. Quod cum ille audiret, putavit ut fratrum quispiam in infirmitorio tunc obiret. Post paululum ubi certissime comperit quia sonitum illum nullus hominum fecerit, subiit animum ejus tabula illa prognostica, quam vir Dei Rainaldus ad indicium suæ dormitionis audierat : jam enim exierat sermo iste inter fratres, et passim divulgabatur ad omnes. Et dum ista recogitaret, ascendit in cor ejus quod ipse de mundo jamjamque migraret. Tunc subito pili carnis ejus inhorruerunt, timor ac tremor venerunt super eum. Protinus ergo invasit eum peremptoria febris, et infra decimum diem morte consumpta, feliciter emigravit. De cujus pia devotione illud silere non possumus, quod quasi divinitus factum ab eo vel potius in eo miraculum vidimus et gratulati sumus. Nam, cum ultimum spiritum traheret, et jam vires loquendi non haberet, tribus aut quatuor ferme horis manus junctas atque protensas tenuit immobiles contra crucem, acsi aliquo fune colligatæ essent. Et cum cætera corporis membra huc et illuc urgente dolore crebrius jactitaret, manus tamen quas, ut diximus, tendebat ad crucem, nunquam ab invicem separavit, nunquam amplius ad se retraxit, et quod vivens sæpius actuasset, etiam mortuus indicavit.

169 CAPUT III.

De Petro Tolosano, monacho Clarevallensi, ab importunissimis carnis tentationibus mirabiliter liberato : qui postea Jesum puerulum in hostia consecrata videre solitus erat.

Alius quidam senior in eodem monasterio exstitit, Petrus nomine, cognomine Tolosanus, vir magnæ puritatis, multumque devotus. Huic unum semper a puero studium atque desiderium fuit, seipsum crucifigere mundo et mundum sibi. In juvenili vero ætate, antequam Cisterciensi Ordini sese submitteret, habitavit in solitudine, jejuniis et laboribus multis veterem hominem in se mortificans, et sacrificium spiritus contriti quotidie Deo immolans. Denique, herbis agrestibus et pane lexivia confecto jugiter utens, multo ibi tempore Christo militavit, innumera bella tentationum a spiritibus malignis protegente se Deo fortiter toleravit. Postmodum autem comperta celebri fama de sanctitate sancti Bernardi, atque ipsius monasterii Clarevallensis, ubi in tanta congregatione justorum, velut in tabernaculo Dei, et in securitatem, absconditus a turbine, et a pluvia tutior viveret, ad eumdem locum sub disciplina prædicti Patris cum magno animi fervore se contulit, et per multos ibidem annos usque ad exitum vitæ perseveravit.

Huic autem cum adhuc ætate juvenior esset, per visionem apparere dignatus est Deus, residens in throno sublimi et sanctorum millia cum eo. Videbatur autem ei quod ad judicium coram Deo duceretur. Ad quod cum venisset, pavidus ac tremebundus procidit ad pedes ejus, **170** flagitans ut sui misereretur. Dixit autem illi Deus : « Quid tibi vis faciam ? » At ille : « Domine, ut salvus fiam. » Et Deus ad eum : « Vade, convertere cito ad servitium meum, et in eo jugiter persevera, quia non deerit tibi salus æterna. » Hac ergo tam felici promissione firmatus mundum perfecte deseruit, et se totum divinis obsequiis mancipavit. Accinxit itaque fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, ad expugnandas nequitias spiritales, quæ illum postea multis diebus et annis acriter impugnabant. Super omnia vero spiritum fornicationis infestissimum tolerabat, qui eum tam dormiendo quam vigilando magnis tentationum aculeis jugiter stimulabat. Propter quod sibimetipsi vehementer indignans, in labore et ærumna, in vigiliis, in jejuniis, aliisque pœnitentiæ cruciatibus carnem suam incredibiliter affligebat; ita ut mente turbatus et anxius, abscindere sibi virilia plerumque proponeret, cum aliunde tentationis remedium invenire non posset. Sed neque hoc silendum, quod hostis ille antiquus multoties et multiformiter ab eo videbatur. Una siquidem vice apparuit ei sub humana effigie in choro Clarevallensi, oculis ardentibus et vultu terribili. Erat autem statura enormis atque deformis valde. Qui etiam indutus erat cuculla hispida atque nigerrima, cujus manicæ decurtatæ erant, et vix usque ad cubitos pertingebant; reliqua vero brachiorum pars discooperta erat. Venit ergo et stetit ante hominem Dei ille malignus apostata, superbo oculo despiciens illum, et quasi indignans quod monitis ejus suum negaret assensum. Porro vir Dei stupidus animo, et tarquam vinctus tenebatur, ut se movere non posset. Tandem, visitante se Deo, ad **171** signum Dominicæ crucis perniciosum monstrum evanuit; et nihil nocuit eum, nisi quod tentationis illius auxit incendium. Evolutis autem diebus paucis, apparuit loco eodem in figura belluæ monstruosæ, partim sævo leoni, partim rapaci aquilæ similis. Qui illi acriter imminens rabido hiatu efferebatur in eum, quasi vivum devoraturus. Sed divina virtute reprimebatur, ut eum tangere non valeret. Tunc demum ad memoriam nominis Christi phantastica bellua repente disparuit. Qua recedente, illico vir Dei tantum supradictæ passionis incendium pertulit ut evidenter agnosceret ibi fuisse præsentem

Digitized by Google

illum de Isaia tartareum fabrum, qui sufflat in igne prunas (*Isa.* LIV). Unde, quia vidit violentiam tentationis patientiæ suæ modum excedere, definito consilio statuit seipsum abscidere; malens in hac parte apud Deum periclitari, quam in barathrum luxuriæ labi. Jamque nihil aliud exspectabat, nisi ut novaculam vel aliud quodlibet ad hoc idoneum ferramentum reperire posset. Verum misericors et miserator Deus, ille adjutor in opportunitatibus, in tribulatione; ille qui solus sanctus et solus Dominus, famulum suum noluit in tanto agone deserere, sed fecit cum tentatione proventum ut posset sustinere (*I Cor.* x). Itaque dormienti apparuit angelus Domini, in forma juvenis, dicens se esse medicum peritum, et ejus rei gratia advenire ut eum secaret atque ab illa passione sanaret. Quod ille gratanter accepit, et voluntati ejus incontinenti seipsum exposuit. A quo dum incideretur, tolerabat in omni patientia secantis manum et doloris acerbitatem. Cumque evigilasset, putavit amputationem illam in se esse veraciter et materialiter factam. Tandem vero cognovit membra quidem corporis **172** integra sibi manere, sed tentationem ita in se radicitus abscissam, ut nihil omnino molestiæ postmodum ex ea sentiret. Ab hoc itaque tempore exstinctis in eo passionum carnalium incentivis, cœpit illum Deus in benedictionibus dulcedinis suæ copiosius visitare, et implere splendoribus animam ejus, ita ut ex sententia dicere posset: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Extunc ergo et deinceps inerepante Deo feras arundinis, quieverunt ab eo penitus stimuli carnis, et requievit super eum spiritus immensæ consolationis. Magnificavit enim Deus misericordiam suam facere cum illo thesaurizans super illum jucunditatem atque exsultationem, atque in bonis omnibus satians desiderium ejus. Et quem diu potaverat vino salubris amaritudinis, postmodum inebriavit uberius nectare suavissimæ contemplationis.

Inter cætera autem Dei dona spiritalem acceperat devotionis gratiam in oratione, præcipue vero in Dominici corporis et sanguinis consecratione. Unde fratres qui ei ad missas ministrabant, satis superque mirabantur in eo redundantiam lacrymarum, qua totus ibidem affluere solebat. Revelabat ei Deus de secretis cœlestibus multa et magna, atque innumeris consolationibus eum seu dormiendo, seu vigilando, seu et mente excedendo creberrime visitabat. Quæ si omnia litteris mandarentur, multorum voluminum comprehenderent quantitatem. Unde, quia longum mihi est atque onerosum, etiam illa quæ de eodem beato viro comperta sunt mihi, universa stylo mandare, unum ex eis saltem quod cumulante conscientia penitus reticere non audeo, sicut ab ipsius ore **173** audivi, simpliciter refero: quod quidem tale ac tantum est, ut ex uno hoc a fidelibus auditoribus cætera credi vel æstimari facile queant. Vereor siquidem, et multum vereor Deum nostrum offendere, si rem gloriosam atque mirabilem, quæ vel mihi soli, vel forte rarissimis, quorum tamen nullum hodie superesse existimo, ab eodem Dei homine credita est; in qua etiam et Deus glorificari, et multorum fides atque devotio crescere potest, silentio meo perire permittam Igitur, dum sacris altaribus offerens sacramenta vir beatus astaret, in ipsa perceptionis hora tenenti in manibus super calicem sacrosanctum Dei corpus, apparebat in specie parvuli speciosi parvulus ille speciosus forma præ filiis hominum, verus Deus et verus homo, Deus Jesus Christus, ille mitis et humilis corde qui seipsum sapientibus et elatis abscondere, et parvulis revelare consuevit. Quod cum ille cerneret tremefactus ac stupens, primitus præ fulgore ac reverentia majestatis illius, claudebat oculos suos, non enim audebat respicere contra Deum. Qui etiam tunc clausis oculis videbat eum, sicut apertis. Cum declinaret vultum suum in alteram partem, et aliquandiu maneret palpebris obductis, facie sic aversa videbat eum nihilominus sicut ante se positum, aliquando super manum, aliquando super brachium suum; miro videlicet atque ineffabili modo, tanquam si alios oculos haberet in occipitio vel tempore defixos, quibus eum intueretur. Hac igitur tam dulci tamque mirabili revelatione, non semel ac secundo, sed frequenter atque innumeris vicibus ille vir Dei lætificatus est, adeo ut plerumque per quatuor aut quinque menses singulis fere diebus illi appareret. **174** Quod si interdum solito amplius tardare videretur, tanta inerat illi cum Deo familiaritas, tanta de ejus pietate fiducia, ut ipsius sacrificii consummationem diutius protelaret, nec facile vellet illud explere, donec reddita sibi lætitia, Salvatoris Dei consuetam benedictionem mereretur accipere. Hæc ego, sicut jam dictum est, fideliter, ac simplici veritate narravi, quemadmodum ipso referente cognovi. Nam cum ei familiari affectu, propter sanctitatem ipsius adhærere satagerem, multumque de ejus solamine atque allocutione penderem, hanc ab ipso visionem, sicut et alia multa, precibus magnis, et quadam violentia charitatis extorsi, ea tamen conditione, ut nulli ante obitum ejus præsumerem indicare. Quod et facile potui observare; nam parvo postea tempore superstes, tandem felici agone completo, collectus est ad patres suos, eum quibus nunc propitio Deo in Claravalle quiescit, ubi religiose conversans, supremum quoque claudere diem ardenti devotione semper optavit.

CAPUT IV.

De Guillelmo, primum S. Albini Andegavensis, deinde Clarevallensi monacho, cui multa divinitus ostensa et revelata sunt.

Erat in eodem tempore et loco alius quidam vir venerabilis, nomine Guillelmus, ætate pariter et religione provectus. Hic annis ferme quinquaginta in habitu monachali Deo serviens, carnem suam

Digitized by Google

cum vitiis et concupiscentiis assidue crucifigebat, longumque quotidie martyrium trahebat : qui priusquam Cisterciensi **175** Ordini se contulisset, multo tempore vixit in monasterio Sancti Albini Andegavensis, ubi religiose conversando, formam bonorum operum seipsum exhibuit, et magnæ sanctitatis specimen imitatoribus suis ibidem demonstravit. Unde etiam a suis contubernalibus, nec non et ab ipso abbate in magna reverentia habebatur, et diligebant eum miro charitatis affectu. Erat autem in possessione monasterii quidam locus, qui magis solitarius, magisque quieti religionis videbatur accommodus. Ad hunc igitur cum paucis fratribus annuente abbate se contulit, ubi in cellula angusta reclusus annis plurimis habitavit, ut et arctiori continentia seipsum affligeret, et de austeriori conversatione sua infirmioribus fratribus molestiam non inferret. Itaque, jejuniis et orationibus dies noctesque congeminans, non modo carnis edulium et lautiores epulas, quibus interdum fratres ex pristina monasterii consuetudine utebantur, funditus recusabat, verum etiam cibo quadragesimali et ipsius aquæ potu sæpius abstinens, parcissimo victu corpus debile sustentabat. Hanc autem continentiæ virtutem non sine magna difficultate obtinuit, sed post longum inediæ cruciatum, post inenarrabiles gemitus et singultus, cooperante gratia Dei tandem genuinas ventris et gulæ illecebras cum cæteris vitiis a propriis sedibus exturbavit.

Quadam itaque die, cum venisset ad eum salutandum unus de senioribus monasterii, præcepit ei carnium refectionem apponi, eo quod debilis et longo itinere fatigatus esse videretur. At ille respondit se nullo modo comedere carnes, nisi ipse qui ministrari jusserat, secum inde reficeret. Hic itaque familiari amore et persuasione **176** coactus, atque ipsius, ut postea fatebatur, obsonii quantulacunque aviditate, ut comederet acquievit, finitoque prandio hospes valefecit et abiit. Quo recedente, illico frater ille ad se reversus, cœpit a fundo cordis alta suspiria trahere, et ingemiscere vehementer quod tanti temporis propositum tam frivola occasione fregisset. Vix talia cœperat cogitare, et ecce repente quidam ad fenestram cellulæ pulsans : cui cum aperuisset, tremefactus in aspectu illius obstupuit. Erat enim persona reverendissimi vultus et habitus, ac supra humanum modum mirabilis, cui similem in omni elegantia non viderat. Vestimenta ejus candida et pretiosa, et capilli capitis sicut lana alba, et sicut nix facies illius singulari venustate refulgens, angelum potius quam hominem indicabat. Verba oris ejus plena suavitate et gratia erant, et supercœlestem sapientiam mirabiliter redolebant ; denique, quidquid apparebat in illo homine, videbatur supra hominem esse. Nudis tamen pedibus incedens dicebat se peregrinum, et de remotis partibus visitandi gratia venisse ad illum. Qui blanda salutatione præmissa, cœpit eum super iis quæ mente volvebat, familiari et amica increpatione, tanquam cogitationum illius cognitor atque conspector esset, convenire, et dicere : « Merito quidquid ingemiscis, merito plangis super excessu tribulationis, quo nunc diuturnum laudabilis parcimoniæ propositum deliciosa charitate rupisti. Non bona charitas quæ destruit charitatem. Improbanda est pietas illa quæ animas lædit ut corpora foveat. Et nunc audi exemplum quod tibi propono : Erat in partibus Hispaniæ sanctimonialis femina reclusa, quæ pane et aqua vel semicrudis interdum oleribus **177** utens, conversatione sobria, et casta petulantiam carnis viriliter edomabat. Huic aliquando instinctu diaboli desiderium incidit, ut carnem comedere vellet. Qui diu multumque tentationi reluctans, cum jam a facie ejus sustinere non posset, manibus ei datis trahitur ad consensum. Jubet itaque carnis edulium sibi præparari. Qua super mensam posita, antequam gustare præsumat prosternitur in oratione, voce lacrymabili Deo supplicans, ut non ei permittat præparatum tangere cibum, si animæ illius noverit esse damnosum. Surgensque ab oratione ad mensam ingreditur, et data benedictione operculum submovet quo carnis ferculum velabatur. Et ecce pro carnibus quæ appositæ fuerant, tres pulli corvorum in disco vagientes et sine plumis apparuerunt. Quo viso sanctimonialis expavit, et accita sorore quæ illi ministrabat, rei veritatem inquirit. Illa vero sub obtestatione tremendi examinis respondet, sese in eodem mensali non implumes aviculas, sed tria frusta carnis cocta apposuisse. Erat autem cellula ipsa super ripam magni et violenti cujusdam fluminis sita, quod de saxeis montibus erumpens, et confragoso itinere ruens, præcipiti cursu labitur ad inferiora. Igitur ancilla Dei, exsultans et gratias agens quod exaudita esset oratio ejus, præcepit ut ibidem pulli jactarentur cum eodem catino in quo continebantur. Qui projecti in amnem, nullatenus potuere sequestrari ab invicem, sed fluitante vasculo super undas, tandem devoluti sunt in proximum ejusdem habitaculi sinum, ubi ingentis saxi concavitas copiosam aquarum congeriem stagnat. Ibi ergo jam per multorum temporum curricula assidue rotantur, et usque hodie in **178** testimonium miraculi hujus, in ipso vasculo super aquas fluitare cernuntur. »

Hæc et similia viro perorante, frater isdem compunctus est de illius gratissima sermocinatione. Et cadens in faciem, fusis lacrymis veniam postulavit ; acceptaque pœnitentia non modo absolutionem de reatibus suis, sed etiam consolationem plurimam ab eo suscipere meruit. Cumque jam fiducialiter illi loqueretur, percunctari cœpit ab eo quis esset et unde veniret. Cui respondit heros : « Non est tuum scire modo quis ego sim, neque agnoscere unde veni, aut quo vado. » Tunc ille : « Obsecro, inquit, domine mi, ut hodie saltem ingrediaris ad nos, et ministremus tibi. » Et ille respondens ait : « Ego quidem vestro non pane, non veste,

Digitized by Google

non lare indigeo, sed abundo omnibus bonis, et habeo cibum manducare quem vos nescitis. Tantummodo sollicitus sum de vestra salute, et vos nihilominus inde solliciti estote. » Tunc vale dicto cum festinatione recessit, et ita repente subtractus est ab oculis intuentis, ut magis visus sit evanuisse quam abiisse. Ille vero quantocius accitis fratribus qui ei assistebant, jubet eos instanter prosequi recedentem, et precibus multis ad hospitium cogere. Qui celerrime abeuntes cum hac illacque discurrerent, ne ullum quidem ipsius vestigium repererunt. Unde vir Dei certissime angelum Dei, vel potius ipsum angelorum Regem et Dominum Jesum credidit affuisse, qui talia dicere, et cordis ipsius arcana potuit agnoscere. De cujus beata præsentia tantum devotionis et gratiæ mente fœcundata concepit et peperit, ut post annos ferme viginti, cum mihi ista referret, præ nimio pietatis affectu etiam tunc a lacrymis abstinere non posset.

179 Processu itaque temporis cum ad ipsius notitiam beati Bernardi celebre nomen, et virtutum ejus magnalia, fama ubique præconante venirent, non potuit requiescere spiritus ejus, donec felicissimo illius magisterio gubernandum se dederet, ut de ferventiore ferventissimum et de sanctiore sanctissimum redderet. A quo tandem benigne susceptus, et desiderato Clarevallensi collegio sociatus, tanta in eo virtutum gratia radiavit, ut in omni sanctitate mirabilis appareret, etiam quibusque perfectis. Huic ergo multas et magnas consolationes per Spiritum suum pius Deus immittebat, multaque illi (quod pro certo comperimus) de secretis cœlestibus revelabat. Ipse tamen, quia cenodoxiæ pestem incurrere metuebat, de multis paucissima, ipsaque paucissimis referebat.

Factum est autem in una dierum, cum prima cantaretur in choro, et ipse conjunctus psallentibus stabat in ordine suo. Et ecce apparuit ei vigilanti atque psallenti sanctus Malachias, qui in eadem ecclesia jacet honorifice tumulatus. Residebat vero in cathedra juxta altare, annulo, baculo, mitra, cæterisque pontificalibus infulis magnifice adornatus, tanquam missarum solemnia post finem illius horæ celebraturus. Erat autem tunc anniversaria dies depositionis ejusdem sancti, qui etiam omnium fidelium defunctorum dies est solemnis. Apparuit quoque cum eo beatus Bernardus ejusdem ecclesiæ felicissimus pastor atque patronus, qui et ipse erat vestibus pretiosis et candidis micans atque mitratus, minime tamen infulatus. Et merito quidem. Erat enim paterfamilias, in propria domo deferens atque congratulans venerando ac spirituali hospiti suo, dignoque **180** honore præveniens amantissimum, cedebat ei libentissime solemnia missarum, ea potissimum die qua sanctus ille pontifex curiam supernam ingressus, et cœlestibus hymnis primo fuerat honoratus. Unde etiam ipse beatus Pater officiosum ac sedulum scse circa eumdem sanctum episcopum, et circa ipsius altaris ministerium exhibebat. Porro beatus antistes defixa lumina, baculo pastorali innixus, versus chorum assidue tenebat. Sanctus vero Bernardus modo episcopum, modo conventum, modo ipsum altare tanquam sollicitus omnium respiciebat. Hæc visio ita manifesta et corporeis oculis subdita, tandiu eidem famulo Dei intuenti apparuit, quandiu psalmus unus in eadem hora prima duravit. Finito itaque psalmo, finita est visio, sed in corde videntis deinceps finiri non potuit visionis illius pia devotio.

Alia quoque die apparuit ei nihilominus isdem beatus Bernardus, vultu et habitu gloriosus. Quem cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, orans et petens aliquid ab eo. Cui sanctus ait. « Quid tibi vis faciam? » Et ille: « Domine Pater, si inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi, obsecro, utrum salvus fieri debeam. » Et sanctus ad eum: « Nunquid parva res ista quam postulas? Hodie, cum egrederer de paradiso, quam multa millia hominum foris ad januam reliqui, qui adhuc istiusmodi timore torquentur, ignorantes utique utrum amore an odio digni habeantur. » His ita præmissis dedit ei responsionem super verbo quod imploravit. Sed quid ei definite responderit, incertum est nobis. Erat enim vir ille circumspectus et gravis in locutione, multumque cavebat ne aliquid diceret, quod suam ipsius gloriam redoleret. **181** Verumtamen, ex fiducia sermonis et vultus illius hilaritate satis dabatur intelligi, quia jucundum a sancto super hujusmodi verbo responsum acceperit.

Alio quoque tempore, cum iste famulus Dei premente molestia corporis in infirmitorio esset, nocte quadam post matutinas quiescentibus aliis, ipse, ut erat ferventissimus, more solito vigilabat et orabat in lecto. Et ecce per ostium domus dæmonium intrans oculis ejus manifeste apparuit, in vestitu et vultu formosæ mulieris. Quæ coram eo transiens circuibat oberrans, et quasi aliquem quærens. Erat autem in medio domus lampas accensa, quæ copiose refulgens petulantis illius monstri motus et gestus lasciviosos aperte videri faciebat. Ibat ergo phantastica meretrix, obtutu gyrovago cuncta perlustrans, et singulorum pene lectulum explorans, quis dormiret, quis vigilaret, si quem forte de suis ibidem agitaret, si quis blandienti ac lenocinanti consentiendo occurreret, illum cito præteriens, hunc morosius intuens, illum de longe visitans, illi magis appropians, manus quoque interdum usque ad ora quiescentium molliter applicans, nihil intactum, nihil indiscussum relinquere volebat; et quæ per suggestionem semper interius actitat, id modo impudentibus signis exterius figurabat. Tandem vero quem quærebat offendens, sistitur ante lectum. Erat autem juvenis monachus et noviter monachatus. Tunc illa procaci manu injecta, a parte capitis opertorium parumper amovit, et tactu leni pulsitans dormientem,

Digitized by Google

clara voce sic ait: « O homo insensate, quid hales hic facere? Surge celeriter et sequere me, et dic etiam socio tuo ut exeat post te. Ego autem foris ad januam præstolabor **182** vos. » Hoc itaque dicto, pervicax bellua festinato recessit, et per ostium quo intraverat exiit; expergefactus vero juvenis resedit in lecto, et frontem manibus fricans, huc illucque respiciebat, scire cupiens quis eum excitarat. Qui cum neminem cerneret, capite iterum reclinato obdormivit, sed non in Deo. Mane igitur facto, vir Dei qui talia viderat, abbati Roberto rei gestæ ordinem intimat. Ille vero juvenem super cogitationibus suis secrete conveniens, accepit ab eo quod nulla turpi cogitatione aliquatenus pulsaretur, sed ad perseverantiam propositi sui voluntate firmissima traheretur. Erat enim jam cordi ejus præsidente diabolo aditus confessionis obstructus, ne per pœnitentiæ portam venia salutaris ingrederetur. Cum ergo abbas prædicto viro juvenis responsum insinuasset, ille respondit: « Exspectare paulisper, et ex facti fine probabitis verum esse quod dixi. » Quid multa? Non multi fluxere dies, et ecce juvenis ille libidinum furiis agitatus, professionis vinculum rumpit, et ad vomitum sæculi reversus, vilis apostata efficitur. Porro socius ille quem jussus erat secum educere, ipse cum eo novitiatus, ipse cum eo fuerat monachatus. Qui ad aliam transmissus abbatiam, cum audisset socium suum jugum Ordinis abjecisse, tunc et ipse rupto professionis vinculo, non distulit cum eo etiam apostatare. Unde patenter innotuit, quod spiritus fornicationis juxta præfatæ visionis modum utrumque subduxit. Ilic sanctus vir plenus dierum ac virtutum migravit ad Dominum.

183 CAPUT V.

De Acardo Clarævallis monacho, multorum cœnobiorum exstructore, qui Herberto tum adhuc novitio multa a se visa referebat.

(Vid. sup. S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 453.)

CAPUT VI.

184-86 *De Schocelino agri Trevirensis eremita, magnæ sanctitatis, et miræ rerum humanarum despicientiæ viro; quem etiam S. Bernardus invisit per suos, et muneribus prosecutus est: cujus corpus in ædem Beatæ Mariæ castri Luceleburgi translatum, miraculis celebrabatur.*

(Vide ibid., col. 455.)

187-93 CAPUT VII.

De fratre laico et converso Clarævallis, pro inimicis orare solito, cujus pretiosæ morti divina visio testimonium perhibuit. Quinam ex S. Bernardo cœlum recta ingrediantur.

(Vide ibid., col. 459.)

194-97 CAPUT VIII.

Roberto Clarevallensi abbati duo angeli floribus chorum sternentes, cujusdam monachi tunc morientis meritum designant.

Robertus venerabilis Pater, abbas quondam Clarevallensis, vir religiosus et per cuncta laudabilis, quadam vice cum in lecto suo quiesceret, vidit in somnis quasi duos ephebos adolescentes, vultu et habitu insigniter relucentes; qui quasi lilia, rosas et violas ac diversi generis flores in choro Clarevallensi copiose spargebant. Quo viso, miratus est et dixit ad illos: « Quid vobis visum est, o boni juvenes, contra consuetudinem nostram pavimentum hoc floribus sternere, et monasterio nostro hujusmodi novitatem inducere? » Illi vero dixerunt ad eum: « Noli ista mirari, nec moleste accipias, quia modo jam in choro isto celebrabitur nova novi cujusdam sancti festivitas. » Eadem igitur hora defunctus est in infirmitorio religiosus quidam et boni testimonii frater. Cumque pro eo tabula pulsaretur, excitatus a somno isdem venerabilis Pater, properanter venit ad eum cum cæteris **198** fratribus, et magna devotione commendavit animam ejus; certissime credens atque confidens quod hic erat novus ille sanctus, de quo in requiem assumpto angeli sancti novam festivitatem, et novum gaudium essent illico celebraturi.

CAPUT IX.

Visio apud Claramvallem ostensa in obitu fratris cujusdam, bonæ quidem voluntatis, sed aliquantum negligentis.

Alius quidam frater vidit in visione pretiosa quædam de palleis et sericis indumenta, in infirmitorio Clarevallensi incidi atque præparari. De cujus rei novitate cum multum obstupuisset, dictum est ei: « Ornamenta ista de quibus miraris, præparata sunt cuidam de filiabus abbatis Clarevallensis, quæ modo procedit ad nuptias, et quia minus habet pulchritudinis in se quam conveniat generi suo, oportet ut habeat saltem pretiosarum vestium fragrantiam atque decorem, unde placeat viro. » Eadem igitur hora pulsata est tabula, et defunctus est frater quidam; de quo inventum est quia, quamvis bonam voluntatem habuerit, tamen in operatione aliquantulum negligens et remissus exstiterit. Unde necesse erat ut cui gratiam absoluti decoris propria merita non præstabant, ei nimirum fratres de orationibus suis copiosiorem ornatum impenderent.

199 CAPUT X.

Fratres Igniacenses in visione angelica liliorum emblemate exprimuntur.

Similiter apud Igniacum (quod est de filiis Clarævallis non ignobile monasterium), cuidam approbatæ conversationis viro ostensa est hujuscemodi revelatio: Aspiciebat in visu noctis, et ecce duo angeli e cœlis advenientes de multis liliis quæ in cœmeterio ipsius monasterii apparebant, quatuor præciderunt, et eadem secum ad sidera detulerunt. Quod cum ille videret, dixit ad eos: « Quare, obsecro, succiditis lilia nostra? » Qui respondit: « Noli inde mirari, frater, quia nostra sunt lilia; et quidem ista quatuor ad præsens nobiscum asportabimus, reliqua vero paulatim deinceps cum opportunum fuerit colligemus; et ne unum quidem poterit remanere quin omnia transferamus. » Mox igitur in eodem cœnobio

Digitized by Google

defuncti sunt quatuor fratres boni et religiosi, de quibus certum est quod per quatuor lilia de cœmeterio præcisa fuerint designati. Verum in eo quod dictum est, nullum ibidem fore relinquendum quia omnia transferrentur in cœlum, non parva relicta est consolatio nobis parvulis et infirmis, qui inter infirma Christi membra gementes, de nostra imperfectione dolemus, et dolendo clamamus in auribus Patris misericordiarum : *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum* (*Psal.* CII) ; et illud : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit. Quia apud te propitiatio est* (*Psal.* CXXIX). Item : *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et nemo in eis* (*Psal.* CXXXVIII), subaudiendum est, peribit, ut beatus Bernardus exponit.

200 CAPUT XI.

Arnulphus de Majorca, vir in sæculo præpotens, in Claravalle factus monachus, pro totius vitæ peccatis tres tantum Orationes Dominicas pœnitentiæ loco accipit a sancto Bernardo; centuplum in hac vita se a Domino percepisse affirmat; sancte moritur.

Arnulphus de Majorca, vir dives et delicatus nimis, natione Flandrensis, beato Bernardo se secrete reddidit. Fuit autem utriusque consilium rem silentio tegere, propter quædam sæculi impedimenta, usque ad ultimam diem qua egressurus esset de terra et de cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumpere sese non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret. Interim ergo, dum silentium illud tenerent omnia, et arcani hujus causam negotii ipsi duo soli in mundo cognoscerent, factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens : « Vade, dic Arnulfo de Majorca, ut te secum ducat in Claramvallem, quo proxime iturus est ad conversionem, et cum eo convertere. » Audiebat autem vocem, sed neminem videbat. Quod cum factum fuisset, cœpit attentius orare, ut si a Deo sermo fuisset egressus, revelaret iterum auriculam ejus, et adjiceret iterum loqui ad ipsum, repetens eumdem sermonem. Accepto itaque secunda jam vice oraculo venit ad prætaxatum virum, et ait : « Verbum mihi ad te dominum meum. » A quo cum **201** fuisset ductus in partem, procidit ad genua illius, dicens : « Obsecro te per Christum, ut ducas me tecum ad Claramvallem tuam, et salves tecum animam meam. Et, si scire desideras, sic et sic nuntiatum est mihi. » Audita autem revelatione miratus et lætatus est valde ; et accepto homine, ad seipsum conduxit, et habuit individuum comitem itineris et conversionis, habiturus etiam, ut credimus, consortem æternæ retributionis.

Veniens itaque vir venerabilis ad prædictum monasterium, multa de suis facultatibus tam ipsi quam aliis pluribus contulit. De quo etiam beatus Bernardus talem in commune sententiam protulit : « De conversione, ait, fratris Arnulfi, nec minus admirandus, nec minus glorificandus est Christus, quam de resuscitatione Lazari quatriduani, eo videlicet quod in deliciis tantis clausus atque sepultus velut in tumulo jacebat, quasi vivens mortuus erat. » Huic autem confitenti cum gemitu et lacrymis multis, delicta universa quæ in mundo contraxerat beatus Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei ut *Pater noster* tribus vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad obitum perduraret. Quo ille audito, quasi substomachans ait : « Ne, quæso, irrideas famulum, beatissime Pater. — In quo te, ait, irrideo ? » Respondit : « Jejunia septem vel decem annorum non sufficerent mihi, etiam humiliato in sacco et cinere ; et tu mihi præcipis *Pater noster* tertio dicere, et in Ordine perseverare ! » Et sanctus ad eum : « Ergone tu melius me nosti quid te oporteat facere, et unde salveris ? » Ille vero respondit : « Absit ab anima **202** mea tam iniqua præsumptio. Sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti, ut parcas melius in futuro ; et talem nunc impone pœnitentiæ pœnam, quatenus post mortem carnis, ad requiem sine pœna perveniam. » Cui beatus Pater ait : « Fac ut locutus sum, et securum te facio, quia deposita mole corporis, mox ad Deum sine molestia pervolabis. » Hoc itaque responso quasi divinitus accepto confortatus est nimis, adeo ut nulla deinceps tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset a cursu desiderii sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari. Erat autem circa custodiam cordis sollicitus, ac timoratus nimis ; ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum conscientiæ propriæ mundatorem. Mirabantur siquidem omnes, præsertim confessionum illius auditores, quotidianam instantiam, vel potius importunitatem, qua eos quiescere non sinebat, sicut nec ipse quiescere poterat, confitendo, plangendo, plorando, non modo de otioso sermone aut signo, si quando illi vel raro subriperet, verum etiam super vana et levi aliqua cogitatione, quod cæteri hominum, ut perpaucos excipiam, aut parvi aut nihili penderent, in quo seipsum scrupulosissime dijudicabat, et quasi de crimine arguebat.

Quadam itaque die, cum in ecclesia vesperæ cantarentur, et ipse stabat in retrochoro, juxta quemdam monachum, virum æque sanctissimum. Et ecce angelus Dei apparuit ibi in specie pulcherrimi monachi adolescentis, cuculla indutus nive candidiore, ipso tamen Arnulfo non vidente neque sciente. Qui dum solito more ad gloriam psalmi inclinaret, angelus coram eo **203** stabat, et supplicantis caput suppositis manibus sustentabat. Quem cum prædictus monachus cerneret, et præ fulgore vultus et habitus angelum esse deprehenderet, lætatus est valde super angelico aspectu, accessitque ut apprehenderet eum et devote am-

Digitized by Google

plexaretur. Cumque, expansis manibus, vellet eum tenere atque astringere sibi, ille subito evanescens recessit ab eo, et subito iterum apparens stetit in alio loco. Videns vero monachus, denuo cucurrit ad eum, et simili modo nitebatur apprehendere illum. Sed mox angelo disparente, et protinus alibi reapparente frustratus est homo a conatu suo. Quod cum pluries factum fuisset, tandem angelus ex toto disparuit, et qui se videndum obtulerat, teneri omnino non pertulit.

Quia ergo veraciter scriptum est quoniam diligit Deus correptionem, flagellat autem omnem filium quem recepit (*Hebr.* XII), nunquam huic venerabili viro paternæ miserationis correctio defuit, semper in eo carnis vitia resecans, et virtutes animæ usquequaque multiplicans. Denique per plurimos annos usque ad obitum suum gravibus ac diuturnis incommodis flagellatus est; quæ non solum æquanimiter tolerabat, verum etiam gloriabatur in illis sicut in omnibus divitiis. Quadam itaque vice cum doloribus viscerum, quibus nimium laborabat, solito durius arctaretur, angustiatus est pene usque ad mortem; ita ut aliquandiu mutus atque insensibilis permanens, de vita desperaretur, et ob hoc etiam oleo infirmorum inungeretur. At, ubi respirare primum potuit, subito erumpens in jubilum, ait: « Vera sunt omnia quæ dixisti, Domine Jesu. » Et hoc idem sæpius repetebat. Stupentibus **204** vero qui aderant, et percunctantibus quomodo se haberet, et quare ista diceret, nihil aliud respondit nisi quia vera sunt omnia quæ locutus est Deus. Quidam ex ipsis dicebant quod præ acerbitate doloris, cerebro turbatus esset, et quasi aliena loqueretur. Quibus ille respondit: « Non ita est, fratres, sed sano capite et mente sobria dico, quia vera sunt omnia quæ locutus est Deus. » At illi responderunt: « Et nos ista cognoscimus, sed quare hæc dicis? » Respondit: « Dominus in Evangelio dicit quia quisquis pro ejus amore hæc et illa dimiserit, centuplum accipiet in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro (*Matth.* XIX). Ego itaque vim sermonis hujus in præsenti experior, et centuplum meum jam nunc in hac vita recipio. Siquidem immensa vis doloris istius adeo mihi sapit, adeo mihi sedet, propter spem divinæ miserationis quæ in eo reposita est, ut hac ipsa caruisse me nolim pro centuplicata mundi substantia quam reliqui. Quod si ego peccator et indignus ita a Deo confortor atque lætificor etiam in angustiis meis, quomodo putamus, sancti et perfecti viri tripudiant et exsultant in consolationibus suis? Vere etenim spiritale gaudium quod modo est in spe, centies millies exsuperat sæculare gaudium quod modo est in re. Et qui centuplum istud necdum accipere meruit, profecto constat quod adhuc omnia perfecte non reliquit; sed ex propria voluntate, quæ est mala proprietas, retinet aliquid. » Hæc illo dicente mirati sunt universi, ab homine laico et illitterato talem sententiam esse prolatam, nisi quod manifeste dabatur intelligi, quia Spiritus sanctus qui eum flagellari graviter in corpore permittebat, intus in anima suaviter ungebat: cujus nimirum sacratissima **205** unctio quemcunque tetigerit hominem, docet de omnibus quæ operatur. Iste ergo vir sanctus, cum jam de manu Domini recepisset duplicia, pro omnibus peccatis suis tandem longo martyrio cruciatus, et tanquam aurum in fornace probatus, pacatissimo somno obdormivit in Domino. De quo certissime credimus, quia juxta beati Bernardi sententiam, mox ut a corpore exiit, ad Deum sine pœna pervenit.

CAPUT XII

Quidam verberibus invisibili manu inflictis compellitur ad conversionem in Claravalle.

Est in eodem cœnobio vir venerabilis religiosus, cujus nomen quandiu superest exprimere nolumus, qui, dum esset clericus et juvenis delicatus, intentus erat interdum actionibus ludicris cum cæteris coæqualibus suis. Quadam igitur vice cum ad aliquam domum jocandi causa multi confluerent, ut theatricis plausibus et nugis diem ipsum solito more consumerent, accessit illuc etiam præfatus juvenis, ut ipse pasceret oculos suos de spectaculo vanitatis. Erant autem illic aleatores quidam cum aleis ludentes, quos ut melius ex alto prospiceret, super mensam ibidem appositam pronus accubitabat. Et facta est subito super eum quasi hominis manus, ipsum invisibili flagello diutius vapulans, quæ caput illius ac dorsum totum veluti pilo desuper feriente crebris ictibus tundebat. Ipse vero jacebat immobilis, quid faceret, et quo se verteret ignorans, **206** volebat autem præ nimia doloris angustia in vocem clamoris et planctus erumpere, sed præ pudore propter circumstantes populos non audens, molestiam verberum ægre ferebat. Arguens vero semetipsum, loquebatur in amaritudine animæ suæ, dicens: « Hei mihi, Domine Deus! nunc invenerunt me peccata mea; et ecce jam morior, et ad inferos cum dolore descendo, carens pœnitentiæ fructu. O si mihi concederes spatium emendandi, quanta est mihi voluntas tibi in omnibus obsequendi! » Dum hæc et similia in corde coram Deo loqueretur, facta est vox ad ipsum, dicens: « Si Claramvallem conversionis gratia adire volueris, et in anima et in corpore salvus eris. » Ad quod ille respondit: « En trado me servum Deo et domui Clarevallensi. » At, ubi in corde suo hoc firma voluntate proposuit, mox recedente flagello, etiam dolor totus evanuit. Quod cum ille vidisset, continuo non acquievit carni et sanguini; et ne unius quidem horulæ morulam sustineret, nisi quod ita ad manum equitatura non fuit. Qua die eadem comparata, in crastinum summo mane iter arripiens, domum, familiam, agros, redditus, census et cuncta quæ habebat, pro Christo arbitratus ut stercora, dereliquit, et veniens ad Claramvallem, ibique usque

Digitized by Google

hodie permanens, satis in sua conversatione demonstrat quod prima illa conversionis ejus vocatio vere ab illo fuerit qui eos quos amat arguit et castigat, omnemque filium, quem recipit, paterna pietate flagellat (*Hebr.* XII).

207 CAPUT XIII

Sancti Bernardi mandato differtur obitus cujusdam monachi Clarevallensis.

Quidam de fratribus ejusdem loci cum esset positus in extremis, ingressus est ad eum visitandum beatus Bernardus post completorium, et videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, ait: « Nosti, charissime frater, quia conventus noster modo fatigatus est de labore, et jam postmodum habet ad vigilias surgere. Quod si te iterum obdormiente, oporteat illum suam interrumpere dormitionem, nimium vexabitur, et prægrandes vigilias minus celebriter exsequetur. Ut ergo bene sit tibi, et longo vivas tempore super terram, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Christi præcipio quod usque ad horam divini officii exspectes nos. » Cui ille respondit: « Faciam, domine, ut imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffrageris. » Quid multa? Abiit Pater in dormitorium, et frater non obiit ante terminum constitutum. Moxque ut signum ad vigilias pulsari cœpit, pulsata est tabula, et ille decessit. Quod non modo de illo fratre, verum etiam de pluribus aliis pluries accidit; ut uno pluribusve diebus protelaretur finis eorum ad ipsius Patris imperium et votum.

208 CAPUT XIV.

Angeli sancti lectulum circumstant morientis in Claravalle monachi.

Conversus quidam de supradicto cœnobio, homo religiosus et bonæ operationis, cum jam ad extrema devenisset, apertis oculis vidit angelos sanctos præsentes assistere lectulo suo. Qui statim circumstantibus fratribus ait: « Nunquid non aspicitis angelos Dei qui modo advenerunt? Pulsate quantocius tabulam, quoniam ipsum præstolantur exitum meum. » Et cum ista dixisset, protinus egressa est anima. Nec dubium quin eam susceperint angeli sancti, quos prævidisse meruerat.

CAPUT XV.

Fratri bubulco Clarevallensi apparet per quietem Christus Dominus, boves cum eo stimulans, stivam premens, terramque aratro proscindens.

Alius quidam frater, bubulci gerens officium, in eodem monasterio exstitit, homo purus ac bonæ simplicitatis. Hic igitur quadam vice vidit in somnis juxta se Dominum Jesum Christum, jucundo nimium spectaculo illa sua manu dulcissima tenentem aculeum, atque ex alia parte temonis boves minantem secum. Quod cum ille vidisset, illico correptus ægritudine, lecto decubuit, et post dies sex **209** laborem et dolorem cum morte finivit. Beatus vero Bernardus qui conscientiam hominis puram ac simplicem noverat, cum visionem hanc ipso referente cogitaret, plurimum inde gratulatus est. Defuncto autem fratre, pronuntiavit de ipso confidenter quoniam cum Deo ambulavit; etiam vere cum ipso operatus est, ideoque transtulit illum Deus. Nec potuit miserator omnipotens servum suum in supremo agone deserere, cui dignantissimus comes et cooperator fuerat in labore.

CAPUT XVI.

Quidam conversus Clarevallensis, litterarum rudis, cum esset morti proximus, multa Latino eloquio de Scripturis sanctis disseruit.

Solent frequenter fratres infirmarii Clarevallenses cum gaudio atque admiratione referre, de quodam honestæ vitæ converso, qui cum devenisset ad mortem, cœpit loqui Latino eloquio. Et, cum nunquam Latinas litteras didicisset, mira quædam de Scripturis sacris luculento sermone disserebat; nihil penitus proferens, nisi quod sanæ doctrinæ congruebat. Præterea quasdam suaves cantilenas, quæ nusquam audiri consueverant, modulatis vocibus depromebat, ita ut videntes miraculi novitate obstupefaceret, et cantuum suavitate mulceret. Qui dum hæc aliquandiu faceret, tandem in bona confessione animam reddidit, et extrema lucis illius gaudium occupavit.

210 CAPUT XVII.

Conversus e Claravalle tertio egressus, et tertio receptus, tandem vere et diu pœnitens, paulo ante obitum, beatitudinem æternam prægustat

Præterea, quidam alius conversus, cum de eadem domo levitate sua tertio fuisset egressus, tertioque receptus; tandem graviter ingemiscens, et doloribus vulnerum, dolores medicaminum superaddens, præsentibus lamentis præterita mala delere, et veluti clavum clavo expellere satagebat, simulque diversis respectibus stantes ne laberentur, lapsos ut erigerentur salubri exemplo informabat. Et, ne quid illi forte deesset ad integram salutis æternæ recuperationem, disponente Deo ingressa est putredo in ossibus ejus, et percussus circa femora ulcere canceroso distabuit, ita ut carnibus undique corrosis ossa nudata patescerent, et vulnera vermibus scaturirent. Crescebat in dies angustia languoris, et annis plurimis in grabatulo carceratus, quot horis vivebat, totidem pene interitionibus subjacebat. Erat ergo patienti animæ miserabilis dolor et angor, simulque servitoribus ejus a facie tabidi ulceris ingens fœtor et horror. Sed erat nihilominus laboris ac patientiæ hujus remuneratio copiosa penes Deum utrisque reposita. Satagebat autem infirmus gratias agere semper in pressuris istis, credens et confitens sese recipere longe adhuc imparia meritis. Et quoniam veraciter scriptum est: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum* (*Prov.* XXV, 6), cum jam exc octa fuisset ad purum scoria peccati, educta est tandem **211** anima illa de conflatorio purgationis, et velut argentum igne examinatum munda et nitida, cum cæteris misericordiæ vasis translata est ad palatium summi Regis

Digitized by Google

Suæ aliquam de lacu miseriæ et de luto fæcis egrederetur, meruit prævidere gloriam suam, et prælibare nescio quid ineffabile de illa dulcedine superna, ad quam sine fine fruendam erat in proximo admittenda. Qua percepta protinus erupit in jubilum præconii cœlestis, et serenata facie cœpit cum suavissima melodia quosdam novos multumque delectabiles hymnos ac modulos cantare de canticis Sion. Facta autem hac voce, convenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem positum in dolore et morte communi, mortis tamen oblitum et nescium doloris, imo qui morti in morte insultans jam quasi dicebat : *Absorpta est mors in victoria? Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* (*I Cor.* xv, 54.) Iste igitur modulizans et glorificans Deum, in ipsa hora tristitiæ omnia prospera, omnia jucunda cernebat; et veluti jam citharizaret in cithara sua cum cæteris sanctis, ita lætabundus et laudans in voce exsultationis et confessionis animam ad Deum emisit. De cujus felici consummatione beatus Bernardus multum exhilaratus fuit. Unde etiam sermonem devotissimun in capitulo faciens, commendavit in eo pœnitentiæ fructum, et mirabilem patientiam ejus omnibus proposuit in exemplum.

A

B

212 CAPUT XVIII

Gerardo converso de Moris, viro mitissimo et religiosissimo ; apparet paulo ante obitum Christus Dominus cum duodecim apostoli

Conversus quidam, nomine Gerardus, vir valde religiosus fuit in domo quæ dicitur Moris, homo timoratus, et corporis sui castigator admodum durus. Hic tanto animi fervore contra vitia luctabatur ut quando illicitis motibus pulsabatur, super urticas sese in terra volutaret, et ex eis corpus suum ac membra confricaret. Hoc vero sæpissime faciens petulantis carnis stimulos fortiter reprimebat, et incentiva libidinum pœnali incendio salubriter exstinguebat. Hic erat homo mitissimus, multumque satagebat ut inter fratres viveret sine querela. Qui, dum extrema ægritudine laboraret, vocato ad se uni de suis servitoribus ait : « Recolo, charissime frater, offendisse me nudiustertius virum illum talem (designavit autem illum ex nomine), mea, ut vereor, culpa. A quo tamen illico prostrato corpore veniam petii et impetravi ; sed utrum ex corde dimiserit, incertum est mihi. Vade, quæso, ad illum, et iterum vice mea propter Deum efflagita ut pleno affectu supplicanti indulgeat. » Quod cum obtinuisset, benedixit Deum, et ait : « Jam lætus moriar, quia pacatis, ut arbitror, universis pacem bonam et dilectionem cum omnibus habere me credo, et omnibus id ipsum quod mihi desidero. » Igitur, instante migrationis illius articulo, exhilaratus vultu et animo, circumstantibus dixit : « Eia, fratres **213** mei, gaudete in Domino et gratulamini mihi, quia Dominus Jesus Christus, Filius Dei Patris, modo venit ad me cum duodecim apostolis suis. Et ecce nunc in ecclesia nostra manet, præstolans exitum meum ; nec inde recedet donec ego cum ipso recedam. » Cumque finisset hujusmodi sermonem, illico finivit et mortem. Nec dubium quin ab illo fuerit in pace receptus, a quo ineffabili dignatione fuerat exspectatus. Hæc mihi frater quidam nomine Josbertus, vir ætatis decrepitæ, et emeritæ sanctitatis, sub divina testificatione narravit, sicut ab eodem G. cui morienti assistebat, audivit

C

D

CAPUT XIX.

Cuidam monacho Clarevallensi visi sæpe cacodæmones horrendis formis, visus S. Augustinus, a quo et ad loca pœnarum, et ad beatorum sedes deductus est, visa anima monachi de corpore egressa, et in aere tandiu hæsitans donec sacerdotali commendatione muniretur, visus denique in missa parvulus Jesus flagitiosum presbyterum aversari.

Novimus quoque alium quemdam de filiis Clarævallis, virum æque sanctissimum, cujus nomen, quoniam præsenti subjacet vanitati, exprimere nolumus. Hic ab adolescentia mundo renuntians, quadragesimum, ni fallor, in monasterio supergreditur annum. Ubi in omni sanctitate et justitia Deo serviens, etiam corporis integritatem magno Dei munere a matris utero conservat.

Hunc autem Dominus Jesus in testimonium genuinæ **214** puritatis multis consolationibus relevat, et multa illi de arcanis cœlestibus revelat. Accepit quoque gratiam spiritalem a Domino quam perpauci hominum assequuntur. Nam, quoties pene voluerit intentius luminibus intentis in aera sursum aspicere, solitus est videre corporeis oculis per diem globos dæmoniorum stipatis agminibus passim ubique vagantium ; quorum tanta est infinitas, ut præ immensitate æstimari non valeat. Qui cum multiformiter soleant apparere, una est tamen forma vel potius informitas, in qua frequentius eadem conspicatur. Igitur, secundum corporum lineamenta monstruosi homines esse videntur, statura gigantes, colore Æthiopes, agilitate angues, leones feritate. Capitibus vero grossis, ac turgidis ventribus prominentes, corporibus curti atque gibbosi sunt. Colla quoque producta habentes, atque exilia, brachia nihilominus et crura longissima proferunt. Quando autem alicubi in aere sistuntur, tunc eorum corpora membratim facile discernit. Quando vero discursu mobili huc illucque vagantur, tunc nihil ex eis nisi tantummodo larvales umbras, et turbinum glomeres deprehendit. Serenis quoque diebus quando sol in virtute sua lucet, tunc visiones hujusmodi frequentius cernere, ac melius discernere solet. Quadam itaque vice cum diutius protelatis vigiliis, in quodam diversorio solus oraret, inhorruerunt subito pili carnis ejus, et præter solitum turbari cœpit a facie nocturni timoris. Et ecce turba dæmonum glomeratim per ostium irruens, et quasi se invicem a multitudine introeuntium comprimens, totam domum implevit, ita ut undique perstrepens, ipsum quoque orantem hinc inde concuteret. **215** Quod ubi ille persensit, illico signo crucis armatus, crebras venias petere cœpit,

Digitized by Google

et beatæ Mariæ salutationem frequentius iterans phantasmatum turbines ab oratorio suo celeriter exturbavit. Nocte vero sequenti cum eumdem locum orationis gratia repetisset, ecce iterum contrariæ potestates in impetu furoris accelerantes, ipsius domicilii parietem lapideum ictu valido percusserunt, quomodo percutit aries ad murum applicatus, ita ut totum ædificium quateretur. Cumque vir Dei levaret oculos suos contra fenestram magnam in eodem pariete apertam, vidit in ea consistere pennatum dæmonem quemdam, instar gryphis aut struthionis, qui ei minaciter imminebat, quasi mox ruiturus in eum atque devoraturus. Quo viso machinamenta zabuli animadvertit, et invocato nomine Salvatoris eflerato prodigio signum crucis opposuit, ac fugavit. Multa ejusmodi ludibria atque certamina passus, usque hodie feriri et referire non desinit luctator egregius.

Quadam itaque nocte cum extra domum positus in curia staret ad orationem, vidit ante se lampadem claram in aere suspensam : ad quam cum accederet, illa sursum ferebatur, ut comprehendi non posset. Cumque ille se paululum amoveret, lampas iterum descendebat, atque in eodem loco manebat. Quod cum sæpius fieret, tandem quod videbatur evanuit, et quid sibi vellet apparitio illa non satis apparuit.

Sed neque hoc silendum existimo, quod beatus Augustinus quodam tempore ei per visionem apparuit, ducens illum per innumera loca pœnarum, et usque ad ipsum putei gehennalis ingressum. In quem ex alto **216** prospiciens trementibus membris, et palpitante anima præ pavore intolerabili, vidit illam tartaream ardentis abyssi voraginem, plenam clamoribus horrendis et ululatibus miserorum, vita exsecranda semper in igne devorante viventium : quibus est mors amarissima, mors omnium mortium pessima, mori non posse. Inde reflexo gradu, eductum de loco horroris et tenebrarum, transtulit ad regiones felicium gaudiorum, ostendens ei luciſluas sedes et mansiones beatissimas animarum, ubi corporibus exutæ vivebant, atque in pace Christi quæ exsuperat omnem sensum felicissime quiescebant. Tunc ait illi sanctus Augustinus : « Ecce vidisti fines ultimos boni et mali : elige quod bonum est in oculis tuis. Si viam justitiæ quæ in libris meis copiose digesta est, tenere decreveris, portionem habebis in terra viventium, in gloria cum omnibus istis. Si vero post concupiscentiam tuam ire volueris, numerandus es cum iis qui sunt in anathema oblivionis. » Finita itaque visione, cum fuisset ad se reversus, homo totus infremuit, totus vehementer inhorruit, duplici nimirum timore constrictus, tum ne bonorum gloriam amitteret, tum ne pœnam reproborum incurreret. Extunc vero et deinceps cœpit beatissimum doctorem Augustinum dulcius amare, et dicta illius sapidius retractare.

Contigit autem aliquando ut infirmaretur in domo Dei, quæ est abbatia ordinis Cisterciensis. Porro ibidem tunc ægrotabat ad mortem alius quidam frater honestæ conversationis, qui, cum jam in area positus esset, casu accidit ut infirmariis absentibus spiritum exhalaret. Prædictus vero frater cum ibi stratu suo recubans, gravi **217** corporis molestia langueret, revelante sibi Domino, vidit manifeste corporeis oculis, animam illam longo tractu a corpore exeuntem, et quasi fumum incensi de thuribulo procedentem. Quæ cum tota fuisset egressa, collegit se in unum globum, et stetit supra corpus in aere suspensa, altitudine quatuor aut quinque cubitorum. Erat autem spiritus ejus tanquam nubecula condensa atque perspicua, et quasi ad mensuram unius modii obpansa. Mansit ergo ibidem immobilis, usquequo fraternis orationibus comitata, et sacerdotali commendatione munita, periculosi atque ignoti itineris ducatum accipere mereretur. Quod cum frater ille videret, sonitu et voce qua potuit, infirmarios evocavit. Qui protinus accelerantes, tabulam defunctoriam pulsaverunt, et fratres ad exsequias undique concurrerunt. Præsente vero conventu cum cruce, et aqua benedicta, cum jam sacramentalis commendatio esset initiata, tunc anima illa quasi jam secura processit, et nebula fumi quæ videbatur evanuit.

Alio quoque tempore accidit ut prædictus frater die Dominica divinis interesset officiis in quadam ecclesia parochiali. Dicta itaque Offerenda, cum jam ministratio panis et calicis sacræ mensæ fuisset imposita, protinus apparuit ei Dominus Jesus, stans super eamdem aram in forma parvuli valde formosi, ita manifeste atque morose, ut usque ad consummationem sacrificii propemodum visio perseveraret. Verumtamen presbyter ejusdem loci, qui missam celebrabat, homo inhonestæ vitæ atque flagitiosus erat. Quandiu ergo sacerdos ille, sive oblationes fidelium recipiendo, sive sermonem, ut in die festo **218** fieri solet, ad populum proferendo, seu aliquid aliud faciendo, dorsum ad altare habebat, tandiu sanctus infans ante calicem stabat. Quandiu vero sacerdos ad sacramentum faciem tenebat, tandiu sacer ille parvulus tanquam immundi presbyteri halitum abhorrens, longe remotus ab eo post calicem consistebat. Quod cum frater ille conspiceret, compunctus est vehementer ; ita ut inundatio lacrymarum interdum a visione visum præpediret. Completa autem revelatione glorificavit Deum, qui sibi dignatus est talia demonstrare, et vere cognovit quod distantia meritorum non facit differentiam sacrificiorum, quoniam sacramenti effectus nullatenus constat ex virtute et merito sacerdotis, sed ex institutione et gratia Redemptoris.

CAPUT XX

Ambiani Robertus sacerdos, castitatis amator et prædicator. Ibidem pudica quædam femina, infantulum Jesum tempore sacrificii videre solita, probis sponte illabentem, ab improbis vero abhorrentem.

In civitate Ambianensi noscitur habitare quidam honestæ vitæ sacerdos, præcipuus castitatis amator atque prædicator, nomine Robertus, qui pro sua

Digitized by Google

singulari sanctitate et sapientia ab omni plebe diligitur et honoratur. Huic autem venerabili viro cura et efficacia multa probatur inesse fidelibus subditis cælibatus amorem verbo et vita persuadere, adeo ut ex eis **219** quamplurimi, non modo ab illicito, verum etiam a conjugali thoro, alii frequenter, alii quoque indesinenter abstineant. Est ergo ibidem devota mulier quædam, quæ pudicitiæ desiderio flagrans, thorum suum ipso marito renitente reliquerat. Qui prædictum adiens sacerdotem interpellare cœpit adversus uxorem. A quo mulier conventa atque increpata, cum monitis ejus acquiescere nollet, audivit : « Unum e duobus eligere te oportet, aut conjugii legibus obedire, aut mariti consensum precibus intentis a Domino impetrare. » Cui illa respondit : « Primum quidem istorum mihi omnino intolerabile, sequens vero nimis desiderabile. » Igitur acceptis a sacerdote octo dierum induciis dum jejuniis et orationibus lacrymosis ardenter insisteret, miseratus est Dominus ancillam suam, et deprecationem illius exaudiens, ita mariti animum infra septimanæ circulum ad affectum continentiæ inflammavit, ut jam deinceps ad amplexus femineos pertrahi non valeret, etiamsi mulier consentiret.

Est et alia quædam mulier sancta in eadem urbe, et pudorata, quæ marito favente jam plurimis annis in eodem castitatis proposito perseverat. Huic autem de sacramento altaris Dominus magnalia revelare dignatur quæ paucissimi hominum videre merentur. Cum enim in ecclesia celebrarentur sacrosancta mysteria, solita est videre sæpissime Dominum Jesum Christum, supra sanctum calicem in aere stantem, in effigie parvuli super solis radium coruscantis, ita ut oculi ejus a fulgore luminis reverberarentur. Hora vero perceptionis ille sacer infantulus in os sacerdotis cum ipsa communione ingreditur, et nihilominus ad eamdem benedictam feminam **220** veniens, visibiliter ac sensibiliter ori ejus illabitur, ita ut fauces ac viscera ejus ineffabili suavitate et gaudio repleantur. Tres vero tantummodo sunt in eadem civitate presbyteri, super quos istiusmodi gratiam descendere conspicit. Sacrificante vero aliquando quodam inhonestæ vitæ presbytero, vidit mulier eumdem puerum apparentem obscurum, et per totum corpus quasi cruore aspersum : qui etiam ad sacerdotem accedere, atque in os illius dedignabatur intrare. Quod cum illa videret, cœpit uberrime flere, intelligens nimirum et plangens hominem lethali vulnere interius esse confossum, pro quo exterius apparebat ita terribile signum.

CAPUT XXI.

Matricularius Northmannus videt in divino sacrificio privari presbyterum osculo pueri Jesu, propter odium quo in compatrem commotus erat. Videt etiam in Rogationibus, mulierum nugaces cantilenas ab angelis despici, a dæmonibus cachinnis excipi.

Viro sancto ac venerabili Richardo quondam abbate Savigniacensi referente, cognovi quod narro. In provincia Northmannorum erat quidam presbyter honestus, habens parochianum quemdam, virum æque justum et timoratum, quem ecclesiæ suæ fecerat matricularium. Hic in magna cordis simplicitate Dominum quærebat; et ideo consecutus est quod optabat. Cum autem prædictus sacerdos divina mysteria celebraret, ille matricularius quotidie **221** ferme videbat infantulum quemdam gloriosum, apparentem super altare. Dumque sacerdos pacem populo daturus, hostiam sacram more quorumdam oscularetur, ille sacer infantulus sacerdoti appropiabat, et pacis ei osculum ore propitio porrigebat. Factum est autem ut sacerdotis illius fabariam pauperis cujusdam compatris atque convicanei sui porca frequenter ingressa, dum eam coercere negligeret, tandem a canibus et clientulis ejusdem sacerdotis aggressa necaretur. Unde etiam ambo jurgium conserentes, irati ab invicem recedunt, et iracundia odium pariente, aliquanti dies absque satisfactione prætereunt. Inde sacerdoti subtrahitur gratia; et jam matricularius ille solitam super illum benedictionem descendere non videbat; unde secretius alloquens convenit hominem super damno conscientiæ suæ, sciscitans ab eo quid mali commisisset, et nihilominus indicans quid divini muneris amisisset. Qui vehementer exterritus, compatris sui læsionem jacturæ hujus causam esse fatetur, cui festinans reconciliari, gratiam quam amiserat vix tandem recipere meruit.

In diebus vero Rogationum cum clerus et populus processionem longius procedendo extenderent, consuetudo erat ut, pausantibus interdum clericis, mulieres vicissim modulando succederent. Porro prædictus ecclesiæ custos, Domino revelante, videbat in aere binas bonorum atque malorum spirituum turbas a se invicem separatas, quæ ipsam processionem individuo comitatu lateratim prosequebantur. Cum itaque clerici psalmos hymnodiamque repeterent, fugientibus apostatis angelis, boni cominus accedebant, et plurima congratulatione **222** divinis modulis applaudebant, mulierculis autem nugaces cantilenas reciprocantibus, spiritus benigni sublimius evolabant, et maligni propius accedentes, cantibus et plausibus ineptis, miris cachinnationibus illudebant.

CAPUT XXII.

Frater quidam Clarevallensis ex Eucharistia percepta melleam in ore dulcedinem degustare solitus, aliquando amico severius objurgato communicans, molestissimam tanquam absinthii amaritudinem sensit.

Frater quidam de Claravalle cum in quadam die Dominica solito more sacram communionem acciperet, visum est illi tunc et per totam deinceps diem, quod favum mellis dulcissimum in ore teneret. Sequenti vero Dominica cum similiter accepisset eucharistiam, per continuum triduum similes expertus est gratias. Tertia quoque Dominica cum divinam nihilominus alimoniam reaccepit, et jam tota

Digitized by Google

hebdomada semel indultam suavitatem sentire promeruit. Extunc ergo et deinceps, hanc benedictionem dulcedinis multipliciter et multo tempore sensit, modo rarius, et modo crebrius, prout datori gratiæ placuit. Factum est autem aliquando ut quempiam de amicis suis pro culpa illius objurgans, justæ invectionis modum supra modum excederet: cumque pacificam hostiam necdum fratre pacificato perciperet, visum est illi quod amarissimum absinthii pabulum injecisset. Hæc nobis secretius is cui **223** contigerat indicavit. Quod quidem verum esse non ambigimus, cum similem gratiam pluribus et pluries accidisse, hodieque accidere non ignoremus.

CAPUT XXIII.

Alius frater Clarevallensis, die sancto Parasceves vidit Christum Dominum velut eadem hora crucifixum.

Est et alius quidam de filiis ejusdem monasterii monachus, homo ætate et religione provectus, quadragesimum, ni fallor, annum in Ordine Cisterciensi superprogrediens. Qui dum aliquando sederet in claustro, die sancto Parasceves, librum ante se habens, apparuit illi Dominus Jesus Christus manibus et pedibus in cruce expansis, ac si eadem hora fuisset crucifixus. Quæ scilicet visio felicissima, quanquam brevis et pene momentanea fuerit, adeo tamen manifesta atque efficax exstitit, ut visionis illius devota memoria de corde videntis amplius deleri non possit. Et hunc quidem virum nominatim exprimere possem, nisi ab illo prohibitus essem: quem utique tantæ puritatis esse cognosco, ut pro anima sua non confunderetur dicere veritatem.

224 CAPUT XXIV.

Seniori cuidam Clarævallis monacho in exstasi apparens Christus, « Dimissa sunt tibi, » inquit, « peccata tua. »

Alius quidam ejusdem loci senior, vir religiosus et omni honore dignissimus, cum esset aliquando positus in oratione, factus est in mentis excessu. Et ecce apparuit ei Dominus Jesus Christus, et dixit ei: « Dimissa sunt tibi peccata tua. » Finita autem visione cum fuisset ad se reversus gratias egit Deo, et consolatus est nimis; erat enim tunc sollicitus et mœrens pro eisdem erratibus suis.

CAPUT XXV.

Juvenis monachus male interpretatus pias lacrymas abbatis sui crucem in Parasceve adorantis, mox a dæmone de abjiciendo habitu monastico graviter tentatur.

Est quidam venerabilis abbas de filiis Savigniaci, homo sanctus et valde spiritualis, cujus nomen aut monasterium ad præsens dicere nolumus, ne forsitan inde gravaretur. Hunc itaque Dominus tanquam servum fidelem et bene operantem sæpius visitat, et de arcanis suis multa revelat. Qui dum aliquando in Parasceve crucem Domini devote adoraret, devotionis suæ lacrymas etiam in propatulo cohibere non valebat. Quod videns juvenis quidam, carnali animo **225** cœpit interpretari lacrymas illas, judicans hypocritales, et nihil puritatis habentes. Moxque suadente diabolo incidit ei desiderium vehemens, projecto habitu monachali, sæcularem resumere, crucem sibi assuere, et iter Jerosolymitanum assumere. Hæc eo cogitante, revelatum est abbati divinitus quid mali jactasset in corde neophyti fratris ille zizaniorum seminator antiquus. Vidit enim et ipsum invisibilem adversarium coram eo stantem, instar alicujus Jerosolymitani, palma, pera, et baculo insignitum, atque sclavinia coopertum, qui cum eodem juvene disputabat, acriterque illi insistens, usque ad buccam digitum importabat. Peracto itaque divino officio, sollicitus fuit abbas eumdem fratrem secretius convenire, præcipiens in virtute obedientiæ, ut diceret quid in illa hora sanctissima ante crucem Domini fascinato corde proposuisset. Sentiens autem frater a viro spiritali se deprehensum, verecunde cuncta fatetur, et se deinceps emendaturum humiliter pollicetur. Tunc vero et ipse abbas eidem fratri quæ viderat, intimare non distulit, eumque de cætero circa cogitationes suas cautum et timidum fecit.

CAPUT XXVI

Idem abbas vidit in choro dæmonem, singulis monachis vinum rubens in poculo propinantem: quod unus ex illis degustans, a spiritu fornicationis exagitatus est.

Altera autem vice isdem venerabilis vir vidit iterum manifeste dæmonem in choro lustrantem, atque in poculo vitreo quasi te metum rubicundum **226** monachis per singulos offerentem. Quod dum singuli respuerent, unus tantummodo recepit et ebibit; continuoque phantasticus illusor evanuit. Conventus itaque frater ab abbate, et in virtute obedientiæ coactus ut diceret, quid in illa tali hora turpitudinis animo pertractasset, confessus est et non negavit, se a spiritu fornicationis vehementer tunc fuisse tentatum; ita ut apostatare, et propriæ voluptati satisfacere jamjamque omnino disponeret. Tunc indicante abbate quæ sibi fuerant revelata, frater ille compunctus, a malo quod intenderat fortiter resilivit, acceptaque pœnitentia statuit in corde suo firmiter, jam non amplius cedere tentatori.

CAPUT XXVII.

Visus dæmon in specie Simonis monachi, Christianum conversum e monasterio educit.

Narravit mihi Albertus faber, et frater Burlandicurtis, homo bonus et bene credibilis, quia, dum staret aliquando ad vigilias in quodam ipsius monasterii angulo, vidit spiritum malignum in specie cujusdam monachi, nomine Simonis, de choro monachorum egredientem. Qui cum ad eumdem angulum venisset, conversum quemdam, nomine Christianum, qui juxta eumdem Albertum stabat, per cappam apprehendit, et de basilica extraxit. Existimavit ergo de illo frater Albertus, quatenus pro aliqua instanti necessitate a monacho fuisset edu-

Digitized by Google

ctus. Transacto itaque grandi intervallo, et neutro revertente, cum prædictum Simonem 227 in choro cantantem adverteret, admiratus est vehementer. Cumque adhibito lumine venisset ad ejusdem conversi lectum, invenit eum cum magna indumentorum sarcina aufugisse. In crastinum vero cum prædictum Simonem interrogaret utrumne conversum illum de Matutinis extraxisset, ille, ut vere constabat, protestatus est se minime id fecisse. Postea vero consumptis omnibus quæ abstulerat, reversus est ad januam ille desertor infamis, et misericordiam ut reciperetur obtinuit. Porro cum frater Albertus sciscitaretur ab eo utrum vidisset eum qui se de oratorio extraxerat, respondit : « Ego quidem neminem vidi; scio tamen quia cum diutius reluctatus essem, tandem a propria concupiscentia abstractus et illectus, zabulo cessi; sed conscientia jugiter remordente, sine grandi timore non recessi. » Susceptus itaque miser, cum jam de cætero stabilem se fore promitteret, iterum eadem septimana retrorsum post Satanam se trahentem abire non timuit. Sed mox per ægritudinem validam, ab incessabili Christi miseratione retractus, languidus et miserabilis rediit; denuoque receptus, infra diem tertium confessus et pœnitens obiit.

CAPUT XXVIII.

Monachus Clarevallensis defectionem a proposito cogitans, viso per quietem sancto Malachia, sancti quoque Bernardi baculo contusus, ad sanam mentem rediit.

Quidam de fratribus Clarevallensibus, cum instinctu diabolico in mente corruptus esset ut jam ad sæculum apostatare disponeret, vidit 228 in visu noctis beatum Bernardum, sanctumque Malachiam in dormitorio, deambulantes, et eos qui ibi pausabant, visitando benedicentes. Qui cum in ordine visitationis ad ejus lectulum devenissent, ait sanctus Malachias : « homo iste perversus nihil omnino boni in corde versat, sed diabolo suadenti jam dedit assensum ut ad vomitum sæculi proxime revertatur. » Quo audito beatus Bernardus dixit ei : « Tu ergo fugere quæris? Et quo fugies miser, a facie Domini? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitasti. Neque enim delectabit te amplius fuga, quando jam evaseris de manu mea. » Et his dictis, cœpit eum crebris ictibus tundere baculo quem tenebat, et ait : « Ecce stipendia quæ mereris. Surge nunc, et fuge, si poteris. » Evigilans itaque frater, invenit se tunsionibus illis ita dolentem atque confractum, ut in infirmitorium ductus, lecto detineretur. Qui accersito priore confessus est malitiam quam intenderat, et pœnam quam inde pertulerat. Acceptaque pœnitentia perfecte resipuit, et non apprehendit eum ultra desiderium fugiendi.

CAPUT XXIX.

Quidam conversus Clarevallensis, obedientiæ suæ confisus feliciter moritur.

Conversus quidam de fratribus Clarevallensibus cum graviter ægrotasset, tandem ad extrema deve-

nit. Introivit autem ad eum beatus Bernardus gratia visitationis, et confortans 229 illum ait : « Confide, fili, quia jam migraturus es de labore ad requiem sempiternam, de morte ad vitam. » Ille vero cum ingenti fiducia respondit : « Quidni pergam ad Dominum meum? Vere credo atque confido quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. » Porro beatus Pater, ut erat medicus sapiens pastorque sollicitus, timens nimirum homini rusticano, ne tam fida responsio magis de præsumptionis temeritate quam de conscientiæ puritate procederet, ait : « Signa cor tuum, frater, signa cor tuum. Quid est quod locutus es? Unde tibi subripere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimvero, num tu es ille pauperculus, miserabilis homo? Quondam forte sine caligis et calceis, vel etiam seminudus incedere solebas; et cum esses forsitan fame et frigore afflictus, confugisti ad nos, multis precibus tandem aditum impetrando. Nos vero causa Dei collegimus inopem, et parem te fecimus in victu atque vestitu, cæterisque communitatibus, iis qui nobiscum sunt sapientibus atque magnatis viris, et factus es quasi unus ex illis. Quid ergo retribuisti Deo pro omnibus istis? Et ecce, non sufficit ingratitudini tuæ gratis accepisse tot beneficia de manu Dei, nisi et regnum ipsius hæreditario jure vindices tibi, quod nullus regum aut principum quantislibet auri et argenti ponderibus potuit unquam acquirere? » Ad hæc ille respondens, placido vultu et tranquillo animo dixit : « Bene, Pater charissime, bene utique perorasti, et vera sunt omnia quæ dixisti. Verumtamen si jubeas, loquar ad te Dominum et Patrem meum, et paucis aperiam unde mihi pauperi et misello suggeri potuit tantæ præsumptionis vel potius devotionis occasio. Nam si vera est prædicatio 230 illa quam nobis crebrius inculcatis, regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur. Hanc unam lectionem tanquam verbum abbreviatum a Domino, sedula commemoratione retinui, ponens eam quasi signaculum super cor meum, assidue meditando, et super brachium meum, sollicite operando. Quærite, si placet, ab omnibus magistris aut sociis, quibus me obsequi ac servire jussistis, si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus meis quempiam verbo aut signo aut quolibet alio modo, quod in me est, contristavi. Quod si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, omnesque diligere per Dei gratiam, quis me prohibere potest ut de ipsius misericordia non confidam? » Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, et ait : « Vere beatus es, fili charissime, quia caro et sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cœlestis ipse te docuit. Ipse posuit animam tuam ad vitam, et rectissimo tramite perduxit ad patriam. Jamque securus ingredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. Defuncto itaque fratre, et exsequiis celebratis, vene-

Digitized by Google

rabilis Pater de conversatione fratris sermonem in capitulo luculentum sua illa devotione et facundia peroravit; omnesque illius exemplo ad amorem obedientiæ mirabiliter animavit. Vehementer namque affectus in responsione illius, et magis congratulabatur ei super obedientiæ virtutem, et super ipsius animi puritatem, quam si vidisset eum signis et prodigiis coruscantem.

231 CAPUT XXX.

In exitu religiosi cujusdam fratris, auditi sunt Angelorum musici concentus. Boso, unus de Sancti Bernardi filiis primogenitis, mortuus toto vultu mirabiliter radiavit.

Non putamus silentio prætereundum esse virum venerabilem Bosonem, genere et moribus insignem. Hic unus de primogenitis filiis quos beatissimus Pater noster Bernardus in Christo per Evangelium genuit, satis in sua nobili conversatione monstrabat, quam regia mamilla lactatus, et quam angelicæ disciplinæ rudimentis ab initio fuerat imbutus. Hic homo patiens et filius pacis, ita benignus, ita mansuetus omnibus apparebat, ut nunquam aliquis nostrum viderit eum iratum, neque turbatum; sed inter adversa et prospera tranquillo jugiter animo persistebat. Qui dum esset ætate decrepitus, et ita viribus fractus esset ut baculo sustentante vix posset incedere, nunquam tamen otio indulgere, nunquam corpori quietem impendere acquiescebat; sed semper in horto, vel in domo, vel ubiubi quidpiam operis actitans, panem otiosus comedere nesciebat. Cumque vocante se Domino, in pace in idipsum velut obdormiens spiritum emisisset, tanta serenitate et gratia subito refulsit, tamque mirabili quadam immutatione facies ejus glorificata apparuit, ut devotione omnium attestante, beatorum angelorum præsentiam, atque ipsius Dei nostri respectum serenissimum ibi adesse nullo modo dubitaremus. Nunquam enim in aliquo **232** moriente vel mortuo talem transformati vultus claritatem aspeximus. Iste ergo vir venerandus cum aliquando secretius colloquentes de quorumdam fratrum desiderabili ac pia dormitione, quam sæpius vidisse contigerat, mutua collatione invicem pasceremur, protestatus est nobis quia in exitu cujusdam religiosi fratris beatorum spirituum choros audierunt, suavi melodia in aere modulantes atque ipsius defuncti animam ad gaudia cum gaudio deferentes. Qui quanto sublimius ascendebant, tanto magis eorum voces inferius rarescebant, usquequo tandem aurarum intercapedine nimia totus ab aure sonus excluderetur.

CAPUT XXXI.

Paulo post obitum S. Bernardi, quidam ob carnis tentationum vehementiam egressum meditatus, illo sibi apparente confirmatur in proposito.

Alius quidam ejusdem cœnobii frater, vir honestus et religiosus mihi de seipso narravit, cum verecundia tamen, quod scilicet in primordio conversionis cum anxie stimularetur a spiritu fornicationis, deliberavit animo cedere tentatori, et projecto religionis habitu ad sæculum reverti. Qui dum jam opportunitatem recedendi sollicite aucuparetur, astitit ei per visionem beatus Bernardus paulo ante defunctus, increpans illius socordiam, et arguens super iniquitate quam mente conceperat, et actu perficere satagebat. Cui cum ille respondisset sese diutius reluctasse et jam tentationis **233** violentiam ferre non posse; ait sanctus ad illum : « Scito prænoscens quoniam adhuc multa certamina te manent. Sed age viriliter, et noli deficere, quia Dominus aderit tibi tanquam adjutor in opportunitatibus, ut eruat te. Unde tibi polliceor quod, si in Ordine usque in finem perseveraveris, salvus eris. Quod si forsitan aliquis tibi nocere tentaverit, in die novissimo ego respondebo pro te, et animam meam pro anima tua ponam. » Hac ergo pollicitatione frater ille corroboratus, deinceps a stabilitate sua moveri non potuit : qui etiam nunc in Ordine complens annum quinquies quinum, viriliter usque hodie decertat, multaque victoria jam potitus salutem repromissam certius opperitur.

CAPUT XXXII.

Galterus frater laicus jubetur per somnium a reverenda quadam puella missam celebrare, quam ille deinde memoria retinuit.

Vestiarius Clarevallensis, nomine Galterus, qui ante paucos annos defunctus est, homo erat honestus et religiosus, laicus tamen, atque illitteratus. Qui dum aliquando pausaret in lecto, puella quædam reverenda dormienti apparuit, et ducens in oratorium missam cantare præcepit. Indutus itaque sacerdotalibus ornamentis, missam de Spiritu sancto præ magna devotione per somnium celebravit. Cumque evigilasset, eamdem missam quam antea penitus, utpote litteras nesciens, ignorabat, corde tenus scivit, et eam deinceps per plurimos annos in memoria tenuit.

234 CAPUT XXXIII.

Oranti cuidam abbati, et aliis nonnullis, miræ suavitatis odores naribus, et sapores palatio infusi.

Quidam venerabilis et religiosus abbas, cuidam de monasteriis Savigniaci in Anglia præesse cognoscitur, de quo nobis certissime constat quod speciali prærogativa sanctitatis et gratiæ præditus existat. Qui licet in sæculo carnaliter vixerit, postmodum tamen ex toto corde conversus ad Dominum, ac toto desiderio suspirans indesinenter ad ipsum, beati Apostoli sententiam meruit in seipso feliciter experiri, qua dicitur : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom.* v). Nam dum insistit orationi, aspirante gratia superna sentire solitus est influentem naribus ejus peregrini cujusdam odoris nectaream suavitatem, cinnamomi, thuris, et balsami omniumque odoramentorum fragantiam longe exuperantem. Non solum autem, verum etiam sentit faucibus suis infundi quasi cœlestis mannæ dulcedinem, omnem in se saporem, et omne delectamentum suavitatis habentem ; quod veluti fons

Digitized by Google

vivus in ore illius scaturiens, indeque ad interiora corporis et animæ profluens, utrumque ipsius hominem dulcore mirabili perfundit et afficit, ita ut ex sententia dicere possit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* (*Psal.* CXVIII.) Huic ergo animæ in talem gratiam a Deo receptæ potest etiam non immerito adaptari suave illud epithalamicum de Canticis canticorum : *Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua, odor orationum tuarum super omnia aromata* (*Cant.* IV). Et non solum oranti, verum etiam psallenti, **235** legenti, meditanti atque operanti semel indulti muneris copia persæpe refunditur. Hac itaque gemina benedictione dulcedinis anima illa præventa a Deo, et nunc unam, nunc alteram, nunc vero alterutram simul experiens, tota in jubilum rapitur, et mira jocunditate atque suavitate interius perfruens, jam veluti primitias quasdam ex paradisi deliciis, etiam in corpore corruptibili prælibare cognoscitur. Hoc autem quod de præfato viro referimus, venerabili ac sancto Patre Richardo quondam abbate Savigniacensi revelante comperimus, qui hoc ipsum se audisse ab eodem testificabatur.

Quod si quis forsitan incredibile judicat, sciat nos quoque similia de pluribus audisse. Verumtamen de ipsis plurimis unus est notissimus, de quo indubitanter agnoscimus quod hanc eamdem et omnino indissimilem gratiam a Deo frequenter accipiat, sicut ipso indicante comperimus; cujus utique assertioni nihil minus omnimodo credimus quam oculis nostris. Talem namque ipsius puritatem esse confidimus, ut prius sese gladio transverberari permitteret quam in talibus mentiri præsumeret. Quocirca cum multos atque innumerabiles sanctos, olim a Deo hujusmodi gratiam accepisse credamus, mirum valde quod ab iis qui eorum Vitas descripserunt, aut raram aut nullam mentionem inde fieri comperimus. Quod duabus ex causis evenisse conjicimus ; aut enim iidem sancti, juxta prophetam, secretum suum sibi cum Deo retinentes, aliis non indicaverunt, aut ipsi forsitan actuum eorum relatores, memoratam gratiam parvipendentes, relatu memorabili dignam minime censuerunt. At mihi pro meo sapere plurimi constat : **236** neque minoribus donis illud æstimo comparandum, quod cuicunque vel ubicunque supervenerit, carnalia desideria potenter exstinguit, spiritualia vehementer accendit, ipsamque animam totam igne divini amoris liquescere facit. Præterea vero malignorum spirituum fugam insinuat, sanctorum angelorum præsentiam indicat, et præoptatum divinæ clementiæ respectum tam felici quam veraci experimento denuntiat. Quis ergo jam incredibile judicet, quod de sancto Bernardo audivimus, quia videlicet angelum cum incensario viderit lustrantem in choro qui orantes atque psallentes thurificabat, negligentes autem atque somnolentos præteribat, cum videamus idipsum nunc in anima ejusmodi, non modo spiritualiter, sed etiam sensibiliter fieri? Quemadmodum enim si puella aliqua visibilis eidem animæ oranti ac sitienti Deum, quasi cum thuribulo cœlesti frequenter assistat, et multorum aromatum incensa coram facie ejus adoleat, sic illa nimirum tempore visitationis miris odoribus afflata reficitur ; ita ut etiam aerem ipsum quaquaversum se vertat, talibus odoramentis respersum inveniat. Felix anima quæ non modo in seipsa, verum etiam in suo corpore, quamvis adhuc corruptibili, jam gustare et videre meruit quoniam suavis est Dominus. Felix cui datum est ex sententia dicere : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Vere beatam dixerim animam, peccatricem quidem, sed confitentem, et vere pœnitentem, quam tu, clementissime Jesu, non modo a peccatis emundas, verum etiam tua illa ineffabili dignatione toties visitas, consolaris, et reficis de illo manna abscondito, quod nemo novit nisi qui accipit

237 CAPUT XXXIV.

Cuidam fratri apparens beatissima Dei genitrix Virgo, semel et iterum certiorem illum facit de sua salute.

Novimus et alium quemdam in eodem cœnobio religiosum ac devotissimum fratrem, Christum ab infantia sinceriter diligentem, qui præcipua corporis et animæ munditia pollet, et speciali morum benignitate cunctis amabilem se exhibet. Iste ergo dum adhuc novitius esset, et pro salute animæ suæ Dominum et sanctos ejus attentius obsecraret, factus est aliquando in mentis excessu. Et ecce apparuit ei beatus apostolus Paulus, sacerdotalibus ornamentis indutus, et ait : « Noli timere quia salutem quam desideras, plenius obtinebis. » Hic itaque memoriam beatissimæ Dei Genitricis singulari devotione semper amplectitur, et multis ab eadem Domina nostra consolationibus recreatur. Apparuit autem ei quadam vice ipsa beatissima Virgo, quæ manu illius dignantissime apprehensa, deducebat eum quadam regia via. Cumque venissent ad quamdam imperialem et lucifluam mansionem, beata Mater intus ingrediens, jussit exspectare pro foribus, dicens : « Hic te interim manere foris oportet, quia necdum interius admitti idoneus es. » Alia vero vice apparuit ei nihilominus eadem misericordiæ Mater, magnifice consolans, et dicens : « Viriliter age, et noli timere, quia ubi ego sum ibi et tu futurus es mecum. »

238 CAPUT XXXV.

Ex Aelredo Rievallensi abbate refert de quibusdam sanctimonialibus, in contemplatione extra se rapi solitis.

Libet huic loco inserere narrationem venerabilis abbatis Rievallensis, quam ipse in Commentario suo super Isaiæ oneribus edito ponit, ita dicens (60) :

(60) Aelredus, serm. 2 in c. XIII Isaiæ.

Digitized by Google

Scio in monasteriis virginum, quæ sub venerabili et cum summa reverentia nominando sancto Patre Gilleberto uberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos, quamdam fuisse vel adhuc fortasse superesse virginem sanctam, quæ cum omnem mundi amorem, et carnales omnes affectus, curamque corporis omnem et exteriorum sollicitudinem a suo pectore exclusisset, cœpit quodam mentis æstu et fastidire terrena, et desiderare cœlestia. Accidit autem aliquando, ut cum more solito orationi incumberet, miro quædam suavitas superveniens, omnes animi motus, omnes cogitationum excursus, omnes insuper spirituales quos circa amicos habebat, exstinxit affectus, moxque anima ejus, quasi omnibus quæ in mundo sunt valedicens, rapitur supra se, et ab ineffabili quadam atque incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat nisi quod est, et quod omnium esse est. Neque enim lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo, nec distendebatur, nec diffundebatur, ita ut ubique videretur; nec ipsa tenebatur, et tenebat omnia; et hoc miro et ineffabili modo, sicut esse tenet quidquid est, veritas quidquid verum est. Hac igitur luce perfusa, ipsum Christum quem prius noverat **239** secundum carnem, cœpit jam secundum carnem non nosse; quia Spiritus ante faciem ejus Christus Jesus, in ipsam eam induxerat veritatem. In hoc ergo excessu cum ei hora non parva præterisset, pulsata a sororibus vix potuit ad corporales quos reliquerat sensus redire.

Itaque cum hoc ei sæpius contigisset, et multum rogata tandem ipsius modum excessus cæteris exposuisset, cœperunt plurimæ visionis hujus excellentiam æmulari. Unde se ab omnibus curis, et sollicitudinibus mundanis abstrahentes, lacrymis, orationibusque continuis vacantes, plures eamdem gratiam sortitæ sunt, et ita, ut inter sororum conventicula sæpius ac luce perfunderentur etiam invitæ.

Erat ibi virgo quædam, magnæ discretionis femina, quæ omni spiritui sciens non esse credendum, totum hoc aut morbo au; phantasticis illusionibus credidit assignandum, sororibusque quantum potuit talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa quæ in iis superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset, respondit illa: « Quia fidem nobis non adhibes, nec in aliis diligis virtutem quam ipsa non habes. Roga, inquit, Deum, ut si ex ipso est, mihi hoc ipsum eveniat. » Cumque aliquot diebus orassent, et nihil profecissent, requisita iterum quæ supra, et unde supra, respondit: « Oportet te, inquit, omnibus mundi hujus cunctorumque mortalium renuntiare affectibus, et circa solius Dei memoriam occupari. — « Quid, inquit illa? pro amicis et benefactoribus non orabo? » Cui illa: « Eo tempore quo volueris ad superiora mentis contemplatione conscendere, necesse est ut omnes quos diligis, Deo commendes atque committas, et **240** quasi profectura de mundo, omnique omnino creaturæ valedicens, ad ejus quem diligis suspires aspectum. » Adhuc illa non credens rogat ut orationibus ejus, si ex Deo essent ista, voti sui mereretur effectum. Nolo tamen, inquit, ut anima mea ita sustollatur, rapiaturque a corpore, ut a mente mea omnium rerum, maxime amicorum deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire utrum ex Deo sint ista. Itaque die Parasceves cum anxiis cogitationibus fluctuaret, subito ipsa quam diximus, luce perfusa cœpit in eam modo ineffabili subvehi, et ad altiora sustolli. At illa radiantem in se lucem illam inaccessibilem oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ Passionis intuitum revocari se ut potuit postulavit. Cum ergo vidisset quasi raptim, id esse quod est, a superioribus ad inferiora delata, in aliam quamdam spiritualem visionem transfertur, et videt in spiritu Dominum Jesum in cruce pendentem, confixum clavis, lancea perforatum, sanguinemque per quinque foramina profluentem, ipsam mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lacrymas, et in se tandem reversa, fidem sororibus habuit, et se huic luci minus idoneam æstimavit.

LIBER SECUNDUS.

241 CAPUT PRIMUM.

De Dominici apud urbem Legionensem solitarii mira vitæ asperitate: et de malis ac bonis spiritibus pene indesinenter illi apparentibus.

In regione Hiberiæ, haud procul ab urbe Legionensi constat esse solitarium quemdam, virum sanctitatis excellentissimæ, virum plane Dominicum non minus re quam nomine, qui non fervore novitio de mundi conversatione recenter egrediens, ad pugnam eremiticam prodiit, sed de domo Carrezedæ, quæ est famosum et magnæ religionis cœnobium in illa regione, ubi sanctissime fuerat a puero conversatus, cum jam provectæ ætatis et perfectæ virtutis existeret, annuente prælato tanquam strenuus miles ad singulare certamen egressus est, ut Golia prostrato, tandem de **242** manibus allophylorum pro centum præputiis quæ promiserat, ducenta reportaret. Iste ergo vir frugi atque abstemius sub tanta parcitate victum corporis redigit, ut singulis diebus præter Dominicam omni tempore jejunans, ad vesperum pane et aqua reficiatur. Quia vero dentes ei præ senio pene omnes elapsi, seu la-

Digitized by Google

xati sunt, ut solidum aliquid masticare non valeat; aqua calida utitur, qua panem aridum infundat. Interdum tamen, licet rarius accidat, apponitur ei pro pitantia magna semicrudi oleris aut leguminis tantummodo sale condita succositas, in qua panis ipsius duritiam molliens glutire prævaleat. De cætero carnem, piscem, caseum, ovum, oleum, vinum et quæcunque hujusmodi nutrimenta tanta suo corpori pertinacia interdicit, ut homo debilis et grandævus modum discretionis in hoc excedere videatur, et propter tolerantiæ hujus rigiditatem, a plurimis non carneus homo, sed quasi lapideus aut ligneus judicetur. Cilicii quoque asperitate, corporis pœnitentiam aggravat, ne qua victus sive amictus suavitate caro lasciviens insolescat.

Porro quietem solitudinis ob contemplationis studium adeo sectatur et diligit, ut omnium fere hominum, præcipue sæcularium frequentationes et colloquia magnopere fugiat, et mense aliquoties integro, vel quantum amplius potest, a confabulatione mortalium, causa divinæ collocutionis abstineat. Quem si gravis necessitas tandem loqui compulerit, ab otiosis et non necessariis semper sollicite cavens, breviloquus esse contendit, sæpiusque sermonem orditum præcidere quam prætexere satagit. Moxque recluso cavernæ in qua se vivum sepelivit, ostiolo, mundo nihilominus oculos claudit, et ita protinus in **243** idipsum obdormit et requiescit. Mira namque et inenarrabili jocunditate, sicut ab ejus ore audivi, in illo silentio fruitur, et mens ejus semper in Deo, semper in cœlo cum angelis et sanctis speculando deliciatur, et perennium bonorum quadam primitiali dulcedine, quam paucissimi credunt, et multo pauciores in præsenti tempore sentiunt, velut ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis inebriatur. Jam vero centenaria et millenaria, veniarum, quibus supplicando et orando Deum, quotidie se afflictat quis enarrare sufficiat? Præterea quoque in prætermissa vigilandi, orandi psallendique instantia, in qua seipsum martyrizando, hostiam viventem, sanctam et Deo placentem quotidie exhibet, nec facile dici, nec facile credi potest. Nam præter quotidianam divini officii pensionem, quam die noctuque regularibus horis tripliciter aut quadrupliciter reddit; ex quo ad vigilias surgit, psalterium integrum antelucano tempore devotione incredibili decantare, vel potius deplorare consuevit. Quid enim aliud dicere possim, cum tota illius oratio, atque cantatio, vel etiam confabulatio, igne charitatis in altari cordis semper ardente, sine lacrymis et suspiriis esse vix possit? Multos siquidem virtutum viros Deo donante cognovi, sed, ut verum fatear, in nullo mortalium talem et tantam compunctionis gratiam vidisse me memini, sicut in isto homine Dei.

Sæpissime vero accidit ut orando sive psallendo, ignitum vehementer eloquium Dei sentiens, repente totus ignescat, et a fundo cordis ardentissima suspiria trahens, vi compunctionis obstante cogatur intermittere **244** quod dicebat, et vacare gemitibus inenarrabilibus, quibus anhelo spiritu vehementer exæstuat. Tunc vero crescente, in camino pectoris ejus, divini amoris incendio, sanctarum quoque virtutum ibidem desideria usquequaque fervescunt, et quasi de cacabo bulliente inundantes lacrymæ foras uberius erumpunt. Quemadmodum enim mater affectuosa, unicæ prolis quam tenerrime diligebat, occisum immoderato luctu et ejulatu plangere solet, ita vir iste perfectus defectum ac sterilitatem animæ suæ quam reputat, exsilii quoque præsentis prolongationem quam molestissime tolerat: nec non et diuturnam a Christo separationem, quem ardentissime amat, ægro animo ferens, miserabili planctu atque rugitu lamentatur et deflet. Hæc ergo tempestas commotionis magnæ, quam tumultus interioris quasi gemitus, et singultus cum diluvio aquarum multarum, exterius indicant, cum ita fuerit suscitata, vix per multum temporis spatium sedari potest. Et quod amplius est mirandum, hoc non semel, aut secundo, sed multis vicibus in die simul et nocte, sive oranti, sive legenti, sive colloquenti, seu quidpiam aliud agenti contingere solet. Quod cum ego sæpius cernerem (siquidem datum est mihi divinitus virum illum Dominicum vidisse frequenter et familiariter cognovisse), cum ergo inspicerem talia, vellem nollem, totus in lamentum et fletum cum illo resolvebar, nimirum obstupescens atque admirans supra modum quomodo senile fractumque corpusculum tot et tantis jejuniis, vigiliis, cæterisque laboribus exhaustum, tantæ cordis contritioni, tantæ lacrymarum effusioni sufficeret, præsertim cum ab ineunte conversione sua dicatur id **245** ipsum fere semper egisse quod vix aliquis creditur vel per modicum tempus facere posse. Sed luce clarius patet quia virtutum omnium Deus, qui tam mirabilem compunctionis gratiam devotæ animæ contulit, ipse etiam corpori fesso ac defæcato, ut eidem dono sufficiat, non minore miraculo, idonei roboris valentiam indulsit. Transacta autem hora contritionis et anxiæ lamentationis, redit iterum serenitas cordis. Et factus in mentis excessu, jocunda Dei præsentia per contemplationem suavissime fruitur. Sic ergo famulus Christi, modo calamitatem propriam intuens, modo divinam bonitatem inspiciens, via regia tutissime semper incedit, ut neque tentationum molestiis dejiciatur, nec virtutum successibus extollatur.

His igitur de sancti viri conversatione breviter insinuatis, videndum est quibus adversariis jugiter impugnetur, quibusque auxiliariis mirabiliter roboretur. Nam sicut eidem pie in Christo viventi nunquam desunt tribulationes, ita et per Christum semper in eo superabundant consolationes. Quadam itaque nocte dum adhuc in monasterio habitaret, surgens ad vigilias fratrum, solito more venit in chorum. Et ecce invenit spiritum immundum in stallo suo, similantem fratri qui juxta se manebat in choro: quem cum esse putaret, innuit ei ut da-

Digitized by Google

to sibi loco, in aliud stallum sese transferret. Quod cum diutius faceret, et ille non moveretur, tandem substomachans tædio, protensa manu tetigit eum, ut quasi non videntem ad se converteret, et abire faceret in locum suum. Et apprehendens eum per vestimentum, cum aliquantulum traheret ad se intuendum, protinus ille malignus **246** evanuit, et rediit ad nihilum quod nihil ante fuit.

Alio quoque tempore cum esset in itinere, occurrunt ei tres spiritus nequam, quasi latrones gladiis accincti, qui arcus etiam et sagittas manibus gerentes, ad feriendum ac diripiendum videbantur esse parati. Volebant enim, ut arbitror, Dei hominem deterrere, territumque in fugam convertere. Quos cum ille vidisset, arbitratus esse sicarios, aliquantulum timuit, non tamen ab itinere deflexit, aut restitit. Et cum propius accessisset, protinus ab oculis ejus phantastici prædones evanuerunt.

Innumera sunt ejusmodi ludibria atque molimina, quibus eum fallaces et erronei spiritus quotidie irritabant. Sæpe, cum esset in spelunca sua, larvali effigie apparentes, aut etiam invisibili modo circa illum grassantes, modo terrores incutiebant, modo verbera inferebant. Sæpe nocturnis horis, dæmonum globus ac si turba latronum, subito irruentes, et velut effractis foribus tumultuose ingredientes, cum furore ac strepitu grandi in eum efferabantur, sed signo crucis armato nocere non permittebantur.

Factum est autem aliquando cum sederet in diversorio suo, ut erectis in cœlum obtutibus contra radium solis, ipsius jubar attente intueretur. Et ecce Leviathan ille tortuosus, in specie draconis ardentis apparens, ac per eumdem solis radium descendens, subitaneo lapsu irruit in faciem ejus, tanquam vivum devoraturus. Quod cum ille cerneret, tremefactus in visu luridi anguis, totus inhorruit, ac pene exanimatus, nomen Christi anhelis vocibus inclamitabat, et crucis Dominicæ vexillum ferali bestiæ opponebat: quæ cœlesti virtute repulsa, **247** cum eum lædere non valeret, importune tamen circa illius faciem volitabat, et ei tergiversanti undique acriter imminebat. Cumque vir sanctus proterviam dæmonis declinare non posset, claudebat oculos, et vultum vestibus operiebat, nec tamen aliquid inde proficiebat. Quod enim dictu mirabile est, larvalem illam effigiem ita palpebris obductis, sicut apertis oculis intuebatur; nec aliquo vestimentorum obice, natura illa subtilis ac penetrans arcebatur. Cum ergo videret quod aspectum belluæ terribilis non liceret effugere, tandem aperiens oculos, libere videre permisit quod aliquo modo non poterat non videre. Ecce autem et alii atque alii dæmones, serpentibus et variis animantibus similes, catervatim apparuerunt, totumque domicilium a summo usque deorsum protinus impleverunt. Quorum omnium tanta erat in quantitate disparitas, in qualitate diversitas, atque in forma deformitas, ut enarrari nullatenus queat. Igneus autem color multis eorum inesse parebat. Tunc irruentes in hominem Dei, circumdederunt eum sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis, iracundis motibus impetentes, et verberibus multis afficientes. Sed quamvis ignei viderentur, vim tamen urendi habere minime ab eo sentiebantur. Cum enim circa illum rotatu gyrovago et mobilissimo discursu per aerem oberrantes, sæpissime capiti et corpori ejus illuderent, atque in ipsam faciem frequenter impingerent, multis quidem modis Dei famulum affligebant, minime tamen, ut dictum est, ustione aliqua cruciabant. Postea vero cum vir sanctus usque ad ostium foras procederet, ut ab eorum infestatione paululum respiraret, apparuerunt ei nihilominus infinitæ **248** dæmonum multitudines, conglobatis turbinibus in aere pervagantes, et quaquaversum a terra usque ad cœlum universa replentes. Erant autem et isti tanta inæqualitate dissimiles, tanta enormitate terribiles, tantaque informitate deformes, ut tot monstrorum manerias, tot furiarum larvas humanus omnimodo sensus ferre non posset, nisi eum virtus uranica defensaret.

Dicebat vero prædictus vir (quod prætermittendum non est) quia videlicet spiritus immundi formas illas spiritales, in quibus ab eo semper in aere videbantur, pro signo crucis non deponebant; eas autem in quibus se phantastice transformabant, ad signum vitæ protinus exuebant. Ab illo igitur die usque in hodiernum, ille Dei famulus visionem hujusmodi quotidie, vel potius tota die videre vigilando non destitit, tam die quam nocte, tam in tenebris quam in luce, tam clausis oculis quam apertis. Verumtamen terrores et afflictiones quas ab eis in primordio ægre sustinuit, jam per Dei gratiam funditus evasit. Et quamvis in circuitu ejus semper impii ambulent, et tanquam apparitores improbi sese illi visibiliter atque impudenter ingerere non cessent, adeo tamen nunc eorum pervicacem instantiam vilipendit, ut multo plus a pulicibus atque a muscis volitantibus metuat, quam ab illis.

Nam quia veraciter scriptum est: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII), ille magni consilii Angelus, ille virtutum cœlestium Dominus, cum devotum sibi militem in tanta malignorum congressione aliquandiu probari permisisset, tandem misericordia motus delegavit de exercitu cœli auxiliarios **249** fortes, quorum beata præsentia roboratus, amodo securus in acie dimicando persisteret. Igitur aperti sunt oculi ejus, et vidit innumeram angelorum atque sanctorum multitudinem juxta se astantem, atque immenso lumine coruscantem. Quos ubi conspexit, exsultavit in gaudio magno, et gratias agens Deo ait intra se: *Vere castra Dei sunt hæc* (*Gen.* XXXII). *Et nunc experimento didici quia Dominus mecum est tanquam bellator fortis* (*Jer.* XX). Jam si diaboli *castra consistant adversum me, non timebit cor meum*

Digitized by Google

(*Psal.* XXVI). *Dominus* enim *mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos* (*Psal.* CXVII). Ab illo itaque tempore iidem non cessant luciflui spiritus hunc Dei famulum dignantissime visitare, et magnis consolationibus ineffabiliter recreare. Modum vero apparitionis istius, in quibus videlicet corporibus aut formis eos conspicere meretur, nunquam mihi voluit evidenter exprimere, etiam obnixe rogatus. Valde namque suspectum jactantiæ vitium semper habebat, et ob hoc etiam ista in timore et tremore cum multis lacrymis proferebat, ne subripiente aliqua vanitate Deum offenderet, et ipsius gratiæ detrimentum vel ex modica parte sentiret. Illud tamen aperte dicebat, quia jocundam eorum visitationem atque præsentiam in magni luminis claritate frequenter ac pene jugiter suscipiebat. Unde etiam in loco obscuriore solitus erat orare frequentius, eo quod ista luce (quasi indifferenter, sive clausis sive apertis oculis aspiciebat) copiosius ibi perfunderetur. Hoc etiam mihi vir sanctus innotuit, quia idem Dei omnipotentis mirabile donum, quod jam per annos plurimos obtinuerat, nunquam aperte alicui antea revelarat. In quo etiam magna ipsius apparet humilitas, qui ad reprimendum **250** cenodoxiæ morbum, ita diuturno silentio pressit tantæ eminentiæ donum.

Quid ergo dicamus, fratres? Quid putamus quantæ sit dignitatis et gratiæ hominem adhuc corruptibili carne circumdatum, in prospectu suo bonorum et malorum spirituum præsentiam semper habere; illos a dextris ne commoveatur, istos a sinistris ne forte extollatur. A sinistris est virga correctionis unde erudiatur, a dextris est baculus sustentationis unde roboretur. In malis agnoscit quid improbandum sit, et quid fugiendum; in bonis intelligit quid amandum sit et quid appetendum.

Sciendum vero est quia vir iste, sicut ab eo partim accepimus, partim experimento cognovimus, hanc spiritalem habet a Deo gratiam, ut prophetico spiritu multa prævideat, et vix circa se præcipuum aliquid agatur, quod non sibi antea divinitus reveletur. Adeo namque jam per Spiritum sanctum serenata est conscientia ejus, et natura ipsius corporis defæcata, ut etiam soporatus, aut partim aut nihil phantasmaticæ perturbationis atque illusionis sentiat; et vix quidquam aliquando somniet quod ei aliquid non portendat. Præterea silendum non arbitror quod isdem Dei famulus, instar illius qui ait; *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV), aviditati meæ verbum quoddam arcanum quasi ad odorandum apposuit, quod tamen ad gustandum exponere noluit. Siquidem innotuit mihi scire se hominem, qui jam per triennium integrum de cœlo accipiebat diebus singulis rationem. Cumque rogatus multum, tandem se hominem illum esse fateretur, perrexi etiam quærere cujusmodi ratio erat illa quæ sibi cœlitus mittebatur. Ipse vero respondit **251** sermonem hunc esse profundum et clausum, nullique ab eo in præsenti absque Dei nutu aperiendum. Hoc autem unum existere, quod in donis spiritualibus sibi collocatis primum et maximum reputabat, et unde se Deo magis obnoxium judicabat.

Hæc de sancti viri conversatione mirabili, prout in eo videre vel etiam ab ipso audire meruimus, simplici narratione perstrinximus. Nec dubium quin alia sint multa, et multo forsitan mirabiliora magnalium ejus insignia, quæ relatu memorabili dignissima forent, si aliquo modo sciri potuissent. Quis enim æstimare sufficiat, quantis ille quotidie virtutum successibus provehatur, quantis in anima splendoribus repleatur, quam denique nova atque admiranda de die in diem visu et auditu percipiat, qui præsentis sæculi affectu et usu pene deposito, jam invisibilis mundi et alterius sæculi quodammodo capax, atque inhabitator efficitur; et cum incorporeis naturis quasi corporaliter conversando, rerum invisibilium certitudinem oculata fide comprehendit, et sensu corporis experitur? Vere beati omnes qui timent Deum. Vere felices qui in eo confidunt. Et nunc in isto homine Dominico manifeste cognoscimus quoniam gratia et misericordia Dei est in sanctos, et respectus in electos illius.

252 CAPUT II.

Novitio cuidam Clarevallensi apparens Christus Dominus, ipsi et uni ex ejus sociis benedicit; tertium nomine et re Malignum præterit, qui post triduum ab Ordine defecit.

Frater quidam religiosus, et magna præditus gratia, nomine Anfulsus, cum adhuc esset in Claravalle novitius, vidit in visione apparentem sibi Dominum nostrum Jesum Christum in cruce. Erant autem, ut sibi videbatur, ibidem alii duo novitii, qui secum adhuc erant in probatione. Cum ergo suppliciter adorasset, ille misericordia motus respexit et benedixit eum, et alterum etiam cum eo supradictorum novitiorum. Quod cum ille vidisset, cœpit eum rogare ut et tertium illum simili modo benediceret. Respondit autem Dominus nequaquam illum esse benedicendum, sed magis ad massam pertinere maledictorum. Post diem itaque tertium tertius ille neophytus, ut tristem sui nominis etymologiam male gerendo exprimeret (Malignus siquidem vocabatur), Ordine derelicto reversus est ad vomitum vitæ sæcularis, et factus est apostata vilis. Reliqui autem duo, qui a Domino benedici meruerunt, ipso miserante benedictionem hæreditate possidebunt. Quorum scilicet prædictus Anfulsus jam sancto fine quievit; alter vero quia ad sortem benedictorum pertineat, in proposito suo juste et pie perseverando declarat. Hanc autem visionem suam quam præmemoravi, ipse mihi qui viderat indicavit.

253 CAPUT III.

Postridie Paschæ monachus quidam Clarevallensis, dum esset in choro, vidit in sublimi fulgentem e medio dexteram, quæ signo salutiferæ crucis semel atque iterum in aere depicto psallentibus benediceret.

Novimus et alium quemdam in eodem monaste-

Digitized by Google

rio fratrem, qui vidit hujusmodi visionem, sed utrum dormitans aut vigilans viderit, nescit; magis tamen vigilando et in exstasi positus vidisse se credit. Igitur secunda feria Paschæ cum esset ad vigilias in choro Clarevallensi, facta est super eum manus Domini. Et ecce sursum in aere contra medium chori, apparuit ei dextera refulgens atque gloriosa, quæ præsentem familiam confitentem nomini ejus sancto benedixit, et crucis benedictæ signaculum semel ac secundo super eam impressit. Spiritus autem revelans mysteria loquebatur in corde videntis, atque dicebat : « Istud est brachium Dominantis ; ista est dextera Dei omnipotentis. »

CAPUT IV.

Cum Gaufrido convertitur in Claravalle Andreas ex archidiacono Virdunensi, vir nobilissimus et delicatissimus : cui de perseverantia desperanti visa sunt pisa exquisiti saporis, quamvis aqua duntaxat et sale condita essent.

Eadem itaque die conversus est ibi vir nobilissimus, Andreas nomine, Virdunensis archidiaconus, qui causa visitationis illuc advenerat, nec tamen **254** aliquod ad præsens convertendi propositum habebat. Sed cum orationum suffragia petiturus, capitulum introisset vidit sanctæ illius multitudinis ordinem, et velut angelicam conversationem, compunctus est vehementer, et insiliente subito in eum Spiritu Domini, illico in virum alterum mutatus est : tantoque fervore mundum deseruit, ut ne ad horam quidem vel pro amicis salutandis, vel pro domo rebusque disponendis ad suos remearet ; sed incontinenti omnia, rumpendo magis quam solvendo reliquit, ut Christo citius adhæreret. Ut autem gemina crucis impressio evidentius appareret, alius quidam clericus, Gaufridus nomine, cum eo se reddidit ; genere quidem humilior, sed probitate morum et generosa conversatione forsitan non inferior. Ambo igitur intrantes, ambo in ordine perseverantes bonam militiam militarunt, atque consummato certamine, benedictionis æternæ participes existunt. Sciendum tamen quia præfatus Andreas multa in probatione sustinuit tentamenta. Erat enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, mollis et delicatus nimis, utpote qui a matris utero fuerat enutritus in involumentis et curis multis. Cumque teneritudinem pristinæ conversationis ægre dedisceret, et noviter inchoatæ laborem nimis arduum reputaret, cogitavit ut Lot quia egressus de Sodomis, non posset animam suam in monte salvare, unde et proposuit ad aliquem remissioris observantiæ Ordinem declinare. Quod cum abbati loci domno Roberto jam sæpius indicasset, tandem una die victus a pusillanimitate spiritus et tentatione, denuntiavit ei quia jam nullo modo poterat amplius sustinere. Tunc abbas precibus ac blanditiis **255** multis extorsit ab eo ut sibi ipsi vim faceret, et usque in diem tertium solummodo sustineret. Quo vix tandem impetrato, orationem statuit in conventu fieri ad Deum pro eo.

Eadem itaque die cum isdem novitius ad mensam accederet, pisorum edulium appositum reperit ; quod genus leguminis ita præ cæteris omnibus fastidire solebat, ut etiam nauseam ei interdum provocaret. Quod cum gustare cœpisset, mirabilem quamdam in eo comperit suavitatem, ita ut carnium esum saporis illius præstantia vinceret. Quod ubi persensit, arrepto protinus cochleari admovit propius et catinum ; moxque oblitus parcimoniæ, coctionem leguminis voravit usque ad fundum. Inter edendum autem digitum frequenter in ore ponebat, existimans se deprehendere posse cremia lardi, in quo legumen idem frixum esse putabat. Finita autem refectione festinavit abbatem sollicite percunctari utrumnam præcepisset pulmentum illud sagimine vel quavis alia pinguedine propter ipsum ex industria condiri. Illo vero negante, conventi sunt etiam super hoc pulmentarii. Tunc et ipsi protestati sunt in veritate se nihil in eo præter salem et aquam apposuisse. Quo audito neophytus ille divinæ circa se visitationis miraculum lætus advertit, et gratias agens Deo, deinceps a proposito Ordine moveri non potuit. Cumque secunda et tertia die et multo postea tempore prædictam suavitatem in ejusmodi cibariis persentiret, tandem magistra experientia didicit quia potens est Dominus, cum voluerit ad consolationem servorum suorum, eamdem saporis gratiam conferre leguminibus et oleribus, quam carnibus et piscibus indidit. **256** Unde et sæpe dicebat quod magis nunc delectabatur in comestione pisorum et olerum quam antea faciebat in comessatione altilium et venationum.

CAPUT V.

Quidam Clarevallensis monachus a Christo Domino sibi apparente benedicitur.

Frater quidam ejusdem cœnobii cum se ad quærendum Dominum magno desiderio convertisset, vidit illum aliquando sibi in visione apparentem. Sollicitus autem de sua salute flagitabat obnixe salutiferam ejus benedictionem, dicens : « Obsecro, Domine, benedic mihi ut salvus fiam. » Et benedixit eum in eodem loco. Quod cum ille vidisset, gavisus est gaudio magno. Et amplexatus beatissimam manum, a qua benedici meruerat, cum ingenti devotione osculabatur eam, atque dicebat : « Domine Jesu Christe, gratias tibi ago, quia benedixisti mihi, et salvus ero. »

CAPUT VI.

Odor ac sapor mirabilis, cum cœlesti visione cuidam fratri Clarevallensi infusus.

In supradicto quoque monasterio novimus existere quemdam monachum, valetudine acuta olim graviter laborantem. Qui priusquam ad diem criticum pervenisset, factus est in agone et per **257** dimidium fere noctis quasi extra se fuit, multa videns et audiens quæ modo longum est replicare. Eadem vero nocte defunctus est ibi quidam adolescens religiosus, miræ mansuetudinis ac patientiæ monachus, qui languore maximo cruciatus, quamplurimis annis durum ac diuturnum martyrium

Digitized by Google

duxit. Hic itaque moriens, et flatum novissimum diutius protrahens, præ acerbitate doloris crebros gemitus plangendo emittebat. Porro prædictus æger cum eum plangentem audiret, dicebat intra se : « Planctus ille citius convertetur in cantum, et doloris istius extrema jamjamque occupabit gaudium sempiternum. » Cum hæc et similia cogitaret, en quasi persona quædam invisibilis ante lectulum ejus assistens, et diutissime commanens, ad singulos fere planctus quos ille moriens emittebat, mirabili atque inexperta quadam fragrantia ac suavitate nares ejus et fauces uberius inculcabat. Tunc vero sentiebat quasi quamdam cœlestem virtutem, sensibiliter ac manifeste in seipsum introeuntem, et penetralia cordis ejus suavissime perungentem. Cum hæc ergo diutius fierent, ecce repente apparuit ei quædam apertura in cœlo, per quam videbatur sibi videre usque ad tertium cœlum. Et facta est in auribus ejus vox clamans, et dicens de excelso : « Sileat omnis terra, discedat omnis malignitas, Christus venit. » Tunc ergo visum est ei quod Dominus Jesus Christus ibi descenderet, ac totam domum illam sua benedictione repleret. Ipse vero tanta suavitate et gratia perfusus est, ut se in paradiso esse reputaret, et diceret : Domine Deus noster, en ista vita æterna quam nobis promisisti. Hæc est illa felicitas, illa suavitas, quam in tua dulcedine præparasti. **258** Et nunc si revelatis oculis, bonum istud quod sentio, et quod teneo, mihi videre ac semper habere liceret, jam gaudium meum plenum atque perfectum esset. Mox imminente exitus hora, pulsata est tabula, et convenientibus cunctis ad fratris exitum muniendum, assumpta est anima illa, atque liberata corpore mortis hujus, et æterna lætitia subintrante fugit ab ea dolor et gemitus. Credo, et vere confido, quia non dedignatus est eam introducere in requiem suam, qui propter eam ad terras venire dignatus est Jesus Christus Dominus noster.

Dum autem corpus ipsum sepulturæ traderetur, alius quidam frater religiosus atque devotus, revelante Deo apertis oculis, sicut ipse protestatus est nobis, quasi quoddam feretrum vidit de monumento procedens, sursum ad æthera tendens. Porro prædictus æger ab illa valetudine Deo volente convaluit, et ex iis, quæ acciderant, magnifice consolatus gratias egit. Ut autem de illa revelatione quam in abitu fratris acceperat certior fieret, processu temporis collatum est cœlitus ei ut ipsam benedictionis dulcedinem, quam tunc in odore aut sapore præstantissimo fuerat expertus, postmodum post dies et annos plurimos non quidem continue, sed tamen frequenter atque copiose sentire mereretur, prout ille benignus ac suavis Spiritus, qui ubi, et quando, et quantum vult spirat, pauperi suo misericorditer infundere dignabatur. Et non modo per somnium, aut per excessum, sopitis vel attonitis sensibus corporis, ut in illa forsitan agonia contigerat, sed corpore vigilante sensuque vigente, orando, psallendo, legendo seu quidpiam aliud agendo, eamdem suavitatis gratiam divinitus sentiebat

259 CAPUT VII.

Videt novitius in Claravalle beatam Mariam Magdalenam ante altare stantem, ei vero negatur ad præsens visio beatissimæ Dei Matris.

Fratri cuidam religioso atque devoto, dum adhuc novitius esset in eodem cœnobio, datum est videre in spiritu beatam Mariam Magdalenam, splendido vultu et habitu ante altare stantem. Qua visa, repletus est frater ille lætitia magna. Cumque cogitaret animo, optando et supplicando, ut ei beatissima Dei Genitrix visibiliter monstraretur, facta est vox ad eum in ipsa visione, dicens : « Nosse te convenit, quia necdum idoneus es ad eam intuendam. Satage ergo et perfice quantum poteris, ut eam quandoque videre merearis. »

CAPUT VIII.

Oratio conjunctis, aut expansis manibus, aliquot Christi apparitionibus comprobatur.

Alius vero quidam in eo loco novitius frater, cum ex toto corde Dominum quærere proposuisset, solitus erat ubi opportune potuisset, conjunctis sive expansis manibus frequenter orare. Quadam itaque nocte in principio vigiliarum, cum esset in choro, clausis oculis, manibusque protensis ad Deum intendens, subito adfuit ibi Dominus Jesus Christus loquens ad eum, **260** et dicens : « Porrige mihi manus tuas. » Ad hanc itaque vocem cum aperuisset oculos frater ille multum obstupuit, et utrum dormiens an vigilans hoc audisset, non facile discernere potuit. Ex hac autem voce multam devotionem atque fervorem mente concipiens, ipsam formam orandi servare deinceps sollicitus fuit. Post aliquantum vero temporis cum jam monachus factus, in quodam ejusdem ecclesiæ angulo foret, intento animo junctisque manibus stans et orans, subito fuit in spiritu; et ecce adfuit ei Dominus Jesus Christus suppositis atque expansis manibus illius suscipiens, et quasi ad professionem admittens. Quo facto cum fuisset homo reversus ad se, gavisus est gaudio magno valde. Jamque felici doctus experimento, certissime credidit, ubique divinam esse præsentiam; maxime vero ubi, ut ait sanctus Bernardus, sive orando, sive psallendo assistimus.

CAPUT IX.

De quodam adolescentulo Alemanno, qui in Claravalle ad vitam monasticam mirabiliter conversus, egregia sanctitate et divinis manifestationibus clarus fuit.

Egregius quidam adolescentulus de partibus Alemanniæ oriundus, studiorum gratia, comitante didascalo suo Parisius adibat. Qui cum transitum haberent per domum Clarevallensem, magister ille videns loci conventum, et ordinem, nescio quo Dei judicio compunctus ad horam, petiit et obtinuit ut susciperetur ad conversionem. Cumque rogaret adolescentulum ut **261** secum remaneret, penitus non acquievit; multum siquidem abhorrebat a consortio, etiam et colloquio Cisterciensium monacho-

Digitized by Google

rum; sæpiusque rogaverat Dominum, nunquam sibi dari ad Ordinem illum velle converti. Proinde roganti magistro, et fratribus monasterii adhortantibus eum, dura cervice resistens, nullis prædicationum machinis poterat expugnari. Eadem igitur nocte dum eorum monita mente revolveret, facta est vox divinitus ad eum, dicens : « Si hinc recesseris, et Parisius veneris, usque ad Pentecosten morieris, et sine dubio morieris. » Ad hanc itaque vocem juvenculus ille multum obstupuit, necdum tamen potuit duritia cordis illius emolliri.

Porro sequenti nocte cum sopori membra dedisset, videbatur sibi esse demersus in limo putei profundi. Cumque desperatus ibidem jaceret, subito apparuit desuper ad oram putet beatus Joannes evangelista, in vultu et habitu beati Bernardi, cum alio quodam sancto, cujus nomen excidit mihi, qui et ipse simillimus erat cuidam religiosissimo viro, nomine Gerardo, portario Clarevallensi. Quos cum ille vidisset, rogabat obnixius ut sui misererentur. Cui beatus Joannes respondit : « Tu sano consilio acquiescere contemnens, opem flagitas a nobis? » Cumque ille promitteret se esse facturum quidquid ei placeret : « Vis ergo, inquit, fieri monachus in monasterio Clarevallensi? — Etiam, Domine mi, libentissime volo. » Quod cum firmiter pollicitus esset sese citius impleturum, protinus eductum de profundo liberum abire dimiserunt. Mane igitur facto postulavit præsentari quantocius beato Bernardo. Quem cum antea non vidisset, continuo illum in vultu et habitu deprehendit; **262** ipsum esse pro certo recognoscens quem in nocte transacta, sub conditione convertendi, liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer atque compunctus, protinus eidem sancto viro se reddidit; a quo benigne receptus, mox in ætate teneriori gravitatis et sapientiæ canos cunctis mirantibus induit. Porro prædictus magister ejus a proposito bono citius corruens et eumdem secum evertere satagens, fundatum in Christi amore juvenculum movere non potuit.

Hic ergo delicatus atque tenerrimus adolescens cum esset annorum quatuordecim, manum suam ad fortia mittens lætantibus angelis atque hominibus jugum Christi portandum aggreditur, et quasi agnus ad aratrum susceptí Ordinis applicatur. Sed mox miserante Deo juvenci fortitudinem induens, et agni mansuetudinem retinens, tanta charismatum eminentia a primis annis enituit, ut conversationis ipsius elegantia atque fragrantia contubernales ejus vehementer affecti gratularentur, ipsumque veluti paradisi vernantissimum florem, mirantes intuerentur. Quidam vero religiosus ac spiritualis ejusdem cœnobii frater protestatus est mihi quod aliquando vidisset visionem hujusmodi. Aspiciebat eumdem adolescentem invitatorium ante altare canentem. Porro imago crucis quæ erat in altari, quasi melodia ipsius delectata, de cruce descendit, veniensque expansis ulnis dignanter amplexata est eum, tenere sibimet astringendo, ac deosculando eum. Quod cum frater ille vidisset, animadvertit in hoc animam illam sanctam et Deo placentem existere, et apud illius clementiam magnæ familiaritatis accessum spiritaliter obtinere. Hic **263** ergo amantissimus Domini tota die cum illo velut in thalamo morabatur, et beata ipsius præsentia per contemplationem suavissime fruebatur.

Quadam itaque nocte apparuit ei in somnis angelus Dei, et introduxit eum in quemdam thalamum gloriosum, in quo videbatur Dominus Jesus Christus in cruce pendere, et beata mater ejus Maria cum Joanne evangelista juxta crucem illius stare. Quem cum ingressus esset, tantæ suavitatis fragrantiam sensit, ac si cellam aromaticam respersam omni pulvere pigmentario introisset. Prostratus vero in faciem suam Dominum adoravit, et benedictionem illius accipere meruit. Cumque excitus a somno fuisset, suaveolentiam quam dormiendo præsenserat, tribus postea diebus continuis vigilando persensit. Alia quoque nocte cum esset orationi intentus, meruit audire corporeis auribus angelicas voces, harmonia dulci atque præclara in æthere personantes. Quarum videlicet vocum tanta erat altitudo, ut quantalibet humanarum intensio ad eam non posset ascendere. Cumque fuisset in eis aliquandiu delectatus, sublata est tandem ab auribus ejus hymnodiæ cœlestis amœnitas, sed diutissime remansit in corde conceptæ devotionis immensa jocunditas, ita ut sæpe memoriam abundantiæ suavitatis illius eructans, mira devotione afficeretur, et totus in gaudium verteretur.

Præterea quadam vice cum esset ad vigilias in ecclesia Clarevallensi, ipsa die Paschæ, cœpit attentius cogitare de passione et resurrectione Domini, ita ut ardente pietatis affectu, totus in lacrymas solveretur. Et ecce repente is qui in ejus corde ignem succenderat Dominus Jesus **264** Christus, jugulánti (*sic*) et flenti apparens, stetit ante illum in medio chori, manus suas expandens, et quasi ostendens ei. Porro in ejus beatissimis palmis loca clavorum evidentissime apparebant, ita ut de ipsis plagis recentibus sanguis manare videretur. Viso itaque Domino frater ille gavisus est gaudio magno valde, sed obstupescens, et quasi extra se factus, nesciebat in arcto temporis quid agere deberet. Volebat namque in medium prosilire, et pedes apprehendere Salvatoris; sed retinebat eum pudor et reverentia conventus, ne velut insaniens putaretur. Nam et hoc ignorabat utrum videlicet apparens Dominus ab eo solummodo, an et ab aliis pariter videretur. Flebat autem uberrime, eratque cor ejus in semetipso pietate liquescens præ immensa dulcedine amoris illius quem intuebatur. Verum in ipsa hora canebatur responsorium illud in ecclesia : *Angelus Domini*. Et tandiu apparitio illa perseveravit usquequo dictiones istæ : *Jam surrexit, venite, et videte*, a choro cantatæ perficerentur.

Factum est autem in die Pentecostes dum canta-

Digitized by Google

retur ad vigilias hymnus ille, *Te Deum laudamus*, versu illo prædicto *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, post inclinationem quæ tunc fieri solet, frater isdem se erigens meruit aperte videre visionem quamdam gloriosam atque mirabilem de Trinitate quæ Deus est, quam cæteris omnibus quas unquam videre meruerat, excellentiorem esse credebat. Modum tamen visionis ejusdem, quæ vel qualis exstiterit, mihi nullatenus explicavit; asserens quod nunquam eam alicui auderet exponere, nisi fortasse prius voluntatem divinam super hoc ei daretur agnoscere. Utrum vero deinceps eam alicui revelaverit, **265** incertum est mihi. Nam et de cæteris visionibus quas supra memoravi, dicebat se non modice pœnitere, quod eas cuiquam indicasset, timens utique ne hoc ipsum Domino displiceret; jamque propositi sui esse, alia multa quæ viderat, vel si qua deinceps videre contingeret, perenni silentio sepelire. Hæc ergo omnia quæ superius retuli, aliaque quamplurima, quæ, licet magna existimem, tamen brevitatis amore reticui, ab eodem Dei famulo arcana relatione cognovi, ea videlicet conditione ut usque ad obitum ejus apud me secreta tenerentur. Sed quia jam vocante se Domino, expletis in Ordine annis XXVI quam sinceriter vixit, tam feliciter obiit, ego solutus a nodo polliciti hujus, præfatas revelationes in quibus non modice consolatum fuisse me memini, ad aliorum æque solamen præsenti paginæ intuli.

CAPUT X.

Monachus quidem Clarevallensis, S. Joannis evangelistæ cultui addictissimus, de divinis rebus multa per eum cognoscit.

Scimus quoque in eodem existere loco monachum timentem Deum, qui dum in eodem cœnobio degeret, quadam die, vigilia Omnium Sanctorum, cum aliis stabat in choro. Hic vero beatum Joannem evangelistam præcipuo diligebat affectu; in cujus etiam Scriptura atque memoria multum delectabatur. Cumque de more legeretur ad missam epistola illa de Apocalypsi, mira dulcedine fruebatur in eisdem **266** verbis. Tandem vero in ultimo versu quo dicitur: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem et divinitatem* (*Apoc.* v), et cætera quæ sequuntur, tota in ipso liquefacta est anima ejus igne divini amoris; tantaque jocunditatis affluentia perfusus est, ut præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet. Proinde totus in jubilum raptus, totus extra se fuit, solum Christum quasi præsentem cordis oculis intuens, et brachiis interioribus amplectens. Dum vero ibidem staret, et pitantia illa cœlesti mentem abunde reficeret, necdum finita missa sopor Domini irruit in eum; tenuis quidem, sed delectabilis, sed suavis. Statim namque præsentiam suam dignanter exhibuit dormienti, qui supradictam jocunditatem infuderat vigilanti Dominus Jesus Christus, cum eodem apostolo suo, alloquens eum audiente fratre, et dicens: « Hanc ego revelationem dudum tibi ostendi, non propter te solumodo, cui jam de mea virtute et dilectione certa cognitio certaque fiducia inerat, sed maxime propter cæteros qui me similiter diligunt, ut et ipsi gloriam meam agnoscentes, similiter in me confidant. » Cum hoc ergo frater ille audisset, aperiens statim oculos, repletus est gaudio magno, tum propter indultam gratiam Dominicæ visitationis et consolationis, tum propter ipsius Dei attestationem de veritate Apocalypsis; pro eo maxime quia dolens audierat quosdam hæreticos ausos fuisse quondam eidem sancto libro detrahere, blasphemantes atque dicentes eum a sancto Joanne apostolo scriptum non esse.

Evolutis autem postea diebus circiter quindecim, cum supradictus frater pro peccatis suis valde sollicitus atque compunctus esset, astitit ei per visionem, Dominus **267** Jesus Christus cum eodem apostolo suo. Tunc vero isdem beatus apostolus prior locutus est dicens: « Qui voluerit a Domino perfectam consequi veniam, oportet eum instanter peccata sua flendo ac pœnitendo punire. » Respondens autem Dominus ait: « Si quis ad me pervenire voluerit, oportet eum idipsum ardenter optare. » His et hujusmodi frater ille commonitus, didicit jam cum Moabitide Ruth buccellam suam in aceto semper intingere, et panes azymos cum lactucis agrestibus comedens, exsultare Domino cum tremore. Postmodum autem die natali ejusdem sancti Joannis cum vigiliis interesset, vidit iterum in mentis excessu eumdem apostolum ante proprium ejus altare, sacerdotalibus ornamentis indutum, quasi missam celebraturum. Cumque post modicum intervallum, modicus ei somnus obrepsisset, repente transiit coram eo Dominus Jesus Christus, cum gloriosa matre sua, quibus statim intrantibus palatium quoddam, in quo dicebatur esse paradisus, janua remansit aperta. Illo vero mirante quod porta eadem minime clauderetur, dictum est ei: « Hæc est janua vitæ, quæ ingresso per eam Domino cum sua Matre, cunctis fidelibus usque ad diem judicii patet. » Quo ille comperto ait intra se: « Ergo et mihi patet aditus paradisi. Ingrediar itaque in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. » Quo cum intrare cœpisset, excepit eum quædam inenarrabilis jocunditas atque suavitas. Somno vero excusso cum jam aliquandiu vigilasset, putabat se adhuc esse in paradiso, nimirum perseverante in eo diutius illa jocunditate quæ satis indicabat auctorem jocunditatis ibidem adfuisse.

268 CAPUT XI.

Asserit S. Bernardus ex Dei revelatione multorum animas statim a corporis egressu, libero et expedito transitu cœlum penetrare. Item quotquot in Ordine Cisterciensi, vigente nimirum disciplina, perseveraturi essent, salvos fore. Guidoni fratri suo prædicit fore, ut quia rei Clarevallensis familiæ nimium studeret, extra Claramvallem moreretur.

Beatus Bernardus abbas Clarevallensis intravit aliquando solito more ad solatiandos novitios fra-

Digitized by Google

tres, qui eo tempore erant in probatione, centenarium numerum excedentes. Quos cum in exhortatione et consolatione multa illo suo ardenti eloquio ad amorem cœlestium vehementius accendisset, ad ultimum intulit, dicens eis : « Beati eritis, fratres, si perseverare volueritis in disciplina Ordinis quem tenetis, quoniam hæc est profecto via regia, via sancta, via secura, quæ recto tramite ducit ad gaudia sempiterna. Dico enim vobis in veritate vidisse me pluries, non modo in somnis, ut assolet, aut per visionem, sed orando et vigilando, per manifestam revelationem, monachorum, conversorum ac novitiorum animas ab ista lacrymarum valle, mox ubi de corporibus egressæ fuerant, libero et expedito transitu ad summa conscendere, et sine impedimento cœli pervia penetrare. » Quod si vos ista lætificant, audite lætanter : adhuc lætiora subnectam. Factum est aliquando in monasterio isto, audiente me missam cum cæteris in conventu, ut abluendis manibus sacerdotis neglectu ministrantium aqua deesset. Quæ dum **269** interim quæritur et affertur, remorata est propter hoc explendi sacrificii actio plusquam oporteret. Quo facto, apparuit mihi protinus in ipso choro quidam ex monachis nostris, vir venerabilis ac religiosus, non longe antea defunctus. Stans ergo et intuens me, cœpit movere caput, veluti si esset adversum me aliqua indignatione permotus. Quem ego ubi cognovi, percunctatus sum illico quidnam sibi vellet quod tam subito et inopinate apparens, contra me caput agitaret. Ille autem respondit, dicens : Si fratres vestri cognoscerent quot et quantos habeant in cœlis socios et amicos, multum utique sibi ab omnibus negligentiis præcaverent ne illos offenderent, maxime quia omnes ad eorum consortium pertinent. Quod cum lætis auribus percepissem, protinus inspirante Deo venit in animum mihi frater quidam acediosus, qui præ cæteris negligentior videbatur; et de illo sciscitatus sum, dicens : « Quid igitur? Putas quia frater ille, designavi autem illum ex nomine, poterit aliquo modo fieri salvus? » Ipse vero respondit : « Et iste salvabitur, et cæteri omnes sine dubio salvabuntur. » Cum hæc ille dixisset, evanescens ab oculis meis, in cœlum unde venerat se recepit, meque indicibili gaudio pro tanta consolatione replevit.

Vos autem, filioli, non putetis ad illos tantummodo fratres, qui in ipso tempore hic intus morabantur, hanc cœlestis oraculi repromissionem singulariter pertinere, sed etiam vosmetipsos cum cæteris qui in domo ista, vel in isto Ordine usque ad finem Deo servient, credite firmiter ac sperate, miserante Deo, cunctos esse salvandos et ab illo nuntio cœlesti omnes pariter designatos. Hanc **270** beati Bernardi narrationem plurimi ex eis qui audierunt, hodieque susperstites cum gaudio recolunt, maxime Joannes, vir religiosus, et ejusdem cœnobii provisor idoneus, qui prædicto sermoni lætus interfuit, ipsumque fuisse præcipuum suæ ipsius perseverationis in Ordine stabilimentum constantissime asserit. Multa vero similiter astruunt, quod hæc eadem verba de visionibus animarum, quæ supra retulimus, iste Dei servus dum aliquando sermonem in capitulo faceret, etiam præsentibus ipsis interloquendo consolationis gratia recitarit. Hic autem Dei famulus cum audisset aliquando quemdam de filiis suis spiritualibus virum bonum et religiosum, missum ab eo in Northmanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem, decrevit mittere, et reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo moreretur, et desiderata sibi sepultura non privaretur. Verumtamen quidam de fratribus ejus carnalibus, nomine Guido, nitebatur huic obviare consilio, quia cum esset unus de provisoribus Clarævallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui et labori. Qui cum pertinaciter hujusmodi dissuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus : « Nunquid major est tibi cura de pecunia vel jumentis, quam de fratribus tuis? Quia ergo non vis ut fratres nostri nobiscum requiescant in valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. » Et factum est ita. Nam isdem Guido quanquam alias vir bonus et religiosus foret, tamen ut sermo sancti impleretur, non est consummatus in Claravalle, sed apud Pontiniacum præventus ægritudine, lecto decubuit, ibique disponente Deo, et terminum vitæ, et sepulturæ locum accepit.

271 CAPUT XII.

Simoni abbati Caziaci, de nigro Ordine Benedictinorum, S. Bernardus quandiu vixit, transitum negavit ad Clarumvallem, prædicens tamen (quod postea evenit) ipsum in Claravalle moriturum.

(Vide supra, S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 461.)

272 CAPUT XIII.

Gunnarius Sardiniæ tetrarcha, ex prædictione sancti Bernardi, post ejus obitum fit monachus in Claravalle.

(Vide ibid., col. 462.)

273-74 CAPUT XIV.

Sanctus Bernardus Romæ degens per triennium, subinde visitat suos in Claravalle. Alia quædam de eo mira.

(Vide ibid., col. 463.)

275-76 CAPUT XV.

Constantium suspendio addictum, cum ad patibulum duceretur, S. Bernardus tortori ereptum, annuente comite Theobaldo in Claravalle attondet, et vestem monasticam induit.

Contigit autem aliquando eumdem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. Cumque appropinquasset oppido ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui jubente comite latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo viso clementissimus Pater, apprehendens manu sua lorum quo erat miser astrictus, ait tortoribus ejus : « Dimittite mihi sicarium istum : ego enim volo manibus meis suspendere illum. » Audiens autem comes adventum hominis Dei, festinavit illico occurrere

Digitized by Google

ei; miro namque devotionis affectu semper eum dilexit ac honoravit. Cumque videret in manu ejus funem, quo latronem post se trahebat, exhorruit multum, et dixit: « Heu! venerabilis Pater, quid est quod facere voluisti? Ut quid enim furciferum istum millies condemnandum a porta inferi revocasti? Nunquid eum salvum facere potes qui jam totus diabolus factus est? Desperata est penitus illius correctio, nec unquam bene facere poterit nisi moriendo. Sine igitur, sine perditionis hominem perditum iri, quoniam de pestifera vita ejus multorum vita periclitatur. » Respondens autem venerabilis Pater, dixit: « Scio quidem, virorum optime, scio **277** hunc esse latronem sceleratissimum, omnique tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere, quin potius cogito eum tortoribus tradere et dignam capere ultionem ex eo, quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio et momentaneo interitu consummare, sed ego eum faciam diuturno cruciatu et morte longissima mori. Tu furcis appensum per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres, ego cruci affixum per annos plurimos faciam in pœna jugiter vivere et pendere. » Quo audito princeps Christianissimus siluit nec ausus est amplius contradicere sermonibus sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta tunica sua induit ex ea captivum, et attonsa coma capitis ejus, sociavit eum ovili Dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claramvallem, factus est illi deinceps obediens usque ad mortem, triginta, ni fallor, et eo amplius annos in Ordine supervivens. Vocabatur autem Constantius, quem nos etiam vidimus, et cognovimus.

CAPUT XVI.

Hæreticum obloquentem sanctus Bernardus prudenti responso confutat.

Allo quoque tempore cum legatus domini papæ, aliique episcopi pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas traherent illum **278** hominem Dei secum, paraverunt ei fratres equitaturam solito meliorem, quæ tam longo itineri sufficere posset. Qui cum ad illam terram comitantibus episcopis devenisset, Henricus quidam, quondam monachus niger, tunc vilis apostata, et eorumdem hæreticorum princeps, cognito adventu famuli Dei, veritus est a facie ejus, sciens quia non posset resistere sapientiæ et Spiritui qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, et minime potuit usquam eo tempore reperiri. Ibi quoque glorificavit servum suum Deus in conspectu totius populi et principum terræ, faciens quotidie per manus illius signa et prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest quanta turbarum infinitas apostolicum virum tota die prosequeretur, dum alii eruditionem, alii curationem, universi benedictionem ab eo postularent.

Quadam igitur die, præsente innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide Catholica conservanda, et de immunda hæresi percavenda monuisset, contigit adesse quemdam de hæreticis illis, qui potentior cæteris atque prudentior videbatur; qui cum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, et daret maculam in gloria illius. Jamque expletis omnibus quæ ad præsens necessaria putabantur, vir Dei super equum suum ascenderat ut abiret; et ecce prædictus hæreticus quasi coluber erecto capite venit ante hominem Dei, et clamans coram omnibus, ait: « Domine abbas, scitote quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicatus et pinguis est sicut iste sonipes vester. » Quo **279** audito vir mitis et patiens respondit ei mox tranquillo vultu et animo, dicens: « Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit quia jumentum istud de quo mihi insultas, brutum est animal: unum utique ex illis quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. Quod si pro libitu suo comedit ac pinguescit, nihil inde justitia læditur, nihil Deus offenditur, quia jumentum quod suum est facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego et magister tuus, de cervicibus jumentorum, sed unusquisque de suo collo judicabitur. Nunc igitur, si placet, respice collum meum, et vide; et si grossius est collo magistri tui, inde me forsitan reprehendere poteris. » Hoc itaque dicto caputium exuit, et capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat, productum et gracile, quod quamvis esset carnibus exesum et tenue, erat tamen ex dono cœlesti pulchrum et candidum nimis, sicut collum oloris. Quod cum viderent universi qui aderant, lætati sunt lætitia magna, benedicentes Deum, qui dedit in ore famuli sui ita paratum, et ita conveniens responsum, unde confunderetur et obstrueretur os loquentis iniqua.

CAPUT XVII.

Parisiis clericos aliquot qua verbis, qua lacrymis et gemitibus ad sanctius vitæ institutum conversos, secum in Claramvallem deducit.

Quadam præterea vice cum iste vir Domini, causa exigente Parisius adisset, rogatu clericorum ingressus est de more scholas eorum. Quibus **280** ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, et subeunda pro Christo Domino paupertate. Explicito vero sermone cum nemo ex eis converteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum et præter solitum id ei accidisset, veniensque ad domum cujusdam archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, secessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cœpisset orare in spiritu vehementi, ita mente compunctus est, ut gemitus et singultus quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto præ-

Digitized by Google

fatus archilevita a sociis ejus inquirere cœpit, quænam illi existeret tanti causa mœroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam abbas Fusniaci, nomine Renaldus, qui secretorum famuli Dei magis conscius erat, et cujus etiam relatu ista cognovimus, dixit ad illum : « Homo iste mirabilis, totus igne charitatis accensus, totus in Deo absorptus, nihil aliud in mundo desiderat nisi tantummodo ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, et eorum animas Christo acquirere : et quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, et de conversione clericorum fructum temporaneum non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie non persensit in sua prædicatione respectum. Hinc ista procella gemituum, hinc profusio lacrymarum. Proinde nunc certissime spero quod hodiernam sterilitatem, crastinæ sationis ubertas grandi fœnore compensabit. » Mane itaque facto cum scholas repetisset, egregius prædicator ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, et verborum retia laxavit in capturam. Finito vero sermone plurimi ex eisdem clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. **281** Quos ille protinus de mundi periculo, tanquam de marinis fluctibus extractos, et vehiculis conductis impositos, in salvatorium Claræ-vallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate, cum comitatu suo usque ad villam Sancti Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane cum eum recto itinere profecturum fratres illius existimarent, dixit : « Redeundum est nobis omnino Parisius, quia sunt ibi adhuc aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde abducere, et jungere huic ovili Dominico, ut fiat unus grex et unus pastor. » Cum ergo cœpisset introire in civitatem, vidit a longe clericos tres in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos : « Expedivit nos Dominus, jamque in viam nostram proficiscemur. En isti sunt clerici, propter quos venimus. » Illi vero accedentes cum eum adesse cognoscerent, gavisi sunt gaudio magno, et dixerunt : « O quam desideratus, advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te, et vix putabamus abeuntem consequi posse. » Qui respondens ait ad illos : « Et ego noveram, dilectissimi. Propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. » Adjuncti ergo cæteris supra memoratis, secuti sunt hominem sanctum, adhærentes et obsequentes ei usque ad obitum suum.

282 CAPUT XVIII.

Mediolani affirmavit quidam vidisse se S. Bernardum inter apostolos.

Eodem quoque Renaldo indicante cognovimus quod iste Dei famulus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exsultatione universorum fuit ibi receptus, ut tota civitas fere per unam leugam rueret in occursum ejus. Multi vero eorum per quatuor aut quinque milliaria processerunt. Ita denique sibi in ipso complacuerunt, ut cum eum antea non vidissent, ingressum in urbem mox in archiepiscopum unanimi consensu raperent potius quam eligerent. Quod cum ille recusasset, parati erant omnino vim facere usque ad mortem, nisi fuga latenter evasisset. Cum ergo ibi sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. Interea quidam de civibus illis, vestitu et vultu honorabilis, cum Dei hominem adire omnimodo cuperet, et nusquam aditum reperiret, ascendit in turbam, manibus et pedibus repens, et super colla sedentium gradiens, quousque pervenit ad eum. Cumque apprehendisset pedes ejus, cœpit eos mira devotione amplecti ac deosculari. Quod videns supradictus Renaldus qui propius assistebat, accessit ut amoveret eum, sciens utique quia vir sanctus hujusmodi veneratio-nibus et obsequiis nimium gravabatur. Ille vero conversus dixit ad eum : « Dimitte me, obsecro, **283** dimitte me videre et tangere hominem Deo proximum, et vere apostolicum virum. Dico enim tibi, et in fide Christiana testificor, quia vidi illum inter apostolos. » Quod audiens monachus ille, miratus est. Et cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus; sed præ pudore propter astantes non fuit ausus. Verumtamen magnam exstitisse revelationem ipse certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga famulum Dei.

CAPUT XIX.

Orantis S. Bernardo apparens Christus crucifixus, solutis a cruce brachiis eum amplectitur.

Domnus Menardus quondam abbas de Moris, vir religiosus et piæ recordationis, mirabilem quamdam visionem quasi de alio retulit nobis, quam tamen sibimet evenisse putamus, ita dicens : Notus est mihi monachus quidam, qui beatum Bernardum abbatem aliquando reperit in ecclesia solum orantem. Qui dum prostratus esset ante altare, apparebat ibi quædam crux cum suo crucifixo, super pavimentum posita coram illo. Quem isdem vir beatissimus devotissime adorabat ac deosculabatur. Porro ipsa majestas separatis brachiis a cornibus crucis, videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque astringere sibi. Quod dum monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, et quasi extra se erat. Tandem vero metuens ne Patrem offenderet, si eum veluti secretorum **284** suorum exploratorem, ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit, intelligens nimirum ac sciens de illo homine sancto, quod vere supra hominem esset tota ipsius oratio atque conversatio.

CAPUT XX.

Monacho epileptico impetrat S. Bernardus, ut morbum præsentiens lecto decumbere, et repentini casus elisionem vitare posset.

Exiit aliquando Pater sanctus ad visitandum fratres suos metentes in agro. Qui quoniam infirmus

Digitized by Google

erat, et pedes ire non poterat, perrexit in asello. Porro monachus quidam cum eo tunc ambulans, atque asinum minans, cum ab olim pateretur caducum morbum, subito coram eo in ipso itinere corruit, et cœpit ab eadem epilepsia graviter torqueri. Quo viso vir sanctus condoluit ei : unde et deprecatus est pro eo Dominum, ut passio illa non apprehenderet amplius improvisum. Igitur æger ex eo tempore usque ad diem mortis, per viginti et eo amplius annos quibus postea supervixit, datum est ei quod antea non habebat, quodque cæteris epilepticis vix aliquando contingit quoties ex eodem morbo cadere debebat, per aliquantum temporis spatium præsentire, ita ut opportune posset lecto decumbere, et repentini casus elisionem jugiter præcavere. Et quidem vir sanctus qui hoc ei a Domino minus impetravit, credimus quia perfectam illi sanitatem obtinere potuisset, si saluti animæ ejus expedire cognosceret. Sed quoniam ille homo **285** gravis moribus ad portandum, et duri admodum cordis erat, cui salvando et virga correctionis, et baculus consolationis semper necessaria videbantur, concessum est ei misericorditer, ut subitanei casus periculum præsciendo jugiter declinaret, et salutiferi morbi stimulo non careret.

CAPUT XXI.

Cuidam primum clerico regulari, ac postea Clarevallensi monacho, pluries apparuit S. Bernardus haud multo post obitum.

Frater quidam de Ordine regularium clericorum, cum esset proficiendi cupidus, atque æmulator charismatum meliorum, desiderabat desiderio magno beati Bernardi magisterio subjici, et Clarevallensi collegio sociari. Hic itaque per quatuor dietas a Claravalle remotus, eadem die et hora qua prædictus Dei famulus de mundo migravit, somnolentia pressus præter consuetudinem, super scamnum obdormivit. Erat autem quasi secunda hora diei. Et ecce apparuit ei per visionem magna quædam et speciosa processio candidi Ordinis monachorum, qualem nunquam antea viderat, quæ sanctum funus quasi ab illo loco in quo præfatus Pater obiit, in ecclesiam honorifice deferens, debitum sepulturæ officium celebrabat. Quinta vero postmodum luce, cum ad illius aures de morte sanctissimi viri rumor tristissimus pervenisset, animadvertit illico eum illa hora de mundo transisse, in qua **286** præfatam viderat visionem. Et vere sic erat. Tunc vero diri vulneris novitate perculsus, consternatus est animo vehementer, miserum atque indignum se clamitans, quod voti sui compos fieri non meruisset. Proinde laxans fletibus habenas, se totum contulit in lamenta. Vespere autem facto, antequam mero confectos oculos somnus exciperet, cœpit attentius cogitare de illo homine sancto, utrum in pace receptus a Domino cœlesti beatitudine frueretur, jamque cum sanctis omnibus esset exorandus, an fortasse de mundano pulvere secum aliquid trahens, adhuc orationum suffragiis indigeret. Dum hoc ergo animo volveret, atque idipsum magnopere scire desideraret, subito factus extra se, vidit in spiritu stellam fulgidam de terra surgentem atque rectissimo cursu cœlorum ardua penetrantem. Moxque signatum est ei hanc esse beati Bernardi animam, quæ, tanquam sidus eximium, pura et nitida ad cœli fastigia consedebat.

Evolutis autem diebus paucissimis, cum esset ante altare orationi intendens, et pro ejusdem sancti viri anima defunctorum officium devote persolvens, venit in mentis excessum : et ecce apparuit illi iterum isdem Dei famulus, pontificalibus infulis insigniter adornatus, qui etiam de terra consurgens, recto itinere in cœlum ferebatur. His et hujusmodi revelationibus frater ille præmonitus, ab illo tempore consuevit de eodem beatissimo viro singularem memoriam agere, ipsumque inter amicos Dei maximos computando spiritaliter honorare, nihil hæsitans de ipsius glorificatione. In ipsis quoque diebus apparuit illi denuo per visionem isdem Dei famulus, quasi strenuus laborator, præcinctus ad operandum **287** in agro latissimo, in quo manipuli triticeæ messis innumerabiles erant, ex quibus multitudinem copiosam jam in acervum magnum congesserat. Reliquis vero qui multo plures supererant, comportandis et coacervandis adhuc pertinaciter insistebat. Quod cum vidisset, intellexit illico congeriem illam manipulorum, figuram tenere multitudinis fratrum, quam isdem egregius prædicator, quandiu vixit in carne, Christo Deo aggregarat, adhuc autem restare innumeros qui ejus meritis et exemplis ad salvationis gratiam essent perducendi. Unde multum exsultans, seque unum ex illis fore non desperans, Claramvallem quam citius potuit adiit, postulans et impetrans se admitti.

Qui dum adhuc ibidem novitius esset, ac beati viri memoriam pene incessanter atque insatiabiliter animo volveret, quadam Dominica die circa finem vigiliarum fatigato illi et modis pluribus afflicto cœpit obrepere sopor. Et ecce apparuit ei per visum isdem Dei famulus, dignanter eum alloquens et monens de dirigenda ad Deum jugiter intentione cum quotidiana lacrymarum effusione; quod si faceret, divinam miserationem, et suam ipsius visitationem securus exspectaret. Et cum ista dixisset, recepit se in tumulum suum quod ibi positum erat. Quæ videlicet receptio ita evidens fuit, ut frater ille nesciret utrum dormitans an vigilans hoc vidisset. Cumque aperuisset oculos, et piissimi Patris admonitionem dulci recordatione pensaret, subito iterum apparuit illi jam plene vigilanti, et corporeis oculis intuendum se obtulit. Stabat igitur cominus coram ipso, ita ut manu tangi facile posset, diligenter eum considerans, et quasi explorans **288** utrum dormiret an vigilaret, more videlicet eorum qui excitant ad vigilias dormientes. Erat autem indutus habitu monachali, propemodum simulans monacho qui juxta eumdem novitium stabat in choro. Quem ipsum fore existimans, mirabatur admodum de eo

Digitized by Google

novitius cur ita defixis obtutibus eum intueretur. Cumque reflexo lumine eumdem monachum juxta se manere conspiceret, protinus ille qui videbatur evanuit. Tunc ergo revelante Spiritu frater ille cognovit, ipsum eumdem Dei famulum adfuisse, qui desideratam præsentiam suam pauperi atque desolato dignatus fuerat exhibere. Nam cum ab eo evanuisset, visum est illi quod quasi sensibiliter præcordiis ejus illapsus fuisset : unde vehementer accensus in amorem Dei et beatissimi viri illico totus in jubilum raptus, et quasi extra se fuit. Denique sequenti nocte cum vigiliis fratrum similiter interesset, talem et tantam divinæ visitationis gratiam ibidem expertus est, qualem et quantam in vita sua nunquam antea senserat : quod totum utique meritis ejusdem sancti obtinuisse se non dubitavit. Cumque per dies plurimas memoriam abundantiæ suavitatis hujus recolendo frequentius eructaret, fundebat ubertim dulces et pias lacrymas, quibus die noctuque satiari non poterat.

289 CAPUT XXII.

Alexandri ex canonico et doctore Coloniensi, postea Grandissilvæ, ac demum Cisterciensis abbatis mira ad monachismum conversio, S. Bernardi ope.

Accidit autem aliquando, ut isdem Dei famulus jubente beato Eugenio papa Alemanniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado imperatori et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coruscaret, videns imperator mirabilia magna, quæ per eum Dominus ostendebat, crucis signum de manu illius accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi, scissuras et fimbrias de vestimentis famuli Dei, quæ propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur quicunque de indumentis ejus cruces haberent non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles ac sapientes viri, per manum illius sese Deo reddiderunt; qui in Claravalle ab eo deducti, et ab eo monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum attulerunt. Ex quibus etiam exstitit unus Alexander, vir venerabilis, tunc canonicus doctorque famosus in urbe Coloniensi. Quem cum beatissimus Pater de convertendo sese ad Ordinem monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens respondit se nihil ad præsens minus velle, vel cogitare quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur 290 nocte cum membra sopori dedisset, apparuit ei per visionem isdem vir venerandus, erigens eum de grabato in quo graviter languens jacere videbatur, ac restituens sanitati. Deinde tulit habitum suum quo erat ipse indutus, et ex eo contexit Alexandrum. Qui cum eumdem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Tunc vero beatus Pater baculum etiam quem tenebat, in manu ejus tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit. Evigilans autem Alexander, nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat. Eodem vero die cum ille beatissimus abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis qui perca nominatur, ut ex eo reficeret. Quo viso vir Domini erectis in cœlum luminibus, super eumdem piscem diutius oravit, et benedicens illum, præfato Alexandro pro pitantia transmisit. Quem dum ille gustare inciperet, ad primum illico morsum meruit in seipso feliciter experiri quantæ virtutis esset oratio famuli Dei. Nam repente mutatus in alterum virum, compunctus est valde, et cœpit ubertim super eumdem cibum lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens quid haberet, aut cur fleret. Tandem recordatus visionis quam nocte præterita viderat, intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi gratias agens, beato Dei famulo incontinenti se reddidit, a quo in Claravalle monachus factus, et deinceps Grandissilvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis 291 cœnobii Pater et abbas patriarchalis. Hæc nos itaque sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione deprompsimus.

CAPUT XXIII.

Stephanus abbas Cisterciensis cognoscit, Deo revelante, septem psalmos pœnitentiales, quos pro anima matris suæ S. Bernardus adhuc novitius quotidie in silentio dicere consueverat, fuisse quadam die ab eo prætermissos.

Dum beatus Bernardus adhuc novitius esset, solitus erat quotidie pro anima matris suæ septem psalmos pœnitentiales in silentio dicere. Die vero quadam cum dictos psalmos post Completorium inchoasset, omisit eos, per incuriam nescio, an per oblivionem, antequam perdixisset; veniensque ad stratum suum obdormivit. Abbas vero Stephanus cognita per spiritum negligentia, die postera convenit eum, dicens : « Frater Bernarde, ubinam, quæso, illos tuos psalmos hesterna die post Completorium dimisisti? aut cui eos commendasti? » Quod audiens adolescens, ut erat verecundus et timoratus, erubuit, prociditque ad pedes ejus.

292 CAPUT XXIV.

De Stephano Cisterciensi abbate, cui tres carrucas cum novem equis mirabiliter Deus suppeditavit, quique, regimine abdicato, vidit immundum spiritum Guidoni sibi suffecto in os ingredientem.

Hic itaque venerabilis Stephanus quadam die vocavit unum ex fratribus suis, et loquens ad eum in Spiritu Dei, dixit : « Vides, charissime, quia magna coarctati inopia, prope est ut fratres nostri fame et frigore et cæteris molestiis periclitentur, nisi eis concite subveniatur. Vade ergo ad nundinas Verzelliaci, quæ proxime instant, ut compares ibi quadrigas tres, et earum singulis ternos equos fortes atque tractores, quibus maxime indigemus

Digitized by Google

ad nostra onera comportanda. Cumque quadrigas illas pannis et alimentis, aliisque rebus necessaris oneraveris, adducens eas tecum, cum prosperitate et gaudio reverteris. » Respondens autem frater dixit ei : « Paratus sum, domine Pater, ut tuis jussionibus obsequar, si pretium dederis ad illa subsidia comparanda. » Respondit ei abbas : « Ecce denarii tres, qui soli reperti sunt in ista domo. Tolle igitur, si volueris, eos; reliqua enim quæcunque defuerint, tibi Dei nostri misericordia providebit. Securus itaque vade, quia mittet Dominus angelum suum tecum, et prosperum faciet iter tuum. » Profectus itaque frater cum Verzelliacum pervenisset, a quodam viro fideli et timorato hospitio receptus est. Qui dum itineris ejus causas et fratrum indigentias cognovisset **293** abiit in instanti ad quemdam locupletissimum hominem, finitimum suum, qui desperate languens, ac pene jam moriens facultates suas pauperibus erogabat. Cumque Cisterciensium monachorum, quorum jam in partibus illis sanctitas celebris habebatur, eidem infirmo penuriam indicasset, vocatus est ad domum ejus supradictus frater, tantamque pecuniæ summam in eleemosyna ab ipso moriente recepit, ut cuncta quæ injunxerat abbas, ex ea sufficienter compararet. Acceptis itaque tribus rhedis, cum novem quadrigariis equis, oneravit atque ornavit eas cunctis quæ fraternis usibus necessaria esse cognovit : et ita qui vacuus venerat, plenus ad suos remeavit; Cistercioque propinquans, nuntium misit qui abbati significaret ipsius adventum pariter et proventum. Quo audito venerabilis Pater exsultavit in Domino vehementer, et convocatis in unum fratribus ait : « Deus miserationum Dominus, Deus misericordiæ libere ac liberaliter egit. Vere nobiliter, vere eleganter egisti nobiscum, Domine procurator et pastor noster, aperiens manum tuam, et implens benedictione penuriam nostram. » Tunc ordinata processione, occurrerunt obviam venienti fratri usque ad portam, ita ut ipse abbas procederet indutus vestibus sacris, cum pastorali virga, ministris similiter indutis ac præcedentibus eum cum cruce et aqua benedicta. Exceperunt ergo solemniter, atque cum multa gratiarum actione eleemosynam illam, non ut ab homine præstitam, sed tanquam cœlitus missam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

De beato autem viro legitur in Gestis Anglorum **294** quod, dum adhuc esset in sæculo juvenis, profectus est aliquando Romam cum quodam socio suo (61) causa orationis. Quandiu vero fuerunt in itinere illo, soliti erant diebus singulis sine intermissione Psalterium integrum decantare. Tandem vero ingressus monasterium Molismense, isdem venerabilis Stephanus ferventissimo studio laboravit, ac modis omnibus institit, ut locus et ordo Cisterciensis institueretur, cujus ipse postmodum ordinante Domino pastor et doctor eximius erat instituendus. Hic itaque longo senio confectus, cum jam caligassent oculi ejus, et videre non posset, curam pastoralem deposuit, ut sibimet ipsi et soli Domino jam vacaret. Successit autem ei quidam indignus honore, nomine Guido, qui donis exterioribus instar sepulcri dealbati non mediocriter pollens, interius erat vitiorum putredine sordens. Cumque in ipso suæ promotionis primordio, fratrum professiones de more susciperet, isdem Dei famulus Stephanus vidit immundum spiritum ad illum venientem, atque in os ejus ingredientem. Vix mensis præterierat unus, et ecce, revelante Domino, denudata est impuritas ejus, et eradicata est mox de paradiso Dei plantatio spuria, quam Pater cœlestis non plantarat.

295 CAPUT XXV.

Fastradus ex abbate Camberonensi Clarevallensis, indeque Cisterciensis, reverendi oris et magnarum virtutum vir, etiam in obitu divinitus commendatur.

(Vide supra S. Bernardi Vitam primam, lib. VII, col. 464.)

296-300 CAPUT XXVI.

Admonetur cœlitus quidam abbas, ne de excutienda præfecturæ suæ sarcinia ulterius satagat. Idem gravissimis et creberrimis capitis doloribus, mirabili quasi massæ plumbeæ in mediam ejus frontem illapsu liberatus olim fuerat.

Quidam sanctus abbas de filiis Clarævallis, dum Christi amore totus arderet, modis omnibus satagebat pastoralis officii curam deponere, ut quieti contemplationis liberius posset intendere. Quadam igitur vice egressus de monasterio suo, quasi jam minime reversurus, diebus paucis ad aliam quamdam sese contulit abbatiam, absolutionem prædicti regiminis magnopere expetens et exspectans. Quadam itaque nocte cum interesset vigiliis, vigilans cum aliis, et psallens, vidit in mentis excessu beatum Bernardum sibi apparentem. De cujus visione exhilaratus multum, cœpit ei obnixius supplicare, ut ipsum dignaretur ducere ad Dominum Jesum Christum, cujus felicissimam præsentiam nimio desiderabat ardore. Quem mox beatissimus Pater secum assumpsit, perductumque quo voluerat, præsentavit Domino Salvatori. Ad quem cum introductus fuisset, procidit ad pedes ejus, adorans et flagitans ut sui misereretur. Cui respondit Dominus : « Si volueris habere me misericordem, fac mihi ergo professionem. » Quo ille audito, libentissime annuit, et junctis manibus in manus illius se tradidit, profitens ac promittens obedire se illi usque ad mortem. Facta igitur professione, et **301** revelatione transacta, cum esset ad se reversus, vacillante animo turbabatur, nec pro certo sciebat quid sibi per illam visionem, aut promissionem innueretur. Suspicabatur tamen a suo de-

(61) Petro postea Juliaci priore.

Digitized by Google

sŏderio se esse fraudatum, et ejusdem professionis vinculo ita innodatum, ut pastoralis officii sarcinam, quam ægre tolerabat, jam absque divino nutu deponere non auderet. In crastinum vero cum altari assistens, sacrosanctum corpus in manibus haberet, medullitus cœpit Dominum exorare, ut beneplacitum suum super hoc ei dignaretur evidenter ostendere. Et ecce in ipsa perceptionis hora, facta est divinitus vox ad eum, dicens : « Quandiu vixeris, successorem habere non poteris. » Tali itaque responso certificatus, pedem a fuga cohibuit, et divino arbitrio proprium supponere studuit.

Hic itaque venerabilis Pater, in primordio conversionis ac juventutis suæ, cum magno dolore capitis frequentius urgeretur, magis tamen animo gravabatur quod spiritum in eo promptissimum ad ardua quæque virtutum, caro infirma pro voto subsequi non valebat. Quadam itaque Dominica cum solemnibus vigiliis interesset, sentiens se præfato incommodo solito amplius stimulatum, cogitavit exire de choro, et exire pausatum. Sed inspirante Deo recogitavit mox ut sibi vim faceret, et usque ad Primam diei sustineret. Prima vero transacta, quamvis doloris immensitas non cessaret, proposuit iterum usque ad missam tolerare majorem, ut sacram accipere posset communionem. Cumque jam communicaturus ad gradum altaris accederet, et solitam veniam ibidem flexis genibus peteret, ecce repente de vertice ejus lapsa est quasi plumbea massa, quæ illi per medium frontis veniens, **302** et cadens in pavimentum, non parvam collisionem fecit. Ipse vero ejusdem molis concussionem atque ruinam apertissime sentiens, et nullam speciem videns, de tanta novitate miratus, vehementer obstupuit. Moxque percepta communione sacra, ab illa infirmitate eadem hora convaluit, et ita perfecte curatus est ut nullam deinceps molestiam ex ea sentiret. Hæc autem omnia quæ de memorato viro retulimus, ipso nobis secretius ibi indicante, cognovimus.

CAPUT XXVII

Balduinus miles, dominus de Guiza, homo facinorosus, Igniaci moritur in veste monastica; ac postea Petro Igniacensi abbati sæpe apparens, tandem ejus et monachorum precibus diu purgatus in cœlum recipitur.

Miles quidam, nomine Balduinus, dominus castri quod Guiza nuncupatur, in territorio Remensi, cum esset homo bellicosus et strenuus armis, postposito timore Dei, multa quotidie perpetrabat; rapinis, incendiis, cædibus, cæterisque similibus frequenter insistens. Hoc solummodo boni in eo esse videbatur, quod virum sanctissimum Petrum abbatem Igniaci, cum tota ipsius domo sinceriter diligens, magnifice honorabat multumque de ejus meritis confidebat. Neque vero id frustra, quemadmodum declaravit exitus rei. Nam dum adhuc esset in ætate virili, contigit eum lethali ægritudine pressum, ad extrema perduci. Proinde misit et vocavit ad se prædictum abbatem : qui concite **303** veniens, invenit hominem jam pene consumptum, et linguæ officio destitutum. Sed orante sancto abbate, indulta est protinus ægro, magno munere Dei, et loquendi facultas et gratia confitendi. Quo facto voluit incontinenti deserere mundum, et habitum religionis assumere. Sed prohibente conjuge sua, quæ corpus illius plusquam animam diligebat, dilatum est interim votum, donec illa de sospitate illius desperata penitus, tandem dedit assensum. Tunc ergo ductus est ad supradictam Igniaci domum, futurus ibidem monachus, si vixisset. Sed morte accelerante soluta est protinus anima ejus, ingemiscens ac pœnitens vehementer, quod tempus pœnitentiæ sine pœnitentia transegisset. Cumque defunctus esset, factæ sunt de eo revelationes multæ præfato abbati, cæterisque senioribus loci. Quas quia longum est enarrare, paucas e pluribus adnotare curavimus.

Eadem igitur nocte qua defunctus est, apparuit in visione cuidam viro religioso, quasi de lecto se erigens. Cui cum ille adminiculum ferre satageret, ait : « Non est mihi necesse, frater, ut teipsum fatiges. Sanctus namque Benedictus adjutor est mihi fortissimus; et ipse me mittit ad dominum Petrum abbatem vestrum, ut ab eo monachus fiam. » In ipsa nocte cum isdem venerabilis abbas pro eo sollicitus et anxius valde existeret, cœpit animo pertractare qualiter homini mortuo, tanta peccatorum mole gravato, succurrere posset. Hæc illo cogitante, subito astitit ei quidam, cujus vultum non agnoscebat, quem tamen fuisse angelum Domini existimat, respondens cogitationibus ejus, et dicens : « Magno adjutorio indiget. » Haud dubium vero quin de ipso mortuo diceret. **304** Et his dictis confestim evanuit. Accepto ergo divinitus hujusmodi responso, totus illico orationi incubuit, sanctorum altaria circumeundo, eorumque suffragia pro salute defuncti medullitus implorando. Interea cœpit ei, quasi mœsto et fatigato somnus obrepere. Cumque obductis palpebris, nec plene vigilans, nec plene dormiens sibi videretur, repente apparuit ei Satan minaciter fremens adversus eum, et dicens : « Quid? Balduinum auferes mihi? » Et cum hoc dixisset, insiliit in eum, coarctans et comprimens vehementer. Qui statim expergefactus ita se membris omnibus astrictum reperit, ut ea movere non posset. Sed verbum Dei non fuit alligatum. Dixit ergo vir Dei ad Satan : « Adjuro te, spiritus immunde, per sanguinem Jesu Christi, quem pro nobis miseris et peccatoribus fudit, et per gloriosam ejus Genitricem et Virginem Mariam, quatenus huic animæ confessæ et pœnitenti nocere non præsumas. » Et cum ista dixisset, reliquit eum diabolus et fugit. Ipse vero in sua relaxatione, defuncti liberationem intelligens, resumpta grandi constantia iterum magis ac magis precibus insistebat. Tanta namque in illa hora devotionis gratia perfusus est, tantamque de Dei miseratione fiduciam

Digitized by Google

mente concepit, quantam in vita sua nunquam fuerat expertus. Unde non dubitavit suas suorumque fratrum supplicationes pro eodem mortuo divinitus exaudiri.

Tunc vero statuens in commune fratribus, orationes multas et diuturnas, ipse quoque per dies triginta pene quotidie sacrificium nostræ redemptionis pro ejus anima offerre curavit. Porro per totum tricenarium illud, vix aliqua dies præteriit, quin memorato abbati, seu dormienti **305** seu vigilanti isdem mortuus appareret; interdum etiam flexis genibus, et junctis manibus supplicans, ut pro se orare non desisteret. Contigit autem in ipso tempore, abbatem quemdam nigri ordinis monachorum, quem aliquando isdem miles graviter injuriaverat, domum Igniaci hospitandi gratia divertere. Quod videns supradictus abbas ejusdem loci, duxit eum ad supradicti mortui tumulum, obsecrans in Christi amore ut eum absolveret ab illa injuria, quam suadente diabolo in ipsum commiserat. Quod ubi factum est, ecce in ipsa nocte mortuus isdem prædicto abbati Igniaci gratulabundus apparuit; exhibens ei corpus suum purgatum et mundum a lepra qua sese ab olim contaminatum fuisse monstrabat. Præterea quoque apparebat in facie ejus immensi vulneris penitus obducta cicatrix, cujus sanitas recens deletum ostendebat esse piaculum, quod commiserat in abbatem. Post hæc autem in ipso die sancto Parasceves, jam inchoato circa horam nonam divino officio, cum isdem venerabilis abbas Igniaci indutus sacerdotalibus, juxta altare resideret, apparuerunt ei duo juvenes præclaris vultibus et vestibus sericis renitentes, qui eumdem militem dextra lævaque incedentes usque ad altare deduxerunt; et transeuntes etiam coram abbate, dixerunt : « Ecce dominus Balduinus. Erat autem ipse defunctus nigris indumentis, sed tamen bonis et decoris amictus, quæ quasi de ysembruno esse videbantur. » Quod videns venerabilis abbas, lætatus est valde, nimirum intelligens in vestibus nigris pœnitentiæ signum, et in repræsentatione ipsius ad altare, certum reconciliationis indicium. Jam vero deinceps mortuo non apparente, **306** factus est abbas in hoc etiam certior de illius absolutione. Hæc ab eodem Dei famulo multis prius a nobis precibus flagitato seriatim extorsimus : cujus assertioni decredere omni religioni detrahere est.

CAPUT XXVIII.

De lue quæ Domus Dei monasterium depopulata est; et de Franconis abbatis, ac Bernardi monachi felici ad superos transitu.

In abbatia Domus Dei, quæ una est de filiabus Clarævallis, facta est in isto anno mortalitas magna, ita ut infra triginta et quinque dies non minoris numeri fratres de medio tollerentur, et una die interdum quatuor aut quinque sepelirentur. Tanta vero alacritate et desiderio, ad mortem, imo ad portum mortis et vitæ januam ferebantur, ut et morientes viventibus condolerent et viventes morientibus inviderent. Inter quos subtractus est venerabilis et sanctæ memoriæ Franco abbas ejus loci, qui die sancto Parasceves Christo Domino felicem animam reddidit. Ad cujus etiam tumulum jam de vicinis partibus populi catervatim undique confluunt, propter sanitates et beneficia multa quæ se ibidem a Domino consequi sentiunt. Quarto autem postea die, hoc est secunda feria paschalis hebdomadæ, defunctus est ibi monachus ætate quidem juvenis, sed religionis maturitate provectus; de quo etiam asserunt quod florem virginitatis usque ad mortem Domino largiente servaverit. Hic vero spe mirabili confortatus, ita **307** cupiebat dissolvi et cum Christo esse, ut nil timere videretur, nisi adhuc a morte differri, et in corpore remanere, multumque doleret, si aliquis ei commeatum vel promitteret vel optaret. In ipsa vero die migrationis suæ apparuit ei beatus Bernardus cum supradicto abbate F. qui dixit ad eum : Frater Bernarde (sic enim juvenis vocabatur), ecce adduco tibi sanctum Patrem nostrum Bernardum, ut te in manibus illius reddam. Beatus vero Pater clementi dextera suscipiens eum ait illi : « Hodie mecum eris in paradiso. » Et his dictis evanuerunt. Tunc monachus ille quæ viderat et audierat fratribus indicavit, atque subjunxit : « Si usque in crastinum vixero, non sum vera locutus. Quod si hodiem igravero, fidem faciat dictis ipsa migratio. » Defunctus est itaque frater in ipsa die, ut perficerentur in eo omnia quæ dicta fuerant illi a sancto Patre.

CAPUT XXIX.

Mira quædam de Gerardo de Farfa, admirandæ pietatis et sanctitatis eximiæ sene, cui morti proximo apparuit S. Bernardus; qui etiam questus est post mortem quod præpropere et adhuc spirans fuisset sepultus.

Dilectus a Deo et hominibus Gerardus de Farfa, cujus memoria in benedictione est, quemque pro sua singulari puritate et sanctimonia beatus Bernardus singulari gratia præ cæteris honorabat, mirabilis atque amabilis nimis omnibus apparebat. Qui dum adhuc esset monachus in Farfa, quæ est Tusciæ **308** nobilis abbatia, revelante Domino vidit in spiritu se transpositum in Claravalle, idque gerentem officii, ut cum duobus bacinis singulas officinas circuiens, fratrum manibus abluendis aquam infunderet. In quo nimirum designatum fuisse rei exitus docuit, quod ipse futurus esset qui fratrum illorum excessus quotidiana, imo pene continua oculorum inundatione ac si duobus infusoriis ablueret. Sic enim devotio pietatis in Christi desiderio pectus illud impleverat, ut quasi duo fontes pupillæ ejus quæ tacere non poterant, fere ubique, præsertim in celebratione divini mysterii, magno lacrymarum profluvio faciem illius madidarent. Habebat autem gratiam singularem tam apud Deum quam apud homines, quam universi mirabantur, et intuebantur vultum ejus tanquam vultum angeli stantis inter illos, atque dicebant : *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate* (*II Mach.* xv, 14).

Digitized by Google

Huic autem Deus multas consolationes in abscondito faciebat; ipse autem, utpote verecundus et humilis, virtutes suas latere malebat, et nullus ei super hujusmodi percunctatione, propter sanctitatis illius reverentiam, molestus fieri audebat, et cum esset nimium corpore debilis, utpote jam fere nonagenarius, quotidie tamen infatigabilis animi fervore juvenescere videbatur, ita ut vix ægritudine compellente posset in infirmitorio detineri, vix posset etiam a labore messium retineri. Qui dum aliquando gravissima valetudine pressus, in quadam secretiori domuncula lecto decumberet, nocte quadam contigit exstingui lampadem quæ ibi ardebat. Quo viso, frater quidam qui ei tunc temporis ministrabat, surrexit **309** et abiit reaccendere illam. Cumque reperisset clausas undique officinas sine igne, reversus est tristis; et firmato ostio cellulæ, iterum recubans obdormivit. Profunda vero nocte cum sanctus ille vir ad necessaria surgere vellet, assurrexit frater dolens quod ei luminare deesset. Respiciens autem ad fornaculam præsentem, in qua per octo dies antea focus non fuerat, vidit ibidem prunarum ardentium non parvam congeriem : accensaque ex eis lampade, cum statim ad eamdem fornaculam oculos verteret, non modo prunas illas non reperit, sed ne ullum quidem in ea caliditatis vestigium deprehendere potuit.

Novitius autem quidam, nomine Julianus, honestæ vitæ sacerdos ac religiosus, qui de ordine regularium clericorum Clarævalli sese contulerat, vidit aliquando spiritum immundum instar hædi pervagantem in choro. Qui cum venisset coram eo, aliquandiu substitit, et cœpit eum rictu patulo subsannare, obscenum caput contra illum exagitando, et dentes ad invicem minutissime concutiendo. Cumque recessisset ab eo, venit et stetit ante hominem Dei Gerardum, et cœpit eum similiter petulcum animal pudendis gestibus irridere, a quo magis irrisum atque exsufflatum, illico tanquam fumus evanuit, et ultra eum novitius ille non vidit. Qui mox accepta colloquendi licentia percunctatus est eum utrum in choro aliquid in illa tali hora conspexisset. Confessus est autem ei senior se vidisse phantasticum hædum, qui ludens motibus, et se et illum pariter subsannaret. Quod audiens novitius ille, miratus est valde, ac per hoc intellexit quod multa hujusmodi cerneret, quamvis pauca inde referret.

310 Huic autem viro jam posito in extremis beatus Bernardus angelico vultu et vestibus albis decoratus apparuit, in ea tamen consistentia et habitudine corporis, qua ante obitum fuit. Quem cum ille inspiceret ad se ingredientem, et veteranos ac venerandos artus baculo sustentantem, manu ac voce qua poterat suis servientibus innuit, ut sancto venienti assurgerent, et locum sedendi citius præpararent. Illis vero mirantibus ac quærentibus de quonam sancto ille loqueretur, premente se ægritudine non poterat respondere. Postmodum vero recepta virtute loquendi, cum idipsum denuo sciscitarentur, confessus est se vidisse beatum Bernardum blando ipsum alloquio consolantem. Qui cum benedixisset eum, benedixit etiam totam domum, subjungens hæc eadem verba, et dicens : « Hæc est domus mea quam ædificavi. Dominus custodiat eam in æternum et in sæculum sæculi. » Cum vir ille sanctus in Domino quievisset, aliquanto postea tempore elapso apparuit in visione cuidam religioso converso, nomine Laurentio, lætus atque præclarus, et pretiosis vestibus decenter ornatus, indicans quia per Dei gratiam gaudium sempiternum obtineret et gloriam. Fratri autem solo tenus supplicanti ut ejus benedictionem atque suffragia mereretur, benedixit atque ita respondit : « Ego orare non cesso non modo pro te, verum etiam pro ipsius universitate Ecclesiæ. De hoc tamen conqueror aliquantum, quod fratres adhuc viventem et spirantem me præ nimia festinatione sepelierunt. »

CAPUT XXX.

311 *De Laurentio converso Clarevallensi, qui S. Bernardi ope multis subductus periculis, decem bubalos in Claramvallem ex Italia perduxit.*

Igitur quod de prædicto fratre Laurentio mentio incidit, referendum existimo aliquid quod de illo cognovi. Erat ergo vir ille (quod omnes agnovimus) homo spiritualis, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia semper insistens, ita ut per plurimos annos cum sanctorum confessorum Bernardi atque Malachiæ corpora in secretario die noctuque servaret, vix unquam aliqua hora posset ibidem aliter inveniri, nisi semper orationi incumbens et diuturnis fletibus pavimentum aspergens. Porro vir iste in primordio conversionis cum multis tentationibus vexaretur, nocte aliqua finitis Matutinis erat in quodam domicilio solus : et ecce spiritus immundus mugiens et plangens discursu gyrovago circa eum rotabatur. Ipse vero imposito fronti suæ signaculo sanctæ crucis, quisnam esset interrogavit. Respondit autem dæmon : « Ego sum qui tentavi et flagellavi Job. » Quod audiens frater, cum adhuc novitius esset, timuit a facie dæmonis, et fugit, et eum ulterius non audivit. Post transitum autem beati Bernardi, contigit ut isdem frater a venerabili Philippo Clarevallensi priore ad regem Siciliæ Rogerium mitteretur pro negotio ipsius Ecclesiæ. Qui cum Romam fuisset ingressus, comperto quod idem rex nuperrime mortuus esset, consternatus animo est, et quid facere deberet prorsus ignorabat. Conversus ergo ad orationem **312** cum gemitu et lacrymis beatum Bernardum invocabat, dicens : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus, ut quid dereliquisti nos? Heu me! Pater sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus et misellus, et ego omni solatio destitutus? Te vivente, teque jubente securus procedebam longius sæpe ad exteras nationes, et ubique recipiebar ob gratiam tui, cum gratia multa; deferens nimirum salutationes et litteras tuas, quas reges et præsules, cum cæteris omnibus, tanquam cœlitus missam benedictionem suscipiebant, et eu-

Digitized by Google

logiis tuis sese nobilitari nobiliores quique gaudebant. Nunc autem te defuncto, defuneta est tecum pariter et gratia mea : nec erit jam qui peregrino et inopi manum adjutorii porrigat : et ecce mortuus est rex qui te sinceriter amabat; surrexitque pro eo puer filius ejus, qui forsitan te ignorat. Quem adhuc tam longe remotum si adire voluero, et repulsam ab eo pati contigerit, et opera et impensa perdita erit. Si vero incontinenti revertens, negotium intentatum reliquero, torporis et insipientiæ argui pertimesco. Porrige, precor, auxilium, præbe consilium indigenti, et ne despicias gemitum servuli miserandi.

Eadem itaque nocte apparuit ei isdem beatissimus Pater, et magnifice consolatus est, dicens : « Quid tibi visum est, frater, ita de Dei misericordia et mea ipsius interventione diffidere? Quando enim vel ubi sensisti defuisse tibi adminiculum meum in necessitatibus tuis? An forte impotentiorem modo me autumas quam olim in sæculo fuerim, qui jam introductus sum in potentias Domini? Vade ergo securus, quia prospera cuncta evenient, et in hoc ipso scies quod ego ipse te miserim. » Hæc et alia plura **313** sancto loquente, frater ipse præ nimio pietatis ardore totus in anima liquescebat; et corde ejus immensam parturiente lætitiam, foris quoque devotionis lacrymæ erumpebant. Cumque evigilasset madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum in quo caput reclinarat eodem lacrymarum profluvio undique perfusum esse cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de urbe fuisset egressus reperit cuneum institorum mercimonii gratia Siciliam adeuntium. Qui cognoscentes eum esse de Claravalle, mox in suo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, et quæque necessaria gratis quotidie ministrarunt. Tandem ingressus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus; et non solum de negotio pro quo fuerat ad Patrem destinatus, prosperum eventum obtinuit, verum etiam rex pro ejusdem patris sui anima apertis thesauris suis, ad ædificationem novæ basilicæ Clarevallensis non modicam auri summam per eumdem fratrem magna devotione transmisit. Reversus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis cardinalium, aliorumque Romanorum alterata consuetudine plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam largientibus illis, ex eadem urbe usque ad decem bubalos educeret, et usque ad domum Clarævallis non sine ingenti omnium stupore perduceret. Quis enim satis mirari sufficiat, quod homo debilis ac veteranus cum duobus puerulis tantum, tantæ enormitatis ac ferocitatis animantia, quæ etiam boves dupla aut tripla corpulentia et fortitudine superant, per tanta locorum discrimina, per tanta prædonum latronumque molimina, a Roma **314** usque ad Claramvallem minare potuerit, præsertim eum id genus animalium citra Alpes, ut asserunt, in toto Occidente hactenus visum non fuerit? Vix enim vel una die malignantium occursus ac violentias poterat declinare; quæ tamen omnia pertransivit indemnis, Deo et sancto Patre Bernardo fidelem famulum ubique tutante.

Factum est autem ut transire cogeretur per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant, et quorum fauces immunis evadere nemo poterat, nisi qui forte viribus prævalebat. Mane vero jam rutilante aurora, cum de aliquo prato in quo cum animalibus pernoctarat egrederetur, rogabat attentius Deum sanctumque Bernardum, ut ab imminenti periculo erueretur. Et ecce apparuerunt ei procul quasi duo viri obviam venientes, et singulos cereos accensos in manibus præferentes : qui paulatim veniendo cum jam pene ad illum pervenissent, subito ab ejus oculis evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque illum diaboli nidum illico sistitur, atque ad prædam diripiendam undique curritur. Supervenientes autem eadem hora quidam venerabiles viri, cum eum Claravallensem esse cognoscerent, de manibus irruentium liberarunt, et cum suis omnibus abire fecerunt. Tandem vero perveniens ad Claramvallem, mirantibus universis novi generis bestias intulit, quæ multiplicatis fœtibus quotidie propagantur, atque ex eo loco per multas jam provincias dilatantur.

315 CAPUT XXXI.

De quodam monacho mortuo in Burlancurte, revelatur viro sancto, illum sanctorum Joannis et Pauli martyrum meritis coæquari.

Religiosus quidam frater de Burlancurte, nomine Gerardus, elephantinum morbum incurrens, et multo tempore seorsum ab aliis degens, ita flagellum Patris æquanimiter tolerabat, ita semper in gratiarum actione perseverabat, ut in ejus prædicabili patientia cæteri mirifice delectati atque ædificati Deum glorificarent, et eum quasi martyrem reputarent. Tandem felici agone peracto, dolorem pariter et mortem evasit, et cum beato Lazaro in sinu Abrahæ recipi meruit. Eadem igitur nocte, dum funus in ecclesia servaretur, fratribus circa ipsum solito more psallentibus, uni ex eis viro sanctissimo, et abbatis administratione longo tempore functo, facta est revelatio talis : videbat in mentis excessu; et ecce tres personæ venerabiles, in multa gloria circa defuncti corpus apparuerunt. Quarum una cum corpus ipsum virga flagellasset, egressa est ex eo columba, avolans, et petens superiora. Tunc una ex eisdem personis dixit : « Quasi columba petit supernos fontes. » Secunda vero subjunxit : « Absque impedimento penetrat cœlos. » Tertia nihilominus ait : « Meritis sanctorum Joannis et Pauli coæquatur. » Quod ubi dixerunt, protinus ab oculis intuentis evanuerunt. Cognovit ergo vir sanctus quod magni meriti esset anima illa, quæ tantis martyribus fuerat in meritis sociata.

Digitized by Google

316 CAPUT XXXII.

Vir quidam pius in Meldensi territorio mortuus repertus est, super genua sua et super lævæ manus articulos nuda humo perstans, dexteram vero quasi tundendo pectori applicatam tenens.

In territorio Meldis, vico qui Betunbasocas dicitur, ante hoc ferme septennium defunctus est quidam famulus Christi, rebus quidem transitoriis pauper, sed virtutibus dives qui, licet habitu sæculari indueretur, vitam monachicam opere sectabatur. Iste dum adhuc esset in ætate viridiori, amicis adhortantibus, uxoria compede passus est se arctari. Compare autem celeriter de medio facta, digamiam inire minime acquievit, sed virtuti continentiæ membra deinceps usque ad senectam et senium dedicavit. Erat ergo jejuniis et obsecrationibus die ac nocte Domino serviens, cæterisque divinis obsequiis jugiter insistens. Habebat autem in consuetudine, per decennium fere ante obitum suum, singulis diebus Dominicis communicare. Ecclesiam vero quamvis a sua ipsius mansione longe remotam, frequentius adire non desistebat; multumque temporis et laboris in hoc opere expendebat; utpote senex atque decrepitus, quem tribus pedibus incedere oportebat. Quadam vero Dominica cum ad ecclesiam multo gravamine veniens, sacrosancta mysteria solito percepisset, viribus corporis cœpit repente destitui, ita ut ad suum tugurium repedare non posset. Proinde divertens in domicilium viri cujusdam in proximo commorantis, per totam diem illam lecto decumbens, **317** graviter ægrotavit, et nocte sequenti vocante se Domino in pace quievit. Facto itaque mane cum ingrederentur ad eum visitandum, invenerunt illum in oratione positum, ibique defunctum hoc modo. Egressus siquidem de grabato, et carens operimento, præter femoralia tantum super genua sua et super lævæ manus articulos nuda humo perstabat; dextram vero superius quasi tundendo pectori applicatam tenebat. Porro corpusculum erectum atque immobile stabat, et resupinato capite facies in cœlum respiciebat. Ita ergo cadaver exstinctum divina virtute subsistens, et viventi magis quam mortuo simulans, satis evidenter post obitum indicabat quid ante occubitum facere consueverat. Accurrunt undique populi festinantes, videre tam pium tamque cœleste miraculum : quod non magis utique in corpore mortuo, quam in ipso homine vivente, vel potius moriente constat esse mirandum. Quid enim mirabilius est, mortalem hominem orando et stando mortem irruentem excipere, et a statione sua moriendo non corruere, an corpus exanimatum post mortem non occumbere? Utrumque profecto mirabile, utrumque divinæ virtutis et gratiæ est. Quis enim alius præter te, Domine, facere prævaleret, ut servus tuus moriens, invicta orandi constantia animatus, et ipso mortis articulo de cubili suo surgeret; et contra mortis impetum, quasi contra fluminis aut fulminis ictum, flexis genibus et erecto A corpore staret, stans et orans animam traderet, insuper et gleba cadaveris exanimati (quod a cadendo dicitur) in terra non caderet? Vere tua sunt opera, tua sunt ista miracula, Domine Jesu, qui pauperes amas, et personam ullius non accipis; sed **318** in omni gente, in omni conditione et professione, quicunque te timet et operatur justitiam, acceptus est tibi (*Act.* x). Videntes itaque talia cuncti, qui ejus honestissimam conversationem antea noverant, immensas Domino grates retulerunt; et cognoscentes quod vere servus Dei esset, cum magna devotione et reverentia sanctissimum corpus ejus honorifice sepelierunt.

CAPUT XXXIII.

B *Monachus ordinis Cisterciensis, orationi maxime et lectioni intendere solitus, videt primum S. Joannem evangelistam, tum beatissimam Dei genitricem virginem Mariam, et denique Christum ipsum Dominum sibi animam agenti occurrentes.*

In quodam Cisterciensis ordinis monasterio quidam honestæ conversationis monachus habitabat, qui dum esset in omnis religionis suæ observantia fervens atque devotus, maxime orationi atque lectioni erat intentus, ita ut semper ad legendum ubicunque poterat, mirabili dulcedine traheretur; et fructum devotionis magis quam devotionem inquirens, ita in ea sicut in omnibus divitiis delectaretur. Appropinquante autem hora vocationis suæ cum graviter ægrotaret, et oleo infirmorum jam C inunctus esset, rogavit ut corpus ejus in præsenti lavaretur, et vestimentis in quibus sepeliendus erat indueretur. Fratribus vero causantibus novitatem, et facere differentibus, cum in sua petitione persisteret, tandem quod volebat obtinuit. Quo facto, circumstantibus **319** ait : « Revertimini unusquisque ad officia vestra, quia modo morturus non sum, sed die sequenti post prandium servitorum. In crastinum ergo eadem qua prædixerat hora cum jam ultimum spiritum traheret, convenerunt undique fratres ad muniendum exitum ejus. Tunc ille divino Spiritu illuminatus, exhilarata facie dixit : « En modo ingreditur beatus Joannes evangelista. » Et cum paululum reticuisset, iterum dixit : « Ecce nunc venit sancta Dei genitrix Maria. » Et post mo- D dicum intervallum denuo dixit : « Eia, fratres, ecce jam venit Dominus Jesus Christus. » Et cum hoc dixisset, illico cantare cœpit et imponere antiphonam illam dicens, *Subvenite*. Ac ita cantando spiritum reddidit.

CAPUT XXXIV.

Fratri cuidam cum morte luctanti apparet dæmon simiæ specie, ei illudentis, et panni frustum subinde lambentis, quod ille absque superioris licentia, detrito suo scapulari assumerat.

Quidam alius monachus cum ad horam ultimam devenisset, jamque loquendi officium amisisset, vidit immundum spiritum instar simiæ, sedentem in pertica, juxta parietem posita; ubi scapulare illius dependebat. Porro in ipso scapulari veteri et

Digitized by Google

dirupto, isdem frater modicam panni scissuram sine licentia nuper assuerat : quam ille spiritus impurus suaviter attrectans, et sæpe deosculans, etiam lingua lingebat, et manu palpabat. Quod cum ille videret, ingemuit ; et quia jam loquelam amiserat, protensione indicis indicando, **320** verbisque semirutis ac dimidiatis balbutiendo, quomodo poterat innuebat, ut derisorem pessimum amoverent. Illis vero mirantibus et diu percunctantibus quid diceret, aut quid intenderet, divina tandem miseratione recepit officium linguæ, et ait : « Nunquid non videtis illum dæmonem obscenum, sedentem in nostro scapulari, et ore spurcissimo lambentem pitatium illud, quod nuper in eo sine licentia consuere præsumpsi? Expellite ergo sceleratum, et tollite de indumento pitatium, ne mihi in finem calumniosus et impius iste derisor insultet. » Cumque omnes intente respicerent, et spiritum nequam quem ille conspicabatur, videre non possent, amoverunt scapulare de loco, et protinus abiit pessimus exprobator. Frater vero accepta pœnitentia rursus obmutuit, atque post paulum in bona confessione decessit.

CAPUT XXXV.

Monachus præ febrium æstu cucullam exutus, indutus est scapulare : quo in habitu cum esset mortuus, ejus animæ occlusa est paradisi janua, donec illa corpori suo reddita et cucullam poposcit, et pro ea abjecta pœnitentiam sibi injunctam accepit.

Frater quidam ægrotabat ad mortem, qui dum magnis febrium æstibus ureretur, ad revelationem ardoris exuta cuculla indutus est scapulari, et ita manendo spiritum exhalavit. Cumque post mortem ducerentur usque ad introitum paradisi, clausere portarii portam, ipsumque exclusere, dicentes : **321** Nunquid iste sine cuculla recipiendus erit in ordine vel requie monachorum? Repulsus itaque remanebat foris, pavibundus et trepidans, metuens nimirum damnationis audire et subire sententiam. Cumque ductores ejus pro illo rogarent, dicentes eum, excepto sermone hoc, virum exstitisse probabilem et sine querela inter alios conversantem, jussus est ad humana redire, acceptaque venia cum cuculla protinus remeare. Reversus vero ad corpus, cuncta quæ viderat indicavit, induensque cucullam, et accipiens pœnitentiam, in pace migravit. Constat ergo monachicum habitum, in quo et forma crucis exprimitur, si vita monachi teneatur, magnum mysterium continere.

CAPUT XXXVI.

De Abraham abbate Prateæ in Biturigibus, qui adhuc juvenis edoctus est nihil quidquam, ne minimum quidem absque licentia usurpare : Judæos ex fetore discrevit, atque, ob angelicam animi et corporis puritatem, ab ipsa Dei genitrice virgine Maria stupendis benevolentiæ argumentis cohonestatus est.

Piissimæ recordationis Abraham, Prateæ quondam abbas, qui, sicut aiunt, virginitatis florem largiente Christo servavit usque ad mortem, homo sanctissimus, ac singulari mansuetudine præditus fuit, jugumque Domini ab adolescentia usque ad finem vitæ portavit. Qui dum adhuc esset ætate pariter et religione novellus, modicam panni novi scissuram ad resarciendam **322** vestem in grabatulo suo sine licentia secrete recondidit. Sed cum eam post paululum requisisset, et reversato undique stratu minime reperisset, miratus abscessit, et remordente conscientia, furtivam rapinulam privata confessione quantocius delere curavit. Post modicum vero temporis, cum solus in coquina scutellas ablueret, ecce panniculus ille subito per aerem lapsus, et velut aliquo portante injectus est manibus ejus. Quem cum certissime recognosceret, et porrectis quaquaversum obtutibus, neminem neque sursum, neque deorsum aspiceret, manifeste comperit ab immundo spiritu furatum fuisse, sed post confessionem retineri non potuisse. Quin etiam animadvertit quam cavendum quamque timendum sit ab ejusmodi proprietatibus, quamvis minimis, eis qui puram atque perfectam paupertatis professi sunt vitam, cum etiam quædam sanctimonialis, ut legitur, propter exiguum sericum filum, quod sine licentia lectulo suo reposuerat, diaboli persenserit in morte calumniam.

Hic itaque vir bonus et pius, propter eximiam corporis et animi puritatem, multas a Domino atque sanctis ejus, præcipue vero a beatissima Dei genitrice recipere solitus erat consolationes, ita ut eadem sanctissima Regina aliquando apparens in visione, nonnulla sibi ventura signaret, post dulcissima piissimæ visitationis alloquia, pudicissimum sui oris osculum castis ejusdem labris stupenda dignatione imprimeret.

Quadam vero nocte videbatur sibi cum perfidis Judæis de Christiana religione disputando confligere Cumque diutius altercassent, subito tantus fetor ex eisdem **323** reprobis hominibus exhalans, nares ejus infecit, ut præ acerbitate teterrimi odoris evigilaret. Excusso autem somno, per plurimos postea dies sensit eamdem putoris immunditiam vigilando, quam antea senserat dormiendo. Non solum autem, verum etiam quoties Judæos alloqui, vel videre de proximo, quoties domos eorum introire, vel ante eas transire causa poscebat, toties eamdem pessimam exhalationem sentire solebat. Porro ista quæ de memorato viro retulimus, ipso nobis secretius indicante, cognovimus.

CAPUT XXXVII.

Monachus Fontenetensis in ultimo morbo mira quædam videt, et obitum suum prædicit, et divino splendore illustratur.

Apud Fontenetum, quod est Cisterciensis ordinis nobile monasterium, quidam eximiæ conversationis monachus in extremis agonizabat. Quodam vero die solemni, cum ad missam matutinalem omnes qui surgere poterant infirmi processissent, repente apparuit ei quædam persona splendido vultu et habitu reverenda : quæ accedens ad lectulum cujusdam al-

Digitized by Google

terius infirmi, adhortabatur eum plurimis verbis ut sequeretur se, introducendus ab ea in locum serenissimum, totius amœnitatis et gaudii plenum. Verum ægroto faciem obnubilante, et tardum tepidumque responsum ad ista reddente, sanctus ille contempsit et pertransiit. Accedensque ad monachum supradictum, **324** sermonem eumdem proposuit. Ille vero gratanter assurgens, atque ex omnibus medullis gratias agens, cum eum incontinenti subsequi vellet, nuntius ille cœlestis dedit ei mandatum, ut interim ita maneret, indicans etiam tempus et horam quo ad ipsum in proximo remearet. Cum ergo sanctus ille disparuisset, curavit isdem infirmus innotescere fratribus cuncta quæ viderat. Instante autem vespera, vocatis ad se servitoribus suis ait : « Præparate quæ mihi ad sepulturam necessaria sunt, quoniam in ista nocte migraturus sum. Verumtamen nolite circa me vigilare, neque solliciti sitis, quia ego vocabo vos opportune, cum tempus advenerit. » Profunda itaque nocte pausantibus universis, cœpit ille clamare, dicens : « Surgite et pulsate quantocius tabulam, quia jam tempus meum impletum est. » Contigit autem omnes illa hora infirmitorii exstinctas esse lucernas. Surgentes itaque fratres viderunt subito circa morientem, cum luna minime splenderet, tanti luminis splendorem, totam domum clarificantem, ut etiam in libro legere possent. Tandiu vero lux illa duravit, donec in multa mora lampades suecensæ essent, ita ut etiam plurimi de conventu qui priores advenerant, eam præsentem adhuc invenirent. Fratres vero videntes et audientes cuncta quæ acciderant, exhilarati et consolati valde, gratias Domino retulerunt, atque cum ingenti devotione sancti viri exsequias celebrarunt. Porro ille alius æger qui invitanti se nuntio cœlesti libenter acquiescere noluit, multo tempore post in ipso langore permansit, et usque ad mortem, de lectulo in quem descenderat non ascendit.

Hanc autem memorati fratris consummationem, sicut **325** eam a venerabili Hugone Flaviniacensi, quondam ejusdem Fonteneti priore audivi, fideli narratione perstrinxi. Et quoniam de eodem viro mentio incidit, placuit huic loco inserere quiddam, quod venerabilis Willelmus de Spiriaco, sancti Bernardi nepos et monachus prædicti cœnobii, nobis de eodem notificavit.

CAPUT XXXVIII.

Hugo prior Fontenetensis, magnæ religionis doctrinæque vir, ipso sancti Augustini festo die, prout optaverat, sancte moritur, ejusque felix anima, occurrente cum cœlitibus aliis sancto Augustino, in cœlum deducitur.

Erat igitur iste præfatus Hugo vir sapiens et bene morigeratus, religione fervens, virtutum gratia pollens, litterarum scientia præminens, qui dum esset omnium divinorum eloquiorum assiduus investigator, præcipue tamen librorum sancti Augustini erat ardentissimus amator, ita ut eumdem sanctum miro affectu excoleret, et propter specialem quam circa illum habebat devotionem, in ejus festivitate, ut sæpius fatebatur, mori desideraret. Verum divina clementia, quæ pia sanctorum vota et aspirando prævenit et adjuvando prosequitur, hunc famulum suum desiderii sui compotem fecit, quia in ipsa beati Augustini festivitate, sicut præoptaverat, eam feliciter quam fideliter e mundo migravit. Facta est autem in ipsa nocte hujusmodi revelatio cuidam ipsius monasterii monacho religioso. Vidit enim processionem candidatorum de cœlo **326** venientium, ecclesiam introire, et circa corpus quod ibidem more solito servabatur, assistere. Porro unus ex illis statura procerus, vultu et veste gloriosus atque præfulgidus, accessit ad monachum illum, et cœpit cum eo loqui. Ille vero percunctabatur ab eo qui essent, et cujus rei gratia advenissent. Cui sanctus ita respondit : « Isti quos vides, angeli Dei sunt, et alii sancti. Ego vero Augustinus episcopus Hipponensis. Nostri quoque adventus est causa, ut animam hujus fratris deducamus ad sidera nobiscum. » Expleta autem revelatione lætatus est videns, et glorificavit Deum, ipsumque præsulem benedictum, intelligens nimirum ac sciens quia vere honorabilis et gloriosus apparet in conspectu Dei, ille sacerdos magnus, ille doctorum Ecclesiæ doctor illustris, et excelsus in verbo gloriæ Augustinus, qui devotum sibi famulum, in die festivitatis ejus assumptum, sicut in vita fovere non desiit, ita in morte succurrere et secum ad gloriam perducere non tardavit.

CAPUT XXXIX.

Pii sacerdotis, in Albæripæ monasterio novitii felix obitus, cœlestibus aliquot oraculis commendatur.

Sacerdos quidam venerabilis, et vitæ honestate insignis, cum esset homo castus, et sobrius, et timoratus, operibusque pietatis semper intentus; majoris tamen puritatis obtinendæ gratia domui Albæripæ se reddidit, multumque desiderabat, suscepto habitu, fratrum collegio sociari. Verum ejusdem monasterii abbas, **327** sciens eum virum justum atque perfectum, cum esset valde necessarius cuidam sanctimonialium feminarum monasterio, in illa vicinia constituto, quibus ipse fideliter ministrando etiam divina mysteria celebrabat, dilata ejus susceptione, multis precibus, licet invitum, in ipso officio detinebat. Qui dum se molestia corporis quadam vice gravari conspiceret, prædictum Albæripæ monasterium festinanter expetiit, susceptusque ad probationem, infra dies paucos Domino vocante migravit. Et dum in extremis laboraret duobus religiosis ejusdem loci fratribus ostensa est una eademque revelatio talis in ipsa nocte, uno illorum de altero funditus ignorante.

Viderunt ergo beatorum spirituum turmam immenso jubare coruscantem, et dulci melodia suaviter concinentem, de cœlo descendere, atque per ampliorem frontis illius ecclesiæ fenestram intrare. Qui venientes in chorum monachorum,

Digitized by Google

defuncti corporis quod ibi jacere videbatur, animam Domino solemni officio commendabant, et divinæ præconia laudis usque ad cœlum canoris vocibus attollebant. Cum igitur prædicti monachi hujusmodi visionem cernerent, pulsata est tabula pro illo novitio moriente, jamjamque flatum ultimum emittente. Surrexerunt itaque fratres, ut fratris exitum suis orationibus communirent. Facta autem commendatione, et posito in ecclesia corpore, unus ex duobus qui supradictam revelationem acceperant, affectus magna devotione, remansit ad vigilias cum aliis quibusdam, qui ad ipsum fuerant deputati; alter vero in dormitorium rediens, ac sese recollocans iterum obdormivit. Et ecce quædam persona reverentissima apparuit **328** illi, minaciter arguens somnolentum, et dicens : « Usquequo dormies, piger? En sancti angeli de cœlo venientes circa defunctum fratrem excubias observant, nec non et socius tuus cum aliis vigilando et psallendo, funeri assistit; et tu miser in lectulo tuo stertis, atque inerti sopore deprimeris. » Tunc ille exterritus a voce exprobrantis et increpantis, evigilavit, et exsiliens de lecto, citius in oratorium venit, et psallentibus circa defunctum celeriter se adjunxit.

In crastinum autem cum utramque visionem abbati retulisset, mirabantur uterque quinam poterat esse socius ille, qui dictus fuerat cum aliis vigilare. Post modicum vero cum ille alius frater visionem quam viderat revelasset, cognoverunt quia ipse fuerat, qui socii nomine fuerat designatus; pro eo scilicet quod ad intuendam fratris illius glorificationem, cum altero fuisset admissus; ut in ore duorum testium staret, et credibile fieret istiusmodi verbum.

CAPUT XL.

In monasterio Fontis Mauriniaci, diœcesis Bituricensis, Robertus monachus, de beata morte quam quinto post die obiturus erat, divinitus prænonetur.

In domo Fontis Mauriniaci, frater quidam habitabat, nomine Robertus, qui illuc a Claravalle fuerat missus. Hic itaque vidit in visione Dominum Jesum Christum, et beatissimam ejus Genitricem, cum beato Bernardo abbate stantes in quodam horto **329** deliciarum; cujus amœnitatis et gloriæ tanta erat immensitas, ut locutione explicari non valeat. Ipse vero eminus stabat, et respectum divinæ miserationis medullitus flagitabat. Tunc piissima mater ait ad filium suum : « Domine fili, quid facturus es de isto paupere tuo? » Et Dominus ad eam : « Quidquid tibi placuerit, mater. » At illa respondit : « Volo igitur ut mittas eum in requiem tuam. » Dixit autem Dominus ad eam : « Fiat ei sicut vis. » Respondit ei beatissima Virgo : « Et quando fiet istud? » Dicit ad eam Dominus : « Quinta die veniat, et salvetur. » Transacta itaque visione, frater ille, quæ viderat et audierat, cæteris indicavit; et ingravescente ægritudine quam antea tolerabat, quinta die, juxta sermonem Domini, migravit a corpore, et intravit in requiem quam optabat. Huic autem fratres testimonium perhibebant quod homo religiosus et filius pacis erat, et quia dignus existimabatur, qui in gaudium Domini esset introducendus.

CAPUT XLI.

Margareta Audomarensis, eximiæ formæ puella, ut nuptias vitaret, admirando sed non imitabili facinore, nasi pirulam cum superiore labro sibimet abscidit.

Puella quædam venerabilis, nomine Margareta, prudens ac speciosa nimis, nata de Sancto Audomaro in Flandria, cum a parentibus cogeretur ad nuptias, pertinaci animo recusabat, testificans illis sese nunquam alicui nisi Christo nubere posse. **330** Illi autem e contra modis omnibus insistebant, et quia preces ac suadelas eorum non recipiebat, vim inferre parabant. Jamque desponsationis dies advenerat, et præsentibus procis, ipsoque juvene qui jugum matrimonii cum ea ducere cupiebat, puella de consensu requiritur. Illa vero penitus recusante, comminationes et verba gravia sibi a parentibus intentantur. Interim vero dum illi super hujusmodi responsione turbantur, et vanis inter se consiliis occupantur, virgo zelantis affectu pudori suo providens et pulchritudini propriæ velut hosti pudicitiæ invidens, in conclavi se recepit, arreptoque chalybe limato et acuminato, quem sibi paraverat, pirulam nasi sui cum superiori labro potenti dextra radicitus abscidit. Introgressis vero parentibus ad eam, labrum et nasum quibus se mutilaverat obtulit, et quasi his verbis allocuta est, dicens : « En florida forma, en quod magis in me placebat. Tollite nunc, si vultis, et novo ferte marito. » Illi ergo cum talia cernerent, subito exclamantes, efferatisque planctibus omnia perturbantes, nimio dolore conterebrati et pene exanimati sunt. Sponsus vero, qui putabatur, et qui cum eo advenerant, mœsti atque confusi ad propria remearunt.

Igitur pater et mater magnam sibi ignominiam arbitrantes deturpatæ filiæ sustinere conspectum atque convictum, remotam a contubernio suo, seorsum in alio domicilio quod pauperum hospitali dicaverant, manere jusserunt. At vero puella, contemptu suo gaudens, Christi passiones et opprobria sitiens, non tantum cohabitare mendicis æquanimiter tulit, verum etiam infirmorum atque languentium pedissequam humilem ac servam sese **331** alacriter obtulit. Erat ergo sollicita semper moribundis assistere, præparare cibos, reparare lectos, læsiones et vulnera confovere, ulcera tergere, sordes abluere, nullumque misericordiæ ministerium præterire.

His ita triennio fere peractis, ne quid illi deesset in omni patientia et plenitudine meritorum, dispensante Domino percussa est ulcere lepræ, juxta desiderium suum. Quod cum multi adverterent, et nullus ei diceret dum eam molestare metuerent, mater

Digitized by Google

in partem filiam traxit, et luridæ tabis apparitionem innotuit. Quod cum illa audiret, tanta protinus exsultatione corripitur, ut pene defectum cordis incurreret, et quasi repente vidisset cœlestem sibi januam aperiri, erupit in vocem jubilationis, et exclamans cum lacrymis, ait: « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia memor es mei. Et nunc, Domine, fecisti mihi signum in bono, in quo certissimum tuæ miserationis argumentum accipio. » Egressa itaque a communi consortio hominum, ingressaque conventum leprosorum, ita se coram omnibus humiliabat, ut sola ibidem leprosa putaretur, ita omnibus serviebat, ut sola incolumis videretur. Mirabantur omnes in ea singularem humilitatem atque patientiam, omnes in ea venerabantur excellentissimam sanctitatem, multumque de ejus contubernio exsultabant, quia Christum in ea habitare non dubitabant.

Transacto itaque anno separationis suæ, placuit Altissimo devotam sibi famulam cœlesti conventui sociare; qui etiam dignatus est ei per Spiritum sanctum resolutionis suæ tempus signare. Quadam itaque die cum ad eam visitandi gratia mater advenisset, et revertentem, longe **332** aliquantum a suo domicilio ipsa deduceret, tandem valefecit, et ait : « Vade in pace, mater, et ora pro me, quia jam amplius non videbis faciem meam viventis in carne. » Mater tamen hæc audiens, non satis fidem adhibuit, eo quod cerneret eam solito alacriorem, et nullum proximæ mortis indicium præferentem. Post modicum vero temporis, cum repentino incommodo ad mortem gravaretur, percepto viatico Dominici sacramenti, in sancta confessione spiritum emisit. Mater vero, sicut ipsa prædixerat, quamvis non longe maneret, ad horam exitus ejus occurrere non valuit. Nos vero ista dicentes, indiscretam fortassis puellæ vehementiam, qua sibi manus injecit, non ita approbamus, ut imitabilem cæteris proponamus, sed ardentissimum divini amoris affectum et tuendæ pudicitiæ zelum in adolescentula virgine satis superque miramur et veneramur.

CAPUT XLII.

De sanctimoniali, quæ oculos miro decore radiantes ipsa sibi exculpsit, ut pudori suo consuleret. Guillelmi Anglorum regis nequitia et infelix exitus.

Quidam Anglorum rex, nomine Willelmus, homo carnalis et libidinosus multum opprimebat Ecclesias quæ erant in terra ditionis suæ. Facta est autem revelatio hujusmodi cuidam monacho, eximiæ sanctitatis viro. Vidit ergo Dominum Jesum Christum in throno sedentem, et sanctorum multitudinem de rege conquerentem eo quod illorum Ecclesias **333** in exterminium traderet. Respondens vero Dominus ait: « Usque ad dies triginta dabitur ei spatium emendandi; et si interim non correxerit, tunc demum subeat pœnas debitæ ultionis. » Finita autem revelatione, festinavit ille vir sanctus hæc eadem regi insinuare. Quæ audire contempsit, et sanguini sanguinem addere non cessavit.

Post paucos itaque dies intravit idem rex in monasterium virginum, in quo puellam elegantissimam esse fama præconante compererat : quæ cum totius corporis florida venustate polleret, majoris tamen pulchritudinis gratia in oculis apparebat, qui veluti duo carbunculi in ejus facie radiabant. Visa itaque puella, captus est tyrannus in oculis ejus; et sacrilego amore lasciviens, præcepit abbatissæ ut eam sibi ad lectum suum faceret in nocte præsentari. Alioquin minabatur sese illam violenter accipere, et totum perinde monasterium dilapidare. Quo audito, mater spiritalis ingemuit, et cor ejus conturbatum est valde, cernens utrobique discrimen gravissimum imminere, si vel furibundi tyranni sævitiam in excidium suæ domus incurreret, vel sponsam Domini (quod nefarium est) lenocinanti adultero prostitueret. Cumque turbationis suæ causam prædictæ virgini pallens et pavibunda delegeret, illa divino Spiritu inflammata respondit : « Æquo animo esto, domina mater, et noli turbari; sed omne negotium istud committe secura Deo et mihi. Tantummodo cura principi nuntiare me esse paratam, ut ad ipsius lectum facto vespere veniam. » Quid multa? Introducitur virgo generosa in thalamum adornatum, et regis interim ibidem sola præstolatur ingressum. Tunc animata virtute mirabili, effossorium quod sibi jam paraverat **334** arripit, et proprios inde oculos eruens, in disco reponit. Advenienti itaque regi novum atque inopinatum spectaculum præsentavit, et dixit : « Eia, domine mi rex, ecce micantes gemmæ, quas ad injuriam Christi in ejus ancillula tanto desiderio concupisti. Intuere diligenter, et vide, utrumne aliquando poteris tanta pulchritudine satiari. » Videns itaque rex puellam sacram, defossis orbibus ita deformem atque cruentatam, vehementer exhorruit; et statim ab ea resiliens, cum grandi confusione recessit.

Legitur in Anglorum Gestis de illo rege profano quod parvo tempore ante ipsius mortem multa in regno ejus adversa contigerint, multaque de ejus interitu visa atque prædicta fuerint. Hoc maxime horrendum quod visibiliter diabolus apparuit hominibus in saltibus deviis, transeuntes allocutus. Præterea in pago Bervesciræ, in villa Hanstedæ, continuis quindecim diebus fons sanguinem tam ubertim manavit, ut vicinum vadum inficeret. Audiebat hæc ille, et garriebat; nec sua somnia de se, nec aliorum visa curans. Edinerus nobilis historicus dicit sanctum Anselmum, quem idem rex exsulaverat, Marcenniacum venisse, ut beati Hugonis Cluniacensis conscientiæ querelas curarum suarum ingereret. Ibi cum de rege Willelmo sermo volutaretur, præfatum dixisse abbatem, proxima nocte regem illum ante Deum ductum et judicatum, librato judicio, tristem damnationis subiisse sententiam. Id quomodo nosset, nec ipse tunc exposuit, nec aliquis audientium requisivit.

Digitized by Google

335 CAPUT XLIII.

In Fontanis, monasterio de ordine Fontis Ebraldi, monialis, sociæ post mortem apparens, magna quiete se potiri testata est, nondum tamen Dei conspectu frui, donec illa certo quem designavit die se illi adjunxisset, ut ambæ pariter in gloriam reciperentur.

In monasterio sacrarum virginum de ordine Fontis Ebraldi, quod Fontanæ dicitur, duæ sacræ virgines fere a cunabulis collocatæ, Christo nutriebantur. Quarum una migrans a corpore, post paucos dies viventi apparuit, dicens : « Notum tibi facio, dilecta mi soror, quia magna quiete jam potior : sed tamen ad videndam faciem Domini non potero sine te introduci. Præpara ergo te, et veni quantocius ut simul Domino præsentemur. » Prædixit autem ei et tempus obitus sui, quo ipsa demum vitam finivit.

CAPUT XLIV.

De Maria, Carmensis monasterii puella, quæ primum in ægrotis omni ope juvandis diligentissima, exinde paralytica, tum lumine prophetico, tum aliis sanctarum animarum præclaris dotibus ac privilegiis et in morbo, et in obitu illustris fuit.

In pago Suessionensi constat esse cœnobium, quod dicitur Carmus, de dicto ordine Fontis Ebraldi, plenum virginibus sacris. Erat ibi puella sanctissima, nomine Maria, quæ novennis ingressa monasterium, 336 decemnovennalis ætate migravit ad Dominum. Hæc vero plurimis annis infirmantium obsequio deputata, tanta devotione ac sedulitate omnibus serviebat, ut jugem illius instantiam atque fervorem cunctæ mirarentur. Ad ultimum vero dispensante Domino, ne quid ei deesset ad meritum, paralysim incurrens, diutissime languit, ita ut omni membrorum officio destituta, non modo de grabatulo surgere nequiret, sed nec pedem, nec manum erigere, nec fauces ad manducandum movere valeret. Proinde parabantur ei apparatæ sorbitiunculæ de farina, et ex quibusdam coctionibus liquamina suppurata ad glutiendum magis quam ad comedendum. Porro secundum multitudinem dolorum, quos in corpore patiebatur, multas consolationes in corde suscipiebat, multaque illi divinitus revelabantur, quadam siquidem vice vocavit infirmariam suam, et ait illi : « Vade, obsecro, et dic illi sorori nostræ dilectæ, ut oret attentius pro matre sua, quia modo defuncta est, ejusque suffragiis opus habet. Quod cum illa, nuntiante infirmaria, didicisset, commota sunt viscera ejus super obitu matris, et conversa ad orationem, cæteras quoque sorores, ut secum pro ea intercederent, invitavit. missoque celeriter nuntio, tandem agnovit quia die et hora qua prædictum fuerat, mater ejus de mundo migraverit.

Factum est autem aliquando ut nocte profunda quiescentibus universis, una de sororibus, in diversorio ubi infirma jacebat, colloquentium ad invicem tumultum audiret : unde mirata surrexit et venit, exploratura quid esset. Cumque silenter accederet, vidit eumdem locum immenso lumine coruscantem, et amota paululum cortina 337 quæ ibi dependebat, conspicata est eamdem languidam, in sella residentem, quod nunquam facere solebat. Lectus vero ejus erat in omni diligentia de novo reparatus. Quod illa comperiens illico perterrita rediit, et vocans infirmarias ad videndum quod viderat adduxit. Quæ cum simul advenissent, invenerunt ægrotam lecto repositam, et diligentissime coopertam. In crastinum autem cum precibus et præceptis multum coacta fuisset, confessa est tandem duas ex sororibus monasterii antea defunctas, quarum nomina indicabat, ad se visitandam cœlitus fuisse transmissas; quæ universum stratum ejus versando refecerunt, et verbis consolatoriis afflictam relevarunt.

Igitur ancilla Christi, cum tam diuturno languore fuisset exhausta, tandem morte consumpta, collecta est ad populum suum. Porro eadem die qua de mundo transivit, facta est hujusmodi revelatio spirituali et sanctæ cuidam de sororibus illis. Vidit enim beatissimam Dei genitricem in eamdem domum descendere, et duas de sanctimonialibus ipsius monasterii jampridem defunctis cum ea advenire. Quas cum ipsa recognosceret, percunctata est de illa tam venerabili Domina quænam esset, et cujus rei gratia adventasset. Illæ autem respondentes, dixerunt : « Ipsa est domina nostra, Regina cœlorum, quæ modo dignata est venire ad festivitatem magnam, hic intus hodie celebrandam, qua major in ecclesia ista non accidit a multis retro diebus et annis. »

LIBER TERTIUS.

338 CAPUT PRIMUM.

Pontio monacho (qui postmodum et abbas, et episcopus fuit) apparens post obitum quidam Grandissilvæ monachus, magnæ vir perfectionis, mira quædam nonnulla ei de statu suo revelat.

In domo Grandissilvæ, quæ una est de filiabus Clarævallis, in partibus Tolosanis, constat ab initio multos fuisse spirituales et magni meriti viros; de quorum numero venerabilis et sanctus Pater Pontius exstat, qui prius existens abbas ejusdem loci, et postmodum Clarevallensis, modo est episcopus Clarimontis. Ipso autem referente cognovimus omnia fere quæ de eadem domo subjungimus. Erat ergo ibidem monachus quidam magister novitiorum, vir sanctitatis eximiæ, magnum habens desiderium dissolvi, et esse cum Christo. Hic ergo in Cœna

Digitized by Google

Domini sancta communione percepta, 339 cum adhuc eamdem eucharistiam in ore teneret, facta est magna exsultatio Dei in gutture ejus, et nimio perurgente desiderio, petivit animæ suæ ut moreretur : et admovens gutturi suo digitum, hujusmodi orationem fudit ad Dominum : « Christe Salvator omnipotens, si tibi non displicet ista petitio mea, precor et supplico ut per meatum gutturis hujus non transeat amodo terrenus aliquis cibus. » Facta autem oratione viribus corporis cœpit repente destitui, et die tertia, Sabbato Paschæ, in Domino obdormivit. Porro prædictus episcopus, tunc ejusdem monasterii monachus, qui eum unice diligebat, et infirmanti ac morienti sedulum ministerium devotus impendebat, percunctatus est eum utrum corporali molestia graviter premeretur. Ille vero respondit se placidum ac tranquillum existere, et nihil sentire molestum, nisi tantum in gutture ubi digitum apposuerat, ibi se aliquantisper dolere dicebat. Tunc rogavit eum attentius ut post mortem ad se reverteretur, si ei licitum esset, et de iis quæ circa se gererentur eum certificaret. Post paucos itaque dies rediit ad virum prædictum ille defunctus, magna claritate refulgens, et quasi cristallus, aut vitrum purissimum, toto corpore translucens. Dixit ergo ad eum : « Notum tibi facio, charissime, quia miserante Domino susceptus sum in magna beatitudine. Corpus vero istud, in quo me conspicis, collatum est mihi usque ad diem regenerationis, qua proprium recuperabo, incomparabili gloria præstantius atque præclarius isto. In hoc autem interim suavissime requiesco, quod per omnia mihi accommodum, et ita translucidum est, ut de singulis artubus, ac de cunctis partibus ejus, quasi de oculis, 340 clarissime cernam, et totum undique corpus ita mihi sit, ac si esset oculus unus. » Apparebat autem in ejusdem mortui pede cujusdam obscuritas maculæ, de qua et dixit : « Macula ista quam cernis, contracta est a me per negligentiam meam, eo videlicet quod ad laborem quotidianum aliquando segniter incedere solebam. » Hæc et alia multum miranda prædicto episcopo vir beatus innotuit, tandemque ab eo recedens, magnifice ædificatum consolatumque dimisit.

CAPUT II.

Quidam a mortuis redivivus inter alia dixit, a beatissima Dei genitrice virgine Maria Grandissilvæ monasterium ter diebus singulis visitari.

Umbertus Pictavensis, monachus Grandissilvæ, vir venerandæ humilitatis et sanctimoniæ, solitus erat narrare quia, dum esset in quodam loco qui eidem monasterio subjacebat, vir quidam sæcularis, laicus, et honestæ conversationis, cum mortis ægritudinem incurrisset, ob fidei devotionem ad eumdem locum deferri se fecerit. Qui languore ingravescente defunctus, et non multo post vitæ restitutus, multa quæ viderat enarravit. Hoc unum vero quod præcipuum est inter alia dixit, quod scilicet beata Dei genitrix prædictum monasterium tribus vicibus in die visitaret, hoc est tempore vigiliarum, missarum et Completorii.

341 CAPUT III.

Monachus Grandissilvæ in vigiliis dormitans, de choro extrahitur.

Erat in eodem cœnobio vir quidam spiritualis, et magna gratia præditus, qui dum staret aliquando ad psallendum cum aliis in choro, gravi somnolentia premebatur. Astitit autem ei quædam reverenda persona, cujus vultum non agnoscebat; et excitans dormitantem, apprehendit eum per vestimentum a parte pectorali, et de choro extraxit. Qui dum traheretur, aperiens oculos, et videns eum, dixit : « Quis es, Domine, et cur ita me trahis? » Ille autem respondit : « Et tu, cur ita dormis? Ad dormiendum, an ad vigilandum ad vigilias surrexisti? » Et cum hoc dixisset, dimisit eum, et statim evanuit. Ipse vero in timore Domini excutiens a seipso somnum torporis et negligentiæ, curavit deinceps ad vigilandum cautior et promptior esse.

CAPUT IV.

Ignavus quidam et ad vigilias somnolentus monachus exterretur a dæmonibus.

Alius quoque fuit in ipso monasterio monachus, nomine B., qui dum juvenili ac vegeto corpore robustus appareret, tamen remissius cæteris agebat, exhibens se ad opus manuum pigrum, atque ad vigilias somnolentum : unde etiam contubernalibus suis erat onerosus, et ubique de inertia notabatur, præsertim 342 in ecclesia, ubi negligentior inveniebatur. Quadam itaque nocte, cum eum dormientem ad vigilias præcentor monasterii solito severius excitasset, ille commoto animo surrexit, atque in dormitorium perrexit. Cumque ad necessaria domum accederet, ecce ad ostium [dæmonum turbo, cum ingenti strepitu et terrore adversus eum clamans, et crebris vocibus iterans : « Apprehendite, apprehendite illum. » Quo audito, totus inhorruit, et fugam festinanter arripiens, rapido cursu in ecclesiam rediit. Cumque venisset ad stallum suum, tremebundus atque anhelus, illico defectum cordis incurrit, et corruens in terram sine motu et sensu, diutius velut exanimis jacuit. Sublatus autem in infirmitorium, cum ab illo terrore aliquantulum respirasset, percunctantibus fratribus indicavit quid sibi accidisset. Tali ergo divinæ castigationis stimulo frater ille salubriter excitatus, curavit deinceps circa custodiam sui vigilantior ac promptior inveniri. Porro novitius quidam, cum tunc in oratorio esset, eumdem dæmonum strepitum et clamorem se audisse testatus est. Hoc nobis retulit Rogerius, vir venerabilis et religiosus, ejusdem monasterii superior, qui præsens interfuerat, et juxta eumdem fratrem in choro manebat.

343 CAPUT V.

In Grandisilva multi monachi, brevi tempore, letifero morbo sublati, optimam se habere in cœlis repositam gratiam demonstrant.

Facta est aliquando in eodem monasterio morta-

Digitized by Google

litas magna, ita ut infra duos menses quadraginta circiter et quinque fratres de medio tollerentur. Qui omnes fere cum tanto pietatis desiderio dormitionem accipiebant, quasi jam cœlitus prævidissent optimam se habere repositam gratiam. Et multi quidem ex eis præviderunt, et prævisam accipere meruerunt, Quibus verbis ut fidem faciamus, exempli gratia pauca de plurimis referemus.

CAPUT VI.

Moriens monachus in Grandisilva, præparatam sibi gloriam prægustat, hominum omnium merita transcendentem.

Erat ergo tunc ibidem quidam monachus probatissimæ conversationis, qui in illa mortalitate defunctus est. Hic itaque cum ad horam ultimam devenisset, pulsata est tabula post Completorium, et convenere fratres ad ejus exitum muniendum. Cantantibus autem monachis circa illum Litaniam et psalmos; et ipse confortatus a Domino, voce qua poterat, cum aliis psallebat. Explicita vero psalmodia, prædictus abbas Pontius conventum jussit abire, eo quod infirmum **344** psallentem aspiceret, et putaret eum adhuc aliquandiu spiritum trahere. Quod cum frater ille vidisset, protensa manu signavit abbati ut faceret eos ibidem adhuc subsistere paululum, quia sciebat sese ad punctum in modico migraturum. Cernens itaque abbas ferventissimum virum, quia propter regularis disciplinæ censuram, post Completorium etiam in mortis articulo silentium frangere nollet, præ gaudio sese continere non potuit, sed rupto ipse silentio, et præmisso *Benedicite* ait : « Obsecro, dulcissime frater, quia video Dominum esse tecum, ut indices nobis si tibi revelatum est aliquid de illa beata spe quam exspectas, ut et nos valeamus in Domino respirare, et tibi pariter congaudere. » Tunc isdem infirmus ait : « Ut ad ea quæ poscitis respondeam breviter, sciatis me vidisse quæ loqui non licet. Verumtamen hoc unum dicere possum, quod si omnium hominum merita solus ego transcenderem, necdum utique dignus existerem ad futuram gloriam quæ præparata et præmonstrata est mihi jamjamque abituro. » Et cum hoc dixisset obdormivit in Domino.

CAPUT VII.

Duorum in Grandisilva defunctorum apparitio, pro superstitum salute.

Alius quidam laicus frater eodem tempore ibidem ægrotabat, qui moriendi desiderio tractus, jam per triduum sine cibo permanserat. Quidam autem venerabilis et honestæ conversationis monachus **345** ibidem similiter in extremis agonizabat, qui ejusdem, ni fallor, monasterii cellerarius erat. Hic itaque cum jam spiritum emisisset, prædictus Stephanus ait infirmario suo : « Præpara mihi refectionem, dilecte mi frater, quia comedere me oportet. Siquidem cellerarius noster modo huc adveniens, et de immoderata jejunatione me arguens, præcepit ut comedam. » Infirmarius vero respondit : « Quid est, frater, quod loqueris? Cellerarius modo defunctus est, et tu dicis quia venit ad te, et jussit ut ederes. » Respondit infirmus : « Crede mihi, frater, quia venit ad me; et jam non est mortuus, sed mortem evasit, et vivit in melius. Modo enim cum a me recederet, vidi illum intrantem in magni luminis claritatem, cujus radios fulgurantes reverberatis obtutibus intueri non prævalebam. » Parata itaque refectione frater ille comedit, et post modicum tempus in sancta confessione spiritum exhalavit.

Huic autem morienti prædictus infirmarius supplicans postulavit ut receptus in gloria pro se oraret, et sibi celerem commeatum a Domino impetraret. Ille vero respondit suum ei non defuturum auxilium, dummodo liceret. Evolutis autem paucis diebus, apparuit eidem infirmario per visionem, et dixit : « En ego in pace receptus a Domino, jam nunc revertor ad te, opem laturus ex debito promissionis meæ, non tamen illam quam incaute petiisti, sed quam tibi potius expedire cognovi. Recordare ergo quia, dum adhuc esses in sæculo, illud tale piaculum commisisti, de quo necdum per confessionem absolvi meruisti. Confitere igitur, et pœnitentiam age celeriter, quia si ante obitum per confessionem deletum non fuerit, post mortem insolubile permanebit. » Evigilans **346** itaque frater, reduxit ad mentem illud grave delictum quod ante duodecim annos perpetrarat, sed ab ipsius memoria letali oblivione funditus abolitum erat. Acceleravit igitur confitendo et satisfaciendo liberari, et gratias agens Deo, manifeste cognovit quia non frustra sanctorum suffragia expetuntur, nec parvipendendum est confessionis sacramentum, sine quo etiam tales ignorantiæ taliter imputantur.

CAPUT VIII

B. infirmarius pauperum, vir religiosissimus, videt paulo ante mortem Christum ipsum Dominum, et locum sibi in cœlo præparatum.

Frater quidam religiosissimus in eodem tunc cœnobio degebat, nomine B. Hic in primordio conversionis suæ dum peccatorum suorum magnitudinem, et districti Judicis æquitatem attentius intueretur, tanta formidine motus est ut in desperationem propemodum laberetur. Quo comperto, præfatus abbas exemplis et monitis multis ei persuadere conabatur, quia confessus et pœnitens quilibet, et quantumlibet reus, nunquam indulgentia privaretur. Et cum necdum ei hoc modo satisfacere posset, adjecit, et ait : « Ego salutis tuæ fidejussorem me constituo, et anima mea pro tua requiratur, dummodo obediens perseveres in ordine isto. » Hac ergo promissione frater ille magnifice roboratus, spiritum diffidentiæ a quo impugnabatur penitus expugnavit; et exsultans Domino cum tremore, misericordiam et **347** judicium cantare deinceps consuevit. Qui cum esset nobilis genere, nullam tamen generositatem arbitrabatur nisi pro Christo pauperem fieri, et servire pauperibus. Erat enim infirmarius pauperum in hospitio deputatus. Qui-

Digitized by Google

bus officiosissime superintendens, non sicut extraneis et mendicantibus serviebat, sed tanquam dominis suis, et tanquam membris Filii Dei. Si quem in eis morbidum, si quem ulcerosum, et vermibus scaturientem aspiceret, huic omnem pietatis operam impendens, abluendo, tergendo, atque refocillando, quasi mater ægrotanti filio jugiter assistebat.

Dum hæc et similia Dei famulus agere non cessaret, contigit eum in prædicta mortalitate migrare ad Dominum. Qui cum videret socios suos quotidie subtrahi, et ipse desiderabat desiderio magno dissolvi, et esse similiter cum Christo. Oborta vero febricula quadam, cum tenuiter ægrotare cœpisset, lecto decubuit. Cumque prædictus abbas introisset ad visitandum illum, mirabatur quod homo tam ferventissimus tam levi occasione lecto detineretur. Unde et subridens aiebat : « Ne timeas, frater B., quia modo non morieris, sed adhuc comesurus es nobiscum de fabis et oleribus nostris. » Ipse vero respondit : « Non timeo, Pater, non timeo, sed confido in Domino, quia minime jam fraudabor a desiderio meo. » Quid multa? febre crescente inunctus est oleo sancto. Inunctione facta factus est statim in spiritu, et raptus in contemplatione per multum temporis spatium jacuit sine sensu et sine motu, ita ut pene mortuo similis videretur. Interim ergo aperti sunt ei cœli, et revelata facie meruit videre gloriam Dei, adeo ut dicere posset : « Vidi **348** Dominum facie ad faciem. » Qui cum ad se reversus esset, interrogavit eum abbas quomodo se haberet. « Bene mihi est, inquit, bene sit et tibi. Et nunc, charissime Pater, absolvo te a debito sponsionis tuæ. » Abbas autem pristinæ illius obligationis oblitus, nesciebat quid loqueretur. Tunc frater expressius commonefecit eum, et ait : « Ergone excidit tibi quemadmodum olim salutis meæ responsalem te constituisti? Ab illa igitur fidejussione securum te facio, quia de mea salvatione per misericordiam Christi securus existo. » Tunc abbas sollicite cœpit ab eo indagare quonam modo id potuisset agnoscere. Quod cum modis omnibus dicere recusaret, tandem constrictus ab illo præceptis et precibus multis, ista tandem effatus est : « Quia virtus obedientiæ veritatem silere me prohibet, rem dicturus sum vobis, cui fortasse fidem dubiam adhibebitis. Sed ut testimonium hoc credibile faciam, scitote quia cum fine dicti etiam finem vitæ accipiam. Noverit ergo dilectio vestra me, licet miserum et indignum, Domino et Salvatori nostro fuisse præsentatum, et vidisse illum facie ad faciem; non tamen in sua divinitate, sed tantum in illa beatissima humilitatis forma, quam dignatus est pro nobis assumere. Ex cujus etiam sacratissimo ore audivi quia omnes qui obedientes in isto ordine usque ad mortem perseverabunt, salutem æternam ab ipso sunt consecuturi. Fratres etiam nostros, qui de hac vita migraverunt, in magna beatitudine pausantes aspexi; et meum ipsius locum quem cum ipsis sortiturus sum, Domino miserante prævidi. » Cum ergo ista dixisset, obmutuit, statimque felicem animam reddidit.

349 CAPUT IX.

Gaufridus Sorensis episcopus, cum adhuc monachus esset in Claravalle, vidit cœlestium ordinum solemnem supplicationem, in valetudinarium tendentem : qui Tecelini venerandi senis ac sacerdotis animæ egressum munisse creditu sunt.

Venerabilis et sanctæ memoriæ Gaufridus, quondam Sorensis Ecclesiæ, quæ est in Sardinia, pontifex, et monachus Clarevallensis, antequam ad episcopatum promoveretur, cum esset aliquando in choro ejusdem cœnobii, visionem hujusmodi, sicut ab eo secrete accepimus, beatis oculis videre meruit. Erat ergo processio sanctorum splendida atque B gloriosa, quæ a parte septentrionali basilicæ, quasi de cœmeterio veniens, et coram presbyterio transiens, recto itinere ad infirmitorium tendebat. Porro in ipsa processione acolyti, subdiacones, diacones atque presbyteri apparebant, qui per singulos ordines septeni atque septeni dispositi, alii ante alios ordine congruo incedebant. Acolyti vero stolis albis amicti, singulos cereos manibus præferebant, qui tamen ignei magis quam cerei esse parebant. Verum subdiacones tunicæ pretiosæ, diacones dalmaticæ fulgidæ decorabant, ipsosque presbyteros planetæ olosericæ insigniter adornabant : qui etiam singuli congrua ministerii sui vasa manibus bajulabant. Veniebat quoque post eos copiosa turba candidatorum, ordinate similiter, et cum reverentia. C Ad ultimum vero gloriosa Dei genitrix virgo Maria subsequebatur, quam beati apostoli **350** Petrus et Joannes dextra lævaque comitabantur. Ipsa autem tanta venustate, vultu et habitu fulgurans radiabat, ut ex ejus claritate tota basilica coruscaret. Porro spiritus qui ista revelabat, loquebatur interim in corde videntis, et dicebat : « Hæc est Regina cœlorum, hæc est Domina angelorum. » Transeuntes ergo ita solemniter, ut dixi, ante altare, tandem per ostium quod ad infirmitorium vergit, de oratorio exierunt, et ita ab oculis intuentis evanuerunt. Verum in eodem infirmitorio, senex quidam venerabilis, et honestæ vitæ sacerdos, nomine Tecclinus, diu languerat, qui tunc ad extrema deductus post modi- D cum obiit. Unde vir Dei qui hæc viderat, pro certo credidit quod ad indicium transitus et beatificationis illius processio talis apparuit.

CAPUT X.

Admiranda nonnulla a Gaufrido Sorensi episcopo, vel de eo divinitus visa. Repertum ab eo corpus Domini incorruptum.

Alia quoque vice isdem Dei famulus, dum in ecclesia staret cum aliis ad psallendum, conspicatus est manifeste dæmonem instar simiæ, per medium chorum transeuntem. Cumque venisset ad eum ridicula bestia, cum indignantis oculo respiciens illum, atque despiciens, patulis naribus aliquandiu hominem subsannabat. Qui postquam ab eo pertransiit, tandem egressa de choro, ulterius non comparuit.

Digitized by Google

Factum est autem aliquando ut isdem Dei famulus **351** circa gutturis partes gravi molestia laboraret; eratque jam morbus inveteratus, et pene a medicis desperatus; unde etiam angustiabatur animo vehementer, pro eo maxime quod arteriis ab ægritudine coarctatis, psallendi in ecclesia vires amisisset. Proinde conversus ad beatum Bernardum, die noctuque cum multis lacrymis precabatur ut cantandi gratiam ejus interventu recipere mereretur. Quadam igitur vice beatus Bernardus ei per visionem apparuit, et loco dolenti, manu sua tangendo ac benedicendo, signum sanctæ crucis impressit. Cumque vir Dei evigilasset, sanatum se esse reperiens, mire ad cantandum convaluit, et nullum deinceps impedimentum ab eadem ægritudine pertulit.

Alio quoque tempore contigit ut quidam de intimis ejus graviter ægrotaret, ita ut mori putaretur : unde prædictus vir nimis dolens, lacrymosis precibus exorabat ardenter Dominum pro recuperanda salute dilecti. Astitit ei quidam per visionem, et ait : « En frater ille pro quo sic affligeris, sanitati restituetur; sed tamen alter quidam, quem æque spiritualiter diligis, ipsius loco est migraturus. » Illo igitur convalescente, defunctus est in ipso tempore senex quidam venerabilis et sanctus, Renaldus de Cluniaco dictus, quem et ipsum miro affectu diligebat in Christo.

Præterea cum pro matre defuncta nimium foret sollicitus et diuturnos aquarum exitus pro ea deducerent oculi ejus, multa siquidem collata est ei gratia lacrymarum, flagitabat instanter a Domino ut sibi de illa revelaret, utrum in pœnis an in requie posita esset. Facta est autem vox divinitus ad eum : « Cur importunis precibus extorquere **352** conaris quod tuæ cognitioni minime debetur? Tantummodo ora pro tuis, et salvabuntur. »

Huic autem aliquando posito in oratione, per visionem vir quidam venerabilis apparens, annulum aureum digito ejus imposuit, præsagium scilicet futuræ in proximo dignitatis. Nam in eodem anno, sicut ipse nobis innotuit, assumptus est ad episcopatum Ecclesiæ Sorensis : quam septem annorum curriculo strenue regens, et suam ipsius vitam in omni puritate custodiens, dignum sanctitatis exemplum posteris dereliquit.

Appropinquante autem vocationis suæ termino, quem solus Deus noverat, egressus de Sardinia venit ad visitandum Claramvallen, cujus filius erat, et in qua sepeliri magno desiderio desiderabat. Quam cum a longe intuitus esset, elevatis oculis suspiravit in cœlum, toto cordis affectu deprecans Dominum, ut si infra terminum esset moriturus, tali siquidem spatio temporis, semper eamdem domum vel una vice visitaverat, nunquam amplius ab ea separari permitteretur, ne forte alibi consummari contingeret, et desiderata sibi sepultura privaretur. Ingressus itaque prædictum monasterium cum aliquandiu sanus ibidem perstitisset, tandem corripiente se acuta valetudine, per dies aliquot ægrotavit, et ingravescente morbo, ad extrema devenit. Cumque fuisset inunctus oleo sancto, et munitus cœlesti viatico eadem hora, imo eodem fere momento, mirantibus universis obdormivit in Domino. Transivit autem circa medium noctis, in festo dedicationis ecclesiæ Clarevallensis. Porro venerabilis ejusdem monasterii abbas, qui conscientiæ ipsius puritatem optime noverat, cum jam exanimati **353** corporis oculos clauderet, cum magna pietate fidei exclamans ait : « O dulcis ac venerande Pater, Deus omnipotens faciat me ad tuum consortium pervenire. » Dum vero commendationis officium funeri impenderet, tanto pietatis affectu movebatur, ut erumpentes lacrymas continere non posset, ita ut etiam duros corde in fletum commoveret. Defunctus est isdem pissimus Pater anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo octavo, juxtaque venerabilem Godefridum quondam Lingonensem episcopum, in ecclesia Clarevallensi tumulatus.

Hic autem cum ægrotare cœpisset, revelatum est de eo cuidam ex fratribus ipsius monasterii, quia in proximo migraturus esset. Deinde post paucos dies, cum isdem frater fratrum vigiliis interesset, vidit in mentis excessu stratum quemdam, fulcris mollibus diligenter aptatum, et niveis operimentis decenter ornatum, qui eidem episcopo servabatur, nimirum signans requiem æternæ felicitatis, ad quam post modicum erat assumendus. Eadem vero nocte qua defunctus est, posito in ecclesia corpore, cum signum ad vigilias pulsaretur, prædictus frater evigilans, cœpit illico præfatum episcopum ad mentem reducere. Statimque facta est vox in auribus ejus, loquens ad ipsum de viro Dei defuncto, et dicens : « Ecce nunc a principio signi hujus, recipiunt eum sancti Dei omnes in consortium suum. » Surgens itaque venit in chorum, et stabat cum aliis ad psallendum. Cumque celebrarentur matutinæ laudes, respexit, et vidit in parietibus templi, circa defuncti corpus, quasi unius horæ spatio luminaria copiosa divinitus accensa, ita ut præ multitudine numerari non possent. Quod dum frater ille conspiceret, **354** compunctus est valde et gratias agens Deo pro omnibus quæ viderat et audierat, ait intra se : « Domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat in te. Vere beatus iste sanctus quem elegisti, et assumpsisti. Habitabit in atriis tuis. Credo enim atque confido quia dignus est jam inter sanctos et electos tuos adipisci per gratiam tuam quietis beatitudinem, luminis claritatem. » Expletis autem postea duobus mensibus, cum isdem frater esset in choro, ad vigilias vigilans et psallens, subito iterum venit in mentis excessum. Et ecce apparuit ei prædictus episcopus, induens se sacerdotalibus, et quasi præparans se ad missam celebrandam, ita ut isdem frater adjuvans eum, reversaret casulam super manus illius. Porro in eadem hora cantabatur hic versus in ecclesia : *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* (*Psal.* XLIII).

Digitized by Google

Referebat isdem sanctus quod cum quamdam ecclesiam veterem ac ruinosam reparari præcepisset, et altare in ipsius præsentia diueretur, reperit in ipso capsulam scabrosam ac veterem, sanctorum reliquias continentem. Porro inter easdem reliquias corpus Domini repositum erat: quod ita sanum et integrum, ita mundum et candidum, et ab omni corruptione penitus alienum inventum est, ac si recentissime ibi reconditum esset. Sane in terra illa nemo repertus est, qui ejusdem ecclesiæ vel altaris constructionem, aut consecrationem se vidisse recoleret. Viso tanto miraculo, universi qui aderant glorificaverunt Deum; cognoscentes ipsum esse sacratissimum corpus Domini, de quo veraciter scriptum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv).

355 CAPUT XI.

De Hungero, ejusque patre et fratre Rodulpho ad ordinem Præmonstratensem mirabiliter conversis.

In territorio Meldis, vico qui dicitur Acejum, erat quidam clericus, nomine Hungerus; qui, dum adhuc parvulus esset, fovebat eum in gremio suo mater sua. Quæ cum videret infantem nitidulum, et florida facie vernantem, congratulans ait conjugi suo: « Vide, domine meus, quam elegantem infantem largitus est nobis in indulgentia sua Deus. » Ille autem, ut erat homo fidelis, et Deo devotus, respondit: « Vere pulcher est infans, et pulcher clericus erit si Deo Jesu Christo placuerit. » Quo illa audito, infremuit adversus hujusmodi vocem et locuta est quasi una de stultis mulieribus, dicens: « Væ, quid dixisti, homo insane? Ergone filium meum unicum mihi auferes, et facies clericum? Absit, absit ut baculus senectutis nostræ, spes posteritatis nostræ, clericatus officio destinetur! » Vix illa sermonem impleverat, et ecce, repente percussus est puer epileptico morbo, corruens et spumans inter brachia matris, et tam dura passione torquebatur, ut os ejus ad aurem pene verteretur. Quo viso mulier, nimio terrore concussa expalluit, et clamans cum gemitu ait: « Heu, heu, Domine Deus, quam male locuta sum, et quam perverse egi! Ego, ego sum illa flebilis et misera, quæ tuam indignationem promerui; nam iste parvulus innocens, quid peccavit? Vertatur, obsecro, manus tua super caput ingratæ et **356** perfidæ parentis, tantummodo ut vivat filius meus, et tuto perenniter obsequio mancipetur. » Mox igitur arrepto itinere tulit puerum semivivum, et duxit ad monasterium virginum, quod dicitur Fontanis, ad duas leugas inde remotum. Cumque spirantem adhuc infantulum super altare beatæ virginis Mariæ posuisset, cum clamore valido et lacrymis oravit, dicens: « Piissima Dei genitrix, tibi commendo, et tibi reddo unicum meum, ut tibi vivat, et tibi serviat quandiu vixerit, in ministerio clericali. » Finita autem oratione, beatissimæ Virginis interventione sanatus est puer, atque ab illa epilepsia perfecte convaluit, quam sicut antea non habuerat, ita postea nunquam habuit. Processu vero temporis, cum jam litteris esset imbutus, et sacris ordinibus applicatus, monasterio Beatæ Mariæ de Valle serena, haud procul ab urbe Suessionensi, in ordine Præmonstratensi, Deo donante, se reddidit, ibique per annos plurimos religiosissime degens, usque ad obitum perseveravit. Pater vero qui per pium inchoaverat votum, ad locum eumdem subsecutus est filium, ubi et ipse obedienter ac pie conversatus, tandem in bona confessione migravit ad Dominum. Præterea vero ejusdem clerici germanus quidam, nomine Radulphus, infirmatus est aliquando pene usque ad mortem. Et factus in agone, videbat se per vallem quamdam tenebrosam atque profundam, cum magno horrore descendere, et quasi in inferiora terræ introire. Interim autem obvium habuit supradicti monasterii conventum, cum suo germano. Cui etiam fratres alii dicebant: « Frater Hungeri, quare non liberas fratrem tuum? Nunquid non vides quomodo perit, descendens **357** ad infernum? » Post hæc autem, cum fuisset ad se reversus homo, compunctus est nimis in verbo isto; et qui nihil omnino de conversione antea cogitabat, accersito protinus fratre, præscripto cœnobio per manum ejus se reddidit, ubi etiam nunc superstes, vitam religiosissimam ac honestissimam ducit.

CAPUT XII.

Aquis præfocatus infans, beati Petri apostoli altari impositus reviviscit, fit postmodum clericus, tandemque monachus Cisterciensis.

Eodem tempore, et vico, alius quidam clericus, supradicti etiam similiter carne propinquus, cum similiter infantulus esset, et tutorum incuria solivagus oberraret, casu in amnem modicum de ponte lapsus est. Erat autem fluviolus angustus et lutulentus. Cumque propellentibus undis puer longius duceretur, caput ejus in fundo aquæ, limo demersum erat, pedes vero quasi natantes super laticem ferebantur. Latuit ergo in aqua diutius, antequam sciri posset, ita ut interim iter dimidiæ leucæ confici valeret. Mater vero illius, cum esset in penetralibus quidpiam operis actitans, quasi jam præsago animo imminentis luctus conscia foret, cœpit intra semetipsam tædere et mœsta esse. Moxque recordata pignoris sui, egressa est de conclavi. Quod cum in domo non reperisset, exclamavit, et dixit: « Deus, et sancta Maria, ubinam est filius meus? » Veniens autem cum festinatione ad pontem, ubi corruerat infans prospiciendo **358** circumquaque pertransiit, et eum videre non potuit. Inde quoque progrediens, discurrere cœpit per vicos et plateas, quæritans et percunctans de filio suo. Tandem vero reversa ad pontem, cum super ripam fluvioli graderetur, vidit infantuli plantas super aquam fluitantes, caput autem infixum limo, tenaciter inhærebat. Quod illa deprehendens confestim rapido cursu prosiluit in amnem, extraxitque parvulum exstinctum, et ad instar utris tumefactum atque distentum. Quem cum pedibus erectis, capite deorsum premeret, aquositas magna quæ in ventrem illius influxerat, copiosa

Digitized by Google

manatione refluxit. Facto itaque concursu populi, multi tulerunt puerum de manibus matris. Quem cum in domum vellent deponere et sepelire, illa omnino restitit, dicens : « Non inferetur in domum filius meus, donec in ecclesia Domino præsentetur. Confido namque de ipsius ineffabili pietate, quia vivum et sanum receptura sum hodie filium meum. » Abeuntes igitur illi, cum paululum processissent, cœperunt reverti, dicentes : « Ut quid frustra fatigamur, cum infantem mortuum videamus : nunquid ille a mortuis est revocandus ? » Mater autem nihilominus obsistebat, dicens eum ad templum Dominicum modis omnibus deferendum. Et cum eos ita revertentes, usque ad quartam vicem omnimodo coegisset, tandem ad ecclesiam pervenerunt, et super altare beatissimi Petri apostoli infantulum posuerunt. Ubi cum aliquandiu jacuisset, facta oratione pro eo ad Dominum, subito oscitavit, et apertis oculis matrem suam vocavit. Mox ergo depositus de altari, appositam sibi mamillam suxit, et per eamdem basilicam huc illucque deambulans, mirantibus universis redivivus et sanus apparuit.

359 Viso itaque tali miraculo omnes lætabantur, glorificantes Deum, et beatum ejus apostolum Petrum, cujus interventu mortuum ad vitam rediisse crediderunt. Parentes igitur, ne tantæ gratiæ ingrati remanerent, eumdem puerum Domino obtulerunt, et clericatus officio destinarunt. Præterea vero ipse infantuli genitor, Romanum iter cum magna devotione arripuit, et beato apostolorum Principi coram corpore suo gratias referre curavit. Processu vero temporis, puer litteris est imbutus, et sacris ordinibus applicatus. Hic etiam postmodum religionis habitum votive suscipiens, et voto votum adjiciens, usque hodie vivit, cum timore Domino serviens in Ordine Cisterciensi.

CAPUT XIII.

Clericus desertor et apostata, lethali morbo ad extrema deductus, cum tonsuram clericalem sibi restitui precaretur, nulla industria attonderi potuit.

In Majori Britannia, episcopatu Lincolniensi, haud longe a monasterio quod Parcum nominatur, quidam clericus exstitit, qui, cum jam diaconus esset, abjectis ordinibus sacris, etiam tonsuram deposuit. Postmodum autem, cum mortali ægritudine pressus ad extrema venisset, confessus est tandem fuisse se clericum ac diaconatus officio functum, et ductus pœnitentia, postulabat sibi restitui coronæ signaculum. Cum ergo rasoria, forfices cæteraque hujusmodi instrumenta ad eum tonsurandum fuissent adhibita, nulla arte, nulla virtute **360** potuerunt ejus crines incidi, nec coronæ circulus reparari. Mortuus est ergo prævaricator clericus absque signo clericali, et factus est in signum et in exemplum terribile clericis desertoribus atque apostatis.

CAPUT XIV.

Monachus Clarevallensis infirmus, in observatione ciborum et procuratione medicaminum superstitiosus, clementissimæ Dei Matris providentia mirabili, et vires recipit, et nimiam sui curam deponit.

Ferunt in cœnobio Clarevallensi nuper monachum exstitisse, qui, quamvis homo bonæ voluntatis existeret, corpore tamen delicatus atque infirmus, in observatione ciborum et procuratione medicaminum curiosus erat atque superstitiosus. Huic ergo per visionem apparuit beata Dei Mater et Virgo Maria, ad portam oratorii posita, quæ pretiosum electuarium pixide portans, intrantibus in ecclesiam fratribus singulis, singula ex eo cochlearia dabat, et mira dulcedine gustantes reficiebat. Cumque prædictus frater accederet, ut et ipse de manu piissimæ procuratricis, portionem alimoniæ cœlestis acciperet, illa repulit eum, dicens : « Tu medicus sapiens, et curam tui sollicite gerens, non nostro medicamine indiges. Vade itaque, vade, et cura teipsum sicut volueris, quoniam de his qui curam suam super Dominum jactant, cura est nobis. » Quod cum ille audisset, erubuit, et petens indulgentiam, promisit ei quod amplius de seipso sese non intromitteret, sed totam vitæ **361** suæ curam Deo et sibi committeret. Tunc illa misericorditer annuens, et pœnitenti veniam præbuit; et medicanti, salutiferæ pitantiæ pabulum impertivit. Gustata igitur benedictione dulcedinis, protinus a sua teneritudine et infirmitate frater ille convaluit, et contentus deinceps communibus alimentis atque subsidiis, decorem et fortitudinem cum salute corporis pariter induit.

CAPUT XV.

De Alquerio Clarevallensi monacho, sui quidem contemptore; sed amore Christi in procurandis ægrotis, præsertim pauperibus, diligentissimo : qui de Christi vulneribus benedictionem et salutem promeruit.

Fuit in eadem ecclesia monachus quidam venerabilis, Alquerius nomine, vir religiosus atque spiritualis; sobrius in victu, humilis in vestitu, et durus admodum castigator corporis sui. Ita namque circumcisus ac temperans erat in his quæ ad usum corporeum pertinere videbantur, ut omni voluptate ac vanitate depulsa, etiam necessariis parcissime uteretur. Hic medendi peritia valenter expertus, cunctis indigentibus, artis suæ operam pro viribus impendebat, se autem solummodo ab hujusmodi cura excipiebat. Licet enim valetudinarius esset ac debilis corpore, nunquam tamen acquiescebat carnalem medicinam sibimet exhibere; et quamvis operam ejus viri magnates, vel etiam capita optimatum incessanter expeterent, et sæpius renitentem huc illucque distraherent, tamen super egenos et pauperes **362** magis intelligens, omnimodam eorum servitio sollicitudinem adhibebat. Nec modo ipsorum ægritudines livoresque curabat, verum etiam necessitates, proutcunque potuisset, in indumentis et alimentis studiosissime procurabat. Porro languentium putridas carnes et sanie defluentia

Digitized by Google

membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Et vere sic erat : totum enim pro Christo faciebat, et totum sibi Christus imputabat, qui ait : *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv). Unde etiam ipse famulum suum secretis consolationibus sæpius visitabat, et in opus ministerii hujus mirabiliter incitabat.

Quadam igitur vice vidit hujusmodi visionem in Claravalle. In primis itaque audivit quasi quemdam nuntium cœlestem, præconaria voce clamantem ; « Ecce Christus venit, surgite, et occurrite Salvatori. » Cumque omnes certatim ad videndum properarent, tunc et ipse cucurrit, et stetit in ostio claustri per quod eum venire sciebat. Igitur, ingrediente Domino, accessit et adoravit eum, flagitans ut acciperet benedictionem et misericordiam a Deo salutari suo. Qua percepta, cœpit eum attentius intueri, et miro pietatis affectu compatiebatur ei, siquidem apparebat ei veluti dolens atque infirmus, confixus clavis, lancea perforatus, ac si eadem hora de cruce depositus esset, ita ut ex plagis copia sanguinis emanaret. Porro ipse Dominus linteolos mundos quasi corporalia tenens, eisdem vulneribus imprimebat, et cruore deterso in terram eos projiciebat. Quos frater ille cum summa veneratione recolligens ac nimia devotione deosculans, quasi redemptionem animæ suæ in sinu suo **363** repositos conservabat. His et hujusmodi revelationibus frequenter a Domino recreatus, non cessavit usque in finem operari bonum ad omnes, maxime autem ad peregrinos et miseros ægrotantes.

Tandem vero, cursu vitæ peracto, ad diem ultimum venit. Cumque venerabilis Pontius abbas ad eum gratia visitationis accederet, quæsivit ab eo quid ageret et quonam modo se haberet. Ille vero respondit : « Bene, charissime Pater, bene omnino agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum. — Quid ergo? inquit, corporalem molestiam ægre non toleras, et mortis angustiam non formidas? — Ego, inquit, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia præventus sum a Domino in benedictione dulcedinis, quæ omnem mihi mœrorem a corde, et omnem pene dolorem a corpore tulit. » Respondens itaque abbas, dixit ei : « Age jam, dilecte mi frater, dic mihi obsecro propter Deum, si tibi divinitus est aliquid revelatum. » Tunc ait illi : « Modo antequam huc introisses, apparuit mihi, misero licet atque indigno, Dominus Jesus Christus, qui propitio ac sereno vultu et signa beatissimæ passionis ejus ostendens, ait : « Ecce peccata tua deleta sunt a facie mea. Veni « ergo securus; veni et vide, ac deosculare vulnera « mea, quæ tantum dilexisti, et toties confovisti. » Tali ergo promissione firmatus, jam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo. Et scitote quia proxima nocte (erat autem vigilia beati Martini), migraturus sum, dum opus mei celebrabitur in ecclesia et tali hora. » Defunctus est igitur eadem nocte, et tempore quo prædixit; jamque, ut vere confidimus, requiescit a laboribus universis, **364** invento nimirum Domino quem suis manibus exquisivit.

CAPUT XVI.

Cuidam fratri de peccatis suis turbato et contrito, ostendit Christus lacrymas et luctus pœnitentium quanti æstimaret.

Frater quidam de monasterio Clarevallensi, dum pro peccatis suis quibus Deum nimis offenderat, gemebundus et anxius incessanter seipsum affligeret, tota die ingrediebatur tristis et mœrens, finem lamentis et fletibus interdicens. Qui cum in tanta cordis amaritudine diutius versaretur, nocte quadam vidit in visione Dominum Jesum Christum, sacerdotalibus ornamentis indutum, et missam celebrantem. Quoties vero juxta sacrificii ritum sese ad populum convertebat, tollens in manibus suis calicem de altari, cunctis qui aderant videndum offerebat. Porro in ipso calice nihil aliud erat nisi lacrymæ, quibus beata Magdalena pedes ejus in domo Simonis rigaverat. Cumque prædictus frater, secus pedes Domini positus ista cognosceret, percunctatus est eum, dicens : « Obsecro, Domine, utquid ostendis nobis calicem istum, cum lacrymis quæ in eo sunt? — Ut videant, inquit, et sciant universi quantum mihi placet contritio cordis, et pœnitentiæ luctus, qui ad exemplum pœnitentium tandiu servavi lacrymas hujus peccatricis ad pedes meos flentis et pœnitentis. »

365 CAPUT XVII.

Eidem fratri Christus Dominus spem veniæ et misericordiæ suæ, alio mirabili viso ingessit.

Sub eadem vero tempestate, dum adhuç malorum suorum pœnitudine isdem frater seipsum quotidie maceraret, vidit in visu noctis sese in lacu profundissimo fluctuantem ac periclitantem. Cumque jam evadendi spes nulla superesset, en subito adfuit Salvator, ambulans nudis pedibus super aquas. Qui cum ad eum pervenisset, levavit in brachio, atque in sinu suo miserum misericorditer atque dignanter, sublatumque de aquis posuit in prato virenti et amœno. Quod cum ille vidisset, illico procidens ad pedes ejus, præ immensitate lætitiæ, animo gestire cœpit, insatiabili desiderio sibi astringens atque deosculans pia vestigia Salvatoris.

CAPUT XVIII.

Ejusdem argumenti visio, eidem fratri ostensa.

Quadam vero die, cum æstuanti animo nosse cuperet utrum a Domino indulgentiam consequi mereretur, cœpit ardenter insistere, gemitibus inenarrabilibus atque suspiriis divinam pietatem obsecrans, et exoptans ut hoc ei aliquo modo innueretur. Sequenti itaque nocte, dum ita affectus fratrum vigiliis interesset, subito venit in mentis excessum. Et ecce astitit **366** ei nescio quis, novaculam acutam et quasi insensibilem per caput ipsius leniter ac suaviter ducens ; qui etiam in momento, in

Digitized by Google

ictu oculi, veluti rasit ei barbam, collum et coronam. Verumtamen paucos pilos in uno tempore deserens, somnolentiæ vitium quo frater ille, quamvis invitus, adhuc tamen graviter premebatur, forsitan denotavit. His et hujusmodi consolationibus isdem frater relevatus, aspirante Domino, didicit in spem veniæ respirare

CAPUT XIX.

In villa territorii Tullensis Domno-Martino eucharistia cum sacra pixide et corporali flammas evasit, circumjectis omnibus rebus incendio absumptis.

In territorio Tullensi, villa quæ Domnus-Martinus dicitur, quadam vigilia Paschæ, cum forte deesset in ecclesia oleum ad lampades concinnandas, posuerunt ante altare candelam accensam, ut ibi arderet tota nocte. Quæ cum fuisset in pavimento super absidam unam minus caute locata, casu inde collapsa et usque ad altaris crepidinem devoluta est. Allambens itaque flamma invasit illico pallam atque combussit, et sæviente incendio concremata sunt pariter universa altaris operimenta, quibus tunc solemniter et copiose ornatum erat. Mane vero intrantes ecclesiam presbyter atque ministri videre quæ circa altare ignis effecerat, cunctaque reducta penitus in cinerem ac favillas. Verumtamen corpus Domini, cum pixide lignea **367** in qua super altare et super ipsa linteamina positum erat, ignis undique sæviens omnino non tetigit, adeo ut pannus etiam sericus, quo ipsum vasculum operiebatur, omnino appareret illæsus. Cumque sacerdos, adhibita scopa, cineres de altari colligeret, ut eas in loco mundo reconderet, reperit in eisdem (mirum dictu!) sacratissimum corporale, quod, inter altaris linteamina positum et obvolutum, putabat omnimodo cum eis esse consumptum. Quod cum protinus displicasset, ita sanum et candidum prorsus apparuit ac si diligenter in cista locatum fuisset. Quod cum vidisset omnis populus, lætati sunt valde, mirantes et magnificantes omnipotentiam Redemptoris. Hoc nobis retulit quidam religiosus monachus Clarevallensis, qui ejusdem presbyteri nepos, dum adhuc esset in sæculo, candelam illam ante ipsum altare accendit, et cuncta quæ acciderant ipse vidit.

CAPUT XX.

Eucharistiæ sacramentum in arca reconditum et in carnem convertitur, et divini luminis indicio proditur.

Referente Christianissimo rege Francorum Ludovico, cognovimus in pago Atrebatensi ante biennium tale quoddam de corpore Domini accidisse miraculum. Die sancto Paschæ mulier quædam ad ecclesiam eunti filio suo præcepit ut, postquam communicasset, duobus parvulis suis domi remanentibus corpus Domini secum afferre satageret. Qui jussa parentis exsequi cupiens, duas oblationes sacras, ignorante **368** presbytero, de sacrario tulit atque attulit ei. Illa vero suscipiens eas, alteram communicaturis infantibus dispertivit, alteram instita colligatam diligenter in arca recondidit. Post paucos itaque dies unus ex puerulis ejus vidit immensa luminaria circa eamdem arcam divinitus accensa, quæ totam domum ingenti claritate perlustrabant. Quod videns infantulus, matrem suam festinanter accersiit verbo digitoque demonstrans luminaria copiosa quæ in ejus oculis radiabant. Cumque mater intente respiceret et nihil penitus videre prævaleret, arcam illam posita clavi reserare tentavit, sed nulla virtute, nulla funditus arte prævaluit. Unde mirata et obstupefacta vehementer, properavit adducere presbyterum ipsum ad tale miraculum intuendum. Qui cum festinus adesset et claritatem illam quam puer aspiciebat videre non posset, illico clavem illam de manu mulieris accepit, et sine ulla difficultate arcam celeriter reseravit. Quam cum aperuisset, institam illam in qua ligata erat eucharistia infectam sanguine reperit, et eamdem hostiam sacrosanctam, manente figura panis, in specie carnis permutatam. Quo viso, presbyter et qui cum eo erant mirati sunt valde; et adorantes deificum corpus, cum honore et reverentia ad ecclesiam detulerunt atque in sanctuario digne collocaverunt.

369 CAPUT XXI.

In pago Carnotensi hostiæ sacrosanctæ pars major in carnem mutatur.

Eodem quo supra referente, cognovimus quod hoc anno in pago Carnotensi hujusmodi signum super eodem sacramento contigerit. Sacerdos quidam dum sacramenta offerret, invenit ante fractionem corpus Dominicum, in speciem defæcatæ ac pulcherrimæ carnis ex majori parte mutatum, ita tamen ut evidenter ejusdem hostiæ circulus et litteræ semper in ea apparerent. Verumtamen illa pars hostiæ quam inter digitos suos presbyter tenuerat, solummodo panis speciem retinebat. Videntes itaque sacerdos et plebs universa quæ aderat rem tam mirabilem, obstupuerunt, et exsultantes Domino cum tremore, ipsam eucharistiam in sacrario collocaverunt, ubi etiam nunc in vase cristallino reposita honorifice custoditur. Nuper vero cum quidam capellani et clerici supradicti Francorum regis, viri fideles et honesti, hujus rei veritatem nobis pro certo astruerent, adfuit etiam unus inter eos qui teste Deo asseverabat se ipsam eucharistiam eodem modo quo prædiximus immutatam propriis oculis aspexisse.

CAPUT XXII.

Feria sexta sacrificante presbytero, hostia eucharistica in carnem, calix in sanguinem vertitur.

Simile quoque miraculum de eodem sacramento audivimus, sed quando vel ubi acciderit, incertum habemus. Quidam honestæ conversationis **370** presbyter, dum in quadam sexta feria sacrificaret, reperit ante perceptionem hostiam sacratam in similitudinem carnis esse conversam, ipsumque calicis sacramentum in speciem sanguinis com-

Digitized by Google

mutatum. Quod cum ille vidisset, nihil omnino exhorruit, sed totum fideli ore percepit. Cumque peracta missa hoc ipsum quod acciderat, episcopo suo revelasset, increpavit eum episcopus quod tantum Dei munus sibi ad videndum minime reservasset. Sequenti vero feria sexta cum itidem missam celebraret, idem ei miraculum accidit, ipsumque episcopo cernendum reservavit. Quod cum ille vidisset, cunctisque videndum exhibuisset, immensas omnipotenti Deo gratias retulit, ipsumque sacramentum, veluti thesaurum incomparabilem, præcepit in ecclesia cum digna veneratione custodiri.

CAPUT XXIII.

Celebrante missam sacrilego sacerdote, peracta consecratione, paulo ante quam communicare vellet, panis sacer e patena et sanguis e calice momento evanuerunt.

Vir honestus ac religiosissimus, Petrus abbas Sancti Remigii Remensis, retulit in capitulo Clarevallensi rem certissime cognitam, quam in eodem anno evenisse asseverabat; verumtamen personam cui res ipsa acciderat, quia non voluit infamare, noluit ex nomine designare. Ait ergo : « Presbyter quidam sæcularis appellatus est ad dominum papam, et accusatus coram eo de noxa criminali. Qui cum ab eo interrogaretur, **371** etiam sub anathematis intentatione, elegit potius excommunicari quam veritatem de perpetrato crimine confiteri. Et quoniam legitimis attestationibus convinci non poterat, dimissus est tandem velut innocens reus, ipsius qui non fallitur examini reservandus. Cumque reversum ad propria, conscientia graviter remorderet, reliquit interim habitum, non animum sæcularem, ingressusque monasterium clericorum, professus est inibi vitam regularem. Qui cum jam in eo plurimum temporis peregisset, nolebat ullo modo confiteri justam illius excommunicationis sententiam, qua a summo pontifice innodatus erat, et tamen sacerdotis officio incessabiliter fungi punienda temeritate præsumebat. Quadam itaque die sacrificante illo et *Agnus Dei* jam dicto, cum juxta illius ordinis consuetudinem, super patenam corpus Domini posuit, et coram ipso modice inclinando caput humiliasset, continuo se erexit ut solito more communicaret. Sed (quod est mirabile dictu!) eadem hora angelico, ut fas est credere, ministerio sublatus est invisibiliter panis ille cœlestis de patena, et de calice sanguis. Quod cum presbyter ille conspiceret, turbatus et contritus illico obstupuit, nimirum intelligens ac sciens quam justo quamque tremendo judicio Dei evenisset. Moxque celeriter adiens Patrem spiritualem, confessus est tandem compunctus et pœnitens impietatem suam, quam etiam ipso tacente jam cœli revelabant. »

372 CAPUT XXIV.

In vico Belesmo territorii Catalaunensis eucharistia, ad moribundam feminam latenter transmissa, a maligno spiritu publicatur.

In territorio Catalaunensi, vico quem nuncupant Belesmum, erat ante septemium presbyter quidam, nomine Wilelmus, lubricus homo multumque inhonestus. Ad hunc itaque veniens aliquando quidam laicus homo, rogabat eum pro quadam paupercula parochiana sua, quæ in rure proximo commanebat, ut eam citius visitaret, et morienti viaticum ministraret. Ipse vero, ut erat piger et negligens, ire recusavit, sed eidem laico corpus Domini committens, ait : « Vade, et dicito clerico illi qui in ipso viculo habitat, ut morientem feminam adiens, hanc ei eucharistiam tradat. » Erat autem nox. Abiens itaque homo cum Dominico sacramento, dum esset in itinere, reperit in ipsa via jacentem spiritum immundum, et quasi mortuum aliquem sudario candido coopertum. Quem cum primo vidisset, inhorruit, moxque signo crucis armatus et sacri corporis virtute confisus, declinavit paululum ab eo, et ita pertransiit. Tunc ille, qui mortuus videbatur, repente surrexit, et clamans ad eum, dixit : « Nisi ille quem portas tibi nunc præsidio esset, utique malo tuo huc advenisses. » Quo dicto, vetsipellis insidiator evanuit, et ita nocenter innocens atque inutiliter utilis fuit, qui non modo non potuit malignitatem explere quam vellet, verum etiam, **373** cogente Domino, confessus est veritatem quam dicere nollet.

CAPUT XXV.

Ad sceleratum hominem morti proximum allata eucharistia, priusquam eam ille perciperet, a dæmonibus in aera sublatus, et ad terram elisus est.

In provincia Flandriæ, non multo antea tempore, terribile quid accidisse comperimus. Quidam carnalis atque perversus homo, cum morti appropinquasset, allatum est ei Dominicum sacramentum, ut communicaret. Quod cum ille fuisset intuitus, illico repercussis oculorum luminibus, quasi magno fulminis ictu vehementer infremuit, et vibrato corpore de lecto exiliens, raptu dæmonum elevatus est supinus in aera sursum, ac protinus extra lectulum recidens, medius crepuit, et animam infelicem evomuit. Porro de manu presbyteri corpus Domini excussum, et in eodem lectulo cadens, super linteum venit. Ipse autem presbyter nimio terrore percussus, dementiam incurrit. Qui etiam multo postea tempore superstes, nunquam sensum recuperavit, sed quasi bestia factus, quotidianam procurationem accipiebat de domo comitis Flandrensis.

374 CAPUT XXVI.

Quidam conversus Becci, morti proximus, totius conventus precibus a dæmonum insultibus liberatur, et sacramentis munitus, in bona confessione e vivis excedit.

Conversus quidam de fratribus Becci, quod est cœnobium Cisterciensis Ordinis in Normannia, cum jam morti proximus esset, monebant fratres ut confiteretur et sacram communionem acciperet; quod ille vehementer abhorens, pertinaci animo recusabat. Laborantes itaque fratres per unius diei

Digitized by Google

spatium ut hoc ei persuadere possent, cum suam industriam nihil in hac parte prævalere cognoscerent, communi consilio decreverunt specialem pro eo in conventu facere obsecrationem. Congregati itaque in ecclesia cuncti fratres, multiplicatis litaniis et psalmis in fletu et planctu Dominum exorabant, ut ita periclitantem animam illam de profundo malorum eriperet, nec eam aliquatenus in tali damnatione mori permitteret. Expleta autem oratione clamare cœpit infirmus, et dicere: « Eia, fratres, succurrite citius, et afferte Dominicum sacramentum, ne forte iterum partes adversæ veniant, et me inveniant imparatum. Aderat namque modo ingens dæmonum turba, a quibus undique pressus, ita coarctabar, ut nullum suggerentibus vobis possem dare responsum de salute mea. Et ecce iterum fratres nostri, tam monachi quam conversi, in unam aciem conglobati, cum magno impetu super dæmones irruerunt, et singuli singulos invadentes, **375** in manu potenti et brachio excelso, omnes penitus expulerunt, et me per Dei misericordiam liberarunt. » Audientes itaque fratres gaudio magno gavisi sunt, et abeuntes in instanti sacrosanctum Domini corpus ei exhibuerunt. Ipse vero compunctus ac pœnitens cum ingenti reverentia et pietate communicavit, et protinus in bona confessione spiritum emisit.

A B

CAPUT XXVII.

Longipontis conversus, qui denarium unum, et buculam unam absque licentia retinebat, percepta in Paschate eucharistia, prunam ardentem præcordiis injecisse sibi visus est.

C

In monasterio Longipontis, conversus quidam denarium unum et unam buculam absque licentia peculiari ab initio retinebat. Igitur die Paschæ, cum sacram oblationem recepisset, visum est ei quod prunam ardentem præcordiis ejus aliquis injecisset. Qui mox de oratorio exiens, suumque diversorium adiens, protinus id quod acceperat, nausea perurgente rejecit in cineres, antequam vas aliquod ad excipiendum apprehendere posset. Tunc accersito abbate loci, confessus est delictum quod commiserat, et periculum præsens quod ex eo incurrerat. In crastinum autem abbas cuncta quæ acciderant, in capitulo ad fratrum audientiam retulit, et propter negligentiam sacræ communionis, communem pœnitentiam nobis qui adfuimus injunxit. Porro **376** conversus isdem crescente ægritudine lecto decubuit, et diutissime postea languens utrum deinceps convaluerit incertum est nobis.

D

CAPUT XXVIII.

Ad porcorum salutem eucharistia in stabuli limine occultata, divinitus revelatur, et magna ex parte in carnem conversa reperitur.

Sanctimonialem quamdam feminam novimus, quæ magnis virtutibus pollens, etiam prophetandi gratiam habere probatur. Huic autem nuper Dominus apparens tale quid revelare dignatus est, dicens: « Inhonestius me tractant fideles mei, quam Judæi sive pagani. Modo namque fecere me porcarium, depositum tenentes in proxima villa corpus meum abscondite atque vilissime in stabulo porcorum, ne porci pestilentia aut mortalitate dispereant. » Cum igitur ancilla Dei verbum hoc in medium protulisset, continuo cœperunt investigare diligenter, etiam cum intentatione anathematis, quis tantum sacrilegium perpetrasset. Videns itaque reus quia jam latere non poterat, confessus est tandem malum quod egerat, ostendens etiam in ostii sulio foramen occultum, in quo Dominicum corpus erat occultatum. Aperto igitur aditu repererunt hostiam sacrosanctam, in similitudinem carnis jam ex magna parte mutatam. Videntes vero fideles sanctum canibus datum et margaritam porcis appositam (*Matth.* VII), graviter ingemuerunt, tollentesque sacrum de non sacro, cum timore **377** et reverentia magna ad ecclesiam reportarunt, atque in sacrario digne, ut dignum est, reposuerunt.

CAPUT XXIX.

Pauperculus rusticanus, exceptam in die Paschæ et ore retentam eucharistiam cum vestimento suo insuisset spe sublevandæ inopiæ suæ, ab eo postmodum ex morbo periclitante prodita, tota carnea inventa est.

Similiter in episcopatu Carnotensi, ante bis denos annos tale quid accidisse cognovimus. Quidam rusticanus atque pauperculus homo, a nescio quo impostore maligno audierat quia si Dominicum Corpus secum assidue circumferret, in modico tempore divitiis abundaret. Accipiens itaque die Paschæ sacrosanctum Domini Corpus, integrum ore retinuit. Quod protinus assuens in margine cappæ, multo secum tempore tulit, nec ei tamen aliquando paupertas et miseria defuit. Hic igitur tactus ægritudine lethali, ad extrema devenit. Cumque se morti propinquare conspiceret, tandem miser ad se reversus, miserabili sensit experimento verum esse quod ait Apostolus quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli* (*I Tim.* VI). Dolens ergo et pœnitens, confessus est rapinam quam sacrilego ore pervaserat, indicans etiam corporale indignum in quo dignissimum corpus repositum erat. Accipiens itaque presbyter ipsam vestem, et coram astante populo dissuens, invenit hostiam sacram, pristina quidem manente figura, in naturam et speciem carnis omnino **378** conversam. Quod ubi nuntiatum est præsuli Carnotensi, protinus ad ipsum locum cum comitatu magno venire curavit. Assumensque thesaurum illum incomparabilem et ad urbem ipsam maximo cum honore deferens, occurrente sibi clero et populo innumerabili, in ecclesiam Beatæ Virginis Matris solemniter intulit, ibique dignissime conservandum decenter ac sublimiter collocavit.

CAPUT XXX.

Apum alveari injecta eucharistia, post tres annos in summo calatho integra et illæsa reperitur.

Alius quidam ruricola, dum ad cujusdam sortiarii sibilos virulentos male credulam aurem applicuisset,

Digitized by Google

persuasum est illi quia si ore tenendo Dominicum corpus alvearii insufflaret, apes inde plurimum profecturæ et crebriora examina mitterent et uberiora mella conficerent. Percepta igitur eucharistia et ore retenta, ad apiarium venit. Cumque per singulos calathos insufflando procederet, contigit ut hostia sacra, ab ore sufflantis elapsa, in unum calathorum per foramen intraret; quæ mox divinitus acta, superius avolavit, ibique in superiori crate congrue locata triennio latuit. Cumque peritus ille insibilator curiosius intro prospiceret, et eam minime reperiret, contempsit et abiit, ipsum tamen calathum, ne amoveretur, diligenti cura notavit. Post tres itaque annos correptus ægritudine gravi, mortem in januis adesse cognovit, accersitoque **379** presbytero confusus et pœnitens, recognovit audaciam puniendam, quam superbe præsumpserat, ipsamque jacturam intolerabilem quam postea negligenter incurrerat. Percunctante autem presbytero utrumne præsepium illud agnosceret, in quod hostia cecidisset, respondit sese optime scire, nec distulit incontinenti ostendere. Tunc igitur effracto canistro, presbyter, et qui aderant multi repererunt Dominicum corpus diligenter et honeste reconditum in superiori statu, ita prorsus integrum atque decorum ac si fuisset ibidem ea die repositum.

A B

CAPUT XXXI.

In Sardinia, cuidam presbytero de pœnis alterius vitæ multa divinitus revelantur.

Fuit in insula Sardiniæ sacerdos quidam honestæ conversationis, qui etiam ibi præerat cuidam ecclesiæ parochiali. Erat autem eadem ecclesia extra villam ædificata, atque ab omni hominum habitatione remota. Quadam itaque vice cum missam ibidem celebraret, hora perceptionis invenit hostiam super corporale fractam atque in duas partes a seipsa divisam, quam antea consecraverat integram et sanam. Quod ubi conspexit, turbatus et anxius cum metu et admiratione sacrificium consummavit. Expleto autem ministerio cæterisque dimissis, solus ibi remansit.

C

Egressus itaque foras, venit et stetit in capite ejusdem basilicæ, dorso adhærens ad parietem et facie versa **380** contra orientem. Qui dum ita positus ibidem aliquandiu staret, et de re quæ acciderat timide ac sollicite cogitaret, infremuit spiritu, et inhorruerunt subito pili carnis ejus. Tunc irruente in eum nescio qua virtute externa, ita defigi atque arctari cœpit ut nullo modo posset inde moveri. Et ecce apertis oculis vidit innumeræ multitudinis turbas, equestres et pedites, coram ipso citatis gressibus transeuntes. Erant autem in eis homines promiscui sexus, diversæ ætatis et conditionis, in quibus etiam multos deprehendebat, quos antea viventes in carne cognoverat. Unus ergo ex eis, quondam sibi notus et charus, ad eum accessit, et fixo gradu cœpit cum eo familiariter loqui. Percunctante vero presbytero quænam esset aut quid etiam ageret tanta turbarum infinitas, respondit animas esse carne solutas, quæ omnes variis pro varietate culparum deditæ pœnis, ita semper discursu reciproco longe lateque vagabantur in mundo. Quidam ex eis citius, quidam tardius liberandi erant, multorumque nihilominus pœnæ insolubiles permanebant.

D

Dum hæc ille loqueretur, perspiciens presbyter vidit unum ex eis ante se prætereuntem, de quo vehementer expavit, dicens: « Væ mihi misero peccatori! Nunquid iste est dominus noster Balduinus, Pisanus quondam archiepiscopus, de monasterio Clarævallis assumptus? » Respondit mortuus: « Ipse est vere » Et presbyter ad eum: « Hiccine ergo tantæ professionis monachus, et tantæ perfectionis episcopus, deputatus est pœnis, quem nos autumabamus jam in cœlo gaudere cum angelis? Ille vero ait: « Pro certo agnosce quia ipse est sanctus, celsique meriti homo, et magna est ejus gloria coram Deo. **381** Sed quoniam propter ipsum inter Pisanos et Lucanses populos diuturna jam guerra versatur, propterea differtur a requie, donec inter illos ad pacem discordia revocetur. »

Dum hæc ergo dicerentur, ecce iterum quidam dives olim ac præpotens miles veniebat, deferens in gremio suo argenti pondera magna, quibus onustus atque afflictus nimis incedebat. Quem cum presbyter agnovisset, quæsivit etiam de ipso cur tali supplicio subjaceret. Respondens mortuus ait: « Homo iste perversus et impius, nimium carnaliter atque tyrannice vixit: et ideo sempiternis deputatus est pœnis. Hic aliquando Jerosolymam proficiscens, pecuniam istam secum detulerat, ut eam erogando, peccata redimeret, et amicos sibi de mammona iniquitatis conciliaret. Sed, diabolo suadente, fraudavit animam suam operibus pietatis, et secum, ad propria remeans, victualia pauperum reportavit; quæ sicut ex malo collegerat, ita quoque ad cumulum mali in malum expendere non dubitavit. »

Hæc illo dicente, ecce apparuit columna jubaris immensi, ultra communem scilicet valentiam coruscantis, de cœlo usque ad terram porrecta, per quam anima quædam angelico ductu ad sidera contendebat. Quod cum presbyter ille vidisset, sciscitatus est iterum a suo collocutore quid esset. Ille vero respondit: « Ipsa est anima Constantini quondam judicis et domini Turritani. Hæc autem per novennium, ventis et pluviis algoribusque semper exposita, a die sui exitus usque nunc in stillicidio domus suæ constitit, ibique suorum excessuum pœnas luit. Sed quia misericors et liberalis in pauperes exstitit et judicium injuriam patientibus fecit, insuper etiam de **382** malis quæ commiserat, confessa et pœnitens exiit, idcirco misericordiam a Domino consecuta, hodierna die meretur a malis omnibus liberari, et bonis omnibus satianda ad æternam beatitudinem introduci. »

Hæc, et similia multa, quæ longum est enarrare, prædictus presbyter vidit, et de omnibus quæ quærebat suus illum confabulator instruxit. Ad ultimum

Digitized by Google

vero percunctatus est etiam de seipso. Cui ille respondit : « Ut tibi quid postulas expediam breviter, scias te indubitanter hoc anno moriturum, et secundum quod egeris recepturum. » Cum hæc ille dixisset, protinus ab eodem presbytero vale dicto pertransiit, et tunc omnis apparitio illa pariter cum eo disparuit. Presbyter autem ad seipsum reversus, et ex his quæ viderat vehementer affectus, mirabiliter in Dei timore profecit, et quamvis honeste antea viveret, postea tamen multo castigatius vixit. Visionem autem quam viderat, quibusdam religiosis ac sapientibus innotuit, et eodem, sicut audierat, anno de corpore exiens, in bona confessione migravit.

CAPUT XXXII.

Sarracena puella Christianæ religionis cupidissima, pro tuenda pudicitia, a Christiano, sed flagitioso milite, obtruncata, in martyrum canonem refertur ab Alexandro papa tertio.

Opinata res est valde et per Hispaniam divulgata quam refero. Erat nuper in eadem regione Sarraceni cujusdam divitis filia, quæ **383** in Christum fideliter credens, ad Christianismum pertingere satagebat. Locuta est ergo cuidam militi Christiano, dicens : « Noverit dilectio tua me in Deum tuum sinceriter credere et baptismi gratiam ardenti animo desiderare. Si ergo volueris me ad terram tuam ducere et facere Christianam, peculium magnum quod penes me habeo repositum tibi tribuam, et meipsam quoque in conjugem tradam. Quod si me forsitan habere nolueris uxorem, medietatem ipsius pecuniæ tibi dabo, reliquam meo victui reservabo. » Igitur annuente milite et datis utrinque dextris de conservanda fidelitate, exierunt latenter a finibus paganorum, comitante eos puerulo quodam qui erat in obsequio eorum. Venientes itaque ad quoddam castrum Militum templi, cum intrare nequirent (siquidem consuetudinis erat fores ejusdem municipii propter nocturnas insidias eo tempore non reserari), diverterunt in proximum frutetum, ubi copioso igne accenso comederunt et biberunt ex iis quæ attulerunt secum.

Expleta autem refectione, miles ille furore libidinis agitatus cum illa sua consorte concumbere cupiebat. Quod ipsa vehementer abhorrens, modis omnibus restitit ei, dicens : « Heus tu, bone Christiane, quid est quod facere tentas, ut et teipsum et me pariter perdas ? Tu in Christo renatus, ego gentilis ; adhuc non licet nobis invicem commisceri. Aut ut scorto abuti me quæris. Nunquid idcirco parentum meorum temporalem contempsi honorem et gloriam, ut me in terra aliena prostibulum faciam ? Hæccine ergo est puritas Christiana, quam te docente, me assequi delectabar ? Recordare, obsecro, **384** Domini Dei tui, et memento quia in fide et veritate ipsius me honeste tractandam suscepisti. Habeas itaque reverentiam Christo tuo, et ne velis captivam illius tanto dehonestare ludibrio. Si me consortem tori habere volueris, sustine per modicum tempus, donec opprobrium paganitatis meæ fonte baptismatis diluatur, et tunc legitimo fœdere sociemur. Sin autem, ut dixi, meum fortasse connubium aspernaris, portionem substantiæ meæ quæ te contingit habeto, et me Christo vacare permittito. » Hæc illa dicente, nihil ille movebatur ad pietatem, sed libidine magis ac magis insaniens, minabatur ei necem inferre celeriter, nisi protinus ejus imperio consentiret. Ipsa vero Christiano more constantior, libera voce dicebat se pro tuitione pudoris mortem potius eligere gloriosam quam pudicitia prostituta ignominiosam redimere vitam. Tunc furibundus atque funestus miles, evaginato mucrone caput illius amputavit, projectumque corpus in ignem ex magna parte combussit.

Verum superna justitia de cœlo respiciens, non est passa diutius inultam remanere tanti ponderis impietatem. Statim namque præparatus ad imperium Domini, egressus est de caverna proxima draco terribilis, qui ad eumdem locum concite veniens, ac terrifico ore debiscens, filium perditionis invasit. Cum ergo immanem illam belluam sibi de subito imminentem miser aspiceret, illico totus inhorruit, et non habens resistendi fiduciam fugere cœpit. At vero bestia celeriter insequens, et consequens fugientem, feralibus eum dentibus a dorso comprehendit : quem ad suam cavernam protinus pertrahens, in ultionem tantæ crudelitatis, morsu amarissimo devoravit. Supradictus **385** vero puerulus ista considerans, nimio terrore concussus aufugit ; et facto mane veniens ad castrum, cuncta quæ acciderant per ordinem enarravit. Exeuntes itaque Templarii, spolia mortuorum ipsumque beatissimæ martyris corpus semiustum cum capite repererunt. Quod secum deferentes, cum devotione et reverentia sepelierunt. Postmodum autem missa pro ea legatione etiam ad dominum papam Alexandrum, indicatum est ab eo ut in ecclesia cum honore tumularetur, et quasi martyr inter martyres haberetur, utpote quæ amore castitatis occubuit, et proprio sanguine baptizata, martyrii coronam Domino largiente promeruit.

CAPUT XXXIII.

Igneo spectro deterrentur monachi Burlencurtis, a thesauro quem quidam somniarat, effodiendo.

Homo quidam de villa, quæ dicitur Lousa, in episcopatu Catalauni, cum sæpius somniasset statuam quamdam ab antiquis temporibus in proximo luco humi latere reconditam, ipsamque a monachis Burlencurtis esse reperiendam, curavit eisdem fratribus indicare hujusmodi visionem. Hoc autem sæpius faciens, tandem persuasit ut quærerent. Perrexerunt itaque sedecim fratres ad ipsum locum, præambulo somniatore, cœperuntque fodere in terram, spe fortunæ magis, quam desiderio statuæ reperiendæ. At vero isdem locus in ingressu nemoris positus erat, cui etiam latissima campi planities extrinsecus adjacebat. Cumque paululum **386** excavassent, esse apparuit eis in ipsa planitie fo-

Digitized by Google

culus, ad unum miliarium remotus, qui veluti ardens facula putabatur. Quem dum attente conspicerent, viderunt ad ipsos recto tramite dirigentem. Et quanto amplius propinquabat, tanto amplior apparebat. Ibat igitur foculus accrescens, et proficiens in rogum, atque in brevi factus est clibanus ingens, aut aliqua domus ardens in oculis eorum. Quem cum terribiliter irruentem, jam sibi de proximo imminere conspicerent, conturbati et conterriti sunt vehementer, quid agerent quove fugerent ab igne devorante penitus ignorantes. Unum autem in tanto discrimine remedium erat, divinam implorare clementiam quæ sola succurrere poterat. Conversi igitur ad orationem, in tribulatione et angustia magna Dominum precabantur, ut ab instanti morte liberarentur. Tunc vero flammeus ille globus, Domino imperante, cohibitus substitit in medio campo, remotus ab eis quasi unius jugeris intervallo. Erat autem in aere suspensus, et veluti quatuor aut quinque cubitis a terra separatus. Qui cum aliquandiu ita immobilis perstitisset, tandem miserante Domino, quo venerat remeavit, et remeando rarescere cœpit, atque ita paulatim deficiens, omnino disparuit. Abeuntes itaque fratres, diabolicam statuam, cum sua fortuna, tenebrarum principi reliquerunt. Jamque castigati salubriter, et non mortificati, didicerunt sperare in Domino, magis quam in incerto divitiarum, scientes utique incomparabiliter existere melius strenue operando de labore manuum sustentari, quam vivendo remisse de mammona iniqua aut de anathemate Jericho velle locupletari.

387 CAPUT XXXIV.

Margareta, pia femina, in episcopatu Rosqueliæ, a barbaro marito diu vexata, ac tandem crudeliter interfecta, et sacri cadaveris integritate et aliis miraculis divinitus illustratur.

In episcopatu Rosqueliæ exstitit mulier quædam, mitis et humilis corde, nomine Margareta, magna simplicitate et innocentia prædita, quæ bonis operibus jugiter insistebat, et illatas sibi frequenter injurias æquanimiter tolerabat. Huic autem vir impius atque crudelis erat, qui nequaquam se illi maritum et comparem, sed quasi tyrannum ac persecutorem dirissimum exhibebat, siquidem odio habebat illam propter ipsius innocentiam ac simplicitatem, reputans eam fatuam et insipientem. Erat itaque semper infestus illi, tota die conviciis appetens, verberibus atterens, multisque afficiens malis. Ipsa vero quasi non sentiens et quasi non habens in ore suo redargutiones, malum in bono vincere satagebat, et cum iis qui oderant pacem pacifica erat. Præterea quædam mulier nequam, ejusdem, ni fallor, rustici soror, magna adversus illam invidia tabescebat, quæ ipsum fratrem suum ad ejusdem odium et insectationem jugiter inflammabat. Quadam itaque vice cum vir ille malignus, præsente atque suadente sorore, innoxiam feminam usque ad mortem vapulasset, ac pœnis ejus inexorabili crudelitate adhuc saturari non posset, ad cumulum suæ damnationis adjecit ut eam morte mulctaret. **388** Resupinatam igitur inter duo fulcra, desuper eam valide compresserunt, et ita violenta nece suffocaverunt. Cumque penitus extincta fuisset, miserunt laqueum in collo ipsius, et suspenderunt ad trabem in angulo domus.

Perpetrato itaque tanto piaculo, cœpit impius ille multator simulare luctum atque lamentum, planctuque funebri finitimos omnes invitare ad planctum. Unde complausis ad invicem manibus ululans et clamitans in excelso, aiebat: « Heu, heu! venite et condolete mihi, omnes amici et proximi. Venite, inquam, et videte quomodo infelix et fatua uxor mea, me absente, me ignorante, se perdidit, quomodo invadente diabolo laqueo se strangulavit. » Cum ergo hujusmodi lamentis credulitatem populo falsarius nequam persuasisset, tunc ejicientes funus cum dedecore magno, traxerunt procul quasi mortuum canem, usque ad oram maris, ibique littoreo sabulo modice operientes, reposuerunt illud cum duobus latrunculis noviter in eo suspensis atque sepultis. Marini autem fluctus eidem loco frequentius illidentes, et supersectam mortuis arenam paulatim labefactantes, in proximam paludem rejiciebant, ita ut ipsa corpora nonnulla ex parte nuda apparerent. Expleto autem biennio, cum quidam cæcus juxta prædictum locum itinerando incederet, contigit ut manus et faciem loturus, ad ipsam paludem diverteret. Statim vero ut ex eadem unda oculos perfundere cœpit, miserante Domino curatus est, et visum recepit. Quod ubi ille persensit, illico obstupefactus vehementer, exclamavit, et dixit: « Christe Fili Dei, quid est quod accidit mihi? Ecce ego video mare, et aridam et cuncta quæ circa me sunt. Putasne in somnis **389** ista considero, an ita agitur in veritatem mecum? Unde ista lux cæco? unde gaudium misero? unde salubritas desperato? » Cum ergo, perseverante visu, revera cognosceret se esse sanatum, continue lætabundus et laudans currere cœpit ante ductorem suum, veniensque ad proximam villam nuntiavit omnibus quæ sibi acciderant. Accurrentibus igitur cunctis ad ipsum locum, omnes male habentes cum in eamdem aquam descendissent, continuo sanabantur a quacunque infirmitate detinebantur. Cupientes vero cognoscere unde illa benedictio sanitatum, cœperunt effodere tumulos damnatorum.

Cumque latronum morticina contingerent, tanta in eis putredo corruptionis apparuit, tamque intolerabilis fetor ipsum aerem tabefecit, ut opilatis naribus omnes pene fugerent. Moxque rejectum sabulum super immunda cadavera cumulotenus congerentes, beatæ illius Margaretæ corpus invisere festinarunt. Quod cum discooperuissent, ita a planta pedis usque ad verticem incorruptum ac venustum apparuit, ut viventi potius quam mortuo simile videretur. Non solum autem, sed et tanta

Digitized by Google

ex eo suavitatis fragrantia exhalabat, ut omni pulvere pigmentario respersum putarentur. Inventa igitur pretiosa margarita, tanti muneris largitori gratias retulerunt, præconia magna rependerunt, et educentes eam de lacu miseriæ et de luto fæcis, ad ecclesiam suam cum digna reverentia portaverunt. Tunc vero comprehensus ipsius parricida, interrogatus est minis et tormentis. Et quia jam celare non poterat, confessus est omnem veritatem, audientibus universis. At ubi nuntiata sunt ista præsuli, et primoribus civitatis, venientes illico clerus et populus **390** innumerabilis, venerabile pignus cum honore debito ad sedem pontificalem detulerunt, atque in ipsa majori ecclesia, solemni devotione et gaudio collocaverunt. Ibi vero ad tumulum ejus catervatim confluunt undique tam de vicinis quam de remotis partibus populi multi, tantaque ibidem miracula fiunt, ut præ nimia multitudine nequeant comprehendi.

CAPUT XXXV.

Cacodæmon simulacri sui confracti et combusti injuriam ulcisci conatur.

Quidam honestus frater de monasterio Fonteneti, ante conversionem suam profectus est aliquando mercimonii causa ad terram paganorum. Habebat autem comitem secum quemdam alium Christianum juvenem. Dum ergo ibi demorarentur, contigit ut in quemdam lucum, spatiandi causa, soli pervagarentur. Cumque devenissent in cujusdam loci secreti amœnitatem, repererunt ibi quoddam simulacrum enorme, intrinsecus ligneum, extrinsecus pice linitum, quod veluti truncus ad stipitem arboris stabat erectum. Illuc ergo secretius adoraturi, aut etiam immolaturi, de villa proxima veniebant ii qui circa nefandi numinis obsequium sese devotiores, imo vero dementiores exhibebant. Succensi itaque fidei zelo christiani juvenes, exsecrabilem statuam in frusta comminuerunt, et protinus igne supposito in favillam et cinerem redegerunt. Quo facto fugam arripuere maturius, ne forte a **391** fanaticis cultoribus deprehensi, pœna simili punirentur. Neque enim tantæ adhuc erant constantiæ, ut hoc ausi fuissent in propatulo facere. Nocte vero sequenti, cum futurus ille Fonteneti conversus sopori membra dedisset, apparuit ei spiritus ille noctifer, instar idoli concremati piceus et niger; et projciens in oculis ejus calidos cineres quos manibus præferebat, dixit ad eum: « Ecce, tu heri combussisti me, et ego comburam te hodie. » Evigilans vero juvenis, dolorem magnum et cruciatum in oculis sensit, qui etiam longo postea tempore durans, graviter eum afflixit.

CAPUT XXXVI.

Christiana fide in Sclavoniam inducta, diffugiunt ex ea dæmones cum horrendo strepitu, velut exercitus prælio victi, et fusi ac fugati.

In regione Sclavoniæ, quæ noviter est ad fidem Christianam conversa magna ex parte, plurima jam Cisterciensis Ordinis monasteria constat esse fundata. Porro monachi illi qui ibidem Domino serviunt, ob quotidianam conversionem gentilium, baptizandi potestatem a summo pontifice acceperunt. Factum est autem ut aliqui de fratribus illis, a quibusdam fidelibus invitati, statuta die venirent ad unam de proximis villis, paganorum multitudinem in ea baptizaturi, quæ nuper fide recepta regenerationis gratiam flagitabat. Præcedenti itaque nocte, antequam illuc pervenissent, auditus est ibi sonus et fremitus ingens, quasi exercitus **392** grandis, toto tempore noctis per vicos et plateas ejusdem villæ perstrepentis, qui velut ab alio exercitu fortiter impugnatus, tandemque superatus, terga vertere, atque cum magna turbulentia exire videbatur. Porro homines loci, recedentium strepitum et fugam communiter audientes, et personam aliquam non videntes, stupebant ac metuebant, nimirum ignorantes quæ ista novitas esset aut quid boni malive portenderet. In crastinum autem venientes monachi ad eamdem villam, baptizaverunt ibi promiscui sexus turbam copiosam. Tunc vero cunctis fidelibus manifeste innotuit quod tumultus ille nocturnus nihil aliud exstitit, nisi dæmonum legiones, ab obsessis hominibus increpante Domino fugientes; qui beatorum angelorum præsentiam, et sancti Spiritus adventum sustinere non poterant. De qua videlicet re multum in Domino consolati sunt universi, præcipue vero neophyti illi qui ab immunda damnatione fuerant liberati.

CAPUT XXXVII.

Aspersione aquæ benedictæ mulier gentilis excruciata, ad Christi fidem convertitur.

Quædam mulier gentilis, cœtui fidelium mista, casu aspersa est aqua benedicta. Quam sentiens, et multum abhorrens, protinus sensit dolorem et ardorem intolerabilem, ac si collo tenus fuisset immersa in caldariam aquæ bullientis. Quæ cum diutissime cruciaretur, et invocatis ad opem numinibus idolorum, non modo incendium corporis non **393** minueretur, sed potius augeretur, tandem vexatio dedit intellectum auditui, et cognovit in veritate quod non esset ei salus in diis illis. Unde, invocato nomine Salvatoris, et percepto lavacro salutari, salutem corporis et animæ sine mora percepit, et ita fidelis effecta conjuncta est fidelium turmis.

CAPUT XXXVIII.

Rex Olavus, qui postea martyr, cum per imprudentiam Dominica die virgam cultello dolaret, admonitus indoluit; et collecta schedia cum in pœnam manui suæ imposita exussisset, a flamma tamen illæsus fuit.

Quadam die Dominica gloriosus rex et martyr Olavus, cum virgulam ubi residebat inventam, cultello quem in manu tenebat dolaret, immemor quod Dominica dies esset (observant enim in Norvegia cum magna diligentia dies festos, nec ultro aliquid magni vel parvi facere præsumunt); unus ex ipsis qui assistebant regi, videns quia rex Dominica die

Digitized by Google

dolaret; nec tamen ausus aperte dicere quod Dominica dies esset, hac illum voce commonuit : « Domine, inquit, rex, cras erit secunda feria. » Qua commonitione rex ad se reversus, et quia virgam dolaverat Dominica die, vehementius dolens, et dolaturas virgæ collegit, et collectas super manum suam igne adhibito combussit. Quibus combustis, manus ejus apparuit illæsa. Innovatum est illud miraculum quod olim apud Babylonem in tribus pueris celebratum est. Ad consummandas virgæ particulas ignis vim naturalem habuit, nec omnino lædere valuit innocentis regis manum.

394 CAPUT XXXIX.

Episcopus ridicula effutire solitus, apparet post mortem ulcerosis ac tumidis labiis; et septem fratrum servato per dies aliquot silentio liberatur.

Sanctus Hugo abbas Cluniacensis, episcopum quemdam sæpe reprehendendo commonuit, ut ridiculosa quæ male consueverat verba proponere dimitteret, addens quod nisi in præsenti vitam corrigeret, post mortem tumentibus labiis et spumeo ore deformis appareret. Episcopus non correxit. Defunctus est. Cuidam sacerdoti apparuit, et, ut sanctus prædixerat, ulcerosis tumida labiis ora præferebat. Petit auxilium Patris flebiliter, quem pie corripientem audire noluit. Sacerdos refert Patri quod viderat : miseretur abbas, et excessum ejus septem fratrum silentio sanare festinat. Septem fratres eligit, quibus septem diebus pro episcopo silere præcipit. Septimus transgreditur, silentium solvit. Redit episcopus ad sacerdotem, fractum silentium accusat, de transgressione conqueritur, de dilata oris sanitate pro inobedientia septimi causatur. Audiens hoc abbas, transgressorem invenit, et septenarium alio silentio instaurat. Quo completo, tertio præsul apparuit, gratias agens abbati, pontificali indutus chlamide, os sanatum ostendens.

DIATRIBA
DE ILLUSTRI GENERE S. BERNARDI
ABBATIS CLAREVALLENSIS.

395 PRÆFATIO.

Ultro quidem concesserim in eorum sententiam, qui super illa Romani Breviarii clausula, qua S. Bernardus *honesto loco natus* dicitur, sacram Rituum Congregationem adeundam putant. Etenim qui hæc legens, de Bernardi natalibus aliud nihil norit, facile illum opinetur plebeiis ortum parentibus, puta agricolis, aut opificibus aliisve ejusdem notæ, cum tamen illum utroque parente fuisse constet perquam nobilem. Sane veritas tum in omni historia elucere debet, tum in iis maxime, quibus orbe toto catholicæ basilicæ personant, divinis officiis, ne si ea alicubi neglecta appareat, ansa præbeatur fidei hostibus calumniandi, et alias pariter sacrarum lectionum partes, quæ de mysteriis rebusque ad salutem necessariis pronuntient, vocandi in dubium. Adde, et hac Bernardi natalium depressione, nonnullam viro sanctissimo, et de Ecclesia quam optime merito 396 injuriam fieri, dum ejus virtuti suus quidam splendor, ac sua veluti basis detrahitur, si vere prudens quisque existimat virtutem nobilitati impositam, insitamque, et altius eminere et fulgere illustrius. At nolim frivolis rationibus aut obscuræ fidei testimoniis astrui sancti viri clarum genus. Rem totam diligentius excutiamus, in qua ut certi aliquid ac solidi proferamus, primum illud nobis demonstrandum est nobilem fuisse Bernardum : deinde equestris ordinis, quem illis temporibus *Militiam* vulgo nuncupabant : ad hæc antiquæ in eo gradu originis : denique et per matrem Aalydem, quæ Bernardi Montisbarri dynastæ filia erat, ex antiquis Burgundiæ ducibus prognatum.

SECTIO PRIMA.

Non est derivatum stemma Ordinis Cisterciensis a S. Bernardi insigni gentilitio

Bernardum Barnabas de Montaluo, Mariana lib. x Historiæ Hispaniæ, cap. 12; Bonifacius Simonetta lib. II Historiæ suæ, et alii nonnulli e recentioribus, ortum volunt ex ea ducum Burgundiæ gente cui caput fuit rex Francorum Robertus : adeoque non Galliæ tantum, sed et Hispaniæ, et Lusitaniæ regum consanguineum prædicant, *quo Bernardo*, inquit Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus, anno Christi 1105, cap. 1, num. 4, *cunctos Christianos principes arcto sanguinis fœdere devinciant*. Id vero probare se putant ex Ordinis Cisterciensis antiquis insignibus, quæ cum eadem ipsa 397 sint, quibus usos constat veteres illos Burgundiæ duces, nempe zonæ aureæ tres in parma cærulea, sive, ut nunc loquuntur, senæ fasciæ ex auro et cyano dextrorsus obliquatæ in margine purpureo, a Bernardo, qui ex ducum illorum familia originem traxerit, eum morem opinantur derivatum, ut nimirum antiqui Patres Cistercienses, qui Bernardum Ordinis sui non quidem primum auctorem, sed propagatorem agnoscerent, ac singularem

Digitized by Google

patronum, gentilitia ejus insignia pro suis haberent. At hæc referens Philippus a sancto Joanne Baptista, in Vita S. Bernardi Italice a se conscripta, lib. III, cap. 29, merito negat in sui stemmatis delectu spectasse Cistercienses ad alumnum suum Bernardum; sed potius ad illam Burgundiæ ducum familiam, quorum maxime beneficiis atque auctoritate fundatus est, crevitque in gentem magnam eorum Ordo. Quod vero addit, Tecelino S. Bernardi patri ea fuisse familiaria insignia, quæ ad S. Bernardi effigiem expressit ante annos prope ducentos Hermannus Schedel in Chronico Chronicorum, videlicet in scuto nigro balteum, auri et minii ductu gemino tessellatum, quæ plerique opinantur esse ipsam et vel S. Bernardi, vel abbatiæ Clarevallensis antiqua insignia, nos infra seorsim accuratius discutiemus.

398 SECTIO SECUNDA.

S. Bernardi nobilitatem ostendit Humbelinæ sororis ejus, itemque fratriæ, nempe Guidonis ejus fratris conjugis nobilitas.

Fuerunt Bernardo fratres quinque, soror unica, utroque omnes parente hoc ordine geniti. Primogenitus fuit Guido, secundus Gerardus, tertius Bernardus, quarta Humberga, de aviæ maternæ nomine, sive Humbelina (nam hic illi fuit nascendi ordo, teste Joanne Eremita in Vita S. Bernardi), quintus Andreas, sextus Bartholomæus, septimus et ultimus Nivardus. His omnibus sors natalium conditioque communis. Non potuit nobilis germanæ non esse frater nobilis. De Humberga, sive Humbelina Bernardi sorore hæc Guillelmus abbas, lib. I Vitæ S. Bern, c. 6, omni major exceptione testis : *Soror quoque eorum in sæculo nupta, et in sæculo dedita, cum in divitiis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret.* Narrat deinde ut ad Claramvallem veniens *cum comitatu superbo et apparatu*, eoque a fratribus increpita, et de vita ad matris communis Aalydis exemplar componenda serio admonita, multis perfusa lacrymis abscesserit, ac deinde subdit : *Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam.* Vellem Brittone antiquiorem scriptorem, qui cum illo diceret; Humbelinæ maritum fuisse fratrem ducissæ Lotharingiæ. Ariolari mihi nefas puto. Ad Guidonis uxorem transeamus.

399 Si in matrimoniis, ut mos est, conjugum spectata est æqualitas, nobilis deprehenditur Guido ex conjuge nobili. Guillelmus abbas, lib. I Vitæ S. Bernardi, cap. 3 : *Guido primogenitus fratrum conjugio jam alligatus erat, vir magnus et præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens et recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili et paululas filias nutriente pene impossibile videbatur.* Et post pauca : *Hæc denique juxta morem ecclesiasticum separata a viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose usque hodie serviens Deo.* Bernardus Britto, in suis Chronicis sive Annalibus Cisterciensibus, Guidonis uxorem filiam fuisse ait comitis Florestensis. Forestensem fortasse, seu Foresiensem voluit dicere. Si sic habet, primæ igitur erat nobilitatis, cum illis temporibus, comitum familiæ iis qui nunc sunt principibus tantum non æquarentur, regesque ipsos aut consanguinitate aut saltem affinitate pleræque attingerent. Sed optandum esset ut Britto assertionem suam aliquo antiquitatis testimonio firmaret. Mihi satis est ad propositum nobilem illam fuisse vel teste Guillelmo abbate. Hanc postquam a viro in Cisterciensem Ordinem concedente separata est, opinor monialem factam in Juliaco, seu Julleio quod primum monasterium exstructum esse excipiendis nobilibus feminis, quæ Bernardi et sociorum exemplis sæculo renuntiarunt, tradit Guillelmus abbas, lib. I Vitæ S. Bernardi, cap. 4, apud Surium die 20 Augusti, his ipsis verbis, quæ mirati sumus in nonnullis ejusdem operis editionibus prætermitti, nam eadem refert ex **400** ms codice Jacobus Merlonus in editione Parisiensi anni 1645 operum S. Bernardi. Nec dubium quin auctorem habeant Guillelmum abbatem, qui tamen videtur ea Vitæ S. Bernardi jam a se in publicum emissæ, posterius, ut sæpe fit, inseruisse, unde est quod in multis exemplaribus non reperiuntur : *Quia vero ex prædictis sociis ejus*, videlicet Bernardi, *uxorati aliqui fuerant, et uxores quoque cum viris idem votum sanctæ conversationis inierant, per ipsius sollicitudinem ædificatum est eis cœnobium sanctimonialium feminarum, quod Julleium dicitur, in Lingonensi parochia : quod Domino cooperante, magnifice satis excrevit, usque hodie religionis opinione celeberrimum, et personis ac possessionibus dilatatum; sed et propagatum jam per loca alia, et non cessans adhuc ampliorem facere fructum.* In Juliacum ergo cum secessisset illa Guidonis olim conjux circiter annum Christi 1113, aut 1114, eique novo monasterio dedisset initium, post annos aliquot ex eo coloniam duxisse videtur in Pratumlongum, vulgo *Pralon*, quatuor admodum leucis horariis dissitum ab urbe Divione, Sombernionem versus, ejusque cœnobii fundamenta jecisse circa annum Christi 1140, S. Bernardo Clarevallensi abbate, et Godefrido Lingonensi episcopo adjuvantibus. Id vero ut sentiam facit vetus loci traditio, certis etiam scriptis antiquis affirmata, fuisse in Pratolongo abbatissam S. Bernardi quamdam sororem, cujus in gratiam ei domui Fontanenses et Sombernionenses Domini bona plurima contulerint. Exstant horum beneficiorum testes antiquæ tabulæ, quas autographas diligenter excussimus : quarum ex unis habetur eam domum fundatam et ædificatam, præsentibus et curantibus inter cæteros Bernardo **401** Clarevallensi abbate, et Godefrido Lingonensi episcopo. At cum Bernardo duæ tantum in sæculo dictæ sint sorores, Humbelina germana unica altera fratria, scilicet

Digitized by Google

Guidonis ejus fratris conjux, vulgo soror quoque nuncupata; et Humbelinam affirmet Guillelmus abbas lib. 1 de Vita S. Bernardi, cap. 6, monialem factam in Julleio, ibidemque mortuam testetur auctor Vitæ beati Petri, prioris tum Juliacensis, piam animam Deo commendante inter alios ipso ejus fratre S. Bernardo, restat ut Guidonis conjux ea intelligenda sit Bernardi soror, quæ in Pratilongi monasterio vitam egerit. Audivimus præterea ex ore antiquæ abbatissæ de Pralon, quod cum ante aliquot annos, nimis depressum, eoque humidius oratorii solum, ingesta materie aliquot pedibus attolli curaret (unde tumulos quamplurimos moveri necesse fuit), inventum esse in Beatæ Mariæ sacello plumbeum loculum, quo S. Bernardi cujusdam sororis ossa concludi fama erat. Et habent in sacrario suo Pratilongi sanctimoniales, B. Bernardi lipsana complura, inter quæ est alba et casula quibus indutus sacris operabatur; et calix ex argento deaurato, pateræ instar latus ac parum profundus, illique alteri persimilis, quem etiamnum Clarevalienses ut S. Bernardi ipsissimum calicem religiose asservant.

SECTIO TERTIA.

Nec S. Bernardi germana, nec fratria, fuere Cisterciensis Ordinis moniales, sed Benedictinæ nigræ.

Digredior tantisper, ut quas et nobiles et moniales asserui, illas in monialium statu Ordini suo restituam. Pendet nodi hujus solutio ex natura **402** Regulæ earum domorum in quibus illæ versatæ sunt. Humbelinam dixi in Juliaco et professam esse, et mortuam; conjugem porro Guidonis, velatam quidem fuisse apud Julleium, inde vero in Pratumlongum translatam, ibi vitam clausisse. Est hodieque Pratilongi monasterium, fuitque ab ortu suo Ordinis nigri Benedictinarum. Unde est quod ejus loci moniales ante aliquot sæcula, in libello supplici ad regem pro recuperanda villa Changeio, tunc alienata, esse se profitentur Ordinis S. Benigni Divionensis, hoc est Ordinis Benedicti, quem tunc tenebant, tenentque etiamnum monachi Benigniani. Nec minus id certum de Juliaco; quippe fundato a Milone Barri ad Sequanam comite, et Guidoni Molismensi abbati attributo, et a monachis Molismensibus Benedictinis ad hanc usque diem administrato. Nam et beatus Petrus prior Juliacensis, qui Humbelinæ ibidem morienti adfuit, monachus erat Molismensis, qui sanctum Robertum e Cistercio Molismum redire jussum comitatus est; et destructo Juliacensi parthenone, quod ex illo solum restat sacellum cum titulo prioratus, et ei annexis redditibus, nunc etiam ad Molismensem abbatiam spectat. Ex quo mirum videri possit vix esse rerum Cisterciensium scriptorem ullum, qui Humbelinam si non Cisterciensium feminarum primam institutricem, certe Ordinis Cisterciensis monialem fuisse non affirmet. Nunquid una vixit Humbelina Cisterciensis inter Benedictinas? Aut si omnes in Julleio moniales Cistercienses fuere, nunquid regi potuerunt a monachis Molismensibus Benedictinis, albæ a nigris, ut esset Juliacum alieni capitis membrum? Prudenter sane et pie fecerint Ordinis **403** Cisterciensis feminæ, si S. Bernardi sororem, eamque vitæ sanctimonia illustrem, sibi patronam adoptent, dum tamen illam, non Cisterciensem, sed Benedictinam fuisse fateantur. De suis exordiis si certi aliquid nosse volunt, intelligant, in pago de Thart, quod unius duntaxat horæ itinere abest a Cistercio, fundari cœptum esse primum Cisterciensis normæ puellarum asceterium sub Goceranno Lingonensi episcopo, circa annum Christi 1125, perfectumque anno 1132, sub Guilenco ejus successore; abbatissa Elisabeth, et Maria priorissa novæ congregationi præpositis. Hoc monasterium non negaverim ex Juliacensi Benedictinarum deductum esse, sicut prius Cisterciense ex Molismensi, ut vere dixerit Guillelmus abbas, loco supra citato, Julleium seu Juliacum propagatum jam per alia loca tum cum ille scriberet. Et videtur Tartense monasterium, ut primum origine, ita cæterorum omnium ejusdem sexus atque Ordinis caput fuisse. Unde in bulla Innocentii papæ III, data anno Christi 1200, octodecim numerantur ad Tartum pertinentes abbatiæ: quarum abbatissas singulis annis, in festo S. Michaelis, ad abbatiam de Thart olim convenire solitas esse ad capitulum generale, cui præerat abbas ipse Cisterciensis, aut alius quis ejus vice, testatur Guido abbas Cisterciensis, *abbatiam de Thart propriam filiam domus Cisterciensis* appellans, ac verisimillimum faciens, quod ex Tarto, per octodecim illas ejus propagines, cætera omnia, aut pleraque Cisterciensis Ordinis puellarum cœnobia derivata sint. Habuit sane Tartensis domus inter illustres moniales suas, etiam Adelheydem Lotharii imp. sororem, Simonis I ducis Lotharingiæ **404** viduam, matrem Matthæi Lotharingiæ ducis, et fratris ejus Balduini, ac sororis Agathæ Burgundiæ comitissæ: quæ quidem Adelhays, ut testatur Matthæus dux, ejus filius ad annum 1142, *mutatione dexteræ Excelsi pauper rebus et spiritu, sanctæ conversationis propositum habitum susceperat, in [ecclesia et congregatione Tartensi.* Hoc quoque monasterium Tartense, quondam opibus et religione inclytum, nunc desertum est a monialibus, Divionem transductis ex anno Christi 1623. Ita Juliacum et Tartum, sanctimonialium duæ illæ nominatissimæ domus, quas Molismensium ac Cisterciensium disciplinæ primi æstus protulerant, hodie nihil habent antiquæ religionis, præter tot sanctorum virginum pios cineres, quos in æterni Sponsi amplexus dies mundi suprema excitabit.

SECTIO QUARTA.

S. Bernardus ex patre equestris ordinis fuit, quem militiam tunc appellabant, et in eo gradu, antiquæ puræque originis

Fuit olim militia fere duplex, altera officii seu ministerii, altera dignitatis et honoris. Ministerii

Digitized by Google

militia, alia armata, alia urbana seu civilis. Armata rursum subdivisa in castrensem quæ adversus hostem emittitur; et præsidiariam, cui urbium arcium que committitur cura. Civilis triplex: palatina, quæ in familia principis, togata seu forensis, quæ in judiciis; et litterata, quæ publicis rescriptis intenta. De quibus erudite Carolus Loyseau, lib. I De juribus officiorum, cap. I, recte admonens 405 armis quoque succinctam esse militiam Palatinam, sed fere ad pompam, non, ut quæ proprie armata dicitur, ad rem gerendam.

Dignitatis sive honoris militia, vix alia fuit apud Romanos ab ejus militiæ, quam officii diximus, superioribus gradibus vel præfecturis, puta tribunorum, primiceriorum, senatorum, ducenariorum, biarchorum, circitorum, et aliorum officiis, de quibus Hieronymus adversus Jovinianum, et cæteri qui de re militari. Sed apud gentes quæ Romanorum imperium per Europam occuparunt, alia quædam fuit militia honoraria, quam Galli *chevalerie* vulgo nuncupant, quæ gradum quemdam habet nobilitatis supra communem; plane ut barones nostri, vel potius equites torquati, quos vocant *chevaliers de l'Ordre*, sic dicti a torque, sive militiæ, sive equestris ordinis insigni. Hanc media sæcula κατ' ἐξοχὴν, *militiam*, et qui ad eam provecti essent, *milites* dixere. Unde est quod nobilissimos quosque viros, qui neque comites, nec duces, nec principes essent, passim milites nuncupatos cernere est in antiquis tabulis, in epitaphiis, in necrologiis, imo qui in Latinis scriptis milites, eosdem ipsos in Gallicis *chevaliers* appellatos. Et hodieque in senatu Parisiensi, ubi senatorum omnium nomina Latine more majorum recitari quotannis solent, primus præses militis titulo honestatur, cum idem in aliis regni parlamentis dicatur Gallice *chevalier*. Conferendæ hujus militiæ varii apud varias nationes fuerunt ritus, variatque insignia, quæ meum non est hoc loco persequi. Duplex ad illam via, genus, et res gestæ: patuit enim semper in omni bene constituta republica, a Virtutis templo ad templum 406 Honoris transitus: quod vel ex Friderici II imp. rescripto intelligi potest, apud Petrum de Vineis, lib. VI epistolarum, cap. 17, quo imperator quemdam militem creat, de sua majestate bene meritum, cujus pater miles non fuerat; quanquam, inquit, *nostris constitutionibus caveatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non nascuntur*. Intellige, nisi propria virtute, et rebus præclare gestis eam sibi a principe gratiam promereantur. Sane sicut de consulatu dictum in Novella impp. Theodosii et Valentiniani, tit. 46, *De honoratis, et quis in gradu præferatur*, eo Augustos quoque fuisse decoratos, ita certum est hac militia etiam comitum ac ducum, imo et regum ipsorum filios ornari solitos. Itaque in Necrologio Benigniano ad VII Kalendas Februarii, obiisse legitur *Henricus miles, noster amicus*, non alius certe a Roberti ducis filio, Roberti regis nepote, patre Hugonis et Odonis Burgundiæ ducum, nec non et Henrici Lusitanorum regum parentis, cujus anniversarium postridie, id est VI Kalendas Februarii celebrandum, ejus filius dux Odo I in S. Sequani monasterio fundavit, certis in id officii annuis redditibus constitutis. Cur autem moriens Henricus sola militis appellatione ornatus est, ea fuit ratio, quia ante patrem Robertum ducem e vivis excessit; alioqui dux et censendus et appellandus, nisi ducatum ab avo in nepotes transmittendum ipse patri decedens reliquisset. Sexcenta occurrunt similia illustrium, adeoque regiorum juvenum exempla, qui et milites creati, et dicti sunt cum id ætas et vitæ conditio tulit. Etenim militum liberi, nobiles quidem omnes fuerunt, et militaris, sive equestris, ut nunc loquimur, Ordinis, at non milites, nisi 407 postquam per cingulum et gladium, aliove ritu milites a principe sunt effecti. Ipse Tecelinus, ex milite post filios monachus, nullum nisi monachi titulum moriens tulit. Necrologium S. Benigni, III *Idus Aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Bernardi abbatis Clarævallis*. Sic et Bernardus ipse, nusquam miles, quia ad vitam clericalem a puero destinatus, militis tamen filius fuit, eoque cæteris nobilibus uno saltem gradu prior.

Sed fuerunt horum militum varii quasi ordines, si genus, seu nobilitatem ex militia derivatam spectes. Quidam ex his novi homines, hoc est primi e sua progenie ob egregium aliquod facinus, et patriæ vel principi navatam operam, militia donati. Alii ex avorum militum longa série progeniti. Hi si quatuor, aut plures majorum suorum lineas, a paterno maternoque latere, in eo militiæ gradu stetisse approbassent, eo certe novis militibus, aut novorum militum filiis censebantur nobiliores. Hoc nimirum fuit genus S. Bernardi, cujus pater Tecelinus a Guillelmo, lib. I Vitæ, cap. 1, *vir antiquæ et legitimæ militiæ* fuisse asseritur. Cujus vim dicti non percepit Gallicus interpres, de Tecelino scribens, *qu'il passa beaucoup de temps dans les charges de la guerre qu'il exerça dignement*. Quidquid enim sit de armata aut palatina militia, cui adscriptum Tecelinum nec asserimus, nec negamus, eas tamen voces ex illius sæculi usu sic interpretamur, quod Tecelinus novus miles non fuerit, aut e sua familia in Ordine illo primus, sed ex militaris gradus avorum longa, perpetuaque serie ortus: quod Gallice diceremus, *de l'ancienne chevalerie, sans tache ou mésalliance en son extraction de plusieurs lignes, ou de temps immémorial*. Atque hæc non 408 parum confirmarentur, si pro certo haberetur Tecelinum ortum fuisse ex nobilissimis et equestris ordinis dominis Castellionis ad Sequanam, ut asseruit Guillelmus Paradinus libro De antiquo statu Burgundionum, pag. 93 et 140, et lib. II Annalium Burgundiæ, pag. 189, fortasse ex genealogia S. Bernardi, quæ descripta fuisse dicitur in Fontanensi abbatia, prope Montembarrum; in qua Tecelinus ponitur filius Werrici comitis Castellionensis, fra-

Digitized by Google

ter autem Godefridi episcopi Lingonensis, et Andreæ militis Templi; aliaque nonnulla inseruntur in S. Bernardi tum paterno tum materno stemmate, quæ majori probatione indigerent ad fidem faciendam. Spectasse etiam potuit Paradinus Robertum de Monte in Appendice ad Sigeberti Chronicon, ubi, ad annum 1115, S. Bernardum et *genere clarum, et Castellione castro Burgundiæ oriundum* facit, quæ fuit etiam assertio Vincentii Burgundi, vulgo dicti Bellovacensis, in Speculo Historiali, tom. IV, lib. XXVII, cap. 22; Baptistæ Platinæ in Vitis Pontificum, in Paschali II; Hartmanni Schedel in Chronico Chronicorum, edito Nurembergæ, 1493, fol. 198; Jacobi Philippi Bergomatis, lib. XII Supplementi Chronicarum, et Pauli Æmilii lib. V De gestis Francorum, in Ludovicis Crasso et Juniore: quorum omnium dubia est assertio. Quamvis enim Castellione ad Sequanam per aliquot annos sub litterarum magistris versatus sit Bernardus adhuc puer, Fontanis tamen natum constat ex Guillelmo abbate, et Joanne Eremita in ejus Vitis. Hinc tamen Paradino videtur nata occasio dicendi Fontanas juris fuisse ac dominii Castellionensium veterum Toparcharum, ut videlicet cum legeremus S. Bernardum ortu et domo Fontanensem, **409** eo quoque familia Castellionensem esse non dubitaremus. At nos infra de S. Bernardi genealogia Fontanetensi accuratius disputabimus. Nobis nunc sit satis Guillelmus abbas, quo auctore constet, antiquæ et legitimæ virum militiæ fuisse Tecelinum.

Ad cujus etiam dignitatem illud accedit non exigui momenti, quod in tabulis Hugonis II Burgundiæ ducis, de cella Floriacensi ad Oscaram pro S. Marcelli Cabilonensis monasterio datis anno Christi 1104, inter proceres ducis familiares, primo loco post Rainerium ducis dapiferum censetur Tescelinus idem, agnomine Sorus, ante Bernardum de Montéforti, Warnerium de Sumbernone, aliosque nobilissimos viros. Tabulas ipsas dabimus in Probationibus.

SECTIO QUINTA.

S. Bernardus per matrem Alaysiam de Montebarro, ex comitibus Tornodorensibus, imo et ex antiquis Burgundiæ ducibus originem traxit.

De S. Bernardi origine ut fidem facerent recentiores, sectione prima a nobis laudati, debuerant ex antiquioribus testimonium aliquod protulisse. Hoc nobis Deo favente compertum est ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis, et ex Joanne Eremita in Vita S. Bernardi, quam vulgaris illius, et antiquioris quæ quinque libris constat, appendicem quamdam et supplementum esse voluit. Ordior a Joanne Eremita, qui sic ait de ejus genere: *Beatissimus igitur Bernardus, in pago Lingonensi,* **410** *Fontanis oppido patris sui, digno propagine oriundus fuit: carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine; genitrix vero Aelaiz, filia Bernardi Montis Barri domini, viri potentis, et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiqua, sicut asserunt multi, Burgundiæ ducum generositate trahens originem.* Scribebat Joannes, prior, ut videtur, Clarevallensis et ex familia, non ex vitæ solitariæ ratione dictus Eremita, ad Petrum episcopum Tusculanum, et ad Herbertum ex monacho Clarævallis Turritanum in Sardinia archiepiscopum; annis plus minus triginta post obitum S. Bernardi. Si jam tum multorum assertio erat, Bernardi maternum genus ex antiquis Burgundiæ ducibus propagatum esse, quis hoc ipsum nunc prudenter negaverit? Nec vero hinc sequi putamus consanguineum fuisse Bernardum illorum Burgundiæ ducum, qui ex Roberto rege orti sunt; vel eorum qui nunc sunt, Hispaniæ, Galliæ, aut Lusitaniæ regum. Nam illa verba, sicut asserunt multi, satis ostendunt, longius repetitam fuisse illam a ducibus originem, quam a Roberto duce, Roberti regis filio, qui non totis centum annis Joannem Eremitam præcesserat; et dubium relinquit an ex Hugonis Magni genere, aut Richardi, aut Manassis, aut etiam priorum illorum quibus ex regum munere atque arbitrio personale erat, et ad certum tempus, non autem perpetuum, ac multo minus hæreditarium officium ducatus.

Jam originem S. Bernardi ex comitibus Tornodorensibus sic demonstro. Refertur in Chronico S. Petri Vivi Senonensis, ad annos Christi, 715, 1065, 1113 et 1114, S. Ebbonem ex comite Tornodorensi monachum **411** S. Petri Vivi, indeque abbatem, ac demum Senonensem archiepiscopum sorores habuisse Ingoaram et Leoteriam; quæ de sua hæreditate contulerunt monasterio S. Petri Vivi, inter alia, Rictiacum et Pauliacum villas, in quibus postmodum quartam partem Bernardus Miles, Montis Barri dominus, et Humberga ejus uxor, anno 1065, à Gerberto S. Petri abbate receperunt. Sed et eorum filii Milo et Rainardus, censuales has villas, de manu abbatum S. Petri Vivi, post suos proavos tenuerunt; Milo quidem Pauliacum, quam abbati Molismensi vendidit, anno 1113, denariorum libris centum et quinquaginta, mox anno eodem monachus factus, Rictiacum autem Rainardus.

Atque ex hoc Chronico Senonensi habemus primo Milonem, quia, ex anno 1113, monachus factus asseritur, non in Claravalle ut quorumdam opinio fuit, sed apud Cistercium, cum S. Bernardo, cujus erat avunculus, monasticum habitum suscepisse, unde in Clarevallense primum, tum in Fontenetense monasteria transivit.

2. Humbergæ nomen, ex quo per μίωσιν Humbelina, in S. Bernardi sororem ab avia materna derivatum fuisse. Sic enim eam appellat auctor Vitæ B. Petri prioris Juliacensis, cujus inter manus beatum spiritum illa efflavit.

3. Fuisse Humbergam S. Bernardi aviam maternam, aut certe ejus conjugem Bernardum, ex comitibus Tornodorensibus, ut qui in eorum alodo, nempe in Pauliaco et Rictiaco villis partem saltem aliquam possederint: cum alioqui totas eas villas,

Digitized by Google

Milo et Rainardus eorum 412 filii, licet comitum Tornodorensium non forent consanguinei, de S. Petri Vivi abbatum beneficio, sub censu possedisse potuerint.

4. Haud vere referri ex Chronico S. Petri Vivi, a Petro Roverio in Reomao, in Bernardo II, abbate Reomaensi XLI, pag. 183, Milonem de Montebarro, Rainardi filium fuisse, cum id nusquam affirmetur in eo Chronico, et constet ex tabulis autographis Fontenetensibus, Rainardi fratrem fuisse Milonem, et utrique sororem Alaydem qua matre S. Bernardus genitus est: hos porro omnes patre natos Bernardo, matre autem Humberga Montis Barri dominis, partim habeatur ex Vita S. Bernardi, auctore Joanne Eremita, partim ex Chronico S. Petri Vivi, ad annum 1065.

5. Montembarrum, et Montembardum promiscue usurpari docet Chronicon S. Petri Vivi citatis locis: eamque toparchiam, comitatus titulo, saltem per aliquod tempus præfulsisse significat, ubi meminit litis motæ inter comitem de Montebardo, et Clarembaudum de Capis, ut mirum non sit junctas tum fuisse affinitate Montisbarri ac Tornodorensem familias, cum eodem utraque comitivæ honore atque ordine censeretur. Atque hinc Jovanni Eremitæ, vel potius Roberto abbati, qui S. Bernardi sobrinus fuit, fides astruitur, asserentibus Alaydem de Montebarro qua matre hic natus est, de multorum sententia ex antiqua Burgundiæ ducum generositate traxisse originem. Unde etiam conjecturæ locus aperitur, illum reges quoque ipsos affinitate contigisse. Enubentibus enim prisco illo ævo regiis puellis, regumque fratribus natu minoribus, regiæ ipsæ prosapiæ in ducum 413 et comitum familias effusæ apparuere, adeo ut quamvis horum esset impar dignitas, tamen esset sanguis idem: quod videre est in Burgundiæ, Provinciæ, Aquitaniæ, Campaniæ aliisque ditionis Francicæ seu ducibus, seu comitibus, qui pene omnes, ut norunt genealogi, regiis consanguinitatibus gloriabantur.

SECTIO SEXTA.

De nobilitate Aalysiæ S. Bernardi matris, solvitur nodus ex ejus die obitus ad Kalendas Septembris adnotato in Necrologiis Benignianis, in quibus absque ullo clari generis titulo, laica ***duntaxat nuncupatur.***

Aalysiæ sive Aalydis S. Bernardi matris diem obitus designavit Henriquez in Menologio Cisterciensi quartam mensis Aprilis, eo nimirum argumento, quod eam legisset excessisse e vivis ipsa S. Ambrosii festa die. Sane quamvis Ambrosium Mediolanensem Romana Ecclesia præcipue colat VII Idus Decembris, quæ dies est ordinationis ejus, illum tamen ex Paulino in ejus Vita et aliis obiisse constat, Cæsario et Attico consulibus, Christi secundum æram vulgarem anno 397, Sabbato sancto, quæ tum dies incidebat in quartam Aprilis: quam diem aliæ Ecclesiæ quamplurimæ Ambrosio festam agunt. Joannes Eremita, relatu Roberti abbatis, qui S. Bernardi consobrinus fuit, Aalydem refert obiisse festo die S. Ambrosii, cujus cultui impense dedita erat. Guillelmus Flamengus, olim canonicus Lingonensis, in Vita S. Bernardi septem libris Gallice a se conscripta, 414 Ambrosium hic accipit doctorem, adeoque Mediolanensem episcopum. Flamengum Gundisalvus de Silva Lusitanice reddidit. Hinc late propagata opinio de obitu Aalysiæ in S. Ambrosii Mediolanensis episcopi et Ecclesiæ doctoris festum diem concurrente. At sanctum hunc Ambrosium nusquam Joannes Eremita vel doctorem dicit, vel Mediolanensem. Alius fuit Ambrosius (frequentius *Ambrosinianus* appellatus) vici et castri Fontanarum patronus, quem solemnibus officiis a loci domina quotannis coli solitum longe est verisimilius. Hujus Ambrosiniani natale etiamnum agitur, et post omnem memoriam actum est in parochia Fontanensi Kalendis Septembris: quod probant S. Stephani Divionensis quingentis amplius abhinc annis confectæ tabulæ.

Nunc vide quid habeant Necrologia vetera Benignianorum, apud quos matronæ sanctissimæ corpus sepulturæ traditum est. *Kalendis Septembris obiit Alasya laica.* In altero exemplari legitur Alaysa. Ac ne dubites S. Bernardi matrem ipsam his designari verbis, scito in iisdem obituum libris multas ascriptas esse sanctimoniales, ex feminis laicis Cunigundem imperatricem V Nonas Martii; aliquot præterea reginas, ducissas, comitissas, cæteras, quamlibet genere illustres, aut militum, sive equestris ordinis virorum, uxores, laicas tantum nuncupari, et nihil supra. Modestia hæc fuit prisci illius ævi, et mos receptissimus. Ut nihil mireris, S. Bernardi matri nobilissimæ, et Tecelini militis conjugi, solam hanc *laicæ* appellationem ascribi, ac jam ne dubites, diem primam mensis Septembris, Alaydi, sive Alaisæ 415 fuisse supremam. Quod et maxime ex eo confirmatur, quia cum tam illustris matrona ad S. Benignum sepulta in Benigniano Necrologio non potuerit prætermitti, nullam tamen hujus nominis feminam, vel quarta Aprilis, vel Decembris septima, aut alia quavis die in duobus ejus monasterii Necrologiis adnotatam reperire est, quæ non aut ducissæ, aut sanctimonialis appellatione, aliove charactere a S. Bernardi genitrice distinguatur. Quis porro fuerit sanctus ille Ambrosinianus, aut ubi terrarum vixerit, non ausim affirmare. Suspecta enim est mihi ejus Vita, quam exhibet codex Fontanensis, vix ante octoginta annos conscriptus: in quo natus legitur in urbe Sarmatica Iberiæ Asiaticæ, episcopus Sarlatensis post Nicephorum, et denique multarum palmarum nobilis martyr. Sarlatensem quidem episcopatum in provincia Burdegalensi institutum lego a Joanne papa XXII, ex anno Christi 1317, Sarlatensem aliam sedem episcopalem in orbe Christiano non reperio, sicut neque urbem nomine Sarmaticam. Tantum observo, ut jam monui, coli Fontanis sanctum Ambrosinianum Kalendis Septembris, ut proprium loci patronum, quamvis

Digitized by Google

Fontanensis parochia sub S. Martini, utpote antiquioris patroni appellatione, inscripta legatur catalogis Ecclesiarum diœcesis Lingonensis, nimirum ab ædicula S. Martino dedicata, quæ adhuc superest sub colle Fontanensi, et castri seu vici totius ecclesia matrix olim fuisse dicitur. Ad hæc S. Ambrosiniani quasdam reliquias inclusas fuisse in altari, quod in crypta S. Stephani Divionensis, Idibus Septembris, anno a Christi Incarnatione 1171, a Guichardo Lugdunensi archiepiscopo consecratum est.

416 SECTIO SEPTIMA.

Confirmatur S. Bernardi genus illustre, ex ejus familiæ variis affinitatibus.

Jonisvillæ dominorum veterum quam illustris fuerit familia, notius est quam ut probatione indigeat. Omnium instar testium sit Joannes Jonivillæus, in Vita S. Ludovici regis comitem Burgundiæ avunculum suum appellans. Is erat Joannes ex comite Cabilonensi comes Burgundiæ, et dominus Salinensis, filius Stephani Burgundiæ comitis, frater autem Beatricis qua Jonivillæus matre natus erat. Persequens autem Albericus Triumfontium monachus Jonivillensium Toparcharum affinitates cum comitibus Joviniacensibus, cum dominis Vangionis rivi, Asperimontis, Grandisprati, et aliis, ex ea gente fuisse affirmat Hescelinam, uxorem Guidonis de Acromonte, qui Thesselini Fontanarum domini frater uterinus fuit. Sic enim ait ad annum Christi 1109: *Ipse Gaufridus prædictus, Jonevillæ dominus fratrem habuit, Holdoinum nomine, qui in juventute mortuus tres parvulos reliquit, Galtherum videlicet et Witherum qui sine liberis mortui sunt, et Hescelinam dominam de Mulleio, quam quidam nobilis de Acromonte duxit, Guido nomine, Fulconis filius, de Sarcellis, et genuit Werricum, patrem Galthori de Mulleio. Iste Guido de Acromonte fuit ex parte matris frater Thesselini Sori de Fontanis, qui fuit pater beati Bernardi Clarevallensis abbatis. Et habuerunt alios fratres, Holdoinum qui fuit avus Albrici de Esmanciis, et Haynonem de* 417 *Colombeo, patrem Abeleni. Item Guido fuit ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi.* Non potuit nobilissimas tot familias Tecelinus aut consanguinitate aut affinitate attingere, si non et ipse fuit perquam nobilis. Qui porro hic Sorus Alberico, idem Tecelinus Saurus in diplomate Hugonis II, Burgundiæ ducis ad annum Christi 1106. De halece Julius Cæsar Scaliger, Exercitatione CXXVI, 2. *Salitus*, inquit, *et fumo castigatus, a colore Soret vocatur in Gallia, vocabulo Gothico, qui etiam in equino pilo mansit apud Italos : subrufum enim Sorum vocant.* Ergo Tecelinus Sorus seu Saurus dictus, hoc est subrufus, atque ut opinor, capillis barbaque ex aureo igneoque splendentibus. Nam et de S. Bernardo Tecelini filio, Gaufridus in ejus Vita, lib. III, cap. 1 : *Cæsaries ex flavo colorabatur, et candido; barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis.* Vide Joannis Nicotii Thesaurum linguæ Francicæ, verbo *Saure* et *Saurir*, et Menagium in Originibus, verbo *Soret*. Teutones subrufum *Surich* dicunt : unde mihi conjectura vocem hanc esse ex una illa e tribus veterum Gallorum linguis, quam eamdem esse cum Teutonica alio in opere probavimus. Nunc ad ejus posteros progrediamur.

Humbelinæ Tecelini filiæ, Bernardi autem sororis legimus conjugium, prolem nullam novimus : haud sane silentio transmittendam historico, cum de ejus matronæ sæculari mollitie, post fratrum Clarevallensem increpationem, pene in rigorem anachoreticum mutata, deque edita ex mariti consensu apud Julleium monastica professione loqueretur. Erant autem Guidoni Tecelini primogenito, ut ex Guillelmo abbate retulimus, tenera 418 adhuc ætate filiæ, cum ille in Cistercium se recepit; et quidem, ut ferunt, non plures duabus, quarum saltem in alteram paternas avitasque opes derivatas esse oportuit, altera fortasse matrem in monasterium consecuta. Sane ex his Guidonis filiabus unam abbatissam fuisse monialium de Polengeio, Ordinis S. Benedicti, et Lingonensis diœcesis, intelligimus ex Chronico Clarevallensi hic a nobis edito, ad annum Christi 1183, et quando abbatia Burlencuriæ, quæ prius fuerat Benedictinarum, Cisterciensem Ordinem recepit, migrasse e Burlencuria in Polengeium de S. Bernardi licentia, Ascelinam sanctissimam virginem, una cum matre quæ beati Bernardi et Godefridi Lingonensis episcopi consanguinea erat, *de villa juxta Firmitatem super Albam procreata*, filia fortasse Holdoini vel Haynonis, fratrum ex matre Tecelini Sori. At ejusdem Guidonis aliam quamdam filiam, Fontanensis toparchiæ hæredem, nupsisse opinamur Bartholomæo de Sombernione, quem constat fuisse quoque dominum de Fontanis, nempe ex conjugis dote. Atque hinc S. Bernardi paternum genus varias in familias ad hanc usque diem propagatum est. Nam quæ generis ejusdem in Tabula Fontenetensi, ex Andrea Tecelini fratre ad comitum Tornodorensium, et Burgundiæ ducum familias derivata describitur posteritas, certis historiæ monumentis haud satis consentiens reperitur.

Ali, inquam, non quidem patris Guidonis jam tam monachi, sed avi Tecelini ex asse hæredi, adeoque Fontanensi dominæ, maritus fuit Bartholomæus de Sombernione, exinde per ejus dotem dominus de Fontanis, cujus exstant 419 per hoc tempus monumenta in tabulis Tartensibus, Pratilongi, et S. Stephani Divionensis. Sombernionensium per quam illustris erat familia, ut quæ in affinem sibi ducum Burgundiæ gentem hæreditate devenerit, non quidem per Guillelmum de Monteacuto, Hugonis III, Burgundiæ ducis pronepotem, ut visum est Andreæ Duchesnio, tom. II Burgundiæ, sed per Alexandrum Guillelmi filium, Hugonis ejusdem ducis abnepotem, qui primus fuit e ducum regio sanguine Sombernionensis toparcha.

Duxerat videlicet Guillelmus pater ejus Jacquetam Herverii Sombernionensis domini filiam, cum dote feudi de Maalein. Erat autem Herveio Sombernionensi, Galterii filio, Guidonis nepoti, Garneri

Digitized by Google

pronepoti, uxor Maingerdis, quæ et Blancha, ex qua præter Jacquetam, etiam Joannem filium susceperat. Moriens Herveius anno Christi 1239, Jacqueta filia jam nuptui tradita Guillelmo de Monteacuto, cum dote dominii de Maalein, Joannem filium toparchiæ Sombernionensis reliquit hæredem sub cura tutelaque Blanchæ matris. At Joanne aliquot post annos exstincto, cum tota hæreditas Jacquetam spectaret, titulus tamen dominæ Sombernionensis cum administratione universa penes Blancham viduam restitit in omne ejus vitæ tempus. Moritur interim Jacqueta mense Octobri anni 1259, non alio quam dominæ de Malain titulo ornata in Necrologio Buxeriæ, nec multo post illam Guillelmus ejus maritus. Horum filius et hæres Alexander de Monteacuto, solum præfert titulum domini de Maalein, etiam anno 1265, imo usque ad obitum Maingerdis seu Blanchæ aviæ maternæ, qua demum e vivis excedente **420** ad annum 1272, tum primum ille dominus Sombernionis et dici et esse cœpit, *tanquam hæres dictæ Maingerdis propinquior ab intestato*, ut ipsemet loquitur. Constant ista maxime ex tabulis Buxeriæ et prioratus de Bonvau, quatuor fere passuum millibus dissiti a Divione, ibi passim designati sub nomine *Ecclesiæ beatæ Mariæ de Valle Scholarium, juxta Talant*. Atque ex his apparet neque Guillelmum de Monteacuto, neque Jacquetam ejus conjugem Sombernione unquam potitos, sed Alexandrum eorum filium duntaxat, utroque parente amisso, eam denique adiisse hæreditatem per obitum aviæ maternæ Maingerdis, seu Blanchæ, non ante annum Christi 1272. Atque hæc de dominorum Sombernionensium primaria linea.

Alio porro deflexa est linea Sombernionensium, A dominorum de Fontanis. Bartholomæo qui eam duxit, ex filia Guidonis Fontanensis domini, fuerunt filii duo, Kalo, et qui de proavi materni nomine appellatus est Theselinus. De Kalone sic Necrologium Benignianum : XIV *Kalendas Septembris obiit Calo dominus de Fontanis, noster amicus, qui dedit nobis partem suam de Magnomonte.* Kalonis, opinor, filius aut nepos fuit Garnerius dominus de Fontanis, cujus plurima exstant in ecclesias beneficia, usque ad annum Christi 1230, quem haud multum videtur prætergressus; cum ad annum 1234 legatur in quibusdam tabulis Pratilongi, *bonæ memoriæ dominus Garnerius de Fontanis, miles;* et jam ei successisse videatur, anno 1232, Kalo miles, filius Domini Willelmi de Salicibus, de Sauz, cujus exstat epitaphium B in supra memorato prioratu de Bonvau, in quo appellatur dominus *Kalo de Sauz*, **421** *miles, dominus de Fontanis*, et obiisse notatur pridie Kalendas Novembris, anno Domini 1272. Successisse autem videtur Kalo de Sauz, avunculo Garnerio, domino de Fontanis, improli, ipse filius sororis ejus Willelmo de Sauz matrimonio junctæ. Kalonis de Sauz posteritas in familias transiit toparcharum de Saffra, de Sagneyo, de Clerone. Sed et memorantur beato Bernardo vel consanguineæ, vel saltem affines familiæ de Noeriis, de Granceyo, de Charneyo, aliæque in Burgundia nominatissimæ, et baroniarum, aut comitatuum, aut marchionatuum titulis insignes, quarum pertexere accuratas genealogias mei non est instituti. Satis ista sunto, ut intelligatur, C Bernardum qui *honesto* duntaxat *loco natus* dictus est, verissime affirmari posse non modo nobili ortum genere, sed etiam illustri.

Probationes et illustrationes eorum quæ in Diatriba de illustri genere S. Bernardi abbatis Clarevallensis asseruntur vel proponuntur.

—

I.

422 (Ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis ad annum 715.

Obiit Dagobertus rex junior XIV Kalendas Februarii; qui regnavit in Francia annis quinque, etc. Temporibus istius Dagoberti refulsit sanctus Ebbo archiepiscopus (*Senonensis*) miraculis et nobilitate clarus. Fuit autem ex castro Tornodorensi natus, et ejusdem pagi comes et dominus, a parentibus tamen divina providente clementia litteris ad imbuendum traditus, quibus, dante Deo, sodales omnes quos in scholis habebat superavit, et sapientia et eloquentia præcessit. Ubi autem parentibus orbatus est, ad regimen castri et pagi, quod sibi hæreditario jure competebat acclamatus, latenter fugit, et in monasterio Sancti Petri Vivi sub abbatis imperio Deo militavit. In processu vero temporum mortuo ipsius loci abbate, abbas factus est. Postea autem obeunte Gerico archiepiscopo, **423** avunculo D suo, totius cleri et populi acclamatione, et consensu regis, in pontificali sede Sanctæ Mariæ Sanctique Stephani protomartyris locatus, claruit signis et virtutibus.

Ibidem post paucos versus. In illis diebus domna Ingoara Deo sacrata, soror S. Ebbonis, fecit testamentum de hæreditate sua Beato Petro, quæ cum jacet in pago Tornodorensi, domno Chrodolino tunc abbate. Defuncto autem Chrodolino, successit ei Viraibodus, cujus in tempore alia soror B. Ebbonis Leoteria et Mummia similiter Deo sacrata, dederunt cunctam hæreditatem suam Beato Petro, vivente adhuc et confirmante beato Ebbone fratre suo. Jacent istæ duæ sorores in cœnobio Beati Petri, in oratorio Sanctæ Mariæ, ubi et ipse sanctus Ebbo

Digitized by Google

consepultus, innumerabilibus post mortem claruit virtutibus.

Ad annum 1065.

Anno 1065. Bernardus miles, et dominus castri Barrimontis, in capitulo Sancti Petri Vivi, et uxor ejus Humberga, competierunt et receperunt ab abbate Gerberto, et a monachis ejusdem loci, quartam [partem] de villa quæ dicitur Rictiacus, et de ecclesia ejusdem villæ, similiter et de villa quæ Pauliacus vocatur.

Ad annum 1074.

Anno 1074, fundatum est Molismense cœnobium.

Ad annum 1113

Anno 1113, emit abbas Molismensis villam quæ vocatur Pauliacus, de Milone filio Bernardi de Monte Barro, dans centum quinquaginta libras denariorum. Quæ villa, cum appendiciis suis, est de donationibus 424 quas dederunt abbatiæ Sancti Petri Vivi Senonensis, Ingoara et Leotheria, sicut et Rictiacum; quæ ambæ fuerunt sorores sancti Ebbonis. Dederunt etiam in pago Tornodorense villam quæ vocatur Fontanas, cum omnibus appendiciis, et adjacentiis, et in pago Laslinse Bagnolum, et supra memoratum Pauliacum, in cujus parochia sita est Molismensis abbatia. Audiens autem abbas S. Petri Vivi Arnaldus hanc emptionem quam fecerat supradictus abbas de Pauliaco villa, quæ est alodus S. Petri Vivi, adiit eum cum duobus monachis suis, Helduino scilicet priore, et Girardo cellerario, et calumniam fecit. Unde respondit ei abbas supradictus se locuturum cum Milone qui vendiderat, jam monacho, *hoc scilicet anno* 1113, *inter S. Bernardi socios Cistercium ingresso*, et cum aliis quorum consilio uti debebat, et responsurum se usque ad Rogationes quæ primæ futuræ erant. Factum est autem hoc in fine istius anni de quo agitur, vii scilicet Idus Martii.

(Pergit enarrare ad annum 1114, non convenisse ad diem dictam Molismenses, ac Josceranno episcopo Lingonensi, cum forte Senonas advenisset, questum esse Arnaldum abbatem, tum de abbate Molismensi, tum etiam *de Rainardo de Monte Barro, qui censum de Rictiaco, simul et de Pauliaco* (*unde res agebatur*) *plusquam per octo annos abstulerat*. Sed variis Molismensium tergiversationibus longius protracta lite, tandem anno 1116, Joscerannum episcopum, in synodo sua autumnali disceptata causa, eas villas et abbati Molismensi, et Rainardo Montis Barri domino abjudicatas, Bernardo abbati S. Joannis de Prato, nempe Reomaensi, addixisse. Tunc autem expostulasse Rainardum de Monte Barro, et exclamasse *Ecclesiam Retiacensem se et antecessores suos plus centum annis censualem de manu abbatum Sancti Petri Vivi tenuisse, et eam vi episcopali ab eo* 425 *extortam, abbatem monasterii S. Joannis occupasse, abbate Arnaldo monasterii S. Petri Vivi hoc ignorante*. Reclamationes consequenter describit Arnaldi abbatis, primum coram episcopo Lingonensi, et duce Burgundiæ aliisque proceribus in conventu habito apud Castrilocum, *pro comite de Montebardo, et Clarembaudo de Capis;* deinde apud Senonas, coram Conone episcopo Prænestino, legato apostolicæ sedis, et denique coram Calixto papa II, usque ad annum 1120, nec aliud in ea causa decretum fuisse insinuat, deficiente et senio et viribus, ac anno demum 1124 abdicante Arnaldo abbate.)

II.

Tescelinus Sorus, Warnerius de Sumbernone, 1104.

(Descripsit olim Petrus Naturalis ex tabulis Sancti Marcelli Cabilonensis.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Hugo dux Burgundiæ, Odonis filius, calumniam faciebat de servitute super quibusdam hominibus in obedientia Sancti Marcelli, quæ vocatur Floriacus. Unde prior Sancti Marcelli sæpius ipsi duci et prudentibus viris ejus querimoniam fecit, donec temporum successione ad domnum Hugonem venerabilem Lugdunensem archiepiscopum, nomine similiter Hugonis nepotis ventum est: qui et ipse prior prædicti loci, de eadem calumnia sæpius conquestus est. Post multas querimonias contigit eumdem priorem, Hugonem videlicet, ad prædictam villam venisse, causa placitandi cum quodam milite, et in eadem villa per quam transitus erat, duci hospitium præbuisse. Ubi per prudentes viros, videlicet Jocerannum cantorem Cabilonensis 426 ecclesiæ, Rainerium ducis dapiferum, Tescelinum agnomine Sorum, Bernardum de Monteforti, et Warnerium de Sumbernone, atque Milonem de Frolles, et Achardum de Castellione, et cæteros ducis familiares, ipse prior accessit ad ducem, rogans eum ut calumniam prædictam derelinqueret, ut pater suus et ipsemet peccatorum suorum remissionem a Deo suscipere mereretur. Consilio ergo prædictorum suorum familiarium dux ipse persuasus, et divino terrore perterritus, recognoscendo peccatum patris sui et suum, dixit se facturum quod prior expetebat, tali tamen tenore, ut et in hoc sæculo aliquod terrenum munus acciperet, et in futurum pater ejus et ipse æternam mercedem acquirerent. Dedit ergo ei prior palefredum unum, et ducentos solidos Divionensis monetæ. Et insuper (quod ipse valde desiderabat, et pro quo potius hoc placitum fecit) anniversarium patris ejus constitutum est fieri semper et in antea apud ecclesiam Sancti Marcelli a priore et a cæteris fratribus qui ibi manserint; et pauperem unum pro utroque, patre scilicet et filio, et in supradicta obedientia, videlicet Floriaco, omni tempore pasci. Hoc placito hinc inde concesso et firmato, accessit ipse dux ad ecclesiam de Floriaco, tempore Paschalis papæ, quarta feria paschalis hebdomadæ, et videntibus et comprobantibus prænominatis viris, et aliis multis, stans ante altare, dimisit, et dereliquit, et dedit si quid juste in dicta calumnia habebat; nec amplius quidquam quæreret super illos viros et mulieres, qui illo tempore vivebant, quorum nomina sunt hæc: Odilo, Warembertus, frater ejus Stephanus, Gausbertus, et cæteri ibidem denominati, cum uxoribus et sororibus eorumdem, et tota progenie 427 quæ procreata erat, et deinceps procrearetur ab illis. In

Digitized by Google

eodem quoque placito dux ipse præcepit præposito suo, et tunc, et semper, ne in Floriaco teneret placitum ipse qui tunc erat præpositus, nec aliquis successor ejus, scilicet si contingeret quod aliquis de potestate Floriacensi, aliquam injuriam hominibus ducis vel homini faceret, præpositus ducis primum ante priorem veniret, ut ibi injuria emendaretur, si fieri posset; sin autem, antequam aliquod malum inde pro vindicta fieret, ante ducem causa tractaretur, vel ante illum cui dux commendaret. Quod si ille de quo dux præcepisset, rem non diffiniret, iterum ea actio ante ducem rediret. Præcepit etiam, et interdixit ne quis venatorum suorum, vel Bernarii sui, nec aliquis serviens ejus, in Floriaco quæstum nec violentiam faceret; nec Prior ejusdem loci, volentibus facere permitteret, nec aliquis rusticus eis daret. Et, ut certum et ratum hoc placitum semper teneretur, sub testimonio Dei et sanctorum, quorum ante altare stabat, videntibus cunctis qui aderant, genu flexo, donec finiretur *Miserere mei, Deus*, in absolutionem peccatorum suorum et patris ejus, susceptum librum posuit super altare, cum osculo pacis et veritatis. Confirmavit autem hanc chartam Hugo ipse, dux Burgundiæ, fratre suo Henrico idem comprobante, ita videlicet quod in camera Divionensis abbatis, nomine Jarentonis posuit eam in manu venerabilis archiepiscopi Lugdunensis supra nominati, laudantibus et consentientibus Hugone ducis dapifero, Widone et Rainaldo de Grancei, Waltero conestabulo, et pluribus aliis, in præsentia reverendorum episcoporum, Roberti Lingonensis, Berardi Matiscensis, et Hugonis Antissiodorensis **428** abbatis, et in præsentia Hugonis Trecensis comitis, et multorum canonicorum Lugdunensium, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quarto, indictione XII, concurrente cum bissexto, et epacta XXII.

A

B

III.

Tecelinus Saurus, 1106.

(Ex autographo S. Benigni Divionensis.)

Anno Dominicæ Incarnationis 1106, quarto decimo Kalendas Martii, quo anno et die domnus venerabilis papa Paschalis Divionensem consecravit ecclesiam, adhærentibus et obsequentibus sibi Richardo Albanense episcopo, Aldone Placentino, Leodegario Vivariense, domno Roberto Lingonensi, Norgaudo Eduensi, post repositionem sanctarum reliquiarum in altari, ego Hugo dux admonitus a domno papa, promisi in sacrata manu ejus, quod Divionensem ecclesiam in eadem quiete et libertate dimitterem, qua dimiserat patruus meus bonæ memoriæ Hugo dux et monachus. Dimisi etiam et finivi quasdam exactiones et injustitias quas officiales mei faciebant, concedens ut omnes domus monachorum Dominicæ, ab omni inquietudine et justitia mea, meorumque amodo essent liberæ. In burgo etiam qui claustrum dicitur, concessi, ut si latrocinium factum fuisset et clamor ad monachos et ministeriales eorum deveniret, ipsi justitiam planam facerent, quod intelligimus LX solidorum. Portagium quoque Divionensis portæ, quod pater meus de vino proprio monachorum Divionensium, ubiubi consistentium donaverat, laudavi **429** et confirmavi, et portagium Belnensis castri de meo superaddidi. Quod ipse pro patre meo feceram de Plumba iis confirmavi, et idem feci de villare, hoc retento, quod in anno duabus vicibus apud villare hospitarer. Hoc donum laude magnatorum meorum factum, in manu domni papæ posui, et frater meus Henricus laudavit. Testes, Savaricus Verziacensis, Valo abbas de Latona, Rainerius dapifer, Josbertus vicecomes, Hugo de Granciaco, Hugo de Poliaco, Tecelinus Saurus, Hagone de Rocca, Walterius de Tilio, Widricus, Hugo frater ejus, Aymo de Castro, Willelmus de Tylecastro, Benzo, Milo de Frollesio.

C

IV.

Henrici filii Roberti Burgundiæ ducis anniversarium VII *Kalendas Februarii.*

(Ex tabulis Odonis I, Burgundiæ ducis, quibus dat Gregorio abbati et monasterio S. Sequani quatuor farinarios, pro celebrandis anniversariis avi sui Roberti, Henrici patris sui, et fratris sui Hugonis, III Idus Aprilis, 1093, indictione I, concurrente V, epacta XX.)

Hoc totum concedo, ut anniversarius agatur ducis Roberti, qui celebratur XII Kalendas Aprilis, et patris mei Henrici, qui celebratur VI Kalendas Februarii, et fratris mei Hugonis, cujus fuit obitus IV Kalendas Septembris.

D

V.

430 *Monumentum Clarevallense matris S. Bernardi.*

(Ex Chrysostomo Henriquez in *Fasciculo sanctorum ordinis Cisterciensis*, lib. II, distinctione 41, cap. 4.)

Item etiam ibidem jacet piæ recordationis nobilis Domina, et Deo devotissima Aleydis, mater doctoris egregii et Patris nostri B. Bernardi, primi Clarævallis abbatis: quæ primo apud Divionem sepulturæ tradita fuit in monasterio B. Benigni, postea vero, Domino volente et nobiscum pie agente, ad humilitatis nostræ excitandam et ampliandam devotionem, translata est usque Claramvallem, et coram altari Sancti Salvatoris collocata, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, XIV Kalendas Aprilis.

VI.

(Ex Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez, pridie Nonas Aprilis.)

In Gallia beata Aleydis, mater sanctissimi Patris nostri Bernardi, quæ in sæculo non sæculariter vivens, filios quos Christo genuerat instruxit piissime; et multis virtutibus ac sanctis operibus glo-

Digitized by Google

riosa, die et hora a se prædictis, inter psallendum feliciter quievit in Domino.

VII.

431 *Chapitre IV du premier livre de la Vie de S. Bernard, composée en sept livres par Guillaume Flameng, demeurant à Clereuaux, et jadis chanoine de Lengres. Imprimée à Troyes par Jehan Lecoq, pour Mace Panthoul libraire. Sans date.*

De la saincte vie et trespas de la mere sainct Bernard.

Après certain temps, ainsi comme sainct Bernard croissoit en aage et en grace enuers Dieu, et enuers toutes gens, et il vint d'enfance en adolescence (c'est en l'âge environ de XII ou de XIV ans) sa mere (Aalet *du Chasteau de Montbar*) apres ce que elle eut bien et sainctement nourry ses enfans, desia entrans au siecle; ainsi, comme se elle eust tout parfaict et accomply ce que à elle appartenoit de faire, elle laissa ce monde, et s'en alla en la compagnie de nostre Seigneur. De laquelle ne faut mie taire, que apres ce qu'elle eut vescu long temps avec son mary, justement et honnestement selon la foy et la loy de mariage; par plusieurs ans auant que elle trespassast, autant qu'estoit possible et licite à femme mise et estant soubs la puissance et auctorité de son mary, et qui n'a pas la puissance de son propre corps, elle voulut mener et ensuiuir la vie qu'elle auoit apris à ses enfans, et de fait la mena. Car nonobstant qu'elle fust en sa maison, selon l'ordre et profession de mariage, et entre gens du siecle; si menait elle vie de hermite et de religion : en mengeant peu et non mie viandes de licieuses : en vilité et humilité de vesture et de ses habits : en fuyant les delices, pompes, et vanitez du monde : en se soubstrayant et esloingnant en tant qu'elle pouoit des fais et des œuures **432** et curançons du monde : en perseuerant en ieunes, en vigiles, et en oraisons : et ce que moins elle auoit, à cause de non auoir fait profession, elle rachatoit et recompensoit en faisant aulmosnes, et autres œuures de misericorde, de toute sa puissance. Et ainsi mena ceste saincte vie, en prouffitant de iour en iours iusques au iour de sa mort. Et entre ses autres nobles et excellentes vertus, la deuote dame auoit coustume de circuir et aller par les maisons, en querant songneusement les poures, et les malades : et leur donnoit de son propre ce que leur estoit necessaire. Elle auoit aussi tresgrant curançon et compassion des poures debiles et nonpuissans. Et ne vouloit point auoir d'ayde de serviteurs ne de seruante, pour faire ou en faisant ces choses cy; mais par soymesme sans autre, les vouloit faire : et alloit elle mesmes à leurs maisons et poures habitations, et à chascun d'eulx donnoit ce dont ils auoient besoing. Par les hospitaulx aussi des eglises, tresdeuotement elle visitoit, et charitablement seruoit les malades : en escurant leurs pots, en nettoyant leurs escuelles, en lauant leurs hanaps et leurs verres, et en leur ministrant la viande, et en faisant très humblement toutes autres choses seruiles, que seruiteurs et seruantes ont coustume de faire en servant leurs maistres ou maistresses. Elle auoit aussi ceste coustume louable et digne de memoire, que tous les ans au jour de la feste Sainct Ambroise, elle faisoit assembler et venir vers elle à Fontaines tous les clercs qu'elle pouuoit trouuer : et en iceluy iour, en l'honneur de Dieu, et de la glorieuse Vierge Marie, du sainct Docteur, et de tous les Saincts, elle leur donnoit leur refection de vin et de viandes, solennellement. Finablement nostre Seigneur la voulant remunerer de l'honneur que tous les ans (comme dit est) elle faisoit au glorieux sainct Docteur, luy revela par quelque espace de temps deuant la feste **433** du Sainct, que en ce mesme iour de ladicte feste, qui approuchoit, elle trespasseroit. En quoy appert que elle fut participant de l'esperit de prophetie. La bonne Dame doncques ainsi certaine de son trespas, dist et declaira à son mary, et à ses enfans, et à toute sa famille ce que luy auoit esté revelé : dont il furent tous moult esmerveillez : et premierement ne vouloient croire que ainsi deust advenir comme elle disoit : mais ils en furent encores plus esmerveillez, apres ce que ainsi fut accomply comme elle leur auoit dit. Car bien tost apres vint la vigille de ladicte feste : en laquelle vigille fut la Dame prinse d'vne fieure. Tellement que le propre iour de la feste, apres que la messe fut celebrée, elle requist et demanda tres deuotement que le corps de nostre Seigneur luy fust apporté : et ainsi fust faict. En apres quand elle eut receu le Sacrement de Ste Vnction, et puis le precieux corps de nostre Seigneur, elle fist conuoquer et appeller tous les clercs, pour prendre leur refection ainsi qu'estoit de coustume. Et quant ils furent assis à la table, elle appella son premier filz Guy, et luy ordonna bien expressement, que tantost apres la refection finie, sans faillir il fist venir tous les clercs deuant elle. Lequel Guy tresbenignement obeissant à sa benigne et doulce mere, incontinent apres ladicte refection appella les clercs tous ensemble, et fit ainsi que sa mere luy auoit ordonné. Et quant lesdits clers furent tous venus en sa presence, la tresdevote seruante de Dieu, soy esioyssant en esperit, leur dist que l'heure de son trespas approuchoit, et se recommanda humblement à leurs prieres. Adoncques tous ensemble commencerent deuotement à prier Dieu pour elle, en disant pseaumes et oraisons. Avec lesquels elle semblablement les disoit, et prioit Dieu moult deuotement tant que la parolle luy dura. Et quant plus ne peut parler, tellement que plus on ne pouoit ouyr sa voix, **434** encores incessamment iusques au dernier soupir que elle rendit l'ame, mouuoit elle les leures et la langue, en loüant et priant nostre Seigneur, et en luy recommandant son ame. Finablement ainsi que les clercs disoient la letanie, quant elle ouyt dire : *Per passionem et Crucem tuam libera eam, Domine;* elle leua sa main

Digitized by Google

dextre en soy signant du signe de la Croix : et en A ce faisant elle rendit l'esprit à Dieu : tellement qu'elle ne peut remettre en bas sa main que elle auoit levée ; mais demeura en hault ainsi comme elle estoit, dont tous ceulx qui estoient presens s'en esmerueillerent moult. Et fut la saincte Dame moult plorée ; especialement des poures, des vefues, et des orphenins, de tous lesquels elle estoit mere et singuliere nourrice. Tantost par tout à l'entour fut sceu et publié son trespas. Et incontinent sans dilation vint à Fontaines le venerable abbé de Saint Benigne de Dijon, nommé Geranus : lequel requist et demanda moult affectueusement auoir le sainct corps, en le reputant estre vn glorieux tresor. Et quant ce bon abbé, tant pour la reverence et honneur de sa personne, comme par B le moien et la beniuolence des enfans de la bonne Dame, eut impetré ce qu'il demandoit : luy et ceulx qu'il auoit amenez auec luy, par affection de pitié plorans, receurent le sainct corps comme un tresor precieux, et reueremment sur leurs espaules l'aporterent iusques à Dijon. Et adonc vecy tout le peuple de Dijon, qui s'estoit party pour aller audeuant d'eulx, avec les croix et cierges, en grant ioye et veneration, vint au deuant : et ainsi fut ledit corps honorablement conduit, et acompaigné de tout le peuple iusques à l'eglise de Sainct Benigne : en laquelle eglise fut la noble et saincte Dame ensepuelie en grant reverence. Et depuis ledit venerable abbé fit faire sur la sepulture de la dicte C Dame six belles ymages, en memoire de ses six fils, lesquelles **435** y demeurerent long temps : et (comme il est à croire) ils y furent iusques à la translation du sainct corps, quand depuis il fut aporté à Clereuaulx. Car l'an mil deux cens et cinquante, qui fut enuiron quatre vingts et dix sept ans apres le trespas de Sainct Bernard, par la voulenté de Dieu, pour tousiours ennoblir et magnifier Clereuaulx, et pour exciter ses habitans à plus grand deuotion, ledit corps de la saincte Dame fut transporté de Sainct Benigne audit Clereuaulx : là où, en l'eglise, et en la chapelle de Sainct Sanlueur, qui est ou millieu de la carolle, tout à l'encontre et pres de la tombe Sainct Bernard, il fut honorablement mis et colloqué, le dix neufuiesme D iour de Mars : ainsi comme encores auiourd'huy il est reposant en icelle chapelle que l'en dit *Saluatoris*.

VIII.

L'Epitafe de Dame Aelis ou Aelet, mere de Sainct Bernard, composè par le mesme Guillaume Flameng

A Clereuaulx en ceste sepulture,
Gist Dame Aeleth, humble entre les haultaines,
Née à Montbar, ou print sa nouriture,
Puis espousa le seigneur de Fontaines.
Illec vesquit par ans et par sepmaines,
Soubs Tecelin son espoux sumptueux
Mais en faisant ses actions humaines,
Audit le cueur deuot et vertueux.

La noble Dame eut sept enfans,
Six fils et une fille saige :
Tous victorieux, triomphans
Sur peché et sur vain usaige.
436 La mere par son sainct langaige
Leur donnoit admonition,
Comme pour viure en hermitage,
Ou entrer en religion.

Au createur les offroit humblement,
L'un apres l'autre, ainsi comme ils naissoient.
De son tetin bailloit nourrissement,
Et d'autre laict iamais ne repaissoient.
En ce faisant, la nature prenoient,
Et bonnes meurs de la mere notable :
Par quoy enfin vertueux deuenoient,
Car arbre bon porte fruit profitable.

Ainsi se gouvernoit la Dame.
En forme de religieuse :
Qui seruant Dieu de corps et d'ame
Estoit misericordieuse.
Sa famille deuotieuse
Soubs crainte de Dieu substentoit
De viande non curieuse,
Mais de gros mets la contentoit.

De ses enfans Sainct Bernard fut le tiers :
Si en songea quant elle le portoit :
Et toutesfois elle ouyt voulentiers
L'interpreteur qui le vray luy comptoit.
Car pour certain son songe denotoit
Que ce seroit un sainct predicateur,
Pour corriger le monde, qui estoit
Plain de pechez, et preuaricateur.

Dez lors elle diligenta
Sur Bernard l'enfant precieux.
437 Premier l'offrit et presenta
A Iesu-Christ Roy glorieux.
Et pour le rendre copieux
En lettres et en sapience,
A Chastillon lieu spacieux
Le mist pour aprendre science.

Quand ses enfans furent grands et parfaits,
Elle entendit à reigler sa maison :
Continuant aumosnes et bienfais
Veillant de nuyct en ieune et oraison.
Ainsi viuant comme en religion
Il pleut à Dieu pourueoir de son trespas,
Pour luy donner sa retribution
Auec les Saincts en celeste repas.

Si luy print une enfermeté,
Dont elle passa de ce monde,
Et à Dieu sans difficulté
Rendit son ame pure et monde :
Car, comme celle qui se fonda

Digitized by Google

En totalle devotion,
Par contemplation profonde
Receut son extreme unction.

Les gens d'Eglise avec autre mesgnie,
Clercs, Prestres, laiz, à son definement
Furent presens chantans la letanie,
Comme il affiert au digne sacrement.
Lors respondant de cueur deuotement,
Et demonstrant qu'elle estoit saincte Dame,
Sur certain pas se signa humblement:
Et ce faisant rendit à Dieu son ame.

438 Mais avant rendre l'ame à Dieu
Elle fit de la Croix le signe:
Et ne peut remettre en son lieu
Sa main dextre noble et insigne.
Ainsi trespassa la tresdigne,
En bonnes mœurs accoustumée:
Qui en l'eglise Sainct Benigne
Reveremment fut inhumée.

Puis Sainct Bernard ne cessa nuit et jour
De remonstrer aux freres et amys,
Qu'il conuenoit aller prendre sejour
En lieu deuot, les biens mondains obmis.
Mais André fut negligent et remis,
Qui en ce temps bon cheualier estoit.
Finablement quand beaucoup y eut mis,
Sa mere vit qui les admonestoit.

Sainct Bernard et André son frere,
Parlant de la religion,
Apres le trespas de leur mere
En eurent clere vision.
Qui de leur bonne intention
Se soubsrioit deuant leurs yeulx,
Et monstroit exhortation
De proceder de bien en mieulx.

En l'an qu'on dit mil deux cens et cinquante,
La saincte Dame avec Dieu exaltée,
Pour nous causer deuotion plaisante,
Fut de Dijon à Clereuaulx portée.
Apres qu'on eut la place disposée
En ce beau lieu, nommé Sainct Salvateur,
439 Par gens de bien y fut mise et posée
Pres de son fils Sainct Bernard le Docteur.

Prions Dieu par devotion
Qu'il nous gard de chose temere:
Et que par l'intercession
Tant du fils comme de la mere,
Face florir ce monastere
En toute vertu venerable.
Puis, apres cette vie austere,
Nous doyent sa gloire perdurable.

AMEN.

A

IX.

Quædam S. Bernardi soror, abbatissa Pratilongi.

(Extraict de l'archiue de l'abbaye de Pralon.)

Une supplique des abbesse et couvent de Pralon, sans date, et au Roy qui n'y est pas nommé, tesmoigne que ces Dames redemandent à sa Majesté leur grange de Changé, lors alienée: qui leur avait été donnée par les seigneurs de Fontaines leurs fondateurs, *en contemplation, et pour l'assignal de la sœur charnelle de Sainct Bernard, lors abbesse d'icelle abbaye de Pralon*

X.

B **440** *Tabulæ fundationis Juliaci puellarum monasterii.*

Ego Milo Barri comes, divinis præventus monitis, cunctis Christianis lorica fidei, nomineque præcinctis manifestare cupio his meis præsentibus litteris, donum quod feci de Juliaco Molismensi Ecclesiæ proprium, ut si quando tergiversatione callida, totius bonitatis ignarus contra meum per posteros se erexerit datum, scripto præsenti deducto ad medium, veritati cedere sua confusus importunitate perfidus sciat locum. Misericordiam vero Dei de ipsius quæso perpendite inenarrabili judicio: quo memorati castri, scilicet Juliaci quondam habitatores, quia hunc eumdem dæmoniis quam Deo aptare maluerunt, depopulationi submissi probantur; ac denuo, ut ita dicam, postpositione excoctum longissima per me hunc Dominus possessioni fidelium deputat. Providens igitur tam meæ quam parentum meorum vivorum ac defunctorum saluti, trado Juliacum castrum, quod fuit antecessoris mei, comitis videlicet Milonis, Deo et sanctæ matri ejus Mariæ Molismensi, cum omnibus appendiciis, sicut ea continet Sancti Andreæ parochia quæ dudum desubtus fuerat constructa, laude uxoris meæ et filiorum meorum. Nec solum quod de ea in meæ manebat dominicatura, sed etiam quidquid de me tenentes dederunt vel daturi sunt ex eo Molismensi Ecclesiæ, laudo et confirmo, ea scilicet ratione et devotione, ut isdem locus religiosis ex integro deserviat feminis, et cuncta eis data a me D vel ab aliis ut prædiximus facta, earum utilitatibus et victui deputata permaneant, eædemque mulieres sub ordinatione Molismensis **441** abbatis Deo servire quiete valeant. Quarum victus et conversatio mea petitione per domnum Guidonem Molismensem abbatem, et ejus conventum sic constituitur, ut de proprio nutrimento et labore, boumque suorum cultura, et eleemosynis fidelium in commune victum vestitumque recipiant, servos vel ancillas, ecclesias, aut decimas, villasque non habeant; sed, si ab aliquo vel aliqua hæc eis data fuerint, Molismensi ecclesiæ permaneant: aliud sane mobile Juliacenses teneant. Terra etiam, si eis data fuerit alia quam propriis carrucis excolere non queant, Molismensi conceditur cœnobio. Quibus

Digitized by Google

ad regimen sui tam corporum quam animarum quæ tuor deputabuntur monachi per Molismensem abbatem, qui eas ab omni peculiaritatis vitio atque vagatione secundum Dominum tueantur. Quarum si qua obierit, quæ fratribus Ecclesiæ Molismensis debetur oratio ac beneficium, et pro ipsa persolvetur. Sed et silvatica eis indumenta præter cooperturia in perpetuum prohibentur (62).

XI.

Warnerius de Subernum, frater ejus Bartholomæus, Herveius et Wido filii ejus, fundatores abbatiæ Pratilongi, tempore sancti Bernardi.

(Ex autographo Pratilongi.)

Ego Godefridus Lingonensis episcopus notifico tam præsentibus quam futuris, quod Warnerius de Subernum, laudantibus filiis suis Herveio et Widone, dedit domui de Praalun in eleemosynam, per manum venerabilis abbatis Bernardi de Claravalle et nostram, quando ædificata est eadem domus, usuagium totius terræ suæ, in nemoribus ad faciendum marren, et pasnagium, et ad focos, et ad omnia necessaria domus, et piscationem in aquis suis, et pascua per totam terram suam. Bartholomæus etiam frater ejusdem Warnerii, hoc idem donum fecit de sua parte, et fratris donum laudavit. Warnerius quoque de Age, et Wido Garellus similem donationem prædictæ domui in terris suis fecerunt. Et hoc totum post multum tempus recognitum fuit apud 442 præfatam domum in præsentia nostra. Hujus rei testes sunt venerabiles abbates..... Sancti Benigni, et Albertus Sancti Stephani Divionensis, et Lambertus canonicus et sacrista ecclesiæ Lingonensis, et Robertus decanus de Subernun, et Wiardus de Sancto Burri.

XII.

Fundatio monasterii de Tart sanctimonialium diœcesis Lingonensis, quæ intra muros urbis Divionis ex anno Christi 1623 sunt deductæ.

(Ex autographo archivi Tartensis.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Benignus et omnipotens Deus, sanctæ Ecclesiæ caput et rector, ex quorumdam fidelium suorum abundantiis pauperum inopiam misericorditer supplet, ut in æterna retributione, pauperum copia divitum penuriam mercede repleat. Sed modernæ donationes ad delendam mortis similatricem oblivionem utiliter litterarum monimentis adnotantur, ut in hoc quoque misericordia et veritas quodammodo salubriter sibi obviare videantur. Idcirco præsentibus et futuris notificamus quod tempore Guilenci Lingonensis episcopi, Hugone in Burgundia ducatum regente, sanctimoniales in loco qui dicitur Tart congregatæ sunt; et concessione ac confirmatione Lingonensis capituli, abbatissa, nomine Elizabeth eis prælata est, sub qua quædam Maria prioratum aliarum gessit. Rogatu ergo et etiam emptione ipsius ducis et Mathildis uxoris ejus, Arnulfus Cornutus quidam miles, cum uxore sua nomine 444 Emilina, quæ ibi postea tumulata est, ipsum locum ipsis sanctimonialibus, per manum domni Stephani abbatis Cisterciensis dedit, secundum determinationem prius factam domno Christophoro, sive domno Goceranno Lingonensi quondam episcopo, in silvis et aquis, gurgitibus, terris cultis et incultis. Testes hujus rei, Simon de Virgeio, Huo filius ducis, Hymbertus de Favernio, et Stephanus filius ejus, Haymo Cayno et Villermus filius ejus, Hymbertus de Fossaio, Scotus, et Milo de Plova, Wido de Verno, Hugo de Rupe et Wido filius ejus, et Aymo Rufus de Divione. Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1132, indictione XI, concurrente V, epacta I. Hoc donum fecerunt et concesserunt qui locum ipsum ab Arnulfo in feodo tenebant, Lecelinus de Longocampo, et Aldo de Pruneriis, et Poncius et Hugo fratres ejus, nec non Petrus de Plova et uxor ejus Mabilla, et omnes filii eorum. Laudavit quoque hoc ipsum et concessit Paganus de Plova, et post mortem ejus Droa uxor ejus, et Odo eorum filius. Ministeriales etiam ipsius loci hoc laudaverunt, Hugo, Lambertus, Aymbertus, Dominicus, decani et fratres cum sororibus suis et filiis, Durannus quoque major et Unaldus frater ejus, uxoresque eorum et filii, necnon Raynaldus major, et uxor ejus et filii hoc laudaverunt, et Letaldus et frater ejus, Brutinus et frater ejus, Wido Pervers Arnulfus Gorgia et alii clientes. Ipse denique Arnulfus ad augmentum eleemosynæ, rogante Emelina uxore sua de cujus parte erat, decimas de Robore ipsis sanctimonialibus dedit, et piscatores de Genleio piscationemque aquæ. Hoc donum factum est in manu Elizabeth abbatissæ, et Mariæ 445 priorissæ, coram Goceranno episcopo, Hugone duce et Odone filio ejus et Roberto de Cristol, et Mauricio de Genle et filio ejus Hugone, et Simone de Virgeio.

Sciant etiam omnes quod Galterius sacerdos de Tart villa, ipsius loci decimas prædictæ Ecclesiæ et sanctimonialibus dedit, laudante et jubente Guilenco episcopo, et Arnaldo Divionensi decano, quatenus ibidem pro ipso memoria semper habeatur. Testes hujus doni, Hugo dux, et Mathildis, et Odo et Huo,

(62) Eugenius papa III, in bulla anni 1145, ait fundationem hanc Juliacensis cœnobii, ab episcopo Lingonensi Josceranno fuisse roboratam. Iniit porro Josceranus anno Christi 1112, ex Chronico S. Benigni ad cyclos paschales, abdicavit 1125, die festo S. Mammetis. Videtur autem facta hæc fundatio anno ipso 1113, quo S. Bernardus cum sociis ingressus est Cistercium aut non multo post : quod indicat Guillelmus abbas, lib. I Vitæ S. Bernardi, cap. 4, apud Surium, 443 post illa verba : *Et ultra mare propagines ejus.* Ubi refert quod cum ex sociis S. Bernardi uxorati aliqui fuissent, et uxores cum viris idem votum sacræ conversationis iniissent, per ipsius sollicitudinem ædificatum eis est cœnobium sanctimonialium feminarum, quod Julleium dicitur, in Lingonensi parochia. Scio memorari in Chronico Senonensi Annam abbatem Molismensem ad annum 1113. Sed qui potuit Guido successisse anno eodem, aut aliquo ex proxime sequentibus, sub cujus regimine Juliacum castrum piis feminis vanitatem sæculi abdicantibus deputatum est.

Digitized by Google

et Henricus, et Raymundus filii eorum, et Aymo Rufus, et Villermus de Marrineio, et Huo Candart ejus patruus.

Ego Hugo dux Burgundiæ, litteris istis notifico et confirmo donum quod feci Deo et sanctæ Mariæ, et ejus sanctimonialibus de Tart, quatenus mei memoriam jugiter habeant. Dedi igitur eis, laudante uxore mea et filiis, Odone, Huone, Raymundo, potestatem quæ vocatur Marmot, cum appendiciis suis, ad excolendum et ad ea quæ eis fuerint necessaria. Hujus rei sunt testes : Gosbertus vicecomes, Bartholomæus de Fontanis, Gosbertus de Granceio, Aymo Rufus, Willermus de Marrineio, Willermus de Orguil, Odo Caynus, Petrus Gaberous (63).

XIII.

446 *Matthæus dux Lotharingiæ, intuitu Atheleidis matris suæ, in Tarto moniali effectæ, certam salis mensuram apud vicum annis singulis percipiendam, Tartensi monasterio attribuit ; Bertha ejus conjuge, fratre ejus Balduino et Agatha sorore laudantibus. Anno Christi* 1142.

(Ex autographo Tartensi.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti. Lex spiritualis et carnalis exigit ut pro amicis honesta faciamus, præcipue pro eis quos nexu consanguinitatis et vinculo charitatis, arctius post Deum diligere præcipimur et debemus. Apostoli sententia hæc est : *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* v). Ego igitur Matthæus divinæ permissionis dono Lotharingorum dux et marchio, notum facio omnibus tam posteris quam præsentibus, quoniam, inspirante gratia Spiritus sancti, erga obsequium venerabilis ducissæ Atheleidis matris meæ, præcordialem affectum intimæ dilectionis assumpsi; quæ mutatione dexteræ Excelsi, pauper rebus et spiritu, sanctæ conversationis propositum et habitum susceperat in Ecclesia et congregatione Tartensi. Invitante itaque gratia et compassione gratissima dulcissimæ matris meæ ; pro remedio animæ meæ, prædecessorumque et successorum meorum salute, laude et concessione uxoris meæ Berthæ ; consensu etiam, imo petitione fratris mei Balduini, et Agathæ sororis meæ, v sesses apud Vicum, Elizabeth abbatissæ, et sororibus Tartensis Ecclesiæ, in perpetuum regulariter promovendis, per **447** manum venerabilis Stephani Metensis episcopi liberrima donatione concessi, eo videlicet tenore, ut illas absque ullo respectu, libere et absolute perpetuo possideant, et pro hac eleemosyna, tam pro me quam pro animabus patris mei et parentum meorum apud clementiam Dei devotius intercedant. Hanc denique donationem, ad signum et munitionem perpetui monimenti, pontificali testamento, sigillo et anathemate decrevimus canonice et legitime roborari, ut nulla deinceps violentia, nulla successorum nostrorum calumnia valeat immutari. Utriusque etiam conditionis et ordinis, tam clericorum quam laicorum, idoneos adhibuimus testes, sub assignatione sigilli nostri, tempore necessitatis, recognoscendæ veritatis promptissimos defensores. Testes autem hujus rei sunt, Walterus magister et archidiaconus, Embertus sacerdos de Vico, Gislebertus de Espinal, Jordanus medicus, Albertus de Romunt, Gualterus de Gisleberviler, Raimbardus frater ejus, Odowinus de Maylan, Guelpho de Melisei, Raynerus de Nancei, Arnulfus de Gislerencurt, Urricus de Arcu, Drogo de Nancei. De familia sancti Stephani : Gerardus de Jussey, Guidricus frater ejus, Richardus de Rinporth, Albertus de Ventosa, Albertus de Siey, Gualterus de Ultra Mosellam, Teobaldus Pincerna, Bertrannus de Castello, Haymericus de Visinul, Nicolaus de Portusaliæ, Joannes Botes de Vico. De familia ducis : Simon de Parreia, Gerardus advocatus de Brueris, Guarnerus frater ejus, Guillelmus de Archis, Folmarus de Mucuns, Petrus de Aleia, Bertaldus de Bithis, Gualterus præpositus de Nancei. Imperante feliciter Conrado rege, Innocentio papante, indictione v, epacta XXII.

XIV.

448 *Fredericus Tullensium comes, et uxor ejus Hawidis ratum habent anno Christi* 1142 *donum salis apud Vicum percipiendi, quod monasterio Tartensi Matthæus Lotharingiæ dux paulo ante concesserat.*

(Ex autographo Tartensi.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Fredericus Dei annuente clementia Tullensium comes indignus, et uxor mea Hawidis, providentes saluti animarum nostrarum, et exspectantes remunerationem a Deo, ecclesiæ Sanctæ Mariæ Tartensi, et venerabili abbatissæ Elizabeth, et sororibus ibi Deo famulantibus, libera traditione donavimus v sesses apud Vicum, per manum comitis R. Barrensis, et Odonis de Mollem; prius donatos eis a Matthæo duce, et Balduino fratre ejus, et assensu sororis eorum Agathæ. Quia vero solent plerumque mundanarum possessionum traditiones successorum calumnia transmutari, ut caveri possit, utile duximus, ad posterorum notitiam tenaciter commendari. Quapropter prædictam donationem, quia eam in portione nostræ hæreditatis suscepimus, susceptam libere donavimus, sigillo nostro confirmavimus adhibentes testes idoneos, quorum auctoritate res firmata et stabilita perpetuo maneat. Nomina autem eorum hæc sunt : Stephanus majoris ecclesiæ decanus et archidiaconus, Hugo de Gundricurt archidiaconus, Albero, Bovo, Raynaldus comes Barrensis, Henricus frater comitis Frederici,

(63) Cum ex Chronico ad cyclos paschales, anno 1125, Jocerannus ad festum S. Mammetis Lingonensem episcopatum dimiserit, eique successerit Guilencus. v Kalendas Octobris, ex hac charta evidens est cœpisse Tartense monasterium, saltem anno illo 1125, cum adhuc episcopus esset Jocerannus; perfectum autem ædificiis, et bonis (quod satis esset) locupletatum fuisse anno 1132.

Digitized by Google

Odo de Molem, Falco de Mandalis, Hynfridus, Ulricus de 449 Domno Martino. De civitate : Henricus advocatus, Henricus de Cacenval, Fulco de Sancto Vedasto. De Familia comitis : Walo de Fontiniaco, et Wiardus frater ejus.

Hoc actum est anno ab Incarnatione Domini 1142, indictione v, epacta XXII.

XV.

Ex actis in capitulo generali, quod apud Thart, anno 1268, in festo S. Michaelis archangeli celebratum est.

In primis cum olim per venerabilem Patrem dominum Bonifacium, quondam abbatem Cisterciensem, deliberatione provida ordinatum fuerit, et statutum ut abbatissæ quæ aliquo rationabili casu detentæ, eo anno quo tenentur venire ad capitulum generale de Thart, nequaquam venire potuerint, se per priorissas aut alias moniales de suis domibus honestas cum litteris excusent, statuitur quod abbatissa de Mostellot, quæ se nec per nuntium idoneum, seu per litteras excusavit, imo (quod deterius est) per tres annos continuos de capitulo supradicto remansit sicuti inobediens et rebellis, stallum abbatissæ non intret, donec domui de Thart fuerit personaliter præsentata. Quæ nihilominus omni sexta feria interim sit in pane et aqua, et in sequenti capitulo generali, a tenente supradictum capitulum, nisi se legitime excusare potuerit, a regimine abbatiæ sicut rebellis et inobediens deponatur.

Item statuitur ut omnes abbatissæ et moniales, ad dictum capitulum annis singulis venientes; quandiu in conventu fuerint, omnibus horis et vigiliis in ecclesia cum aliis interesse personaliter non omittant.

XVI

450 *Abbatia de Thart, monialium ordinis Cisterciensis, multarum aliarum caput.*

(Ex autographo Tartensi.)

Ego Guido, dictus abbas Cisterciensis (64), notum facio præsentibus et futuris quod Arnulfus Cornutus, et uxor ejus *Amelina* de assensu et emptione Hugonis ducis Burgundiæ, et Mathildis uxoris ejusdem, per manum domni Stephani abbatis Cisterciensis, quibusdam sanctimonialibus quæ se domui Cisterciensi reddiderant, locum qui dicitur Thart, ad construendam ibidem abbatiam dedit. Quo videlicet in loco idem Stephanus abbas Cisterciensis, abbatiam sanctimonialium secundum instituta Cisterciensis ordinis viventium constituit, et abbatissam secundum formam Cisterciensis Ordinis ibidem ordinavit. Sciant igitur omnes quod præfata abbatia de Thart, propria est filia domus Cisterciensis, ita quod abbas Cisterciensis plenam potestatem habet corrigendi et ordinandi quæ ibi corrigenda et ordinanda invenerit, tam in capite quam in membris, et eligendi abbatissam in ea et amovendi, secundum formam Ordinis. Insuper omnes abbatiæ quæ ad ipsam pertinent, hæ scilicet : Biaulmont, Estanchia, Polongies, Beaufaes, Colonges, Valbaions, Corceles, Mosterlet, Chambenoit, Dreiteval, Moleise, Lescleche, Monaster, Boiserotes, Reynoth, insuper et abbatia de Lumine Dei, de Lude, et Ulnis, et si quæ aliæ in posterum pertinebunt, ad curam et ordinationem domus Cisterciensis jure perpetuo pertinent. **451** Præterea sciendum quod supradictarum abbatiarum abbatissæ, ad prædictam abbatiam de Thart, singulis annis in festo Sancti Michaelis, ad capitulum generale, quod abbas Cisterciensis vel per se, vel per aliquem cui vicem suam commiserit, tenet, debent convenire; præter eas quæ de indulgentia ipsius abbatis Cisterciensis remanent. In quo generali abbatissarum capitulo, debent proclamationes secundum formam Ordinis, coram abbate Cisterciensi, vel vicem ejus agente fieri; et quæ corrigenda et ordinanda fuerint, ad arbitrium et dispositionem eius sine omni contradictione corrigi et ordinari.

XVII.

452 *Vita S. Ambrosiniani episcopi et martyris.*

(Ex ms. parochiæ Fontanensis, prope Divionem, cujus patronus est S. Ambrosinianus, coliturque Kalendis Septembris.)

I. Fuit quidam nobili prosapia satus, nomine Agarus, in urbe Sarmatica, quæ est in partibus Iberiæ, regionis Asiæ, cui erat uxor, etiam nobilissima, nomine Sanna, ambo justi, ambo Deum timentes et præcepta ejus observantes, vix cum aliis frequentantes, ne forte verbo aut opere Deum offenderent. Tempore autem illo quidam tyrannus rex idola colens, jussit omnes ad sacrificia cogi, renuentes, variis tormentis, diversisque cruciatibus plecti. Agarus ergo et Sanna videntes ferocitatem regis, proposuerunt illinc quamprimum egredi, et in aliam urbem proficisci; non immemores dicti Salvatoris, dicentis : *Si vos persecuti fuerint in civitate una, fugite in aliam* (*Matth.* x). Venditis itaque omnibus, tandem Artemitam, in finibus Armeniæ ejusdem regionis Asiæ sitam sese receperunt. Ubi

(64) dic videtur fuisse Guido, hujus nominis secundus, abbas vero Cisterciensis XVI ex anno 1190 in 1202, exinde cardinalis episcopus Prænestinus, et archiepiscopus Remensis, de quo sic Necrologium Cisterciense : III *Kalendas Augusti obiit dominus Guido Remensis archiepiscopus, quondam abbas Cistercii.* Quæ porro hic enumerantur subjectæ Tarto abbatiæ, hoc ordine recensentur in Bulla Innocentii papæ III, data ad annum Christi 1200 *Abbatiam insuper de Bellomonte, abbatiam de Estanchia, abbatiam de Ulnis, abbatiam de Polungies, abbatiam de Benfaes, abbatiam de Colunges, abbatiam de Mustraloz, abbatiam de Cambenoit, abbatiam de Dreitaval, abbatiam de Lude, abbatiam de Moleise, abbatiam de Laseleche, abbatiam de Monaster, abbatiam de Boiserotes, abbatiam de Renoth, abbatiam sanctæ Mariæ de Burgil.*

Digitized by Google

se prius ad beatissimi Egidii fanum conferentes, Deo gratias egerunt, deinde domunculam ementes, ibi consistere ac manere constituerunt.

II. Steriles ambo cum per decennium juste modesteque vixissent, tandem divinitus prolem habuerunt, nec sine miraculo. Nam mulier quæ obstetricandi fungebatur officio, unius quidem oculi orbata lumine, interim dum puerum reciperet, lumen ipsa subinde recepit. Quod cum illius divulgatum est, atque verum compertum incolis **453** civitatis, cœperunt etiam contra recenter nascentium legem, festivis illum agere diem gaudiis, laudantes, et benedicentes Deum, qui facit mirabilia magna solus. Matronæ interea a parentibus postulantes quo vellent eum nomine vocari, aliud miraculum sunt experti. Pendens enim puer ad matris mamillam, quam primam vocem edidit, ista fuit : « Ambrosinianus. » Attoniti omnes, et nomen velut cœlitus allatum cernentes, dixerunt : « Ambrosinianus fiat. » Sicque delatus ad sacros latices, Ambrosinianus vocatus est.

III. Transactis autem, ut patriarcha Jacob, simpliciter domi puerilibus annis, cum septimum ageret, liberalibus traditur disciplinis, sic ut superiores industria et inferiores se humilitate superaret. Et ne rerum affluentia, ut fit, vel ætatis levitate aliquatenus insolesceret, omni studio sese tradidit atque abstinentiæ. Nihil quippe voluptati consentiens corporeæ, creber in vigiliis, assiduus in orationibus, in jejuniis præcipuus persistebat. Vix intra ecclesiam nisi orantem, vel extra nisi legentem deprehendisses, nisi imposita necessarii usus utilitas impedisset. Quod suis nedum condiscipulis, sed et præceptoribus non mediocrem admirationem deferebat.

IV. Pollens itaque litteris et virtutibus Ambrosinianus, cum jam bissenos attigisset annos, domum patris revertitur, ubi paucis moratus diebus, omnibus renuntiare et mundum relinquere proposuit, animadvertens tutum non esse cohabitare serpenti. Hinc valedicens parentibus, post longa itinerum spatia, tandem Sarlatum adventavit : ubi a Nicephoro illius urbis episcopo benigne exceptus, plurimum adamatus, et denique ordinatus, eo virtutis et **454** excellentiæ venit, ut cæteros omnes in officii sui sedula profunctione superaret. Insuper tanta episcopo est addictus pietatis ergo necessitudine, ut ne uno quidem pede ab eo discedere liceret. Quadam autem nocte dum uterque pervigil in oratione et assidua lectione persisteret, accidit ut pontifex jam senio confectus lumen exstingueret. At continuo vidit angelum Dei manifeste lumen Ambrosiniano tribuere, unde miratus : « Ambrosiniane, inquit, quid hoc sibi vult? » Cui respondit : « Pater mi, gratia Dei. »

V. Mane facto vocat episcopus majores urbis illius. Quibus cum declarasset miraculum, ait Ambrosinianum episcopatu dignissimum. Ex re tam nova attoniti omnes libere consentiunt, excepto illorum uno, cujus filius mortuo pontifice episcopale aucupabatur munus. Sed interim dissentiens, volente Deo coram omnibus statim exspiravit. Ad tam novum spectaculum fit populi magnus concursus. Monet Ambrosinianus omnes preces apud Deum supplices fundant : fundit et ipse, et tandiu prostratus jacuit in oratione, donec defunctus resurgeret a morte. Mirantur omnes, ac summa lætantur exsultatione, laudantes, et glorificantes Deum, qui talem potestatem dedit hominibus. Quo tandem factum est ut divus Ambrosinianus, licet renitens, Sarlatensis episcopus creatus sit.

VI. Ambrosinianus ad summum episcopatus gradum evectus, eo sanctitatis, pietatis et justitiæ venit, sibi ut æqualem tunc temporis haberet neminem. Nam cæcis visum, surdis auditum, et mutis loquelam restituit, insuper et multos a dæmonibus vexatos coercuit, sicque ejus sanctitatis fama per omnes orbis provincias percrebuit, ut omnes undequaque eum invisendi percupidi eo confluerent, et ad **455** eum adirent ob illa ejus crebra miracula, quorum vel maximo desiderio tenebantur atque afficiebantur. Accurrunt et parentes ejus, benedicentes Deum qui talem eis dederat prolem. At pius Pater cernens se tantos inire honores, prudenter imminenti sibi ambitionis periculo obviam ire cupiens, certiorque factus a parentibus cujas ipse esset, et quorsum ipsi a patriæ finibus extorres et profugi essent, illuc remeare proposuit; atque Sarlato tandem discessit, cunctis mœrentibus, postquam de suo episcopatu sanctissime disposuit.

VII. Ambrosinianus Sarmaticam ingressus, evangelicam disputationem publice aggreditur. Illico fana destruuntur, deseruntur idola, passim coruscant et eriguntur allata crucis trophæa. Interea rescitur, et regi renuntiatur crucicolam quemdam Sarmaticam adventasse, qui diceret deos falsos suorum scelerum pœnas apud inferos luere; Christum autem, verum Dei Filium ab omnibus coli debere. Perquiri jubetur, inventus ligatur, cæditur, conspuitur; et sic obtutibus regis præsentatur. Cui ille : « Tune ille es, quem fama vulgavit deorum sacratissimum cultum ausu sceleratissimo profanare, et Deum nescio quem colendum, a Judæis crucifixum, publice prædicare? » Cui respondit : « Audi, sacratissime rex : Noli putare eos deos, sed potius dæmones; Deus enim unus est, in cujus virtute verba salutis annuntio, et illi cunctos lucrificare cupio; quem et te cognoscere utinam non puderet. » — « Nisi ab ejusmodi stultitia, rex ait, cessaveris, diversis te faciam pœnis interimere. » Ad quod nihil respondit.

VIII. Egressus a facie regis athleta Dei, sequenti die intrepidus fanum idolis plenum ingreditur; quæ omnia **456** jussit disrumpi, et in pulverem comminui. Evaginato autem ibi evangelicæ prædicationis gladio, plusquam tria millia hominum in fide solidavit, et baptizavit. Iterum capitur, verberatur et jussu regis in carcerem truditur, ut ibi inedia

Digitized by Google

deficeret. At Deus, sui curam gerens famuli, misit angelum de cœlis, qui ejus nedum vulnera curaret, sed et ei cibum ministraret. Multis ergo diebus elapsis cernens rex impius sanctum Dei incolumem, ira percitus dixit : « Non parum tibi videtur jura nostra contempsisse? insuper et deos nostros confregisse? Ex duobus unum elige : aut sacrificare, aut turpiter mori. Si enim sacrificaveris, supra multa te constituam. » At fortis athleta nec minis terretur, nec blandis verbis seducitur.

IX. Videns ergo tyrannus animi illius constantiam, jussit eum a tortoribus in equuleo suspendi, et pectinibus ferreis sacra ejus latera perforari. Sal quoque jussit in vulnera plagarum aspergi. Sed inter hæc stat vir Dei immotus, dicens, quod *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Tandem jussit impius rex illum malleis, bacillisque ferreis tandiu contundi et comprimi, donec animam exhalaret. Quod ut factum est, anima ejus inter angelicos choros nive candidior a Christicolis visa est. Rex vero ullis nec parcere volens reliquiis, corpus ejus canibus devorandum exposuit, frustratus desiderio, plures alios fame pene peremptos adducere jussit. Sed interim cum ex illis unus corpus exsangue olfactus esset, statim in rabiem versus est, et celeri gressu pergens ad regem, ipsum momordit, ut ipse in rabiem etiam verteretur. Hoc cernentes qui a beato Ambrosiniano fuerant instructi, **457** Deum laudaverunt, et corpus ejus honorifice sepelierunt : insuper et ingentem basilicam in ejus honore fundaverunt. Ad cujus tumulum confluunt undique populi, sanitatis recuperandæ gratia ; nec frustrantur, præstante hoc ad honorem famuli sui Jesu Christo Domino nostro.

XVIII.

S. Ambrosiniani festus die Kalendis Septembris. Bartholomæus dominus de Fontanis.

(Ex parte II, cap. 44. Tabularii S. Stephani Divionensis.)

Quoniam refrigescente charitate abundat iniquitas, et paulatim diminuitur veritas a filiis hominum, ne contra ipsam unquam prævaleat falsitas, litteris ipsis præsentium ac futurorum tradimus notitiæ, Bartholomæum dominum de Fontanis, in capitulo Beati Stephani Divionensis quondam venisse, et domno Herberto abbate, atque Warnerio præposito cæterisque canonicis ibi residentibus, jornalem quemdam terræ incultæ, ante portam sui castri positum, ut sibi suisque hæredibus qui post se ipsius castri domini essent, censualiter ab eis daretur, petivisse. Quod domnus abbas, laude et consensu totius capituli illi concessit, tali scilicet tenore, ut si ipse, vel successores ejus censum debitum tempore constituto non redderent, excommunicarentur, donec illud persolverent. *In Kalendis igitur Septembris, die natali sancti Ambrosiniani qui ibidem colitur*, sex nummos constituerunt ei reddere unoquoque anno. Hujus rei ex parte Bartholomæi sunt hi testes : Wido de Monroyr, **458** Wido de Alta Villa, Paganus de Chax, Guido de Eschanna, milites, Robertus major ipsius, et Vaslius frater ejus, Ulricus, Warnerius; ex parte autem canonicorum, Engalrannus minister eorum, Lambertus furnarius, Girbertus sutor, et de Aqueductu, Ansius, Amicus, et Joannes frater ejus, et alii plures.

XIX.

Reliquiæ sancti Ambrosiniani.

(Ex eodem tabulario.)

Anno ab Incarnatione Domini 1171 (65) epacta I, solaris cycli III, consecratum est altare in cryptis Sancti Stephani, a domno Guichardo Lugdunensi archiepiscopo, in honore Dei et sanctæ ejus genitricis Mariæ, et sancti Joannis Baptistæ, et sancti Blasii, et sancti Egidii, et omnium sanctorum. Positæ sunt ibi reliquiæ de ligno Domini, de sepulcro Domini, de sepulcro beatæ Mariæ et sancti Petri apostoli, de vestimento sancti Joannis Baptistæ, de osse sancti Laurentii, sancti Leodegarii, sancti Medardi, sancti Ambrosiniani, sancti Honorati. Eodem die, id est Idibus Septembris, consecratum est cœmeterium ab eo archiepiscopo ante ecclesiam Sancti Stephani.

459 XX.

Rainerius miles, frater Godefridi Lingonensis episcopi. 1141.

(Ex autographis tabulis S. Eugendi Jurensis.)

In nomine sanctæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. GODEFRIDUS, sanctæ Lingonensis Ecclesiæ episcopus, ADONI venerabili abbati monasterii Sancti Eugendi, ejusque successoribus in perpetuum.

Quoties ecclesiasticarum causarum diffinitiones, et pacis Ecclesiarum firmitates in posterum fideliter conservari desiderantur, operæ pretium est ut rei veritas litterarum apicibus firmissime adnotetur. Quapropter ego Godefridus sanctæ Lingonensis Ecclesiæ episcopus, notum fieri volui sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus atque futuris, qualiter calumnia Melundensium monachorum, quam adversus monachos Sancti Eugendi Jurensis monasterii habuerant de ecclesiis Barrensibus superioribus et inferioribus, annuente Deo sit terminata. Delegatis enim nobis litteris, et venerabili fratri nostro Hugoni Altissiodorensi Dei gratia episcopo a domino sanctæ et universalis Ecclesiæ summo pontifice Innocentio, ex ejusdem decreto, utrique parti communicato consilio diem exsequendæ justitiæ constituimus. Ad quam cum utræque partes, Ju-

(65) Hic annus 1171 ductus est a Paschate, vel a 25 Martii, et æram Dionysianam a Christi Natali inchoatam novem fere mensibus antevertit. Nam anno 1170, Dionysiano fuit epacta I, cyclus solis III.

Digitized by Google

rensium videlicet et Melundensium monachorum, A cum abbatibus suis convenissent, et allegationes suas diligentissime exposuissent, Jurensibus quoque apostolicis privilegiis et pontificalibus donationibus ac diffinitionibus jus suum tuentibus, Melundensibus vero in suis probationibus deficientibus, consilium habuimus ut ad **460** tantam controversiam diffiniendam cum utrisque partibus, præsentiam domni Bernardi abbatis Clarevallensis adiremus. Habito igitur tanti viri, et aliorum virorum religiosorum qui cum eo fuerant, consilio, nos qui ex commisso nobis officio fraternam pacem providere, et cuique Ecclesiæ suum jus conservare, nec non temerarias calumnias justitiæ falce debemus resecare, attendentes quidem Jurensium justitiæ effectum, Melundensium vero defectum, calumniam illam tandiu B ventilatam suffocavimus, et ecclesias illas cum appendiciis earum, unde controversia agitabatur, Jurensi Ecclesiæ sine aliqua refragatione in perpetuum concessimus possidendas : laudante tamen Aladardo Melundensium abbate in capitulo suo, ubi erant Raimundus prior, Jordanis subprior, Garinus cellerarius, Arembertus sacrista, Anscherius cantor, Gautherius medicus, et alii quamplures Melundenses monachi. Hæc itaque ne succiduis temporibus aliqua oblivione deleantur, litteris commendari præcepimus, et sigilli nostri impressione signavimus. Quicunque igitur contra hanc nostri præsentis decreti paginam venire tentaverit, et Dei iram incurrat, et nostri vinculo anathematis subjaceat, C donec de præsumptione facta digne satisfaciat. Et quia omnis causæ diffinitione testes admittendi sunt, hujus rei testes sunt domnus Bernardus Clarevallensis abbas, cujus providentia acta sunt hæc, Guido frater ejus, magister Anselmus, Gautherius Trecensis, Girardus de Montesalgio, Ugo de Riveria canonici Lingonenses, Willermus de Marziaco et Joannes canonici Lugdunenses, Rodulphus decanus de Barro, et Joannes Capellanus Sancti Macuti, **461** Petrus capellanus de Barrevilla, Petrus clericus filius Widonis Gonterii, Robertus filius Odonis Rufi, Rainerius miles, frater Lingonensis episcopi, Rainaldus nepos Hugonis vicecomitis, et Leobaudus de Arienne ponte.

Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini mil- D lesimo centesimo quadragesimo primo Mediolani; et versus Choium usque ad semitam, quæ ultra silvam de Agei venientes Mediolanum ducit; et versus Magnummontem, usque ad cryptam collis, quæ retro secus Sarratam est, cum laude Emengardis uxoris suæ, et Oddonis de Mirabel nepotis sui, solemniter investivit. Fide etiam in manu mea promisit quod usque ad imminentes Rogationes, universos habitatores ejusdem territorii alias in terra sua pacifice locaret, et ab ipsis, et ab universis, sive sint monachi, sive sint laici, qui hactenus terram ipsam incoluerant, post terminum denuntiatum, vacuam et liberrimam Ecclesiæ manciparet, vineas **462** autem quas ibi rustici habent, aut moniales emerent, aut proinde censum convenientem haberent. Portionem etiam molendini, quam ibi Huguerus habebat, aut moniales similiter emerent, aut inde censum congruum ab homine acciperent. Molendinum præterea quod apud Choium ipse Guido calumniabatur, cum cæteris molendinis in wadio concessit. Cum autem et hoc et alia molendina redemerit, donationem unius ipsorum molendinorum supradictæ Ecclesiæ perpetuo habendam annuit. Harum ergo donationum si quis defraudator vel imminutor exstiterit, me adversus calumniatorem, Ecclesiæ protectorem futurum precatus est; et ut rata et inconcussa supradicta omnia permaneant, sigillo meo chartam præsentem muniri summopere est hortatus. Testes horum sunt, ego ipse Oddo dux Burgundiæ, Guido Garrels, Herluinus de Torcenai, Garnerius de Agei, Petrus dapifer de Castellione, Morellus de Clermont, Warnerius filius majoris de Fluriaco.

Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1149, indictione XII, epacta IX, concurrente V, regnante Ludovico rege, et Godefrido Lingonis episcopo vivente.

XXI.

Guido de Sobernone, uxor ejus Emengardis, nepos ejus Oddo de Mirabel. 1149.

(Ex autographo Pratilongi.)

In nomine Domini, Ego Oddo dux Burgundiæ, tam futuris quam præsentibus, notum fieri volo quod Guido de Sobernone, ecclesiam monialium Sanctæ Mariæ, quæ in fundo Molooniæ constituta est, de universo territorio quod in ipsa Moloonia sui juris fuerat, per manum meam, usque ad divisionem territorii de Saviniaco, et usque ad divisionem territorii de Balmeta, divisionemque terræ

XXII.

Bartholomæus de Subernon, dictus de Fontanis: Chalo et Theselinus filii ejus. 1154. *S. Antellus ipse est S. Antidius episcopus Bisontinus et martyr.*

(Ex autographo.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ego Henricus, Dei gratia Eduensis episcopus, quoniam quod loquimur transit, quod scribimus manet, utile ducimus **463** litteris manentibus adnotari quod memoriæ posterorum expedit commendari. Notum sit igitur tam posteris quam instantibus quod Bartholomæus de Fontanis, Calo quoque et Theselinus filii ejus, Guigo Garellus et Odo filius ejus, domina Abba et Bartholomæus filius ejus, die qua Theobaldus Garellus in cœmeterio Moloniæ sepultus est, Deo et ecclesiæ Beatæ Mariæ Moloniensis, pro remedio animarum suarum, terragium de Curcellis perpetuo libere possidendum contulerunt, ea nimirum interposita conditione, quatenus prædicta Ecclesia annuatim eis tres sextarios persolveret, unicuique trium prædictarum personarum unum sextarium, medietatem frumenti, alterum tre-

Digitized by Google

mosii. Sciendum quod ejusdem generi, prædicti Theobaldi, qui duxerant in uxores filias ipsius, tam ipsi quam filiæ, ipsum donum fieri voluerunt et laudaverunt, quorum unus, Buirus scilicet de Vietel, sedem molendini sibi retinuit apud Corcellas, eo nimirum tenore, quatenus in constructura molendini ipse Buirus medietatem sumptus poneret, et quæstus et multuræ medietatem acciperet; ecclesia vero residuum expensæ solveret, quæ lucri medietatem esset receptura. Præfata terra jacet sicut semita dividit, deducens ab Sancto Antello versus Unche. Præterea prædicti homines qui jamdictum donum fecerunt, benigno favore eidem concesserunt ecclesiæ quamdam partem terræ contiguæ finagio Sancti Antelli. Hoc autem latere nolumus, quod terragium atque decimationes memorati territorii ejusdem Ecclesiæ in jure proprio redigantur. Hujus autem donationis et pacti testes fuerunt, Robertus decanus de Surbernon, Nicholaus, sacerdos de Molen, Arnulfus miles de Scanne, 484 Guido de Curte, Letholdus de Vergi, Petrus de Sancto Antello, Alemannus de Surbornon. Scire etiam volumus quod Robertus Safredus, Abba quoque frater ejus, assensu liberorum eorum, Stephani, nec non Joannis, et Galteri sine terra, juramento confirmarunt, supradictum donum se tenturos. Hujus denique concessionis et juramenti testes fuerunt Petrus sacerdos, Willelmus medicus, Bartholomæus de Subernon, Chalo quoque et Theselinus filii ejus, Guigo Garellus, nec non Odo filius ejus, Humbertus Garellus, Guillelmus de Hartheu, Odo Berardus, Morandus Thuri, Rainaldus Guido de Subornon, Barnuinus de Drea, Morellus de Claromonte, Albertus de Chace. Ut autem hoc donum inconvulsum perpetuo perseveret, præsentem chartam fieri, factam charactere proprie imaginis communiri, et testium inscriptione corrobari decrevimus.

Actum anno Verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo quarto, indictione II, epacta IV, concurrente quarto.

XXIII.

Gautherius dominus Sombernionis, Garnerius frater ejus. 1188.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte I, charta 6.)

Ego Gautherius, Sombernionis dominus, omnibus notum facio quod Haymo filius Humberti de Moelem me præsente dedit in eleemosynam fratribus de Buxeria, pro remedio animæ suæ et parentum suorum, sex nummos censuales quos calumniabat pro territorio trium vallium. Super hoc quidem promisit se garantiam portare contra universos calumniam moventes. Et inde 485 habuit viginti duos solidos fortis monetæ Divionensis de beneficio ecclesiæ Buxeriensis. Si autem ipse Haymo a garantia portanda quoquo modo defecerit, ego et Garnerius frater meus, responsales sumus, quia de pecunia quam acceperat, viginti solidos præfatis fratribus reddet, nec eos amplius exiget ab eis, donec univer-

A sas calumnias perfecte exstinxerit. Hoc laudaverunt Hodierna mater, Guido frater, Petronilla soror præfati Haymonis, apud Sombernionem in aula mea ante cameram. Hujus rei testes sunt Martinus cellerarius, Guido, Girardus monachi Buxeriæ, Garnerius dominus Montilionis, Dominus Variminus et Joannes filius ejus de Dreis, Humbertus de Eschannay, Marischotus præpositus Sombernionis, et plures alii. Et, ut hoc ratum permaneat, rogatu utriusque partis, sigilli nostri impressione munivimus.

Actum est hoc, anno ab Incarnatione Domini M. C. octogesimo octavo, Anserico tenente abbatiam Buxeriæ, et Hugone gubernante ducatum Burgundiæ.

XXIV.

B *Girardus li Broz, dominus de Asneriis, filius domini Bartholomæi de Fontanis.* 1206.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XII, charta 1.)

Ego Odo dux Burgundiæ omnibus notum facio, præsentibus pariter et futuris quod Girardus li Broz, dominus de Asneriis, recognovit in præsentia mea quod dominus Bartholomæus de Fontanis pater suus, dederat et concesserat ecclesiæ et fratribus de Buxeria in perpetuam eleemosynam pasturas per totum finagium de la Chalor, et de veteri molendino, et de 486 genili, etc., ipse et Margareta uxor sua, domina de Asneriis, etc. Et, quia hanc eleemosynam patris sui male detinuerat, petivit absolutio-
C nem a prædictis fratribus, et accepit. Hujus recognitionis et laudis testes sunt Bernardus abbas Fonteneti, Hugo cellerarius, Joannes de Montebarro monachi Fontenetenses, Bernardus dominus de Spissa, Acuns miles, Tecelinus de Nogento. Quod totum ut ratum sit, sigilli mei munimine roborare præcepi, anno Verbi incarnati 1206.

XXV.

Galterius dominus Sombernionis, cujus uxor Jacoba, filii Arveius et Galterius, pater Guido, avunculus Arveius, avus Garnerius. 1208.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XII, charta 2.)

Ego Galterius dominus Sombernionis notum fa-
D cio præsentibus et futuris, quod dederim fratribus Buxeriæ in eleemosynam, medietatem prati de la Chalor, laudantibus uxore mea Jacoba, et filiis meis Arveio et Galterio, quandiu tenuero gageriam domini Guidonis de Vennere. Laudavi etiam eis, et confirmavi omnia quæcunque ipsi possident usque in præsens ex largitione elemosynarum domini Arveii avunculi mei, et domini Guidonis patris mei, et omnium antecessorum meorum, aut si qua de casamento eorum vel meo, eleemosyna vel emptione acquisierunt. Ut autem hoc ratum permaneat, præsentem chartam sigilli mei impressione munivi.

Actum est hoc anno incarnati Verbi 1208

Digitized by Google

XXVI.

Garnerius de Fontanis, nepos Girardi militis de Asneriis. 1210.

(Ex autographo Pratilongi.)

467 Ego Odo dux Burgundiæ notum facio tam præsentibus quam futuris quod Girardus miles de Asneriis, cognomento li Broz, laude et assensu uxoris suæ Margaritæ, dedit ecclesiæ et sanctimonialibus de Praalon, pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum in perpetuam eleemosynam, omnia quæ habebat apud Eschannai, et quidquid habebat in duobus molendinis de veteri molendino, et quidquid acquirere poterunt in his quæ erant de suo casamento. Hanc autem eleemosynam laudaverunt nepotes ipsius Girardi, Guido de Venerreio, Garnerius de Fontanis, et multi alii. Testes vero sunt Willelmus abbas Fonteneti, Robertus prior, et Odo monachus de Fonteneto, qui præsentes fuerunt. Et, ut hoc ratum sit, præsentem paginam sigilli mei auctoritate roboravi.

Actum est hoc, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo

XXVII.

Galtherus dominus de Sonbernon, uxor ejus Jacqua, fratres Garnerius et Guido, filii Arveius et Galtherus. 1210.

(Extraict de l'original estant au Temple de Beaune.)

Ego Galtherus dominus de Sonbernon notum facio omnibus quod consensu et voluntate uxoris **468** meæ Jacquæ, dedi, et in perpetuum libere concessi, Deo, et fratribus Hospitalis Hierusalem, Domum Dei de Sonbernon, cum omnibus pertinentiis quas tunc possidebam; et totum usuarium in terris, pascuis, aquis, et nemoribus meis, sicuti et hominibus meis prædictæ domus libere concessi, et usuarium in nemoribus meis ad opus domus Hospitalis Divionensis. Præterea concessi domui, et fratribus quidquid in terra mea, et de feodo meo emptione seu eleemosyna acquirere poterint, præter villam et castrum, tali videlicet conditione, quod dux Burgundiæ in prædicta domo quam dedi, per hospitalarios nullum dominium acquirere poterit. Hoc donum laudavit uxor mea Jacqua, et fratres mei, dominus Garnerius de Montoillot, et Guido dominus de Toreis, et filii mei Arveius et Galtherus. Et, ut hoc ratum magis permaneat, has litteras sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo decimo.

XXVIII.

Herveius et Gauterius de Sombernione, filii Galteri et Jacobæ. 1217.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 1.)

Nos Willermus Dei gratia Lingonensis episcopus, notum fieri volumus omnibus chartam istam legentibus vel audientibus quod Herveius filius Domini Galteri de Sombernione, laudante et concedente fratre suo Gauterio, et domina Jacoba matre sua, eodem die quo pater suus in cœmeterio Buxeriæ fuit tumulatus, pro anima patris sui et omnium antecessorum **469** suorum dedit Deo, et domui Buxeriæ, et fratribus ibidem Deo servientibus, in puram et perpetuam eleemosynam, quidquid habebat absque ullo retinemento, in tota decima de Maeleim. Nos autem ut eleemosyna ipsa rata perseveret in perpetuum, ad petitionem dicti Herveii, ipsam eleemosynam approbamus, et eam sigilli nostri munimine confirmamus.

Actum est hoc, anno Verbi incarnati 1217.

XXIX.

Herveius dominus Sombernionis, patruus ejus Garnerius, uxor Garnerii Aaliz, filia Agna monialis, filii Garnerius, Joannes, et Gautherius, Elizabeth uxor Garnerii junioris. 1220.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte X, charta 12.)

Ego Herveius dominus Sombernionis notum facio omnibus præsentem chartam inspecturis quod dominus Garnerius de Sombernon patruus meus, in infirmitate qua et defunctus est, me audiente et laudante, pro anima sua dedit Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Buxeria, in puram et perpetuam eleemosynam quidquid habebat in decima de Cormarria, in omnibus proventibus, et absque ullo retinemento, exceptis duobus sextariis frumenti, quos antea dederat filiæ suæ Agnæ moniali de Praalon. Hoc laudavit Domina Aaliz uxor sua, et filii sui Garnerius, Joannes, Gautherius, et Elizabeth uxor Garnerii. Et, ut hoc ratum habeatur in perpetuum, præsentem chartam sigilli mei impressione munivi.

Actum est hoc, anno ab Incarnatione Domini 1220.

XXX.

Herveius dominus Sombernionis. 1225.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 6.)

470 Ego Herveius Dominus Sombernionis notum facio omnibus præsentem chartam inspecturis quod pro anima mea, et pro anima patris mei et omnium antecessorum meorum, in puram et perpetuam eleemosynam dedi Deo et fratribus Buxeriæ duos modios vini puri ad usum missarum, in vineis meis de Maeleim, quæ sunt in territorio quod dicitur Rooles, annuatim capiendos, singulis annis tempore vindemiæ reddendos. Et, ut hoc ratum habeatur, præsentem chartam sigilli mei munimine duxi roborandam.

Actum est hoc, anno Verbi incarnati 1225.

XXXI.

Garnerius de Fontanis. 1230.

(Ex autographo Pratilongi.)

Ego Garnerius de Fontanis, partim dominus Blaiseii, præsentium inspectu notum facio universis quod ego pro remedio animæ meæ, et antecessorum meorum, dedi et concessi in puram et perpetuam

Digitized by Google

eleemosynam Deo et Beatæ Mariæ de Praalon et sanctimonialibus ibi Deo servientibus, terram in qua sita est capella, et pressorium, et grangia sua de Changeio, pacifice possidendam. Dedi etiam eisdem sanctimonialibus vineam sitam juxta dictam grangiam, et campum contiguum dictæ vineæ. Pro jam dicta vero vinea, annuatim duo solidi debentur censuales. Pro campo similiter duo **471** denarii mense Martio persolvendi. Præterea dedi dictis sanctimonialibus, per meam terram plenarium usuagium ad pascendum greges et armenta domus de Changeio. Si vero alicui damnum intulerint, damnum restitutum fuerit tantummodo sine lege. Dedi insuper jam dictis sanctimonialibus, in tertiis de Blaseio, scilicet apud castrum, unum sextarium bladi ad mensuram Sunbernionis, medietatem frumenti et medietatem avenæ, ad lampadem dormitorii jam supra dictarum sanctimonialium perpetuo serviendam. Et, ut hoc ratum et firmum habeatur, sigillum Hugonis decani Sancti Sequani præsentibus apponi feci. Dictum vero bladum tempore messis annuatim est persolvendum.

Actum est hoc, anno Gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo.

XXXII.

Garnerius de Fontanis. 1230. Otho et Kalo de Sauz, filii Willelmi de Sauz. 1231, Septembri. Elizabeth de Fontanis. Emeniardis Pratilongi abbatissa.

(Ex tabulario Clarevallensi.)

Anno 1230, mense Februario Garnerius Miles de Fontanis, habens tertiam partem in dominio et in justitia villæ et finagiorum de Fontanis, dat Clarevallensibus perpetuum usuagium ad omne genus pecorum in pasturis suis villæ et finagii de Fontanis. Item partem tertiam Changeii et finagiorum, laudantibus Gertrude uxore Garnerii, et nepotibus Garnerio Blaseii, et ejus fratre Pontio.

Anno 1231, mense Septembri, Otho et Kalo fratres, domicelli de Sauz, filii domini Willelmi **472** de Sauz, confirmant Clarevallensibus prædictas donationes ipsis factas a domino Garnerio de Fontanis.

Anno 1223, mense Decembri. Elizabeth de Fontanis, assensu liberorum Guiardi et Adelinæ, dat fratribus Clarevallensibus vineam in valle Corrant.

Anno 1235, mense Julio, Emeniardis abbatissa, et totus conventus de Praalum, de communi consensu, pro necessitate et utilitate domus suæ, vendunt fratribus Clarevallensibus pro XL libris Divionensium vineam suam sitam subtus Fontanas, versus castrum de Talant.

XXXIII.

Kalo, et Otheninus, filii Willelmi de Sauz. 1232.

(Ex autographo Pratilongi.)

Nos magister Robertus Capellæ ducis, et O. Christianitatis decani Divionenses, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis quod Dominus Kalo miles, et Otheninus frater ejus, filii domini Willelmi de Sauz, in nostra præsentia constituti, quitaverunt in perpetuum abbatissæ et sanctimonialibus ecclesiæ Beatæ Mariæ de Praaluns, quidquid dictæ sanctimoniales habuerunt et tenuerunt apud Changeium in pasturagiis, et omnibus aliis rebus. Quitaverunt etiam eisdem sanctimonialibus in perpetuum, quidquid ipsi apud dictum locum de Changeio quoquo modo poterant reclamare. In hujus autem rei testimonium, ad preces dictorum fratrum Kalonis et Othenini, præsentibus litteris sigilla nostra apposuimus.

Actum anno Domini 1232, mense Novembris.

XXXIV.

473 *Bonæ memoriæ Garnerius de Fontanis. 1234.*

(Ex tabulis Pratilongi.)

Nos frater Droco dictus abbas, et conventus Clarævallis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis quod, cum bonæ memoriæ dominus Garnerius de Fontanis, miles, dedisset nobis in perpetuam eleemosynam, tertiam partem terrarum, arborum, ædificiorum, justitiæ et omnium quæ habentur apud locum qui dicitur Changeium; nos eamdem eleemosynam admodiavimus in perpetuum abbatissæ et conventui de Praalum, pro uno modio bonæ et legalis avenæ, reddendo nobis a dictis monialibus, vel nuntio nostro, ad mensuram Divionensem, annuatim, apud dictum Changeium in crastino Nativitatis sanctæ Dei genitricis Mariæ. Et, si forte contingeret quod dictum modium avenæ, dictæ moniales non solverent loco et tempore supradictis, voluerunt et concesserunt quod nos quotiescunque hoc contigerit, tam ea quæ ipsis admodiavimus quam ea quæ ex alia parte apud dictum Changeium, et apud Fontanas, in terris, vineis, ædificiis, rebus mobilibus et immobilibus habent, et de cætero habebunt, possimus saisire, ei in manu nostra tenere, donec nobis præfatus modius avenæ, cum omnibus gravaminibus et damnis quæ pro dilatione solutionis ejusdem modii incurrerimus, nobis integre fuerit persolutus. Et ipsæ moniales, de dictis damnis et gravaminibus simplici verbo magistri domus nostræ de Divione, qui pro tempore fuerit, credere tenebuntur. **474** Sciendum autem quod neque de iis aliquid quæ ex parte nostra, vel ex alia parte tenent apud dictum Changeium et Fontanas alienare poterunt, nec extra manum suam ponere, præterquam in manu nostra, dummodo nos de iis quæ alienare voluerint in eisdem locis, tantum eis dare voluerimus, quantum alia persona vel Ecclesia dare vellet. Quæ ut rata et firma semper manoant, præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Actum anno Gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense Augusto.

Digitized by Google

XXXV.

Herverus Dominus Sombernionis, Blancha ejus uxor, filius eorum Joannes. 1239.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 2.)

Ego Hugo dux Burgundiæ notum facio universis præsentem chartam inspecturis quod bonæ memoriæ Herverus Dominus Sombernionis, qui sepultus est in cœmeterio Buxeriæ, dedit Deo, et beatæ Mariæ et fratribus Buxeriæ, in puram et perpetuam eleemosynam, pro remedio animæ suæ et animarum antecessorum suorum, laude, voluntate et assensu dominæ Blanchæ uxoris suæ, quinque familias hominum apud Maelein, cum omnibus bonis eorum, nihil sibi et hæredibus suis in aliquod retinendo. Tandem dicta domina Blancha, uxor quondam dicti Herveri, illas quinque familias hominum commutavit cum abbate et conventu Buxeriæ, in dimidium modium bladi, medietatem frumenti et medietatem avenæ, ad **475** mensuram Sombernionis, annis singulis in perpetuum recipiendum in grangia domini Sombernionis apud Maelein, sine contradictione alicujus personæ. Et exinde possessionem et dominium fratribus Buxeriæ tradidit tali modo, ut dictum dimidium modium habeant, teneant et possideant, et ex eo faciant libere, quiete et licite, jure proprietario in perpetuum, sine reclamatione hæredum dicti Herveri, vel supradictæ Blanchæ, seu aliquarum aliarum personarum, ita quod quicunque pro tempore tenebit prædictam grangiam sive agriculturam domini Sombernionis apud Maelein, solvet dictum dimidium modium vini fratribus Buxeriæ, non exspectato ulterius aliquo mandato domini Sombernionis. Hæc omnia integre observare et nunquam contravenire, et contra omnes defendere juravit in manu abbatis Buxeriæ dicta Blancha domina Sombernionis. Promisit etiam et tene prædicta Blancha, quod cum Joannes filius ejus, quem habet a supradicto Herveio, ad ætatem congruam venerit, faciet eum prædictam eleemosynam concedere, laudare et confirmare. Ut autem hæc eleemosyna rata et firma perseveret, ego Hugo dux Burgundiæ præsentem chartam sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini 1239, mense Maii.

XXXVI.

Blancha domina de Sombernione. 1242.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 3.)

Ego Blancha domina de Sombernione notum facio universis præsentes litteras inspecturis quod **476** in præsentia mea constituti dominus Willemus Fromunt, et Petrus frater suus recognoverunt se dedisse et concessisse Deo et ecclesiæ Beatæ Mariæ de Buxeria, et fratribus ibidem Deo servientibus, in meram et perpetuam eleemosynam, pro remedio animarum suarum, medietatem cujusdam prati sui, siti in territorio de Varoilles, et totam decimam quam in territorio de Poissins habebant, et habere debebant, etc. In cujus rei memoriam et testimonium, ad petionem utriusque partis, præsentes litteras sigilli mei munimine feci roborari.

Actum anno Domini 1242, mense Maio

XXXVII.

Guillermus de Monteacuto, dominus de Maalein, et Jacqueta uxor ejus. 1255.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 4.)

Nos Guillermus de Monteacuto, dominus de Maalein, et ergo Jacqueta uxor dicti Guillermi, notum facimus universis præsentem chartam inspecturis quod cum viri religiosi abbas et conventus Buxeriæ haberent, et percipere deberent annuatim sex sextarios bladi, ad mensuram Sombernionis, in grangia nostra de Maalein, ex eleemosyna bonæ memoriæ Herverii quondam Domini Sombernionis. Nos videntes, prædictos abbatem et conventum, et eorum mandatum, ratione dictorum sex sextariorum labores non modicos sustinere, nolentes de cætero ipsos super prædicta eleemosyna molestari, vel indebite laborare, dedimus, concessimus et quittavimus eisdem in excambium et permutationem dicti bladi, in puram et perpetuam eleemosynam, **477** furnum nostrum de Saveranges, cum omnibus juribus et pertinentiis dicti furni, etc. Dedimus insuper, et concessimus supradictis fratribus de Buxeria in meram et perpetuam eleemosynam quidquid juris habemus, vel in posterum habere debebimus, de omnibus decimis et tertiis omnium territoriorum et finagiorum villæ de Saveranges, etc. Confirmamus insuper, et laudamus fratribus de Buxeria omnes eleemosynas atque libertates, quas ipsis fratribus contulerunt domini de Sombernione, in terris, nemoribus, pratis, aquis, pasturis et pascuis, ab initio fundationis dictæ domus de Buxeria usque ad diem hodiernum. Et quia sigillum non habemus, sigilla venerabilium virorum, Hugonis abbatis Sancti Sequani, et Petri archipresbyteri Flavigneii præsentibus litteris fecimus apponi

Actum anno Domini 1255, mense Augusto.

XXXVIII.

Guillermus de Monteacuto, uxor ejus Jacqueta, Alexander eorum filius. 1259.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 5.)

Nos frater Hugo, permissione divina humilis abbas Sancti Sequani, et Joannes de Sauz decanus ejusdem loci Lingonensis diœcesis, notum facimus omnibus præsentes litteras inspecturis quod constituti propter hoc specialiter et personaliter in nostra præsentia Guillermus de Monteacuto dominus de Maalein, Domicellus, et Alexander filius ejus, provida deliberatione quieti et saluti animæ Jacquetæ quondam dominæ de Maalein, relictæ dicti Guillermi, matrisque prædicti **478** Alexandri cupientes toto cordis desiderio providere, pro remedio et salute animæ prædictæ, et animarum antecessorum ipsius Jacquetæ et suorum, dederunt et concesserunt in puram et perpetuam eleemosynam, Deo et

Digitized by Google

ecclesiæ Beatæ Mariæ de Buxeria, Cisterciensis Ordinis, et viris religiosis abbati et conventui ibi Deo servientibus in quorum Ecclesia prædicta traditur perpetuæ sepulturæ, dimidium modii bladi, frumenti et avenæ per medium, ad mensuram Sombernionis, de annuo et perpetuo redditu. Quem dimidium modium bladi prædicti, prænominati Guillermus et Alexander assederunt dictis abbati et conventui, aut ipsorum mandato reddendum et deliberandum singulis annis in perpetuum de cætero, infra festum Omnium Sanctorum, super duo molendina eorum, sita super stannum Maalain; et super redditus et exitus molendinorum ipsorum, quorum unum vocatur molendinum de la Rochete, et aliud, molendinum du Mileu, et propter hoc autem dicti abbas et conventus tenentur singulis annis in perpetuum de cætero, die Martis proxima post festum beati Bartholomæi apostoli, in eorum ecclesia anniversarium dictæ Jacquetæ facere, etc. In quorum omnium robur et testimonium, ad preces dictorum Guillermi et Alexandri, præsentibus litteris sigilla nostra apposuimus.

Actum anno 1259, mense Octobris.

XXXIX.

(Ex Necrologio Buxeriæ.)

Die Martis post festum Bartholomæi apostoli anniversarium Jaquetæ dominæ de Malano, quæ **479** dedit nobis dimidium modium frumenti et avenæ per medium. Et debemus habere duplicem pitanciam et generalem, ut in charta ejusdem continetur.

XL.

Alexander de Monteacuto, Dominus de Maelein. 1265.

(Ex tabulario Buxeriæ, parte XIII, charta 8.)

Je Alexandres de Montagu, *Sires de Maelein, fais à savoir à tous ces qui ces présentes lettres verront et ourront, que je por lou remede de m'arme et de mes ancessors, ay doné, quitté, et outroié à Deu, et à Nostre Dame, et à l'Abbé et Covant de la Boixerre, queque droiture que je aye, ne atans avoir décy en avant, por raison de fief, ne por nule autre chose quel qu'ale soit; sauve la Justice, la Seigneurie, et la Garde, ensi com nos li aviens, que i retenone an la terre que Messires Aubers de Savigne chevaliers ai donée à Deu, et à Nostre Dame Saincte Marie, et à l'Abbé et Covant de la Boixerre, por lou remede de s'arme, en aumogne perpétual. C'est à sçavoir dues pièces de terre, lesques contiennent environ cinq journeaux de terre, etc. Et por ce que je n'ay seaux, à ma requeste ay faict à mettre en ces presentes lettres, por ce qu'elles aient force et vigour, lou seaul à l'onorable baron Monsignor Jehan de Saux, doyen de Sainct Seigne, et lou seaul à la religiouse famme Aaliz abbesse de Praalon. Ce fu fait en l'an Nostre Seignor mil et dous cens et soixante et cinq, ou mois de Octembre.*

480 XLI.

Calo de Saux, dominus de Fontanis; uxor ejus Dannez, Joannes et Guillelmus eorum filii. 1267.

(Ex autographo B. Mariæ de Bonvau, juxta Talant.)

In nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, mense Augusti, ego Calo de Sauz, dominus de Fontanis, miles, in bona dispositione mentis existens, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego considerans et attendens quod nihil est morte certius, nihil incertius hora mortis, ob hoc ego diem extremæ messionis, operibus misericordiæ prævenire, et animæ meæ et animæ dominæ Dannez uxoris meæ providere cupiens, pro remedio animæ meæ, et animæ uxoris meæ prædictæ, ac antecessorum nostrorum, et etiam pro anniversario meo, et anniversario dictæ uxoris meæ, singulis annis in ecclesia Vallis Beatæ Mariæ juxta Talant perpetuo celebrando, dedi, concessi et obtuli in eleemosynam et hæreditatem perpetuam, donatione facta inter vivos, Deo et ecclesiæ Vallis Beatæ Mariæ prædictæ, et priori ac fratribus Ordinis Vallis Scholarium ibidem Deo servientibus, quidquid habeo, habere possum et debeo in villis, territoriis, et pertinentiis de Dez, et de Altavilla, in terris, noeriis, mansis, censibus, tertiis, et in omnibus rebus aliis quibuscunque. Et ex his omnibus et singulis ego me penitus, et dictos... priorem et fratres per manum fratris Girardi tunc prioris Vallis Beatæ Mariæ corporaliter investivi, et in verum dominum, et possessionem corporalem veram et perpetuam induxi, Quæ omnia **481** et singula supradicta a domino Hugone de Patoes milite, et Renerio fratre suo in alodium liberum acquisivi, titulo legitimæ emptionis. Promittens bona fide contra donationem et concessionem prædictas de cætero per me vel per alium non venire, tacite vel expresse; et ad hæc omnia tenenda et observanda perpetuo meos heredes præsentes et futuros specialiter obligo. Quæ omnia et singula supradicta ego Dannez uxor dicti domini Calonis, et nos Joannes et Guillelmus eorumdem domini Calonis et dominæ Dannez filii, laudamus, volumus, et concedimus, et tenere ac observare perpetuo promittimus bona fide, promittentes quilibet nostrum in solidum quod contra præmissa vel aliquod præmissorum de cætero per nos vel per alios non veniemus, nec venire per alium faciemus, consentiemus, aut permittemus, ratione dotis, vel donationis propter nuptias, aut avoeriæ, seu conquestus, vel proprietatis, sive successionis, aut modo alio qualicunque. In quorum omnium testimonium et munimen, nos Calo, Dannez, Joannes et Guillelmus prædicti, litteris præsentibus sigilla virorum venerabilium domini Petri decani capellæ ducis, et magistri Alberici decani Christianitatis Divionensis, rogavimus et fecimus apponi.

Actum anno et mense prædictis.

Digitized by Google

XLII.

Au prieure de Bonvau, de l'Ordre du Val des Écoliers, à cinq quarts de lieues de Dijon, par delà Plombières, et après la montagne de Talant : en l'aile droite de l'Église, il y a une tombe relevée sur quatre pilliers 482 *environ trois pieds de haut, par dessus le pavé, qui porte cette epitaphe sur les bords tout à l'entour.*

ANNO DOMINI MCC. SEPTUAGESSIMO, II. KAL. NOVEMBRIS OBIIT DOMINUS BALO DE SAVI, MILES, DOMINUS DE FONTANIS. ORATE PRO EO, UT VITE SOLAMEN DET SIBI CHRISTUS, AMEN.

Son écu porte une fasce au milieu, et trois oiseaux en chef.

XLIII

Alexander de Monteacuto, Dominus Sombernionis. 1272.

(Ex autographo B. Mariæ de Bonvau, juxta Talant.)

Ge Alixandres de Montagu, Sires de Sombérnon, fas sauoir à touz cele qui verront et erront cels presentes lettres, que de bone memoire Amiart, dite Blainche, cui en arriers, Dame de Sombernon, qui morte est, en sa darriene volenté, estanz en bone disposition de pansee pieça por le profist de s'arme, et por son anniuersaire faire chascun an en l'Iglise dou Val Nostre Dame pres de Talant, de l'Ordre dou Val des Escholiers, dona et outroia à Deu, et à ladite Iglise, et au Priour et es freres dou dit Val Nostre Dame, en pure et permaignable aumosne à touz iors mais, comme cele qui faire le pot, tote sa partie des dismes de Vilebarni, qui mouoient de son chief, en toutes issues queles que eles soient. En tel maniere que se icele partie ne valoit chascun an cent sols de Viennois, ele vot et outroia que li defauz fust accompliz des tierces dou dit leu, qui estoient et mueuent de son chief si con ge affermois. Et ge hoirs de ladite Amiart, dite Blainche, regardans et desirans le repox 483 de l'arme à celi dite Blainche, por ledit anniuersaire faire, et por quinze liures de Viennois, que li dit Prieurs, et li frere m'ont donées et paiées en deniers nombrez, et desqueles ge me tieng por paiez, la dite aumosne lo voil, outroi, et confermoi : et promet por mon sairement corporelment doné sor seinz Evangiles, tenir, garder, deffandre, et garantir encontre toutes genz à touz iors mais jusque à droit : et que por moi ne por autrui ge ne vanra encontre, taisiblement ou expressement. Et à ce tenir et garder ge enloi mes hoirs, et les diz dismes, et les tierces : et voil que à ce tenir et garder ge et mi hoir soiens contraint à touz iors mais : aussi comme de chose aiugie ou cognehue en jugement et en audience en la Court mon Seignor le Duc de Bergoinne. Ou tesmoignaige de laquelle chose ge ai sopplié et requis à mettre en cels lettres le seal de ladite Court mon Seignor le Duc, et le seal à henorable home mon Seignor Anxeri Arcediascre de Digenois en l'Iglise de Lengres. Ce A est fait en l'an de grace mil. CC. et sexante et doze, ou mois de Marz.

XLIV.

Alexander de Monteacuto, heres propinquior ab. intestato Maingerdis Dominæ Sombernionis. 1293.

(Ex autographo prioratus de Bonvau, juxta Talant.)

In nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, mense Junii, ego Alexander de Monteacuto, Dominus Sombernionis, Miles, notum facio universis, præsentes litteras inspecturis et audituris, quod bonæ memoriæ Maingerdis dicta Blanche, domina quondam 484 Sombernionis, in ultima sua volun- B tate ac in bona dispositione existens, dedit et legavit in puram et perpetuam eleemosynam Deo, et Ecclesiæ et fratribus Vallis Beatæ Mariæ prope Talentum, Ordinis Vallis Scholarium, pro remedio animæ suæ et anniversario suo annis singulis in dicta Ecclesia faciendo, partem suam decimarum de Vilebarni, quæ movebant de ipsius Maingerdis capite, in omnibus scilicet redditibus, et exitibus quibûscunque. Ita tamen quod si illa pars dictarum decimarum annuatim non valeret centum solidos Viennensium annui et perpetui redditus, ipsa Maingerdis voluit, et concessit dictis fratribus, quod defectus eisdem adimpleretur in tertiis dicti loci, quæ similiter erant et movebant de capite dictæ Maingerdis. Quæ quidem omnia et singula supradicta, dicta Maingerdis facere potuit de jure et de facto, prout hæc omnia et singula supradicta confiteor firmiter esse vera. Et hæc omnia præ dicta, amore Dei et intuitu pietatis, ac etiam pro quindecim libris Viennensium, quas dicti fratres mihi dederunt et solverunt in pecunia numerata, ego laudavi et confirmavi, tanquam hæres dictæ Maingerdis propinquior ab intestato, ac etiam dictam donationem garantire promisi dictis fratribus et eorum successoribus contra omnes. Et cum pro necessitate mea vendiderim, et in perpetuum quittaverim pro me et meis, Morello dicto le Borne, de Flavigneyo, omnia prædicta in donatione contenta, seu ea super quibus dicti centum solidi erant as- D sessi et assignati, ita videlicet quod dictus Morellus pro se et suis, ratione rerum eidem a me venditarum, dictis fratribus et eorum successoribus teneatur, annis 485 singulis et in perpetuum reddere et solvere tres sextarios frumenti ad mensuram Flavigneyi, in recompensationem omnium prædictorum, eisdem fratribus et eorum Ecclesiæ a dicta Maingerde donatorum, etc. Dono etiam eisdem fratribus septem quartellos avenæ annui redditus, ad mensuram Sombernionis percipiendos, et levandos annis singulis, et in perpetuum infra festum beati Martini hiemalis, a percipientibus et levantibus tertias meas de Sombernione, etc.

Actum in præsentia Hugonis de Cabilone notarii Divionensis, domini Joannis de Chaigniaco, et do-

Digitized by Google

mini Galteri de Comerrien, militum, testium ad hoc vocatorum anno et mense prædictis.

XLV.

Arverius dominus Sumbernensis, Herverius Dominus Safrarum. 1233.

(Ex autographo.)

Ego Arverius dominus Sumbernensis notum facio universis præsentes litteras inspecturis quod post hoc quod ego donavi dilecto et fideli meo Herverio domino Safrarum feodum de Socé, ipse redemit de me gageriam quam ego tenebam in illo feodo, de centum libris Divionensium : et hanc gageriam teneor dicto Herverio et hæredibus suis bona fide guarantire. Et ut hoc ratum sit et firmum, in hujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum meum apposui.

Actum anno Domini 1233, mense Martii.

XLVI.

Gilla relicta Hervei domini Saffrarum. Guido eorum filius. 1249.

(Ex archivo regio Parisiensi.)

486 Reverendissimo domino suo Th. regi Navarræ, comiti Campaniæ et Briæ palatino, Gilla domina Saffrarum, salutem et reverentiam cum honore.

Notum vobis facimus quod dominus Herveus dominus Saffrarum, maritus noster, in reditu de marinis partibus, de præsenti sæculo transmigravit. Propter quod reverentiæ vestræ supplicamus, humiliter rogando quatenus dominum Guidonem militem, filium nostrum, dominum Saffrarum, recipiatis in homagium de feodo illo de quo prædictus maritus noster in homagio vobis tenebatur. Nos vero dicto domino Guidoni, filio nostro, domino Saffrarum, jus nostrum plenarie acquitavimus, etc.

Datum Sabbato post Epiphaniam Domini, anno Domini 1249.

XLVII.

Evilo comes de Salz, uxor ejus regina, filii ejus Guido et Girardus, frater ejus Willelmus.

(Ex pancharta Albæripæ, confecta anno Christi 1135, tempore Wilenci Lingonensis episcopi.)

Evilo comes de Salz, laudante uxore sua Regina, et filiis suis Guidone et Girardo, et Willelmo fratre ejus, similiter dedit quidquid in suprascriptis finagiis habebat, vel aliquis de illo tenebat; et extra, in omnibus terris suis omnes supradictas aasantias.

XLVIII.

Wido Dominus de Sauz, uxor ejus Elizabeth, liberi ejus Bartholomæus et Beatrix. 1203.

(Ex tabulario Albæripæ.)

487 Ego Wido dominus de Sauz, notum facio præsentibus et futuris me laudasse fratribus Albæripæ consensu uxoris meæ Elizabeth, et filiorum meorum Bartholomæi et Beatricis, si quid juris habebam in illa parte vauriæ de Archotoros, quæ est inter Praalais et aquam quæ de Vivex descendit in Albam : unde investiti erant anno ab Incarnatione Domini 1203, secundo die Aprilis ; quod eis calumniabatur Simon miles de Aspre, pro quadam conventione quæ inter ipsos erat, scilicet quod si prædicti fratres in jam dicta parte vauriæ aliquid acquirerent, medietas esset Simonis ; ita tamen quod prius redderet eis medietatem pretii quo illud emerant.

XLIX.

Evilo comes de Salz, Villermus ,rater ejus, filius ejus Guido.

(Ex tabulario Albæripæ.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Rainaldus de Grancé, laudante uxore sua Agnete, et Evilo comes de Salz, laudantibus fratre suo Villermo et filio Guidone, dederunt Deo et sanctæ Mariæ Vallis Salvatoris, et fratribus ibi religiose viventibus, in finagio Corlimontis omnes aasentias, tam in terris **488** quam in nemoribus, ad pascendum animalia, ad ædificandum domos, ad excolendam terram, et cætera usualia, absque omni redditu et custumia. Factum est hoc per manum Wilenci episcopi. Testes Jocerannus olim episcopus, Godefridus prior de Claravalle, Guido monachus de Claravalle, David canonicus Sanctorum Geminorum, etc. Hoc donum laudavit Rainaldus filius Rainaldi de Grancé, etc.

L.

Fratres Vallis Salvatoris dant seipsos Albæripæ.

(Ex tabulario Albæripæ.)

Ego Godefridus, Dei gratia Lingonensis Ecclesiæ dictus episcopus, tam futuris quam præsentibus notum fieri volo quod fratres de Valle Salvatoris dederunt se, suamque possessiunculam Deo et Sanctæ Mariæ de Albæripa, in manu domni Raimbaldi ejusdem loci abbatis primi. Locum siquidem illum, scilicet Vallem Salvatoris, piæ memoriæ Robertus Lingonensis episcopus, cuidam clerico, nomine Guillermo, natione Normanno, ad Dei servitium ibidem faciendum, ædificandum donaverat, quem ille, et qui cum eo erant fratres, sub eo, et post eum ex tunc et deinceps, temporibus prædecessorum meorum Lingonensium episcoporum Joceranni atque Wilenci, aliis decedentibus, aliis succedentibus, usque ad tempus nostrum nulla eos perturbante calumnia pacifice possederunt. Hunc igitur locum sæpedictum, domui Dei Albæripæ et fratribus inibi Deo servientibus, a supramemoratis fratribus datum, ego justis ipsorum **489** petitionibus non injuste annuens benigne concessi, et sigilli nostri auctoritate confirmavi. Quisquis igitur prædecessoris nostri supranominati episcopi Roberti, et nostræ gratuitæ donationi obviare præsumpserit, anathema sit, donec inde congrue satisfaciat.

LI.

Evilo comes de Sauz, uxor ejus regina, filii Guido et Girardus, frater Willermus.

(Ex tabulario Albæripæ.)

Ad conservandam rerum gestarum memoriam

Digitized by Google

ego GODEFRIDUS Dei gratia Lingonensis episcopus præsentium attestatione litterarum notum fieri volo quod, etc. Willermus de Sauz calumniabatur domui Albæripæ et Vallis Salvatoris aasentias et usuaria in finagio Corilimontis, et pasturas in finagio de Columbe, dicens fratres Albæripæ seu Vallis Salvatoris, aut eorum animalia nulla omnino usuaria in præscriptis finagiis habere debere. Unde apud Buxeroles in præsentia nostra, constituta alterutrum rectitudinem exquirendi die, prolatæ sunt in medium ab abbate Albæripæ Rainerio duæ chartæ legitimæ, sigillo prædecessoris nostri Vilenci episcopi Lingonensis munitæ, et testium adnotatione roboratæ; in quarum altera continebatur scriptum quod Evilo comes de Sauz, laude uxoris suæ Reginæ, et filiorum suorum Guidonis et Girardi, et fratris sui Willermi, dederat Domui Dei Albæripæ omnes aasentias in omnibus terris suis. Sunt autem istæ aasentiæ, in aquis scilicet ad piscandum, in silvis ad comburendum, **490** ad ædificandum, ad pastum porcorum et cæterorum animalium, absque redditu et custumia. Auditis igitur utrorumque causis et diligenter examinatis, justo judicio judicatum est Domui Dei Albæripæ, remota omni calumnia, debere constare omnia, sicut chartæ illæ legitime testificabantur. Testes horum sunt Pontius archidiaconus, Alnaldus tunc decanus, frater Morelli; dominus Odo de Grancé, dominus Rainerius de Maresc.

LII.

Guido de Sauz, olim comes Lingonensis.

(Ex tabulario Ecclesiæ Lingonensis.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen. Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod ego Hugo dux Burgundiæ comitatum Lingonensem, quem a Guidone de Sauz per commutationem accepi, Ecclesiæ Lingonensis episcopo, videlicet patruo meo Galtero (86) et ejus in episcopatu successoribus in eleemosynam dedi, ac habendum in perpetuum concessi, et eum in manu ejusdem Galteri guerpivi, laudantibus filiis meis Odone et Alexandro; Henrico etiam comite Barri consanguineo meo, qui præfatum comitatum a me acceperat in feodum; et fratribus ejus, Theobaldo, Rainaldo et Hugone hanc donationem confirmantibus et approbantibus; et, si quod jus in comitatu illo a suis prædecessoribus habebant, præfatæ Ecclesiæ in eleemosynam concedentibus, et omnem inde calumniam deponentibus, necnon etiam laudantibus **491** hanc eamdem donationem, Guidone de Sauz, et filiis ejus Othone, et Henrico et liberis ejusdem Othonis. Testes sunt clerici, Manasserus Lingonensis decanus, Petrus Barrensis decanus, Ebrardus præpositus Sanctorum Geminorum milites, Gerardus de Reon, Viardus Moriers, et Simon ejus frater, Petrus de Barro serviens Henrici Trecensis comitis, Bonius præpositus Castellionensis, Petrus major Castellionensis.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1179.

LIII.

Henricus filius Guidonis comitis de Sauz, filii Evilonis. 1179.

(Ex tabulario Albæripæ.)

Ego GALTERUS Dei gratia Lingonensis episcopus præsentibus et futuris notum fieri volo quod Henricus filius Guidonis comitis de Sauz guerpivit atque laudavit per manum nostram Domui Dei Alberipæ **492** jure perpetuo possidendum, quidquid prædictus pater ejus, Guido scilicet, eidem Domui donaverat aut laudaverat. Testes Hugo dux Burgundiæ, nepos meus, Petrus decanus Barri, Hunaldus capellanus noster, Rainaldus cellerarius de Claravalle, Guido supradictus comes ejusdem Henrici pater, Milo Delfosse.

Actum Castellioni anno Domini 1179.

LIV.

(Ex eodem tabulario.)

Ego GALTERUS Dei gratia Lingonensis episcopus præsentibus et futuris notum fieri volo quod Guido comes de Sauz guerpivit Domui Dei Albæripæ quidquid calumniabatur vel habere se dicebat in finagio d'Arcfrait : quod longe ante pater ejus, Evilo videlicet comes, eidem Domui in eleemosynam donaverat, et ipse Guido laudaverat. Laudavit etiam sæpedictus comes Guido præfatæ Domni wageriam pratorum de Perregné, quæ erant de casamento suo. Horum testes sunt Hugo, tunc abbas Fontineti, Rainaldus Cellerarius clarevallis, Milo Delfosse miles. Hæc omnia laudavit Otto filius comitis.

LV.

(Ex eodem tabulario)

Ego GALTERUS Dei gratia Lingonensis episcopus, præsentibus et futuris notum fieri volo quod Henricus filius Vidonis comitis de Sauz, laudavit per manum nostram Domui Dei Albæripæ, quod clamabat in Arcfrait, quod Eubolus comes avus ipsius **493** Henrici, laudante filio suo prædicto Vidone, supradictæ Domui longe ante in eleemosynam donaverat. Testes pro Henrico sunt Lucas abbas Cariloci, Petrus abbas Accincti, Vido comes pater Henrici, Milo canonicus frater comitis. Anno 1170.

(86) Obiit Galterus episcopus VII Idus Januarias *anno milleno centeno septuageno octavo pleno*, ut habet ejus epitaphium in chartusia Luviniacensi, quam fundavit; hoc est, anno 1178 completo, adeoque incipiente 1179; cujus exordio a Christi Natali deducto, paulo ante ejus obitum datas oportuit præmissas tabulas. Necrologium Luviniacense ad VII diem Januarii : *Obiit Reverendus in Christo Pater et dominus, dominus* GALTERUS *Lingonensis episcopus, fundator noster et frater : sepultus ex latere majoris altaris in ecclesia nostra.*

Digitized by Google

LVI.

Fundatio ecclesiæ collegiatæ de Sauz per Guidonem dominum de Sauz, 1197, laudante uxore ejus Elizabeth, et filio Bartholomæo.

(Ex autographo ecclesiæ de Sauz.)

Ego Guido dominus de Sauz omnibus tam præsentibus quam futuris notum facio quod pro salute animæ meæ, et patris et matris meæ omniumque prædecessorum meorum, et Elizabeth uxoris meæ filiorumque meorum constitui in ecclesia beatæ Mariæ de Sauz canonicos, et dedi eis libere septem mansa in castello de Sauz in perpetuum possidenda, ad domos ædificandas convenientia. Quas domos ita liberas esse volo, quod si aliquis ad eas confugerit priusquam in eum manus injecerint, vel res suas in eis posuerit, sub protectione eorum cum rebus suis tutus erit, nisi de forefacto magnæ justitiæ fuerit comprobatus. Dedi etiam eis terras in usum ipsorum proprium, ad culturam segetum vel propagationem vinearum excolendas. Præterea concessi eis quod si aliquis canonicorum in conductu suo aliquem acceperit, nec a me, nec ab hominibus meis, nec ab aliquo super quem potestatem habeam, conductus infringetur. Exposui etiam eis omnes aquas meas ad **494** piscandum. Concessi quoque eis quod si aliquis canonicus vinum suum ad vendendum dederit, et interim ad vendendum, vinum dari per edictum prohibeam (ne aliquis videlicet præter me vinum vendat) eidem canonico licebit vinum vendere prætaxatum. Dedi etiam eis quatuor libras censuales in villa castri, et in alia terra mea; et omnes decimas bladorum meorum, et pecudum mearum; et quartam partem decimarum de Sauz. Porro canonicis prænominatis concessi quod ipsi habeant apud Sauz mansa libera ad homines libere retinendos, qui sub eorum potestate eligent remanere, ita quod cum hominibus meis, in nemoribus et in aliis rebus ad castellum de Sauz pertinentibus usum habeant plenarium et absolutum, liberi omnimoda exactione mea et hominum meorum. Præterea si quis hominum meorum, pratum aliquod, vel terram aliquam de qua non habeam reditum, eis in eleemosynam dederit, vel aliquis militum qui de me feodum teneat, sive in eleemosynam dederit, vel vendiderit, vel in vadimonio posuerit, hoc libenter concessi. Hæc omnia laudavit uxor mea Elizabeth, et filius meus Bartholomæus.

Actum anno ab Incarnatione Domini 1197 (87).

LVII.

Wido dominus de Sauz, uxor ejus Elizabeth, liberi Bartholomæus et Beatrix.

(Ex tabulario Albæripæ.)

495 Ego Wido dominus de Sauz notum facio præsentibus et futuris me laudasse fratribus Albæripæ, consensu uxoris meæ Elizabeth et filiorum meorum Bartholomæi et Beatricis, si quid juris habebam in illa parte vauriæ de Archotoros, etc., unde investiti erant anno ab Incarnatione Domini 1203, secundo die Aprilis.

LVIII.

(Ex tabulario ecclesiæ de Sauz.)

Ego Guido dominus de Sauz notum facio tam præsentibus quam futuris me concessisse canonicis meis de Sauz quod acquirant ecclesiæ suæ, vel gaigeria, vel emptione, mediam partem decimarum de Sauz, videlicet partem G. de Blaisé, et partem R. de Corporey; nec alicui liceat præterquam ipsis decimas illas acquirere, etiam hæredibus meis nisi ad opus ecclesiæ suæ de Sauz. Et hoc laudavit et concessit Elizabetha uxor mea, et Bartholomæus filius meus.

Actum anno ab Incarnatione Domini 1209.

LIX.

(Ex tabulario ecclesiæ de Sauz.)

496 Guido dominus de Sauz, ad petitionem et ad preces dominæ Elizabeth conjugis suæ *in extremis laborantis*, dat ecclesiæ et canonicis de Sauz, pro ejus animæ remedio, centum solidos Stephanienses, in die Circumcisionis Domini annuatim persolvendos. *Dominus Bartholomæus*, inquit, *filius meus hanc eleemosynam laudavit supradictis canonicis, et concessit.*

Actum hoc anno gratiæ 1222.

LX.

(Ex tabulario ecclesiæ de Sauz.)

Guido dominus de Sauz, pro anniversario domini Hugonis fratris sui, canonici Lingonensis, dat ecclesiæ et canonicis de Sauz duo sextaria bladi singulis annis persolvenda, laudante filio suo Bartholomæo. 1222.

LXI.

(Ex tabulario ecclesiæ de Sauz.)

Guido dominus de Sauz, pro salute animæ suæ et Elizabeth uxoris suæ, dat capitulo et ecclesiæ de Sauz quatuor sextaria bladi. 1231.

497 LXII.

Jacobus dominus de Sauz. Uxor ejus Maria de Monte Sancti Joannis.

(Ex tabulis ecclesiæ de Sauz.)

Jacobus dominus de Sauz cum Maria uxore sua fundat capellam S. Jacobi de Sauz, cum reditu sufficiente ad victum et vestitum unius presbyteri in dicta capella deserviturí. Die Mercurii post festum S. Michaelis in monte Gargano. 1248.

Idem eodem die et anno dat canonicis B. Mariæ de Sauz quartam partem decimæ de Sauz, recipiens ab illis sexaginta libras Viennensium.

LXIII.

Ego Jacobus dominus de Sauz, miles, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego divina favente gratia, cupiens in partibus transmarinis exsequi votum crucis, sponte, liberaliter et benigne do et cedo, atque quitto canonicis de Sauz

(87) Hanc fundationem anno eodem 1197 confirmavit Garnerius Lingonensis episcopus, ac subinde Rainaudus Lugdunensis archiepiscopus sine data: et denique Cœlestinus papa III, Laterani XI Kal. Novembris, pontificatus anno septimo.

Digitized by Google

in perpetuum duas domos cum plaustris earum, etc. Ut eas teneant et possideant perpetuo ita liberas, prout avus meus, pater scilicet patris mei, eas eis contulit, etc., *laudante Maria Jacobi conjuge, anno Domini* 1248, *mense Julio.*

Idem eodem anno et mense, quartam partem decimæ de Sauz, tam grossæ quam minutæ, posuit in manus canonicorum de Sauz, pro sexaginta et decem libris bonæ et legalis monetæ Stephaniensis, quas ab eis recepit

498 LXIV.

Anno Domini 1249, mense Martii, Maria de Monte Sancti Joannis, domina Salionis, *quondam uxor Domini Jacobi in transmarinis partibus defuncti*, domini Salionis, de ejus mandato dat ecclesiæ B. Mariæ de Sauz duodecim minas bladi, medietatem consiliginis, et medietatem tremisagii, ad mensuram de Sauz, singulis annis in tertiis de Sauz percipiendas, ea conditione ut ipsi canonici teneantur, in dicta ecclesia ad altare in honore S. Jacobi constitutum, diebus singulis pro dicto Jacobo defuncto, et antecessoribus ejus missam unam per se vel per alium celebrare, exceptis diebus Dominicis, et festivis, et eorum octavis, et octavis festorum novem lectionum.

Hanc donationem seu fundationem anno Domini 1250, mense Aprili confirmavit Joannes de Passavant, dominus de Sauz, qui tum Mariam de Monte S. Joannis, relictam Jacobi Domini de Sauz habebat uxorem.

LXV.

Guillelmus dominus de Sauz, mater ejus Maria, Marguareta uxor.

(Ex tabulis ecclesiæ de Sauz.)

Guillelmus dominus Salionis, domicellus 1284. Octobri.

Guillaume sire de Sauz, Damoyseau, du consentement de Marguerite sa femme, donne aux Chanoines de Nostre Dame de Sauz, sept quartaux de conseel, **499** *à payer chacun an à la feste de Toussaincts, pour le remede de l'ame de fut Dame Marie sa femme, iadis Dame de Sauz, l'an de grace* 1285, *au mois d'Aoust.*

Guillermus dominus de Salione, domicellus, et Marguareta uxor ejus, canonicis ecclesiæ Beatæ Mariæ de Salione dant quinque minas bladi, pro D suo anniversario annuatim faciendo. 1286. Februario. *Le sceau est (ce semble) un lion rampant.*

Eodem mense et anno, idem Guillermus domicellus, dominus de Salione, condit testamentum suum, inter cujus exsecutores primo loco nominat *Pontium militem, avunculum suum, dominum de Ventoux.* Apponi jubet inter alia sigilla, *sigillum venerabilis hominis, charissimi avunculi sui, domini Stephani, domini de Monte Sancti Joannis.*

LXVI.

Philippus dux et comes Burgundiæ, dominus de Sauz.

(Ex tabulis ecclesiæ de Sauz.)

L'an 1442, 8 *de Mars, Philippe Duc et Comte de A Bourgongne, ratifie les biens, droits, et priuileges des Chanoines de Saux, comme Seigneur proprietaire du Chasteau et Bourg de Saux; qui à raison de ce transport de Domaine, se nomma, et se nomme encore aujourd'hui Sauz le Duc.*

500 LXVII

Excerpta ex autographis archivi Dolani cameræ rationum regiarum.

De Joanna Cabilonensi, uxore Roberti filii Roberti II, ducis Burgundiæ, et Agnetis filiæ S. Ludovici regis.

Mense Januario anni 1292, Guillelmus de Cabilone, comes Antisiodorensis, et dominus Sancti Aniani in Biturigibus, assignat dotalitium uxori B suæ Alienoræ filiæ Amedei Sabaudiæ comitis.

Eodem anno et mense Tornodorensis comitatus Guillelmo transcriptus est a matertera Margareta, Jerusalem et Siciliæ regina, quæ et sequenti anno 1293, Tornodori xenodochium fundavit, in quo ad mortem usque, raro exemplo, ægrotorum et pauperum se famulam exhibuit. *Ex tabulis Tornodorensibus.*

En l'an 1296, *le Vendredy deuant la saincte Catherine, Guillaume Cuens d'Auserre et de Tornuerre et Seigneur de S. Aignan en Berry, nomme et establit son Procureur, son pere Iehan de Chalon, Comte d'Aucerre et Seigneur de Rochefort, à receuoir quatre mille liures de petits tornois, desquels noble hers Amé Cuens de Sauoye, son honoré et amé sire, estoit tenu* C *à luy dois la Natiuité S. Iehan Baptiste, pour raison du mariage de Damoiselle Alienor sa femme, fille dudit Amé Comte de Sauoye.*

En Feburier de l'an 1299. *Guillaume de Chalon, Cuens d'Aucuerre et de Tounerre, fait certain accord quec son amé Oncle Robers Duc de Bourgoingne.*

Anno 1308. Elienor de Sabaudia, vidua Guillelmi de Cabilone, comitis Antisiodorensis, et postea **501** uxor Drogonis de Merloto, domini de Sancta Hermina, repetit jura sua dotalitia a Joanne de Cabilone socero suo, patre Guillelmi comitis defuncti, tutore liberorum Guillelmi, nepotum suorum.

Anno eodem 1308, die 27 Junii, Philippus Francorum rex consentit ut Droco de Merloto, dominus de Sancta Hermina, et uxor ejus relicta Guillelmi quondam comitis Antisiodorensis, jus balli et custodiæ liberorum, quos de Guillelmo illa susceperat, transferant in eorum avum, nempe in Joannem de Cabilone, Guillelmi patrem, comitem Antisiodorensem et Dominum Rupisfortis.

Die 10 Novembris 1309, Margareta de Bellojoco, vidua Joannis de Cabilone, comitis Antisiodorensis, et Domini Rupisfortis, interest homagio facto Joanni nepoti suo, et Joannetæ neptí suæ, prædicti Guillelmi liberis.

Un tiltre daté en May de l'an 1311, *qui declare que Hugues Archeuesque de Besançon estoit Administrateur et Gouverneur général de Iehan et Iehannette de Chalon, en fans de Guillaume de Chalon, iadis*

Digitized by Google

Comte d'Auesurre, et de Tornuerre, nepueu dudit Hugues Archeuesque, et fils de Iehan de Chalon, dit Comte d'Aucerre caienarriers, Seigneur de Roichefort, et frere du mesme Archeuesque. Hugues de Neblans, sire de Cortenaix estoit tuteur desdits enfans.

A Chalon, le Mardy apres la Trinité, en l'an 1321, *Agnes fille de Monsieur Saint Louis, Duchesse, et Eude son fils Duc de Bourgongne, d'vne part : et d'autre part Amé Comte de Sauoye, et Iehan Comte d'Auxerre, traictent du mariage de Robert de Bourgongne, fils de ladite Duchesse,* **502** *et frere dudit Duc, auec Iehanne sœur dudit Iehan, et fille de la fille dudit Comte de Sauoye. Presens Edouart de Sauoye, Aymé son frere, Guichart Seigneur de Beaujeu, Louys de Sauoye, Seigneur de Waz. L'vn des articles de ce traicté fut, que Iehanne porteroit à son mary en dot, entre autres choses la Comté de Tonnerre.*

En Septembre de l'an 1321. *Iehanne de Chalon, femme de Robert fils du Duc de Bourgongne, quitte toutes ses pretentions à son frere Iehan de Chalon Comte d'Aucerre et Sire de Rochefort, en consideration de ce qu'il luy auoit accordé la Comté de Tornurre pour son partage.*

Le Dimanche auant la Natiuité Nostre Dame, en l'an 1325, *Robert de Bourgongne, fils de Robert iadis Duc de Bourgongne, auec sa femme Iehanne de Chalon, iadis Comte d'Aucerre et de Tornuerre, et Seigneur de S. Aignan en Berry, passent vn traicté auec Iehan de Chalon, Comte d'Aucerre et Sire de Rochefort, frere de ladite Iehanne.*

Le XXVIII d'Aoust, 1344, *Philippe de Vienne rend sentence arbitraire sur le different de Iehan de Chalon sieur d'Arlay, et Marguerite de Merlou sa femme, d'vne part ; et Iehan de Chalon Comte d'Aucerre et Sire de Rochefort d'autre part; touchant le dot de Aelinort de Sauoye, mere de ladite Marguerite, pour laquel estoit plaige ledit Comte d'Aucerre, auec sa sœur Ieanne Comtesse de Tornuerre.*

503 LXVIII.

Tabulæ anno 1126, *datæ à Guilenco Lingonensi episcopo, de fundatione abbatiæ Morimundensis, jam ante, ex anno Christi* 1114, *facta per Ulricum sive Odolricum dominum de Acrimonte.*

(Ex tabulario Morimundensi.)

Guilencus ego Dei misericordia Lingonensis episcopus, fidelis dispositor et ordinator benevolus beneficiorum et eleemosynarum quæ Morimundensi ecclesiæ liberaliter collata cognovi, accedo testis et proprii sigilli impressione signator. Primum laicus quidam, Joannes nomine, habitu et animo religiosus, locum Morimundi a domino Odolrico de Acrimonte, et ab Adelina nobilissima uxore sua expetivit et accepit. Protinus idem Joannes Robertum Lingonensem eo temporis antistitem adiit, et interventu meo accepta benedictione et licentia locum sibi datum, pro viribus et posse fideliter exstruxit. Post obitum vero ejusdem antistitis, prædictus Joannes favore usus Joceranni qui Roberto successerat in episcopatum, habens insuper consilium domini Odolrici, locum susceptum abbati et capitulo novi monasterii (88) obtulit et concessit, pro emendatione vitæ melioris. Veniensque Stephanus novi monasterii abbas, suscepit locum ab Odolrico et uxore ejus, et ab episcopo, et capitulo Lingonensi, et designatum est ab episcopo, Morimundi cœmeterium, et benedictum. Postea Odolricus fretus animi sui liberalitate, cum consilio uxoris suæ locum adaugens, concessit terram quamdam, Gualdinvillare vulgariter dictam; perambulans ipse cum uxore sua, et cum nobilibus multis, et incolis Fraxineti, donationes **504** suas certis determinationibus designans. Insuper omnibus feodis suis et alodiis propinquis et remotis concessit cum uxore sua piscarias in aquis, et ligna ad ignem et ad varia opificia, et pascuale per terras, et in silvis ad opus animalium usuaria. Omnes istas donationes concesserunt Fulcho, et Rainerius, et Gerardus, filii Odolrici. Et horum omnium testes sunt mecum qui viderunt et præsentialiter audierunt, Hugo miles Lupa vocatus, Odolricus de Provincheriis, Girardus Domnimartini, Hugo de Mosa, Arlebaudus de Varennis, Rocelinus de Borbona, etc. Et quoniam has terras, Morimundum videlicet et Galdinvillare, Odolricus a comite Clarimontis feodaliter tenebat, prædictus abbas ab eodem comite in plena curia velociter impetravit, etc. Tunc prædictus novi monasterii abbas, abbatem in eodem loco constituit virum per omnia venerabilem, Arnaldum nomine; præcipiens monachis ut Regulam beati Benedicti quam didicerant, fideliter observarent. Deinde me eo temporis decano et archidiacono, in episcopatum ordinante Deo succedente, Odolricus cum uxore sua et prænominatis filiis; sicut a veteri Morimundo rivus veniens præterfluit, totam terram Fraxineti et Galdivillaris usque ad terminos Romanis et Danbelini, fratribus Morimundi perpetuo jure donando consecravit. Omnes has donationes sub anathemate confirmo et corroboro, et archidiaconis meis confirmandas trado. Signum Lamberti thesaurarii. S. Jocelini archidiaconi. S. Airardi archidiaconi. S. Guidonis archidiaconi. S. Fulconis archidiaconi. S. Garnerii archidiaconi. Anno ab Incarnatione Domini 1126, Honorio papa, Lodoico rege Francorum, **505** Guilenco Lingonensi episcopo. Ego Durannus Lingonensis notarius, ad vicem Fulconis cancellarii dictavi et recitavi. Amen (89).

Abbatia Morimundi fundata est v Idus Julii, anno

(88) Cistercium intelligit.

(89) Ex Chronico Benigniano ad Cyclos Paschales, Robertus qui ex anno 1077 Rainardo successerat in episcopatu Lingonensi, obiit anno 1110. Illi vero post duos annos succedens Joceranus, tandem anno 1125 abdicavit, et Guilencum ex die v Kalendas Octobris episcopum post se reliquit. Ex quibus intelligitur jam anno saltem 1110, et ante Roberti

Digitized by Google

ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quarto decimo. Abbatiarum vero quæ de Morimundensibus monachis constructæ sunt, numerus et ordo iste est : Prima est Bellavallis, secunda Crista, tertia Campus, quarta Ebera, V Theolocus, VI Clarusfons, VII Berges, VIII Bethania, IX Bellumpratum, X Sancta Crux, XI Villers, XII Coronatus, XIII Scala Dei, XIV Bellumdonum, XV Bonusfons, XVI Aquabella, XVII Mons Sancti Georgii, XVIII Francavallis, XIX Vallisdora, XX Silvacana, XXI Brisenrz, XXII Mons Dei, XXIII Charrubium, XXIV Eisaie.

A quibusdam autem harum, multæ aliæ per diversas terras, Deo operante sunt disseminatæ.

506 LXIX.

Rainerius dominus Acrimontis, dona patris sui Ulrici sive Odolrici Morimundensibus confirmat. 1148.

(Ex tabulario Morimundensi.)

Ego Humbertus Dei gratia Lingonensis Ecclesiæ decanus, notifico fidelibus cunctis dona quæ Dominus Rainerius Acrimontis fecit et recognovit Ecclesiæ Morimundensi coram nostra præsentia, astantibus Domino Rainardo et Rainerio nepotibus suis, et Pontio et Jocelino archidiaconis Ecclesiæ nostræ, tempore quo papa Eugenius ingressus est Lingones. Dona autem illa sunt quæ pater suus Ulricus Morimundensi Ecclesiæ a constitutione illius contulerat, Usuaria scilicet in aquis per omnem terram suam, et nemora ad ignes et ad marrimandum, etc. Testes Gerardus frater ejusdem Rainerii, Gerardus Bolmontis, etc. Uxor etiam ejus hoc ipsum concessit, etc. Hoc igitur donum ut firmum tutumque permaneat auctoritate nostra et sigillo capituli Lingonensis munimus et confirmamus. Anno ab Incarnatione Domini 1148. Concurrente quarto, indictione XI, epacta XXVIII.

LXX.

Gerardus Sineterra, frater Rainerii domini Acrimontis.

(Ex eodem tabulario.)

Notum sit omnibus quod domnus Rainerius de Acromonte, pusillum terræ desuper abbatiam, Beatæ Mariæ de Morimundo et fratribus inibi Deo servientibus 507 in perpetuum dedit, tali tamen convento, ut ibi jardinarium plantarent. Cui dono interfuerunt et testes sunt, Gerardus Sineterra frater prædicti Rainerii, et Hugo villicus de Frasneto, et filius ejus Gerardus.

LXXI.

Rainerii Domini Acrimontis fratres Ulricus canonicus, et Gerardus Sineterra.

(Ex eodem tabulario.)

Ego Godefridus Dei gratia Lingonensis episcopus, universis fidelibus præsentibus et futuris notifico, et auctoritatis nostræ sigillo confirmo, quod Rainerius dominus Acrimontis, consensu et laude fratrum suorum, Ulrici canonici, et Gerardi Sineterra, terram quamdam, sicut recta linea ipsius aggeris ducit et dividit a cornu viridarii fratris Stephani usque ad initium stagni novi, ubi fuerat pons cujus via ducebat Blanchart, totum quidquid infra istam divisam versus Morimundum continebatur, fratribus de Morimundo concessit, et jure perpetuo contulit, etc. Testes horum omnium Lambertus abbas Belliprati, Rolandus miles, Gerardus et Ulricus fratres ipsius Rainerii. Hoc autem totum concessit et laudavit filia ejus Agnes.

LXXII

Molismensis monasterii ampliatio.

(Ex tabulis Molismensibus.)

Ego Hugo comes Campaniæ, comitis Theobaldi filius, notum volo fieri omnibus sanctæ Ecclesiæ 508 fidelibus, præsentibus et futuris, quod excellentiori usus consilio ampliare proposui Molismensem ecclesiam de meis propriis redditibus, certissime sciens tanto me in cœlestibus partem habere potiorem, quanto eamdem ecclesiam amplius honoraverim. Trado itaque et concedo eidem ecclesiæ de juris mei possessione, jure perpetuo possidendam villam quæ Rumiliacus dicitur, cum potestate et justitia ejusdem villæ post decessum meum, tam in nemoribus quam in agris, pratis, pascuis et aquis, servis et ancillis, præter uxorem Leobaudi de Trecis, et infantes eorumdem, et in omni usu consuetudinario, et in præsenti pro vestitura dimidiam partem reddituum. Dono etiam dictæ Ecclesiæ redditus venditionis salis, id est saligninii de Barro super Albam, et justitiam saligninii, si quis inde foris fecerit. Item dono in possessione Islensi ea quæ pater meus donaverat, villam scilicet Sancti Theobaldi de Volva, et duo molendina super ripam Sequanæ sita, culturam quoque meam ex integro, quæ vulgariter Cumina vocatur, aliasque agrorum partes quæ attinent juri meo, et pratum muro Trecensi adjacens, quod frater meus Odo comes ecclesiæ Sancti Quintini Trecensis dedit, do et perpetualiter tenendum concedo. Et apud Insulas furnum bannalem do et concedo. Item molendinum de Largicurte, sicut teneo, et quamdam culturam apud vallum Valis coloris, et tertiam partem in molendino, et tertiam partem in furno. Huic dono adjeci et in territorio Remensi villam Sanctæ Walburgis, quæ alio nomine Dyona vocatur, cum appendiciis suis, et justitiam ejus. Quæ omnia laudavit uxor mea Constantia, Francorum regis filia, et comitissa 508 Adela uxor fratris mei Stephani, cum filiis suis, nepotibus meis. Huic dono meo assensum præbuit Manasses Remensis archiepiscopus cum clero suo, super his quæ ad eum pertinebant.

Acta sunt hæc apud Trecas, IV Nonas Aprilis, anno ab Incarnatione Domini 1104, indictione XII,

episcopi obitum. Joannem illum in Morimundo fuisse eremitam. Diem vero et annum fundatæ sub regula Cisterciensi Morimundi abbatiæ definit vetus inscriptio tabularii Morimundensis, primasque ejus quatuor et viginti filias hoc ordine recenset.

Digitized by Google

epacta XXII, concurrente V, Paschali Romano pontifice præsidente, Richardo Albanensi episcopo apostolicæ sedis legato, Trecis in generali concilio de negotiis ecclesiasticis tractante, Philippo rege Francorum regnante.

Harum itaque possessionum donatio Molismensi ecclesiæ solemniter a me facta, in ecclesia Trecensi coram omni synodo recitata, a dicto cardinali est approbata, et a consedentibus archiepiscopis, et episcopis, et abbatibus et clericis generaliter collaudata, et ad corroborandam eam feci hos testes idoneos sufficientes in hac charta apponi. Sunt itaque isti: Daymbertus, Radulfus, Senonensium, et Turonensium archiepiscopi; episcopi vero Yvo Carnotensis, Humbaldus Antisiodorensis, Herveus Nivernensis, Marbodus Redonensis, Robertus Lingonensis, Norgaudus Eduensis, Hugo Catalaunensis, Philippus Trecensis, Regnaudus præpositus, Girardus, Jocelinus, Droco archidiaconi. Abbates quoque, Ilgondus Majoris monasterii, Lambertus Pultariensis, Radulfus monasterii Cellensis, Otho Arremarensis. Laici etiam, Milo comes de Barro supra Sequanam, Milo Chacennaici dominus, Wido Vangionis rivi dominus, Gaufredus Ottranni filius, Renerius de Castellione. His ita in Trecensi concilio gestis, et per excommunicationis sententiam, ne in posterum possint infringi, solemniter authenticatis, ego ipse cum illustribus viris, Hugone Borello duce Burgundiæ, **510** Willelmo Nivernensi comite, dicto comite de Barro, Airardo Briniæ comite, Hugone Risnelli comite, Jofredo Calvimontis domino, Rogerio Jonis villæ domino, Pontio Triagnelli domino, Molismum adveni pro negotiis meis et eorum tractandis, meque, et eos Robertus primus loci illius abbas cum monachis suis honorifice excepit. Post orationem vero ad magistrum altare accedens, astantibus dicto duce et quatuor comitibus et baronibus prædictis, medietatem Rumiliaci quam in vita mea antequam Molismum venissem retinueram, et ibi post decessum meum dare disposueram (nam aliam medietatem jam integre possidebat Ecclesia), extracto de proprio digito annulo, et donum de tota potestate Rumiliaci super altare ponens, eidem Ecclesiæ contradidi jure perpetuo possidendam, dictam scilicet potestatem, adjiciens quod si quis de casamento meo eidem Ecclesiæ aliquid dare voluerit, liceat ei. Ratumque hoc et firmum concedo in perpetuum permanere. Idipsum dicti Nivernensis, Barri, Briniæ, Risnelli comites, et dicti barones mecum assistentes, sic prædictæ Ecclesiæ de casamento meo concessisse me viderunt, et ipsi exemplo meo compuncti, meisque inducti precibus, singuli eorum una cum dicto duce eidem Ecclesiæ concesserunt perpetuo possidendum quidquid de eorum casamento, Ecclesiæ illius monachi quolibet modo in posterum sibi acquirerent. Testes inde sunt una mecum, Walterius vicecomes de Clamiceio, Hugo de Tilio, Andreas Rameruci comes dator et concessor Ecclesiæ de Casamento suo quod alii, Hugo, cognomine Britto, filius ejus, Gaufredus Ottranni filius, Lebaudus et Grimaudus de Trecis, Theobaldus **511** puer, filius comitis Stephani fratris mei.

Adjecit autem huic concessioni suæ dictus comes Barri, donans eidem ecclesiæ aquarum suarum piscariam apud villam suam de Verteil. Ego quoque Jerosolymam postea tendens, Molismum adii orationis gratia, ibique omnes homines cum uxoribus eorum et liberis, qui de potestate Rumiliaci Trecis morabantur, superiori dono addidi, concedens salvamentum eorum omnium, quorum in potestate Rumiliaci capita sunt ecclesiæ supradictæ, concedens etiam eidem possidendos eos, qui de eadem potestate manent Trecis vel insulis, ne quid ex ea minuatur aut decidat, præter Leobaudi uxorem et ejus filios. Licet ergo dona hæc mea, et dictorum principum, etiam dicti ducis, Ecclesiæ Molismensi non uno eodemque tempore collata, volui tamen universa in hac pagina congeri, et ut inconvulsa deinceps permaneant, sigilli mei impressione cum testibus suprascriptis plenius confirmari. Si quid vero de donis patris mei, et fratrum meorum, et meis minus hic scriptum fuerit quam jus poposcit, nec ideo quæ memorabiliter scribi non potuerunt, et tamen dudum a meipso et ab eis data sunt Ecclesiæ, a confirmatione ista removeo, sed sicut scripta ista inscripta quæ hactenus tenuit eadem Ecclesia, omnimodis fixa permanere decerno.

Actum hoc et confirmatum apud Castellionem super Sequanam, anno ab Incarnatione Domini 1108, testibus his, Willelmo Nivervensi, Airardo Briniæ, Milone de Barro, Hugone de Risnello comitibus, Widone Wannelruci, et multis aliis. Ad hæc ego comes Theobaldus dicti Hugonis avunculi mei vestigiis pie inhærens, cum Jerosolymam devotus **512** tenderet, rogatu ejus sigillo meo confirmavi ecclesiæ Molismensi perpetuo possidendum quidquid ei ipse confirmaverat; et insuper quidquid de casamento meo ipsa Ecclesia quolibet modo acquisierit, eis gratanter concedens corroboravi, testibus his, Milone comite de Barro, Widone Vangionis rivi domino, et multis aliis.

LXXIII.

S. Bernardi epistola XXXI *ad Hugonem comitem Campaniæ, militem Templi factum.*

Si causa Dei factus es ex comite miles, et pauper ex divite, in hoc profecto tibi, ut justum est, gratulamur, et in te Deum glorificamus scientes quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Cæterum quod tua jucunda præsentia nobis ita, nescio quo Dei est subtracta judicio, ut ne interdum quidem te videre valeamus, sine quo nunquam, si fieri posset, esse vellemus, hoc æquanimiter, fateor, non portamus. Quid enim? Possumusne oblivisci antiqui amoris et beneficiorum quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Utinam ipse pro cujus amore fecisti, in æternum non obliviscatur Deus! Nam nos

Digitized by Google

quantum in nobis est, minime prorsus ingrati, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ mente retinemus, et, si liceret, opere monstraremus. O quam libenti animo, et corpori tuo pariter et animæ providissemus, si datum fuisset ut simul fuissemus! Quod quia non est, restat ut quem præsentem habere non possumus, pro absente semper oremus.

LXXIV.

513 *Fundatio prima abbatiæ Claræ vallis per Hugonem comitem Trecensem, hactenus vulgo ignota.*

(Ex autographo Clarevallensi.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Incipit charta comitis Hugonis :

Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod ego Hugo comes Trecensis do Deo, et beatæ Mariæ et fratribus Claræ vallis locum ipsum qui vocatur Claravallis, cum pertinentiis, agris, pratis, vineis, silvis et aquis, nihil omnino mihi aut hæredibus meis retinens. Unde testes Acardus Remensis, et Petrus, et Robertus Aurelianensis, milites mei. Et sciendum quod Gaufridus Felonia dat pasturas suas in finagio de Juvencurt, tam in bosco quam in plano, omni tempore. Et si aliquod damnum intulerint animalia dictorum fratrum, solum capitale restituetur, sine emenda. Hæc autem omnia dedi in præsentia supradictorum testium. Sciendum quoque est quod dominus Josbertus de Firmitate, cognomine Rufus, et dominus Rainaudus de Perceris dederunt eisdem fratribus pasturam et usuarium per totam terram suam, et præcipue in aquis, silvis, pratis, in finagio de Perrecin.

Hujus rei testes sunt Acardus Remensis et Robertus, milites mei. Item sciendum quoque est quod ego Hugo comes Trecensis laudo et concedo eisdem fratribus libere et quiete possidere terram et silvam de Aretela.

Has donationes confirmamus, ego Joscerannus Lingonensis episcopus et **514** ego Hugo comes Trecensis, de sigillo et annulo meo.

(In priore sigillo exprimitur Jocerannus episcopus in cathedra sedens, in altero Hugo comes.)

LXXV.

Hugo comes Trecensis, pater ejus Theobaldus, mater Adhelaidis, frater Odo, uxor Constantia. 1097.

(Ex tabulis Molismensibus.)

Notitiæ fidelium, tam præsentium quam futurorum, tradere disponimus quod pratum, quod est situm juxta murum Trecensis civitatis, non longe ab ecclesia Sancti Quintini, quod in vita sua Odo comes, filius comitis Theobaldi dederat ecclesiæ Molismensi, frater ejus qui ei in honore successerat, comes videlicet Hugo, in quadam festivitate paschali curiam suam apud Molismum tenens, videlicet anno 1097 Dominicæ Incarnationis, rogatu Roberti ejusdem loci abbatis, non solum ipsum pratum, sed omnia dona quæcunque comes Theobaldus pater ejus, et Adhelaidis comitissa mater sua, frater quoque ejus Odo comes attribuerat ecclesiæ Molismensi, libentissime concessit. Dedit præterea ipse comes hortolanum quemdam, custodem scilicet prati, cum uxore et liberis suis, omnes quoque redditus et justitias quæ jure in eo possidebat. Ex his vero omnibus prænominatis rebus testes existunt Wido de Vangionis rivo, Dudo Catalensis civitatis vicedominus, et multi alii. Hæc vero omnia prænominata, conjux ejusdem comitis Hugonis Constantia **515** Philippi Francorum regis filia, in camera Gauterii Belvacensis concessit præsentibus illis testibus, Gaufredo filio Ottranni, Odone presbytero, cum multis aliis. Ut autem hæc omnia magis rata et authentica sint, præsente domino Gaufrido Ottranni misit ipsa comitissa quemdam nummum per dominum Nivelonem super altare Sancti Quintini.

LXXVI.

Hugo comes Tricassinus, Theobaudi filius maritus Constantiæ. 1100.

(Ex tabulis Arremarensibus.)

Hugo comes Tricassinus, Theobaudi nobilissimi comitis filius, nec non et uxor ejus Constantia Philippi Francorum regis filia, de communi mortis sorte securi, et de vita æterna solliciti, etc.

Adeunt namque ecclesiam in honore apostolorum Petri et Pauli consecratam, quæ vulgo Arremari monasterium dicitur, antiquitus autem Mansus Corbonis vocabatur ; cui pro salute animarum suarum jure hæreditario dederunt possidendum, si quis ei de eorum beneficio sive miles, sive serviens aliquid dedit vel dare voluerit, et hoc quidem de omni terra eorum potestati subjecta annuunt. Insuper et eidem ecclesiæ dederunt quidquid apud Altamripam habebant, etc.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1100, indictione VIII, XII Kal. Novembris.

Hujus doni testes sunt Milo, comes Barri, Rainardus comes de Juvniaco, Andreas dominus Rameruci, Guido de Vangionis rivo, Ingelmerus præpositus Græcorum, etc.

LXXVII.

Hugo comes Trecorum ad sepulcrum Dominicum profecturus. 1113.

(Ex tabulis Arremarensibus.)

516 Omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris notum sit quod memorabilis Hugo comes Trecorum, ad sepulcrum Dominicum pia devotione profecturus, multis magnisque beneficiis quæ Arremarensi ecclesiæ contulerat, adjecit rem diu multumque expetitam, justitiam videlicet, quam circa Desdam habebat, extra Quarantaniam scilicet, in monte Herberti, et Pruciaco, et Ruliaco, et Novavilla et in omnibus aliis ad Desdam pertinentibus locis, etc. Inter testes Milo comes Barri, Airardus frater ejus comes Breniæ.

Actum publice Trecis in curia anno ab Incarnatione Domini 1113.

Digitized by Google

LXXVIII.

Arveius de Saffra, filius Arvei et comitissæ; frater ejus Galterus, uxor Gila.

(Ex autographo archivi monialium de Pralon.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Innotescat fidelibus universis, chartulam istam inspecturis, quod dominus Arveius de Saffra concessit abbatissæ et sanctimonialibus de Praalun libere et quiete possidendam tertiam partem decimarum segetum de Saffra, in perpetuum possidendam, quam eædem sanctimoniales de dono patris sui Arvei habent in eleemosyna, pro anima **517** dominæ comitissæ, matris prædicti Arvei, ita quod partem dictam decimarum ubicunque et per quoscunque voluerint colligent. Dedit etiam prædictis sanctimonialibus locum unum ad faciendam domum unam in eadem villa, in congruo loco et competenti, ad respectum Joannis capellani ejusdem villæ, et Guillelmi Frosmunt de Maalein. Verum si sanctimoniales et fratres ejusdem abbatiæ eleemosynam istam pignori obligare, vel vendere, vel alio modo a domo sua alienare voluerint, non poterunt hoc facere nisi in manu domini Arveii, vel alicujus hominis sui, qui neque miles, neque nobilis generis sit, vel domus Dei de Saffra, vel in manu prædicti Joannis capellani. Hoc totum laudavit Galterus frater ejus, et uxor ejus Gila, quæ de domo de Praalun pro contractu illo habuit decem oves, et ipse Arveius centum solidos Divionensis monetæ. Et ut ratum in perpetuum habeatur, prædictus Arveius sigillum suum huic scripto apposuit et sigilla Hay, archidiaconi Flaviniacensis, et H. archipresbyteri Vietelli, precibus suis intervenientibus, apponi fecit.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1204, testibus istis, Ebrardo de Flavineio, l. de Safra, et Hay, de Ys, Reygmundo de Grossobosco sacerdotibus, Guidone de Bassi, et Guillelmo Frosmunt de Maalein, militibus. Humberto de Coium.

Sciendum præterea quod in canali non licet dictæ domui de Praalun decimam capere.

518 *Sigillum Hervei Domini de Safra, quod de pergamena cœnia pendet, medium inter sigilla Hay. archidiaconi Flavin. et H. archipresbyteri Vietelli.*



LXXIX.

Warnerius Sombernensis, Istiburgis uxor ejus, horum filiæ Anna et Addila, Gozelinus de Sombernon, anno Christi 1020, *Rotberti regis* XXV, *indictione* III.

(Ex autographo Benigniano.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Servorum Dei est Ecclesiam Christi facultatibus propriis ditare, ampliare, sublimare. Nisi enim ditaretur, non esset unde pauperes Christi recrearentur. *Facite*, inquit Christus, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Hujus igitur tabernaculi gaudia ego WALO vocatus comes, et frater meus Walterus, et Warnerius Sembernon atque Humbertus advocatus seu frater ejus Girardus cogitantes, sive hoc quod etiam ipse Christus dicit : *Date eleemosynam*, **519** *et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI); partem hæreditatis nostræ, sitam ante portas castri Sarmasiæ tradidimus ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sanctique Benigni martyris Christi. Terminatur autem ipsa terra ante valvas ipsius monasterii, in latum perticas agripennales XII, a parte aquilonis, in longum perticas XXXIV, a parte orientis, in latum perticas XIV et dimidiam, a meridie in longum perticas XXXIV et dimidiam. Si vero nos ipsi aut aliquis parentum nostrorum concupiscentiæ stimulis incitatus, contra hanc donationem venire tentaverit, evindicare non valeat quod repetit, sed convictus, loco cui calumniam inferre conatus est centum libras auri persolvat. Si autem in sua malitia perseverare voluerit, sciat se cum Juda traditore anathemate esse damnandum. Et ut donatio ista firma stabilisque permaneat, manibus nostris subter firmavimus, fidelibusque nostris similiter firmari rogavimus.

Signum Walonis quondam comitis, et uxoris ejus, nomine Judith, et filiorum ejus Aymonis atque Hugonis. Signum Walterii fratris ejus. S. Warnerii et uxoris ejus Istiburgis, et filiarum ejus Annæ et Addilæ. Sig. Humberti advocati et uxoris ejus Ermentrudæ et filii ejus Hileranni. S. Girardi fratris ejus. S. Bertradæ sororis ejus. S. Tetbaldi nepotis ejus. S. Gothefridi. S. Gislerii, S. Arlebaldi. item S. Arlebaldi clerici. S. Tezelini Rastelli. S. Hugonis. S. Aldonis. S. Gozelini de Sembernon. S. Girardi. S. Girberti. S. Algerii.

Acta sunt hæc apud Sarmasiæ castrum publice, anno ab Incarnatione Domini 1020, regnante Rotberto Francorum rege anno XXV, indictione II.

520 Ego Girbertus indignus levita, ad vicem domni Beraldi cancellarii rogatus, scripsi et subscripsi.

XXX.

(Ex Necrologio S. Benigni Divionensis.)

III Idus Aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Bernardi abbatis Clarævallis.

XIV Kalendas Septembris obiit Calo, dominus de Fontanis, noster amicus, qui dedit nobis partem suam de Magnomonte.

Digitized by Google

II Kalendas Septembris, obiit Wido de Sumbernione miles.

Kalendis Septembris obiit Alasya laica. *Hæc est S. Bernardi mater, olim ad S. Benignum sepulta, quæ in recentiore necrologio scribitur Alaysa.*

V Idus Octobris obiit Ebalus comes Salz.

XI Kalendas Novembris obiit Itisburgis nostra amica, mater abbatis nostri. *Hæc est uxor Warnerii Sombernionensis*

LXXXI.

Ecclesia Fontanensis S. Martini de Prato, in Campania, cum capella superioris Fontanarum villæ. 1120.

(Ex autographo S. Stephani Divionensis.)

In nomine summæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quoties ecclesiasticæ dispensationis officia synodalibus præceptis reformantur, et ad memoriam posterorum bonorum prædecessorum laudes **521** et bene gesta recitantur, exemplo charitatis et imitatione justitiæ, de illis præcipue quæ apud religiosos et fidei domesticos nostris temporibus benigne conferuntur, dignum duximus juxta consuetudinem antiquorum et nos fideliter indagare, et perfectioribus instrumentis pro deliberatione tractare. Ego igitur Joceranus divino nutu Lingonensis Ecclesiæ episcopus, cum de statu et provectu ejusdem matris basilicæ, una cum reverentissimo totius cleri comitatu in plenaria synodo generaliter tractaremus, venerunt ad nos Divionensis ecclesiæ Sancti Stephani regulares canonici, domnus Gualo prior, et religiosi alii, rogantes et obsecrantes ut sicut ad nostrum episcopale jus pertinebat de *ecclesia Beati Martini de Campania*, quam de jure Ecclesiæ suæ antiquitus fuisse diu reclamaverant, et de aliis rebus quas in nostro episcopatu, nostra et fidelium nostrorum dispensatione acquisierant, auctoritatis nostræ litteras faceremus et proprii sigilli nostri impressione formatas confirmaremus. Quorum justæ petitioni, archidiaconorum nostrorum et ejusdem sacri conventus consilio libenter acquiescentes, *ecclesiam illam Beati Martini de Prato, quæ dicitur in Campania, cum capella sua quæ est in superiori Fontanarum villa*, salvo jure Lingonensis Ecclesiæ, illis reddimus et concedimus. Ecclesiam quoque de Gemellis, cum capella sua quæ est in villa de Picamgis, et ecclesiam de Ormentiaco, quæ est in confinio ipsius Lingonicæ civitatis, cum duabus capellis suis, quarum una de Roseriis, altera de Mardoo episcopi villa esse cognoscitur, salvis nihilominus Lingonensis Ecclesiæ consuetudinibus, illis donamus et perpetuo jure confirmamus, et per istius **522** chartæ instrumentum archidiaconis nostris confirmandam tradimus

Signum Guilenci archidiaconi. S. Guarnerii archidiaconi. S. Ayrardi archidiaconi. S. Gocelmi archidiaconi. S. Guidonis archidiaconi.

Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo, Calixto summo pontifice, Lodvico Francorum rege, Joceranno Lingonensis Ecclesiæ pontifice.

Ego Durannus Lingonensis Ecclesiæ notarius, ad vicem Fulconis, primi scrinii et ejusdem Ecclesiæ archicancellarii, scripsi, dictavi et recitavi.

LXXXII.

Castrum de Saux transit a privatis dominis in manum regiam: unde ducibus Burgundiæ attributum, vulgo Saux le Duc cœpit nuncupari.

(Ex *Gallia Christiana* Claudii Roberti, in Divione in Roberto de Salione, inter decanos capellæ ducis XXII.)

Apparet ex tabulis 1302 Parisiis mense Martio subsignatis Philippum Pulchrum F. R. dare filio suo Ludovico primogenito (regi postea, Hutini cognomento) hoc castrum Salionis, ea lege ut si is Ludovicus fieret rex, aut si sine liberis decederet, illud ad ducem Burgundiæ perveniret. Deinde aliis litteris, mense Maio 1303 Longicampi conscriptis, claret eumdem Philippum regem dare Roberto Burgundiæ duci, Franciæ camerario, idem castrum, salva fide clientelari. Denique diplomate Joannis de Cabilone, episcopi LXXIII Lingonensis, dato Castellione ad Sequanam, 1331, continetur transactio quædam inter ipsum episcopum **523** et Odonem Burgundiæ ducem, qua dux hominium præstat episcopo ratione hujus castri, eo modo quo Jacobus seu Jaquinus, olim dicti castri dominus, prioribus episcopis illud præstiterat.

LXXXIII.

Reliquiæ S. Ambrosiniani. 1203.

(Ex tabulis carthusiæ Luviniacensis.)

Anno 1203, dedicata est ecclesia domus inferioris et altare consecratum a domino Helduino episcopo Lingonensi, pridie Nonas Octobris. Inter reliquias inclusas in ea ecclesia, numerantur reliquiæ de sanguine sancti Benigni, et reliquiæ beatorum Medardi et Ambrosiniani.

LXXXIV.

Joannes, Cæcilia et Guillermeta, liberi Humberti de Fontanis, et Bonæ ejus relictæ. Guillermus de Fontanis, miles. 1282.

(Ex autographo familiæ de Saffra.)

In nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo octogesimo secundo, mense Aprili, nos JOANNES, CECILIA, et GUILLERMETA, liberi defuncti Humberti de Fontanis, notum facimus omnibus præsentes litteras inspecturis quod nos pro utilitate et necessitate nostra vendimus, concedimus, et in perpetuum quictamus domino Guillermo de Fontanis militi, hortum unum situm apud Fontanas, **524** inter hortum Belini de Tyois, et hortum Joannis Majoris de Fontanis, pretio quinquaginta solidorum Viennensium, de quibus a dicto Guillermo recipimus et habuimus solutionem integram in pecunia numerata. Propter quod de prædicto horto nos penitus devestientes, dictum Guillermum et suos corporaliter investivimus. Hanc autem venditionem ego Bona, mater dictorum ven-

Digitized by Google

ditorum laudo et concedo. Insuper nos Bona et venditores prædicti promittimus et tenemur quilibet in solidum, sub obligatione bonorum nostrorum omnium et per juramentum nostrum corporaliter super sancta Dei Evangelia præstitum, prædictum hortum liberum penitus garantire dicto Guillermo et suis, perpetuo, contra omnes, in omni curia, propriis nostris sumptibus, et facere et præstare quidquid in causa evictionis debet fieri et præstari, et in nullo per nos vel per alios contraire de cætero tacite vel expresse, volentes nos compelli ad præmissorum observantiam, tanquam ex re adjudicata, per curiam domini ducis Burgundiæ, cujus jurisdictioni, quoad hoc supponimus nos et nostros hæredes. In quorum testimonium litteris istis sigillum dictæ curiæ supplicavimus et obtinuimus apponi.

Actum in præsentia Hugonini de Cabilone, notarii Divionensis, Humbeletti dicti Chartreir, et Martini filii Breconis, testium ad hoc vocatorum, anno et mense prædictis.

Sigillum curiæ Divionensis.

LXXXV.

Joannes de Fontanis, domicellus. 1276.

(Ex autographo familiæ de Saffra.)

525 In nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis ejusdem 1276, mense Decembris, ego Hugonins de Fluriaco, domicellus, filius defuncti Guidonis de Fluriaco, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis quod ego pro utilitate et necessitate mea vendo, concedo, et quicto in hæreditatem perpetuam Joanni de Fontanis domicello, pro se et ejus hæredibus, tria sextaria frumenti, ad mensuram Sombernionis; in quibus mihi tenebatur idem Joannes de annuo redditu super tertias suas de Aubigneio. et quæ ab ipso Joanne tenebam in feodum, pretio scilicet sexdecim librarum Viennensium, de quibus ab ipso Joanne recepi et habui solutionem integram in pecunia numerata, etc.

LXXXVI.

Herveus dominus Safrarum. 1232, *Januario.*

(Ex autographo Saffrensi.)

Ego Hugo dux Burgundiæ notum facio universis præsentes litteras inspecturis quod ego vidi litteras charissimi patris mei Odonis ducis Burgundiæ, qui donavit et concessit in perpetuum Herveo domino Safrarum, et hæredibus suis qui erunt domini de Safris, quod non poterat homines suos sub se mansuros retinere, nisi apud Belnam et apud Divionem. Et ego qui multum volo patris mei donum et concessum tenere, confirmavi, **526** laudavi et promisi dicto Herveo et hæredibus suis qui erunt domini de Safra, quod ego non possum homines suos sub me mansuros retinere, nisi apud Belnam et apud Divionem. Et ut hoc ratum sit, et firmum et stabile permaneat, prædicto Herveo præsentes litteras sigilli mei munimine tradidi roboratas.

Actum anno Domini 1232, mense Januarii.

LXXXVII.

Beatrix relicta Guillelmi de Saus militis; Joannes et Guillelmus eorum filii. 1265.

(Ex autographo cameræ regiarum rationum Divionensis.)

Nos Guido, Dei gratia Cabalonensis episcopus, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis quod in nostra præsentia propter hoc personaliter constituta domina Beatrix, relicta domini Guillelmi de Sauz, militis jam defuncti, recognovit coram nobis se tenere et cepisse, laude et assensu Joannis et Guillelmi liberorum suorum, ab illustri viro Hugone duce Burgundiæ et suis hæredibus omnia quæ habet in parochia Sancti Romoni d'Andenay, et apud Saprade, tam ex parte sua quam ex parte dicti Guillelmi mariti sui jam defuncti, videlicet in terris, pratis, hominibus, aquis, pascuis, decimis, costumis, censuris, dominiis, justitiis et in omnibus aliis quibuscunque, pro viginti libris Viennensium. De quibus dicta B. domina habuit et tenuit se coram nobis pro pagata, prout confessa est coram nobis. Promisit etiam coram nobis dicta domina, per juramentum suum super sancta Dei Evangelia **527** corporaliter præstitum, omnia superius nominata tenere firmiter et in perpetuum observare. In cujus rei memoriam et testimonium, nos ad requisitionem dictæ dominæ, Joannis et Guillelmi liberorum ejusdem, dicto duci præsentes litteras tradidimus, sigilli nostri munimine roboratas.

Datum anno Domini 1265, mense Maii.

LXXXVIII.

Bernard de Marey, Seigneur de Fontaines lez Dijon en partie, Marie de Fontaines sa mère. 1462.

(Tiré du trésor de l'abbaye de Cîteaux.)

L'An de l'Incarnation de Nostre Seigneur 1462. *le XX. iour de Feburier, Je* Bernard *de Mairey, Escuyer, Sieur de Fontaines lez Dijon en partie, sçauoir fais à tous presens et à venir, comme de tres long temps i'ay eu, et encore ay de present grande deuotion à Dieu mon Createur, à la glorieuse Vierge Marie sa mere, et aussi à Monseigneur Sainct Bernard, pour ce qu'il fut natif au Chastel dudit Fontaine, et partit de la Seigneurie dudit lieu : et que d'icelle Seigneurie et ligne je suis issu et descendu. Considerant aussi, qu'en son ieune eage il fut receu Nouice, et fit profession en l'Eglise et Monastere de Nostre Dame de Cisteaux; à laquelle Eglise et Monastere, aussi de tres long temps i'ay eu, et encore ay tres grande deuotion*, etc.

Ensuite il donne à l'Abbé Humbert, et au Couvent de Cisteaux, la quarte partie du Chastel, forteresse, et forte maison dudit Fontaines, dans laquelle il auoit sa demeure; qui luy estait escheuë d'ancienneté, *à cause* (dit-il) *et par le* **528** *decez et trespas de feu Dame Marie de Fontaines, iadis ma mere, dont Dieu aye l'ame, et aussi par partage fait auec les autres conseigneurs dudit Fontaines.* Item environ xxv hommes ou sujets qu'il auoit audit lieu. Item la quarte partie de la Mayrie, et de la

Digitized by Google

Iustice moyenne et basse qu'il auoit au lieu, finage, A et territoire de Fontaines. Item vn Four bannal, et plusieurs pieces de vignes et terres arables, qu'il auoit au mesme territoire. Le tout à condition que lesdits Abbé et Couuent de Cisteaux, seroient tenus de construire à leurs dépens audit Chastel de Fontaines vne Chapelle en l'honneur de Dieu et de S. Bernard, et d'y dire ou faire dire et celebrer vne Messe chaque Vendredy de l'année, à perpetuité, à son intention : et celebrer son anniuersaire en l'Eglise de Fontaines pendant sa vie, et après sa mort en celle de Cisteaux, le troisiéme iour apres la feste de S. Bernard.

Il semble que ce Bernard de Mairey, Seigneur de Fontaines en partie, ne suruesquit guieres à cette donation, d'autant que son frere Alexandre, preten- B dant estre son heritier, ceda le droit qu'il pouuoit auoir à cette succession, à Iean de Poictiers, Cheualier, Seigneur de Vadans, etc., le XXIX iour d'Auril, apres Pasques, comme nous dirons incontinent cy apres.

Dans l'obituaire de Cisteaux, se lisent les paroles suiuantes : XV Kalendas Septembris obiit dominus Bernardus de Fontanis, qui dedit ecclesiæ partem suam quam habuit in dominio castri de Fontanis : quam vendidimus, et pro ea habuimus quadringentas libras Turonenses.

Cecy est conforme à ce que les Abbé et Religieux de Cisteaux exposerent en la requeste qu'ils presenterent à la Cour le dernier iour d'Auril 1614, contre C les Feuillants, qui dez l'an 1613, auoient acquis par achapt le Chasteau de Fontaines pour le conuertir en vne Eglise et Monastere de leur reforme : disans que le Duc de Bourgongne ne voulut consentir à l'amortissement des fonds susdits, donnez à l'abbaye **529** de Cisteaux par Bernard de Mairey : ce qui obligea lesdits Abbé et Religieux de Cisteaux de s'en deffaire pour la somme spécifiée en leur obituaire.

Bernard de Mairey ne suruesquit guieres à cette donation, qu'il fit le XX Feburier de l'an 1462, qu'on comptoit alors depuis le iour de Pasques; d'autant que le 29 Auril apres Pasques de l'an 1463, son frère Alexandre, pour lors Chastellain de Vadans, fit donation entre vifs, de toute la succession D de son frere Bernard nouuellement trespassé, à son bon maistre et Seigneur Jehan de Poictiers, Cheualier, Seigneur d'Arcis, de Vadans, et de Souuans : pretendant la nullité de la donation faite aux Abbé et Religieux de Cisteaux par son frere Bernard; puis qu'il se portoit pour son heritier. Or, si Bernard de Mairey mourut entre le XX Febvrier et le XXIX Auril suiuant, il ne mourut donques pas le XVIII Aoust, auquel iour est marqué son obit. Mais ce iour fut celuy de l'anniversaire par luy fondé, et attaché au XXIII Aoust : d'où il faut croire que Messieurs de Cisteaux pour quelques raisons et pour la commodité de leur Eglise, jugerent a propos de l'anticiper de cinq jours.

LXXXIX.

Milo de Fontanis, Burgensis Divionensis; Joannes de Fontanis, ejus filius; Nazaria uxor Joannis; Haymo clericus, et Joannes eorum filii, 1237.

(Ex autographo fratrum Prædicatorum Divionensium.)

Ego HAYMO DE ASIREYO tunc major, et nos scabini communiæ Divionensis notum facimus universis præsentes inspecturis quod dominus Milo de Fontanis Burgensis Divionensis, et Joannes de Fontanis filius ejus, laude et assensu Nazariæ uxoris dicti Joannis, et Haymonis clerici, et Joannis filiorum **530** suorum, vendiderunt, tradiderunt et concesserunt venerabili dominæ Alaidi ducissæ Burgundiæ domum et tenementum quod habebant apud Divionem supra ripam Susionis, inter tenementum quod fuit Valeti et Renaudi de Mailleyo fratrum, et domum Lamberti de Besua, de qua domo et tenemento se devestierunt coram nobis dictus Milo et Joannes filius ejus, et prænominatam ducissam corporaliter investierunt. Et promiserunt, et tenentur dictus Milo et Joannes hanc venditionem dictæ ducissæ ejusque successoribus contra omnes calumniantes legitime in perpetuum garantire. De pretio siquidem hujus venditionis, videlicet de quinquaginta libris Divionensium se tenuerunt coram nobis in numerata pecunia penitus et in integrum propagatis. Et sciendum quod supradictam domum et tenementum emit dicta ducissa ad construendam ibidem domum et ædificium ad opus fratrum de Ordine Prædicatorum. In hujusmodi autem rei testimonium, ad requisitionem dictæ ducissæ et ad preces dictorum Milonis, et Joannis, et Nazariæ et Haymonis clerici, et Joannis præsentibus litteris sigillum dictæ communiæ fecimus apponi.

Actum anno Domini 1237, mense Junii.

XC.

Odo Campaniensis, Raynaldi et Guillelmi Burgundiæ comitum nepos.

(Ex autographo metropolitanæ ecclesiæ Bisontinæ.)

HUMBERTUS, Dei gratia Bisuntinorum archiepiscopus, præsentibus et futuris, gestæ rei veritatem in **531** perpetuum.

Officii nobis commissi sollicitudo nos instanti pungit aculeo ad pacem et tranquillitatem ecclesiarum studiosius vigilare. Eapropter quæ facta sunt ad posteritatis notitiam sigilli nostri attestatione transmittimus. Igitur diutina querela inter Bisuntinam matrem ecclesiam, et Odonem *nepotem comitis Guillelmi*, de censuariis, quos nomine potestatis de Quingey petebat, hoc modo pacis perpetuæ finem sortita est. Venerabilis Oddo omnem illam calumniam de censuariis, sive justam, sive injustam, pro anima *avunculi sui comitis* Raynaldi præfatæ ecclesiæ remisit, Roberto præposito de Quingey præsente et laudante. Donavit etiam idem Oddo, et concessit eidem ecclesiæ omnes illos censuarios, si qui de potestate de Quingey ad terram canonicorum trans-

Digitized by Google

ierant, et eos qui in terra eorum resident et morantur. Item eos qui de potestatibus eorum exeuntes Bisuntii morantur, et melius sunt homines eorum quam alius domini. Hanc diffinitionem præfatus Oddo sigillo suo roboravit. Item comes Guillelmus laudavit, et sigillo suo sigillavit. Si quis igitur pro ista calumnia ulterius Bisuntinam ecclesiam inquietaverit, excommunicationi subjaceat, et a corpore et sanguine Christi alienus fiat.

Datum Bisuntii, anno 1155, indictione II.

XCI.

Odo nepos Guillelmi comitis Matisconensis.

(Ex autographo metropolitanæ ecclesiæ Bisontinæ.)

Quia terrenis impedientibus curis multa oblivioni tradimus, eo dignum memoria memoriæ posterorum **532** tradere disponimus, comitem G. Maticonensium, et filios suos Stephanum, et Gerardum (ut melius et rationabilius Hugo præcentor in porticu rupis divisit, et Landricus decanus, et alii Ecclesiæ canonici ad utilitatem suam intellexerunt) donum quod fecerat Odo nepos ejus laudavisse, imo Bisuntinæ ecclesiæ Beati Joannis evangelistæ concessisse.

Testes Senoricus capellanus qui hoc scripsit, Guido abbas, Stephanus et Guillelmus fratres de Chayx, Joannes medicus, Ricardus miles de Arbosia, Remigius de Montebarrici, Herbertus et Heinricus cives Bisuntini, et Pontius aurifaber.

XCII.

Odo Campaniensis Beatricis imperatricis consanguineus. 1166.

(Ex autographo Dolani archivi comitum Burgundiæ.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus.

Si imperialis clementia censuit amplius dignos honoribus et magnis ditandos beneficiis quos fidei sinceritas, honestas morum et invariabilis devotionis fervor commendabiles reddit, Odo Campaniensis digne meruit honorari, qui genere clarissimus, Beatricis nobilissimæ consortis nostræ consanguineus, probitate et universa morum honestate conspicuus, tam meræ fidelitatis ac devotionis ardore hactenus nobis servivit, ut integritatem famæ suæ nulla nota pravitatis obnubilet, vel luculentam faciem virtutum alicujus inhonestatis nævus offuscet. Eapropter **533** omnium fidelium nostrorum in Burgundia tam futurorum quam præsentium noverit industria quod nos, una cum dilectissima consorte nostra Beatrice, permittimus habere fidelissimum nostrum Odonem Campaniensem, omni tempore vitæ suæ Quingiacum, Lislam, Lobium, et hæc omnia cum suis appendiciis, sicut comes Reinaldus in vita sua habere solebat. Hæc autem permissio talis est, quod nec ipse in vita sua, nec post ejus mortem uxor ejus, nec filii legitimi, nec filiæ, nomine feodi vel hæreditatis, in his omnibus aliquid valeant reclamare, sed libere revertantur ad imperatorem, et imperatricem et liberos eorum. Prædictus vero Odo villam juxta Dolam quæ dicitur Campus pagani, allodium suum, et quæcunque allodia acquiret in vita sua in imperio, dedit nobis, et imperatrici et liberis nostris, et nomine feodi a nobis recepit, ut ipse in vita sua habeat et possideat jure beneficiali, sicut Portum et Scanlint, quæ a nobis in beneficio habet; et post mortem ejus, legitimi filii ejus et filiæ, tam allodia quam feoda, nominatim Portum, et Scanlint, nomine feodi a nobis, et imperatrice et filiis nostris habeant et possideant. Si autem contigerit prædictum Odonem sine legitimo filio vel filia superstite decedere, omnia allodia quæ modo habet, vel ab hac hora in antea acquisierit in imperio nostro, et omnia feoda quæ habuerit de comitatu, specialiter autem et nominatim Portum, et Scanlint ad manus nostras, et imperatricis et filiorum nostrorum, et filiarum libere absque omni retractatione tenenda, possidenda revertentur, ut liceat nobis inde facere et ordinare absque omnium hominum contradictione **534** quidquid voluerimus. Quod ut verius credatur, et in processu temporis inviolabiliter observetur, præsentem inde paginam conscribi, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis idoneis testibus, in quorum præsentia hæc acta sunt: Herbertus, Bisuntinæ ecclesiæ electus. Arducius Gebennensis episcopus. Petrus Tullensis episcopus. Hugo Cluniacensis abbas. Everhardus thesaurarius Bisuntinus. Aimo capellanus. Matthæus dux Lotharingiæ. Ulricus dux Boemiæ. Ludewicus comes de Phirreten. Ulricus de Hurningen. Albertus comes de Dilingen. Heinricus comes de Nassowa. Comes Stephanus, et frater ejus comes Girardus. Galcherus de Salins. Wido abbas. Girardus de Fonvens. Petrus de Ceys. Amedeus comes Montisbiligardis. Giselbertus vicecomes Vesulii. Richardus præpositus. Richardus et Willelmus de Scavys. Girardus Strabun. Gaymarus de Cicun, et Odolo. Amaldricus de Jur. Heinricus de Sancto Quintino, et alii quamplures.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi

Ego Heinricus protonotarius vice Wilelmi Viennensis archiepiscopi, et totius Burgundiæ archicancellarii recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1166, indictione XIV, regnante Domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XIV, imperii vero XII.

Datum apud Dolam super flumen Dubium, VII Kalendas Augusti.

XCIII.

Odo Champaneys de Chanlito. 1200

Ex autographo abbatiæ Balernensis.)

535 Noverint præsentes et futuri quod ego Margarita comitissa Burgundiæ, de consilio comitis Willelmi et nobilium virorum Ugonis de Chais, et Humberti de Mutnet, et aliorum plurimorum, dedi Deo, et beatæ Mariæ de Balerna, et

Digitized by Google

fratribus ibidem servientibus, pro faciendo anniversario domini mei, comitis Burgundiæ Otthonis, et antecessorum ipsius, et pro anima mea, unum burgensem apud Arboys, nomine Girardum de Montaney, cum liberis suis, et omnibus successoribus, et rebus et possessionibus suis jure perpetuo, liberum sine aliqua retentione, et usagio, vel exactione.

Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo, in villa de Sentens.

Testes Odo Champaneys de Chanlito, Fromundus de Tramelay frater archiepiscopi, Odo de Aspromont, et Petrus de Mouprey.

Data per manum magistri Alexandri notarii, in manu Guidonis abbatis.

XCIV.

Odo Campaniensis, frater Lodoici, terram Jerosolymitanam visitaturus, 1202.

(Ex autographo ecclesiæ S. Stephani Bisontinæ.)

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Odo Campaniensis terram Jerosolimitanam visitaturus, pro remedio animæ suæ, et **536** Lodoici fratris sui, et prædecessorum suorum, mansum Aymonis Grucel, cum tenore suo, et hæredibus suis, apud Paygné, Bisuntinæ ecclesiæ Sancti Stephani libere, et in perpetuum concessit.

Hujus rei testes sunt, Ricardus de Chawis, Pontius de Frites, Pontius de Mimirey, Tibertus de Montefalconis, Humbertus, et Odo, et Segnoricus de Quingé.

Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini 1202, epacta XXV, concurrente primo.

XCV.

Hugo comes Trecensis, Odo filius ejus exhæres.

(Ex Petro Pithœo in comitibus Campaniæ.)

Eon, *ou* Eudes, *selon la Genealogie de S. Arnoul de Metz, laquelle seule i'ai suiuy en cét endroit, n'ayant trouué mention de cettuicy allieurs; sinon que ce soit celuy auquel le Roy Loys donna le Chasteau de Victry, apres qu'il l'eut prins sur le Comte Thiebault, qui est appellé en quelque Chronique nepueu de cet Eudes là : lequel au contraire l'Abbé de S. Michel appelle nepueu de Thiebault.*

Hvon, *ou* Hves, *Comte de Troyes : lequel en la charte de Sarmoise, faisant mention de sa mere Alix, et de son frere Philippe, est intitulé Comte de Champagne; eut à femme Constance fille du Roy Philippe, de laquelle il fut séparé pour consanguinité. Il eut encore une femme, que quelques recommandises semblent appeler Lombarde : et eut un fils nommé Huon, ou Eudon, qu'il exhereda, et vendit son Comté à son nepveu Thiebault. Et se lit, qu'allant outre mer (où il mourut le* XIV. *Juin) il delaissa cette seconde* **537** *femme enceinte. Cet Eudon serait plustost celuy qui en haine de ce, aida contre Thiebault le Roy Loys, lequel lui donna le chasteau de Victry, qu'il auoit prins l'an 1143. car en ce temps le fils du frere aisné appeloit les enfans des puisnez, ses nepueus.*

XCVI.

Hugo comes Trecensis et Barrensis, Constantia ejus uxor. Adela comitissa et ejus filius Simon Barrensis comes. 1101.

(Ex tabulis S. Eugendi Jurensis.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Ut male postulanti et inepte petitionem incongruam denegare, ita quoque digne petenti æquum est postulata annuere. Quapropter ego Hugo comes Trecensis atque Barrensis, petitionibus tuis, venerabilis abba Huberte, annuens, laudo et in perpetuum possidere concedo ecclesiæ Sancti Eugendi Jurensis, et monachis in monte Barri consistentibus, eleemosynam et dona quæ ibidem fecerunt Adela comitissa, et Simon beatæ memoriæ comes, scilicet montem ipsum cum villula ibi ædificata, Areas, Corcellam, et terram de Columba, terram de Rufio, medietatem decimæ villarii subjecti, terram Sanctæ Libariæ, terram quamdam apud Braye. Hæc omnia, cum hominibus, et ædificiis et pertinentiis suis præfatæ Ecclesiæ ab omnibus omnino exactionibus et coustumiis et justitiis in perpetuum dimitto libera, mihi nihil et successoribus meis retinens. Dono insuper atque indulgeo ecclesiæ Sanctæ Stephani, et Sanctæ Germanæ, et monachis supradictis, laudante uxore mea Constantia, **538** regis Philippi filia, omnes redditus illos qui mihi debentur in hominibus et possessionibus illis quæ eis in eleemosynam datæ fuerint, et piscationem fluvii Albæ; et quod in finagio prædicti castri nullus unquam molendina batatoria, vel alia usuaria faciat, nisi per prædictos monachos. Concedo etiam in molendinis quæ simul nobis sunt, partem illam quam emi ab Henrico et hæredibus suis, et potestatem mutandi molendinarium. Et quia omnia ista inconvulsa et firma in perpetuum permanere volumus, litteris istis et sigilli nostri impressione confirmari fecimus. Igitur quicunque sciens hæc infringere præsumpserit, Dei iram incurrat in præsenti sæculo, et æternæ damnationi, nisi resipuerit, subjaceat in futuro.

Acta sunt hæc Barro, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo primo.

Signum Erardi Brenensis. S. Milonis fratris ipsius. S. Rogerii Jonis villæ. S. Gausberti dapiferi, etc.

XCVII.

Hugo comes Campaniæ, mater ejus Alaidis, frater ejus Philippus Catalaunensis episcopus. 1093.

(Ex tabulis S. Eugendi Jurensis.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Hugo comes Campaniæ, notum facio omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod ego et Alaydis comitissa mater mea, Philippusque frater meus sanctæ Dei ecclesiæ Catalaunensis episcopus, donamus in alodium ecclesiæ Sancti Eugendi et sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ construitur in loco **539** qui vocatur Sermasia, quidquid continetur a sede Hilduini usque ad fluvium Saltis, etc. Præterea donamus, confirmamus

Digitized by Google

et volumus quatenus villa quæ Sermasia vocatur libera et absque ulla inquietatione permaneat; villani quoque in ea per supradictam ecclesiam habitantes, liberi et ab omnibus sæcularibus consuetudinibus sint quieti, solis monachis ibi Deo famulantibus serviant et respondeant, etc. Volumus etiam, si hoc acciderit, quod homines prædictæ villæ hominibus meis aliquam injuriam fecerint, homines mei clamorem faciant priori ejusdem loci, et per justitiam ejus diffiniatur. Si vero villani priori vel monachis aliquam injuriam fecerint, et per priorem in rectitudinem se mittere noluerint, prior nulli alii clamorem faciet, nisi comiti Vitriacensi, vel ministris ejus, quia prædicta villa et omne nemus de dominio est Vitriacensi, etc.

Huic diplomati nullus est ascriptus annus, sed ejus secuta mox confirmatio per Philippum Catalaunensem episcopum, Hugonis comitis fratrem, annum præfert Incarnationis Christi millesimum nonagesimum tertium.

XCVIII.

Simon Barrensis ad Albam comes, dictus comes Campaniæ.

(Ex Necrologio S. Eugendi Jurensis.)

III Kalendas Octobris obiit Simon comes Campaniæ, monachus nostræ congregationis.

XVIII Kalendas Januarii obiit Oddo comes Trecensis.

XI Kalendas Julii obiit Hugo comes Trecensis,

540 V Idus Januarii obiit Theobaldus comes Blesensis, qui laudavit, et confirmavit, et sigillavit donationem quam fecit Hugo avunculus suus ecclesiæ nostræ.

XCIX.

S. Bernardi avunculi, Rainardus Montisbarri castri dominus, Waldricus monachus, et Milo conversus.

(Ex prima magna charta Fontenetensi, num. 1.)

Omnibus sanctæ religionis amatoribus, tam præsentibus quam futuris, hujus schedulæ testimonio intimare curavimus quod domnus Rainardus Montisbarri castri dominus, pro prima fundatione novæ abbatiæ Fontaneti, quam magna animi devotione, laudante uxore sua Aanolde donavit Domino Deo, et beatæ Mariæ, et fratribus in eodem loco in perpetuum Deo servituris, et sub regulari observantia cum Dei auxilio ibidem victuris, pro animabus patris sui et matris suæ, et pro remissione peccatorum suorum, necnon et propter amorem domni Bernardi abbatis Clarævallis, nepotis sui, et fratrum suorum Waldrici monachi, et Milonis conversi, qui ejusdem abbatiæ cum domno Martino Eremita primi ædificatores fuerunt, territorium Aringiarum, sicut duo fratres Rainaudus et Walo de Aringiis eamdem terram libere antea possederunt. Quam videlicet terram prædictus Rainardus comparavit, vel commutavit a quodam milite suo Nariodo, cui eadem terra hæreditario jure ex parte uxoris suæ, prædicti Rainaudi de Aringiis filiæ contingebat, eadem uxore Nariodi, nomine Gertrude, et sorore uxoris suæ, nomine Maria, laudantibus. **541** Hoc quoque cum magna benevolentia laudavit domnus Fergannus Grinnionis consul, et domnus Humbaudus de Turre, cum sua uxore Hodierna, et Lebaudus de Grinnione, et uxor ejus Maria de quorum dominio eadem terra descendebat.

C.

Verricus de Castellione.

(Ex prima magna charta Fontenetensi, num. 43.)

Huldreus de Lucennaco dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fonteneto, mansum unum apud Flaciacum: unde sunt testes, Bartholomæus de Marmania, Verricus de Castellione. Hoc donum laudavit Petrus filius ejus, sub eisdem testibus, et sub istis, Humberto de Fanco, et Siguino de Tullione et Radulpho de Fanco. Ipsum Huldreum in senectute ejus sub sua cura monachi receperunt.

Item ex secunda magna charta, num. 27.

Haymo de Marmania, tradens se ad monachandum, abbati Fonteneti Willelmo, dedit in eleemosynam ecclesiæ Fonteneti, reliquum terræ quod habebat ipse, et frater ejus et soror, versus Saigniacum, etc. Inter testes, Radulphus miles Templi, per cujus manum hoc actum est, etc.

Actum est hoc Castellioni, in domo Wirrici de Ponte, quæ est in Insula.

Unde sunt testes, prædictus Radulphus Templi miles, Tecelinus nepos Wirrici de Ponte.

CI.

Girbertus de Montebarro, filii ejus Tecelinus, et Girardus clericus.

(Ex prima magna charta Fontenetensi, num. 44.)

542 Girbertus de Montebarro, laudante filio ejus Tecelino, dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fonteneto pratum in loco qui dicitur Pratum Deodati.

Hujus rei testes sunt Artaldus canonicus Sedeloci, Petrus scriptor, Bruno filius Lamberti fabri de Sedeloco.

Hoc donum laudavit postea Girardus clericus filius Girberti; unde sunt testes Petrus scriptor et Simon clericus.

CII.

Excerpta quædam ex prima magna charta Fontenetensi, ex 46 quibus constat tabulis sparsim delibata.

Hujus rei testes sunt Bernardus abbas Clarævallis, Gothefridus monachus, et Gerardus frater ejusdem abbatis, etc. Rainerius de Roca, et Nivardus frater ejus.

Sub aliis tabulis. Horum omnium donorum quæ facta sunt in præsentia domni Bernardi abbatis Clarævallis, sunt isti testes: Boso decanus, Evrardus sacerdos de Campinola, Bernardus dominus Montisbarri, Andreas avunculus ejus, Nivardus et Rainerius fratres.

Godefridus de Sagniaco de Sanctæ Mariæ Fonteneti quidquid terrarum habebat intra fines Aringiarum, laudante Hugone filio suo, præsente domno

Digitized by Google

Wilelmo 543 ejusdem loci abbate. Hujus doni testes sunt Gothefridus qui fuit primus abbas Fonteneti, Teobaldus presbyter de Fraxino, et Rotbertus miles de Sancta Columba, nepos ejusdem Gothefridi militis.

Sub aliis tabulis. Hujus rei testes sunt de militibus Walterius conestabulus, tunc dominus Montisbarri; Nivardus frater ejus.

Sub donatione Hugonis dapiferi. Hoc donum factum est apud Bussi, præsente Widone monacho, fratre abbatis Bernardi Clarævallis.

Sub donatione Gisleberti militis de Tilio. Hoc quoque laudavit Bernardus dominus Montisbarri, et soror ejus Milesendis cum viro suo Rainerio.

LEOBAUDUS de GUINIONE et HUMBAUDUS de RUBEMONTE donaverunt in confinio duarum villarum, Bonesen scilicet et Curcellarum, ecclesiæ Sanctæ Mariæ Fonteneti, de terra sua, ad excolendam eam in pratum, secundum latitudinem cujusdam prati domni Tecelini Sauri, quod est contiguum eidem terræ, facta divisione in longitudinem, usque ad alveum Branæ fluvii, etc. Hujus rei testes fuerunt, consul Grinionis Helirannus Fercannus, Gothefridus de Sagniaco, Joannes de Montebarro, Girbertus de Castellione.

BERNARDUS miles de ESPIRI (90) cambivit monachis Fonteneti, per manum domni Bernardi abbatis Clarævallis, laudante Wilelmo filio ejus, nepote ipsius abbatis, pratum quod Brolium dicitur, etc. Unde sunt testes, Guilencus Lingonensis episcopus, etc. Hoc etiam laudavit postea Richardus supradicti Willelmi frater.

Ego STEPHANUS Heduensis episcopus, et nostræ 544 ecclesiæ conventus, domno Bernardo abbati de Claris vallibus, locum quem vulgo Fontanetum appellant, in abbatiam construendam dedimus, etc.

GODEFRIDUS de SAIGNIACO et HUGO filius ejus, laudante Sara ejusdem Hugonis conjuge, dederunt ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fonteneto, campum in costa alterius vallis ex parte Saigniaci, etc. Hoc donum laudavit Laura ipsius Godefridi filia, et Helyas filius Lauræ.

545 CIII.

Conclusio primæ magnæ chartæ Fontenetensis, per diploma Stephani Eduensis episcopi, datum anno 1136 et ejus sigillo munitum.

STEPHANUS Dei gratia Eduensis episcopus dilecto sibi in Christo fratri WILLELMO abbati Fonteneti, A ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Desiderium quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, effectu est prosequente complendum. Quocirca, dilecte in Domino frater Willerme abbas, tuis rationabilibus postulationibus annuentes, monasterium ipsum cui Deo auctore præsides, sub sanctæ Eduensis Ecclesiæ et nostræ dignitatis tutela et protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio sigillique nostri impressione communimus, statuentes ut quæcunque bona seu possessiones præfatum monasterium impræsentiarum possidet, tam scilicet ea quæ in chartis præsentis membranæ scripta continentur et de donis nostris et de aliorum, quam B quæ in futurum Deo præstante poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli liceat idem monasterium perturbare, aut ejus terras auferre, vel ablata retinere, aut temerariis vexationibus fatigare. Quod si quis scienter contra hujus nostræ constitutionis paginam fecerit, nisi resipiscat, Dei et nostra auctoritate a communione eum sanctæ Ecclesiæ sequestramus, ita ut et impræsenti a corpore et sanguine Domini alienus existat, et in futuro divini examini ultioni subjaceat.

Ego Stephanus Eduensis Ecclesiæ 546 episcopus subscripsi. Ego Willermus decanus ss. Ego Galterius præcentor ss. Ego Gaufridus archidiaconus ss. Ego Siguinus archidiaconus ss. Ego Girardus archidiaconus ss. Ego Gauterius dapifer et abbas Sancti Stephani ss.

Actum est hoc Eduæ anno ab Incarnatione Domini 1136, epacta XV, concurrente III, indictione quarta decima

CIV.

Gerardus de Castellione, sororius Teobaudi de Saliva. Hebalus comes Salci Castri.

(Ex secunda magna charta Fonteneti, num. 8.)

TEOBAUDUS DE SALIVA dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fonteneto in eleemosynam quidquid habebat infra terminos Puteolifranci, etc. Hujus doni testes sunt ipse dux Hugo, in cujus præsentia hoc totum factum est inter Frollesium et Ungiacum, D Hugo ejusdem ducis filius, Garnerius de Sumbernun, Rainerius de Rochia, Joannes de Quintiaco, Gerardus de Castellione, *qui prædicti Teobaudi fuerat sororius*, Rainaldus Grancei castri dominus. Hoc

(90) Wilelmum de Espiri, seu de Spiriaco, S. Bernardi nepotem memoratum leges apud Herbertum, lib. II De miraculis, cap. 37, ex quo hausit auctor Additionum Exordii magni Ordinis Cisterciensis. Non intelligo autem qua ratione hic scribatur *Walterius conestabulus dominus Montisbarri*, nisi matrimonio insitus est in eam familiam, ad quam jure hæreditario spectabat Monsbarrus. Neque capio quorsum in eadem prima magna charta appelletur *Rainardus Montisbarri castri dominus*, nisi ut Walterius conestabulus, non castri ejusdem, sed burgi duntaxat cognominis dominus designetur : quem scilicet sub Rainardo castri domino (cujus erat sororius) clientelari jure possederat, more illius ævi, quo divisis licet in plures cohæredes nobilium fundis, tamen toparchiæ primarium jus penes caput familiæ stabat. Cum igitur ex Joanne Eremita in vita S. Bernardi, Robertus ille ad quem est prima hujus epistola, matre natus sit, Alaydis S. Bernardi genitricis sorore, eo conjectura feror, ut natus mihi videatur hic Robertus patre Walterio conestabulo, qui ex dote conjugis, burgi Montisbarri dominus fuerit. Erat porro Walterius, non regni Franciæ, sed ducatus Burgundiæ conestabulus, qui nimirum sub ducis imperio utriusque militiæ magistrum agebat.

Digitized by Google

donum laudavit et concessit uxor sæpedicti Teobaldi, Gundrea nomine, sed in palam vocata Sybilla : unde sunt testes domnus Constantinus Ungiaci abbas, et Girardus canonicus, Robertus de Sancto Burri ejusdem dominæ frater, etc. Hebalus comes Salci castri, Rainerius de Frolesio, Bertalphus et Herlebaldus de Granceio, Hugo de Vilefior, Haimo de Saliva, etc.

547 CV.

Hugo dux Burgundiæ, castri Grinionis dominus, uxor ejus Mathildis ducissa.

(Ex secunda magna charta Fonteneti, num. 9.)

Hugo dux Burgundiæ, laudante ducissa Mathilde uxore sua, dedit in eleemosynam ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fonteneto quidquid habebat apud Puteolumfrancum. Descendebat autem idem locus de dominio *Grinionis castri, cujus ipse dux erat dominus*,

Hujus doni testes sunt Tecelinus archipresbyter Aiennaci, ubi et hoc actum est. Hugo Cavalgeia, Bartholomæus de Sumbernun, Petrus de Escaloio major, Constantius præpositus Maveli.

CVI.

Nariodus de Montebarro; ejus filii, Gualo, Bernardus et Rainerius Fonteneti monachus.

(Ex eadem secunda magna charta, num. 25.)

Nariodus de Montebarro dedit ecclesiæ Fonteneti in eleemosynam, laudantibus filiis suis Gualone et Bernardo, totam terram quam habebat a grangia Flaciaci versus Saigniacum. Sed hanc eleemosynam fecit occasione Rainerii filii sui, quem abbas Willermus ad monachandum suscepit.

548 CVII.

Godefridus de Castellione, uxor ejus Gertrudis, filii Hugo et Nivardus.

(Ex eadem secunda magna charta, num. 40.)

Godefridus de Castellione dedit ecclesiæ Fonteneti in eleemosynam omnes aasentias suas in omnibus terris et nemoribus suis. .

Hujus rei testes sunt, domnus Bernardus abbas Clarævallis, Rainaldus Cavalgeia, Wirricus de Beleun.

Hoc laudavit Gertrudis uxor ejus, et filii eorum Hugo et Nivardus.

CVIII.

Girardus de Castellione, Eschaloii dominus, ejus filius Milo.

(Ex eadem secunda magna charta, num. 46.)

Girardus de Castellione, dedit ecclesiæ Fonteneti in eleemosynam quidquid infra terminos Puteolifranci habebat. Terminos autem concessit, sicut Hugo de Valle Abonis jam conversus, per obedientiam abbatis Willermi, et concessionem Teobaudi de Saliva divisit. Insuper monachis prædictæ ecclesiæ, omnem de propria eorum terra guirpivit decimam, quod nunquam scilicet ab eis decimam de eorum terra, vel ab alio apud Puteolum acciperet. Testes sunt, Hugo dux Burgundiæ, Odo ejusdem ducis filius, Varnerius de Sumbernun, Rainerius de Rochia, Joannes de Quintiaco, Rainaldus dominus Granceï, etc.

Postea autem, quia querela orta fuit inter homines Eschaloii **549** et monachos de terminis Eschaloii et Puteoli; et inter Girardum et monachos, de communitate Bergerecarum; hoc modo pacificata est res, in præsentia domini Odonis filii ducis, etc. Testes sunt abbates, Bernardus Clarevallensis, Constantinus Ungiacensis, Odo filius ducis, etc.

Deinde utriusque territorii metæ Constantini Ungiacensis abbatis arbitrio vel fixæ, vel designatæ sunt. Huic rei interfuerunt dominus Robertus filius ducis, post factus Eduensis episcopus, magister Robertus tunc clericus ejus, Girardus de Castellione tunc Eschaloii dominus, Lebaudus Ordeum, miles, etc. Hæc omnia concessit et laudavit Milo filius Girardi de Castellione, sicut pater ejus fecerat, et habuit de beneficio Fonteneti XX solidos.

Hujus concessionis sunt testes dominus Godefridus Lingonensis episcopus, Pontius ejus archidiaconus, Valterius Trecensis canonicus, Milo Lisiniarum decanus, Vido comes Barri, Thomas miles ejus, Rainerius de Rochia, Matthæus de Castellione, Rainerius de Pultariis, Lebaudus Ordeum, Gislebertus de Tullione.

CIX.

Andreas dominus Montisbarri, pater ejus Bernardus, avus Rainardus.

(Ex autographo Fontenetensi.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Ego Godefridus Dei gratia Lingonensis episcopus, tam præsentibus quam futuris notifico Andream Montisbarri dominum, filium Bernardi filii Rainardi, **550** in præsentia nostri recognovisse dona et concessiones, quas in eleemosynam abbatiæ Fonteneti contulerat. Sunt autem hæc, tota videlicet pars illa nemoris Segestri, quæ est ad sinistram viæ quæ a planis ejusdem nemoris Naellam tendit, sicut lapideæ metæ inibi positæ designant. Divisio quoque terrarum inter Fontanas et Segestrum, sicut facta jamdudum fuerat in præsentia comitissæ, amitæ ejusdem Andreæ, ubi et lapideæ metæ positæ sunt, quidquid etiam proprii habebat jam dictus Andreas intra fines Plaaneti, nominatimque Tuschia. Et concessit acquirendum, sive eleemosyna, sive pecunia ab hominibus ad se pertinentibus qui aliquid juris ibidem habebant, quidquid possent Fontenetenses. Concessit etiam eisdem quidquid habebant ab Oberto de Til, quod ad se pertinebat. Concessit nihilominus ipsis quidquid de casamentis habebant suis, et quidquid acquirere possent seu eleemosyna, seu pecunia, simul et totius terræ suæ omnes aasentias, tam in nemore quam in plano, et ut aliqua de eis nominentur, nemus ad ædificandum, ad ardendum, ad pastionem porcorum, cæterorumque animalium pascuam, excepto quod nemus Jaliaci non poterunt essartare ad agricolandum, cæteros vero usus inibi habebunt; in terris quoque, et agriculturam, et

Digitized by Google

omnibus animalibus pascuam; in aquis etiam piscaturam, propter forestam quæ est inter molendinum Pepini et molendinum Sancti Joannis; postremo quidquid avus suus Rainardus et pater suus Bernardus prædictæ Fonteneti abbatiæ dederant et concesserant, sicut in chartis eorum continebatur, et ipse similiter Andreas concessit. Hæc igitur 551 omnia confirmantes et proprii sigilli impressione communientes, Dei et nostra auctoritate interdicimus ne quis super his Fontenetensibus aliquam injuriam inferre præsumat. Quod si quis præsumpserit, anathematis gladio eum percellimus, donec eisdem ipsis congrue satisfaciat.

CX.

Andreas Montisbarri dominus.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Ego Henricus, Dei gratia Eduensis episcopus, tam præsentibus quam futuris notum facio quod Rogerius de Sinemuro, laudante Pontia uxore sua, concessit ecclesiæ Fonteneti, in manu dilecti fratris nostri Arnaudi abbatis, totum integraliter chasamentum quod Richardus de Curterabodi ab ipso tenebat in finibus Fraxini, quod idem Richardus ecclesiæ Fonteneti dederat. Retinuit autem idem Rogerius tantummodo homines qui de eodem chasamento erant, et habuit beneficio Ecclesiæ decem libras.

Actum est hoc per manum Andreæ Montisbarri domini, quem Rogerius fidejussorem dedit Ecclesiæ quod hoc donum firmiter servaret.

Testes hujus doni sunt Andreas Montisbarri dominus, Simon de Curtengi, Teobaudus prior Fonteneti, Willermus de Scalleus, Willermus cellerarius, Hugo de Curterabodi, monachi Fontenetenses.

552 CXI.

Andreas Montisbarri dominus.

(Ex tabulario Fonteneti.)

Ego Andreas Montisbarri dominus testificor scire volentibus quod Viardus de Seneveio, et Joannes frater ejus et Reinerius de Chandoisel dederunt ecclesiæ Fontenetensi totam terram arabilem quam habebant a Fonteneto usque Marineium, etc., coram me et domino meo Anserico Montisregii et Anserico Juvene, Hugone quoque de Nigellis et Bernardo Nariodi, et Andrea de Fontanis, etc.

(Item ex autographo Fontenetensi.)

Ego Godefridus, Dei gratia præsul Lingonensis, tam posteris quam modernis notifico quod Milo de Molismis Gothefridi filius concessit monachis Fonteneti aasentias silvæ quæ Pratee dicitur, in finibus Fontanarum, in omnes eorum usus, etc.

Actum Montebarri publice, in manu Arnaudi abbatis, et per Andreæ Montisbarri domini manum, de cujus casamento locus prænominatus est.

CXII.

Willermus de Sauz, uxor ejus Hermengardis.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Ego Henricus, Dei gratia Eduensis episcopus, tam futuris quam præsentibus notum facio quod Hodierna uxor Humbaudi de Rubeomonte dedit in eleemosynam Fontenetensi ecclesiæ, in manu Arnaudi 553 abbatis, pro anima sua et mariti sui, quidquid habebat in piscatura de Curcellis, quæ de capite suo erat, laudante Renardo domino Rubeimontis, de cujus feodo erat. Quod quidem Osmundus filius prædictæ Hodiernæ contradicere voluit. Sed certum est quod legitimam eleemosynam facere poterat mater ejus de terra quæ de capite suo erat, et sine assensu ipsius.

Testes sunt Willermus de Sauz, et Hermengardis uxor ejus, Saissa uxor Gisleberti de Grisini, etc.

CXIII.

Bernardus de Montebarro, Espissiæ dominus, filius Helvydis. 1210.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Ego Bernardus de Montebarro, Espissiæ dominus, omnibus notum facio præsentibus et futuris quod piæ memoriæ Helvydis mater mea in obitu suo dedit in puram eleemosynam ecclesiæ et fratribus Fonteneti x sextarios bladi, medietatem frumenti et medietatem avenæ, ad mensuram Espissiæ singulis annis in tertiis de Corseinz circa festum sancti Remigii capiendos. Dedit etiam jamdictæ ecclesiæ fratribus viginti solidos censuales, scilicet in terra de Vasseio, et in terra de capite suo, ad jam dictum festum sancti Remigii annuatim persolvendos. Hanc autem eleemosynam venerabilis matris meæ laudavi et concessi supradictis fratribus Fonteneti, et in perpetuam memoriam, præsenti paginulæ sigillum meum apposui, anno Incarnationis Dominicæ 1210.

CXIV.

Andreas, dominus Espissiæ, Bernardi filius, frater Guidonis canonici Lingonensis. 1213.

(Ex tabulario Fontenetensi).

554 G. Eduensis, W. Lingonensis, et W. Autisiodorensis, Dei gratia episcopi, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Noverint universi præsentes pariter et futuri quod, cum inter abbatem et monachos Fonteneti ex una parte, et nobilem virum Andream dominum Espissiæ ex altera, controversia verteretur super hominibus, possessionibus et terris apud Marmaniam existentibus, quæ nobilis mulier Hyla de Monte Sancti Joannis, et Joannes filius ejusdem, in perpetuam eleemosynam domui Fonteneti dederant et concesserant : quæ etiam a bonæ memoriæ Bernardo patre ejusdem Andreæ, abbas et monachi dicebant occupata fuisse; et præterea super trecentis marcis argenti, quas prædicti abbas et monachi a præfato Bernardo sæpe dicti Andreæ patre legatas fuisse asserebant. Tandem nobis præsentibus et nobilibus viris Odone duce Burgundiæ et Guidone de Donipetra, et multis aliis, in hanc compositionis formam venerunt quod de trecentis marcis superius nominatis abbas et monachi memorati medietatem habeant ; reliquam vero medietatem Andreas

Digitized by Google

supradictus. De rebus vero apud Marmaniam existentibus, de quibus erat controversia, ita fuit statutum quod Guido frater Andreæ, canonicus Lingonensis, res illas tenebit, quandiu vixerit, et post mortem ipsius Guidonis, ad Ecclesiam Fonteneti libere et absque omni contradictione **555** revertentur. Tenebit autem res illas Guido præfatus, nomine Ecclesiæ, ab Ecclesia Fonteneti.

Actum anno Gratiæ millesimo ducentesimo decimo tertio, mense Octobri.

(Eodem anno et mense, hæc ipsa Odo dux Burgundiæ proprio diplomate, iisdem verbis confirmavit.)

CXV.

Guido canonicus, filius Bernardi domini de Spissia. 1220.

(Ex tabulario Fontenetensi).

Ego Hugo, Dei gratia Lingonensis episcopus, notum facimus præsentibus et futuris quod Guido filius domini Bernardi de Spissia, canonicus Lingonensis et Antisiodorensis, in præsentia nostra constitutus, concessit et quittavit ecclesiæ et fratribus Fonteneti quidquid habebat apud Marmaniam, tam in hominibus quam in terris, et redditibus et in omnibus aliis, pro decem et octo libris Pruviniensium, de quibus prædicti fratres Fonteneti tenentur reddere prædicto Guidoni x libras ad nundinas Barri, et ad nundinas Trecarum circa festum sancti Remigii, VIII libras. Quod ut totum ratum habeatur, ad petitionem ipsius Guidonis et fratrum Fonteneti, præsens scriptum sigilli nostri munimine roboravimus.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo.

556 CXVI.

Odo de Yssodun comes Grinionis; uxor ejus Matildis filia Raimundi, qui Hugonis II Burgundiæ ducis filius, Henrici porro Eduensis episcopi frater fuit. 1165.

(Ex tabulario Fontenetensi).

Ego Henricus, Dei gratia Eduensis episcopus, præsentibus et futuris notifico querelam quam adversus Ecclesiam Fonteneti movebat Odo de Yssodun comes Grinionis de eleemosyna fratris mei Raimundi, in præsentia nostra sic fuisse terminatam. Concesserat prædictus Raimundus fratribus Fonteneti pro anima sua et antecessorum suorum quidquid ejus chasati de dominio Grinionis eis darent pro eleemosyna de chasamento suo; sic tamen ut chasatum non perderet. Postea super hoc movit querelam Odo de Yssodun, ad quem devenerat terra Grinionis, ex parte Mathildis conjugis suæ, filiæ Raimundi. Unde utraque pars, Odo videlicet, et monachi ante me convenerunt. Recognitum est, et legitimorum virorum irrefragabili testimonio comprobatum, hoc donum fecisse fratrem meum Raimundum, priusquam prædictæ puellæ matrem duxisset uxorem, etc. Huic tam perspicuæ veritati prædictus Odo nolens amplius contraire, querpivit in manu Hugonis Fontenetensis abbatis omnem querelam, quam moverat adversus Fontenetensem ecclesiam, et eleemosynam tam legitime factam, ratam concessit, etc. Hæc omnia laudavit Mathildis conjux ejus : unde testes sunt, Abraham abbas de Pratea, etc.

Actum est hoc apud Saigniacum XVII Kalendas Maii, et in crastino recognitum et confirmatum in **557** capitulo Fonteneti, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto.

CXVII.

Mathildis comitissa Grinionis, Raimundi comitis filia. 1196.

(Ex autographo Fontenetensi).

Ego Mathildis comitissa Grinionis notum facio omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod omnia dona et eleemosynas, quas pater meus Raimundus comes dedit et concessit ecclesiæ et fratribus Fonteneti, laudavi et concessi. Et concordiam quæ facta fuit inter patrem meum Raimundum, et homines de Estalenta, et jam dictos Fonteneti fratres, certa ratione perquisivi; et in rei veritate percepi, quod ipse pater meus metas lapideas inter homines de Estalenta et præfatos fratres posuerit, ne supradicti homines, vel animalia eorum, nec etiam porci, metas ab ipso positas ullatenus transgrederentur. Cujus exemplum ego secuta, volo et præcipio ut firmiter ab omnibus in posterum teneatur. Aasentias quoque Mortuæaquæ, quas pater meus eis concessit ad pecora sua adaquanda, et ego in perpetuum concedo. Dedi etiam eis piscaturam stagni mei de Estalenta, in vita mea, tantummodo duobus diebus ac noctibus, ante Dominicam in Ramis Palmarum; et post mortem meam, duobus diebus ac noctibus perpetuo, ad procurationem anniversarii mei.

Hujus rei sunt testes Hubertus abbas Fonteneti, et totus ejusdem loci conventus, Odo archipresbyter Tullionis, **558** Oliverius de Grinione, Matthæus de Estez, Pontius de Chaace, et Milo frater ter ejus, Rainerius de Sancta Columba, Teobaudus præpositus Montisbarri, et multi alii.

Quod totum ut ratum habeatur in perpetuum, sigilli mei impressione confirmavi, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto (91).

(91) Alia complura exstant Mathildis Grinionis comitissæ diplomata apud Fontenetenses, data ad annos Christi 1195 et 1196. Cum autem Duchesnius in ducibus Burgundiæ et Sammarthani in regia Genealogia, libro XXVIII, scite affirment ex Roberto de Monte, ex Chronico Autisiodorensi aliisque bonæ notæ scriptoribus, quadrigamam fuisse hanc Mathildem, adeo ut per illos triginta annos, qui inter 1165 et 1195 fluxere, quatuor maritis adhæserit, primum Odoni de Yssodun, deinde Guidoni comiti Nivernensi, postmodum Petro Philippi Flandriæ comitis fratri, et denique Roberto Drocensi, vel hinc opinari licet illam, tot expertam fortunæ varietates, Grinionem se tandem ad primos thala-

Digitized by Google

CXVIII.

Mathildis comitissa Grinionis. Odo comes Grinionis (92). 1196.

(Ex tabulario Fontenetensi).

Notum sit præsentibus et futuris quod ego Mathildis comitissa Grinionis donavi ecclesiæ Fonteneti, pro remedio animæ meæ, vineam quamdam quam ab Erardo in vadimonium pro IX libris Divionensium acceperam, **559** quæ sita est in parochia Saigniaci, tali pacto, quod ex fructu vineæ missarum officia celebrabuntur : quod si quid residui fuerit inde tela emetur unde corporalia fient. Concessi insuper ut præfatam vineam liceat eisdem fratribus quoquo modo potuerint, acquirere. Promiserunt etiam mihi prædictæ Ecclesiæ abbas et A monachi, quod si memorata vinea redempta fuerit, percepta redemptio tali deputabitur ædificio, quod sicut supra condictum est, in jam dicta ecclesia divina celebrabuntur. Hæc omnia, et universa de quibus investiti erant fratres Fontenetenses, die quo hæc acta sunt laudavit et concessit Odo comes Grinionis.

Hujus rei testes sunt Odo archipresbyter Tullicnis, Oliverius de Grinione, Renerius de sancta Columba, Josbertus de Masiaco, Galannus præpositus.

Ut autem hoc totum in perpetuum ratum habeatur, ego Mathildis comitissa Grinionis præsentem paginam sigillo meo roboravi.

Actum anno Verbi Incarnati 1196.

Hugo II dux Burgundiæ.

Odo II, dux Burgundiæ. — Raimundus comes Grinionis.

Hugo III, dux Burgundiæ. — Mathildis comitissa Grinionis, uxor Odonis de Yssodun.

Odo de Yssodun junior, comes Grinionis. Uxor Alays Montisbarri domina.

Radulphus Odonis patris hæres, ducta Margareta seu Sybilla de Courtenay moritur improlis : ejusque toparchiæ ad Burgundiæ ducum dominium revertuntur.

560 Erat igitur Odo filius Mathildis, quem, anno 1196, cum illa comitem Grinionis nuncupatum vides, secundus hujus nominis inter comites Grinionis, tertius vero inter Toparchas Yssodunenses, cujus et conjugis Alaydis exstare ad annum 1190, privilegia Yssodunensibus collata, asserit Duchesnius in hac Mathilde, Raimundi filia, Hugonis II, ducis nepte. Et Alaydem opinor Andreæ Montisbarri domini fuisse filiam, qui ducta Helvide Espissiæ domina, Bernardo filio Espissiam maternam dotem, Alaydi filiæ Montembarrum dederit. Quamdam enim e Montisbarri familia puellam, comitis Grinionensis filio desponsatam esse, notavit auctor Tabulæ genealogicæ Fontenetensis, cui licet in aliis multis parum accurato, in hoc tamen fidem non negaverim, cum certum mihi sit ex antiquis Fonteneti tabulis Bernardum Andreæ et Helvidis filium, tantum Espissiæ domini, non etiam domini Montisbarri titulum usurpasse.

Atque hinc deprehendere mihi videor, qua via et Grinio et Monsbarrus ad ducum dominium devenerint. Nempe per obitum Radulphi improlis, de quo Albericus in Chronico, **561** qui Montembarrum possederat ex Alaydis matris hæreditate, Grinionem ex Mathilde avia, nepte Hugonis II Burgundiæ ducis : qui dux, ut constat (*num.* 105) ex secunda magna charta Fontenetensi, numero 11, Grinionensi etiam comitatu potitus fuerat post Helirannum Fergannum (*num.* 199), cujus mentio B in priore magna charta numero 43. Et hic Fergannus comes, cuidam filiæ Rainardi Montisbarri domini fuisse videtur matrimonio junctus, ut vere Andreas Bernardi filius, Rainardi nepos, amitam comitissam, in Godefridi Lingonensis episcopi tabulis habuisse referatur (*num.* 109.)

CXIX.

Oliverius de Grinione, uxor ejus Floria, filii Pontius et Hugo. 1191.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Ego Gauterius, Dei gratia Eduensis episcopus, notum facio præsentibus et futuris quod Oliverius de Grinione laudavit et concessit Deo et fratribus Fontenetensis ecclesiæ omnes eleemosynas quas pater suus et fratres sui eidem ecclesiæ fecerant; C simul et terram quæ dicitur Mont Arlant, in bosco et in plano, etc. Hæc omnia laudavit Floria uxor Oliverii, cum duobus filiis suis Pontio et Hugone, etc.

Inter testes Josbertus abbas Fontenetensis.

Anno ab Incarnatione Domini 1191.

CXX.

Galterus miles de Montebarri, uxor Emengardis, cujus frater Odet, mater Gilla, Gillæ liberi Simon, Maria et Aaliz. 1215.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Ego Galterius Dei gratia Eduensis episcopus, universis præsentem paginam inspecturis notum faci-

mos recepisse; atque ibi solo Grinionensis comitissæ titulo contentam, quod vitæ reliquum fuit pie exegisse.

(92) Quem hic legis Odonem comitem Grinionis, cave, mi lector, eumdem ipsum existimes quem anno 1165 Mathildis hujus maritum prius vidisti. Soluta enim erat Mathildis hoc anno 1196, post quartas nuptias, primusque ejus maritus Odo de Yssodun anno 1177, vivere jam desierat, si fides Chronico Roberti de Monte; et ejus filium atque hæredem cognominem *dux Burgundiæ, quia cognatus ejus erat, furtim abstulerat.* Cognatum dixit Robertus in secundo et tertio gradu consanguineum; quod videre est in hoc schemate.

Digitized by Google

mus **562** quod Galterius miles de Montebarri dedit Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ Fonteneti, pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum, in perpetuam donationem, omnia quæcunque juris habebat in foresta quæ est super eamdem abbatiam, et quidquid juris habebat in territorio ejusdem forestæ, usque ad magnum chiminum quod ducit ad Sanctum Jacobum. Recognovit etiam idem Galterius quod nullus hominum suorum, neque aliorum aliquis usuarium debet habere in memorata superius foresta. Hanc autem eleemosynam laudavit et approbavit bona fide uxor ipsius Galterii Emengardis, cum fratre suo Odet, de quorum capite erat, et mater ipsius Emengardis, Gilla nomine, et filius ejus Simon cum sororibus suis Maria et Aaliz. Quod totum ut ratum sit et firmum manere valeat in perpetuum, ad petitionem memorati Galterii, et uxoris suæ et Odonis fratris ejusdem uxoris, præsentem paginam sigillo nostro jussimus roborari.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quintodecimo.

CXXI.

Excerpta ex aliis tabulis abbatiæ Fonteneti.

(Ex secunda magna charta, quæ constat numeris 47, et terminatur in privilegio Godefridi Lingonensis episcopi sine temporis nota.)

Num. 13. Girardus de Eschaloio, sororius Girardi canonici, laudante uxore sua Rotrude, dedit ecclesiæ Fonteneti quidquid habebat apud Puteolum-
563 francum et apud Vallem Abonis.

Num. 23. Ebrardus de Villenis dedit ecclesiæ Fonteneti in eleemosynam, quidquid habebat a Saigniaco, in territorio Flaciaci et Saignisel. Inter testes Henrici de Montebarro.

Hujus magnæ chartæ variis locis, decies minimum inter testes occurrit Rainerius de Rochia.

Galo filius Nariodi de Montebarro.

Num. 29. Mauvaslet de Montebarro. Hugo filius ejus. Robertus de Montebarro, frater Odonis Campaniensis. Rursus Odo Campaniensis inter testes, numero 37; Girardus de Castellione, Simon de Castellione, Matthæus de Castellione.

(Ex autographis)

Ad annum 1174. Hugo Peccatum de Til dedit in eleemosynam fratribus Fonteneti, quartam partem in bosco et in plano, etc.

Andreas dominus Espissiæ; frater ejus Bernardus domicellus, dominus de Vi, anno 1232.

Frequens mentio villarum de Fontanis in pago Duismiensi, et de Fontanis siccis.

Anno 1202, Girardus li Broz de Asneriis et Margarita uxor ejus dant aliquid monasterio Fonteneti. Octobri 1273. Alexander de Monteacuto, meminit Emeingiardis. dictæ Blanchæ, quondam dominæ Sombernionis et d'Estez, tunc defunctæ.

(Ex duobus tabulariis.)

Stephano Eduensi episcopo, G. Molismensis abbas concedit locum; in quo frater Martinus eremita morabatur, ut ibi fiat abbatia fratrum regularium, juxta **564** institutionem S. Benedicti viventium.

Tempore Henrici Eduensis episcopi, et in ejus tabulis, aliquoties testis Andreas Montisbarri dominus, et Calo de Grinione.

In tabulis Stephani Eduensis episcopi, 1174, testis inter alios Brocardus de Montebarri.

Odo de Marmania, filius Bartholomæi Castellionis, et Elizabeth, in charta Gauterii Lingonensis episcopi, Bernardus de Espessa, 1196, testis.

Gauterii Eduensis episcopi tabulis, de dono Pontii de Chaaceio, et Milonis fratris ejus, anno 1198, subscribunt dominus Bernardus de Montebarro et Rainerius de Saigniaco, milites.

In charta Stephani Eduensis et Galteri Lingonensis, episcoporum, 1173, mentio Bernardi Nariodi.

Anno 1202 in charta Gauterii Eduensis episcopi, super donis Rainardi militis de Curcellis, inter testes, Bernardus dominus de Spissa.

Simeon de Montebarro miles, 1209, in tabulis Haymonis archidiaconi Flaviniacensis.

Anno 1198, testis inter alios Bernardus de Montebarro, in charta Gauterii Eduensis episcopi, de concordia inter Fontenetenses et Ungiacenses super quibusdam nemoribus.

Nicholes de Mombar, chevalier, en juin, 1277.

Hugo de Montebarro, in charta Humberti Eduensis episcopi, tempore Vilelmi Fontenetensis abbatis.

Mense Augusto anni 1282, Huo de Saigneyo miles de consensu Mariæ uxoris suæ, vendit quamdam vineam suam abbati et conventui Fontenetensi.

565 Aaliz ducissa Burgundiæ litem diruit inter Fontenetenses et Arnulphum, militem de Eschalo, super quibusdam usagiis et pasturis.

In tabulis Aalydis ducissæ, 1227, mense Augusto, mentio domini Girardi de Sauz; secundum cujus porgivationem, metæ quædam constituuntur inter Eschalo, Estalante, et Poiseus, arbitrio Gervasii, capellani de Estalante.

CXXII.

Joannes miles de Montebarro, filius Beatricis. 1230.

(Ex tabulario Fontenetensi.)

Guillelmus abbas, lib. I. De Vita S. Bernardi, cap. 9 : *Narrare*, inquit, *solet venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti viri et propinquus sanguine, et in conversione socius, et extunc per omnia individuus comes.* Bernardus abbas Bonævallis, lib. II. De Vita S. Bernardi, cap. 5 : *Aderant ei in consiliis venerabiles fratres sui; aderat Godefridus prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne et spiritu, vir sapiens et constans, qui etiam religionis et prudentiæ merito, postea in Ecclesia Lingonensi factus episcopus, et sanctitatis formam retinens, et dignitatis in qua est honorem non minuens, usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseverat.* Propinquum dicunt carne et sanguine; propinquitatis neque gradum, neque lineam exprimunt. Charta Fontenetensis Godefridum patris ejus Thecelini fratrem facit : quod si esset, Godefridum certe hi auctores, S. Bernardi aut patruum, aut ex ævi sui usu avunculum dixissent. Alia igitur quærenda est horum inter se sive consanguinitas, sive affinitas.

C

Rainerius miles, frater Godefridi Lingonensis episcopi memoratur in tabulis anni 1141, quibus Barrenses Ecclesiæ Adoni S. Eugendi abbati adjudicantur, contra Adalardum abbatem et monachos Melundenses. Hunc vero Rainerium dominum fuisse Acrimontis, filium Ulrici sive Odolrici, fratresque habuisse Ulricum canonicum, **631** et Gerardum Sineterra, docere nos videntur tabulæ abbatiæ Morimundi, cujus ille Odolricus fundator fuit. Si res ita se habet, affinitatem S. Bernardi cum Godefrido ostendet locus supra a nobis relatus ex Chronico Alberici Triumfontium monachi. Guido enim de Acrimonte (qui uxorem duxit Hescelinam dominam de Mulleio, filiam Holdoini de Jonevilla) frater fuit uterinus Thecelini Sori de Fontanis, et Holdoini atque Haynonis de Colombeo; frater autem ex patre tantum, Ulrici sive Odolrici Acrimontis domini, cujus in fundo abbatia Morimundi posita est. Quare, cum Odolrico filium fuisse Rainerium constet ex tabulis Morimundensibus, si huic Rainerio frater fuit Godefridus, hi certe patruum habuerint Guidonem de Acrimonte, qui Thecelini Sori frater matruelis fuit. Et hæc fuerit Godefridi cum S. Bernardo propinquitas; quod eorum patres, vere quidem fratres non essent; communem tamen fratrem haberent Guidonem de Acrimonte, Ulrici fratrem patruelem, matruelem Thecelini : quæ est affinitas, non quidem legalis seu civilis seu canonica, sed popularis, ac jampridem in vulgi usus recepta.

D

Fateor dici hæc posse haud improbabiliter. Obtare nihilominus videntur tabulæ Morimundenses, quibus Godefridus Lingonensis episcopus ratum habuit donum cujusdam terræ, quam *Rainerius dominus Acrimontis, consensu et laude fratrum suorum Ulrici canonici et Gerardi Sineterra, Morimundo concesserat.* Quomodo enim episcopus in iis tabulis hos fratres suos esse ne verbo quidem indicavit? Fratrem igitur Godefridi episcopi potius existimaverim fuisse Rainerium de Rosa, qui duodecies **632** minimum appellatur in prima et secunda magnis chartis Fontenetensibus, memoraturque Nivardi frater, et maritus Milesendis S. Bernardi consobrinæ, quippe sororis Bernardi Montisbarri domini, adeoque patre natæ Rainardo S. Bernardi avunculo. Idem Rainerius de Rocha, seu de Rochia octies subscriptus legitur inter testes magnæ tabulæ de fundatione Albæripæ, anno 1135 confectæ, amore, opinor, Cisterciensis instituti, ac præsertim Clarævallis, unde Albaripa derivata est, in qua et fratrem, et cognatos atque affines plerosque habebat. Firmat autem conjecturam nostram, quod Rainerius hic etiam frequentior interfuit donis in Fontenetenses collatis, quibus primum abbatem constat præfuisse Godefridum. Hæc si vera sunt (ut sunt sane vero quam simillima), pronum cuique est Godefridum episcopum agnoscere S. Bernardi *propinquum in carne* et *spiritu*; quia illos et propositi communis ratio, et quædam etiam sanguinis affinitas conjunxerat. Nam frater ejus qui consobrinam duxerit, quamvis nullum ad gradum civilis aut canonicæ affinitatis pertineat, tamen hodie in usu vulgi et censetur affinis et dicitur; multoque magis in consuetudine id fuit S. Bernardi ævo, ante concilium Lateranense anno 1215, cum longe latius protenderentur affinitatum et consanguinitatum gradus, etiam in ordine ad matrimonia.

633 CAPUT V.

Neptis Bernardi Montisbarri domini, comitis autem Grinionensis filia, non fuit uxor Roberti Burgundiæ ducis; neque Montisbarri comitatum in Burgundiæ ducis dominium intulit, ut habet Charta Fontenetensis pars secunda.

Multiplex hic labes in Charta Fontenetensi Roberti Burgundiæ ducis, ejus nominis secundi uxo-

Digitized by Google

rem unicam agnoscit historia, Agnetem S. Ludovici Francorum regis filiam; quæ illi copulata ex anno 1272, multos ei liberos genuit; eique mortuo die nona Octobris anni 1309, ad annos octodecim superstes fuit. Deinde, ut non fuerit Agnes Roberti ducis conjux, quomodo Bernardus Rainardi Montisbarri domini filius, qui circa annum Christi 1130 in vivis fuit, neptem habere potuit ex filia Grinionensi comitissa, tanto centum et quadraginta annorum intervallo adhuc superstitem?

Quod additur in charta transiisse comitatum Montisbarri in dominium Burgundiæ ducum ex anno 1286, imperante Hugone quodam duce Burgundiæ, nihil veri continet. Nam per ea tempora titulo comitatus non gaudebat Montisbarri toparchia; et anno illo 1286. Dux erat Burgundiæ Robertus II: et jam multo ante Monsbarrus ducum ditioni accesserat, ut ostendit Petrus Roverius in Reomao, illustratione 138; ubi laudat tabulas quasdam Reomaenses anni 1235, ex quibus constat Hugonem IV, Burgundiæ ducem, Montisbarri jurisdictione tunc potitum, eamque per præpositos exercuisse. Quod et confirmatur ex ejusdem Hugonis IV testamento, dato ad annum 1272, quo uni ex suis liberis Montembarrum hæreditario jure transcribit. Translati ad duces dominii 634 Montisbarri tempus ac rationem infra aperiemus.

CAPUT VI.

Roberti Burgundi conjugis genus perperam edixit Charta Fontenetensis.

Hanc conjugem ex patre Tornodorensem profert Charta, ex matre porro, Hugonis neptem, proneptem Godefridi, abneptem Andreæ Castellionensis, quem S. Bernardi patruum facit. Omnia hinc falsa, ut ex dictis intelligi potest: hoc loco tantum ostendo male hanc dari Roberto Burgundo uxorem. Etenim Roberto de quo agitur Roberti II Burgundiæ ducis filio conjux fuit Joanna de Cabilone, filia Guillelmi de Cabilone, Antisiodorensis et Tornodorensis comitis, atque Alienoræ sive Elienoræ filiæ Amedei VI Sabaudiæ comitis. Quippe Guillelmo materna hæreditate obvenerat comitatus Antisiodorensis, Tornodorensis porro ex Januario anni 1292, a matertera Margarita, relicta Caroli Andegavensis, Jerusalem et Siciliæ regis, et comitissa Tornodorensi; cujus pietatis illustre monumentum exstat xenodochium Tornodori ab ea fundatum, in quo et sepulta est. Joannæ Guillelmi filiæ frater fuit Joannes de Cabilone; cum quo sic divisa est hæreditas, ut fratris esset comitatus Antisiodorensis, ipsa Tornodorensi potiretur: quem deinde anno 1321 pro dote attulit Roberto Roberti II ducis filio, sancti vero Ludovici regis nepoti ex Agnete matre, ejus filia. Constant ista non tantum ex historiarum genealogicarum probis aliquot scriptoribus, sed etiam (et multo certius) ex compluribus quas legimus, autographis tabulis. Joannis et Joannæ Cabilonensium mater Elienor Sabauda, post obitum Guillelmi 635 conjugis, Drogoni de Melloto domino de Sancta Hermina, circa annum 1307 secundis nuptiis copulata est.

CAPUT VII.

Expenduntur quæ de duobus Drogonibus de Melloto, et horum junioris conjuge Eustachia refert Charta Fontenetensis; ac via aperitur qua Espissiæ toparchia e Montisbarri familia ad hos Drogones devenit.

Bernardino Monsbarrensi, inquit chartæ auctor, filia fuit, quæ Drogoni de Melloto anno Christi 1253 desponsata, alterum ei genuit Drogonem, maritum Eustachiæ, regis Anglorum Edouardi consobrinæ: quæ in S. Ludovici comitatu virum secuta, obiit Carthagine, relicto in mandatis ut ejus corpus ad Fontenetum reveheretur; ubi jacet cum epitaphio præferente annum 1270.

Id quidem certum est, Eustachiam Drogonis conjugem fuisse Edouardi regis consobrinam; in reliquis fides nulla. Nam fabulosus est Bernardinus de Montebarro; nec ulla unquam stirpis hujus puella in Drogonum de Melloto familiam enupsit. Rem altius repeto, et ex toparchiæ de Espissia per has familias transitu illarum inter se affinitates sic explico.

Andreæ Montisbarri domino, Bernardi filio, Rainardi nepoti, uxor fuit Helvydis Espissiæ domini, cujus obitus VII Kal. Decembris in Necrologio Fontenetensi, ut opinor, filia hæres. His parentibus natus est Bernardus dominus Espissiæ, qui anno 1210, rata habuit dona, quæ mater ejus Helvydis, IV Kal. Februarii defuncta Fontenetensibus contulerat: nec diu matri superstes, jam mortuus 636 memoratur mense Octobri 1215, relictis tribus filiis, videlicet Andrea, qui dominus erat Espissiæ adhuc anno 1232, Bernardo domicello domino de Vi, et Guidone Lingonensi et Antisiodorensi canonico. Sed vita functo seniore Andrea, ejus relicta Helvydis Hugoni domino de Ulmo (de l'Orme) secundis nuptiis conjuncta est, eique genuit filiam, cognomine Helvydem de Ulmo, per quam maritus ejus Drogo de Melloto, dominus erat Espissiæ jam ex anno 1247, nempe post Andream, ut conjicere est, improlem, Bernardi uxoris suæ fratris uterini filiam. Porro Drogo hic, primus e sua familia Espissiæ dominus, Drogonis Eustachiæ mariti non pater, sed avus fuit, ut ex pagina 581 intelliges, et ex brevi hoc schemate.

HELVYDIS domina Espissiæ duos habuit viros, ANDREAM, dominum Montisbarri, et HUGONEM dominum de Ulmo.

Ex ANDREA viro priore		Ex HUGONE viro posteriore.
BERNARDUS de Montebarro, dominus Espissiæ 1210, 1215.	ALAIS uxor Odonis secundi comitis Grinionensis.	HELVYDIS de Ulmo, uxor DROGONIS de Melloto, per illam domini Espissiæ jam anno 1247.

Digitized by Google

Andreas dominus Espissiæ 1215, 1252.	Bernardus domicellus, dominus de Vi.	Guido canonicus, 1215, et 1220.	Drogo de Melloto, dominus Espissiæ, cujus uxor filia Anserici domini de Montreal. Adhuc vivebat 1269. Drogo de Melloto, dominus Espissiæ. Uxor Eustachia de Lusignan consobrina Edouardi I Anglorum regis, per aviam paternam communem, Isabellam Engolismensem. Adhuc in vivis erat Drogo 1290

637 Ex his videre est dominorum de Melloto illustrem familiam maternæ S. Bernardi lineæ affinem quidem fuisse, sed non consanguineam. De Drogonis Eustachiæ mariti profectione transmarina in S. Ludovici comitatu, deque Eustachiæ ipsius anno et loco obitus, fides esto penes chartæ auctorem. Nam annus 1276, supra annotatus, pagina 582, ejus nuptias non spectat, sed quiddam a Drogone de Melloto pro vindicanda patrui Eustachiæ nonnulla hæreditate gestum, ut recentiore epistola me admonuit vir clarissimus dominus Du Bouchet. Vidimus in æde Fontenetensi, inter chorum et altare majus, a parte Evangelii, monumentum e nigro marmore quod Drogonis et Eustachiæ conjugum esse dicitur, sed epitaphium quod æreæ laminæ marmori affixæ præferebant, bis jampridem avulsis nullum superest. Alii sunt nævi Chartæ Fontenetensis non pauci, ac præsertim in ordine Tecelini et Aalysiæ liberorum. Nam Humbelinam velut ultimo loco natam exhibet, quam asserit Joannes Eremita fratrem suum beatum Bernardum nascendi ordine consecutam, adeoque inter sex fratres mediam, ex illis tres ætate priores, totidem posteriores numerasse; cæteros chartæ defectus aperient quæ nos infra, purioribus ex fontibus hausta, de tota S. Bernardi affinitate et consanguinitate dicturi sumus. Nunc igitur hujus argumenti tabulas aliquot proponamus, in quibus quæ hactenus vel in Diatriba, vel in ejus Probationibus confuse et promiscue sparsa sunt, facili perspicuoque ordine digesta colligantur.

638 CAPUT VIII.

Tabula 1, *paterni generis S. Bernardi, ex Alberico Trium-fontium monacho.*

Locum ex Alberici Chronico supra dedimus, pagina 416. A Tecelini matre, S. Bernardi avia paterna hanc seriem cum illo sic deducimus.

N. mater Tecelini duos habuit maritos,

Priorem N., ex quo		Alterum Fulconem de Sarcellis, ex quo	
Tecelinus Sorus dominus de Fontanis.	Holdoinus	Hayno de Colombeo.	Guido de Acromonte, cujus uxor Hescelina Jouevillensis, domina de Mulleio.
S. Bernardus.	N. Holdoini proles. Albricus de Esmandiis.	Adelinus.	Werricus. Galtherus de Mulleio.

His addit Albericus, Fulconi de Sarcellis, antequam Tecelini matrem sibi desponderet, alteram fuisse uxorem, ex qua natus est Ulricus sive Odolricus dominus Acrimontis, fundator Morimundi. Hujus porro Odolrici tres filios memorant tabulæ Morimundenses; Rainerium dominum Acrimontis, Ulricum canonicum, et Gerardum Sineterra, quibus quartus fortasse accessit Godefridus Lingonensis episcopus; quod tamen certis de causis minus probatum nobis est Appendicis hujus capite quarto.

Ignoti nominis aviam paternam S. Bernardi fuisse domo **639** et familia Granceianam conjectura est primum ex Chronico Granceiano, quod etsi in multis fabulosum est, in hoc tamen haud spernendum videtur quod ait prisco ævo de Granceiani toparchæ filiabus unam fuisse ex marito dominam de Fontanis. Nam in castro Granceio adhuc exstat vetusta turris, quæ dicta est post omnem memoriam et hodieque dicitur Turris S. Bernardi, quod ipse, dum cognatos suos subinde inviseret, in ea diversatus fuisse credatur. Nihilominus cum potuerit Guido S. Bernardi frater primogenitus ex Granceiana familia duxisse uxorem, quæ per illum fuerit domina de Fontanis, in hoc dubio nolim definitè quidquam affirmare; sed tantum cum disjunctione, nimirum quod ex matre Tecelini, aut Guidonis uxore, alterutra fuerit aut Eva de Castellione, aut Granceiana, ita ut si prior fuit Granceiana, fuerit posterior Castellionensis; et vicissim, si prior fuit Castellionensis, altera fuerit Granceiana.

Cæterum ex his Tecelini uterinis fratribus manasse videtur S. Bernardi consanguinitas sive affinitas cum matre Ascelinæ sanctitate claræ virginis, quæ ut in Chronico Clarevallensi ex Goswino refertur, *beati Bernardi, et episcopi Godefridi fuit consanguinea, de villa juxta Firmitatem super Albam procreata.* Itemque cum Josberto domino ejusdem Firmitatis ad Albam, cujus ille asseritur *secundum carnem propinquus*, Vitæ libro 1, cap. 9, in quo et primum signum fecisse dicitur novus abbas. Quod si, ut verisimile est, jure propinquitatis obvenit Josberto Firmitas, quam paucis ante annis possederat S. Simon ex comite monachus S. Claudii seu S. Eugendi Jurensis; vel hinc deprehendere est Josberti, adeoque S. Bernardi **640** genus perquam illustre, cum S. Simonem constet etiam Francorum

Digitized by Google

Anglorumque reges, legitimæ originis sanguine contigisse, uti alio in opere nondum edito, pluribus a nobis demonstratum est. De Josberto filio, opinor, potius quam de parente cognomine accipiendum est illud tabularii Clarevallensis, quod *Odo Campaniensis et Sibylla ejus uxor laudaverunt totam eleemosynam quam Josbertus de Firmitate dederat fratribus de Claravalle.* Cumque Josberti hujus magna exstent in Clarevallenses beneficia, opinari licet irrepsisse mendum in historiam Pontificum Romanorum et S. R. E. cardinalium, Romæ anno 1630, typis Vaticanis editam, ubi habetur in Paschali papa II, pag. 461, monasterium Clarevallense *Roberti viri illustris impensa* fuisse ædificatum. Reponendus enim videtur Josbertus pro Roberto, cum Roberti per illa initia de Clarevallensibus bene meriti, nulla in eorum tabulis fiat mentio.

641 CAPUT IX.

Tabula II *materni generis S. Bernardi.*

Constat hæc tabula, uti et sequentes aliæ, fere ex iis quæ præmisimus, cui tamen, ubi opus erit, nonnullarum ejus partium brevem enarrationem subjiciemus.

TABULÆ PARS PRIOR.

1. BERNARDUS dominus Montisbarri. — HUMBERGA [ejus] uxor.

2. RAINARDUS dominus Montisbarri UXOR AANOLDIS. — AALAYS UXOR TECELINI Sauri. — DIANA UXOR OTHONIS de Castellione. — ANDREAS, miles templi. GUALDRICUS dominus Tullionis, postea monachus.

3. S. BERNARDUS cum sorore et quinque fratribus. — ROBERTUS abbas Domus Dei. — MILO prior Fonteneti et Converso.

TABULÆ PARS ALTERA.

2. RAINARDUS dominus Montisbarri. — UXOR AANOLDIS.

3. BERNARDUS dominus Montisbarri. — N. UXOR primum FERGANNI HELIBANNI Comitis Grinionensis; postmodum RAIMUNDI de Burgundia, item comitis Grinionensis; aut certe ejus socrus. (*Vide sequens caput decimum.*) — MILESENDIS uxor REINERII de Rocha.

4. ANDREAS dominus Montisbarri. UXOR HELWIDIS Espissiæ domina, quæ postea nupsit HUGONI de Ulmo. — MATHILDIS Raimundi filia ex Agnete de Montepenserio secunda ejus uxore; conjux autem Odonis de Yssodun comitis Grinionensis.

642 5. BERNARDUS de Montebarro, dominus Espissiæ. — ALAYS Montisbarri domina, uxor Odonis de Yssodun, comitis Grinionensis hujus nominis secundi, Odonis I et Mathildis filii.

ANDREAS dominus Espissiæ. — BERNARDUS domicellus, dominus de VI. — GUIDO canonicus Lingonensis et Antisiodorensis.

1. BERNARDUM Montisbarri familiæ caput, quod quidem novimus, indicavit nobis Joannes Eremita, itemque auctor Chronici S. Petri Vivi Senonensis: quo etiam ex auctore compertam nobis esse ejus conjugem Humbergam, atque alterutrius originem ex comitibus Tornodorensibus, supra monuimus in Diatriba. Ab avo materno S. Bernardus, ab avia soror ejus Humbelina appellationes traxere. Hanc enim non tantum Humbelinam, ut vulgo creditum est, sed etiam Humbergam fuisse nuncupatam, docuit nos vetus auctor Vitæ sanctissimi viri Petri prioris Juliacensis. Nec plane diversa hæc nomina, sed illud ex isto formatum eo more quo solent infantium ac puerorum nomina quadam adblandientium teneritudine amoris diminutione molliri. Quare dubitandum mihi non videtur quin soror S. Bernardi, primum in baptismo de aviæ maternæ nomine Humberga appellata sit; ac deinde per infantiæ pueritiæque annos Humbelina dicta, postmodum in matrimonio, et denique in monasterio verum suum ac primitivum Humbergæ nomen receperit.

2. Rainardus scribi debet, ex Chronico Senonensi, ex prima magna Charta Fontenetensi, et ex tabulis Godefridi 643 Lingonensis episcopi; qui male in Fontenetensi Genealogia Regnaldus seu Regnaudus. Aanoldem ejus uxorem prima eadem Fonteneti magna Charta autographa nos docuit. Ab his duntaxat propagatum Monsbarrensium toparcharum genus, quod tabulæ hujus docet pars altera.

2. AALAYS sive AELAYS; utroque enim modo eam appellat Joannes Eremita; quæ in Necrologiis Benignianis Alasya et Alaysa; aliis passim Aalys, Alays, Ælaydis, Æleth, Aleth; quæ idem sonant, et eodem recidunt omnia. Hæc vere septem liberorum dupliciter parens, quia illos et mundo et Christo genuit.

2. DIANA uxor Othonis de Castellione, de familia Montisbarri, ad annum Christi 1107, ex Recensione tabularum Saffrensium quæ nisi fallit, Dianam opinor matrem fuisse Roberti abbatis domus Dei, ad Carum amnem in Biturigibus. Hunc enim S. Bernardi sobrinum, matre scilicet natum quæ S. Bernardi genitricis soror erat, affirmat Joannes Eremita; addens quæ de Alaydis S. Bernardi ma-

Digitized by Google

tris obitu mirabili narrat, accepisse se ex ore A cave existimes id muneris eum adhuc conversum
hujus Roberti abbatis, qui, inquit, *magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit*. His congruit quod et in vulgata S. Bernardi Vita, et in Exordio Cisterciensi legimus fuisse Robertum hunc S. Bernardi *secundum carnem propinquum*; vel apud Petrum Cluniacensem, lib. VI, epist. 35, *sanguine proximum*. Quod vero prima illa S. Bernardi epistola, *in medio imbre sine imbre* scripta titulum præfert *ad Robertum nepotem suum*, aut epistolarum collectoris hallucinatio est, aut ea loquendi ratio ad illum morem pertinet olim usitatissimum, ut jam 644 alii observarunt, quo nepos dici solebat etiam patruelis, aut consobrinus, aut amitinus, si modo patrueli suo, aut consobrino, aut amitino esset ætate inferior, vel patre aut matre B junioribus genitus. Ex quo licet conjicere Alayde S. Bernardi parente fuisse Roberti matrem ætate inferiorem; et Robertum, cum ad eum S. Bernardus scriberet, adolescentem ac pene puerum fuisse intelliget quisquis primam illam S. Bernardi epistolam legerit et Guillelmum abbatem, lib. I De Vita S. Bernardi, capite undecimo.

2. ANDREAS miles Templi, ad quem est epistola S. Bernardi 288, avunculum eum prænotans, qui et avunculus dicitur Bernardi Montisbarri Domini, patre nati Rainardo S. Bernardi avunculo. Quas illi proles assignat Genealogia Fontenetensis, nullo modo eum spectant.

2. GUALDRICUS. De hoc Vita S. Bernardi, lib. I, C cap. 3: *Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, pedibus, ut aiunt, ivit in sententiam nepotis, et consensum conversionis, vir honestus, et potens in sæculo, et in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio Eduensi, quod Tuillium dicitur*. Hic monendus es, mi lector, duo esse castra in Æduis ejusdem fere appellationis. Alterum Tillium in pago Aliensi, vulgo *Til*; alterum Tullium, quod in Tabulis Fontenetensibus Tullio, vulgo *Touillon*, cujus olim possessor Gualdricus. In hoc Tullione est decanatus foraneus, sive archipresbyteratus Æduensis diœcesis, numero 19. Abest Tillium a Montebarro quinque circiter leucis horariis, Tullio vix dualibus. Concessit Tullio in ditionem monasterii Fontene- D tensis; at non Tillium, a quo denominati in hoc opere 645 complures; et inter cæteros, ad annum 1174, Hugo Peccatum de Til. Ubi mirari licet viri humilitatem, qui se non tantum peccatorem cognominari voluit, ut alii permulti; sed Peccatum, quod solum a se habet homo; de anima, de corpore, de aliis suis bonis omnibus Deo auctori debitor. Porro in prima magna Charta Fontenetensi asseritur Waldricus hic jam tum monachus, cum fratre suo Milone converso, et Martino eremita, abbatiæ Fontenetensis primus ædificator.

2. MILONEM vero S. Bernardi avunculum, tunc conversum, si postmodum priorem Fontenetensem legis, quod ex nonnullis tabulis colligi videtur, gessisse. Hoc enim in Ordine Cisterciensi nunquam licuit; sed pro certo habe Milonem qui humilitatis affectu, primo suo in Ordinem ingressu, inter conversos profiteri voluerat, postea dignum a præfectis judicatum qui monachus fieret, etiam monachis apud Fontenetum, cui domui initium dederat, aliquandiu præfuisse. Hunc ex anno 1113, abdicata sæculi vanitate, Cisterciium in S. Bernardi comitatu se recepisse colligimus ex Chronico Senonensi.

CAPUT X.

Enarratio alterius partis tabulæ hujus secundæ, ubi de antiquis comitibus Grinionensibus quædam notatu digna.

3. Bernardus dominus Montisbarri, in tabulis Godefridi Lingonensis episcopi asseritur Rainardi filius, Andreæ vero pater. Milesendis quoque in prima magna Charta Fontenetensi hujus Bernardi soror memoratur, et Rainerii conjux: quem, ut probabilius, putamus 646 Rainerium de Rocha, eumdemque fratrem Godefridi episcopi, unde hujus affinitas cum S. Bernardo.

4. ANDREÆ uxor Helvidis Espissiæ domina, quos illi filios genuerit, quosve Hugoni de Ulmo, cui secundis nuptiis copulata est; qua item ratione per ejus filiam cognominem, nempe Helvidem de Ulmo, Espissiæ toparchia ad Drugones de Melloto derivata sit, supra jam satis explicuimus.

De comitibus Grinionensibus, quæ olim illos cum familia Monsbarrensi affinitas conjunxerit, operosius est investigare. Citatæ tabulæ Godefridi episcopi hæc habent: *Divisio quoque terrarum inter Fontanas et Segestrum, sicut facta jam dudum fuerat in præsentia comitissæ, amitæ ejusdem Andreæ, ubi et lapideæ metæ positæ sunt*. Erat Andreæ, ut diximus, avus Rainardus, Bernardus vero pater, quare Andreæ amita Bernardi soror fuit, Rainardi porro filia. At unde comitissa, nisi a marito comite? aut cujus tandem comitis uxor fuit, nisi Grinionensis, qui loco proximus Montisbarri castro, et multorum circa locorum primarius dominus? Aringiarum territorium cum Rainardus Montisbarri dominus Fontenetensibus contulisset, ratum id esse debuit Grinionensis comitis auctoritate et consensu; sic enim habet prima magna Charta Fontenetensis, numero 1: *Hoc quoque cum magna benevolentia laudavit dominus Fergannus Grinnionis consul*. Sub alio dono Leobaudi de Grinione, et Humbaudi de Rubeomonte. *Hujus rei testes fuerunt consul Grinionis Helirannus Fercannus, Gothefridus de Sagniaco*, etc. In hac ipsa prima charta non semel appellatur Bernardus dominus Montisbarri, ut de Ferganno Grinionensi comite 647 suspicari liceat fuisse illum Rainardi generum, Bernardi sororium, et conjugis charissimæ intuitu seu rogatu, de ejus consanguineis, Fonteneti vel monachis vel fundatoribus bene mereri studuisse.

Post Fergannum, rediisse constat comitatum Grinionensem ad dominium principis, nempe Hugonis II

Digitized by Google

Burgundiæ ducis. Hic enim laudante ducissa Mathilde uxore sua dedit ecclesiæ Fontenetensi quidquid habebat apud Puteolum Francum : qui locus, ut habent tabulæ, descendebat de dominio Grinionis castri, cujus ipse dux erat dominus. Et translati hujus dominii non alia rationabilior causa occurrit, quam quod Ferganus vel improlis, vel absque prole mascula e vivis excessisset ; quippe illa præsertim primariæ clientelæ feuda solis masculis a principe committebantur, hac tamen feminarum hæredum plerumque ratione habita, ut quos maritos nactæ essent, illis ea prædia cum honorum titulis conferrentur.

Ad hæc certum nobis est ex tabulis Henrici Æduensis episcopi, anno 1165, datis, Raimundum Hugonis II ducis filium, et fratrem episcopi Henrici, fuisse comitem Grinionensem, etiam antequam *Mathildis matrem duxisset uxorem*, quæ Mathildis matre nata Agnete de Montepencerio, paternum comitatum Grinionensem Odoni de Issolduno in dotem tulit. Dederat enim Raimundus comes Fontenetensibus *quidquid ejus chasati de dominio Grinionis eis darent de chasamento suo, sic tamen, ut chasatum non perderet*. Hæc igitur dederat jam comes Grinionensis, nondum autem Agnetis maritus. Ex quo licet conjicere collatum Raimundo ab Hugone patre Grinionensem comitatum, cum ille Ferganni comitis vel 649 relictam viduam vel filiam sibi despondisset.

Per id tempus, observatu dignum est ex prima magna Charta Fontenetensi Walterium constabulum dominum fuisse Montisbarri, non castri, opinor, sed tantum burgi seu villæ, et de beneficio primarii domini Rainardi, seu Bernardi ejus filii, qui castrum obtinebat. Id possessionis olim nobis visum est evenisse Walterio constabulo, ex ejus conjugio cum aliqua Rainardi sorore, et ea fortasse quæ Roberti Domus-Dei abbatis mater fuit, ac S. Bernardi matertera. Sed alia nunc sese offert haud paulo verisimilior ratio quod, comitatum Grinionensem tunc obtinente Hugone duce, ille ejus militiæ præfectus missus ab eo sit ad aliquod tempus, in dominium utile villæ Montisbarri, ut Ferganni olim comitis relictæ Bernardi Montisbarri domini sorori dotalitia jura vindicaret, in ejus vel secundum conjugem, vel generum Raimundum refundenda. Ignosce, lector, velut cæco in hac monumentorum penuria, in his tenebris conjecturas tanquam umbras palpanti, et ubi certa non suppetunt, saltem vero similia æqui bonique consule.

5. De Alayde, haud scio an in melius quid incurrerim. Hujus nominis Grinionensem comitissam Odonis de Yssolduno junioris conjugem supra exhibuimus ; quam et Andreæ Montisbarri domini filiam, Bernardi autem de Montebarro Espissiæ domini sororem haud levi conjectura pronuntiavimus. Quod monuit eruditus quidam amicus ex Rigerio in Chronico Lerinensi, fuisse Alaydem hanc primum Archembaldi de Borbonio uxorem, tum hoc mortuo duxisse Odonem de Deols, unde illam asserit et Odonis II, Burgundiæ ducis filiam, et 649 Odonis de Yssolduno junioris conjugem, non me ab ea quam proposui sententia dimovet. Fateor ego quidem Alaydi huic Burgundæ maritum fuisse Archembaudum de Borbonio, ejus nominis, ut Duchesnius numerat, septimum, nego illam eamdem Odoni de Yssoudun juniori fuisse matrimonio junctam, argumento triplici : Primum, ob nimiam illorum sanguinis propinquitatem ; cum certum sit, Raimundi, qui avus erat maternus Odonis hujus Yssoldunensis, fratrem fuisse Odonem ducem, adeoque Alaydem et Odonem Yssoldunensem fuisse in secundo et tertio gradu consanguineos. Quibus in gradibus nulla concessa esset incestum eluens dispensatio, præsertim ante concilium Lateranense anni 1215, cum ad septimum usque affinitatis aut consangulnitatis gradum vetita essent matrimonia. Secundo, ob temporum et ætatum improportionem ; nam Alays Archembaldum priorem virum amiserat ex anno 1169, cum Odo de Yssolduno Mathildis Burgundæ filius adhuc esset sub nutricum aut gerularum cura, certe pueriles annos nondum excessisset. Id nos docet Mathildis patruus Henricus Æduensis episcopus, cum eam Odoni de Yssolduno seniori recens desponsatam, adhuc puellam nuncupat anno 1165. Quanam igitur ratione Alays post quadriennium Archembaldi relicta, Mathildis patruelis suæ junioris filium adhuc infantulum sortiri conjugem potuit ? Tertio denique, quia anno 1201, jam Alays inter Fontis Ebraldi moniales velata erat, ut videre est apud Duchesnium in Probationibus antiquæ familiæ ducum Burgundionum. At anno 1212, Alays Odonis Yssoldunensis relicta, adhuc in sæculo degens, Radulphi filii sui testamento interfuit.

650 Si qua ergo fides habenda est Chronico illi Lerinensi, capiendum illud opinor de Odone de Deols, qui patris Odonis de Yssolduno junioris consobrinus seu patruelis fuerit, adeoque Alaydi ætate propior. Nam ut monet Duchesnius, Odo maritus Mathildis, et junioris Odonis pater, filius fuit Gaufridi, filii Odonis, fratris Radulphi de Deols. Quare, in hujus gentis genitali arbore, ramus familiæ Yssoldunensis, a ramo familiæ de Deols, in Odone Alaydis marito quarta jam fissura erat divisus. Quærendus ergo est Alaydis Archembaldi relictæ secundus maritus in ramo de Deols ejusque fissura superiore. Unde etiam nonnulla apparet horum conjugum propinquitas, cujus mentio in Chronico Lerinensi, in eo videlicet quod Odo de Deols Radulphi vel filius, vel nepos, et ejus cognatus Odo de Yssoudun comes Grinionensis ejus nominis primus, uxores habuerint Alaydem et Mathildem patrueles.

Sto igitur in conjectura mea, cujus causas pagina illa 560, aperui, videri Alaydem Odonis junioris comitis Grinionensis conjugem, de Montisbarri familia, Andreæ filiam, Bernardi sororem, cujus si qua esset quærenda cum marito affinitas, in eo appareret quod esset Odo Raimundi ex Mathilde filia nepos, qui Bernardi Alaydis avi sororem, aut ejus

Digitized by Google

fortasse, ut diximus, filiam in matrimonio habuisset.

CAPUT XI.

Tabula III, *Sombernionensem antiquam gentem in ducum Burgundiæ regiam familiam desiisse ostendens.*

Quia S. Bernardi paternum genus, quod a Fontanis appellationem habet, per Bartholomæum Sombernionensem **651** ad nostra usque tempora propagatum fuisse constat, qua de re sequentes aliquot tabulæ fidem facient; prænonere juverit, ad Sombernionensis antiquæ familiæ decus, illam in veterum Burgundiæ ducum regium sanguinem e nubentis filiæ hæredis affinitate esse transfusam.

WARNERIUS anno Christi 1020, cujus uxor ISTIBERGIS, Anna et Addila, filiæ, Gozelinus fortasse frater aut patruelis, pag. 518, 520.

WARNERIUS, inter familiares Hugonis II Burgundiæ ducis, anno 1104, p. 426.

WARNERIUS fundator abbatiæ de Aseraule, sive de Buxeria anno 1131, de quo vide in Beatrice nostra Cabilonensi, p. 185; itemque abbatiæ monalium Pratilongi, p. 442.

BARTHOLOMÆUS dominus de Fontanis, cujus posteros dabunt tabulæ sequentes.

HERVEUS, sive Arveius, p. 442.

WIDO, prænomine Rainaldus, de consensu Emengardis uxoris, Pratilongi monialium fundos extendit, 1149. Obiit pridie Kal. Septembris, p. 422, 461, 520.

GAUTERIUS, annis 1188, 1208, 1210. Obiit 1217; uxor illi Jacqua, seu Jacoba, p. 464, 466, 467, 468.

GARNERIUS dominus de Montoillot. UXOR AALIZ, p. 465, 468, 469.

GUIDO dominus de Toreis, p. 468.

HERVEUS, GAUTERIUS, annis 1217, 1220, 1225, 1252, 1253, 1242. UXOR BLANCHA, quæ et Maingerdis, marito superstes ab anno 1242 ad 1272, pag. 468, 469, 470, 474, 475, 482, 483, 484, 485, 565, 566, 567.

GARNERIUS, cui uxor ELISABETH, p. 469.

JOANNES, p. 469.
GAUTERIUS, p. 469.
AGNA monialis de Praalon, p. 469.

652 JOANNES, p. 475.

JACQUETA, uxor GUILLELMI de Monteacuto, domini de Maeleia, qui Hugonis III ducis Burgundiæ pronepos fuit, p. 476, 477, 478.

ALEXANDER de Monteacuto, dominus Sombernionis, tanquam hæres aviæ suæ maternæ Blanchæ seu Maingerdis, propinquior ab intestato, p. 477, 478, 479, 482, 483 484, 565.

CAPUT XII.

Tabula IV *Sombernionenses dominos de Fontanis recensens, usque ad Mariam Richardi filiam et hæredem.*

Paterna S. Bernardi familia, hoc est Fontanensis, a Guidone fratre ejus primogenito ad Claudium de Clerone baronem de Saffris hodie superstitem venit, per feminas hæredes quinquies intercisa. Harum prima fuit filia Guidonis, Bartholomæi Sombernionensis conjux; secunda Belota uxor Willelmi de Sauz; tertia, Maria de Fontanis Guillelmo de Marrey desponsata; quarta, Amyota de Marrey, cui maritus fuit Antonius de Sagniaco et de Saffris; quinta et ultima Maria de Sagniaco, Othenino de Clerone matrimonio juncta. Primam et secundam quarta hæc tabula dabit, cæteras reliquæ ordine suo sequentes:

BARTHOLOMEUS de Sombernone, dominus de Fontanis per conjugem N. patre natam Guidone S. Bernardi fratre primogenito, cujus soror memoratur in Chronico Clarevallensi abbatissæ de Polengeio, p. 445, 457, 463, 464, 465, 547, 87, 88.

KALO, cujus obitus XIV Kal. Septembris, 463, 464.

TECELINUS, p. 463, 464.

GIRARDUS LI BROS, dominus de Asneriis. UXOR MARGARITA 463, 457, 565.

653 BELOTHA, uxor Willelmi de Sauz, p. 573.

GARNERIUS nepos Gerardi de Asneriis, dominus Fontanarum pro tertia parte. Fundator prioratus de Bonuau subtus Talentum. Miles Templi, unde dictus homo Templariorum. Uxor Gertrudis, p. 467, 470, 471, 473, 572, 575.

JOANNES, dominus Fontanarum, pag. 573.

KALO de Sauz, dominus de Fontanis. Obiit 1270, 31 Octobris. UXOR DANNEZ, vel Dannet, p. 471, 472, 480, 481, 482.

OTHO, sive Otheninus, p. 471, 472.

HUMBERTUS. UXOR BONA.

JOANNES, p. 481, 525.

GUILLELMUS, p. 481, 593, num. 7, 10.

JOANNES, p. 523, 593, num. 11, 12.

CECILIA, p. 523.

GUILLERMETA, p. 525.

GILETUS. UXOR AGNES de Chartretes, p. 593, num. 12, 13, p. 594, num. 16, 18, 19.

MARGARETA, uxor Ugonis de Buffons, p. 594, num. 16.

DANNOT, uxor Haimonini de Montoillot, p. 594, num. 15.

HUGO. UXOR SIMONETA de Pontescisso, quæ illi genuit tres filios et duas filias, de quibus infra, et mortuo conjuge nupsit secundo Hugoni de Bera, deinde Joanni Dart tertiis nuptiis copulata, tres ei filias peperit, Joannam, Margaretam et Mariam, p. 596, num. 26, 27, p. 599, num. 34, p. 615.

MARGARETA. p. 593, num. 13, p. 596, num. 27.
GUIDO, canonicus Lingonensis p. 594, num. 18.
AGNES monialis S. Joannis Augustodunensis.
N. monialis de Lareyo, N. monialis de Loco Dei, p. 59, num. 13.

Digitized by Google

654 Joannes, p. 599, num. 34, p. 614, 616. Robertus, p. 599, num. 34, p. 615. Richardus.* Uxor Philippa de Sauz, p. 599, num. 34, p. 615, 616, p. 600, num. 39, p. 602. Elisabeth, p. 599, num. 34, p. 615; Joanna, p. 599, num. 34, p. 615.

Agnes, p. 616. Joanna, p. 616. Maria. Uxor Guillelmi de Marrey, de quibus tabula VI.

Ad paginam 529 et ad annum 1237, notatus est Hugo de Fontanis burgensis Divionensis; qui cum nec miles, nec domicellus nuncupetur, nec ulla ejus reperiatur mentio in tabulis familiam Fontanensem spectantibus, illum opinamur vel a patria dictum de Fontanis, vel fortasse quod alicujus ex dominis Fontanensibus filius fuerit nothus, et ideo legitimis non accensendus.

Occurrent præterea complures domini vel dominæ de Fontanis in excerptis nostris ex Recensione tabularum Saffrensium et Fontanensium, a pagina 585 ad 590, quos huic nostræ tabulæ ex autographis confectæ inserere religio fuit, ne certa cum dubiis confunderentur. Quam enim illa Recensio mendosa, ac tum in personarum appellationibus, tum in temporum notis deformata sit, supra monuimus, p. 617.

CAPUT XIII.

Tabula V *familiæ de Sauz, qua Fontanensem spectat. Quis Willelmus de Sauz, cujus uxor fuit Belota de Fontanis.*

Adeo clara est inter Burgundiones familia de Sauz, ut digna videatur quam peritus aliquis genealogus justo illustret volumine. Fabulari mihi quidem videntur **655** et in verbo ludere qui ei ab oppido vulgo Saulieu, Fausti viri consularis pariter et Christianissimi sede nomen inditum putant. Id enim castrum in Itinerario Romano Sidoloucus, et in Actis sanctorum Benigni, Andochii aliorumque ejusdem scholæ martyrum, quos ædibus suis Faustus altero post Christum sæculo benigne excepit, Sedelocus nuncupatur. Porro a villa seu castello de Sauz, quod in Æduis et in agro Alisiensi haud procul a Sinemuro positum est, ne illi quidem se appellatos putant qui hodie se ex ea familia prognatos profitentur. Vera igitur gentis hujus origo, a castro est quod nunc vulgo Sauz-le-Duc, ex quo nimirum Burgundiæ ducum ditioni adjectum est: quod antiquis Sals, et Sauz, et Salionem dictum constat. Possis etiam Salices, vel Salicem efferre, post Philippum Pulchrum Francorum regem, qui, dato diplomate ad annum 1304, Guillelmum ejus familiæ caput de Salice nuncupavit. Aut ad gustum Jonæ referentis, Columbano et sociis nonum jam diem apud Anagrates ciborum penuria laborantibus, Carantocum abbatem Salicis divinitus admonitum subsidio misisse Marculfum cellerarium suum cum vehiculis largo commeatu oneratis, per saltuum avia et opaca silvarum jumentis ductu divino præcuntibus. Salicis enim nomine venire hic putamus villam hodie Sauz, inter Vesulium et Luxovium mediam, a qua distant Anagrates leucis horariis fere quinque.

De gente de Sauz pauca in præmissis sparsimus, eo duntaxat spectantes ut appareret qua ratione Fontanensis familia per Sombernionensem insita ei fuisset, nempe in Willelmo de Sauz Belotæ de Fontanis marito, cujus genus, opinor, sequens tabula haud obscurum relinquet.

656 Evilo, qui et Ebalus, Hebalus, et Eubolus, comes de Sauz. Uxor Regina, pag. 486, 487, 489, 491, 492, 546. Obiit comes V Idus Octobris, pag. 520. Willelmus, pag. 486, 487, 489.

Guido qui comitatum Lingonensem permutatione transtulit in Hugonem III Burgundiæ ducem; hic Galtero patruo suo Lingonensi episcopo, ejusque successoribus dono dedit, pag. 486, 487, 489, 490, 491, 492, 495. Girardus, pag. 486, 489. Willelmus, pag. 489, 553, 569.

Henricus, p. 491, 492, 495. Otho. Willelma uxor, p. 491, 615.

Guido, uxor Elizabeth, p. 487, 493, 494, 495, 496, 615. Hugo canonicus Lingonensis, pag. 496. Willelmus, cui ex Belota de Fontanis filii fuere Joannes, Kalo, et Otho tabula quarta recensiti, pag. 471, 472, 573.

Bartholomæus, pag. 487, 494, 495, 496. Beatrix, pag. 487, 495.

Jacobus, uxor Maria de Monte S. Joannis, pag. 497, Jacobo in transmarinis partibus defuncto, relicta ejus Maria nubit Joanni de Passavant, pag. 498.

Guillelmus. Uxor ejus Margareta filia comitis Viennensis, sepulta apud Dominicanos Divionenses, 1290, pag. 498, 499, 618. Johanneta uxor Guidonis Pleepape scutiferi, 1285, pag. 617.

Girardum de Sauz, quem exhibent tabulæ Fontenetenses ad annum 1227, consulto prætermisimus, de ejus loco proprio incerti. Sic et Guillelmum de Sauz, cujus **657** uxor Beatrix cum Joanne et Guillelmo filiis memoratur ad annum 1265. Cum alioqui dubitare vix liceat quin hi omnes, aut Evi-

Digitized by Google

lonis comitis, aut Willelmi ejus fratris posteris annumerandi sint; sed cujus e duobus, vel quo gradu, obscurum. Willelmus alius de Saux, et uxor ejus Hermengardis laudantur in tabulis Henrici Eduensis episcopi, tempore Arnaudi abbatis Fontenetensis, pag. 553. Nec diversus ab hoc fuisse videtur Willelmus is, qui tempore Godefridi Lingonensis episcopi, et Rainerii Albæripæ abbatis memoratur pag. 489. Nam ordinatum constat abbatem Rainerium anno 1158, ut docet pagina 569. Abdicavit autem Godefridus episcopus anno 1161, ex Chronico Clarevallensi, pag. 82. Quare, datum videtur diploma Godefridi haud procul anno 1159: quo in diplomate mentio est Willelmi de Sauz, fratris Evilonis comitis; et ex horum fratrum præjudicio, Willelmi de Sauz junioris calumnia refellitur. Unde Willelmum hunc juniorem prioris cognominis filium haud improbabiliter statuimus. Sed adhuc propius quærendus est nobis Willelmus Belotæ maritus, hac videlicet ratiocinatione.

Othonis de Sauz, cujus avus fuit Evilo, sive Hebalus comes, liberorum mentio est in tabulis de comitatus Lingonensis alienatione anno 1179 confectis. Hos ego liberos puto Guidonem Elizabethæ maritum, qui ejus primogenitus asseritur in diplomate Benigniano, pag. 613. Hugonem canonicum Lingonensem, et Willelmum cui data in conjugem Belota de Fontanis, Joannem, Kalonem et Othonem sive Otheninum filios genuit; fortasse et Elizabetham de Fontanis, cujus liberi **658** et Guiardus et Adelina in tabulario Clarævallis, ad annum 1223; sed hoc non usquequaque certum. Firmat vero nexum hunc, non tantum ratio temporis; sed etiam nominatim quod Willelmum Belotæ conjugem, horum Otho filius; cui ab avo nomen inditum suadet ævo illo mos receptissimus, quo de avorum nominibus nepotes plerumque appellabantur.

CAPUT XIV.

Tabula VI *familiæ de Marey in S. Bernardi paternam lineam insitæ per Mariam de Fontanis.*

Hæc tabula, uti et præcedentes, et quæ mox sequentur, ex autographis duntaxat a me inspectis confecta est, nulla prorsus ratione habita Recensionis illius, de cujus dubia fide supra monuimus. Mariam de Fontanis præfert in fronte, uxorem Guillelmi de Marey, per quam in plerasque Burgundiæ illustres familias paterna S. Bernardi linea derivata est; et hujus Mariæ filius Bernardus de Marey, de S. Bernardi domo ac stirpe originem se traxisse gloriatus est.

1. Maria de Fontanis, Richardi Fontanensis domini, et Philippæ de Sauz filia hæres, uxor Guillelmi de Marey ex anno ut minimum 1391, duos ei filios et tres filias genuit. Horum hæc est series, pag. 600. num. 39 et 42; pag. 601, num 50; pag. 602, num. 51, 52, 53; pag. 603, num. 55; pag. 615.
2. Alexander de Marey primogenitus. Uxor Margareta de la Plectiere, pag. 602, num. 52, 53; pag. 603, num. 54, 55; pag. 604, num. 59; pag. 605, num. 63.
2. Bernardus de Marey. Uxor Alais Perron, pag. 527, 528, 529, 602, num 52, 53; pag. 603, num. 55; pag. 604, num. 56, 58, 59; pag. 605, num. 65.

2. Amoza de Marey, uxor Antonii de Saigny, de quorum **659** posteris erit tabula sequens, pag. 602, num. 53; pag. 603, num. 55; pag. 604, num. 59; pag. 605, num. 60.
2. Petronilla, seu Petronilla de Marey, uxor Joannis de Chavanges scutiferi, pag. 602, num. 53; pag. 603, num. 55
2. Odota de Marey, uxor Joannis de Champlite, domini de Vonges, pag. 602. num. 53; pag. 603, num. 55.
5 Odo, pag. 602, num. 55. Joannes, pag. 603, num. 55. Hugueta, pag. 603, num. 55.

Hæc familia de Marey, sicut dominorum Fontanensium stirpem late propagavit, ita Fontanensem ipsam toparchiam ad exteros transmisit. Etenim Alexander de Marey primogenitus, primarium jus suum in prædium illud nobile universum, et insuper proprii dominii quartam suam partem, Joanni Rolin Cabilonensi episcopo vendidit anno 1454, quingentorum sexaginta quatuor Francorum pretio. Deinde Bernardus de Marey, frater Alexandri, anno 1462, vi morbi ad extrema redactus, quartam suam partem de dominio castri Fontanensis cum omnibus adjunctis, abbati Humberto et monasterio Cisterciensi dono dedit, cui largitioni dux Burgundiæ cum assensum suum denegasset, ne scilicet feudum nobile in manum mortuam, ut loquuntur, deveniret, ea Fontanarum quarta pars a Cisterciensibus quadringentarum librarum Turonensium summa vendita est; et quidem eidem ipsi, ut videtur, Cabilonensi episcopo Joanni Rolin, cum certum sit, dominii Fontanarum medietatem postmodum a Margarita Rolin cognominis episcopi consanguinea, ad Mariam Chambellan, Guidonis de Rupeforti, Franciæ cancellarii conjugem pervenisse. Exinde Fontanarum saltem ex parte dominos reperimus **660** Petrum de Saigny, Otheninum de Cleron, Humbertum de Rupeforti, Guillelmum de Damas, et Joachimum de Damas. Verum quia per alias quoque manus versata est ea ditio, et hodieque, ut audio, in contentione est, omnes ejus in solidum vel ex parte possessores, seu præsumptos, seu legitimos persensere meum esse non putavi, præsertim cum ad S. Bernardi genus nunc ista nullo modo pertineant.

CAPUT XV.

Tabula VII *familiæ de Sagniaco in Fontanensem insitæ per Amiotam de Marey, filiam Mariæ de Fontanis.*

Sagniaci, seu Saigneyi, et ab eo loco nuncupatorum nobilium virorum frequens est mentio in tabulis Fonteneti. Ibi ad annum 1282 refertur Hugo de Sagneyo quamdam vineam suam, de consensu Mariæ conjugis, Fontenetensibus certo pretio concessisse. Falluntur qui Huonis et Hugonis confundunt nomina, quæ distinxit superior ætas: unde

Digitized by Google

in autographo S. Stephani Divionensis quod publici juris fecimus, Hugonis Bouins militis de Virgeio, et ejus uxoris Engelvidis recensentur filii *Petrus clericus*, *Hugo dictus Bouins*, *et Huo*. Ejusdem familiæ et appellationis alius quidam, nempe Huo de Saigneyo, sequente sæculo, amissa conjuge Isabella de Blaisey, et Philiberto ex ea suscepto filio, Isabellam alteram ex familia de Saffris A sibi despondit anno 1382; natusque ex hoc conjugio Antonius de Saigneyo, Amyotam de Marey uxorem habuit, Maria de Fontanis matre genitam. Hic nexus clarissimarum familiarum Sagniacensis et Saffrensis cum Fontanensi. Et de Saffrensi quidem proxime sequens tabula plura exponet, nunc de Sagniacensi pauca.

661 Huo de Saigny. Uxor ejus secunda Isabella de Saffris ex anno 1382, pag. 599, num. 38; pag. 600, num. 41, 44, 45; pag. 601, num. 47, 48, 49.

Antonius de Saigny. Uxor Amiota de Marey, filia Guillelmi de Marey, et Mariæ de Fontanis, pag. 602, num. 53; pag. 603, num. 55; pag. 604, num. 57, 59; pag. 605, num 60. Secundam uxorem duxit Catharinam del Montebeligardo, ex qua nullos liberos tulit.

Catharina, uxor Hugonini de la Perrière, pag. 601, num. 46 47

Petrus cujus conjux Rolina de Choiseul, pag. 604, num. 59, 60, 61; pag. 606, num. 64, 65; pag. 607, num. 69, 70, 71; pag. 608, num. 77.

Joannes, pag. 604, nu. 59, 60, 61.

Anna uxor Bernardi de Bruillart, pag. 605, num. 59, 60, 61; pag. 606, num. 66.

Joanna, uxor Gaufredi de Bruillart, pag. 605, num. 59, 60, 61.

Maria, uxor Stephani de Ruffey, pag. 605, nu. 59, 60, 61, 62.

Maria uxor Othenini de cleron, de quibus in tabula IX.

Anna uxor Warini de S. Bansonem, domini d'Ymonville, pag. 607, num. 73.

Joanna major, conjux Girardi de Cappis, pag. 607 num. 72; pag. 609. num. 84, 87.

Catharina de Ruffey, uxor Petri de Coublans, filii Guillelmi de Coublans domini de Bousseuois, pag. 605, num. 62; pag. 609, num. 85.

Joanna minor abbatissa Puteiorbis ex anno 1504, pag. 609, num. 83. Margareta, et Guilleta, monjales de Trisenon, pag. 607, num. 75.

Jacobus. Joannes. Catharina, pag. 609, n. 84.

662 CAPUT XVI.

Tabula VIII *familiæ de Saffris, desinens in Isabella Huonis de Saigneyo uxore.*

Quoniam hodie hæc maxime familia de S. Bernardi consanguinitate gloriatur, cujus et generosos animos egregie refert, hac tabula antiquum ejus splendorem aperire consilium fuit, a primo (quod quidem nobis innotuit) ejus capite iniens, finiensque in Isabella, quæ masculorum hæredum ad se usque traductam seriem intercepit.

A Saffris, vel a Saffra promiscue in antiquis nuncupatur, cujus nominis quia sunt apud Burgundos B nonnulli accipitres, qui et in Saffrensium gentilitio emblemate quinario numero videntur depicti, suspicio est hæc esse de genere vocalium insignium, vulgo *armes parlantes;* qualia norunt feciales ac genealogi non paucis familiis perquam illustribus convenire. In diplomate Henrici Æduensis episcopi, ad annum 1154, memoratur *Robertus Saffredus, abba quoque frater ejus;* nec non *Stephanus, Joannes, et Galterus Sineterra*, eorum liberi; quorum quia obscura est connexio cum Arveio comitissæ marito, quem sequens tabula primum exhibet, ideo a nobis consulto sunt prætermissi.

Hervevs, qui et Arveus, et Herverius, de Saffra seu de Saffris, circa annum 1185. Uxor ejus Comitissa; quam scilicet comitis alicujus viduam, opinamur Herveo secundis nuptiis adhæsisse. Sed hujus comitissæ neque nomen, neque genus produnt tabulæ, pag. 516, 517.

Hervevs II obiit in reditu de marinis partibus, anno 1249. Uxor ejus Gilla, pag. 485, 486, 516, 517, 525, 592, num. 1, 2, 3, 4.

Galterus, pag. 517.

663 Guido. Uxor Alviz de Tienges, pag. 486, pag. 592, num 2, 3.

Hervevs III, pag. 592. num. 3; p. 593, num. 6.

Hugo, p. 592, num. 3.

Joannes dominus de Camporainaudi. Uxor Margarita, pag. 592, num. 3, 4, pag. 593, num. 5.

Hervevs IV. Uxor Beatrix de Buxeria, pag. 593, num. 8, 9; pag. 594, num. 14, 17; pag. 595, num. 20; pag. 598, num. 32.

Stephanus, pag. 593, num. 8, 9.

Stephanus, p. 592, num. 3.

Guido, pag. 594, num. 17; pag. 595, num. 20, 22; pag. 598, num. 32.

Helvis primo nuta Joanni de Muxelo; secundo Joanni de Valle Olligniaci, pag. 594, num. 17; pag. 95, num. 20; pag. 598, num. 32.

Joannes Decanus Lingonensis, pag. 594, num. 17; pag. 595, num. 20, 22; pag. 597, num. 30; pag. 598, n. 32.

Hervevs V, canonicus Lingonensis, p. 594, num. 17; p. 595, num. 20, 22; pag 598, num. 32.

Digitized by Google

Herveus VI. Uxor prima Joanna de Caseolo, secunda Aalys de Gisseyo. Miles fuit Jerosolymitanus, pag. 595, num. 20, 21, 25; pag. 596, num. 24, 25; pag. 597, num. 30.

Joannes canonicus Lingonensis, pag. 595, num. 20, 22; p. 596, num. 24; pag. 597, num. 28, 30; pag. 599, num. 35.

Simon, p. 595, num. 20, 22; pag. 597, num. 28, 30.

Margarita, et Aalys moniales de Rubeomonte.
Beatrix et Joanneta moniales de Polongeyo, pag. 597, num. 28.

Ex 1a uxore.

664 Joannes miles Jerosolymitanus. Uxor Aalys de Biado, p. 597, num. 28, 29, 30, 31; pag. 598, num. 32, 33; p. 599, num. 36.

Aalys, et Joanneta moniales de Pralon, p. 597, num. 28.

Ex 2a uxore.

Guillelma. Hugota uxor Huguenini de Varennis, pag. 599, num. 33, 37.

Philibertus, pag. 599, num. 38.

Isabella, de qua vide tabulam VII.

Unum te, mi lector, hic monitum volo, in autographis, ex quibus hanc dynastarum Saffrensium Tabulam fere a quingentis retro annis deduximus, ne unam quidem Fontanarum, aut dominorum Fontanensium reperiri mentionem, cum tamen constent hæc autographa testamentis, pactionibus matrimoniorum, bonorum partitionibus, et aliis id genus scriptis in quibus Saffrensis familiæ possessiones, fundos, jura, dotes, aliaque rem ejus spectantia passim recenseri necesse fuit. Hoc, inquam, te moneo, ut vel hinc intelligas quam parum fidei mereatur recensio illa Tabularum Saffrensium, cujus excerpta quædam a pagina 585 tibi exhibuimus, cum in ea frequentes occurrant qui Saffrarum simul et Fontanarum domini fuisse affirmantur. Negare tamen omnino non ausim quin prioribus sæculis nonnulli utraque simul toparchia potiti sint, propter utriusque familiæ insignium similitudinem. Aves enim prætulerunt in scuto gentilitio Saffrenses æque ac Fontanenses domini. Sed, quia, ut jam monuimus, Saffrensibus vocalis est hæc tessera, quæ familiam per aves cognomines designat, videtur illis primigenita, et apud illos nata. Quare, sicut Kalo de Sauz, dominus de Fontanis, abjecto leone aureo **665** in parma cerulea, qui dominorum de Sauz insigne proprium est, aves præfert in tumulo tanquam Fontanarum dominus, sic et videri possunt derivati a Saffrensibus Fontanenses domini eo quod a Saffrensibus acceptas aves scutis suis impresserint. Sed ista conjecturis ascribi cupio, non certo argumento demonstratis propositionibus. Reliqua prosequamur.

CAPUT XVII.

Tabula IX *familiæ de Cleron, cui Fontanensis per Sagniacensem et Saffrensem inserta hodieque superest.*

A metropoli Sequanorum Vesontione tribus fere horariis leucis, Ornacum inter et Quingeyum, castellum est vulgo *Cleron*, cum ei apposito vico cognomine, a quo vetustæ et prænobili familiæ factum nomen. Hinc ortus Otheninus patre Simone de Cleron, matre Joanna de Domprey, Mariam de Sagniaco et de Saffris, quæ Mariæ de Fontanis erat proneptis, sortitus conjugem, posteros ex ea reliquit, per quos ad nostram usque ætatem, S. Bernardi paternum genus propagatum est. Inciderunt Mariæ Sagniacensis cum Othenino nuptiæ in annum Christi 1487: quo ex tempore, anno nimirum 1494, Petri de Saigny soceri sui scriptus est cum conjuge hæres ex asse. Exinde, nempe anno sæculari 1500, a Ludovico XII, Francorum rege, donatus est regni indigenarum prærogativa, per quam homo externus non Saffrarum modo, sed et Fontanarum ex parte, et ditionis totius Sagniacensis, Grinioni proximæ quietus possessor fuit. Adhuc superstes erat Decembri anni 1533, et vivit etiamnum in posteris, quorum seriem exhibet **666** tabula sequens:

Simon de Clerone. Uxor Joanna de Domprey, pag. 608, num. 78; pag. 609, num. 86.

Otheninus. Uxor Maria de Saigny, pag. 606, num. 67, 68; pag. 607, num. 74, 75; pag. 608, num. 78, 79, 80, 82; pag. 609, num. 84, 85, 86; pag. 610, num. 88, 89, 90.

Simon abbas Montisbenedicti, et Gollæ, pag. 608, num. 78. Claudius dominus de Scey, pag. 608, num. 78; pag. 609, num. 86.

Joannes canonicus Bisontinus, pag. 608, num. 78; pag. 609, num. 86.
Joannes dominus de Belmont, pag. 609, num. 86.

Claudius, pag. 610, nu. 88, 89, 90.

Guido. Uxor Philiberta de Moisy, pag. 610, num. 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94.

Joannes, pag. 610, num. 88.
Barbara, uxor Petri de Montigny, pag. 610, num. 88, 91.

Christiana uxor Joachimi Du Bois, domini de Pesanges, pag. 610, nu. 89; pag. 611, num. 98. Antonia, uxor Joannis de Colombier, pag. 610, num. 92.

Arverius, p. 611, num. 96, 98.

Joachimus. Uxor Francisca de Praontal, pag. 611, num. 95, 96, 97, 98, 99.

Bernarda uxor Francisci de Pontescisso. pag. 610, num. 5.

Antonius. Uxor Philiberta de Damas, pag. 611, num. 102.

Anna uxor Jacobi de Chenu, pag. 610, num. 103.

Claudius, cujus prima uxor Gabriella Davion ex anno 1620; secunda Margareta de Chaugy Rossillon ex anno 1632 pag. 612, num. 106, 107.


Digitized by Google

667 Huic Claudio nunc sexagenario majori, suscepta utroque ex conjugio proles multiplex, generosa indole majores suos egregie refert, seseque morum integritate pariter ac suavitate, S. Bernardo consanguineo dignum probat.

CAPUT XVIII.

Opinio de S. Bernardi gentilitio symbolo.

In scuto nigro balteus, argenti (sive auri, ut nonnullis placet) et coccini ductu gemino tessellatus, qualem hic utcunque depictum vides, plerisque censetur ipsummet S. Bernardi gentilitium insigne.



Hoc illi appingit Hermannus Schedel in Chronico chronicorum. Hoc præferunt quamplurimæ sancti ejusdem pictæ fictæque imagines, etiam antiquæ : imo idipsum spectare est non uno loco in Clarevallensis monasterii structuris, novis æque ac vetustioribus; ut haud vana fide, ipso adhuc agente in vivis Bernardo, sacræ ejus domus parietibus insculptum existimetur. Edmundus de Cruce, creatus abbas Cisterciensis ex anno 1584, scuto **668** suo ex domesticis et Cistercii insignibus quadripertito, mediis quadrantibus balteum illum tessellatum imponi voluit, S. Bernardi nimirum intuitu, cujus ad sacras exuvias in Claravalle et sumpserat religionis habitum, et professionem fecerat. Hodieque mos invaluit ut Ordinis ejusdem abbates ex monachis Clarævallis, vel qui Clarævallis, ut loquuntur, filiabus præsunt, hoc est monasteriis e Clarevallensi propagatis, balteum eumdem, suæ in S. Bernardum venerationis indicem symbolicis suis stemmatibus intexant.

Quæ quidem Clarevallensium in sanctissimum suum patriarcham religio non potest mihi non probari; quippe cui fulciendæ satis esse possit pia opinio, et illa certe minime imprudens, quod ad illum eique unice dilectam domum Clarevallensem ea insignia aliquo saltem modo pertineant. At Galliæ Purpuratæ auctori Petro Frizon ægre assentior, qui Petro de Fontanis, sub Calixto papa II tituli S. Marcelli presbytero cardinali, velut S. Bernardi consanguineo idem stemma appingit. Prius enim probandum illi fuerat, et id esse S. Bernardi gentilitium insigne; et ex Fontanis in pomœrio Divionensi ortum esse Petrum illum cardinalem, non ex alia ejusdem nominis familia, quas esse in Galliis quamplurimas certo scimus. Frizoni indulserim libentius quod Martino S. Stephani in Cœlio monte, quod Stephano Prænestino, quod Bernardo SS. Cosmæ et Damiani, quod Henrico Albanensi, quod Petro de Bar, S. Marcelli, cardinalibus e Claravalle assumptis idem stemma ascripsit, quanquam prudentius a Ciaconio, Cabrera et Victorello in pontificum et cardinalium Vitis prætermissum.


669 Cæterum, ne balteum illum, S. Bernardi tesseram gentilitiam existimem, facit ratio triplex : prima, quod illius ævo vix ulla fuisse putem ejusmodi stemmata, nisi forte virorum principum, aut militum cum in armis essent, eaque non toti familiæ communia, sed personalia ac propria, quibus a se invicem in expeditionibus distinguerentur, qualia certe nulla suspicari licet in Bernardo litterarum studiis a pueritia addicto, et parentum curis ad ecclesiasticas dignitates destinato. Nam, ut eruditis notum est, quæ nunc sunt gentilitiorum symbolorum leges, recentius emersere. Altera, quod nemo prudens sibi persuadeat, Bernardum mundi contemptu tam illustrem virum, qui tota sæculi calcata vanitate in avios silvarum recessus sese abdiderat, sustinere potuisse ut sui generis splendorem eremi suæ parietes loquerentur. Verum, inquies, id curarunt posteri ipso jam ad superos translato. Itane vero? Tune ignoras, non veteri tantum, sed etiam novo monasterio exstruendo Bernardum præfuisse? in hoc translata priorum ascetarum demortuorum ossa, quinquennio ante illius obitum, anno Christi 1148, cum in ipsa Claravalle S. Malachias Hiberniæ primas animam ageret?


Sed esto, id curarint posteri quod Bernardus neglexisset. Hi porro Bernardo aut æquales aut suppares, quo tandem fato sic hallucinati sunt, ut hoc ei tribuerent quod ad eum nullo modo spectaret? Vix habuit ille, ut dixi, vel propria, vel familiaria insignia; ac si quæ habuit, quomodo non ea ad dominorum Fontanensium sequentem seriem propagata sunt? Ecce Kalo dominus de Fontanis anno 1270, vita functus, in saxeo tumulo scutum gestat **670** zona inscriptum in medio, tribus aviculis in summo; his addunt Joannes de Fontanis, et Giletus ejus filius duas aves in imo scuto, ut in summa sint quinque. Quiescit Kalo in Bonavalle subtus Talentum; Joannes et Giletus in æde Franciscanorum Divionensium, defuncti aliter post alterum haud procul anno 1300. En illorum quæ supersunt insignia.

Digitized by Google

STEMMA

Kalonis domini de Fontanis. *Joannis et Gileti de Fontanis.*





Nostra est igitur sententia, balteum duplici linea tessellatum, insigne esse Hugonis Trecensis comitis, Clarevallensis abbatiæ primi fundatoris : quod a Bernardo abbate ad perpetuam acceptorum beneficiorum memoriam, sacræ illius domus impressum parietibus, pia posteritas ipsi sanctissimo abbati suo ascripserit. Rem totam, quia non levis momenti est, proprius inspiciamus.

671 CAPUT XIX.

Hugo Trecensis comes, Clarevallensis monasterii fundator primus. Locus ipse longe ante Cisterciensis coloniæ adventum, Claravallis vulgo dictus.

Nobilium ædium fundatores ad sempiternam memoriam aut inscriptione aliqua, aut expressis eorum imaginibus, vel saltem symbolis atque insignibus designare, non Romanorum modo, aut Græcorum, sed et cæterarum fere gentium mos fuit receptissimus. De Claravalle, omnium, pene dixi, totius orbis monasteriorum clarissima idipsum pronum est accipere. Quocirca qui aliquot ejus membris ab antiquo impressus apparet tessellatus balteus, non nisi ad fundatorem referri potest. Quis porro hic fundator fuerit, qui rerum Cisterciensium scriptoribus omnibus ignotus hactenus fuit, nunc a nobis accipe.

Clarævallis fundationem Theobaldo Campaniæ comiti videtur ascribere Claudius Robertus in Gallia Christiana, *translationem cum fundatione confundens*, ut bene monet Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus anno 1115, cap. 1, num. 4; conditam tamen Claramvallem ipse asserens, *incerto fundatore*. Nobis tamen nunc incertus non est, quem indicante reverendissimo abbate, cognovimus Trecensem comitem Hugonem. Tabulas fundationis descripsimus pag. 513, quibus dare se profitetur *Deo, et Beatæ Mariæ, et fratribus Clarævallis, locum ipsum qui vocatur Claravallis, cum pertinentiis, agris, pratis, vineis, silvis, et agris, nihil omnino*, inquit, *mihi, aut hæredibus meis retinens*. Nam, si fundator est qui exstruendæ ecclesiæ fundum tribuit, ut passim docent jurisconsulti, **672** multo potius Hugo fundator censendus est, qui non modo fundum concessit ædificando Clarevallensi monasterio, sed etiam fructuosos fundos complures alendis in perpetuum ejus asceterii monachis assignavit. Quare, merito ad illum S. Bernardus epistola 31 : *Quid enim*, inquit, *possumus ne oblivisci antiqui amoris, et beneficiorum quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Utinam ipse pro cujus amore fecisti in æternum non obliviscatur Deus! Nam nos, quantum in nobis est, minime proreus ingrati, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ mente retinemus : et si liceret, opere monstraremus.*

Exstant sane principis hujus viri, qui denique, ut ait ibidem Bernardus, *ex comite miles, et pauper ex divite* effectus est, religionis ac munificentiæ erga ecclesias præclara monumenta, præsertim erga Trecensem in Promptuario Nicolai Camuzati, et erga Molismensem, atque Arremarensem pag. 507, 514, 515, 516, 537, præmissarum Probationum.

Disce interim ex Hugonis tabulis pro Clarevallensibus, minime natum esse Clarævallis nomen ex horum in eam vallem primo adventu, quod recentioribus nonnullis placuisse video, sed jam tum eam vulgo nuncupari solitam Claramvallem, cum ipsis ab Hugone attributa est. Quod et perspicuum facit Guillelmus abbas, lib. 1 De Vita S. Bernardi, cap. 5: Cum enim ibi ait Claramvallem, *dictam fuisse antiquitus* Vallem absinthialem, vel eo satis admonet, tum cum in eam Bernardus cum sociis coloniam duxit, jampridem abolito Vallis absinthialis nomine, Claramvallem vulgo fuisse appellatam.

Cum igitur nobis constet fundatorem esse domus **673** Clarevallensis Trecensem comitem Hugonem, nec minus certum sit fulgere solita fundatorum insignibus portarum fastigia, fumariorum loricas,

Digitized by Google

aliasque ædium partes spectatissimas, vel hinc licet colligere Hugoni comiti pro symbolo fuisse tessellatam illam fasciam diagonalem, Clarevallensibus structuris illigatam, quam S. Bernardi stemma gentilitium non pauci arbitrati sunt. Nec ideo tamen damnaverim piam eorum consuetudinem, qui eam fasciam pro quodam tam sancti viri monumento habent. Vere enim illa ad S. Bernardum pertinuit, quod eam ipse sui erga comitem Hugonem grati animi testem esse voluit, ac domui suæ Clarevallensi quasi tesseram impressit, quam omnes venerarentur sive ejus alumni, sive filiarum filii : et in qua una tum matrem communem Claramvallem, tum etiam Bernardum communem institutorem parentemque agnoscerent.

Video quid hic opponi possit, alia nimirum esse veterum Campaniæ comitum gentilitia symbola, in parma cærulea balteum argenteum, geminatis hinc inde tæniolis aureis, tredecies ex adverso alternatim patibulatis. Ad hæc nusquam alibi apparere tesselatum illum balteum pro Hugonis comitis insigni. Sed nos non movent ista, quibus constat ex annotatis, pagina 578, primum ex Campaniæ comitibus Henricum cognomento Largum, patibulata illa quæ diximus insignia cum puro balteo argenteo gestasse. Præterea, ante Henricum Largum diversa fuisse Trecensibus seu Campaniæ comitibus symbola, et singulis propria fere singula. De balteo tessellato fateor, nec illum, sed nec aliud quidquam spectari in Hugonis comitis sigillis, quæ et in Claravalle, et in aliarum **674** præsertim Trecensium ecclesiarum archivis exstant quamplurima; nam in iis expressus comes in equo, sic scutum obliquat ut nihil in eo videri possit. Mihi satis est proprium Hugonis comitis symbolum hoc indicio deprehendisse, quod certissime Clarevallensis monasterii primus fundator fuit, quod balteus tessellatus ad S. Bernardi familiam non pertinuit, quod denique tot Claræ vallis ædium spectatissimis locis ab antiquo impressus, alium quemquam a fundatore spectasse nec potuit, nec debuit.

CAPUT XX.

Annus et mensis fundatæ Claræ vallis.

Mihi dubium non est quin anno Christi Dionysiano 1114, mense Junio inierit monasterium Clarevallense; nam cœpit anni ejusdem mense Julio, undecima die mensis, Morimundensis minor natu filia; quippe inter Cistercii filias numero quarta, cum tertia ex ordine natalium censeatur Claravallis; his adde auctorem Chronici S. Mariani Antisiodorensis, qui hæc habet ad annum Christi 1114 : *Eodem anno Claravallis fundata est, cujus primus abbas extitit servus Dei Bernardus, vir opinatissima sanctitate præclarus; per quem sui temporis Ecclesia in antiquum religionis decus refloruit.* Hujus Chronici Collectanea edidit Trecis, anno 1609, Nicolaus Camuzat vir reverendus, et de re publica litteraria optime meritus; edidit autem ex codice Pontiniacensi usque ad annum 1199 inclusive; reliqua usque ad annum 1217, ex codice Petaviano : monetque in dedicatoria, videri sibi auctorem ejus operis Robertum usque ad finem anni 1210, cui subscriptum est : *Hucusque perduxit Chronica sua frater* **675** *Robertus :* inde vero usque ad finem, annumque Christi 1217, Hugonem ejusdem cœnobii S. Mariani Antisiodorensis Præmonstratensem monachum. At ego legi his oculis, in fronte antiqui ipsius codicis qui apud S. Marianum asservatur : *Incipit Prologus magistri Hugonis in Chronicis suis.* Quo persuasus sum, huic Chronico non alium ab Hugone quærendum auctorem, qui Milonis abbatis sui jussu, ad annum usque 1203, in quo desinit, illud perduxerit; et cui postmodum appendicem adjecerit Robertus usque ad annum 1210; inde anonymus quæ supersunt usque ad finem, et annum 1217. Optandum esset ut integrum hoc opus, et suis omnibus absolutum numeris in publicum prodiret. Ex eo interim hic obiter accipe quæ de S. Bernardo scripsit ad annum 1153 : *Eodem anno dilectus Domini Bernardus, Clarevallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum Pater, consummatis feliciter vitæ suæ diebus, et annis circiter sexaginta tribus expletis,* XIII *Kalendas Septembris, inter filiorum manus obdormivit in Christo, et ex illa sua Claravalle ascendit in montem claritatis æternæ. Sepultus est ante altare beatissimæ Virginis matris; ipsoque in tumulo, pectori ejus superposita est capsula reliquias continens beati Thaddæi apostoli, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi. De ipso sequentes versus scripti sunt :*

Sunt claræ valles, sed claris vallibus abbas
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore;
Claruit eloquio, religione magis;
Claraque mors, clarusque cinis, clarumque se-
[pulcrum;
676 *Clarior exsultat spiritus ante Deum.*

His tamen quæ de fundata anno 1114 Claravalle præmisimus, obstant monumenta quædam Claravallensia. Primum antiqui versus :

Annus millenus ter quinis connumeratur,
Nec non centenus, vir sanctus quando creatur
abbas.

Deinde tabella S. Bernardi tumulo appensa, in qua legitur : *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Junio, missus fuit (S. Bernardus) cum fratribus germanis et conventu suo ad locum istum, qui nunc vocatur Claravallis; antea autem Vallis absinthialis dicebatur.* Verum, nisi me conjectura fallit, indicant versus illi consecrationem S. Bernardi in abbatem, per manus Guillelmi de Campellis Catalaunensis episcopi, quæ ante annum Christi 1115 facta esse vix potuit : cum ante illam in Claravalle statuendæ essent ac struendæ novis hospitibus sedes. Quare, a primo eorum in Claramvallem adventu, quod in anni 1114 Junium incidit,

Digitized by Google

monasterii fundationem adnotarunt Morimundensis et Antisiodorensis chronographi; Clarevallenses ab inauguratione abbatis.

Superest difficultas ex verbis Guillelmi abbatis, lib. I De Vita S. Bernardi, cap. 7 : *Cum*, inquit, *missus noviter Claramvallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret ad quam ordinatio ipsa respiciebat, quærentibus fratribus cui eum ducerent ordinandum, cito de primo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis; illucque eum transmittendum esse diffinitum est, sicque factum est.* Quomodo enim vacabat sedes Lingonensis **677** anno 1115, cum Jocerrannum constet, ex anno 1112 in 1125, Lingonensem fuisse episcopum, ut ex Chronico Benigniano retulimus? Sed responsio in promptu est, vacasse tum sedem Lingonensem improprie, non quod nullus tunc esset Lingonensis episcopus, sed quod, anno illo 1115, abesset ab episcopatu suo; fortasse in itinere ad limina apostolorum, vel ad synodos aliquas, quæ frequentes illis ipsis temporibus a Guidone Viennensi, apostolico per Gallias legato, cogebantur.

CAPUT XXI.

Quo tempore confectæ sint tabulæ Hugonis comitis Trecensis de fundatione Clarævallis; tres ejus profectiones ad sepulcrum Domini; tituli ejus pro tempore diversi.

Constituta Clarævallis fundatione in mense Junio anni 1114, haud statim consequens est eo ipso tempore datas esse illas tabulas, quibus Hugo comes domum Clarevallensem fundatam a se collato fundo, ac dotatam esse testatus est. Eæ quidem tabulæ (quod erat ævo illo usitatissimum) nullam præferunt temporis notam, quamvis autographæ, et Hugonis comitis ac Joceranni Lingonensis episcopi sigillis munitæ. Neque vero ipso fundationis exordio datæ fuisse videntur, quia colliguntur et confirmant donationes aliquot a viris nobilibus Clarævalli factas, quæ ad prima ejus initia referri vix possunt. Sic enim Fontenetensis abbatiæ fundatio continetur in tabulis Stephani Eduensis episcopi, datis anno Christi 1136, cum tamen constet eam multo ante, et quidem, ut ferunt, anno 1118 fuisse fundatam ac deductam ex ea coloniam in Septem-Fontes, etiam quadriennio ante annum 1136. Et nos eumdem morem observavimus in tabulis **678** fundationum Morimundi, Albæripæ, et fere aliarum domorum Cisterciensis Ordinis, in quibus donationes pro prima earum fundatione olim factæ, multis post annis colliguntur in chartam unam, quæ episcopi alicujus privilegio, adhibito ejus sigillo concluditur et confirmatur.

Id porro factum esse nominatim in Claravalle persuadet Hugonis comitis profectio prima Hierosolymitana anni 1113, ex qua in suum comitatum rediisse vix potuit anno illo 1114, cujus in mense Junio primam Clarævallis fundationem constituimus. Ter siquidem Hugonem comitem Jerosolymam iter aggressum esse comperimus. Primum anno 1113, quo Arremarensibus quiddam beneficii contulit, *ad sepulcrum Dominicum pia devotione profecturus*, ut leges pagina 516. Iterum anno 1121, vel haud multo ante; nam anno 1122, VII Idus Octobris, *secunda vice* Jerosolymis reversus, ut te docebit pagina 569, 570, 571, Arremarensibus eorumque abbati Gualterio multa dona asseruit, quæ paulo ante discessum, apud Eduam civitatem, in festo apostolorum Simonis et Judæ eis contulerat. Priorem ex his duabus peregrinationem impedire conatus erat episcopus Carnotensis Ivo, data ad Hugonem comitem epistola 247, qua de onere debiti conjugalis eum admonuit : posteriori enim superstes non fuit.

Tertia denique, et ultima Hugonis profectio Jerosolymitana, in qua et Templariorum religiosæ militiæ sese addixit, colligitur ex epistola S. Bernardi 31; incertusque est ejus annus. Illud constat adhuc eum, anno 1124, versatum esse in Galliis : ait enim Sugerius in Vita **679** Ludovici Grossi palatinum comitem Theobaldum, *cum avunculo nobili Trecasi comite Hugone*, stetisse a partibus Henrici imperatoris adversus Ludovicum Francorum regem, in eo bello quod inter illos gestum est *ante domini papæ Calixti decessum* : post quod imperator *infra anni circulum* e vivis excessit. Obiit autem Calixtus II anno 1124, 13 Decembris; imperator 1125, 23 Maii. Quare, obtinuit bellum illud æstatem fere, et autumnum anni 1124, præsertim vero mensem Augustum ex Appendice ad Sigeberti Chronicon. Post hoc bellum, quod Hugoni comiti haud prospere cessit, nihil ab eo in Galliis gestum reperiri; ac ne in concilio quidem Trecensi, quod anno 1127, aut 1128 celebratum est, ullam ejus mentionem deprehendi : unde injecta mihi suspicio est, non diu post annum 1124 illum tertio Jerosolymam contendisse. Eo postremum discessurus, si fides habenda Petro Pithœo, comitatum suum Theobaldo fratris sui Stephani filio vendidit, Odonem filium exhæredavit, et quam (Constantia jampridem ob consanguinitatem dimissa) secundam conjugem duxerat, gravidam reliquit; obiitque in partibus transmarinis die mensis Junii 14. Ad hanc certe diem notatum est ejus anniversarium in Ecclesia S. Lupi Trecensis. At in Necrologio S. Claudii ascriptum legi illius obitum ad 11 Kalendas Julias. Vide pag. 539.

Nunc ad quæstionem propositam paucis respondeo, datas esse ab Hugone comite tabulas de fundata et dotata Claravalle, post ejus reditum a prima peregrinatione Jerosolymitana, priusquam aggrederetur secundam; adeoque inter annum 1114 et 1121; sed quo præcise anno **680** incertum.

De titulis diversis, quos pro tempore assumpsit Hugo comes, notatu digna res est eum primo nuncupatum comitem Campaniæ, et in fundatione cellæ Sermasiensis ad annum 1093, cum tantum esset Barrensis ad Albam comes. Sic enim et S. Simon

Digitized by Google

ejus avunculus, comes Campaniæ scribitur in Necrologio Jurensi, qui Barrensis duntaxat ad Albam comes fuerat. Hugo deinde, Trecensis comes dictus est, cum in eum honorem Odoni fratri successisset. Postmodum Trecensem simul et Barrensem comitem se appellavit, ut eum supra fratrem Odonem aliquid esse intelligeretur. Ad ultimum, comitis Campaniæ titulum recepit, eo nomine utrumque, hoc est Trecensem ac Barrensem comitatum complexus; sicque inscribitur S. Bernardi ad eum data epistola. Et ipse auctor fuit successoribus, ut, abolito post unionem Trecensis et Barrensis comitatuum nomine, comites Campaniæ nuncuparentur. Quare, in sensu duplici, pro tempore diverso comitis Campaniæ appellatio usurpata est, prius quidem pro comite Barri ad Albam, postmodum, cum ille Barrensis comitatus Trecensi adjectus esset, pro comite simul Trecensi et Barrensi; qua ratione Hugo primum, deinde Theobaldus cognomento Magnus, et eum secuti Campaniæ comites nuncupati sunt.

CAPUT XXII.

Quid factum Odone Campaniensi, Hugonis Trecensis comitis filio exhærede; et quomodo ille Burgundiæ comitum familiam consanguinitate attigerit.

Hugonem Trecensem seu Campaniæ inclytum comitem, Clarevallensis monasterii primum fundatorem **681** propius spectant secunda uxor, et quem ex ea sus cepit, Odo filius, quam balteus tessellatus, quem hactenus illi pro symbolo vindicamus. Ideo de Odone corollarium hoc Appendici nostræ appendimus.

Odonem Hugo parens comitatu suo privaverat, sive quod ad id honoris ac muneris minus idoneum eum judicaret ob teneram ejus ætatem, sive quod nondum fortasse illi natus esset; trans mare enim abiens, gravidam uxorem reliquisse dicitur; sive denique quod ad rem domesticam, ac præsertim ad transmarini itineris sumptus pecunia indigeret, quam a Theobaldo fratris Stephani filio, sui comitatus pretium tulit. Quiddam tamen usuarii fundi, illi a patre fuisse attributum, colligi videtur ex tabulario Clarevallensi, in quo legimus quod *Odo Campaniensis, et Sibylla uxor ejus, laudaverunt totam eleemosynam, quam Josbertus de Firmitate dederat fratribus de Claravalle.* Sapit enim ista Josberti donorum confirmatio primariam clientelam, cujus in beneficio esset dominus Firmitatis ad Albam. Et solent regii juvenes, hujusmodi primoris juris clientelaribus prædiis a supremo principe donari, ut habeant simul, et cui pareant, modestia sui status; et quibus imperent sanguinis prærogativa. Neque vero hic intelligi potest Odo senior, Hugonis frater, adeoque Odonis hujus, de quo agimus, junioris patruus; nam priorem illum Odonem et in Trecensis comitis honore Hugoni fratri juniori decessisse, et anno Christi 1097, longe ante fundatam Claramvallem, vivere jam desiisse certis ex monumentis comperimus.

Eadem Odonis Campaniensis uxor Sibylla memoratur in tabulis abbatiæ Accincti, sive de Aceyo, Cisterciensis **682** Ordinis, Bisontinæ diœcesis, ad annum 1137.

Tamen aspirasse Odonem ad Trecensem patris comitatum asserit Robertus de Monte, continuator Sigeberti, ad annum Christi 1143, ubi hæc habet: *Ludovicus rex Vitriacum castrum comitis Theobaldi capit, ubi igne admoto ecclesia incensa, et in ea mille trecentæ animæ diversi sexus et ætatis sunt igne consumptæ. Super quo rex Ludovicus misericordia motus plorasse dicitur, et hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus a quibusdam æstimatur. Castrum vero Odoni Campaniensi contulit, nepoti comitis Theobaldi, qui patrimonium ab ipso sibi ereptum, per regem Ludovicum hac occasione recuperare voluit.* Erat Odo Theobaldi patruelis, ille Hugonis natu minoris, hic Stephani majoris natu filius: ideo hic auctor Odonem Theobaldi nepotem dixit, ex ævi illius plurimorum usu: quod monuit Pithœus. Auctor Chronici S. Petri Catalaunensis, tomo I Bibliothecæ Labbei, ad annum 1142 incendium Vitriaci refert.

Sed non diu Odoni profuit Theobaldi comitis a rege Ludovico dissensio; inter hos enim, sequenti anno redintegrata pax est, conciliatore S. Bernardo, qui id eventurum quinto ante mense prædixerat, ut refert Gaufridus, lib. IV De Vita S. Bernardi, cap. 3. Igitur Odo abjecta spe recipiendæ hæreditatis, nec sibi tutum ratus diutius in Campania versari, ad avunculos suos Raynaldum et Guillelmum Burgundiæ comites transfugit. Natus enim erat Hugoni Trecensi comiti ex eorum sorore: quæ si Lombarda, seu Longobarda nuncupata est, ut ex quibusdam schedis Pithœus notat, id proprium illius vel nomen, vel cognomen, non patriæ designatio fuit. Idcirco **683** Odonem Campaniensem leges in antiquis tabulis, nepotem Guillelmi comitis, Beatricis imperatricis consanguineum, Rainaldum porro comitem, qui pater fuit Beatricis, Odonis avunculum. Guillelmo uxor fuerat Pontia de Treva, Rainaldo Agatha Lotharinga; neutra Campaniensem Odonem consanguinitate attigit, ut dubium non supersit quin Odo ea matre sit genitus, quæ Rainaldi et Guillelmi soror fuerit.

Discas quoque ex iisdem tabulis possedisse Odonem in comitatu Burgundiæ, jure beneficiario ex dono comitum, Campum Pagani juxta Dolam, Quingiacum, Lislam, Lobium Portum, et Scanlint sive Chanlitum, quod hodie Camplitum vocant. Filios illi ex conjuge Sibylla natos opinor Lodoicum, et Odonem patri cognominem, qui anno Domini 1202, terram Jerosolymitanam aditurus, mansum Aymonis Grucel apud Paygné, Bisontinæ S. Stephani ecclesiæ dedit. An ex his propagatæ sint in Burgundia familiæ quædam nobiles, quas ex comitibus Campaniæ derivatas nonnulli asserunt, aliis discutiendum relinquo.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Corollarium de Andreæ Espissiensis, S. Bernardi consanguinei profectione in Orientem adversus Mahometanos.

Jam portus in conspectu erat, jamjamque applicaturus, vela collegeram, cum ecce perferuntur ad me litteræ ab amico, humanissimo viro et claro in paucis genealogo domino Du Bouchet, quibus ad me mittebat locum insignem ex Chronico Alberici Triumfontium monachi, **684** quo S. Bernardi familiam illustrari putaret. Nec immerito; erat enim Andreas de Espissia, cujus ibi mentio, abnepos Rainardi domini de Montebarro, qui S. Bernardi avunculus fuit, ut intelliges ex tabula maternæ lineæ S. Bernardi, quam pagina 941, et 942, duximus. Et ejus socer, atque itineris comes ab Alberico memoratur Joannes de Arceis, quem Jacobus de Vitriaco Acconensis episcopus, libro III Historiæ Orientalis, et in epistola ad Lotharingos, *virum venerabilem, et valde strenuum* dixit, captumque a barbaris asseruit, cum Andrea genero suo; quem tamen ad suos reducem, anno 1232, adhuc superfuisse ostendimus ex tabulis Fontenetensibus, pagina 563. Sic ergo Albericus ad annum Christi 1219.

Expeditionem autem Crucesignatorum, ad partes transmarinas conduxerunt hoc anno archiepiscopus Mediolanensis Henricus, et Galtherus episcopus Eduensis, Petrus Parisiensis episcopus cum fratre suo Galthero regio cancellario; Milo Belvacensis electus, cum Andrea fratre suo; Herveius comes Nivernensis, Hugo Brunus de marcha Pictaviæ comes cum Herveio de Werzone; comes Milo de Barro super Sequanam, cum filio suo Galthero; et cum Joanne de Arceis, cum filiastro suo Andrea de Espissia. Ex parte ducis Burgundiæ defuncti, Guido de Tilio, Pontius de Granceio. Comes Renaldus de Castro in Anglia, cum Savarico de Malleone. Fuerunt etiam multi alii boni milites, qui omnes cum multis Romanis ante Damietam venerunt: quorum circiter decem millia Saracenis congressi, detrimentum passi sunt, et afflictionem sustinuerunt; multis de ipsis, et eorum collegio, aut captis, aut occisis, aut per se mortuis. Capti fuerunt de nostratibus Joannes de Arceis, et Galterus camerarius, et Milo Belvacensis electus.

685 Qui huic bello interfuit Jacobus de Vitriaco, libro illo III Historiæ Orientalis, captos vel occisos insignes viros his plures recenset; et in epistola ad Lotharingos, Andream de Espeisse captis annumerat. Dissuaserat certe, sed frustra, congressus pro tempore illo cum Saracenis ex divino oraculo S. Franciscus ibi præsens; de cujus rebus cum soldano gestis, pauca Jacobus Vitriacus epistola illa extrema, plura S. Bonaventura in ejus Vita, cap. 9, et Marinus Sanutus in Secretis fidelium crucis, lib. III, parte II, cap. 7 et 8. Eo autem venerat S. Franciscus martyrii ardens studio, qua palma potitus non est, ad labores alios Dei providentia eum reservante: qui tamen si causam fuisset rogatus negatæ sibi a Deo martyrii coronæ, ut opinor, indignum sese affirmasset, eodem spiritu quo Franciscus alter labente quarto exinde sæculo, Xaverius, inquam, Indiarum et Japoniæ apostolus; qui cœlo jam receptus, Marcello Mastrillo ex ultimis difficillimi morbi angustiis admirabiliter ad virium firmitatem repente traducto, præivit hæc verba: *Ave, lignum crucis. Ave, crux pretiosissima. Me tibi totum dedico in perpetuum, et oro suppliciter ut gratiam fundendi pro te sanguinem, quam Indiarum apostolus Franciscus Xaverius post tot exantlatos labores consequi non meruit, mihi, licet indignissimo, largiaris.* Hujusmodi sanctis viris ad extrema quæque mortemque ipsam anhelantibus si quis forte obloquatur, multasque potius Græco more accinat πολυχρονίαν, referent illi haud cunctanter cum Ignatio Antiocheno ad bestias properante: *Ignoscite Quid mihi prosit, ego scio* (*Epist. ad Romanos*).

S. BERNARDI GLORIA POSTHUMA AMPLIFICATA.

(*Decreta authentica Congregat. Sac. Rit.* t. VIII, Romæ, 1849, in-4, n. 4510 et 4516.)

S. BERNARDUS ABBAS CLAREVALLENSIS DOCTORIS TITULO DECORATUS.

ROMANA SEU ORDINIS CISTERCIENSIUM.

—

Spiritu intelligentiæ replevit Dominus Deus ad Fidelium exemplum et instructionem Sanctum Bernardum Clarevallensem Abbatem, qui mentis acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia excellens tanquam imbres emisit eloquia sapientiæ suæ, quam tot volumina ediderit, Apostolicam Sedem, summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra schismaticos adjuverit, ac debaechantium ea ætate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque exstinxerit. Licet vero

Digitized by Google

pluribus abhinc sæculis, et viginti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte ab Alexandro III sanctitate vitæ, miraculisque cognitis inter sanctos Cœlites ascriptus fuerit, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen desiderabat inter Ecclesiæ Doctores Sanctum Bernardum referri, ac per totum Orbem haberi Monachorum Cirterciensium Ordo, cujus propagator ac decus præcipuum Santus Abbas refulsit. Plures insuper Cardinales Patres ejusdem erga Ecclesiam merita recensentes cum iisdem Cisterciensibus a SSmo Domino Nostro Pio Papa VIH postularunt, ut S. Bernardi Abbatis festum cum officio et missa de Communi Doctorum celebrandum decerneret. Hujusmodi precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Conventu in Quirinali Palatio habito die 18 Julii 1829, relatis ab Rmo. Cardinali Julio Maria De-Somalia jam Sac. Rituum Congregationi Præfecto, cæteri Cardinales Sac. Ritibus tuendis præpositi simul omnes proclivem animum ostenderunt: attamen SSmus Dominus Sac. Rituum Congregationis morem servandum in omnibus ratus, si quid objici posset, id per Sanctæ Fidei Promotorem oppositis Animadversionibus in medium proferri voluit. Quibus quum Responsiones subjecissem, Postulatores in Ordinario Conventu diei 17 Julii 1830 in Quirinalibus Ædibus, referente Rmo Cardinali D. Placido Zurla Urbis vicario, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ea fuit unanimis Rmorum Cardinalium sententia, nimirum: — *Pro gratia confirmationis Tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum et Epistola, secundo loco pro Ecclesia Universali, ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei, et ad D. secretarium cum SSmo. Die 17 Julii* 1830.

Horum omnium et singulorum facta SSmo Domino Nostro Pio VIII. Pont. Max. per me infrascriptum Sac. Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit, hac desuper re Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri jussit. Die 23 recensiti mensis et anni.

PIUS PAPA VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod unum ad Divi Bernardi Clarevallensis Abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclyto monachorum Cisterciensium Ordini, de hac S. Sede semper optime merito cujus propagator, ac decus præcipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab Universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia maxime fuit adjumento, quum tot ipse volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, et debacchantium ea ætate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque exstinxerit, ac quoscunque Romanæ Ecclesiæ osores sua doctrina retuderit; quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostræ perficere datum est. Licet enim pluribus abhinc sæculis, et viginti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro PP. III, Prædecessore Nostro, sanctitate vitæ, miraculisque cognitis albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen ejus virtutum, meritorumque coronæ aliquid fulgoris erat addendum, titulus Doctoris, quo Divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus Sanctæ Sedis Decreto in Universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sac. Ritibus tuendis Præpositi in Ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die 18 Julii anno 1829, referente cl. m. Cardinali Julio Maria De Somalia jam Sac. Rituum Congregationi Præfecto, petitæ confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspenso hujusmodi judicio; Sanctæ hujus Sedis morem servantes, si quid objici posset, id per S. Fidei Promotorem appositis animadversionibus in medium proferri mandavimus. Quibus cum responsiones subjecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17 Julii currentis anni in Quirinalibus Ædibus, referente dilecto filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. Nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem Sac. Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac desuper re expediri mandavimus. Quapropter precibus totis Ordinis Monachorum Cisterciensium, quibus plures dignitate, ac pietate præstantes viri sua studia, ac postulata junxerunt, benigne annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum a Regulari, tum a Sæculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quæ incipit: *Justus*, etc., cum additione vi Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem Sac. Rituum Congregationis. Ac præterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res

Digitized by Google

postulaverit, adhiberi volumus, et decernimus. Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc cœlestis gratiæ dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris vere pœnitentes, et sacramentali confessione præmissa, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cisterciensium a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc præsentem Nostram concessionem perpetuo duraturam, sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Prælatis per universum terrarum Orbem constitutis per præsentes mandamus, ut quæ superius sancita sunt, in suis provinciis, civitatibus, ecclesiis et diœcesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis sæcularibus, et quorumvis Ordinum regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Hæc præcipimus, atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscoris die 20 Augusti 1830, Pontificatus Nostri anno Secundo.

J. CARD. ALBANI.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS ET DOCTORIS.

Missa de Communi Doctorum, cum Epistola secundo loco, quæ incipit : *Justus cor suum.*

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O. Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrente. Lectiones II Nocturni propriæ ut in Breviariis, et in fine VI Lectionis addatur ut sequitur:

Pius vero VIII. Pont. Max., ex Sac. Rituum Congregationis consilio, S. Bernardum universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit et confirmavit, nec non Missam, et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III Nocturni : *Vos, estis sal terræ.* In Martyrologio addatur : Quem Pius VIII Pont. Max. universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit et confirmavit.

DECRETUM.

Suprascriptam additonem VI Lectioni faciendam in Officio S. Bernardi Abbatis, et Doctoris, et Martyrologio Romano ab Emo, et Rmo D. Card. Placido Zurla Relatore caussæ, et R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore revisam, SSmus Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max. adprobavit, atque in suprad. Officio et Martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit. Die 23 Julii 1830.

C. M. Episc. Prænest. Card. PEDICINIUS Præf.

Loco † Sigilli.

J. G. FATATI S. R. C. Secretarius.

BONONIEN.

(S. Bernardus non est accensendus inter doctores in litaniis.)

Sacrorum Rituum Congregationem requisivit Emus, et Rmus D. Cardinalis Opizzoni Archiepiscopus Bononien. pro sequenti declaratione nimirum; quum per Breve sa. me. Pii VIII. S. Bernardus Abbas Clarevallensis accenseatur inter sanctos Doctores, an in Litaniis Sanctorum de Eodem mentio fieri debeat inter Sanctos Doctores, vel an retinendus inter Sacerdotes, et Levitas?

Et Emi ac Rmi Patres tuendis Ritibus præpositi in Ordinario Cœtu ad Quirinale sub infrascripta die habito respondendum censuerunt : *Nihil innovandum.* Die 16 Aprilis 1831.

Digitized by Google

MONUMENTA
SAC. CLARÆVALLENSIS ABBATIÆ
ET EPITAPHIA
SANCTORUM ET VIRORUM ILLUSTRIUM
QUI IBIDEM SEPULTI SUNT.

(Ex *Fasciculo sanctorum Ord. Cisterciensis*, auctore R. P. F. Chrysost. Henriquez, lib. II, Distinct. XLI, p. 407. — Bruxellæ, 1623, in-fol.)

—

CAPUT PRIMUM.

De admiranda Clarævallensis cœnobii perfectione, quæ in hodiernum usque diem ibidem perseverat.

Antequam monasteriorum, quæ sacer noster Ordo Cisterciensis in diversis mundi provinciis habet, catalogum ponam, visum hic et sanctarum reliquiarum, quas religiosissimum Clarævallis cœnobium sinu suo fovet, meminisse: scatet enim ejus beatum solum sanctis corporibus, quorum animæ jam gloria æterna fruuntur. Felix namque hæc domus a primo sui exordio, quo S. P. N. Bernardus primum ibi lapidem jecit, inæstimabiles sanctitatis et virtutum thesauros produxit, et producit. Hinc prodierunt sanctissimi viri, qui peragratis obscuris et profundis eremis inter silvas et montes innumeras deduxerunt colonias, et monasticam in eis disciplinam instituerunt. Hac domo in necessitatibus usa est Ecclesia, hinc firmissimas ad se sustentandam columnas eruens, ut videre est in quam plurimis cardinalibus et episcopis inde eductis. Quorum multi animo magno se hæreticis opposuerunt, suoque exemplo et virtute Catholicos in fide confirmarunt. Quis enumerare sanctos, quos hinc cœlum possidet, sufficiat? Quis admirandum modum et dona, quibus purissima Virgo Deipara sanctam hanc congregationem prosecuta est, dicere queat? Quoties a facie sanctorum horum monachorum, dum in agris meterent sudorem abstersit? quoties eos visitavit et amplexa est? Quoties eosdem in capitulo consolata est visibili modo, et ad amplexum suum admisit? Quoties eos abstinentiis debilitatos suavissimis cibis propria manu fovit? Quoties eis dormientibus dormitorium intravit, et benedictionem suam impertivit, ut eos a communi generis humani hoste tueretur? Hujusmodi favores hic referrem, nisi proprium hæc haberent locum sequentibus libris. O felix domus, in qua tam miranda contigerunt, ad quam tam familiariter Christus ejusque sanctissima mater diverterunt? In quâ tam floruit evangelica paupertas, monastica perfectio et vita apostolica!

Quod vero maximam mihi parit admirationem est, quod post tot sæcula religiosa disciplina in sancta hac valle perseverat in primo rigore, nec virtutum color mutatus sit, quas hic primi ejus plantarunt fundatores. Quod ante omnia universitatis hujus moderatori, qui singulari providentia sanctam hanc congregationem respicit, ejusque gloriosæ matri et Cisterciensium speciali protectrici Mariæ, ejusque fundatori S. Bernardo, denique prælatis qui eam rexerunt, quorumque sanctitatem et providentiam universalis Ecclesia exosculatur et veneratur, tribuendum procul dubio est. Utque clarius constet Deum sanctum hoc monasterium singulari conservare providentia, hoc miserando ævo, quo charitas plane refrixisse videtur, in prælatum elegit valde R. P. Dionysium Largentier, eximia prudentia, rara virtute, et magna eruditione virum. Cujus zelo et religione non solum in suo monasterio, sed et in aliis quam plurimis sacræ nostræ religionis rigor conservatur. Dici non potest quanta sollicitudine Ordinis reformationi intendat, quanto zelo procuret ut antiquorum Patrum statuta serventur, utque rursus novæ dicantur leges ad Ordinis nostri conservationem. Non incerta refero, quamvis enim R. hunc Patrem de facie non norim, tamen hæc hisque majora narrantes audivi reverendos Patres Bernardum Montgaillard Aureæ-vallis abbatem, et Guillelmum del Castello monasterii de Baudeloo, et Henricum vander Heyden Villariensem abbates: qui omnes uno ore pietatem, virtutem et zelum reverendi hujus prælati extollunt. Huic ergo magna religio, qua monasterium hoc illustratur, merito debetur. At ei gratulamur, de diligentia, qua procurat proprio exemplo et virtute et sub-

Digitized by Google

citorum Ordinis nostri nomen et famam prorogare; agemus de viris sanctis et illustribus, qui olim domum istam suis virtutibus illustrarunt, et jam corA poribus suis honorant, ponamque epitaphia, quæ in quodam ms. codice Dunensis bibliothecæ inveni.

CAPUT II

Sequuntur epitaphia trium tumbarum sanctorum in Claravalle existentium.

Epitaphium beatissimi Patris Bernardi.

Hic requiescit corpus beatissimi Patris nostri Bernardi, primi Claræ vallis Abbatis. Qui fuit vir in diebus suis vita et moribus sanctissimus : in miraculis faciendis post Apostolos clarissimus, in intelligentia et expositione sacræ Scripturæ Doctor egregius. Inter discordantes pacis reformator præcipuus. Hæresum et errorum tunc temporis in Ecclesia pullulantium reprehensor et corrector industrius. In multis, quæ prædicebat, Propheta veridicus. Monasteriorum et Religionis ampliator devotissimus, lucerna singularis non solum Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam Christianitatis universæ. Hic, anno ab incarnatione Domini millesimo, centesimo, decimo tertio, a constitutione domus Cistercii decimo quinto, annos natus circiter, viginti duos, Cistercium ingressus cum sociis amplius quam triginta sub Abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. Anno autem Domini millesimo centesimo quinto, mense Junio, missus fuit cum Fratribus germanis, et Conventu suo ad locum istum, qui nunc vocatur Claravallis, antea autem Vallis Absynthialis, ubi triginta et octo annis Abbatis seu boni Pastoris officium adimplevit. Anno autem ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio, ordine ubique dilatato, et amplius quam centum sexaginta Monasteriorum C ordinis nostri Pater existens, consummatis feliciter vitæ suæ diebus, et annis circiter LXIII. expletis, XIII. Kal. Septembris hora diei pene tertia, inter graves singultus et lachrymas uberes circumstantium filiorum migravit ad Dominum, ad multos quos ipse præmiserat lætabundos cœtus Monachorum, ad obvia agmina, quorum in terris vitam duxerat, Angelorum. Cujus vitæ imitatores et gloriæ participes nos faciat, qui sine fine vivit et regnat.

Epitaphium S. Malachiæ Episcopi ac totius Hiberniæ Primatis.

Hic requiescit corpus Beati Malachiæ quondam Archiepiscopi et Primatis totius Hiberniæ ac Sedis Apostolicæ Legati, viri Apostolicæ vitæ et miraculis gloriosi. Hic est qui Scotiæ et Hiberniæ populos, homines scilicet tunc temporis barbaros, nulla conjugia ineuntes, nullas confessiones seu pœnitentias D facientes, ad Ecclesias non accedentes, nulla Sacramenta Ecclesiastica percipientes, re paganos, solo nomine Christianos, licet antea per Beatum Patricium ad fidem fuissent conversi, cum maximis periculis et difficultatibus propulsata barbarie et paganica consuetudine, in fide Catholica instruxit et institutis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout potuit, confirmavit. Monachorum insuper Cisterciensis Ordinis, Canonicorum regularium, aliorumque religiosorum conventus per terras illas diffusius propagavit. Quibus juvante Deo consummatis, ab ulteriori Scotia ad Claramvallem, quam suæ mortis locum semper optaverat, suo pio desiderio Domino B satisfaciens, advenit, ubi septimanis circiter tribus expletis, anno ab incarnatione Domini M. C. XLVIII, ætatis autem suæ LIV, nocte, qua fit anniversarium fidelium omnium defunctorum, sicut semper optavit et prædixit singulis ab ipso benedictis, singulis manibus impositis, sæculo valefaciens ab Angelis lætabunde suscipitur, et civium supernorum beatissimo collegio sociatur, secundum quod beatissimo Patri nostro Bernardo Missarum solemnia in crastino celebranti in ipso Missæ canone cœlitus exstitit revelatum, cujus preces et merita gloriosa, coram Deo gratiam nobis impetrent in præsenti, et gloriam in futuro. Amen.

Epitaphium sanctissimorum Martyrum Eutropii, Zozinæ et Bonosæ, etiam existentium in prædicta Claravalle.

Hic continentur corpora sanctissimorum Martyrum Eutropii, Zozinæ et Bonosæ sororum, quæ tempore felicis recordationis Honorii Papæ tertii assumpta fuerunt per piæ memoriæ venerabilem Patrem et Cardinalem Conradum quondam Portuensem Episcopum de altari ecclesiæ S. Laurentii ejusdem civitatis, ubi quondam fuerunt honorifice et honeste recondita, antequam dicta civitas ad ruinosæ desolationis exterminium deduceretur. Propter quod, benigna Dei providentia, per dictum Reverendum Cardinalem a præfato loco translata fuerunt, et B. Bernardo et Ecclesiæ Claræ vallis transmissa, ut ibidem gloriosius collocarentur, et cum veneratione debita colerentur, sicque tantæ præsentiæ sacra consideratione, corda fidelium ad Deum devotius diligendum, eique ferventius famulandum excitarentur, mediantibus ipsorum sanctorum preciosis meritis et pia intercessione. His vero tribus S. Martyribus adjunctus est quartus Martyr et collocatus cum ipsis, cujus nomen adhuc ignoramus, cujus corpus sacrum una cum dictis tribus Claramvallem misit dictus D. Cardinalis Episcopus Portuensis.

Item conditæ sunt cum ipsis Beata Walta, Cristantia, Petronella et Domicella, quæ sunt de numero undecim millium virginum, et duo capita quorumdam sanctorum, et aliæ reliquiæ plurimorum sanctorum.

CAPUT III.

De S. R. E. Cardinalibus qui ibidem quiescunt.

Post descriptionem epitaphiorum Sanctorum in ecclesia Claræ vallis honestissime sepultorum, videndum est de sepultura virorum illustrium ibidem quiescentium, et sciendum est, quod in eadem ecclesia, prout patet per superscriptiones tumulorum, requiescunt et jacent quatuor Cardinales et sexdecim tam Archiepiscopi quam Episcopi, et plures alii notabiles viri et personæ, quorum omnium tituli inferius annotantur.

Et primo de prænominatis Cardinalibus.

Digitized by Google

B. Henricus S. R. E. Cardinalis.

Primo inter tumbas sanctissimorum Confessorum Christi Bernardi et Malachiæ jacet bonæ memoriæ D. Henricus VII. Abb. Claræ-vallis, postea Albanensis Episcopus, Cardinalis et Apostolicæ sedis Legatus. Iste Henricus Cardinalis, Episcopus Albanensis vir nobilis et clarus de castro Marciaco, juxta Cluniacum fuit natus, et sub D. Roberto de Brugis secundo Abbate Claræ-vallis in hac domo Claræ-vallensi habitum sacræ religionis assumpsit, infra vero quartum annum puer imbarbis et adhuc mixtum sumens, omnibus mirantibus Abbas Altecumbæ est effectus. Quantum vero idem Monasterium sub eo, auxiliante Deo, profecerit spiritualiter et temporaliter, ipsæ res et rerum possessores hodie protestantur. Domino autem Gerardo VI, Abbate Claræ-vallis apud Igniacum per Martyrium consummato, votis omnium Claræ-vallensium in Abbatem ejusdem Claræ-vallis assumitur. Ubi tantam gratiam non in ordine tantum, sed apud Reges Francorum pariter et Anglorum, apud Principes et Barones obtinuit, quantum nemo Claræ-vallensium a B. Bernardo, habuerit ante eum. Duo enim in hac Claravalle bona opera atque magnifica, exceptis aliis innumeris bonis, gloriose consummavit; nam B. Bernardum quem jam D. Alexander Papa III, canonizaverat, et diem depositionis ejus, ab universa Ecclesia cum gaudio celebrari præceperat, convocatis hinc inde venerabilibus Episcopis aliisque reverendis personis per venerabilem P. D. Nicardum Archiepiscopum Lugdunensem quondam Abbatem Pontigniacensem fecit cum maximo gaudio et exsultatione totius Ecclesiæ Gallicanæ, elevari et relevari et in tabernaculo marmoreo, retro altare B. Mariæ Virginis, sicut hodie apparet, religiose et honorifice collocari. Ecclesiam etiam istam inclitus et illustris Rex Angliæ Henricus amore et honore Dei et ipsius Henrici Abbatis Claræ-vallis fecit plumbo pulcherrime cooperiri. Dum autem Claravallis in manibus ejus amplius clarificaretur, in Episcopum Tholosanum votis, et desiderio universorum solemniter est electus, quod ipse totis viribus renuens, nec aliquo modo suscipere volens apud Cistercium pari Abbatum et Fratrum concilio in Abbatem Cistercii eligitur, quod similiter totis viribus recusans, a Domino Alexandro Papa tertio, ad Lateranense Concilium ex nomine per litteras evocatur, retinetur, Cardinalis efficitur, et in Albanensem Episcopum quamvis invitus consecratur, Legatusque mittitur ad provincias transmontanas, et ad hæreticos propulsandos, data ei sedis Apostolicæ auctoritate, ut evellat et dissipet, et ædificet et plantet, qui duos Archiepiscopos Lugdunensem scilicet et Narbonensem, quia inutiles et reprehensibiles esse videbantur, in spiritu vehementi velociter deposuit. Abbates nigros, et multarum Ecclesiarum Prælatos, quantum potuit, emendavit, Castrum munitissimum hæreticorum, quod valle munitur, per miraculum cepit, satrapas hæreticorum tenuit, convicit, convertit et errorem suum coram omnibus cognoscere fecit. Postea visitata sua Claravalle et muneribus honorata, ad Romanam curiam rediit, atque a Domino Papa Lucio, Alexandro jam defuncto, et a cæteris Cardinalibus honorifice est receptus. Tandem Domino Lucio post quatuor annos mortuo, et Urbano ei in Papatum succedente, ipsoque infra duos annos velociter defuncto, sanior pars Cardinalium voluit ipsum in Papam eligere. Ipse totis viribus renitens, signoque crucis se muniens, affirmavit se nullum aliud officium assumere nisi terræ Hierosolymorum succurrere, et cruces ubique prædicare. Consecrato igitur D. Gregorio octavo in Papam, legationem plenissimam ab eo suscepit, ad Imperatorem, Reges et Principes et universos Christianos pro crucibus faciendis et pro aliis negotiis Ecclesiasticis universis. Per Dei vero misericordiam et viri sancti prædicationem et laborem Imperator Maguntiam cum sexaginta octo magnis Principibus exceptis aliis, quorum non est numerus, signo crucis est insignitus, et Reges Francorum pariter et Anglorum crucis charactere sunt signati. Veniens vero Leodium, cum ad prædicationem suam plusquam sexaginta sex clerici præbendas suas præ timore Simoniæ in manu ejus resignassent, ipse eis sine Simonia et aliter et alias restauravit. Dum autem ad partes Flandriæ, pro pace reformanda inter Comitem Flandriæ et Ecclesiam Atrebatensem, quamvis graviter infirmus properaret, pacem inter eos non sine multorum admiratione reformavit. Ingravescente tandem infirmitate, quam simpliciter minima peccata confessus fuerit, quam devote viaticum et ultimæ unctionis Sacramentum susceperit, longum est enarrare. Tandem imminente hora, ut transiret de hoc mundo ad Deum, ante altare B. Andreæ in Atrebato, sicut ipse præceperat, est delatus, ibique inter verba devotæ orationis in Domino, ut pie creditur, feliciter obdormivit. Ab Atrebato demum, sicut præceperat, corpus ejus ad Claramvallem translatum est, et hic inter B. Bernardum et B. Malachiam, III Idus Januarii ab Episcopo Lingonensi omnibus rite peractis honorifice est sepultum, circa annum Domini 1186.

Epitaphium ejusdem Henrici.

Subjacet huic lapidi quondam notissimus orbi
Abbas Henricus Romano cardine dignus.
Lubrica qui vani contemnens gaudia mundi,
Terræ membra dedit, cœlis animamque remisit.

Jacobus S. R. E. Cardinalis Episcopus Prænestinus.

Juxta beatum Malachiam, in presbyterio scilicet ad ejus sinistram jacet bonæ memoriæ Dominus Jacobus de Placentia, Archidiaconus Ravennæ, postea Monachus Claræ-vallis, deinde Trium fontium Abbas, denique Prænestinus Episcopus Cardinalis.

B. Conradus S. R. E. Cardinalis Episcopus Portuensis.

In eodem presbyterio juxta prædictum Dominum Jacobum Cardinalem, ad sinistram minoris altaris, jacet bonæ memoriæ Dominus Conrardus frater olim Comitis Egni de Friburg, qui primo Villariensis, deinde Claræ-vallensis postea Cisterciensis extitit Abbas, et demum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus Cardinalis. De ipso legitur illud memoria dignum, quod digiti sacri, quibus Dominici corporis et sanguinis hostiam offerre solitus erat, tanta luminis claritate frequenter effulgere visi sint, ut noctis ei tenebras tamquam meridiem illustrarent. Plurimis locum Claræ-vallensem decoravit reliquiis, inter quas est caput sancti Vincentii et Christi martyrum Eutropii, Zozinæ et Bonosæ. Legationis a latere functus est officio multoties, in quo varias hæreticorum perfidias magnifice compescuit et repressit. Cum denique in transmarinis partibus diem transitus sui de hoc mundo propinquare agnosceret, instantissime præcepit, ut ossa sua deferrentur ibidem, quæ voluntas ejus ultima per Claræ-vallenses fideliter est impleta; obiit autem anno gratiæ 1227, prid. Kal. Octobris.

Joannes S. R. E. Cardinalis.

Inter beatum Bernardum et beatos Martyres jacet Dominus Joannes de Buxeriis, trigesimus secundus Abbas Claræ-vallis, qui postea factus est Abbas Cistercii, et demum effectus est sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De episcopis in Claravalle sepultis.

Joannes Archiepiscopus Lugdunensis.

Sub gradu altaris majoris in sinistra parte, recte contra pulpitum Evangelii, jacet bonæ memoriæ Dominus Joannes, Lugdunensis Archiepiscopus.

Hugo Lingonensis Episcopus.

Ante altare B. Benedicti Abbatis jacet R. Pater Dominus Hugo, Lingonensis Episcopus.

Manasses Episcopus Lingonensis.

Ante medium altaris B. Michaelis Archangeli jacet Dominus Manasses, venerabilis Episcopus Lingonensis.

Joannes Mithelenensis Archiepiscopus.

Item ibidem, videlicet in sinistra parte ejusdem altaris jacet bonæ memoriæ Dominus Joannes, Mithelenensis Archiepiscopus, humilis Abbas Claræ-
vallis, qui diu in hac Claravalle, et humiliter con-
versatus est, a carnis vinculis feliciter absolutus. Obiit ann. Domini 1240. XII Kal. Maii.

Robertus Episcopus Leodiensis.

Ante altare B. Andreæ Apostoli, in sinistra parte ipsius, in quodam arcu jacet bonæ memoriæ Dominus Robertus, Episcopus Lingonensis, postea Leodiensis.

Garnerius Episcopus Lingonensis.

Item ante medium altaris Salvatoris Domini et Dei nostri, jacet Reverendus Pater Dominus Garnerius, nonus Abbas Claræ vallis, postea Lingonensis Episcopus.

B. Eskilus Lundensis Episcopus.

Item ibidem in arcu ad sinistram ipsius altaris jacent : primo in prima parte ipsius sepulturæ re-
quiescit vir magnificus et insignis ac de stirpe re-
gia oriundus, felicis recordationis Dominus Eskilus, quondam Lundensis Archiepiscopus et totius Daciæ ac Sueciæ Primas, qui tempore B. Bernardi veniens Claramvallem, et Monachus factus ibidem summæ humilitatis et totius honestatis ac religionis se speculum exhibuit, et Monachalis perfectionis exemplar suis posteris dereliquit. Obiit autem anno incarnationis Dominicæ M. C. LXXXI.

Radulphus Archiep. Lugdunensis.

Sepultus est etiam ibidem cum eodem sanctæ et dulcis memoriæ Dominus Radulphus, quondam Abbas Claræ vallis, deinde Agynensis Episcopus, et demum Archiepiscopus Lugdunensis.

Aleydis mater S. P. Bernardi.

Item etiam ibidem jacet piæ recordationis nobilis domina et Deo devotissima Aleydis, mater Doctoris egregii et Patris nostri B. Bernardi primi Claræ-
vallis Abbatis, quæ primo apud Divionem sepulturæ tradita fuit in Monasterio B. Benigni. Postea vero, Domino volente et nobiscum pie agente, ad humilitatis nostræ exciiandam et ampliandam devotionem translata est usque Claramvallem, et coram altari Sancti Salvatoris collocata, anno Domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo, XIV Kal. Aprilis.

Adam Episcopus Morinensis (96).

Ante medium altaris Sancti Mammetis noster jacet bonæ memoriæ Dominus Adam, quondam Episcopus Morinensis et Monachus Claræ vallis.

B. Godefridus Lingonensis Episcopus.

Ante altare omnium Sanctorum jacent quinque venerabiles Episcopi, et primo sepultus est recte contra medium ipsius altaris vir vitæ laudabilis Dominus Godefridus, quondam Lingonensis Episcopus, cognatus B. Bernardi. Hic de primis filiis ejus fuit, qui præsens cœnobium in suo sanguine fundaverunt, hic tertius Prior Claræ vallis fuit, postea primus Abbas Fontineti, qui fundato loco regulariterque ordinato ad suam Claramvallem rediit, ubi postea per plures annos præsertim tempore schismatis, quod in Romana Ecclesia tunc vehementer exarsit, dum Beatus Bernardus semetipsum Ecclesiæ sanctæ periculis in diversis provinciis opponeret; ipse vices ejus tam strenue quam fideliter gerens, non modo negotiis et utilitatibus Monasterii providebat, sed quod magis est etiam, quoties erat opus, aliis cœnobiis vacantibus de Abbatibus providebat, et tanquam alter Abbas Bernardus, non solum in Claravalle sed in toto ordine habebatur. Sedatis ergo prædictis seditionibus, dum in Claravalle Prioris officio fungeretur, ad Lingonensem Cathedram est assumptus, postea cum piæ memoriæ Rege Ludovico Apostolicæ sedis functus legatione Hierosolymam est profectus. Igitur cum eodem Rege de itinere prædicto rediens, in Episcopatu suo usque ad transitum Beati Bernardi, et post eum per annos circiter octo quievit. Postea vero ad beatæ memoriæ Alexandrum summum Pontificem accedens, cessionem petiit, quam (vix tamen), instantissimis precibus impetravit. Rediens igitur cum litteris Apostolicis Cathedræ valefecit et iterum ad Claramvallem se contulit, fecitque fabricari ad opus suum in loco, unde sanctus Bernardus migraverat, capellulam satis humilem ut apparet, et per annos tres et menses circiter novem domum sancti Bernardi eidem capellæ contiguam inhabitans, in sanctaque religione perseverans circa annum Domini 1165, sexto Idus Novembris in Domino, sicut pie creditur, feliciter requievit.

De Episcopo Soritano infirmario Claræ vallis.

Ad sinistram vero dicti Domini Godefridi Lingonensis Episcopi versus cœmiterium sepultus est vir venerabilis Dominus Gaufridus de Meleduno, ex illustri stirpe Gallorum, Senonensis procreatus Episcopus Soritanus, qui sub bonæ memoriæ Domino Roberto secundo Abbate Claræ vallis in hac Claravalle habitum sacræ religionis assumpsit, sub eoque et pluribus successoribus ejus diversa gerens officia, inter Fratres suos cum eorum gratia et favore est laudabiliter conversatus. Demum cum infirmorum Fratrum esset sibi sollicitudo commissa sub Domino Gerardo sexto Abbate Claræ vallis, factus est Episcopus Soritanus in Sardinia in provincia Turritana, quem non traxit ambitio, sed professio compulit, ut alumnus Galliæ ad ritus Barbaros, et linguam quam non noverat, pertransiret. Ubi vixit per annos septem, et Monasterio Claræ-
vallis plurima conferens in pauperes et loca cætera abdicavit, professusque est Monasticen in Claravalle.

(96) De hoc hæc habet Bzovius : «.Hoc anno (scilicet 1229.) Adam Morinorum episcopus, vir omni vita laudabilis, confectus jam ætate præsulatu se

Digitized by Google

dispergebat. Audiens autem canonizationem B. Bernardi per fælicis memoriæ Alexandrum Papam tertium factam, et translationem corporis ejusdem B. Bernardi sub Domino Henrico Abbate septimo Claræ vallis faciendam, ad capitulum generale veniens, exinde ad Claramvallem festinavit, ubi cum Archiepiscopo Lugdunensi et Coepiscopis officiosissime studuit interesse. Exinde per dies singulos febre invalescente ad eum, quem honore debito usque celebrem sepulturam, quæ usque hodie apparet, devote fuerat prosecutus, Domino vocante migravit, sicut pium est opinari. Obiit autem prid. Idus Octob. circa annum Domini millesimum, centesimum, septuagesimum nonum.

De Episcopo Humanatensi.

Post eum vero versus cœmiterium ad Aquilonarem partem sepultus est piæ recordationis Dominus Jacobus Humanitatis Episcopus.

Alanus Episcopus Altisiodorensis.

Ad dexteram vero dicti Domini Godefridi quondam Lingonensis Episcopi, versus chorum, jacet Dominus Alanus Episcopus Altisiodorensis, qui in quadam Ecclesia oppidi famosi in Flandria, quæ Insula nuncupatur, a puero educatus sub Beato Bernardo in hac Claravalle habitum Religionis suscepit. Postea primus Abbas factus est Monasterii, quod Ripatorium nominatur. Cui per annos duodecim præsidens Domino cooperante sategit, ut personis utilibus et possessionibus necessariis videlicet grangiis, silvis, agris, pratis et pascuis idem Monasterium ditaretur. Anno vero novissimo vitæ B. Bernardi ab Ecclesia Altisiodorensi in Episcopum concorditer est electus. Hic multam hospitalitatem omnibus Religiosis domos suas frequentantibus exhibuit, suoque Monasterio de Ripatorio, unde Abbas fuerat, multa noscitur contulisse, Claræ vallensi autem cœnobio quantam poterat diligentiam exhibebat, illud sæpe visitans, auxilia quanta poterat conferens oportuna.

Peractis demum in Episcopatu trédecim annis, de licentia sedis Apostolicæ cessit Episcopatu et ad suam rediit Claramvallem : mansit autem in Claravalle in domo Sancti Bernardi, quam post discessum Domini Godefridi Lingonensis Episcopi, cessit suo Episcopatui, plurimaque solatia Fratribus exhibens et tamquam multum exercitatus in negotiis Ordinis pariter et Ecclesiasticis, Domino Abbate Pontio et successoribus ejus usque ad Dominum Petrum Venerabilem Abbatem Claræ vallensem octavum non mediociter necessarius fuit. Obiit autem prid. Idus Octob. in Domino feliciter consummatus, circa annum Domini millesimum, centesimum, octuagesimum primum.

Guido Episcopus Helenensis.

Post ipsum etiam versus chorum Monachorum sepultus est bonæ memoriæ Dominus Guido, Monachus et Prior Therloci, postea Episcopus Helenensis. Obiit autem circa festum omnium Sanctorum anno Domini millesimo, trecentesimo, vigesimo septimo.

Nicolaus Roskildensis Episcopus.

Ante medium altaris Sancti Martini Episcopi jacet bonæ memoriæ Dominus Nicolaus Roskildensis Episcopus consanguineus Domini Eskili Laudensis metropolis in Regno Daciæ Archiepiscopi, exul pro libertate suæ Ecclesiæ : qui obiit anno Domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo nono. Octavo Kal. Octob.

Henricus Episcopus Trojæ.

Ante medium altaris Sanctissimæ Trinitatis jacet bonæ memoriæ Dominus Henricus magnæ Trojæ Episcopus et Monachus Claræ vallis.

CAPUT V.

De aliis viris illustribus, quorum corpora in Claravalle recondita sunt.

Stephanus de Courcellis.

Ante altare Beatæ Mariæ Magdalenæ in sinistra ipsius sub tumba marmorea nigra jacet Dominus Stephanus de Courcellis, quondam Canonicus Tullensis, qui in epitaphio metrico commendatur multipliciter tamquam totius sobrietatis, pietatis, devotionis, castitatis et humilitatis insignitus.

Margareta Regina Navarræ.

In presbyterio in tumba elevata jacet inclitæ recordationis Domina Margareta Navarræ Regina, Campaniæ Comitissa et Briæ Palatina. Obiit autem anno Domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo octavo, quarto Kal. Aprilis.

Elizabetha filia S. Ludovici Regis.

In medio chori in tumba elevata deaurata sepultum est cor illustrissimæ Dominæ Isabellæ filiæ Sancti Ludovici, uxoris Domini Theobaldi Regis Navarræ et Comitis Campaniæ. Obiit anno millesimo, ducentesimo, septuagesimo primo.

B. B. Gerardus, et Petrus Abbates.

In magno claustro sub primo arcu, juxta ostium Ecclesiæ, requiescunt venerabiles viri bonorum memoriæ digni, Dominus Gerardus sextus et Dominus Petrus octavus Claræ vallis Abbates, quorum prior post laudabilem vitam pro justitia et zelo Ordinis innocens occisus est. Alter vero sanctæ paupertatis et humilitatis ferventissimus æmulator, multis in vita sua virtutibus claruit. Hos apud Deum patronos habere mereamur. Amen.

B. Robertus Dunensis.

Sub secundo arcu lapideo in eodem claustro sunt ossa plurium personarum in priori capitulo sepultarum, pro illius quod nunc extat dormitorii et novi capituli ædificatione translata, nam et primas litteras nominum singulorum insculptas ibidem lapidibus diligens lector inveniet. Medium autem locum cæteris præeminentiorem Dominus Robertus de Brugis, secundus Claræ vallensis Abbas obtinet. Qui cum illustri viro Domino Gaufrido de Perona, Thesaurario Ecclesiæ Sancti Quintini in hac Claravalle sacræ Religionis habitum suscepit. Cum autem Monasterium de Dunis, quod a Monachis nostri habitus, sed non nostri Ordinis ædificari cœperat, minime proficeret, traditumque B. Bernardo fuisset : tunc Sanctus Bernardus eumdem Dominum Robertum ibidem ordinavit Abbatem. Infra vero paucos annos totum idem Monasterium ædificatum et locupletatum est possessionibusque ditatum, et in ea benedictione præventum cujus eidem loco usque hodie gratia perseverat. Hunc igitur virum venerabilem, Sanctissimus Pater noster Bernardus ante paucos dies suæ fælicissimæ migrationis præsentibus suis fratribus, non sine multa recommendatione personæ ejus suum eligi monuit et consuluit successorem. Ipsum ergo post transitum ejus Dominus Godefridus Lingonensis Episcopus quondam Prior Claræ vallis Abbatem nominavit. Cui Dominus toto tempore sui regiminis intus et foris, non solum in sua Claravalle, sed et in filiabus ejus tantam pacem contulit, ut fælicissima illa tempora viderentur. Transactis autem tribus annis et dimidio cum

Digitized by Google

die sancta Parasceves nudis pedibus incessisset, vehementerque frigore afflictus fuisset, ad Vigilias sequentis Sabbathi tam gravi febre correptus est, ut non sine difficultate potuerit ex stallo suo fratrum manibus in infirmitorium deportari, ubi eadem febre paucis diebus vexatus in confessione pura et humili jugiter perseverans, non sine magno planctu totius congregationis, tertio Kal. Maii in Domino requievit.

B. Serlo Abbas.

Eumdem etiam locum obtinet Dominus Serlo vir Deo dignus, qui Savigniacum cum triginta Abbatiis in generali capitulo Cisterciensi præsente Beatissimo Papa nostro Eugenio tertio per manum Sancti Bernardi Ordini nostro sociavit, et Clarævallensi cœnobio submisit et contulit. Cum vero nomen et officium post aliquot annis deposuisset Abbatis, eodem anno, quo Sanctus Bernardus ab hac vita migravit, et Dominus Robertus ei feliciter Domino disponente successisset, Dominus Serlo prædictus eidem individuum comitem et in omnibus officiosum sese exhibuit, et in opere sanctæ prædicationis ad ædificationem fratrum toto tempore, quo præfuit ad ejus imperium jugiter laboravit, id enim officium eidem imponebat, quem ad hoc ipsum promptissimum fecerat exercitatio diuturna et benignitas gratiosa. Mortuo autem Domino Roberto et Domino Fastredo in Abbatem Clarævallensem promoto, idem Serlo venerabilis quarto Idus Septemb. ab hac vita decedens, secutus est Dominum Robertum Patrem suum.

B. Humbertus Abbas Igniacensis.

Juxta vero prædictum locum eminentiorem aliis in parte sinistra, primum locum obtinet Dominus Humbertus Monachus Casæ Dei, qui cum jam esset maturæ ætatis ad Beatum Bernardum se contulit, et Prioris officium sub eo aliquamdiu subministravit. Deinde factus primus Abbas Igniacensis cœnobii in eodem plurimis annis cum maxima reverentia ita est laudabiliter conversatus, ut vix in eo aliquis ociosum, non dico verbum, sed nec motum aliquem advertere posset inspector, quantum libet curiosus. Idem etiam Monasterium Signiacense missis ab Igniaco Monachis ordinavit : postea, sicut in epistola a B. Bernardo ad eum scripta diligens lector inveniet, ad suam Claramvallem rediit, et septimo Idus Septembris obiit ; de cujus moribus, et a Deo sibi collata multitudine gratiarum prædicta epistola et sermo, quem B. Bernardus locutus est in capitulo : ipsa die sui obitus super his, non mediocriter lectorem poterunt plenius erudire

Beatus Odo Supprior.

Secundum autem locum post ipsum obtinet Dominus Odo venerabilis, qui Supprioris officium sub Beato Bernardo cum multo favore cum universorum fratrum usque ad ultimam senectutem adimplevit. Hic fuit in divinis officiis devotus et strenuus, nec non in corporalibus exercitiis laboriosus. Et quamvis esset in corpore graviter læsus, semper tamen ad universos labores præcedebat alios et deducebat exemplis, et verbis efficacibus admonens et invitans, specialiter autem in oblatione hostiæ salutaris, se tam devotum exhibebat, ut ad modum Simeonis ipse quoque tenere puerum, et mira jucunditate blandiri parvulo videretur. De cujus meritis et virtutibus quid Beatus Bernardus sentiret, ostendit dum post ejus transitum mox ut primam orationem pro commendatione ipsius animæ complevit, prostratus solo, omnibus cunctantibus, non sine multa lachrymarum effusione osculatus est pedes ejus. Obiit autem duodecimo Kalend. Martii.

Beatus Gerardus Farsensis.

Tertium vero locum post ipsum obtinet Venerabilis Pater Dominus Gerardus Farsensis cœnobii Monachus, grandævus ætate, sed moribus sic excellens, ut potius omnibus admirabilis videretur quam imitabilis. Hunc Abbas suus plurima generositate præditus, sed multo magis religione præcellens, et Beati Bernardi specialis amator ad eumdem veniens, dum adhuc ipse viveret secum adduxit, in sua vel in nostra regione novam ex filiis ejus construere cupiens Abbatiam. Cumque hujus rei gratia præsentiam excellentis Principis Conrardi Romanorum Regis adisset, in civitate Maguntina Domino vocante decedens, ipsum Venerabilem Dominum Gerardum ad carissimum omnibus Beatum Bernardum, et ad cœnobium Clarævallense transmisit : ubi post plures annos, sicut fuerat religiosissime conversatus, ita septimo Idus Decembris feliciter consummatus, in Domino quievit.

CAPUT VI.

Beatus Tezelinus Pater S. Bernardi, fratres et cognati ejus. Varii ipsius Sancti abbatis discipuli.

Sub ædificio, quod est contra Ecclesiam in cœmiterio Abbatum, columnis lapideis et arcubus fabricato, in dextra parte ipsius sarcophagi, continentur ossa fælicis recordationis Patris et Fratrum germanorum Beatissimi Patris nostri Bernardi cum nomine Guldrici de Tullione avunculi ipsius, cui spretis nobilitate generis et potentia sæculari, quibus plurimum eminebant, ac Monachi facti Claramvallem in suo sanguine fundaverunt, et Monachalis perfectionis exemplar suis posteris reliquerunt. Continentur ibidem etiam ossa Monachorum conversorum et Novitiorum, qui in veteri Abbatia sub dicto Patre in illis sæculis aureis, in illo magno fervore, in illa sancta paupertate et austeritate primordialibus vixerunt et fæliciter obierunt, quando pulmentum eorum de fagorum foliis sæpius conficiebatur, et panis non tam furfureus quam ferreus videbatur. Horum ossa de priori Abbatia, quæ fundata fuit in valle quadam Absynthiali beato Bernardo adhuc vivente, anno Domini millesimo, centesimo, quadragesimo octavo, die omnium Sanctorum, processionaliter cum divinis fuerunt asportata laudibus. Cujus processionis cantum audiens Beatus Malachias, qui in extremis laborabat, plurimum extitit delectatus, qui nocte illa appositus est ad eos somno suavissimo soporatus. Die vero anniversaria omnium fidelium defunctorum, corpore Beati Malachiæ solemniter tumulato, prædicta ossa in isto loco noviter præsenti opere fabricato fuerunt venerabiliter collocata. In sinistra autem parte præsentis sepulturæ continentur ossa Monachorum Conversorum novitiorum, qui in hoc loco vivente adhuc Beato Bernardo fæliciter obierunt, quæ videlicet ossa propter ædificationem oratorii quod nunc est, fuerunt de prioribus suis tumulis huc translata. Ante enim ædificationem primi oratorii, unum in hoc loco fuerat prius fabricatum, in quo tantum erant novem altaria. Anno vero Domini millesimo, ducentesimo, sexagesimo nono, utraque ossa de loco in quo secundo sepulta fuerant, levata fuerunt, et per manus Reverendorum Patrum ac Dominorum Jacobi Dei gratia Lugdunensis Archiepiscopi et Petri Othoniensis Episcopi, assistentibus eisdem plurimis Abbatibus et Conventu Clarævallis tempore capituli generalis sequestratim in mausolæo sub majori altari Capellæ Flandriæ cum solemni honore

Digitized by Google

et præcipua reverentia sunt locata. Horum piis precibus gratiam et gloriam consequamur. Amen.

Joannes de Aspra Prior Claræ vallis.

In prædicto cœmiterio Abbatum juxta idem ædificium columnis lapideis et arcubus fabricatum, jacet piæ memoriæ Dominus Joannes de Aspra, qui obiit in prioratu sub Abbate Domino Laurentio.

Guilelmus Generalis Ordinis.

Item Guilelmus de Monteacuto, Prior Clarævallis, qui postea factus est Abbas Firmitatis et Cistercii vigesimus primus.

Petrus Abbas electus de Melone.

Item Petrus de Ulmeto Prior, electus Abb. de Melone, sed noluit ire. Monasterium de Melone, in Regno Galletiæ constructum est, et Reformationi nostræ aggregatum.

Otho Abbas Luxoviensis.

Item jacet Vir nobilis Otho de Saxifonte, Abbas Luxoviensis, sed postea Monachus Clarævallis.

Joannes Rizevelli.

Item Dominus Joannes Dominus Rizevelli, postea Monachus Clarævallis.

Pelagius Abbas.

Item Dominus Pelagius quondam Abbas de Oya (97).

Item Dominus Alexander Abbas de Valle Sancti Petri.

Item Dominus Nicolaus Abbas de Caldra.

Guillelmus Remensis Archiepiscopus.

In magno cœmiterio Fratrum, in medio ejusdem, sub arcu solemni jacet Dominus Guilliermus de Jonivilla Episcopus Lingonensis, postea Remensis Archiepiscopus.

Item Dominus Viardus Decanus Christianitatis Barri super Albam.

Item Dominus Franco de Colonia Monachus et Magister Novitiorum Clarævallis.

In introitu cœmiterii juxta Ecclesiam et versus portam Monasterii, jacet Dominus Gerardus de Barro dictus Flos, Frater Domini Petri Cardinalis et Episcopi Sabinensis.

Item ante capellam de Ayzanvilla et Sancti Eligii : *Gist Dame Jehanne de Bar, fille Sire Gualtier Auserii, femme Jehan Varnoldon, qui trespassa l'an M. CCC. XIII. en May.*

In Capitulo Monachorum, jacet Dominus Sagalo Abbas Clarimarisci, qui obiit anno 1323.

Item Nonnus Joannes de Montibus Prior Clarævallis.

Item Nonnus Petrus Godier alias de Fagis, etiam Prior Clarævallensis, et multa aliorum corpora, quorum nomina Dei præsentia agnoscit.

In Capella de l'Arreyo, jacet nobilis miles videlicet Raynauldus de Grameyo, qui fuit Dominus de l'Arreyo, et fecit fieri Capellam.

Item in eadem capella jacet bonæ memoriæ Euradus Senior, Dominus de Chascenali, vir nobilis, qui obiit anno Domini millesimo, ducentesimo, trigesimo sexto, decimo sexto Kalend. Julii.

Item in eadem capella in parte dextra juxta ostium, jacent honorabiles et devotæ matronæ Domina Simona Receptrix Barrensis et ejusdem filia Domina Stephaneta Pitoiise.

In Cœmiterio nobilium.

Juxta parietem, ad valvas Ecclesiæ, jacet nobilis vir Gaufridus, Gallice *Jeffroy Seigneur de Jeuniville, qui en son temps fonda plusieurs Eglises. Premièrement l'Abbaye Descurrey de l'ordre de Cisteaulx. L'Abbaye de Jeuniuilliers de l'ordre de Premonstre. La maison de Mascon, de l'ordre de Grantmont. La Priorite de Valdomie soubz Molesmes. Et l'Eglise de sainct Laurent au chastel dudict Jeuniuille, et trespassa l'an M. C. XXXII. mense Augusti.*

Item Dominus Evrardus Presbyter de Champignolle, qui muro clausit Abbatiam.

Item Comes de Grandi Prato.

Item D. Josbertus de Firmitate.

Item Hugo Dominus Plancey.

Item Messire Penicars de Durnay Cheuallier, qui trepassa l'an de grace 1289, au mois de Decembre.

Item Messire Gillis du Pont, Escuyer en son uiuant Seigneur de Reuepont, de Maleroy, qui trespassa le vingt-vniesme iour de Nouembre, l'an mil cinq cent et cinq.

Item Adrien Chatoura filz de Jean Chatoura marchant à Troyes.

Ante magnum portale Ecclesiæ, jacet Dominus Jacobus Curatus de Barrivilla, qui obiit anno Domini 1334, in mense Decembri.

Epitaphium Domini Bonaventuræ Eucensis Episcopi, qui jacet in Sacristia.

Hic Bonaventura fama nunquam moritura
Dignus commoritur. Hoc sub tumulo sepelitur
Lombardus genere, cœli fuit incola vere,
Ac pura mente vixit Deitate favente,
Nam se nostrorum norma rexit Monachorum,
Eucensis Præsul propria de sede fit exul
Ob fidei scutum, credens igitur fore tutum
Ad Claramvallem venit sperans ibi callem
Scandere cœlorum, sectando facta bonorum
Sobrius et castus, mundi fugiens quoque fastus.
Nunc sequitur Christum mundumque respuit istum.

Annos sub nato Domino de ventre beato
Bis centum mille vitam cum perdidit ille
Atque decem nonies, tu complens bis duo junges.

Epitaphium Domini Philippi Comitis Flandriæ ac Viromandiæ.

Philippus miræ probitatis Princeps, Flandriæ Comes, prædecessoribus suis merito præferendus. Non solum Flandriam pacifice gubernavit, verum etiam adjacentes provincias exemplo suo ad bonum pacis provocavit. Huic tertio a nativitate sua die terribiliter clamavit : *Evacuate mihi domum.* Et adultus duxit uxorem filiam Radulphi Comitis Viromandi, Elizabeth nomine, qua defuncta misit ad Hispaniam pro Mathilde filia Adefonsi Regis Portugaliæ, quæ ad eum veniens cum regio apparatu facta est ei uxor. Anno Domini millesimo, octuagesimo quarto. Iste Philippus primus in scuto Leonem deportans strenuissime rexit comitatum Flandriæ, divitiis et honoribus affluens, prudentia et potentia magnus, fervens in justitia et probus ad arma, unique Machabæorum non immerito comparandus. Cujus morte audita, confunditur patria, dolor et timor occupat universos. Obiit vero ante civitatem, quæ dicitur Achra, in obsidione cum Francorum et Anglorum Regibus, anno Domini millesimo, centesimo, nonagesimo primo. Et sepultus est in Basilica S. Nicolai foris murum Achræ, sed diligentia uxoris suæ Mathildis translatus est Claramvallem, ac reconditus honorifice intra hanc Capellam, quam illi et sibi paraverat. Ipsa vero Mathildis etiam postmodum in eadem hac Capella juxta virum suum cum honore tumulata est.

Agnes Comitissa.

Post tumbas Domini Philippi Comitis Flandriæ et Mathildis uxoris ejus, jacet in eorum capella, illustrissima Domina Agnes, Comitissa Campaniæ.

(97) Hoc monasterium situm est in regno Galletiæ et pertinet ad reformationem Castellæ.

Digitized by Google

RICHARDI
MONACHI DE GRANDISILVA
DIOC. THOLOSANEN. O. CISTERC.
CARMEN DE LAUDE CLAREVALLIS
ET DE RELIGIOSA IBIDEM DISCIPLINA.

(D. Bernardi Opp. omnia. Paris., apud Cl. Chevallonium, 1536, in-fol. — f° XXXII quatern. d. d. d.)

Richardus de Grandisilva, diœcesis Tholosanæ, monachus Cisterciensis, theologus et poeta non ignobilis fuit, qui circa annum 1160 carmen scripsit de laude Clarævallensis cœnobii. Legitur ad calcem Operum S. Bernardi, Parisiis editorum anno 1536, f°.

Gaudia qui mundi vis spernere vana rotundi,
Et contemplari Christi jubar et meditari,
Tunc locus aptior, ad bona promptior est adeundus,
Quem ditat bonitas, pietas, bona prædia, fundus.
Ad quem si properas, cinctus virtutis amore,
Sedes æthereas scandes vivens in honore.
Ilic locus est magnus, ubi pascit cœlicus agnus,
Cujus et hic nomen pariter pandetur et omen.
Qui requiem cœli queris cum mente fideli
Ad Claramvallem properando dirige callem.
Est via recta poli similis super omnia soli :
Urens et lucens ad regni præmia ducens.
Urit peccata, dat lucis munera grata,
Et mites ungit, pravorum crimina pungit,
Blandiri nescit, nec disciplina tepescit :
Percutit ignavos, arcens a crimine pravos,
Instruit ignaros, mittens ad gaudia gnaros,
Et peccatores jumentis sordidiores
Abluit et mundat, ut perdita dona refundat.
Sic depuratos ac totos mundificatos
Ad Cœlum multos mittit pueros et adultos,
Qui Domino grati vivunt sine fine beati.
Grex Clarævallis, qui cuncta decentia psallis,
Angelico more laudes fers semper in ore.
Qui disciplinæ peccatorum medicinæ
Jugiter intendis, et sic ad gaudia tendis,
Qui vigilas multum, qui nil dimittis inultum,
Qui corpus punis, qui te cœlestibus unis :
Dum tali cura vita vis vivere pura,
Efficeris civis cœli, sic vivere qui vis.
Dum claustro resides, tua Christo tempora si des,
Regna tibi lata tribuentur in arce beata,
Angelicisque choris sociaberis omnibus horis,
Cum quibus in superis dabitur tibi quod modo queris.
O Felix Vallis, quæ nullum de grege fallis
Sed cunctos ducis ad veræ præmia lucis!

A O Vallis plena morum probitate serena,
Vallis devota, Vallis pia, congrua tota,
Ordine nobilis atque probabilis ac populosa,
Spiritualibus aptaque fratribus ac speciosa;
Vallis dilecta, vivendi regula recta
Per celerem cursum tua dirigis agmina sursum!
Vallis claustralis et mansio spiritualis!
In qua claustrales homines quoque spirituales
Degunt absque malis, Dominique teguntur ab alis,
A quibus immanis tentator vadit inanis.

O Vallis clara, divini numinis ara,
Valde Deo chara, Vallis talis quia rara,
Non est in mundo, sic credo corde profundo,
Huic Valli similis, ad bona sic habilis.
O Vallis læta, Vallis bonitate repleta!
B Vallis jucunda, Vallis bona, lucida, munda!
Vallis habens ora divina voce sonora!
Vallis regalis, Christi domus es specialis,
In qua cum Patre Jesus est et Virgine matre.
O Vallis sancta redolens dulcedine tanta!
Vallis non ficta, Vallis semper benedicta!
Felix qui tecum degens scit vivere secum,
In se collectus, Crucifixi sub cruce tectus :
Paupertas Christi tunc est jucundior isti
Quam culmen regum, vel quam sapientia legum.
Hac in Valle sacra, caro marcida, pallida, macra,
Impinguat mentem cœlestia regna petentem;
Cœlesti vita fruitur caro verbere trita,
Et patiens anima Paradisi carpit opima :
C Sic homo devotus salvatur denique totus.
Vallis sacrata, genituro germine sata,
Semen sparsisti sanctum, sanctos genuisti,
Et generans crescis, nec adhuc generare quiescis.
Incorrupta paris quos sacris dedicat aris
Præsul sublimis, qui cœlica patrat in imis.
Currit ad hanc Vallem sapiens, ubi vivere mallem

Digitized by Google

Pauper pannosus quam dives deliciosus.
Vallibus et vallis hæc est circumdata vallis :
Nullius incursum timet hæc vallis, quia sursum
Cor gerit in cœlis, hostis non pervia telis.
Vallis secura, Christi sub perpete cura,
Te consecravit, te religione beavit
Sanctus Bernardus, bona sectans, ad mala tardus.
Clara, vale, Vallis, plus claris clara metallis,
Tu, nisi me fallis, es rectus ad æthera collis.
Si recto calle penetrare voles paradisum,
In Clara Valle, tibi consulo, dirige visum.

A En tibi Bernardus vitæ monimenta beatæ
Edocet, ut nardus mira redolens probitate.
En ibi veraces fama librante sequaces
Ejusdem, casses furientis et arma fugaces
Cosmica spernentes, quæ Christi corde gerentes,
Sunt inter gentes, ut flos per prata virentes.
Eloquar an sileam ? flos ut non prestat odori,
Omnia ne taceam, bonitas non cedit honori.
Virtutum dotes scrutandoque culmina veri
Quos imitando potes cœlum post fata mereri.

DEO GRATIAS.

DESCRIPTIO

ITINERIS CISTERCIENSIS

Quod ad Comitia generalia ejusdem sacri Ordinis, faventibus Superis feliciter expedivit

F. JOSEPH MEGLINGER,

Religiosus Sacerdos monasterii B. Mariæ de Maris Stella, vulgo *Wettingen*, mense Maio anni 1667.

(Lucernæ, typis Godofredi Hautt, in-32.)

—

F. JOS. MEGLINGER LAUDATUS A. R. D. JOH. MABILLON.

(Ex *Veter. Analect.* tom. IV, Lut. Paris., 1685, p. 21.)

—

Inter cœnobii Maris Stellæ, alias Wettingensis, viros religiosos unum vidimus, Josephum Meglingerum, virum doctum et modestum, qui nobis duos libellos a se scriptos editosque amice concessit, ipse auctor et typographus. Annus Cisterciensis *est, in quo gesta præcipua sanctorum ac piorum Cisterciensium monachorum elegantissime referuntur. Ejusdem est* Iter Cisterciense, *quod composuit occasione capituli generalis Cisterciensis anni* 1667, *ad quod ipse profectus est.*

LECTORI BENEVOLO.

Quoniam suspecta mihi ignorantia mea propria, propriaque oblivio est, hortor et moneo ut si qua deprehenderis digna reprehensione, aut ipse ea corrigere studeas, aut si id forsitan ex mansuetudine refugis et humilitate, mihi saltem quæcunque te moverint non dissimules amicabiliter intimare.

S. P. N. Bernardus, in Prol. ad tract. *De vita et moribus Cleric.*

—

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AMPLISSIMO PRÆSULI AC DOMINO D. EDMUNDO
CELEBERRIMI MONASTERII
BEATÆ MARIÆ DE SANCTO URBANO SANCTI ORDINIS CISTERCIENSIS
ABBATI DIGNISSIMO
EJUSDEMQUE SACRI ORDINIS
PER HELVETIAM, ALSATIAM ET BRISGOIAM VICARIO GENERALI MERITISSIMO
PATRI AC DOMINO GRATIOSISSIMO.

Urbanitatis sacrarium subiturus, ut votiva ad gratitudinis aram thura supplex adoleam, unica nominum, ovtione laboro ; quibus pauperculum hoc munus, Epistolam ad familiarem meum de Itinere Cisterciensi exaratam, R. P. V. veniam consecratum : quæ singula si proferri in medium necesse foret; sola hæc

Digitized by Google

inscriptio plures utique paginas, quam ipse libellus, impleret. Unum e sexcentis producam : quo cum cætera ex libelli lectione obvia supplebuntur, tum luce meridiana clarius elucescet; quo jure uni R. P. V. hunc meum quantulumcunque laborem debeam. Est igitur multorum opinio; Patres patriæ, veluti quædam Numina hisce Inscriptionum muneribus ex merito adorari. Cui sententiæ quemadmodum libens volens subscribo : ita nec temeritate ulla, nec fuco eadem appellatione R. P. V. venerabor. Etenim patriam nobis esse S. Ordinem certe illi palam faciunt; quos ubi sua libido, aut legum severitas ex ejusdem Albo expunxit, ut exules habemus. Hujus itaque patriæ nostræ Patrem ostendit R P. V. vel paterna nostri omnium cura per visitandi solertiam; vel vicaria potestas supremi in S. Ordine Patris; vel denique laboriosa pro universis Ordinis sacri filiis sollicitudo; uti Lectori benevolo ex epistolæ meæ decursu patebit : enimvero quam non ficte hoc paternitatis titulo R. D . V. condecorem; generalia nuper aperuere comitia; quorum auctoritate inter quatuor primos in sacro Ordine Patres allecta; R D. abbatis de Morimundo personam, mirabili pro illo rerum articulo sagacitate ac prudentia R. P. V. sustinebat. Quare publicæ luci exponenda hæc mea descriptio neminem potiori respexit jure, quam communem patriæ Patrem. Cum vero tam excelso honoris fastigio eminentem R. D. V. contemplarer, inscitiæ meæ mihi nimium conscius, non sum ausus eamdem in propria persona affari; sed avidum scribendi stylum cum amico meo, ab aliquot jam annis summa mecum necessitudine conjuncto, commisi; jussique totius Itineris nostri seriem familiari colloquio pertexere : partim ut tanto liberius jocorum hilaritatem, in via collectam, in ejusdem sinum, remota metus reverentialis hebetudine profunderem; partim, ut si fortunam in ea concinnanda essem nactus propitiam; tum demum de patrocinio (non alibi nimirum, nisi apud R. P. V. quærendo) mihi prospicerem; si autem oculis R. P. V. indignus evasisset ingenii fetus; ignotus sepultusque apud amici benevolentiam delitesceret. Primo a reditu mense ad finem epistola pervenit; quam cum aliqui ex charissimis confratribus meis per otium evolvissent, urgentibus suadebant rationibus, ut typis procusam R. P. V. dedicarem. Neque omittebant suggillare me ingratitudinis, nisi obsequerer. Quid enim aliud R. P. V. mihi præstitisse, quam suo Tobiæ magni illum Ananiæ filium? Et huic, aiebant, gratissimus senex dimidiam fortunarum partem liberali donatione offerebat : tu vero, cui te totum debes, non exhibebis saltem aliquod grati animi signum? Revocabant præter hæc in memoriam vetera beneficia, a R. P. V. in Maristellam profecta; tot annorum labores, curas, sollicitudines; quibus cum multos privatim, tum universos sibi Maristellanos devinxit; atque hic ansam præberi mihi, ut omnium nomine debitæ gratitudinis affectum publice testarer. Cum impetu impellebant ista jam propendentem sua sponte voluntatem, ut quamvis incomposito incomptoque stylo mihi nullibi fecerim pro voto satis; neque mihi crudus, utpote rara exercitatione politus scribendi numerus placeret; tantam tamen erga R. P. V. conceperim confidentiam; ut non solum gratiosis ejusdem luminibus opusculum offerre legendum, sed celeberrimo insuper præfixo nomine cum debita filiali submissione sacrum dicatumque voluerim. Id etiamsi exile omnino sit, aliquod tamen a tam augusta fronte pretium mutuabit; emendabitque suam parvitatem, amplitudine nominis; vilitatem, excellentia dignitatis; contemptum, patrocinii fama. Atque ita me una cum libello, totaque Maristella nostra R. Pat. ac Dom. V. commendans, eidem felicissimam in plurimos porro annos sospitatem, optatissimam pacifici regiminis prosperitatem, ac tandem immortalem inter superos vitam affectuosissime precor. E Maristella Kalendis Septembris anni 1667.

Reverendissimæ et amplissimæ
Pat. ac Dom. Vestræ
Servus et filius obsequentissimus
F. Joseph Meglinger.

APPROBATIO.

Nos F. Gerardus, Dei, et Apostolicæ sedis gratia, monasterii B. Mariæ de Maristella, vulgo Wettingen, S. ordinis Cisterciensis abbas; præsentium vigore concedimus, dilecto nobis in Christo Patri Josepho Meglinger, monasterii nostri subpriori et secretario; ut concinnatam a se Itineris, quod jussu nostro ad comitia generalia dicti S. Ordinis, hoc anno apud Cistercium celebrata peregit, descriptionem, typis mandare, et publici juris facere possit : cum illam duo nostri conventuales ad id deputati censuerint, et approbaverint. In quorum fidem præsentes litteras manus propriæ subscriptione, et sigillo abbatiali munitas dedimus Maristellæ, Kalendis Augusti, anno 1667.

F. Gerardus abbas.

Admodum reverendo ac religioso in Christo Patri Josepho in suam Ephemeridem.

Unde tibi subito data tanta facundia linguæ,
Qua, Josephe, viæ scribis ephemeridem?
Non iter aut Romam; non te perduxit Athenas :
Non ad Castalias Bellerophontis aquas.
Sed memini, matrem te convenisse, patremque :
Lac dedit illa tibi, suavia mella Pater,

Gratulantis animi affectu applausit
F. Fidelis Molitor
prior Maristellæ.

Adm. Rdo Patri ac domino Josepho Meglinger, secretario ac subpriori Wettingensi, etc.

Pictores inter Parrhasius, atque Timantes.
Magnoque in plausu Zeuxidis uva fuit.
Ad quam deceptæ pransum venere volucres :
Sed rostri in tabulas irritus ictus erat.
Naturam ars imitata fuit quadrante colore,
Quodque fuit pictum, vivere dixit avis.
Dixerit, aut rata sit; decepta in imagine saltem
Dum fuit, appensum nobilitavit opus.
Ignosces, venerande Pater, mi subprior ausim
Desuper hoc scripto mentem aperire meam.
Non ut adulator loquar. Illa relatio talis
(Ordinis ad Matrem, qua tua scripta via) est :
Sic urbes, campos, et agros, silvasque, lacusque
Exprimis ad vivum, prandia, prata, domos;
Vivida se reputet spectare quis omnia, dumque
Fallitur, errorem comprobet ipse suum.
Sat fecunda fuit tua sic ..... tot,
Post reditum nobis attulit una sales.
Macta animo sis, Stella maris, tuus occupat, ecce,
Fetibus ingenii præses uterque typos.
Musicus alter, hic historicus. Quid, Zoile, frendes?
Stulta avis in rostrum mitior esto tuum.

Debiti honoris et amoris ergo accinebat
gratulabundus
F. Gabriel Moser, itidem sacerdos conventualis Maristellæ,
notarius apost.

Digitized by Google

Ode propemptica, ad reverendum dominum Joan Jacobum Mechlerum, Itineris in Epistolari theatro comitem.

Invade mecum non mihi cognitos,
Jacobe, calles; linquere patriam,
Galloque sub Phœbo repostas
Ire juvat peragrare terras.
Et me beatum! si lateri datur
Tuo sodalem, aut esse pedissequum:
Non Gnosia cera, tuoque
Non opus hic Ariadna filo;
Non Dædalæos ingredimur dolos,
Aut antra cæcis callibus invia:
Sed melleo Claram-Parente
Lætior ingrediere Vallem.
Quanquam viarum difficiles moræ
Tardent euntem, et mille pericula,
Horrorque squalentis tabernæ.
Perge tamen, generose, contra;
Seu claustra portæ pensilis objicit
Miles, latentes insidias timens,
Perrumpe; seu pendentis arcum,
Et cameras salis introibis,
Fauces Averni; tunc animis opus.
Mechlere, firmo et pectore, triplici
Ad pectus ære, auroque visco,
Et galea redolente fumum
Mutante lixa, cum vacuas feres
Questus in auras, murmure Gallico
Ridendus astanti catervæ,
Et rabiem moderante risu.
Hinc et specus, præruptaque montium.
Umbrasque silvarum, arctaque vallium,
Et plena camporum vireta,
Et lacuum spatiosa cernes.
Quin et cruenti signa ferocia
Ubique Martis sol tibi deteget,
Et urbium planges ruinas,
Mœnia depopulante flamma,
Ferroque; donec ditia pauperum
Famosa pandet Dola palatia,
Et picta conopæa, longo
Ordine, per spatium cubilis.
Quid jam suaves blanditias meri,
Seu quid sonoras delicias canam,
Et aurium molles susurros,
Liligeri modulamen agri?
Vel quid senatum concilii gravis,
Cisterciensis quem Pater advocat:
Multaque majestate plenos
Colligit huc patriæ parentes?
Sed hic libellus te reliquum viæ
Ducet, reducet: ne pigeat sequi;
Non error obstat non labores:
Virgineo via strata lacte est.

Auctori fraterni amoris ergo
accinuit. L. M. P. W.

Admodum reverendo ac doctissimo in Christo Patri Josepho Meglinger Iter suum describenti.

Nempe exempla movent plus quam præcepta docentis,
Rhetoricæ nobis, quæ dare docta soles.
Actu demonstras, quid vera facundia possit,
Tam fecunda styli dum tibi vena fluit:
Themate tam sicco; quodque unica pagina totum
Absolvat; deni cum via sit tridui.
Hanc adeo extendis, quatuor ceu partibus orbis
Spectandis longum forte fuisset iter.
Materiam angustam, tu libertate volantis
Pennæ dilatas; ingenioque volas.

Observantiæ et amoris gratia cecinere
Ejusdem obsequentissimi fratres
alumni rhetorices.

EPISTOLA FAMILIARIS

DE ITINERE AD COMITIA GENERALIA

S. ORDINIS CISTERCIENSIS.

Admodum reverendo ac doctissimo domino Joanni Jacobo MECHLERO, parocho in Marchia Suitensi, amico suo integerrimo, F. Josephus MEGLINGER, salutem.

Nisi epistolarum numerum ignorares, quas a me per annos quindecim accepisti; dubitares forsan, amicorum optime, an exciderit e memoria mea promissum, quo me obligaveram, transmissurum, enarrationem itineris, quod superum favore ad comitia generalia, in archicœnobio Cisterciensi celebrata, suscepi, et inter vernos hujus anni flores feliciter expedivi. Etsi vero nihil essem pollicitus; quia tamen amicitiæ nostræ sanctissima lex, seu læta seu sinistra nobis acciderent, semper fecit utrinque communia; non sine noxa te a consortio tantæ felicitatis meæ exclusissem. Totius igitur itineris seriem ordine illo pertexam, quem succedentes sibi mensis dies, et propemodum horæ statuent. Nudam tamen ephemeridem seu diarium non dabo, ut porrectam chartam obiter cæci instar percurras, dejnde damnaturus ad vermes; sed diligentia non perfunctoria circumquaque te quasi manu perducam; et quæ conspexi, gratis, tantumque non vivis coloribus depingam divi præsertim melliflui Patris nostri Bernardi vitam ac prodigia, quantum feret occasio, non segniter in medium producam: hoc scilicet melle conspersurus crudum saporem styli, prima hac exercitatione in publicum emergentis, et eum quidem pari facilitate ac libertate, ducere decrevi, quali omnes epistolas exaro. Nisi si materiæ gravitas aliquid ponderis aut hilaritas nonnihil salis admoverint. Veritatem porro tanta a me religione exigam, ut præter comperta nihil afferam; tuque certum habeas, ubi mensuram seu temporis, seu loci leges adjunctam; ne lato, ut dicitur, ungue plus minusve reperiri.

2. Priusquam tamen te itineri permittam, pauca docendus es de itineris, titulique huic epistolæ præfixi causa; ex qua simul facem arripies, plura alia, quæ per narrationis decursum minus clara rerum nostrarum ignaro sunt, altius penetrandi. Hæc ex Annalium nostrorum monumentis breviter ausculta. Divus Robertus, nobilis Campanus Regulam S. Benedicti per annos plures in diversis monasteriis tum prior, tum abbas, professus, arctioris vitæ desiderio, ex monasterio Molismensi cum viginti sociis ad incultam eremum, Cisterciam, ob plura ibidem stagna ac cisternas dictam, se contulit, anno a repa-

Digitized by Google

rata salute 1098, atque in hac solitudine episcopi Lugdunensis tum legati apostolici auctoritate prima sacri instituti fundamenta jecit. Sed exinde summi pontificis Urbani II jussu Molismum reversus, paulo plusquam per annum Cistercio præfuit. Successit illi in regimine S. Albericus, a cœli regina alba cuculla sacri candorem ordinis præsignante, donatus; quem ad superos raptum secutus est S. Stephanus, natione Anglus; is qui Bernardum una cum triginta sociis in Cisterciense tirocinium recepit, anno Christi 1113. Tam præclara accessione auctum Cistercium instar uberrimi fontis sese longe lateque per sacras colonias tanta celebritate diffudit, ut in universum terrarum orbem nominis sui gloriam circumferenti summi pontifices, imperatores, reges, principes, omnisque nobilitas sua liberalitate applauserint. Itaque sacro Ordini nostro nomen a primo monasterio Cisterciensi natum; cui cætera omnia ex eo nata cœnobia, velut parenti filiæ, materni honoris prærogativam jam inde ab origine detulerunt. Quarum filiarum primam a sui ortu anno decimo produxit firmitatem; paulo post Pontiniacum, Claramvallem, ac Morimundum. Et ex hac quaterna scaturigine prodeuntia deinceps monasteria suas quæque matres, titulo primatum, seu primorum in ordine Patrum, eorumdem abbates, condecorarunt. Quatuor annos D. Bernardus præerat Clarævalli, et suo Cistercio decem Stephanus; qui piæ posteritati per legum sanctitatem consulturus, anno Christi 1119, omnes in Cistercium convocavit abbates, eorumque consilio chartam, ut appellatur, Charitatis condidit: quæ inter cætera sanxit, ut quotannis omnes totius Ordinis abbates apud Cistercium convenirent, de rebus conservando Ordini necessariis consulturi. Ea lex circa initia haud negligenter observabatur; sed postmodum ob bellicos tumultus, aliaque incommoda, rariori in usu fuit. Veluti etiam postremis hisce temporibus, post repetitas licet convocationes ultra 14 annos intermissa, tandem auctoritate summi pontificis in hunc præsentem annum 1667 indicta fuit: mandatumque omnibus cœnobiorum præsidibus ut, nisi urgentissima causa impediti, per se aut suos commissarios compararent.

3. Ingenti desiderio tenebatur Rev^mus meus abbas de Maristella celeberrimum tantorum præsulum conventum spectandi; verum morbis obnoxia corporis constitutio ipsum ad alia consilia divertit. Suasu igitur Rev^mi domini vicarii generalis de S. Urbano, placuit, ut ego illud iter susciperem, abbatisque mei absentiam irem excusatum. Quæ mens mihi imposita hac provincia fuerit, non facile exposuero. Pulsabat animum, regiones peregrinas perlustrandi cupido; quam accendebat amor in Mellifluum Patrem Bernardum; eum enim prope vivum in terris intueri mihi videbar, si loca illa visenda darentur; quæ illum in hanc mortalis vitæ lucem effudere; quæ tironem aluerunt, quæ abbatem adorarunt. At retrahebat prurientem animum partim magnitudo suscipiendi muneris, partim virium debilitas, itineris molestiæ procul dubio succubitura. Nulla deinde ejusmodi negotiorum experientia, nulla in his studiis exercitatio; nulla Gallici seu moris seu linguæ notitia suppetebat. Inter hos ancipitis deliberationis conflictus unice aures invocantem obedientiæ tubam advertebam; qua duce, etiam e Labyrintho, si quis occurreret, sine alia me Ariadne explicaturum, mihi pollicebar. Quamobrem collectis, quæ itineri opus erant sarcinulis, vigesimo quinto Aprilis Maristellam reliqui; perque oppidum Melingense (commodissimo situ ad Rusam fluvium, quem firmo ponte claudit, positum; transitumque præbet commeantibus ex Italia, Alsatia, et ora finitima mercibus; fuit etiam aliquot abhinc annis opportunus fortissimusque obex, ne heterodoxi Bernates cum Tigurinis arma in Catholicos conjungerent) ad pagum Surensem in meridie; vesperi ad monasterium S. Urbani perveni.

4. Hic quia triduo me detinui, non te pigeat, pauca, quæ ibidem observavi de tam celebri Helvetiæ nostræ cœnobio audire. Et situs quidem illud non adeo ab amœnitate commendat; quippe grandi luco, Boowald vulgo dicitur, occidentem versus, lucem pene auferente, tam exotica arborum proceritate, ut eas in malorum usus pro maritimis navibus non raro Hollandi per Arolam primum, deinde Rhenum fluvios auferant. Multa præterea stagna, dubites an majorem ex copia piscium utilitatem, an ex insalubri terræ halitu majora incommoda gignant; quæ tamen majori ex parte incolarum diligentia sustulit; tum fossis ad pigrum liquorem recipiendum deductis, tum silva tam late excisa, ut aer spirandi libertatem nactus vaporum spissitudinem idonea agitatione dispellat. Ita cicurata silvestris gleba fecundo gramine vestitur, ut vix uspiam Helvetica pecora feliciori ubertate pascantur. Spectavi boum ibi numerum bene grandem, tam vastis artubus eminentium, ut elephantorum speciem referant. Certum est hic boves eo magnitudinis excrescere, ut pondus bis mille librarum frequenter unus excedat. Insigne hoc monasterium fundatores habuit tres fratres (sic enim ex ejusdem antiquis monumentis excerpsi) germanos, Luitoldum seu Leopoldum; Wernherum (qui ambo in Bellavalle S. ordinis Cisterciensis habitum, se, et fundandum monasterium Ordini dedicantes, induerunt, priore ibidem ad sacerdotium promoto) et Udalricum, strenuum in sæculari militia equitem, liberos barones de Langenstein, quod eorum castrum fuit, milliario circiter a monasterio dissitum, cujus adhuc hodie rudera visuntur. Annus primæ fundationis in alio, quam ubi nunc est fundo, Rotha nuncupato, ignoratur, ob trinam miserabilem monasterii combustionem, quæ pleraque antiquitatis documenta absumpsit. Produxit autem ex Dunensi bibliotheca R. P. Carolus de Visch illius loci prior, antiquissimam, nempe ante annos quadringentos et quadraginta (quam ideo verissimam censet) conscriptam monasteriorum ordinis Cisterciensis chronologiam, in qua annus fundationis monasterii de S. Urbano ponitur 1148. Post multos inde annos translata est fundatio in alium fundum vicinum comparatum ab illustri D. Arnoldo barone de Capfenberg (qui ideo etiam inter fundatores numeratur) ibique monasterium, quod adhuc exstat, ædificari cœptum est anno Christi 1191, eo scilicet ipso tempore, quo insignis Burgundiæ minoris, nunc Helvetiæ civitas Berna, a quibusdam Arctopolis dicta fundamenta accepit a Berchtoldo duce de Zaringen, pontificatus Clementis III, anno ultimo, et Henrici VI Romanorum imperatoris anno primo. Quamnam S. Urbanus matrem agnoscat, facile conjicies ex allatis; unde mirum primi illius incolæ religiosi prodiere, Bellamvallem. Atque hoc idem antiquissimi codices manu scripti testantur; quos ipsemet tum Cisterciensii, tum in seminario Dolano inspexi; præter Chrysostomum Henriquez nominatissimum nostri Ordinis chronologum, qui libro II Fasciculi sanctorum Ordinis id diserte affirmat. Quæ supersunt S. Urbani memoriæ monumenta, amplissimam dotem describunt a fundatoribus acceptam; sed suas etiam temporis et fortunæ vices passa non eodem semper tenore progrediebatur: certe modernus Rev^mus præsul Edmundus abbatum trigesimus tertius, et in regimine jam vigesimum septimum agens minime tam felicem ejus statum invenit, qualem nunc sua industria illi comparavit. Præterquam enim quod bona temporalia accessione plurium fundorum, arcis Liebenfelsanæ, aliarumque commoditatum amplificaverit; templum elegantissimo altari exornaverit; totum pene monasterium e fundamentis recentissimum juxta atque cultissimum excitat. Religiosos numerat non minus quadraginta, qui in observantia

Digitized by Google

Regularis disciplinæ summa cum laude Numini famulantur.

5. Ex hoc itaque cœnobio die 28 Aprilis post meridiem iter ingressi Solodorum attigimus, occupato diversorio in ædibus ad monasterium S. Urbani spectantibus; quas ejusdem procurator D. Franciscus Victor Biis, vir humanissimus, hac tempestate *incolebat*. Et is media ab urbe hora obvius Rev^mus D. abbatem et comites comptissima oratione exceperat. Dum familia cœnæ parandæ incumbebat, exire placuit per urbem Rev^mo ut quosdam ex senatorio ordine notos inviseret. Ego jam obfirmato proposito pascendæ oculorum curiositatis, observavi urbis situm, tam fertilitate soli, quam admotis a natura munimentis commendabilem: ambiente majorem urbis partem Arola flumine navium patiente: imminente ex opposito Jura monte præcipiti asperoque. Turres eamdem aliquot coronant, priscam utique ætatem spirantes, quam nonnulli a tribus annorum millibus deducunt. Ædes tamen ad præsentis sæculi genium excultæ, nihil de rudi tantæ vetustatis barbarie reliquum esse demonstrant; uti et ipsi incolæ, simul ad Gallicos mores venuste compositi, simul Helvetica liberalitate apertam verbis et opere mentem ingenue exerentes. Id in cœna per claram experientiam docuerunt convivæ, plerique ex patritiis, stipati plenis honorarii vini utribus sine numero; more scilicet, qui in omni Germania invaluit, ut honore primo salutent gratos hospites magistratus, oblato vino. Ferculorum princeps condimentum erat sociorum mensæ modestia (quam nunc passim discretionem vocamus) per quam integra fuit cuique pro arbitratu bibendi libertas; nec ullus inhumana humanitate obruebatur importuna scyphorum caterva; sed prælibare poculum, quocunque titulo insigne, totum respondendi debitum absolvebat. Mature etiam solutum convivium ad strata dimissos nostræ quieti reliquit. Ita ut bene mane peractis, quæ divini obsequii sunt, alterum itineris diem raptim accepto jentaculo, serena cœli facie, simus exorsi. Paulum extra mœnia admirabundi spectavimus multa ibi ædificia funditus dirui; non secus ac si imminenti in obsidionem hosti suburbia subtraherentur. Rei causam percunctantibus, responsum est: senatui populoque sedisse, urbem commodo nec operoso vallo cingere: non quod apertum Martem hoc umbone repellerent; sed, ut præceps est in subitos motus Helvetia, inopinatos eventus mature præveniant. Passim a Bernatibus aliisque excitari castella; urbes vastissimis claudi munitionibus; quamvis de nullo hoste palam constet: etiam se tandem effecturos, ne aut ab aliorum superbia contemni, aut de sua securitate cives metuere possint. Exhibuere deinde coloribus delineatam in papyro effigiem structuræ, quam cogitant; talemque fore affirmabant, quam absque assumptitio præsidio soli cives intrepide defendant; sive subditi in magistratum, sive aliena vis in civitatem armaretur. Dilaudata breviter eorum industria, fortunæque bonæ favorem precati, intra quinque horarum spatium Biennam sumus assecuti.

6. Oppidum est Bienna, aliis Biela, modicum, sed situ admodum læto; quem vineta, pratorum viror, et proximus lacus efficiunt. Signum aureæ coronæ nobis pro hospitio fuit, quod statim in fronte majoris plateæ, seu fori, objiciebatur. Perquam lauto excepti prandio timebamus ingens exactum iri pretium; cum præsertim inservientium volubilis promptitudo ac sedulitas, sese ad exactæ urbanitatis præcepta, quasi pro dein postulanda mercede obtruderet. Verum adeo decepti nostro timore sumus, ut prope infra justum pretium unum solummodo nummum aureum, qui Ungarici vocantur, admiserit, eumque inter gratias agentis verba humanissima. Trecentis circiter ab oppido passibus nos navis opperiebatur; qua conscensa equos famulis secundum lacum deducendos credidimus. Tres horas iter hoc navale duravit: optabam ut Cistercium usque lacus porrigeretur. Etenim tranquillum et in crystalli speciem læve elementum adjacentes clivos jucundissima imagine reddebat. Detersis nubibus arridebat cœlum, solisque radios placido zephyrus susurro frangebat, tam suavi tepentis auræ lusu ut et blandiretur sensibili caloris temperie, et quiescens undarum serenitas nullo fluctuum motu concuteretur; accedebat et alia oculorum voluptas, ex suspensarum in vicinorum collium præcipitio vinearum insolenti spectaculo captata; vix enim alicubi gleba apparebat, cui radicem infigerent palmites, tum prima veris aviditate folia parturientes; loci tamen genius illa vineta in uberrimos fructus educare mihi stupenti narrabatur. Inter has delicias, remigumque labores continenti exponimur, continuoque per vineta tramite Neoburgum usque penetramus.

7. Biennam si cum Neoburgo comparaveris, vix ullum discrimen, quoad amplitudinem, deprehendes, nisi quod hoc lacui propius junctum liberiori aspectu ejusdem fruatur. Castellum hic esse non advertebam in oppidi ingressu; at postquam R^mus dominum vicarium generalem vino honorario muneratus est gubernator loci, tum primum suggessit memoria, fasciculum illum turrium circa vetusta ibi ædificia stantem, castrum esse. Utuntur in hac urbe Gallica lingua, parentque Gallico duci de Longueville; qui tamen præfectos arci imponit, ex pacto, Helvetios Solodorenses, qualis modo ibi moratur; aut Bernenses; nam in utriusque ditionis confinio jacet Neoburgum. Hæc pene omnis regio mordicus Calvini sectæ addicta, religiosorum advenarum patientiam sannis et petulanti clamore, pro more scilicet maligni in Catholicos dogmatis, exercet. Simiæ signum nos sub tectum recepit, satis commodum gratumque; cum et hospes jam Gallicæ obsequiositatis decorem dexterrima corporis inflexione luculenter exhiberet; et cibi peregrino sapore imbuti sua novitate magis quam domestici arriderent,

8. Nocte vixdum exacta calorem solis præventuri Neoburgo excessimus, per duas horas tramite non injucundo inter vineta et facilis glebæ agros. Facilis, inquam; nam ecce vir unus cum uxore et duobus strigosis equis miro compendio totam agriculturam expediebat. Uno scilicet equo moliente aratrum, quod femina moderabatur; post tertium quemque sulcum agricola semina prodigebat, quem alter equus occam trahens e vestigio sequebatur. At longe diversa fuit reliqua viæ facies, per asperrimam vallem, vulgo Kezerthal dictam, proficiscentibus. Præruptos duos montes rapidus torrens scindit; modicus initio, sed pro loci angustiis et silvæ, fragorem augentis, horrore, triste murmur per saxorum fremitum propagans. Et trames quidem ad sinistrum vallis latus circa clivi medium angustus, supra præcipiti rupe ceu pariete, infra non minus abrupta declivitate clauditur; nec latior sæpe, quam ut vix duobus equis obviam sibi factis, invicem cedendi spatium relinquat. Nunquam, fateor, sine metu sui; nam tota prope via non per sabulum aut arenam, sed integras durasque rupes, fuerat; equorum ungulis crebra fricatione quasi ad cotem detritis, et ad lapsum lubrice lævigatis. Quin et saxa ingentia tam leviter supra verticem suspendebantur, ut insidentis aviculæ pondere devolvi posse viderentur, et ea sæpe delabi, monstrabant recentia passim vestigia, eorumque cumuli in ima valle collecti.

9. Feliciter tamen iter ante meridianum emensi in pago Couveto ad prandium hæsimus; hospitium fasciculus Buxi e fenestra prominens indicabat. Advertebam in hoc diversorio, dum culinam transiremus, rem ante non visam; focum scilicet non in elevata ab humo lapidum structura excitari, sed in ipso culinæ pavimento: aliam præterea solis lucem non admitti, quam quæ per caminum illabitur. Ipsa vero camini fabrica me summum rapiebat in stu-

Digitized by Google

porem. Totam enim culinæ amplitudinem æquat, quatuor ejusdem parietibus pro fundamento innixa. Neque illam cocti lateres et calce mistum gluten conficiunt, sed æquatum dolabro tabulatum ex abiete a muris culinam claudentibus surgit, seseque ultra tectum in formam excavatæ pyramidis erigit; atque ita nascentem ab igne fumum per capacissimas fauces transmittit in auras. Ne autem eadem janua, qua lumen immittitur, sese pluviæ insinuent, binas valvas ita foramini aptarunt, ut nullo negotio longi funis opera claudi pro usu pandive queant. Idem quoque modus caminis ubique, qua iter fecimus, erat. Sex horæ Couveto Pontisalium usque supererant. Medio itinere in fauces vallis incidimus, in quibus totus horror et asperitas, quasi in nervis, robur se collegerat. Etenim viam præcipitio satis incommodam plurima lapidum frusta multis acuminibus cruda, ei instabilis silex impediebant; perque lubrica luto vestigia equi gravissime ascensum moliebantur, implicatis eorum pedibus intra saxorum angustias, et semper aut lapsum, aut lapsu molestiorem cruris ruptionem sibi nobisque minantibus. Tandem ad cacumen montis evasimus, sua etiam observatione dignum. Acuta et prærupta cautes eminet, per cujus medium non natura, sed chalybe facta arctissima via obstrui monstruosæ molis ac densitatis catena potest, qua utraque rupes per incertos validissimos cardines conjungitur. Prætervectos deinde arcem Joux mira altitudine sterili, herbisque nudæ petræ impositam, Pontisalium, vel ut alii volunt, Pontarlinum recepit.

10. Urbium comitatus Burgundici hæc prima nobis occurrit; ad quam curiosius introspiciendam invitabat me quidem elegantissima tempestas, et altero mane Kalendæ Maiæ; sed pene lacrymis pro rore madebam; quas scilicet semirutæ domus, tristes belli reliquiæ, inter noviter excitata ædificia, suos fere adhuc cineres plorantia, expressere. Hunc tamen mœrorem pulcherrime diluebam generoso liquore non jam Rhæticæ, sed Arbosianæ vitis. Non contemno quæ Vallis Tellina mittit seu mellea musta, seu in vehemens robur defæcatum merum: Arbosianum interea tantum antefero, quantum olim Paris Cypridem Lucinæ. Dulce est Rhæticum; sed effeminata mollitudine saccarum olens ac mulsum: hoc autem virili suavitate nec Canarias nec apes spirat. Rhæticum recens celebrat acutus ille stimulus, qui linguam penetrabili titillatione exagitat; ast eamdem impetuoso nimium morsu pene laniat, adeo ut communis formæ scyphum uno spiritu exhaurire vix, et non nisi solutis in largos lacrymarum imbres oculis sustineas; contra Arbosianum dum leviter pungendo acorem tantum eminus ostendit, natantia in amabili liquore labia nova semper aviditate accendit, ut dum fugientem quodammodo quis insectatur aculeum, eumque putat in fundo latere, etiam postremam guttulam sorbendo venetur. Porro nec odore cedet; quippe Rhæticum non prius torcularis spumas et musteum nidorem ex ferventibus quasi adhuc fæcibus dimittet, quam dulcor (quo uno commendabile est) exspiraverit. Cum Arbosianum maturos afferat a prælo spiritus transeuntes sedato ascensu ad cerebrum; non qui facessant tam acerbam tumultuationem, qua Rhæticum est infame: adeo ut non illepido Germanismo Ghium (alias Chium vinum celebre insulæ, sic appellatæ, in Ægeo mari) vocare liceat. Par denique salubritatis est ratio; nam etsi Arbosianum non transparenti crystallo aut Pyropo resplendeat, Rhæticis tamen nebulis non est opacum; quas ad caput in catarrhorum inundationem solvendas eructat, partim etiam stomacho ceu limum imponit, lentius quam crassa crambe digerendas. Vicissim Arbosianum liberaliter haustum, modico somno quiescens, ventriculi calorem idonea temperatura fovet, humores noxios eliminat, et deprehensas in cerebro nubes hilari serenitate componit. Ignosce licentius evaganti per siccam saltem memoriam stylo, longius ac disertius forte excursuro in præstantissimi nectaris encomia, nisi aridis nunc vestigiis incederet.

11. Kalendæ, ut dixi, Maiæ illuxerant, quibus, ut divina rite peragerentur, famulorum pars una cum R^mo domino vicario generali ad ecclesiam a familia Augustiniana incoli ab immemorabili ætate solitam; altera ad sarcinarum custodiam remanserat. Postquam primi redierant, ego cum reliquis eodem perrexi. Propior fano factus, verba illa ex sacro codice (*Exod* c. III, v. 3) admirabundi Moysis: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur*, aureis litteris exarata supra januam legi; statimque meus ipsemet interpres; belli, inquam, incendio solum hoc templum intactum stetit superstes urbis ruinis. Indagata deinde et cognita veritate rei, tanto majori pietatis sensu sacrum dixi. Quod ferme circa principium interturbaverat importuna circumfluentis copiose populi devotio; cum promiscue viri parvulique ad initiales missæ preces, quas præiveram, totidem ministri quot auditores, responderent. Eo finito breviter viam jentaculo munivimus, tendentes Salinum versus. Haud pauci per iter illius diei occurrere pagi similem cum Pontisalio fortunam a bello passi. Miserebar exustis vastatisque amplissimis villis, simulque mentis intuitum in Helvetiæ nostræ conjeci felicitatem; quam utinam, ajebam, discerent ex hac miseria non odisse. Hi bellorum sunt partus; non simplex scilicet calamitas, etiam ad posteros luctuosam infelicitatem propagans. Ex florentissimis pagis vix decem tecta ex lapidum acervis pro recipiendis paucis hominibus exstant, et hæc quidem ex ipsis ruderibus sine cultu, sine forma conflantur, nec, contra frigus nec æstum pluviamque fida. Melius patriæ nostræ Numen supremum velit; miseræ, si hac crudeli peste semel aduratur, mutaturæ illibatum hactenus pacificæ venustatis florem in cadaver et bustum.

12. Consimili omnino villa nos in meridie detinebamus, nomen illi Ala Vye. Ciborum aliquid in promptu erat, et vini defectum ego supplevi. Nam domi præmonitus, per loca egestate, quam bellariis abundantiora iter aliquando fore, duo vascula ex tenui lamina stanno illita fabricavi in formam thecarum, quibus equestria parva sclopeta custodiuntur, eaque ita ad ephippium aptavi, quasi ejusmodi tubos bellicos contra latronum insidias suspendissem. Capiunt ambo metretas (mensuras puto, ut nos vocamus) tres, plus minusve. His Pontisalii Arbosianum infuderam, omnium in hoc prandio prædam futurum. Quæ quidem vascula non infrequenter in similes usus nobis inserviebant. Die jam in occasum inclinata Salinum urbem intra duorum montium angustias positam intrantes, quod lucis supererat consumpsimus in spectandis salinis.

13. Opus celeberrimum, et quod veterum poetarum carmina inter orbis miracula merito decantassent. Illuc nos hospes humanissimus deduxit. Ab hospitio distabant majores salinæ passus circiter trecentos. Ad amplissimam ædificiorum molem porta armatis aliquot custodibus munita aditum aperit; ibi salinas inspecturi signum numismatis accipiunt, illi dein exhibendum, qui cum summa potestate operariis præest. A porta per passus circiter quinquaginta ascenditur, patetque prima, ad dextram manum janua; quam intrare nobis non permissum, quia solis feminis ea pars ædium incolitur, et virorum ingressum certa lex interdicit. Vidi tamen recedens in intimos domus angulos longissimum triclinium; per cujus medium ignis carbonibus altus candenti rubore producta linea serpebat; et ejus utrumque latus proxime ambiebant orbes coctilis, eo æstu ad plenam ariditatem exurendi; nam et ipsi candebant. Non procul inde ad aliam substitimus januam, vocatusque a nostro hospite operarum præ-

Digitized by Google

fectus præsto fuit. Is dum inspecto signo ex hospitio intelligit quare advenerimus, inopinato mediastinus quidam in pileum meum involat (erat autem novus et ex meliori lana) eoque sub thoracem suum subducto, lepida permutatione suum detritum, et sordibus fetentem vertici meo imponit. Rei insolentia motus, stomachari ego, et per hæsitantia, balbaque semilatina et male Gallica verba. Ergo, clamo, jam aperta violentia advenas fide publica tutos hic impune nobis conniventibus deprædari? Interfatus cum risu plura meditanti mihi hospes (etsi jam ultimum Gallici mei patrimonii teruncium verba illa absumpserant) prehensoque, quem abjicere indignabundus paraveram, pileo: Non, inquit, prædam iste, sed obsequium quærit, cauturus, ne dum in abditas cavernas penetramus, stillantibus e rupe undis pulchellum hoc tegmen detrimenti quidpiam patiatur: lite sic composita, ducem cum lucerna per excisam vivo ex lapide scalam, cochleæ perpetuo gyro similem, sequebamur. Tenebræ, rupium horror, et labentium aquarum sonus anxio me terrore confuderant: adeo ut vix mediam scalam emensus dubitare inciperem redire an progredi præstaret; tandem inter cæca vestigia palpitantes ad imos gradus pervenimus. Hic ingenti scrobe bulliens e petra excipitur liquor, qui aut e proximo circum pariete in scrobem recto saltu cadit, aut canalium alveo per excisos fornices adductus, stagnum implet. Fontes plurimi numerantur, quos hinc inde intra cavernas dispersos ducis diligentia monstravit. Qui etiam gustandam aquam sale amaram in vitro propinavit, et uno tantum passu distantem dulcis lymphæ scaturiginem uberrimam, non sine admiratione, ostendit. Ad machinam deinde, repetita per cochleam via, accessimus, qua falsus liquor ex profundissimo hoc antro ad superna transfertur. Eam longa junctim ex subacto corio lora per continuum sed oblongum circulum efficiunt, tanta nimirum proceritate, ut a suprema ædificii parte ad fundum usque scrobis pertingat; tanta porro latitudine, ut terni ac terni alveoli seu lignea vascula sex septemve metretas capientia suspendi perpetuo ordine possint. Ea lora superne girgillo incumbunt, cujus circumgyratione repleta vascula scrobi prius immersa, ascendunt, superata girgilli rota sese inversura, allatumque liquorem in paratos apte canales evomitura. Hi præterea canales aquam ferreæ sartagini immittunt, quæ vastissima capacitate, circulari forma, multis pilis ferreis suspenditur; subtus quam fossa in formam crucis deducta ignibus impletur, absque ulla remissione diu noctuque fervens; adeo horribili æstu, ut ultra octo passuum spatium amotus haud levitor calorem persentiscas. Non visus est mihi ignis hactenus, qui inferorum flammas a divina justitia reis mortalibus succensas magis expressa imagine ob oculos posuerit. Et hic quidem, cogitabam, quid ad alterum illum sævissimum, æternum, inexstinguibilem? Ad quem tamen cæci mortales nimis crudeli in nostram perniciem securitate properamus, unico, fortasse multi, passu mortis, distantes. Hæc dum cursim animo meo obversarentur, socii jam ad alteram sartaginem stabant. Quies illi ab igne tunc erat. Nam alternis vicibus, nunquam una, ignem accipiunt; in tam ampla enim ferratarum structura laminarum haud raro mordax materia vitium, ut credo, facit; cui dein resarciendo, tam remitti calorem, quam exhauriri undas oportebit. Visis denique tricliniis salem jam coctum consumque per acervos conservantibus, rursus hospitium petebamus.

14. Plurimæ contignationes diversorium in sublime attollunt, cujus altissimum cubile ad urbis situm explorandum conscendens, mirabar tam debili muro et levibus tormentorum ictibus impari tam celebrem divitemque salis mercimonio civitatem claudi. Verum natura suis illam munimentis sæpivit; quæ mirabili rupium flexu duos tantum ad urbem accessus reliquit, arcto inter montium angustias tramite vix bino simul viatori commeandi locum concedente. Id quod postera dies non sine tædio nobis aperuit. Nam iter nostrum prosequentibus plures asinorum turmæ occurrentes, molestissima morositate illas fauces frequenter impediverant; ita ut aliquoties in reperto extra viam angulo diu satis hærendum fuerit, donec ejusmodi cohors, plus quam octoginta aures continens pergendi spatium daret. Ferendis ad salinas lignis aurita hæc animalia damnata, suo quæque plaustro totam viæ capacitatem obstruunt, cedere aut indocta aut inepta, et resistentem una secum in ruinam involutura. Tres pene horas tenuit hæc importunitas, qua tandem superata in apertam planitiem delati animos ad sudam cœli malaciam explicavimus. Quæ tamen amœno vultu non ulterius nos recreavit, quam ad locum usque, quem prandio destinabamus.

15. Chamblai nomen est vico; deformi ruinis, et sua adhuc belli stigmata ex ruderibus monstranti. Dum nos hic prandio indulgemus, humidus a septentrione Boreas cœlum omne nubibus implet, et illæ nos deinde per horas quatuor pluviis; quas vehementi impetuositate flatus ita impegit ad latera, ut aqua sese in intimos vestium recessus, nequicquam objectis palliis, insinuarit, diuturna hæc inundatio, ventorumque gelidorum impulsus non levi nos perfuderat tædio; quod tamen ad indignationem et iracundiam exaggeravit Excubiarum urbis Dolanæ seu tarditas, seu pene injuria, quippe dimidia omnino hora ab urbis accessu et tecto nos arcebant; causati, ingressus copiam nemini posse fieri, nisi consentiente urbis præfecto. Advolabat interea tota vigilum cohors, quasi dato ad comprehendendum hostem signo; omniumque oculi, ut observabam, in unum illum tapetem contorquebantur, quem equo sarcinis portandis destinato famuli instraverant. Erat illud tegumentum pro communi more insignibus gentilitiis Rev^mi domini vicarii gen. Phrygia manu pictum: liliis, nimirum flavis e cæruleo texto micantibus. Quo 9^re cum etiam Gallica scuta signentur; milites isti animos nostros ab equestri tapete metientes, exploratorum scelus innocentiæ nostræ per criminosam suspicionem imponebant. Et quanquam Rev^mus non dissimulata auctoritate ingeminaret, Helvetios nos esse, seque in Helvetiis abbatem sacri Ordinis Cisterciensis; attamen nec sacra nomina, nec cœli nobis tam graviter incumbentis inclementia extorsere tantum vel reverentiæ, vel commiserationis, ut saltem tecta subire liceret. Allata tandem magistratus gratia innoxia lilia a pluviarum mulcta absolvit, nosque abunde saturos madido Jove, intra mœnia recepit, Ex tam contentioso introitu nos omine capto, ensem aureum pro hospitio designavimus.

16. Certior adventus nostri redditus Adam R. P. Georgius Millardet, S. S. Th. D. seminarii Dolani ad S. Bernardum provisor illico adfuit, dataque salutantis dextera, sua nobis obsequia vir humanitate, eruditione ac pietate spectatus in paucis, offerebat; nec segnius præstitit quam fuerat pollicitus. Nam altera die, Inventioni S. crucis sacra, jam in aurora, nos ad cœnobium virginum, sub nostro Instituto Numini devotarum perduxit; ac inde, postquam per ordinem singuli divinis eramus operati, ad seminarii domum. Qua obiter considerata, libatoque candidi meri poculo (id namque offarii jentaculi vicem saluberrime subit) duobus nos comitibus commisit, quorum ductu errores per urbis compita excursari, vitaremus.

17. Horum suasu recta ad nosocomium magnum contendimus. Quod ad Dubii fluminis ripam excelso fastigio in regiæ majestatis decorem assurgit. Tota moles in quatuor æqualia latera maximæ longitudinis deducta, omni exteriori fronte quadrato lapide, nullibi apparente, etiam in junctura, calcis

Digitized by Google

litura, vestitur, supra primam altarum fenestrarum seriem pergula, seu ambulacrum lapideum, chalybis artificio in varias formas excisum suspenditur; ægrotorum usui accommodatum, ex liberiori subinde aura, et prospiciendi hilaritate morbi molestias ibidem mitigantium. Interior structura duplicem se mutuo sustinentem arcum, plura deinde omni parte concamerata conclavia ostendit; ex quibus duo magnitudine cæteris eminentia nos aliquandiu detinebant, per duo scilicet latera ædificii porrecta, angulus in quem utraque concurrunt, sacello occupatur, pegmatis auro argentoque splendentibus insigni. In ejus ara augustissimum Domini corpus asservatur, loco tam idoneo, ut circumjacentibus utroque in triclinio morbidis in aspiciendi solatium, et in extremo certamine, luctaque mortis, vel etiam alias cum opus est, in cœleste alimentum pateat. Viginti porro lectisternia secundum parietem collocata, nitidis de flavo colore conopæis ad ejus patriæ morem, sed supra talis miseriæ sortem, perornantur. Cubile alterum viris, feminis alterum habitatur; dispositionis tamen aptitudine mutuum in sese prospectum impediente. Mundities tanta ubique, ut ejus solius curam, non egenorum ægrorumque hic agi diceres. Quilibet torus suum habebat inquilinum; quorum vultus ægritudinis tabe exesi, luridoque colore squalidi visitantium animos in societatem doloris violenter urgebant; et jacentium oculi e palpebrarum cavernis emicantes, latentem intra viscera cruciatum diserto silentio fatebantur: ac jure quodam lacrymas ab intuentibus exigebant, utpote quas ipsi jam omnes consumpsissent. Certe ad cancellos sacellum præmunientes sub curiositatis specie me aliquandiu a sociis aversus applicui, ne ruborem ex natantibus luminibus colligerem: utique cum in alterius cubiculi toros transversim oculos deflexissem; spectassemque ibidem e prima nobilitate (quod famularum et vestium apparatus testabatur) matronam lecto cujusdam miseræ admotam, tantaque promptitudine et hilaritate pretiosissimos cibos illi de genibus ingerentem, ac si suavissimo suo pignori mulsum instillaret. Effluentem etiam ex ulceribus, quæ genas morbidæ laniabant, saniem ceu balsama, sine horroris aut nauseæ significatione, tergebat. Confirmabat afflictam affabili morum teneritudine et allocutionis suavitate: prodigebat denique bellaria, nummos, unguenta. Ut vere hic Magdalenam Christo servatori in hoc languenti membro inservientem intueri me cum singulari pietatis sensu arbitrarer. Recipiuntur in hoc nosocomium sine discrimine cujuscunque sortis homines, eademque charitas omnium miserias complectitur. Cæterum, quod maxime obstupui, paucæ virgines, voto ad hoc præclarissimum munus astrictæ, totum rei domesticæ laborem procurant. Ex iis prima nos ex hypocausto languentium (ne horrorem ex aperiendo mox teterrimo cujusdam ulcere conciperemus) ad alia conclavia comitabatur. Constructa sunt hæc separatim pro singulis, si forte quispiam honestior civis, aut ex patriciorum genere se illis credere velit, uti frequenter id fieri referebat, ab aliis peregrinis distincti tanto velocius convalescant. Proxime ad januam majorem domus pharmacopæum aperitur; ubi unguentaria, liquores et quidquid seu simplex seu mistum curandis morbis industria medicorum invenit, suis ipsæ virgines manibus coquunt, servantque vasculis, scriniis, vitris ad omnem elegantiam exactis; tam paratæ quam peritæ sua venenis antidota, sua doloribus lenimenta ingeniosa dexteritate distribuere; dignæ profecto, quæ cæteris omnibus per orbem gynæcæis toto cœlo præferantur.

18. Integra hora nos hoc spectaculo delectati, inde extra muros aliam, sed et illam amplissimam admirationis materiam collegimus. Nimirum per urbis munitiones dilapsi tactos mœrore animos, et allatam ex nosocomio tristitiam jocorum libertate detersimus. Liceat igitur et stylo meo tanta stupendi violentia correpto librare aliquantum sese, et supra vulgarem incedendi morem triumphantis tumore gradi. Sane cum oculos in illa munimenta conjicerem, illico vi plus quam, ut rebar, humana elevabar ad jucundam troporum audaciam. Refodiebam igitur fabulosam Nasonis Uranomachiam; scitabarque ex comitibus, an Titanes hæc montium fragmenta istuc conjecissent, dum Ossam Olympumque comminuebant? nam inferioris et plebeiæ magnitudinis hominum non erat acervare tantas moles. Dædali præterea manum non vane suspicabar adfuisse operi, quod instar Labyrinthi per multiplices flexuum errores circumductum, suis etiam alieneis Minotauris horrescat. Quare jam tandem risu abstinebo, aiebam, quo temeritatem fugientis illius ducis prosequebar, qui quinque abhinc ante lustra aliquot suorum millia huic monstro sacravit. Sed et surgentes in summam altitudinem muri sat terroris spargunt; non enim quasi novacula rasi, et calce illiti nitent; sed contracta quodammodo in asperas rugas fronte Martios furores roburque per saxorum impolitorum cruditatem spirant. Et veluti adhuc de tormentorum muralium quassatione fercirent, suas cicatrices (quas ego maculis per impetiginem arrosæ cutis comparabam) gloriose ostentant; leves quidem, et neque scissura, ne dicam labe, dignatas. Septem propugnacula quasi totidem tela de mœnium circulo promittuntur, quæ in mutuam opem ita sese invicem respiciunt, ut undique duo in unius defensionem invigilent. Fossæ denique altitudo cacumen turris adæquans, quot militum tumulus esse possit demonstrans, non ferebat diuturnum palpitantium oculorum aspectum.

19. Interea nos ad prandium vocabat domini provisoris humanitas, quod in seminario liberaliter instruxit. Absumpta erat promulsis, cum ego ex mensæ socio, quem lateri meo admoverant, explorare incœpi quidnam arcani tabula illa reconderet, quam ad templi fores media in urbe observavi suspensam. Expressit in illa coloribus aptis artifex fulgentem e radiorum medio splendore sacram hostiam, qua utuntur catholici sacerdotes, quando divinorum verborum vi, expulsa panis substantia externæ illi formæ sacratissimum Domini corpus inducunt, plebique adorandum exponunt; crystallo plerumque inclusum, aureisque circum ornamentis decorum. Delectatus ille mea curiositate: ibi, respondet, durat prodigium, quo Gallia vix vidit illustrius. Qualenam inferebam prodigium? Tum ille, ut conjicio, ait, nullam tam dignæ rei notitiam habes; eam ergo tibi ab exordio breviter evolvam. In cœnobio Faverniaco, in quo aliquot a Dola leucis monachi divi Benedicti legibus vivunt, per festa Pentecostis divinum illud mysterium, cujus effigiem tabula præfert, prostabat interdiu accurrenti ex vicinia innumeræ fidelium multitudini. Cumque anno salutis 1608 Pentecostes in diem 25 Maii incidisset, ac vesperi ardens cera, pegmata illa, quæ in medio altaris in scrinii formam condendo, pro usu, divino pignori erant, per æditui socordiam comprehenderet, et flamma proserpens simul omnia altaris ornamenta in cineres solveret; unica, mirum! illa argentea theca latentem sub panis imagine Deum sustentans evasit illæsa; quam non tantum ignis non involvit, verum etiam supra altare in aere libero sublime hærentem reliquit. Non potuit diu silentio tegi tam apertum stupendumque portentum, quin frequentissimus populi accursus veritatem suis oculis haustam per omnes late regiones spargeret; multis curiositate, pluribus pietate adductis ad tantæ rei novitatem. Die Martis jam illustri (nam eousque immota persistebat) e proximo pago sacerdos quidam multa probitate insignis cum universa sibi credita plebe ad hanc sacram ædem consueto, ut vocamus, processionis ordine profectus, super repurgatam prius a cineribus aram, sacrum faci-

Digitized by Google

in populi omnem numerum superantis præsentia Qua spectante divinam a se consecratam hostiam solito more circa missæ medium supra verticem extullit, a plebe adorandam; cum ecce simul et illa, quæ ab incendio superstes in aere hærebat, per tantumdem spatii sursum ascendit, paululumque consistens descendentem sacerdotis manum secuta placidissimo motu pone jacentem in ara librum collocatur. Ne vero tam evidens divinæ clementiæ signum aut a malevolis in controversiam jocumque; vel ab ingratis in oblivionem traheretur, Ferdinandus de Reii tunc episcopus Vesontionensis per juratos quamplurimos testes totam rei seriem in publicum diploma redactam posteritati consignavit; jussitque eodem anno circa divi Thomæ festum alteram ex illis hostiis (duas enim theca continebat) Dolam solemnissima pompa transferri; quæ in hodiernum usque diem perseverat integra, ibique ostenditur, ubi tu tabulam illam notabas.

20. Actis pro eleganti narratione gratiis, ut memorabile monumentum animo meo fortius infigeretur, totam historiam celeri cogitatione revolvi. Miratus alter secutum apud me altum silentium, satisne percepissem, quæsivit, sua dicta? Abunde; *inferebam*; eaque nunquam oblitteranda apud me memoria obfirmavi: atque utinam sectarii nostri ad tam manifesti luminis claritatem caligantes mentis oculos aperirent! Qui plus quam phrenetica prorsus insania insurgunt in apertissimam hanc veritatem. Quodnam enim, quæso, fidei mysterium commendavit studiosius, instituit clarius, confirmavit inculentius incarnata veritas Deus? Ac primis quidem sæculis quamvis aliquot difficiliora dogmata ab imperitis controversiæ subjicerentur, tam effrontem tamen non peperit orbis furiam, qui in audaciam derogandi tantæ veritati insurgeret. Quanti autem omni per ordinem ævo accessere testes? nimirum, qui vitæ innocentia, et eruditionis gloria immortalitatem sibi peperere in terris, qua nunc utique fruuntur in cœlis. Contra, qui extremis hisce sæculis hujus lucis exstinguendæ, si diis placet, fuere auctores, non aliam de sua vita scribendi materiam reliquere, quam sordes, petulantiam et infanda scelera. His igitur an illis assentiendum, quis sana mente dubitet? et hi porro alia in nos ausa non afferunt, quam suæ ignorantiæ confessionem: non potest, inquiunt, hæc res fieri; capi non potest, quod immensus ille et infinitæ magnitudinis Deus, sub tam modica panis particula lateat, comedatur, adoretur. Salva res. Si arcana divinorum sacramentorum non credi, nisi palpentur necesse est, quam tu fidei materiam dabis? Manifesta ac palpabili demonstratione mihi edicito causas modumque quibus numen muscas, formicas et ejusmodi animalcula in orbe universo innumera producat, alat, conservet; si id de unico præstes, eris *mihi magnus* Apollo; sed, scio, nec de pediculo præstabis. Et tu in his leviusculis et infra tuam nobilem conditionem abjectissimo loco positis talpa lumen scilicet conferes ad fidei solem; ac supra Pauli doctrinam: tolles ænigmatis velum, prius quam facie ad faciem intuendi facultas feliciorem alteram vitam excipiat.

21. Dum in sublimi hac scientia toto fervore philosophamur, expletum prandii tempus nos de resumendo itinere admonebat. Quamobrem inter meritam gratiarum actionem dilaudata Patrum seminarii in nos charitate, comite D. provisore ejusque socio in viam nos dedimus, Oxonam usque progressi; oppidum non adeo incultum, in Gallico ducatu Burgundiæ extremum, validis munimentis et egregio castello præmunitum. Sed eamdem in hac descriptione sortem experietur Oxona, quam ego in illa spectanda; cum sole occidente ingressus, ante ortum recedens, vix aliquid observare potui memorabile, quam quod in culina vatidico lepore ridebam. Siquidem ad ignem ibi caro vitulina torrebatur, celeri rotatione circumacta; cumque nulla diligentia invenirem machinam impletam rotis sibi invicem dentium acumine innexis, ponderisque inquiem distributo per rotarum ordinem motu participantibus, quarum nimirum in patria nostra usus; subito in oculos incidit (clarior enim flamma eruperat) suspensa retro caminum rota ex asseribus composita; in cujus cavitate tumultus quidem audiebatur, sed non in morem rotarum stridores acutos edentium. Diu sic ancipitem me denique coquus expedivit. Nam cum affatim carnem penetrasset ignis, mox futuram mensæ ferculum, unico ipsius sibilo veru stetit; nec mora, canis ex lignea illa caverna exsiliens ignorantiæ meæ nodum solvit, meque simul in risum. Quod cum Rev^mus cerneret, interrogabat, quid novi conspexissem. Cui ego: Romanus, aio, ille, quatuor suis versibus: *Sic vos non vobis;* addidisset haud dubie quintum, si etiam Oxonæ divertisset. Scripsisset certe:

Sic vos non vobis; volvitis assa canes.

Postquam poeseos cognovit causam, modico risu probavit ingenium, et nihil sibi hoc novum esse, subjunxit; canibus per omnem pene Galliam id laboris sibi vindicantibus. Appositos exinde cibos diripuimus inter hujus fabulæ hilaritatem, et placide exacta nocte, antequam solis radii summa montium cacumina ferirent, jam leucam sumus emensi. Per dumeta horariam umbram nacti facillime processimus, crepusculi simul et umbrarum tepore recreati. Et quia Saona rarioribus tunc undis manabat subjecta planities siccum nobis iter concessit. Cum cæteroquin per horæ dimidiæ spatium per viam silice stratam pergendum fuisset. Illam incolæ supra humum perpetuo muro elevarunt, ut cum supra crepidinem exundans amnis campos in stagna convertit, commeantibus secura transeundi commoditas non desit. Patentibus deinde agris cœloque cum oriente sole excepti metuebamus, ne gravibus solis caloribus vexaremur: at vero usque adeo acerbo frigore ventus repente a meridie nobis incubuit, ut illigata prius ad ephippium pallia sine mora soluta induerimus. Quatuor horarum spatio exagitati hac dira et intolerabili tortura sumus; non enim credo, tam immiti asperitate præteritam hiemem vel unquam inhorruisse; neque remedium admisit obstinax malum, donec Divionense hospitium ad Campanam tecto et foco nos refocillaverit.

22. Ad quod quidem non recta, sed prius ad illustrissimi domini generalis ædes nos equi vexere, quos famuli extra atrium annulis muro adhærentibus innexuere. Nobis vero statim ad dominum generalem patuit accessus; qui obiter salutationis officio nos fungi permisit, ubi rescivit, nos jejunos jam sex leucarum iter tanti frigoris tormento confecisse. Igitur nos comiter de itineris successu interrogatos, in aream deduxit ex suo conclavi; nostrisque servis ad hospitium cum equis præcedere jussis, currum, quo ipse uti solet adduci, nosque ad hospitium eo transferri voluit. Gratiis pro tanta dignatione peractis celeri cursu ad diversorium pervenimus. Non sine gaudio laudabamus exhibitum nobis ab Ill^mo domino generali honorem, quem nulli profecto alteri contigisse certo cognovimus. Ego tacita mecum consideratione pensavi, quid opinari ex hac humanitatis gratiosa effusione liceret; cumque solitudinem mihi relinqueret Rev^mus d. vicarius, precibus vacans, et familia prandio adornando detenta, Mardochæanum ex S. historia currum cum nostro comparare audebam; nam nihil occurrebat, quod aptam similitudinem respueret, nisi Ammonis absentia. Sed animadverto me in hac comparatione historiarum tibi pene scripsisse ænigma, nisi paucis aperiam, quo ex fonte hæc regis in Mardochæum benevolentia profluxerit. Rem igitur ex genuino fundamento breviter accipe.

23. Sacer ordo noster a primæva institutione vitæ exemplar sibi proponebat rigidam illam anti-

Digitized by Google

quissimorum in Ægypto aliisque eremis degentium Patrum austeritatem, non nisi herbis et gelida victitantium; unde a primis in ordine monachis multo tempore non solum abrogatus ad normam Regulæ Benedictinæ, in quam juramus, carnium esus; sed omne præterea ciborum genus quod non summus rigor et extrema egestas præscriberet. Vestes propemodum nullæ, aut crassa ex lana setisque, solique centones in pretio et usu habebantur. Efficacibus nimirum in vitiorum pericula remediis pugnaturi tantæ severitatis sibi leges dixere; prorsus uti feris mansuescere edoctis dentium quoque et unguium aciem subtrahimus, ne si forte in naturam redierint, facile suppetat ansa, quæ sæviant. Sic illi cupiditatum pruriginem altis radicibus naturæ corruptæ infixam, per hanc simplicissimam egestatem, suique spontaneum contemptum neglectumque penitus exarmabant. Quemadmodum vero plerumque hæc studia primo impetu maxime valent, ætate sensim inferente languorem; ita sparso jam in varias regiones, vivendi ratione dispares, Ordine, timeri cœptum, ne austeritas, quæ nascentem Ordinem erexisset, brevi ad internecionem usque suffocaret, nisi subtracto severitatis onere daretur respirandi facultas. Rogata proinde apostolica sedes, ut aliquantum de arctissimis illis legibus remittere liceret. Et impetrata sunt varia privilegia, quibus circa victum mitius monachi haberentur. Sed ut indulgentia genuinæ virtuti fatalis est, ita variis in locis non solum rigoris illa extrema deserebantur, verum etiam hæc labes in cæteras paulatim leges serpebat: adeo ut accedente dein bellorum, sectarumque infortunio plurimum de primævo splendore Ordini decesserit. Quam tamen lucem ut ex suis quasi cineribus suscitarent, non defuere viri eruditione et pietate celebres; quibus se alii aut fama, aut clientela ducti adjunxere, sed dispar aliquibus zeli prudentia et præcox negotium promovendi modus successui remoram injecit; etenim multi volebant, ut resectis illis privilegiis, quibus summorum pontificum favor Ordinem de lege abstinendi a carnium esu et aliis gravaminibus exemerat, rudis illa et ad claustri tenebras damnata severitas absque ulla remissione Ordini redderetur. Et cum plausu passim hi conatus excipiebantur; nam et in curia Romana et Parisiensi amplissima auxilia tantæ pietati, non contemnendum reformationis titulum circumferenti præbebantur; ut denique illis prope propius solis Cisterciensibus esse liceret; qui privilegiorum usu gaudere pergebant, vix non a nominis et dignitatum in Ordine participatione dejectis. Nemine interim palam resistere auso, cum isti præoccupato ubique judicio effecissent, ut de causæ æquitate dubitare ne dum disceptare grande scelus duceretur. Negotii tamen controversia multis annis indecisa remansit; omnibus quidem curiis in abstinentiam tuentium favorem haud parum inclinatis. Gravabantur inter hæc multorum animi, ancipites, an privilegiis porro secure uterentur. Quod dubium ut solveret pro sua saltem provincia Rev^mus dominus vicarius generalis Helvetiæ, cognito magnificos dominos catholicos cantones legationem ad Alexandrum VII Romanum pontificem adornare, Lucernam festinatis itineribus (nam tum Bernæ illum negotia detinebant) contendit, effecitque, ut inter cætera ab eo magistratu tradita legatis mandata insererentur: petere catholicos Helvetiæ cantones hanc a sanctissima sede gratiam, ut privilegia illa circa abstinentiam a carnium esu pro Cisterciensis Ordinis suæ provinciæ monasteriis confirmarentur. Felici successu non caruere hæ preces; non enim solum pro Helvetiis, sed pro universo Ordine privilegium summæ auctoritatis renovatum robur accepit. Quod cum Ill^mo Patri generali fuisset consignatum absque dilatione ad urbem Romanam convolavit, summo honore a summo pontifice susceptus, quidquid ibidem benevolentiæ, quidquid favoris, honoris et gratiæ fuit expertus, hisce litteris Helveticis, tanquam fonti ac januæ acceptum refert. Atque hinc profluxit in nos supra memorata amplissima illa dignatio, futura deinceps haud vulgaribus incrementis fecunda, ut audies. Enimvero vix duæ præterierant horæ, jam ipsemet cum Rev^mo domino procuratore Ordinis in Curia Romana nobis nil tale cogitantibus supervenit Ill^mus P. generalis, visurus, an ea diversorii commoditas nobis obtigisset, quam tam grato hospiti deberi arbitrabatur; læto tunc patrefamilias, quod nos ex viliori triclinio ad honestius paulo ante transtulisset. Illi post humanissimum unius horæ colloquium currum et suas ædes repetiere.

24. Die sequenti circa sextam matutinam facilem sese Ill^mus P. generalis nobis exhibuit ad exponenda nostra illi negotia; ipsius tamen præsentia diutius non fruebamur, quam donec ad regium Burgundiæ senatum currus eumdem abstulit. Nos audito quemlibet promiscue in eum locum intromitti e vestigio secuti sumus. Haud procul a curia, quam alias semigallicana voce domum parlamenti appellant, subsistens ad templum nos ire autumabam. Nam nullas contignationes ex fenestrarum substructione, cum una tantum series esset, poteram dimetiri. Per angustam deinde scalam evasimus in pergulam, octo hominum circiter capacem, ex qua tanquam specula libere locum contemplabamur. Atque in primis laudabam quidem insigne artificium picti in fenestris vitri, sed non placebat obscuritas, quam colores in spatiosissimam de cætero aulam inducebant. Pulchritudinis vero palmam tulit meo saltem judicio lacunar, quod senatoribus instar cœli imminebat; illud enim elegantibus sculpturis varia scuta atque emblemata exornant, tam concinne auro coloribusque distincta, ut præter majestatem, incomparabilem loco splendorem concilient. Aurum profecto non tam pictoria videbatur arte tabulatis illitum, quam aurifabri manu igneque liquatum æneis laminis inductum. Anterius curiæ spatium sedilia et scamna plurima implent; quorum illa, quæ parietibus adhærent per quatuor gradus elevantur, supremo senatoribus seu parlamentariis ad sedendum serviente. Præses senatus non in parietis medio, sed in angulo locum tenet, reliquis secundum duos exinde parietes ordine succedentibus. Ipse rubea toga ac pileo quadrato, nobis bireta dicuntur, insignis eminet; cæteris itidem palla ad pedes usque defluens, manicis amplis ad genua extensis, uti et bireta, nigri coloris permittuntur. Advocatorum eadem est forma vestimenti, quorum turba copiosa in fundo aulæ, sua scamna occupat: ex his duos per horam disserentes audivimus, tanta contentione vocis, tanta gestuum agitatione, tanta denique linguæ volubilitate, ut nihil me ægrius habuerit, quam quod sola verba sine sensu perceperim. Miscebant sæpe integras ex Latinis voluminibus jurisprudentiæ sententias, ex quibus quid litigarent intellexi. Postquam deinde advocati satis in utramque partem disceptarunt, omnes dimittuntur, solique senatores litem lata communiter sententia dirimunt. Hic in memoriam tibi revoco, si forte in Breviariis nostris aliisve libris legisti Ill^mi P. generalis nostri titulum, qui inter alia illum Christianissimi regis in supremo Burgundiæ senatu consiliarium primum designat. Is enim est senatus ille, quem dixi, in quo ipsum primus post præsidem locus senatoribus miscet; neque locus duntaxat; sed corporis habitudo præ omnibus eminebat, nam procera cum primis statura et reliqua corporis proportio decentissime cum plena majestatis fronte conspirant; sed super omnia commendabilem juxta ac venerabilem efficit nitida excelsi verticis canities, dignius omni vestium cultura senatoriæ dignitatis ornamentum.

25. Ex hac curia per longam plateam transitus ad hospitium fuit; quam utrinque plures officinæ nullo non mercium apparatu divites coronant; ac præterea non pauca hospitiorum signa e primo fenestra-

Digitized by Google

rum ordine dependentia lepidum præbent spectaculum omnia simul intuenti; sed ædificiorum structuras longe sperabam meliores; earum pars major ligneis substructionibus constat; mediam inter trabes capedinem vimine et texto a sepibus petito obstruunt, calceque et gleba oblinunt; crederes integros ibi ex lapide solo muros stare, nisi alicubi ætate et imbribus solutum gluten ligni nuditatem proderet. Templorum aliquot etiam limina subeuntes, quorum ultra duodecim numerantur, grandia quidem, sed parum exspolita deprehendimus, summum altare fere omnem totius templi decorem continet, reliquarum partium obscuritas, aranearum telæ, et neglectus ubique cultus has sacras ædes longe infra Germanæ pietatis sedulitatem ponunt; quorum templa ad quamdam cœlestium mansionum invidiam Numinis honori parantur, nullo sumptu addictissimas veræ religioni mentes ab his ornandi res sacras conatibus, abstrahente. Ecclesiarum hic princeps est ad S. Benignum; immensis arcubus veterum pietatem ostentans; et in atrio rara ædificii moles triplicem per innumeras columnas fornicem, quorum alter alterum premit, nescio in quos usus suspendit. Notabile præteres horologii artificium; quod nimirum præmissa semper per musicam campanularum modulationem melodia, horæ præludit, sonantius deinde impacto maximæ campanæ malleo significandæ. Ita per urbis pleramque partem vagati denique paulo ante meridiem ad R^mum D. abbatem de Claravalle accessimus. Domus, in qua ipsum reperimus, Claravallis parva; sicut et ill^ius domini generalis, Cistercium parvum appellatur. Familiariter piissimus præsul nos fuit amplexus: jussumque Rev^mum dominum vicarium generalem sedere, amicabili colloquio per horam detinuit. Eamdem dignationem nobis, qui in medio nudis capitibus pro decentia stabamus, impendit; supplebatque pedum tarditatem (quos podagræ laniena discruciat) suavitate sermonis; quem in nos tam dulciter evibrabat; ut redivivam in successore melliflui Patris Bernardi affectuum gratiam penetrabili amoris sensu cordibus illabentem adoraverim. Apponebatur interim vitrum albo vino plenum, ad quod libandum grata nos violentia coegit. Etsi enim illius generosissimus odor, qui vel invitum invitasset, verecundiam nostram non superasset; quia tamen audito sanctissimo nomine (aiebat quippe S. Bernardi vinum esse) non licuit excusationum ambages prætexere, eo modice gustato ad hospitium nos contulimus.

26. Tempus promeridianum per reliquos urbis angulos discurrendo consumpsi, comitante cubiculario et stabuli curatore; qui una mecum laudabant quidem egregia Divionis munimenta, Dolana tamen anteferebant; non amplitudine, sed robore artificioque. Pulchra item magnatum aliquot domicilia, palatia vulgo dicta, non incuriosi transivimus. Nec defuit pleno pectore ridendi stimulus, ob stolidam feminarum ibi vanitatem; eam enim ut primo observavi, aut in Bacchanalia me aut in Æthiopissas forte Arabicasque barbaras incidisse suspicabar. Obviabant nimirum non raræ, quarum vultus supra omnes ollas nigræ spectrum potius quam hominem referebant; larvis ex atra bombyce inductis. Obstupescens lepidissimam rem, cachinnoque excipiens: Pia, dicebam, inventio, si frontis illicium feminæ hac arte rescindunt. Verum comites mei aliam subesse causam affirmabant; ne scilicet faciei venustas et candor sole vel pulvere sordescat; augurati, non nisi speciosas sic sibi cavere. Ast usum quoque alium deinde, et plane contrarium aperuit quædam, sub domus suæ vestibulo larvam abstrahens, adeo deformis, rugis, et bile livida; ut si serpentium formam capilli induissent, nescio an non in saxa nos convertisset hæc Maura Gorgon. Credi saltem volunt, aliquid sub hac personata arrogantia latere; vel forsan hac funerali pompa emortuæ formæ parentant. Eadem deliratione reliquarum vestium apparatum multi ex inquilinis Divionensibus curant, uti fide digna narratione percepi, qua nempe famis et domesticæ paupertatis miseriam operiunt.

27. Duas non minus horas hac ambulatione dilapidavimus; ad hospitium inde et cœnam reversis Rev^mus D. abbas de Lucella, dominus Bernardinus, supervenit, qui ea ipsa hora Divionem appulerat, et in transitu salutationis obsequio apud Rev^mum D. vicarium gen. functus in vicinia nostra diversorium commodum nactus fuerat. Quem dum ad limen nostrarum ædium deducimus, quatuor fidicines adfuere, avidi cœnam nostram arte sua condire, nec tulere repulsam; quibus ad januam nostri trichinii subsistere jussis, per horæ quadrantem aures commodavimus; dignis nostro omnium judicio, qui diutius audirentur. Unde, ut eorum digitos acueremus, honesto donario perunximus; quo illi accepto statim evanuere. Mira fidium concordia et suavitate exornaverant artem; saltus celeres, morososque tractus inter articulorum tremulam palpitationem scitissime exprimebant. Quos deinde sonos mutuo assultu, deflexioneque præcinebat initio vox altior, eleganti imitatione chordæ inferiores crassiori murmure reddebant, sic æmula vicissitudine quasi rixas et complexus miscebant, sic duros mollesque sonos mirabili temperatione variabant. Meliori successu altera dies eosdem nobis musicos adjunxit. Nam satis mature cum Rev^mo domino procuratore de nostris negotiis agentes, in parvo Cistercio Rev^mus dominus abbas de Claravalle conspexit, quem inde ad suas ædes currus jam promptus auferebat. Is accersito ad se Rev^mo domino vicario gen. paucis, sed efficacissima charitate validis verbis indicabat, gratius se a nobis accepturum nihil, quam si suam mensam ad imminens prandium nostra præsentia dignaremur. Nec moram indulsit adornandæ excusationis, quin statim in apertum famulorum opera currum nos receptos secum in Claramvallem suam traxit.

28. Terendo tempori, quod ad prandium usque reliquum erat, dominus secretarius Clarævallensis nos ad hortum invitavit, nam Rev^mus triclinium superius cum domino abbate conscenderat. Libenter assentientibus eruditam sermonis promulsidem jucunde instillabat; multa de Clarissima sua valle, multa de Gallia prope universa eleganter disserens: denique ex nobis, de nostræ patriæ ac monasteriorum statu percunctabatur. Neque frustranda egregii viri sciendi cupido mihi visa; ideoque, si me breviter auscultare non gravaretur, dixi me allaturum in medium, quæ subitanea et imparata mihi memoria suggesserit. Tum exordiri jussus, Maristellæ, aiebam, nomen in mari natum, a periculis et propitio lumine; quod illustrem comitem Henricum de Raperschweil Sarracenis arma inferentem servavit. Illum in reditu iratum æquor pluribus diebus ita jactabat, ut ignarus quo tandem in orbe versaretur, in momenta singula naufragium mortemque operiretur. Nam et spissæ nebulæ cœlum omne abstulerant. Humana igitur omni spe amissa, animoque ad superos erecto, divæ Matri Virgini votum nuncupat, si auxiliari porrecta manu se fluctibus eriperet, monasterium familiæ Cisterciensi in sua ditione sub ejus augustissimo nomine consecraturum. Prona in miserorum preces misericordiæ regina non diu subsidia distulit; sed ea statim nocte stellam magnitudinis ac splendoris insoliti, veluti salutis nuntium, de cœlo monstravit; ad quam Cyposuram cursu navis directo paucos intra dies salvus et incolumis portum tenuit. In tanti beneficii memoriam exstructo inde cœnobio nomen beatæ Mariæ de Maris stella imposuit; in quo postmodum ipse fundator post uxoris in peregrinatione Hierosolymitana obitum, cælibem per novemdecim annos vitam duxit, atque in capitulo sepulcrum obtinuit:

Digitized by Google

ornatum epitaphio, non eleganti quidem, sed quod piam illius sæculi simplicitatem commendet. Illud in pugillari meo descriptum, si lubet; legam, sic autem habet:

Sit superis charus fundator, sanguine clarus:
Æquora transivit: paganos ense petivit.
Victor regressus, mundi certamine fessus,
Claustrum fundavit; ditavit; magnificavit
Donis; et dotans bis marchis mille; decorans
Sexcentis, centum, marchis bis quindecim et octo.
Suscipe devotum, Rex clemens, hunc tibi totum.
Pœnas evadat; ad cœlica gaudia vadat:
Amplexu sponsi lætetur; delicietur;
Cœlis aptatus, sit re sine fine beatus.
Anno milleno, ducenteno, bis tredecim, uno,
Comes Henricus nobili de sanguine cretus,
Fundavit claustrum, sed præmia sumpsit æterna,
Anno milleno, ducenteno, quadragesimo sexto.

Anno igitur post recuperatum humano generi cœlum millesimo ducentesimo vicesimo septimo fundata est Maristella, eique collata dos tam ampla, præsertim aucta donis non spernendis comitum de Habspurg, Kiburg aliorumque: præterea nobilium de Tillengen, Strettlingen, Mandach, Hettlingen, Schonewert, Warta, Klingen, Wartenfels; ex quibus familiis plures in monasterio sunt tumulati: ita ut nisi variæ temporum injuriæ totam pene consumpsissent, dubitare Maristella posset, an multa per Germaniam monasteria essent, quæ secum comparari pateretur. Etenim, ut nihil de incendiis dicam, quorum duo, annis Christi 1448 et 1507, ad ultimam usque ruinam sustinuit; nihil de litibus, tineis scilicet bonorum fortunæ; quibus fere semper cum ingenti damno implicabatur; nihil denique de venditis olim indignissimo pretio pagis integris, amplissimisque juribus, præsertim dum Helvetii sese ex servitute in libertatem expedirent: una hæresis hydra sat vorax fuit, quæ (quod plurimum in Helvetia, et alibi monasteriorum fatum fuit) totam evertere valuisset. Sed melius suis clientibus voluit esse consultum potentissima protectrix; quæ sacratam saltem suo domini domum sartam tectamque servavit, quanquam incolarum ac bonorum majori parte exutam; deditque, post hæc incommoda, abbates laudatissimos, qui per insignem multorum annorum industriam eo Maristellam decori restituerunt, ut gratulari sibi Ordinique de sua felicitate non immerito possit. Nam præter conversos sustentat ad chorum deputatos non minus quadraginta religiosos, theologiæ, philosophiæ humanitatisque studiis sese inter exactam officii divini diligentiam exercentes: nec tamen interea pro solis ad portam accurrentibus egenis minus quam duodecim hebdomadatim farris modios liberaliter expendit; amœno saluberrimoque situ Maristella gaudet; orientem versus Tigurum primam Helvetiæ civitatem respicit; ex opposito Badenam, noviter excitati fortissimi castelli munitione, diæta cantonum, thermisque calidis celeberrimum oppidum. Utroque deinde ex latere, hinc fecundissima vinetis Jura, illinc viridi dumetis et abiete Claromonte cingitur; qui ambo clivi vallem efficiunt, quam mediam interluit Limagus piscium ferax, navesque minoris forma frequentes transmittens; is Maristellam ita septentrionem, occasumque versus ambit, ut pene in insulam cogat; modicum relinquens spatium, quo continenti adhæret. Salemium Maristellæ primum abbatem cum duodecim religiosis dedit, a quo modernus Rev^mus D. Gerardus Burgisser, ex proximo Bremgartensi oppido natus, numero trigesimus felici regimine præest. Omnia monasterii ædificia pro nostri sæculi more tenebras exosa, liberum solis lumen in omnes angulos admittunt, peculiariter Ecclesia, hilari tralucentis vitri splendore et gypsi candore illustris. Chori subsellia de quercu excisa singulari artificio celebrantur, bino etiam organo, et altero quidem bene grandi musicam (cujus apud nos præcipuus amor et cura) animat. In exterioris ecclesiæ sinistro latere sepulcrum Alberti I, Romanorum imperatoris, visitur: qui cum anno Christi 1308 a nepote suo Joanne instinctu quorumdam nobilium Vindonissæ ad Rusam fluvium interfectus fuisset, Maristellæ unius anni et trium mensium sepulcrum nactus, inde Spiram Henrici VII, jussu ad imperatores reliquos translatus est. Ecclesiæ non dispar ambitus elaboratas gypso imagines monachorum Cisterciensium qui vel dignitate ecclesiastica vel sanctimonia floruerunt, eleganti artificio exhibet. Sacro etiam reliquiarum thesauro Maristellam locupletavit Innocentius X, P. M., ante annos quindecim, donatis ex urbe exuviis divorum Mariani et Getulii nunc pulcherrimo altari exornatis, cultisque magno populi accursu ob prodigia, quibus frequentissime clarent. Cæterum Jura territorialia satis ampla tenet; advocatiæ onerosis favoribus libera, octo seniores cantones protectorum titulo, et annua recognitione veneratur.

29. Multa insuper alia de nostræ Helvetiæ rebus, uti de strage a Catholicis apud Villmergam Bernensibus illata, item de antiquis eorumdem in varios hostes victoriis, his sermonibus inspersa avidissimis auribus excipiebat, donec intellexit datum esse ad mensam signum. Quæ quidem tam splendide ornabatur, ut ipsemet Rev^mus præsul fassus fuerit; non consuetudini, non necessitati, sed nostro honori harum epularum, pretium deberi. Odoris, saporisque oblectamentis variis abundabat mensa, meos tamen in se oculos ante omnes missus in se convertebant exoticæ magnitudinis pira, utramque manum meam, digitorum articulis simul innexam æquantia magnitudine; tamque vivida adhuc specie, ut recentem autumnum in hoc adulto jam vere spirarent. Sane sola me loci distantia continuit, ut ex his frugibus non unam alteramve domum miraculi gratia transportaverim. Prandium post sessionem duarum circiter horarum solvebat adventus plurimorum, qui Rev^mo domino Claravallensi locuturi foris exspectare dicebantur.

30. Quare post submissa debitæ gratitudinis verba ad Rev^mum dominum abbatem de Pontiniaco exire decrevimus, quem etiam podagræ vincula domi suæ retinebant. Ibi, sine mora admissis amicissimum se nobis præbuit, rogavitque inter alia humanitatis haud obscura indicia, ut Pontiniacum suum inviseremus, nunquam fore asserens, ut nos itineris pœniteat: divi Edmundi sacras exuvias, imo sacrum corpus ibi asservari, quo thesauro mirabiliorem Gallia plane ignoret, siquidem non in aliam ea sacra membra, speciem esse a morte mutata hactenus, quam si ante octo paucioresve dies ab anima fuissent relicta; cum tamen ultra quadringentos ac viginti annos corpus integrum et incorruptum perseveret. Pia curiositas nostra ex hoc colloquio tantum fuit accensa, ut pene promiserimus adire Pontiniacum; dato tamen ancipiti responso, hospitium nostrum requisivimus, in quo transmissos nobis a Rev^mo domino de Claravalle sex Bernardini liquoris ampullas offendimus, quæ deinceps nobis pro medicinali jentaculo et deliciis usque ad discessum sufficere.

31. Septima Maii dies illuxerat, quæ nos gratissima serenitate invitavit in agros. Itaque eadem hora, qua sol ex noctis opa q, nos extra portas ferebamur, invisuri Castrum Fontenense, e quo splendidissimus ille Ordinis, imo orbis universi sol Bernardus prodivit. Non longe a mœnibus positis jam ob oculos versabatur hoc castrum, et subjectus ejusdem nominis pagus. Nam in cacumine collis existens lætissimum aperit in omnem per circumfusam late regionem intuitum. Et ex urbe Divionensi quidem sensim campi elatiores per horæ medietatem accedunt, donec sub ipso castro sese clivus magis præcipiti declivitate attollit in sublime, invi-

Digitized by Google

tatque advenarum frequentiam tum ad curiositatis, tum pietatis gustum. Celebri semper incolarum veneratione florebat hæc eximiæ sanctitatis origo, sed eam ante aliquot annos non parum adauxit Ludovici XIII, Galliarum regis liberalitas, qui anno 1619 Cisterciensibus observantiæ strictioris ex congregatione Fuliensi magnificum exstruxit cœnobium, quod nunc ultimam adhuc totaliter excolentis manum desiderat. Huc igitur promoti Rev^ma dominum abbatem de Campo Liliorum ex Austria offendimus, qui ante nos paulum curru advectus sacris operari cœperat, nobis intra templi januam pedem inferentibus, in altari, quod jam eum occupat locum, in quo de piæ parentis utero in hanc mortalitatis lucem progressus est S. Bernardus. Tam præclara altaris prærogativa ex religioso illius loci Patre intellecta, morabar divina, dum dictus præsul sacri finem invenisset. Duæ interim aræ aliæ missas dicentibus R^mo vicario generali et socio serviebant. Nactus denique et meæ pietatis occasionem, in prædicto altari sacrificium incruentum obtuli honori sanctissimi Patris, ut cui ille pretium sua nativitate fecisset. Expleta ab omnibus devotione per monasterium et paternas Bernardi ædes circumducti, gratulabamur bonæ fortunæ, quod a nobis virtutum celeberrimarum hic hortus nobilissimus inambularetur, ex quo tot præstantissima sanctimoniæ germina pullulavere. Ego curiosis oculis legebam illa innocentis pueruli vestigia, aiebamque : hoc scilicet in triclinio torum suavissimo pusioni sternebat piissima mater; hic mentam, hic crepundia ponebat; hic struebat adolescentulus ex icunculis altariola, et parvulas manus levabat ad sidera. In his angulis precatorios volvebat ad orationum numerum globulos. Hic a matris ubere lactis stillas, inde ab ejusdem ore, pietatem insinuantis, pendebat. Per hanc denique se subducebat januam, cum cerrasos avare nummulos clanculum prodigebat in pauperes.

32. Talia nunc perfunctorie meditantem socii monebant ad reditum, jam enim dies in meridiem vergebat. Eamdem tamen viam repetere noluimus, sed ad dexteram declinantes siter ad Carthusiam direximus. Insignis illa est, et si quæ res ulla alia, spectari meritissima. Ecclesias vi legum quas observant, amant obscuras; hæc tamen ob amplitudinem fenestrasque multum claritatis habet. Picturarum elegantia simul et copia perquam multa. Chorum exornant ingentia candelabra aurichalco fusa, et ejusdem operis aquila grandis medium occupat, sustinendis cantus libris erecta. Utcunque autem hæc rara sint et elegantia, longe tamen superantur a duobus quæ ibi exstant, Burgundiæ ducum mausolæis; quibus ego, seu de arte, seu de pretio certetur, summam æstimationem tribuo eorum omnium, quæ vel alias, vel in hoc itinere considerare merui. Alabastrites in multiplex artificium excisus ad argenti teneritudinem acumine sculpturarum accedit proxime, præsertim in imaginibus ducum ibi tumulatorum; in quibus fere dixerim, naturam ab arte victam. Sane vestium plicas, et incidentes in sese laciniarum sinus, ne ipsa quidem vestis tam scite posuisset. Vultuum deinde effigies, conspirante in subsidium artis pallore lapidis, quasi fugientis e corpore vitæ vestigia nondum penitus consumpta repræsentabat tam vivaciter, ut non statuas, sed sopore suavi ligata corpora dixisses. Qua humo adhærent hi tumuli, ingens marmor varii coloris machinam sustinet; huic innumeræ plangentium vultibus indutæ icones, ac si superius saxum et impositas ducum imagines humeris gestarent, insistunt : tam diligentem artificis manum expertæ, ut quælibet illarum in distinctas ab alia tristitiæ nubes frontem membraque contrahat. Jam quod huic plorantium minorum turbæ incumbit integrum marmor, duodecim pedes longum, sex latum, crassius palmo, ad speculi nitorem splendescit, reddens instar vitri jacentes supra figuras, et aspicientium facies. Ambitus templo adjunctus per quatuor æqualia latera centum quinquaginta passus longa extenditur, habetque annexas cellas pro illius instituti asseclis accommodatas, quorum nulli puteus, hortus, officina, duoque alia triclinia desunt, non minus septuaginta : harum quasdam postquam nobis loci prior ostendit, nos Divionem per speciosam inter ridentia floribus prata umbramque arborum viam ad prandium properavimus.

33. Quanquam autem immodicus promeridianas horas æstus inflammaverat, peragrare tamen urbem denuo constituimus, ac secundum mœnia aliquandiu spatiatis ad orphanotrophium accedendi cupido incessit; quod nostra curiositate non indignum esse referebatur. Ad illud igitur sine difficultate admissi Dolanum hospitale quærebamus, sed inferiora deprehendimus pene omnia. Ædes quidem est spatiosissima, in plurimas officinas et triclinia sine ullo cultu distributa; quarum alia cunis et vagientium clamoribus implentur; alia pueros juvenesque adultos continent, qui variis partim opificiis, partim lanæ purgandæ, ac deinde in illa texturamque concinnandæ insudant. Occurrere in alia domus parte plures octo vel novem, ut arbitror, annorum puellulæ, quæ acu lanam vario colore tinctam elegantibus picturis aptabant. Et hujusmodi projectitios orbosque supra ducentos ea domus educat, qui donec ad justam ætatem excreverint, artium laboribus exercentur, ac tum viatico donato dimissi sua se industria sustentare jubentur. Infinita hic alia, in tam ampla urbe, poterant notari, quæ brevitatis gratia silentio præteribo. Nunc ad hospitium me accingo, cui propior factus, salutavi Rev^ma dominum Nicolaum abbatem de Porta cœli, vulgo Teneubach, una cum socio adventantem. Is est, qui ante tres annos e Maristella postulatus abbas, dirutum bellis monasterium magna dexteritate, sed non minori etiam sudore restaurat. Antiquum cœnobium est, quatuor a Friburgo Brisgoiæ horis in silvestri solitudine situm, jam circa annum Christi 1156 fundatum. Celeberrimum olim fuisse, ex lapidibus nobilium plurimorum sepulcralibus per ambitum liquido constat. Ei honoris gratia me comitem, imo servum ad Ill^mum D. generalem obtrusi, ducemque ad hospitium nostrum revertenti.

34. Quinta hæc nostræ commorationis dies tandem aliquando nos Divione expediet, sed octavo brevi, ac postea tertium die septimo redituros. Itaque circa sextam matutinam in divi Benigni fano sacrum diximus, prandioque post accepto ad ædes Ill^mi D. generalis, una cum reliquis omnibus, quotquot ad comitia generalia accessuri erant, convolavimus. Ipso meridie dictus Ill^mus P. generalis curru conscenso iter Cistercium versus ordiebatur. Sequebantur primorum Patrum de Firmitate, Claravalle, et Pontiniaco currus, aliique omnino decem plerique sex aut quatuor equis impellebantur. Hoc apparatu præmisso promiscue nulla attenta ratione dignitatis ætatisve succedebant bini vel terni, prout platearum capacitas ferebat. Abbatiali honore insigniti quadraginta numerabantur; priores deinde et commissarii centum quinquaginta, hos servi centum triginta stipabant. Numero Galli superabant; nam ex Hispania duos, ex tota Germania infra viginti compariisse intellexi; cæteri fere omnes ex diversis regni Gallici finibus advenere. Equorum multiplex erat forma; multi ex illis humiles, cervorum speciem capite pedibusque, et, ut audivi, etiam currendi velocitate referebant : verum non in longa itinera valentes, totis viribus, utpote in parvi corporis compendium coactis, bidui labore exhaustis; ac inde inutilibus, donec quieverint. Præ cæteris spectabilis erat, quo R^mus D. vicarius generalis de S. Urbano vehebatur, omnium circumstantium oculis digitisque in eum intentis. Et equus, quasi sessoris et se observari conscius, colli incurvatura,

Digitized by Google

gradiendi superbia, et petulanti pedum subsultu elegantem cætera formam exaggerabat; maxime dum per urbem silice stratam complodentium equorum ungulæ personabant. Extra munimenta densissimus pulvis, in nebulæ modum spissus a tanta equitum caterva excitabatur, nec subsidebat quiescente cœlo et calidissimo sole, donec post quartam denique horam Cisterciense archicœnobium inter campanarum festivos plausus suas nobis portas reseravit, propter quas, equis dimissis, omnes Ill^mum D. generalem ad templi fores præeuntem secuti, aquæ lustralis aspersione faustam precationem accipiebant. Stabat per duas ex utraque parte per medium templum lineas candidus ordo monachorum Cisterciensium, qui cucullis induti albis, in terram defluentibus, oculisque humi defixis, adeo formosam adornabant modestiæ pompam, ut omnium animos tam decorus aspectus piis motibus concusserit. Per ornatissimum hunc triumphum tota se adventantium multitudo in templi interiora effundens, per quartam horæ partem in preces prosternebatur.

35. Afficiebat inter hæc nostras aures incredibilis suavitas organi supra majorem templi portam suspensi. Ingenue fateor, vix ulla res ab ineunte ætate meos in se affectus rapiebat, ut musica unde illi frequens auditor interfui, seu vocibus tantum, seu fidibus excultæ, tam exquisitum tamen artis compendium, succum medullamque musicæ auribus meis excepi nunquam. Etenim, placebat tuba? Hæc præsertim in introitu, bellica ferocitate stridebat in classicum. Arridebant tibiæ? Has articulorum velocitas modo per repetitos celeriter impulsus glomerabat in unum; modo subitanea sursum deorsumque saltatione componebat cum minoribus grandes, non secus, ac si singuli ecclesiæ anguli suum haberent Marsyam in Phœbi certamine sudantem. Dimissa mox pastoritia modulatione in fistularum et litui cuspides vivax spiramen per reconditam machinam immisit artifex; quas acutissimis clamoribus erumpentes per jucundos errores subito provehebat in altum, inque sublimi hærentes et tremula circumgyratione vexatas repente volvebat in imum; ibi non longo quidem, sed gravi murmure subsistere jussas ex ipsa denique medietate simul et imo summoque colligebat. Præterea quamvis præter oblongos candidi metalli tubos nihil admodum conspiceretur exterius; tenerrimus tamen fidium quoque sonus fistularum cantui tanta intermicabat argutia, ut non terræ solum, sed et ovicularum intestina in hanc vocata esse harmoniam vix dubitaverim. Neque precario tantum, sed ipsius naturæ libertate vagari spiritum, vivarum dispensatione vocum, pene patebat, nam (quod neque narrari mihi unquam solebat) vocem humanam non jam propinqua imitatione, sed suo illo, licet stanneo gutture, tubi efformabant, quam quidem organi moderator tibiis tanto cum lepore miscebat, ut jam vox unica per omnes tubos erraret, jam plena cumentium cohors implicaretur alterna responsione, jam earumdem mutua quasi suspiria inter se colliderentur. Atque hic omnium tonorum vocumque concentus postquam canoro simul impetu insonuit, sub repercusso Echonis silentio tanquam a longe audiebatur. Sed non simplex hic furtive redeuntis soni lusus erat, inminutus semper in tertiam usque vicem sonitus, et se tandem, nec penitus amittens longissimi intervalli mendacio exspirabat.

36. Gratissimis hisce deliciis delibuti, per ambitum in interius atrium omnes convenere, vocantemque dominum procuratorem rei domesticæ Cisterciensis, ad designata conclavia secuti singuli, post editum campana majori signum ad cœnam, inde ad strata se abdidere. Cubile nobis obtigit commoditate profecto non ultimum, lectos sufficientes et binum a latere ambulacrum nactis. Circa mediam quintam alterius diei horam festinato divinis operati initia comitiorum exspectabamus. Quæ brevi post hora septima dedit, qua omnes jam admoniti ad chorum confluxerant. Solemni primum ritu decantata fuit hora ex canonicis orationibus tertia, ea sane gravitate, ut hic tandem animo meo repræsentare potuerim venerandæ antiquitatis in divino obsequio labores, quos ex librorum lectione auditos, admirandos semper censui, magis quam facile imitandos, nam lente admodum profundam, et quodammodo humi inclinatam vocem trahebant, et licet sonorus ea ratione cantus non reddatur, quia tamen ducentæ paulo minus voces tunc concurrebant, plenissima majestate condecorabatur. Pari omnino morositate officium summum de Spiritu sancto canebamus, præsulem agente Rev^mo domino abbate de Campo Liliorum: quod monasterium in Austria fundatum est anno 1206 celebre, si in ordine, ullum; in intimis enim aulæ Cæsareæ consiliis et summa existimatione illius loci abbates habentur; præsertim qui nunc maxima cum laude præest, ipsi Romano imperatori adeo gratus ac familiaris est, ut eumdem honorificis capitulo generali litteris commendarit, sacrum igitur chorali, ut vocamus, cantu peragebatur; cui elegantissimum illud organum, sexcentos musicos supplens interludebat. Ritus adamussim exigebantur, atque in tanta famulantium infulato præsuli copia quisque suo munere tam diligenter sciteque fungebatur, ut ad libratam ponderis mensuram velut in horologiis rotæ circumferri credidisses. Absoluta solemni hac missa ad concilium omnes intra claustri locum, quem capitulum appellamus, sumus admissi. Principium fecit lectio chartæ Charitatis (de qua supra n. 2) quam secuta est oratio Ill^mi domini generalis. Hac omnes ad animorum unionem et pium promovendæ pacis fervorem summa plane eloquentia, dicendi ardore, et majestate vocis exhortabatur. Postquam peroraverat, tres qui aderant primos Patres, secum ex capitulo in secretum conclave abduxit, ad seligendos pro consuetudine ordinis definitores, seu legitimos judices, quorum auctoritate et prudentia leges et statuta conciperentur. Est autem ea hos eligendi methodus: Ill^mus in primis dominus generalis quatuor de sua linea sibi definitores adjungit, ac totidem de sua item linea reliqui primates, ut ita totus ille electorum et eligentium numerus viginti quinque definitores efficiat. Et hic honor primis quatuor Patribus jam inde ab exordio sacri ordinis illibatus conservatur. Ex isto autem quatuor Patrum numero, quartus, abbas Morimundi, suam capitulo generali absentiam urgentibus de causis excusaverat. Ne tamen princeps ille locus in arduo et momenti perquam maximi negotio vacans, litibus, aliquando forte nasciturus, viam sterneret; ejus vices et personam sustinere durantibus comitiis jussus est Rev^mus dominus vicarius generalis, abbas de S. Urbano, tam rara quam honorifica profecto dignatione; scientiæ tamen et meritis tum non impari, tum etiam debita.

37. Dum hæc in secreto gerebantur, alia ordinis huc spectantia privilegia et decreta recitabantur. Post horæ deinde spatium redux Ill^mus D. generalis eum reliquis definitorum nomina promulgari mandavit. Quibus lectis, mirabar, me audisse tot nota mihi monasteria, ex quibus definitores petebantur, ex sola enim congregatione Germanica quinque notabam; et inter primos Rev^m D. Bernardinum abbatem de Lucella, celeberrimo quondam, et vel sola antiquitate venerabili monasterio Alsatiæ. Id initium sumpsit anno Christi 1124, floruitque insigni semper virorum præstantissimorum copia. Sed sæculi hujus nostri bellicis tumultibus Alsatiam vastantibus, communi incendio involuta Lucella, moderni abbatis multo labore respirat. Nominatis, ut dixi, definitoribus, conventus solutus, ad primam sessionem Patres concilio designatos dimisit. Celebratæ deinde hæ conventiones quotidie per duas, tam ante quam post meridiem horas. Cæteris, qui concilio non intererant, si quid coram consessu

Digitized by Google

proponere placuit, facultas aperta per notarios fuerat, id aut scripto, aut viva voce perficiendi. Hora post prandium prima, theses theologicas in aperta charta typo excusas propugnavit ex collegio Bernardi Parisiensi nuper adveniens religiosus Cistercii professus; spectante universa multitudine advenarum, et oppugnantia argumenta ingerente doctissimo quoque, cui arenæ periculum facere lubebat. Hispani maxime argute solideque disputabant. His tamen omnibus pari alacritate fronteque imperterrita defendens immissa tela retorquebat, reportata præter victoriam insigni ab omnibus laude.

38. Altera, quemadmodum et tertia die concilio præmissum solemne sacrum sub iisdem, quo pridie ritibus : in quo amictus semper variabantur, nunquam tamen non aureo texto fulgentes. Cætera quoque in privatarum missarum usus indumenta pretio et numero erant inæstimabilia. Nam et interior longa vestis, quæ alba dicitur, circa fimbrias et brachilium oras tenerrimis auri filamentis per subtilissimam sindonem spectabilis erat. Calices non auri tantum et argenti opulentia, sed et artis summa pulchritudo commendabat. Et in tanto sacerdotum numero nunquam aut loci commoditas, aut aliud quidpiam desiderabatur, quin pro arbitratu quilibet suæ pietati operam dare potuerit. Ingentis enim et concinnæ magnitudinis Ecclesia, in plures altarium ordines (quorum triginta esse recordor) distribuitur. Altaræ summum recenti opere de vivo lapide excitatur, tam imaginibus quam pegmatis nobilissime exsculptis; nisi quod medium elegans in extensa carbaso pictura planum facit. Cæterorum altarium per totum, ligneus ornatus, excogitato non dudum artificio ficta marmoris specie vestitur, colorum multiplici varietate per lletitii lapidis splendorem gratissime promicante. Ex Ecclesia per binas fores in claustra seu ambitus transitur, quorum tria sibi successive adhærentia visuntur. Quod Ecclesiæ proximum est, majus reliquis, non permittit ibi violari legem silentii, duobus aliis ad colloquendum et deambulandum destinatis. Majori claustro ad sinistrum latus junctum est capitulum, uti in omnibus ordinis monasteriis consuetum; plus quam trecentorum sessorum capax, arcuatum latissimo fornice, quem duæ monstruosæ densitatis columnæ portant. Hoc ipsum sinistrum latus clauditur prope Ecclesiæ januam altari, sub quo sacra lypsana primorum ordinis Patrum Stephani scilicet et Alberici, aliorumque quiescunt; et haud inde procul sepulcrum B. Alani admirabilis eruditione, demissione, et sanctimonia viri, saxo varia scriptura insculpto tegitur. Extra capituli parietes scamna seu plutei aliquot libris onerantur, parati piæ lectioni indulgere volentibus. Sexaginta passuum est hujus lateris longitudo, uti et cæterorum trium. Juxta capitulum transitur spatioso tramite ad alia claustra; et inde aliquot passibus distat janua, qua ad tirocinii locum penetratur. Secundo lateri adhæret inter duas coquinas positum refectorium.

39. Magnificum illud profecto, et in templi formam excelsos arcus in sublime libratos, pluribus sed non densis columnis imponens. In sexaginta tres passus longitudo, et paulo plus viginti latitudo extenditur. Per septem lineas in hoc communi omnibus tam peregrinis quam domesticis per hæc comitia refectorio mensæ ponebantur. Prima in fronte aulæ, reliquis altior pro Ill^mo domino generali et primoribus ordinis prælatis exstabat. Duæ deinde secundum utrumque ædificii parietem serpebant; et ex opposito duæ aliæ, quatuor passibus amotæ, spatio scilicet servitoribus ad cibos inferendos relicto. Media denique refectorii pars muris in sedilia aptatis distincta per duas item lineas a solis religiosis domesticis obsidebatur. Ad suggestum lectionis mensalis octodecim, ni fallor, gradibus ascenditur. Huc igitur percepto maximæ campanæ sono omnes coibant, seu prandii, seu cœnæ tempus aderat; et præeunte cantore solitas preces graviter increscente per fornicis cavitatem voce exsolvebant. Succedebat horæ dimidiæ comestio admodum frugalis; et in tanto numero non ad omnes idoneum de foco calorem perferentibus cibis; vino tamen juvabatur, cujus bonitas cæteram insuetudinem affatim emendabat. Actis denique in fine simul gratiis, quilibet dilabebatur, quocunque illum aut ambulationis, aut societatis hilaritas ad animi refocillationem seducebat; quorum neutrum deficere poterat, in tam amplo et loci spatio, et omnis pene nationis consortio.

40. Invitabat nos sub umbræ amœnitatem, arborum tunc prima foliorum volumina explicantium viror, quas bene longo ordine in deambulationis usum plantatas, ramorum brachia in cacuminibus per modum arcus connectebant. Per eamdem ambulacri viam silvula patebat fago opaca, quam exterius cingebat fossa, inter stagnantes undas numerosum piscem alens, teporemque in æstu concilians nemori. Hæc tamen omnia murus ambit, qui per ingens spatium circumductus monasterii septum est; intra quod etiam continentur immania pro servando feno horrea, incumbentia tot stabulis, quæ per hoc octiduum non infra ducentos equos commode recipiebant. Ac denique distributis in suas officinas laboribus longa ædificiorum series, quamvis rudi antiquitatis habitu incondita, a templo ad stabula usque excurrit. Quæ omnis structurarum diversissimarum magnarumque congeries loci laxitate et numero multa oppida, quæ vidi, post se relinquit; veluti postea in turri, quæ campanas suspendit, manifestius apparebat.

41. Per angustam cochleam ad summum templi fastigium admissi, scalis deinde in turrim evasimus; miratique raram campanarum præsertim majoris magnitudinem, oculorum aciem late circumferebamus. Quantum turris supra ecclesiæ tectum procedit in altum, quernis trabibus componitur, sed quas laminæ plumbeæ a tempestatis injuria defendunt; idem ex plumbo tectum olim templo fuerat, sed hæreticis Burgundiam diripientibus in rapinam cessit, et belli usus. Ex edita igitur hac specula libero aspectu vagabamur in omnem procul dissitam plagam; nam variæ regiones evanescente quasi inter cæruleam opacitatem specie cernebantur, sed quæ propius accesserant, jucundum spectaculum offerebant. Etenim extra muros piscinæ argenteum alibi colorem, alibi placido mari similem virorem emittebant, ludebantque modice agitata aura, inter candidam cœli incidentis imaginem, et adjacentium silvarum umbras. Et hæc quidem stagna ferme lacus, capacitate æquabant, seseque ad muros usque circumquaque diffundebant. Unde non vane augurabar, Cistercio hinc inditum nomen, utpote parum a grandi, ut ita dicam, cisterna abhorrenti, stagnorum colluvione.

42. Tertio tandem die, quæ undecima Maii fuerat, occasionem acquisivimus, ad divi Bernardi sacellum (locus est in quo ipse sanctus Bernardus ætate anno 23 cum triginta sociis novitium agebat) accedendi, ibique exsaturandi nostræ pietatis affectum; cui, ut veritatem ingenue fatear, pleno pectore indulsimus. Nam primo mane, dum adhuc Vigiliarum cantus in choro omnes contineret, sacrum calicem, et alia divino sacrificio necessaria illuc transtulimus, et nunc sacerdotes, mox ministri missas legimus. In animum interea meum recurrebant, quæ de admiranda sanctissimi tironis vivendi norma memoriæ produntur. Et subinde mihi videbar versari, aut in sacello cœlesti, aut cœlo terrestri,; eo nempe in loco, ubi carne amictus angelus supra humanam puritatem castissimam vitam duxisset. Quid enim minus hominis, quam degere in terris, cum solo Numine sine sensuum onere? Et ita tirocinium, imo totum vitæ curriculum transegit Bernardus. *Multo tempore* (ait, qui ipsius Vitam descri-

Digitized by Google

psit) *frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ* (in qua tunc nos eramus) *cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur, curiositatis enim sensu mortificato nihil hujusmodi sentiebat.* Sistebam igitur menti meæ illud modestiæ speculum; contemplabar oculorum purissima lumina in terram dejecta, cum interim animus cœlo infigeretur; aspiciebam alba veste involutum candidissimum juvenem, nunc in innocentissima membra verberibus sævum, nunc infra omnium pedes abjectum, quem virtus tanto supra omnes intervallo elevabat. Atque has memoriæ picturas tam viva imagine mihi repræsentabat loci genius, ipsaque quasi in parietibus adhuc spirantia sanctimoniæ vestigia, ut hac prima vice cum impetu me hinc avellere debuerim, desiderans, ut diu noctuque haurire illum aerem liceret, quem tanta innocentia consecravit. Quia vero juxta hoc sacellum aula fuerat, in qua definitores sua concilia celebrabant, non nisi in aurora facultas ibidem morandi dabatur.

43. Sed infinitum prope atque etiam supervacaneum foret omnia amplissimi hujus cœnobii ædificia descriptionis penicillo ob oculos ponere; quorum plurima adhuc supersunt, pleraque alta concameratione sublimia. Inter quæ infirmitorium primas tenet, non impar refectorio, et nunc recenti diligentia Ill^mi D. generalis renovatum; fenestrarum duplici serie illustratur, oblongis supra, infra quadratis minoribus; totidem scilicet utraque ex parte, quot strata pro infirmis locari solebant. Huic vicina est abbatialis domus, omni cultura expolita; conclavibus ingentibus frequens, quæ tapetibus picturisque exornantur. Demum ad medii claustri latus apposita bibliotheca non adeo numerosis, sed pretium a vetustate mutuantibus libris, omnibus fere manu in membrana exaratis plena, juxta quam aula aperitur, libris vacua, sed ut loci facies ostendit, pro iis recipiendis exstructa. Restaret, ut præcipuam et dignitate et æstimatione scenam tibi exhiberem, fornicem nimirum, ubi sacer Ecclesiæ thesaurus asservatur; sed quia eumdem post meum ex Claravalle reditum diligentius inspexi, in id tempus enarrationem prorogabo.

44. Nunc ad comitiorum finem gressum accelero, quem dies XVI Maii feliciter invenit. Qua scilicet omnes circa horam octavam ad capitulum convocati breviter denuo disserentem Ill^mum D. generalem auscultabant, lectæ sunt exinde definitiones et acta capituli generalis. Quibus ad calcem usque recitatis in medium capituli se proripuit, qui cantoris officio fungitur; altaque voce petebat conceptis de antiqua consuetudine verbis, ut Ill^mus D. generalis, auctoritate capituli generalis et universi ordinis, primum ecclesiastica dignitate præditos; inde sacram Cæsaream majestatem: reges porro (quos omnes suo titulo et nomine decoratos producebat) tandemque benefactores, familiares, aliisque nominibus devinctos devotosque tam in vivis existentes, quam ad alterum sæculum translatorum animas, communione omnium meritorum ordinis impertiret. Quod ille solemnibus cæremoniis perficiens, solitas ex certo codice preces prævit, quas universus cœtus alternata responsione complevit. Conclusit denique hæc omnia absolutio generalis; quam cum omnes in genua prostrati accepissent ab Ill^mo domino generali, capitulum reliquere.

45. Atque ita comitiis hisce generalibus per hoc octiduum frequentatis, faustissima coronis imposita. Jam in meridiem vergebat dies: hinc festinato refecti prandio eadem pene hora omnes ex Cistercio advenæ discesserunt. Nos quidem circa quintam vespertinam Divio recepit, comitemque nostrum, R^mum D. Dominicum abbatem de Alba Ripa: quod monasterium est ex antiquissimis, prope Friburgum Helvetiorum in vasta eremo, fundatum circa annum 1137, eo nimirum tempore, quo S. P. Bernardus Romam vocatus, schisma Petri Leonis compescere cœpit, pacemque septennali labore Ecclesiæ restituit. Hac tempestate cœnobium hoc insigni laude disciplinæ regularis floret. Prædicto domino abbate altera die Dolam petente, nos Claramvallem versus contendimus, et post quinque horarum iter Sortilium, urbeculam in amœna pascuis valle jacentem, sumus assecuti. Ovium greges majores nullibi occurrere quam in hac plaga; numerum inire non licebat, trecentas tamen non raro una fuisse, facile ausim affirmare. Hic prandium tolerabili pretio lautum accepimus, ac circa solis occubitum in obscuro pago Schelmœsino diversorium conduximus.

46. Miserius hanc egimus noctem, quam uspiam hactenus, non tamen absque risu, quem indignatio excussit. Nam cum ex hospite quæreremus an sit hic divertendi opportunitas? statim illa: imo, inquit, caupona est; sed prædico, melius equis quam vobis, domini, fiet. Et præsagio respondit eventus; vix apposita offa perolida, et quatuor maleolentibus ovis pro septem hominibus in cœnam. Vinum quoque turbidum erat, non autem turbulentum. Verbo, frigide res procedebat intra simul et extra ædes; acutissimo vento per male custoditas fenestrarum rimas penetrante; cui ut remedium esset, focum instruximus; at humida ligna plus fumi quam flammæ spargebant; magno oculorum incommodo, strepitus quippe et clamor viginti in hoc simul hospitio pernoctantium militum, quietem prohibebat; quo tamen desinente subinde, somnum fumi spissitudo excludebat. Cæterum identidem verbis ad omnem humanitatem compositis offerebat hospes in usus nostros quidquid in tota domo placeret; ridicula urbanitate multa donantis, ubi nihil inveniebatur. Non audebam publico cachinno hujus hospitis stoliditatem cum quorumdam insania conferre, qui Francicorum elegantiam morum in simili ludificatione constituunt: putantque se tum demum peregrinum aulicæ venustatis artificium Rosciana prorsus agilitate producere in scenam, quando utramque buccam ampullatis promissionibus complentes, cincinnatis verborum formulis in coloratas periodos quasi torno ad mensuram deductis, centum obsequiorum, servitiorum, et famulandi promptitudinum myriades promittunt, sibique pene nomen mancipii imponunt; cum nihil audirent iniquius, quam nomen servi; et nihil in animo gerant minus quam serium saltem sermonis sensum. Horum, inquam, vanitatem per vacuam somno moram tacitus explodebam; fumo præsertim oculis gravi, hos fumi mercatores acerba censura damnante.

47. Vix igitur exspectato auroræ adventu fugam hujus pagi capessentes, circa sextam ad monasterium Albæ Ripæ appulimus. Hic recta ad templum precandi causa euntibus, significatur R^mum dominum abbatem Clarævallis modico ante nos intervallo advectum curru; ad quem nos prior loci sine mora deduxit. Foco assidentem invenimus, proque sua humanitate, in nos benignum. Cognito enim eamdem nobis diversorii miseriam, quam ipse lamentabatur, obtigisse; haustu ambrosiæ candidæ recreatos dimisit ad aliud, quatuor adhuc horas distans cœnobium, cui Longo Vado nomen. Via inter hæc duo monasteria singulariter erat jucunda. Nam Alba amnis non longe ab Alba Ripa originem nactus, silentibus undis per mediam vallis planitiem manat, nec latus nec alienis uspiam rivis increscens, suis contentus aquis, alvei errores mirabili libertate circumfert. Modo enim montium, qui vallem efficiunt, pedes proxime allambit; modo se extendens per silices sabulumque, quasi solis calorem captaret, nullo tamen murmure serpit. Quanquam autem nullum illi sonum natura concessit, fremitu officinarum alte insonat, quas illi incolarum labor, instar frenorum, pluribus in locis imposuit. Harum multæ ferro cudendo, aliæ secandis in asseres

Digitized by Google

arboribus destinatæ, multo ære suos dominos locupletant. Neque minori utilitate vallem in pascuorum ubertatem humectat, etenim etsi prata non deductis ex amne sulcis undas bibant, insinuante se tamen radicibus liquore ita pinguescunt, ut denso omnia gramine efflorescant.

48. Per hanc vallis voluptatem provectos meridies in Longo Vado deprehendit. Monasterium est tum situ, tum genio loci perquam grato ac salubri, superstite adhuc sanctissimo Patre Bernardo, anno Christi 1149 excitatum. Insigne olim fuisse, elegans et ampla ædificiorum structura indicat; hac tamen tempestate Ecclesia et monachorum habitationes neglectæ, suam miseriam illi causæ debent, quam multa florentissima olim monasteria, nunc ruinam spectantia deflent. Possidet nimirum illud abbas commendatarius, id est bona seu proventus, monasterio a fundatorum pietate donati, in tres partes dividuntur; sic sancientibus regibus, consentiente apostolica sede. Primam aufert, quemcunque nominaverit rex (quorum ex numero sæpe in cunis adhuc vagiunt) seu cui monasterii illius possessionem commendaverit : altera sustentationi monachorum destinari; tertia in ædificiorum conservationem impendi deberet. Sed pleraque monasteria vix de his tribus vicesima gaudere dicuntur. Atque interea pauci ad illa aut sponte accedunt, aut ab istis mercenariis admittuntur; et iis præter summe necessaria tribuitur nihil. Ejusmodi autem monasterii prior abbatis in regimine spirituali potestate fungitur; qui in hoc monasterio tam prompta nobis charitate præsidium ac redeuntibus cœnam paravit, ac sã in summa rerum abundantia, hæc tanquam superflua profunderet. Condiebat opiparam mensam suavitate morum et comitate sermonis tanta, quanta in toto itinere vel ullus. Emicabat etiam ex eodem singularis eruditio, ac pietas; dum ea modestia ad quæstiones respondit, ea intulit alias prudentia; ut ex animo sortem ejusdem miseratus, censuerim dignum, qui præcesset felicius.

49. Neque solum liberalitate ciborum famem, sed oculos insuper pavit piissima simul ac rarissima curiositate : quippe a mensa ad templum deductis, ostendit interiorem vestem, quam pro indusio gestare solebat mellifluus Pater noster Bernardus; cujus materia est albæ lanæ levis textura, quali nostra cuculla, seu exterior pro choro vestis conficitur. Ad genua usque pertigisse longitudo videtur. Circa collum non in plicas colligitur; sed planis suturis caputio parvo adhæret, quod in usus nocturnæ quietis annexum esse crediderim. Nam neque major est, quam ut occiput tegat et reflexum facile toga superinducta occultabat. Monstrabant subinde mitram sancti Malachiæ archiepiscopi Hiberniæ (de quo infra pluribus) cui maximum fecit pretium celeberrima viri sanctimonia; nam breves rubicundam bombycem ornantes ex auro lamellæ haud magni æstimantur. Equum denique conscensuros in amplisssimum hortum invitavit : quo, quia sex horæ itineris restabant, obiter considerato (similem autem deinde Claravallis exhibuit) actis gratiis abitum festinavimus.

50. Alba perpetuus viæ comes per lætissima prata nos circa octavam vespertinam in clarissimæ vallis cœnobio deposuit. In quo quia biduo ferme integro morabimur, nunc breviter tibi lassitudinem meam fatebor, postquam in triclinio parumper consedero. Per exteriorem igitur portam admissos humaniter nos salutavit inferioris conditionis religiosus (conversos appellamus ad servitia communia monasterii destinatos) et equis ad stabula amandatis ad ecclesiam recta comitatus est; ubi jam admonitus hospitum magister data omnibus dextera, sine multo verborum ambitu nos ad princeps altare deduxit; ut, quod sacra Regula nostra præcipit, precibus ante Deo, quam nos pacis amplexu jungeremur. Ex ecclesia ad diversorium viam monstravit exquisita urbanitate significans, quam gratos hospites excepisset. Hora inde dimidia ad respirandum data, totum illius diei iter tædiosa contemplatione revolvi, cum equos ad gradiendi celeritatem sine intermissione calcaribus coegissemus, inter tertiam orientis, et octavam occidentis solis horam non nisi trium horarum captata quiete; languido stupore mirabar tum nostras, tum equorum vires, in tam molesta viæ longitudine sibi constantes, neque caput solum ardore ferventissimi solis dolebat, sed et latera quassatione equorum, indignantium nimio labori, luxata ægerrime me affligebant; maxime quod id per totum viæ spatium inexpertum mihi fuerat; vegeta semper et incolumi sanitate uso. Nocti præteritæ hanc infirmitatem unice ascribebam, insomni scilicet, jejunæ, fastidiosæ.

51. Præsens tamen in hanc extemporaneam ægritudinem medela fuit subsequens cœna, colloquiorum lætitia, et elegantissimi liquoris pharmaco nobilis : quin et somnus, nempe totius miseriæ oblivio; qui, quamvis diuturnus non fuerit, tam efficax interim, ut si in multam diem fuisset protractus. Etenim nondum fenestræ plena diei luce inclaruerant, cum deterso sopore ad templum properavi, ibique adhuc Vigiliarum cantui incumbentem plenissimum chorum non sine admiratione spectavi. Jam hora post mediam noctem secunda is cantus initium sumpserat, ac post duas fere horas, cum nimirum ecclesiam intrarem, paulo supra medium preces processerant. Tam morosa nempe pronuntiatione divina illa carmina aptant penitiori piorum affectuum meditationi; et tam ægre patiuntur se abstrahi ab illa vivendi ratione quam in hac mortali vita exordiuntur, continuandam deinceps æternum, in consortio purissimarum illarum mentium Numinis immortalis laudes celebrantium. His ego meas quoque preces, sed silenti in angulo jungebam; post quas oculos curiosius per omnem templi structuram circumferens animadverti, amplitudine hoc Cisterciensi non esse inæquale, illud tamen liberiori solis lumine frui.

52. Exterius templi spatium scamna, nos stalla vocamus, pro conversis implent; quorum tres ordines sibi alteri semper gradu substructi ponuntur. Trecenta et sedecim distincta sedilia, nisi mea me fallit memoria, numeravi : nam olim frequenter totidem conversos Claravallis alebat; quin et hoc tempore ejus generis homines quinquaginta supersunt; qui singulare sibi quondam construxere cœnobium; dormitorio, officinis, capitulo et habitationibus separatis. E monasterio abbas ipsis priorem præficit, cum summa auctoritate præsidentem, præter quem de suo numero unum eligunt, cui, ceu nos priori conventuali parent. Et is quidem albo vestium colore ad discrimen potestatis utitur, reliqui ferrugineo. Spatium ingens obtinent eorum officinæ, omni artificum et operarum genere refertæ. Pictores, statuarios et hujusmodi artibus imbutos, fabros deinde ferrarios, textores, atque etiam coriarios videbam; apud quos postremos miræ magnitudinis saxa observavi, in eum usum excavata, ut corium ibidem maceretur; horum longitudo est supra viginti pedes, latitudo plus decem, cavitas proceritatem viri pectore tenus excedit; et hujusmodi lapidum exoticas moles alibi quoque per monasterium ad fontium labra plurimum mirabar.

53. Sed ad templum revertor, interioremque chorum; qui, quantum recordor, in centum triginta et octo sedilia distinguitur. Etsi enim plures antiquis illis temporibus monachi choro addicti Claramvallem incoluerint una, non tamen una simul hora divinis laudibus vacabant; sed illorum parte chorum deserente, succedebat altera, huicque tertia, ita ut ecclesia nunquam a cantu monachorum diu noctuque quieverit. Nunc octoginta circiter monachos Clarævalli ascriptos audivi. Templum universum in altissimum fornicem exsurgit, cujus columnæ niti-

Digitized by Google

dam in formam excisæ præ Cisterciensibus placebant. Retro summum altare (quod nulli parieti junctum est) tria altaria; divi Bernardi in medio; a latere dextro divi Malachiæ; hinc SS. martyrum Eutropii, Zozymæ, et Bonosæ sepulcris sunt instrata. Eadem sepulcra, quantum post suum murum exstant, alio fornice teguntur, spatiumque præbent transeundi, et illa de genibus privata pietate venerandi. Extra quem arcum plura alia sacella, opere concamerato itidem exstructa, et sacris exuviis celebria, ecclesiam claudunt.

54. Festinus dies erat triumphi, quem Servator noster de subacta morte cœlis intulit, orbique relictis pedum suorum vestigiis valedixit. Quam ob causam omnia solemnissimis ritibus agebantur. Media ante sextam hora, Primam et Matutinum sacrum decantabant; quo nondum finito, ad divi Bernardi altare me applicui, incruentam in eo hostiam oblaturus. Verum alius tum sacerdos id occupaverat; multis præterea abbatibus ac prioribus jam per ordinem designatis, qui in hoc sacratissimo opere sibi succederent; non paucos enim aut in D. Bernardum pietas, aut via ad sua iterum monasteria reversos adduxerat. Sex septemve sacris intereram, meis interim privatim conceptis orationibus intentus, quas inter et tui, amicorum charissime, non est omissa memoria (si quid tamen, ut S. Bernardus dicere solebat, potest peccatoris oratio) aliorumque, quos sanctissimo patrono studiose commendavi. Datus est denique et mihi locus; et is, a quo sacras vestes accipiebam, mihi in aurem insinuabat: calicem in missarum hodie usus expositum, hospitum honori concedit; esse enim illum frequenti contactu sanctissimi Patris Bernardi nobilem. Non secus ac repentinus e cœlo radius hæc vox ad animum meum illapsa, lætitiæ et verecundiæ affectus inter se impetu commisit, ut colligendus ex hoc conflictu, mihique restituendus fuerim ante quam me penitus devotioni immergerem. Quam fortunata, cogitabam, hæc sors mea! Si enim in Maristella nostra solus aspectus ejusmodi sacri calicis per leve temporis momentum datus fuisset, adorassem fortunam, utpote summa mihi liberalitate propitiam; hic vero non oculis tantum, nec simplici contactu, sed hora prope integra amplecti, deosculari tam charum pignus, jam me in summæ felicitatis et gaudii fastigio collocabat. Atque hic animi subsultus, impossibile dictu est, quantos ad pietatem stimulos adjecerit, siquidem non memini, me quandiu, indigne quidem, dignissimum sacerdotis nomen fero, unquam suaviori devotionis sapore divina mysteria pertractasse. Dum sacrum absolvo, initium officio majori factum, quod solemnissimis cæremoniis celebrabatur. Intra illud solito tempore, suggestum duorum servorum opera in chori medio collocatum religiosius conscendens, ferme horam pro concione dixit. Cantui organum haud minore elegantia miscebatur, atque Cistercii, artificio tamen paulo inferiori.

55. Quod a divino officio tempus supererat, in exteriori parte, quæ retro altaria circumducitur, consumpsi, ubi tria quæ superius dixi, sepulcra ex marmore rubeo, et alabastrite aut gypso existunt. Et candida quidem circa tumulos pegmata ita commode astructa sunt; ut in genua prostratus sese illis recondere, et suæ pietati semotus ab transeuntium aspectu vacare possit. Multo precatore frequentabatur in medio jacens divi Bernardi sepulcrum; et ut in altari mihi contigerat, non statim optatum obtinui locum; igitur ad tumulum divorum martyrum interea me applico, ubi postquam genuflexus aliquandiu precatus me in interiorem partem inclino, ecce ingentem sonum percipio, haud aliter ac si intumescens ventorum agitatione mare efferbuisset. Consternatus hoc fremitu resilio, et simul tumultus evanescit. Periculum autem facturus rursum aures propius, sed lente et sensim admoveo, redeuntem- A que eamdem maris imaginem sentio. Metu sic in pium horrorem vérso breviter præstitutas orationes expedio, rectaque ad reverendum dominum vicarium generalem pergo, plerique enim alii jam abcesserant. Ex quo, cum sciscitor quid portentosus ille sonus sibi velit, significat se ante quadraginta annos idem experientia didicisse; donata esse illa sacra lipsana Clarævalli ab episcopo Portuensi Conrado, circa annum Christi 1225, et jam inde a tanto annorum numero mirabile hoc maritimum murmur perdurare.

56. Relicta demum post expletam pietatem ecclesia commune tam advenas quam domesticos refectorium ad prandium recepit. Sexaginta plus minusve per utramque mensarum lineam sederunt, omnes morum et totius corporis habitu similes, et ad modestiæ præcepta tam eleganter conformati, ut non vane hic mea mihi memoria repræsentaverit, quod hoc ipso in loco priscis temporibus Innocentius II, B pontifex Romanus observavit. Is gravibus dissidiis componendis concilium Rhemis in Gallia anno Christi 1131 coegerat; cui S. Pater Bernardus ab omnibus non infra oraculi auctoritatem æstimatus interat; veluti tertio inde anno Pisis quoque idem honoris meritus, multo tandem labore, et miraculorum infinitorum gloria eam ex ecclesia nubem disjecit. Rhemis igitur solvens Innocentius universo cum comitatu Claramvallem invisit (porta qua intravit, ad rei gestæ memoriam hodiedum obstructa manet, ut ipsemet vidi) de cujus susceptione, quæso ne graveris audire disserentem scriptorem Vitæ divi Bernardi, qui libro II, cap. 1, ita rem narrat: *Rediens autem Leodio, Claramvallem dominus papa per se ipsum voluit visitare. Ubi a pauperibus Christi non purpura et bysso ornatis, nec cum deauratis evangeliis occurrentibus, sed pannosis agminibus scopulosam bajulantibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa jubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est. Flebant episcopi, flebat ipse summus pontifex; et omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam solemni gaudio, oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur, sed complosis palpebris ipsi neminem viderent et ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus, quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitavit aspectum; nihil in oratorio nisi nudos viderunt parietes, solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnosa poterat esse fratribus hujusmodi præda, cum minui non posset asportata religio. Gaudebant omnes in Domino, et solemnitas non cibis, sed virtutibus agebatur; panis ibi autopyrus* (id est ex quo nihil pollinis neque furfuris secretum est) *pro simila; pro cretico vappa, pro rhombis olera; pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si forte piscis inventus est, domino papæ appositus est, et aspectu, non usu, in commune profecit.* Hanc, inquam, concediam examussim agebant, non personati, sed ipsi historia simul et scena; nisi quod hospi ibus lautior mensa obtigerit, quam tunc summo in orbe terrarum capiti.

57. Sic sumpto prandio, nos per monasterium pia curiositas ad seram usque vesperam perduxit. Ac primum quidem ad dormitorium ex ambitu conscendimus. Ingens fornix bifariam divisus cellas ad utrumque latus distribuit, secta in asseres quercu constructas. Omnes ejusdem sunt magnitudinis, neque ab invicem separatæ, sed una serie circiter 25 cellæ conjunguntur, una ab altera solo ligneo pariete distincta. Altiores non sunt octo pedibus, totidemque pedes latitudinem simul ac longitudinem absolvunt. Cum dormitorium intrarem, cistas asservandis vestibus destinatas esse putabam, quas deinde inspectas, cellas deprehendi, veram profecto majorum nostrorum paupertatem ac simplicitatem spirantes. Nam fere dimidium cellæ lectus occupat, plumas pro communi Galliæ more omnino exosus;

Digitized by Google

sed storeæ sine alio cultu insternitur lodix ex viridi vel alterius coloris lana, opposito parieti mensula adhæret, onerata libellis aliquot, atramentario, et Christi servatoris in cruce pendentis icone. Interior paries, quantum a lecto spatium habet, januæ tribuit; exteriorem fenestra duos ad summum pedes lata, scindit. Et idem omnino modus cellarum est in dormitorio archicœnobii Cisterciensis, uti et loci, in quo sunt positæ.

58. Qua cellarum series in dextro dormitorii parietе desinit; ferrea janua concameratum aperit conclave, in quo thesaurus ecclesiæ reponitur; ad quem spectandum omnes simul, circiter viginti advenæ, tum abbates, tum alii intromissi sumus, obseratis interim foribus. Magna circumquaque scrinia thesaurum occultant; quorum primum cum pandere amotis tribus pessulis vellet, penes quem hujus pretiosissimæ supellectilis cura, præmonuit, sacra capita divorum Bernardi et Malachiæ ibi latere, amota igitur janua repente emicuere conflatæ ex auro argentoque duæ imagines, ita ad vivum expressæ, ut primo aspectu starem attonitus, fixisque in illas oculis admirabundus præstolarer, an loqui vellent. Vultus præsertim melliflui Patris, et ex effigie passim obvia notus, et hic tam concinne elaboratus, intimas omnium pectorum medullas commovit. Et plane aiebam :

Si pietas proprium vellet sibi sumere vultum,
Hanc, Bernarde, tuam sumeret effigiem.

Vivo stylli penicillo te depinxit, qui in descriptione Vitæ libro III, c. 1, ita de te loquitur : *Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis; in oculis angelica puritas quædam, et columbinæ simplicitas radiabat; corpus ejus tenuissimum, et sine carnibus erat; ipsa etiam subtilissima cutis, in genis modice rubens. Cæsaries ex flavo colorabatur et candido; barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Vultu serenus, habitu modestus, verbis circumspectus, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratorio devotus, de omni re magis fidens orationi quam propriæ industriæ vel labori; magnanimus in fide, longanimus in spe, profusus in charitate, summus in humilitate, præcipuus in pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax; nunquam minus quam in otio otiosus. Jucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus, suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus, affluens denique sapientia, et virtute, et gratia apud Deum et homines. In vestibus paupertas ei semper placuit, sordes nunquam.* Dum hæc per omnium memoriam recoluntur, pruriebant singulorum ora et pectora ad amplexum gratissimi et toties desiderati pignoris; utpote quem in hac effigie tanquam vivum venerabamur : donec tandem dignior cohortis fronte in amoris et reverentiæ affectus composita, ne dubita quin natantibus lætitia oculis, in collum amantissimi Patris irruit et per repetita oscula totum pectus effundens invitus, ut notabam, sese denique avulsit. Eo relicto ad pone stantem divi archipræsulis Malachiæ effigiem, pari artificio admirandam conversus rursum dulci dissuaviatione premebat. Et hic est ille Malachias archiepiscopus et primas Hiberniæ, multis prodigiis celebris; et vel hoc uno clarissimus, quod diem supremum obeunti oculos clausit Bernardus, et pulcherrimo sermone, quo ejus sanctissima vita enarratur, parentavit. Legitur in hodiernum usque diem ejus in Claravalle epitaphium in hæc verba : *Hic requiescit corpus beati Malachiæ archiepiscopi et primatis totius Hiberniæ, sedis apostolicæ legati, viri apostolicæ vitæ, et miraculis gloriosi. Hic est qui Scotiæ et Hiberniæ populos, homines scilicet tunc temporis barbaros, nulla conjugia ineuntes, nullas confessiones seu pœnitentias facientes, ad ecclesias non accedentes, nulla sacramenta ecclesiastica percipientes, re paganos, solo nomine Christianos, licet antea per beatum Patricium ad fidem fuissent conversi, cum maximis periculis et difficultatibus, propulsata barbarie, et paganica consuetudine in fide Catholica instruxit, et institutis S. Romanæ Ecclesiæ, prout potuit conformavit. Monachorum insuper Cisterciensis ordinis, canonicorum Regularium, aliorumque religiosorum conventus per terras illas diffusius propagavit. Quibus juvante Deo consummatis, ab ulteriori Scotia ad Claramvallem, quam suæ mortis locum semper optaverat, suo pio desiderio Domino satisfaciente, advenit, ubi septimanis circiter tribus expletis, anno ab Incarnatione Domini 1188, ætatis autem suæ 54, nocte a qua fit anniversarium fidelium omnium defunctorum, sicut semper optavit et prædixit, singulis ab ipso benedictis, singulis manibus impositis, sæculo valefaciens ab angelis lætabunde suscipitur, et civium supernorum beatissimo collegio sociatur; secundum quod beatissimo Patri nostro Bernardo, missarum solemnia in crastino celebranti in ipso missæ canone cœlitus extitit revelatum. Cujus preces et merita gloriosa, coram Deo gratiam nobis impetrent, in præsenti, et gloriam in futuro. Amen.* Omnium manibus teruntur miranda hujus divi Malachiæ de summis pontificibus vaticinia, hactenus eventus veritate comprobata. Nuper electum Clementem XI contingit : *Sidus Olorum.* Cujus expositionem doctis relinquo.

59. Postquam igitur hic primus suam pietatem explevit, omnes in eamdem felicitatem ordine successimus; dum occlusa hac cista, pateret alia, quarum non minus octo aderant, plenissima incomparabilis existimationis sacris reliquiis. Palmam quidem cæteris omnibus præripuit arundo, ea ipsa, quam Christi patientis manibus imposuit illudentium militum protervia; hanc aurea theca in formam sui inclusi prototypi fabrefacta conservat. Paulo longior est nostrate ulna, foliis quinque aut sex ad caulem suspensis, et nigra illa clava, quam arundines gestare solent, in supremitate tumens. Huic quanto devotionis gustu basia singuli fixerimus, tuo affectu metiare. Exhibebat alia cista caput divi evangelistæ Marci (majorem ego suspicor partem, saltem præcipuam) auro item ac gemmis ornata capsula coopertum. Porro caput S. Vincentii martyris olim una cum reliquiis sanctorum Eutropii, Zosimæ, Bonosæ à S. Conrado Portuensi donatum. Præterea, ni fallor, caput S. Bartholomæi apostoli. Monstratur etiam ingens tabula argentea, gemmis plurimis distincta; hæc duabus alis seu portis explicatur, expohitque tum ingentem portionem de cruce Christi Domini, quam anno salutis 1144 Robertus Nazarenus, tunc Jerosolymorum archiepiscopus, S. P. Bernardo transmisit, cui etiam peculiari epistola (inter Epistolas Bernardi est 175) gratias agit. Tum trecentas quadraginta alias nobilissimas reliquias, in suos quævis loculos distributas. Ex quibus nominatissimæ sunt : de spongia, quæ Christo servatori acetum in cruce propinavit; de spinea corona; de cuspide lanceæ, quæ ejus latus sacratissimum aperuit, etc. Longe majorem reliquiarum copiam alia tabula itidem ex argenteis laminis facta, continet; quæ Helenæ imperatricis fuisse traditur, eique serviisse pro altari, cum iter faceret; sane vel sola antiquitate venerabilis, utpote ab Helenæ temporibus, quæ circa annum Christi 300 vixit, hucusque integra. Quatuor hæc alas expandit, omnes innumeris loculis, velut oculis sacras reliquias abscondentibus plenas; observaveram multa de vestimentis Matris Virginis, de armis Dominicæ passionis, de apostolis, etc. Quarum rerum si unica apud nos particula prostaret, magno utique populi accursu celebraretur. Hæc ego memoria sola pleraque retinui; nam omnia pugillari recipere partim ob copiam, partim ob festinationem, ac denique qualemcunque pietatem possibile non erat. Unde autem hic tantus thesaurus in Claramvallem devenerit, duo mihi fontes assignabantur. Quorum prior

Digitized by Google

Hugoni ascribitur, olim S. Guilhelmi abbati, inde post peregrinationem Jerosolymitanam monacho Clarævallis: hic plurima circa annum 1221 ex Palestina secum attulerat. Alter S. P. Bernardo merito tribuendus, veluti breviter et clare ex ejus Vitæ descriptione colligi potest. In qua postquam recensentur ejus immensi labores in sopiendo schismate, Ecclesiam Romanam turbante, exantlati, ita concluditur (libro Vitæ II, c. 1) : *Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum apostolorum martyrumque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quæ beati Cæsarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei prædicti martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde quod vellet, dari petiit dentem unum. Frustra vero aliquandiu, fratres, qui cum eo venerant, laborantes, concessum sibi trahere penitus non valebant; fractis enim cultellis duobus aut tribus, quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille, orandum nobis, ait: Nec enim habere possumus, nisi martyr ipse concedat; facta denique oratione reverenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat instrumentis.* Ita liberali toto pene orbe in Claramvallem, mirum non est, illuc tantum thesaurum confluxisse. Nunc, quod ultimo nobis monstratum est, breviter exponam. Estque theca illa, in cujus medio crystallus sacram hostiam, quæ Dei incarnati præsentia insignis est, circumdat : et vulgari voce *Monstrantia* dicitur, quod divinum illud mysterium populo *monstret*; hæc, inquam, purissimo auro gravis, nil præter gemmas nobilissimas prodit. Circulum ex floribus circa crystallum ducit, arte an pretio majori hactenus nemo affirmavit. Culmini coronæ insidet pelicanus, nutriendis pullis pectus rostro fodiens; quam avem meri vestiunt pyropi in plumarum formam aptissima proportione dispositi : quin et scintillans purpura ipsum fluentium, et ex venis salientium guttarum motum scitissime adumbrat. Verum neque ego plus quam umbram hujus opulentiæ tibi proposui; ex qua tamen ipsius corporis elegantiam facile æstimabis.

60. E dormitorio per proximum ecclesiæ ambitum, qui sat grandibus pulcherrimisque picturis S. Bernardi vitam repræsentat, in alterum delati ambitum, sedem librorum accessimus : augustam plane, triplici concameratione pluteos distinguente. Ad dextrum latus solis manuscriptis scrinia onerantur, nullo non codice parva catenula ad pluteos alligato, ita tamen laxe, ut legere volenti se commode exponant, auferri inde non possint. Sinistrum autem varios tum novi, tum veteris typi libros habet. Hinc regressi ad infirmitorium vetus pervenimus, amplissimum quidem, sed ob varias incommoditates, quibus illic degentes vexabantur, nunc pro ambulacro servit; alio meliori ædificio pro infirmis designato. Huic annexus est locus, in formam parvi sacelli suspenso fornice exstructus, qui unus per omnem vitam meam in eo me felicitatis gradu collocavit, ut gloriari jure possim, me spectatorem fuisse prodigii. In hujus igitur sacelli medio lapis paululum longior quam sit communis statura viri, muro duos tresve pedes alto impositus jacet; durus instar silicis, et relicto dnorum digitorum margine ad unius digiti profunditatem excavatus; in eum usum, ut corpora recenter exstincta super eumdem frigida laventur, inde mox in feretrum componenda. Antiquissima hæc pietas adhuc passim in Gallia viget, ut vix dimisso spiritu corpora laventur; nam et ejusmodi lapides in omnibus, etiam nostris cœnobiis ostenduntur, etiamsi apud nos hæc consuetudo desierit. Cum igitur S. P. Bernardi corpusculum eo ipso in lapide supremæ hujus charitatis officium accepisset, ecce mirum! suam in duro silice umbram adeo firmiter reliquit impressam, ut in hodiernum usque diem indelebili constantia perseveret; cum tamen omnes hactenus, quotquot in Claravalle diem obiere supremum, eodem in loco ablutionem receperint, quorum numerum nemo facile iniverit: nam ipse moriens septingentas animas Deo servientes in Claravalle reliquerat. Prodigium, si quod in orbe universo stupendum; cujus fidem, fateor, vix ab hisce meismet oculis manibusque impetravi, quibus curiose diligenterque illud spectare et contrectare merui. Nulli physicæ explorata novitas, et ab omnibus retro sæculis inaudita; ut nempe sit *umbra sine corpore;* qualis certe hæc in ipsa luce meridiana clarissime apparet. Caput, dorsum, crura et pedes, omnia hæc membra distinctissime spectabilem de se umbram projiciunt; prorsus ac si ipsummet sacrum corpus nudum, ibi lavacrum exspectaret. Non levi terrore confusus, cum reverentia tamen accedens palpare cœpi an saxum sua cavitate hanc umbram redderet; sed una per totum planities erat, nisi quod adverterem, ferro circa medium lapidis modicas quasdam particulas esse divulsas. Cujus rei causam percunctanti, responsum est: hæc hæreticorum temeritatis relicta esse vestigia; qui sanctissimi Patris gloriæ invidi, spargebant monachos nigro colore hanc umbram lapidi indidisse : eamque ob causam, denudando scilicet dolo, malleis lapidem fodiebant; sed sine illo quem quærebant eventu; nam, etsi lapidis extrema malleus derodebat, umbra tamen semper integra permansit. Frendentibus utique hæreticis, et vel in hac umbra suam caliginem videre valentibus; qua plus quam bellua immanitate in divorum venerationem debacchantur; cum in sola eorum umbra convellenda miseri succumbant. Antequam autem te a gloriosa hac umbra dimittam, placeat audire, quid de aqua illa, qua sacrum corpus perfusum est, Gaufredus, quartus post sanctum Bernardum abbas Clarævallis, in sermone, quem in anniversario decennali obitus sanctissimi Patris habuit, scribat. *Ex lavacro*, inquiens, *sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt, et (sicut eorum certa relatione didicimus) cum jam decimus annus transierit, non tantum aqua ista usque modo manet omnimodis illibata, sed eamdem obtinet et gratiam, cuicunque fuerit superfusa. Cum enim jam pluribus remedia postulantibus de eodem sacro liquore donaverint (nam et eum multis opem tulisse confirmant) impleto tamen sæpius aqua altera vasculo talis permanet usque hodie, qualis fuerat prima die.*

61. Ab hujus splendidissimæ umbræ loco ad publicam lucem per ecclesiam transivimus; extra quam paucis a janua passibus mausolæum eminet; sub quo piissimus parens divi Bernardi, et ipse monachus in summa senectute Clarævallis, cum duobus ejusdem Bernardi germanis Bartholomæo et Gerardo, conditur. Inde per aliquot iterum passus visitur casa lignea, instar tugurii cujusdam, qualia in campis pro armentis excitare solent. In hanc intromissi, postquam intelleximus celebri illa per morbum divi Bernardi habitatione nobilem, pio stupore correpti sumus, quod hæc lignorum strues in tot sæcula duraret; annis nimirum quingentis quinquaginta. Qua autem occasione posita huc fuerit, breviter edicam. Cum fundatæ a Theobaldo Campaniæ comite Clarævalli divus Bernardus, tunc tertium in ordine annum agens, abbas præficeretur, essetque a Catalaunensi episcopo in sacerdotem simul atque abbatem initiatus, jam tum clarissimis emicans radiis sanctimonia visa est episcopo meliori corporis hospitio digna; diutius scilicet valente corpore orbem illuminatura. In suas igitur ædes susceptum summa cum veneratione Bernardum, hortari cœpit; ut relaxato aliquantulum vitæ rigore, vires mitiore victu repararet; rediturus denuo majori robore armatus ad pristinam austeritatem; at omnimodam repulsam passus

Digitized by Google

Cistercium sese episcopus contulit, ibique supplex ab abbate petiit, ut ejus mandato Bernardus sibi per unius anni spatium obedire juberetur; quod pro sua reverentia impetravit. Ut autem tanto securius afflictæ sanitati mederetur, extra monasterii septa tugurium illud, quod dixi, jussit construi; in quo piissimus Bernardus reconditus, curæ cujusdam vanissimi tenebrionis et circumforanei stentoris creditur; qui illum integro anno supra quam credi potest, afflixit. Nam sanguinem crudum pro cibo, oleum pro vino obtulit, aliaque innumera impudentissime irrogavit; ut ei ad mortem, non sanitatem promovendam traditus fuisse videri potuerit. Sub hoc tamen lupo mansuetissima ovis Bernardus hujus casæ angustias incoluit sine ullo contradicentis indicio. In quadrum concinnata, per octodecim pedes undique extenditur, nulla contignatione superiorem a fundo partem dividente: tecto solo miseros parietes onerante; qui quidem nullo vitro illustres satis nempe ab inhabitante sanctimoniæ luce resplendebant: fenestrarum loco asseres ad excisa foramina hærent, ut levi ductu prohiberi illis aura vel immitti possit. Idem lectisternii, adhuc ibidem pendentis, squalor fuerat, et anguli, in quo jacebat. Quæ cum inter commiserationis affectus intuerer, in mentem mihi venit damnabilis quorumdam magistratuum indulgentia, tolerantium ejusmodi hominum fæcem, de quorum grege Bernardi vexator fuerat: qui omnia fora suis clamoribus implent, et mendaciorum fumo credulum vulgus pascentes, multam crumenæ et vitæ internecionem inferunt impune. Dum interea neglecta jacent magna medicorum ingenia, per ingenuos sudores exculta ad veritatem pulcherrimæ artis, quam isti sua audacia corrumpunt.

62. Juxta hanc casam situm est sacellum, in quo loci rare divus Bernardus sacrum dixit; prope fores sella ostenditur, cui frequenter insidere, et sacra effundere contemplationum mella solebat; inque ultimo fatali morbo maximam Cantici Salomonici partem commentationibus illustravit. Sed præ omnibus notabile limen sacelli; ubi cum subobscuris litteris scripta legeremus hæc duo verba: *Hic obiit:* intelleximus eo in saxo sacrum caput reclinasse Bernardum, cum felicissimam animam ad cœlos emitteret. Nec quisquam se continuit, quin absque mora in terram abjectus pio osculo durum quidem, sed suave pulvinar adoraret. Qua ratione, qua pietate, quo denique tempore pius sanctissimi Patris obitus contigerit, cum te sciendi avidum esse me non lateat, meliori compendio non proferam, quam si tibi ejusdem epitaphium transcribam. Sic autem legitur: *Hic requiescit corpus beatissimi Patris nostri Bernardi, primi Clarævallis abbatis, qui fuit vir in diebus suis vita et moribus sanctissimus, in miraculis faciendis post apostolos clarissimus, in intelligentia et expositione sacræ Scripturæ doctor egregius. Inter discordantes pacis reformator præcipuus; hæresum et errorum tunc temporis in Ecclesia pullulantium reprehensor et corrector industrius. In multis quæ prædicabat propheta veridicus; monasteriorum et religionis ampliator devotissimus. Lucerna singularis non solum Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam Christianitatis universæ. Hic anno ab Incarnatione Domini* 1113, *a constitutione domus Cistercii* 15, *annos natus circiter* 22 *Cistercium ingressus cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano suavi jugo Christi collum submisit, anno autem Domini* 1115, *mense Julio missus fuit cum fratribus germanis et conventu suo ad locum istum, qui nunc vocatur Claravallis, antea autem Vallis absinthialis; ubi triginta et octo annis abbatis, seu boni pastoris officium adimplevit. Anno autem ab Incarnatione Domini* 1153, *Ordine ubique dilatato, et amplius quam centum sexaginta monasteriorum ordinis nostri Pater existens, consummatis feliciter vitæ suæ diebus et annis circiter* 63 *expletis,* XIII *Kal. Septembris,* A *hora diei pene tertia, inter graves singultus, et lacrymas uberes circumstantium filiorum, migravit ad Dominum ad multos, quos ipse præmiserat lætabundos cœtus monachorum ad obvia agmina, quorum in terris vitam duxerat, angelorum. Cujus imitatores et gloriæ participes nos faciat, qui sine fine vivit et regnat.*

63. Die inter hæc spectacula prætervolante, quod ad cœnam tempus supererat hortus sibi vindicavit. Hic in quatuor æqualis longitudinis ambulacra excurrens, distributis ordine artificioso florum lectulis medium relinquit; qui nulla non elegantia tum florebant. Dulipæ et anemones suos explicabant calices superbissime, quos adeo splendens colorum varietas pingebat, ut oculorum liberaliter se effundentium aciem offenderet. Ambulacra trecentos passus longa suos utrinque parietes ex fago supra altitudinem longiusculæ lanceæ erigebant, vestitos recenti vere virentium foliorum. Et ibi quidem B quantumcunque sereno cœlo nunquam umbra ambulanti deeret, opponente se semper aliquo ex quatuor lateribus soli; licet quodlibet ea latitudine sit, ut duobus curribus laxam commeandi viam aperiat. Jucunda facies erat prospicienti de ambulacri initio ad ejus extrema; distantia quippe fallaci oculos imagine ludebat, utroque pariete in angustæ cuspidis speciem desinente, cum tamen pari ubique æqualitate essent dispositi.

64. Ex horto reversi granaria inspeximus, ditia farris acervis, idonea in multos annos servando frumento. Ingens enim ædificium robustos fornices per longa spatia ita commode extendit, ut et ab ignis infortunio tutum, et aeri tamen pervium grana a putredine conservet. Videre mihi videbar magnum domus dispensatorem Bernardum in hoc granario pauperum catervas ex illis frumenti cumulis onerantem; rediitque in memoriam celebre prodigium, quod in ejus Vitæ descriptione his pene C verbis habetur: *In regno Galliæ et finitimis regionibus aliquando fames invaluerat; servorum autem suorum horrea benedictio Domini cumulavit. Si quidem usque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat, sed et tunc quoque post messem collectam diligenter omnibus suppputatis vix usque ad l'ascha sibi eam posse sufficere æstimabant. Cum autem emere vellent, sumptus non invenerunt, quod longe carius solito venderetur. Itaque ipso tempore quadragesimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluxit, quibus erogantes fideliter quod habebant, Domino ob servum suum Bernardum benedicente; et modica illa annona usque ad messem ipsi pariter, et qui superveniebant pauperes alacriter sustentabantur.* Ita omnes anguli pia nos memoria sanctimoniæ eminentissimæ beatissimi Patris afflabant, quocunque pedes aut lumina vertebamus.

65. Nocte post liberalem cœnam transacta, denuo vix ab aurora salutati ad divi Bernardi sepulcrum perreximus; et reverendissimus quidem dominus vicarius generalis in altari S. Malachiæ, ego vero super melliflui doctoris sepulcrum sacrum fecimus. Duas circiter horas consumpsit hæc devotio, inde sacellum comitum Flandriæ petivimus; spectabile alto amploque fornice, sed spectabilius sacrorum lypsanorum thesauro, in subterranea ibi concamerationc quiescentium. De quibus quia rem auditu dignissimam percepi, omittere non possum, quin tibi enucleatius eamdem perscribam. Divus Bernardus initio suæ sacræ, quam e Cistercio duxit, coloniæ, monasterium condidit in hujus vallis anteriore parte; appellata, vel ob copiam ibi nascentis absinthii, vel ob amaritudinem obeuntium mortem, qui ibi olim frequenter in latrones incidebant, Vallisabsinthii nomine. Quia vero temporis processu affluentium monachorum tantus evasit numerus, ut eos loci angustia minime caperet, ope regum et principum animum adjecit ad novi ampliorisque cœnobii constructionem. Idque pene con-

Digitized by Google

summavit circa annum Christi 1148. Eo ipso anno ex cœmeterio antiqui monasterii exuvias monachorum, quos ipse sepelierat, solemni ritu transtulit; non ignarus, quam dignis id honoris exhiberet. Subsequentibus deinde annis plurimum auctæ sacræ illæ reliquiæ, cum innumeris miraculis clarerent; rursum ex humo erutæ anno Christi 1296, in hoc subterraneo fornice honorifice sunt collocatæ; jacentque jam inde a tot annis incorruptæ; sine ornatu quidem, sua sine dubio incorruptione satis decoræ. Numerus eorum sacrorum corporum nongentesimo major nec minima sui parte, ut pie credo, a tanto temporis intervallo est imminutus; pie, inquam, credo; et quid me moverit ad hanc fidem, nec te celabo; scilicet divi Bernardi in primis promissio. Is enim missurus in Sueciam condendo monasterio monachos, destinabat cum cæteris quemdam ex urbe Trajectensi juvenem, singulari in piissimum Patrem amore flagrantem. Hic fletu et precibus deprecabatur, ne ab ipso sejungeretur, in tam barbaras et longinquas nationes, propter quem nimirum patriam et mundum reliquisset; se enim præcipue huic sacro instituto nomen dedisse, ut in Claravalle vivere et mori beate liceret. Quem ut amantissimus Pater consolaretur, promisit, eum non alibi, quam in Claravalle cum reliquis suis alumnis sepeliendum. Nec eum fefellit promissio; nam postquam quadraginta annis in septentrionali illo regno abbatem egisset, jam decrepitus gestatoria sella, per tanta terræ marisque spatia ad Claramvallem deportatus, aliquot dierum febri tactus feliciter vitam finivit, ibique sepulcri promissam gratiam obtinuit. Quia igitur sanctissimus Pater Bernardus eamdem promissionem multis aliis impertivit eventu comprobatam; ac præterea ex hac mortali miseria ad superos migraturus inter alia consolationis verba adjunxit: Se neque post mortem suos filios, quos Christo genuerat, derelicturum; nec passurum gregis sui dispersionem: imo ita in Claravalle mansuros, ut in decretoria illa extremi judicii die omnium hic ossa resuscitanda una secum judici Deo sistantur: nemo hactenus hujus oraculi fidem vocavit in dubium. Quin id ipsum non multis abhinc annis novo prodigio fuit confirmatum. Contigit enim, ut Lotharingiæ ducissa ad Claramvaliem spectandam accederet; quæ cum pro sua in eamdem liberalitate, tum pro dignitate in templi interiora et ipsum hoc sacellum Flandricum ingredi permissa inter comitatum nobilem quamdam puellam adduxit, immani cruciatam dentium dolore, et adeo pertinaci, ut omne medicorum ingenium multis annis sine profectu fatigarit. Cui cum recenseretur, meras esse divorum Bernardi discipulorum sacras reliquias, quæ in subterraneo fornice cernerentur, ipsa ingenti fiducia unum ex ossibus nemine advertente cum reverentia arreptum ad genas applicat; nec mora, mox omnis acerbitas evanescit. Accensa amore tam pretiosi efficacisque pharmaci clam sub pectorali veste recondit, in aliorum quoque subsidia conservandum. Interea ducissa discessura, ad portas monasterii regressa, puellam illam abesse animadvertit, quare jussa est quæri, an fortasse sexui agnata curiositas, per ignotas monasterii ambages errantem circumduceret. Omnibus angulis pervestigatis, nullibi tamen visa, donec a famulis ad dictum sacellum delatis conspecta fuit; qui voce signisque ostendunt: dominam abitum parare, quam ipsa sola moraretur. At illa in patentibus hærens foribus moliebatur quidem egressum, irrito tamen conatu: aiebatque se jam dudum sequi promptam, evadere tamen extra januam omnino non valere. Tum e monachis quidam suspicatus quod erat: Forsan, inquit, aliquid de his reliquiis clepsisti; quibus jam per arcanam violentiam retardaris. Scias namque omnia hæc ossa usque ad mundi finem promissione divi Bernardi non separanda, nisi ipsi consenserint. Convicta, suum pio licet ausu tentatum aperit furtum, et sacris lipsanis suo loco redditis nihil impedita ad dominam convolat, totamque rem gestam non sine omnium admiratione fatetur. Insigne hoc prodigium nobis in ipso sacello e religiosis Clarævallensibus quidam enarravit, magno utique reverentiæ et pietatis affectu erga hunc nobilissimum thesaurum in nobis excitato.

66. Relicto hoc sacello extra interiorem majoris monasterii portam per ducentos aut paulo plures passus ad antiquum monasterium perveninus. Id Bernardus ac socii cum eo ex Cistercio missi propriis manibus fabricarunt. Uno tecto templum et habitatio monachorum operitur; una etiam contignatio comedendi et dormiendi loca separat. Infra refectorium nullo lapide stratum nudam terram sanctissimis illis pedibus calcandam præbebat; quod quidem angustum est, pro tam ampla virtute: paucis et palmo non majoribus fenestris illud illuminantibus, per quas tamen sanctimoniæ splendor in omnem late terrarum orbem sese diffudit. Adhæret refectorio coquina, et illa quoque arctissima, sufficiens tamen pro elixandis herbarum radicibus arborumque foliis, queis olim hi virtutum athletæ victitabant. Hinc per scalam ascenditur ad dormitorium, idem in longum latumque occupans spatium cum refectorio; in quo adhuc aliquot lectisternia supersunt, ex quatuor asseribus compacta; longa, ad hominis proceritatem, et dimidia parte minus lata: humili cistæ ferme similia, nisi quod nullo operculo tegantur; qua inscendere illa oportebat, excisum ascia foramen aditum dabat. Exploranti mihi non apparebant vestigia, quod altius quam humi cubuerint; stramini scilicet, aut aridis arborum foliis in hanc quasi cavernam injectis loco plumarum utebantur. Clarissimum profecto extremæ paupertatis speculum; cujus aspectu frigida ætas nostra merito erubescat.

67. Scalæ, quæ a refectorio ad dormitorium viam facit, imposita est cella, quam mellifluus Pater Bernardus incoluit. Parva sane est, et carceri, quam conclavi similior, et tali, quam tantus abbas habitaret. Nam uno solummodo pede latior est cellis, quas in dormitorio monasterii novi, supra numero 57 descripseram; sed incommodis multo pluribus obnoxia: cum nudo tantum tecto tegatur, per quod etsi non semper pluviæ penetrent, frigus tamen æstusque et mille aliæ sese intrudunt molestiæ, per idem tectum submotis aliquot assulis lumen solis immittitur, assere, si necessitas imbrium aut nivis jusserit, obstruente foramen. Porro scala, cui cella imminet, unum cellæ angulum eripit asseribus, quibus contecta est; qui per illam cellæ partem declivi tabulatione descendentes commodum tamen divo Bernardo afferebant; illis nempe pro lecto usus: loco pulvinaris duos alios truncos securi lævigatos supponens. Quæ omnia hodiedum videri contrectari tamen minime permittuntur: multorum importuna pietate per minutas quidem, sed sæpe repetitas partes pene totum auferente. Nunc cancellis inclusus hic (si tamen sic dici potest) lectus oculis non furtis patet; intra quos præterea jacet cingulum setis et ferro asperum, quod vexando corpori induere sanctissimus Pater solebat, ac super nuda ejus cute post obitum inventum est. Sedile denique nihilo cæteris cellæ partibus melius erat; præterquam enim quod uno tantum a terra pede elevatum, id excavatus per modum sellæ præbuerit murus, etiam sedentis caput erigi non patiebatur incumbentis tecti declivitas; ac proinde sedere aut assurgere volenti caput dorsumque inflectendum, donec uno passu amotus spatium acciperet erecto capite standi.

68. Et hæc est illa sedes, ex qua tot oracula in omnes mundi plagas dimanarunt. In hoc throno eminebat ille *vir miraculorum* (sic eum nominat cuntissimus hujus sæculi scriptor Joannes de Bur-

Digitized by Google

sières S. J.) *præsertim in animos, quos fingebat ad arbitrium; vitæ Alexander; magnarum rerum administer; pontificum et regum magister; Christiani orbis unus prope modum norma; cui solum et cœlum obtemperarent.* In hujus anguli obscuritate nati sunt illustrissimi viginti tituli; quibus grata admirabunda posteritas Bernardum insignivit; ut jure merito appelletur : 1. *Sacræ Romanæ Ecclesiæ doctor eximius, mellifluus, theodidactus.* 2. *Apostolicæ sedis defensor invictissimus.* 3. *Libertatis ecclesiasticæ vindex acerrimus.* 4. *Magnæ Dei matris cliens intimus.* 5. *Magnus domus Dei zelator.* 6. *Thaumaturgus sanctorum maximus.* 7. *Hæreticorum malleus.* 8. *Schismaticorum flagellum.* 9. *Sacræ militiæ præco.* 10. *Pacificator orbis.* 11. *Patriæ Pater.* 12. *Præsulum ac prælatorum magister.* 13. *Clericorum et religiosorum omnium mystagogus.* 14. *Qui probatus et inventus est vitæ innocentia angelus.* 15. *Ordinis propagatione patriarcha.* 16. *Futurorum prænotione propheta.* 17. *Verbi prædicatione apostolus.* 18. *Corporis mortificatione martyr.* 19. *Fidei zelo confessor.* 20. *Mentis et corporis puritate virgo.*

69 Juxta hanc sanctissimi Patris cellulam, alia existit, quam divus Malachias (de quo supra n. 58) trium mensium habitatione, et sanctissima morte nobilitavit; ea quidem justa cellæ forma, parva tamen gaudet. Inde ad oratorium descendimus; quod tale est, ut ipsa paupertas breviori compendio non coucinnaret. Frontem altare occupat, eodem omnino hac tempestate cultu spectabile, nec alio, quam quo divus Bernardus instruxit; nimirum in lignea tabula vili colore imago Christi in cruce pendentis rudi artificio exprimitur; a cujus latere virgineæ Matris et divi Joannis dimidia corpora pinguntur eodem exiguæ artis penicillo elaborata. Extra chorum, seu mediam templi partem in latere dextro est altare S. Laurentii, in sinistro S. Benedicti pariter simplici manu expressis effigiebus nota. Altarium horum memoriam celebrem ex Vita divi Bernardi breviter accipe (lib. I, c. 12) : *Bernardus valde ægrotus, cum vehementius affligeretur, et supra vires dolor excresceret, advocans unum ex confratribus suis, jubet citius oratum ire. Ivit ille, et oravit ad altaria quæ in ista basilica tria erant; primum scilicet in honorem Dei genitricis Mariæ; duo alia circumposita, in honorem S. Laurentii martyris, et beati Benedicti abbatis. Et ecce eadem hora adfuit viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio et beato Benedicto abbate. Aderant autem in ea serenitate et suavitate, quæ eos decebat; et tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ personas ipse discerneret singulorum. At illi imponentes ei manus, et loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem ab eo depulerunt.*

70. Dies nondum ultra horam octavam provectus alliciebat nos ad ulteriora spectacula. Igitur relicta hac sanctimoniæ palæstra extra muros locum illum petivimus, in quo divus Bernardus epistolam *in imbre sine imbre* legitur composuisse. Cujus prodigii seriem causamque paucis pro more explanabo. Robertus, quidam ex propinquis Bernardi, Cluniacensibus infans oblatus fuerat; qui ephebos egressus, cum per ætatem licuit, Cluniacensi monasterio relicto, perfectioris vitæ desiderio sese Cirterciensibus adjunxit : et cum divo Bernardo ad fundandam Claramvallem inter reliquos missus fuit. Sed suasu Cluniacensium, et indolis teneritudine severam vivendi austeritatem horrente, insalutato S. Patre ex Claravalle discessit; aliquandiu dissimulante et spontaneum reditum spectante Bernardo. Verum diutius aut pertinaciam aut errorem juvenis non ferendum arbitratus, per epistolam eum revocaturus, una cum Guilielmo, quo utebatur ad scribendas epistolas, in silvam monasterio vicinam secreti gratia secedens, excipienti in membrana cœpit dictare. Medium autem laborem interruptura inopinato copiosa pluvia erumpit, ita ut colligere vasa, et sub tectum sese recipere scriptor voluerit. At Bernardus : *Opus*, inquit, *Dei est, scribe, nihil nobis imber nocebit.* Perrexit ille, pene extra se præ admiratione raptus; cum conspiceret, uno vel altero a se passu delabentis maximi imbris inundantiam; ambos vero se sub dio quasi sub tecto tutos siccosque considere. Apud Robertum sane non sicca fuit epistola. Quippe serio temeritatis suæ pœnitens ad largos lacrymarum imbres motus illico rediit, et aliquot inde post annos a divo Patre monasterio Domus Dei abbas præfectus, non sine sanctitatis opinione ex hac vita migravit. Distat a monasterio Claravallensi hic locus media hora, in umbilico silvæ ad muros usque pertingentis. Ad prodigii memoriam perpetuam parvum sacellum erexere, in quo depictum mirabile hoc factum cernitur.

71. Reversi e luco in cellas vinarias descendimus, ubi inusitatæ magnitudinis dolia cernuntur. Unum præsertim supra cætera diligentem observationem merebatur. Id cum a vino vacaret, et grande fundum januas apertas ostenderet, meam curiositatem invitavit, ut me intruderem, ad explorandam interiorem fabricam. Sed tenebræ nihil permittebant, nisi ut pedibus longitudinem experirer, quam quidem triginta pedum ab uno fundo ad aliud inveni, altitudinem vero octodecim. Nullis orbibus seu circulis ex betula, pro nostrorum doliorum more, vincitur : ingentes quatuor trabes per incisas in extremitatibus juncturas colligatæ stipant repetitis sexies ordinibus longissimos quernos asseres : ubi deinde in quatuor junctarurum angulis desinente circulo trabes hiant, cuneis impletur vacuitas; ut sic tota illa machina inter harum arborum vincula, quasi in equuleo laxari pro usu arctarive possit. Vidisti, amice, olim et miratus es Maristellanæ nostræ cellæ dolium magnum; quod si cum Claravallensi hoc conferas, quanta parte minus; nostrum enim septemdecim tantum pedes in longum, duodecim in altum extenditur. In aliis præterea cellis aliquot vasa nostro Maristellano non minora mero optimo turgebant.

72. Sub ipso, quod sequebatur, prandio rumor affertur tredecim millia militum ex Galliis in Burgundos properare obsessura urbem Dolanam; quo nos audito, quia per eam regionem redeundum in patriam fuit, maturavimus abitum; ac sine mora actis pro magno beneficiorum cumulo gratiis, accincti eo adhuc die ad monasterium usque Longi Vadi perreximus; maxima iterum humanitate excepti. Hic dum cœnamus, abbas illius monasterii commendatarius, cum de venatione rediisset, de nostro adventu certior factus per famulum significari nobis mandavit; optare se nobis loqui; et si molestum non esset, ad suam domum accederemus. Non recusare licebat tam humanam invitationem; quare ducem eumdem servum secuti, abbatem in vestibulo ædium obvium habuimus; qui nos comiter diserteque salutatos per planum ædificii fundum ad aulam primum amplissimam deduxit; in hac pendebant ad parietes altos ornatissimosque picturæ bene grandes; quarum pleræque naves marinas jactabant inter procellas, miscebantque eorum conflictus bellicos : hic incendio, illinc naufragio absorbente triremes. Ex aula per scalam lapideam ad superiora conclavia transitum, suis quæque nitentia coloribus, quibus tapetia, tam parietum, quam quæ mensæ insternuntur conformiter tincta fuerant. Picturarum circumquaque positarum modus ingens; referentium effigies regum ac principum; maxime moderni Galliæ, quæ aliquoties cernebatur tam affabre elaborata, ut plane Apellem. si non ipsam vitam spirare viderentur. Porro Musæum apparatu librorum instructissimum erat, et illi adhærens aliud triclinium rari pretii picturis Nam cum arreptum lumen propius ad tabulas admoverem, delectatus mea curiositate abbas, non sine

Digitized by Google

significatione gaudii, quod non otiosos rerum suarum æstimatores nactus esset, digito varias designabat; et hanc Alberti Dureri, alias Holbeinii: imo et Rubenii, ac Michaelis Angeli Romani penicillo celebres esse affirmabat. Tota sic domo perlustrata ad stabulum progressi observavimus præter equorum ex Anglia, Hispania, Pannonia, ac Tartaria coemptorum copiam, nitidum fornicem variis e gypso crustis et pegmatis superbum plane invidiam illius monasterii templo facere.

73. Ex his ædibus dimissi nos ad quietem composuimus, sumptoque mane jentaculo Albæ Ripæ cœnobium insigni iterum Charitate refertum subivimus: opiparo, quantum illorum paupertas monachorum sub commendatario degentium permisit, prandio recreati. Duos convivas ex illo cœnobio habuimus religiosos, qui ita concinne latino utebantur sermone, ut vix ullos pari facilitate loquentes perceperim. Eorum alter se mihi comitem obtulerat ad hortum visendum, antequam mensa apponeretur. Et quamvis solitudinem præbuissem, ut precum mearum penso vacare liceret; non tamen postea pœnituit doctissimis colloquiis illud tempus impendisse. Jucunda enim ex historiis gesta de fideli memoria ita promebat, quasi in narrationis promptitudinem se totum huic studio tradidisset. Cumque multa de vita melliflui Patris nostri inspergeret, scitari cœperam, an non hanc viciniam aliquo etiam prodigio memorabilem fecisset. Tum ipse: Non pauca, ait, in hoc circulari prope Claramvallem ambitu ab eo patrata fuisse memoriæ proditum est. Nam in hac regione pagus nominatur, in cujus hospitio dicitur sanctissimus Pater lepido de animi demissione colloquio cum dæmone contendisse, et ni fallor fere in hunc sensum in ipsius Vita describitur: *Quodam tempore sanctus Bernardus quibusdam cum fratribus receptus hospitio pro suo more calceos ungebat; quo apparuit illi diabolus transfiguratus in nigrum monachum. Et: « O abba, inquit, quam magnificatus es modo? ecce de finibus terræ veni te visum; quem ungendis calceis inveni operantem; non sic te exhiberes vel uni famulorum tuorum. — Nec mihi, ait S. Pater, sunt famuli, nec ut essent, unquam volui; filios mihi in Christi Jesu Verbo genui, qui omni mihi charitate et humilitate obsequuntur. Diligo eos ac servo; quibus ut ostendam viam vitæ, me humilio in exemplum magni illius Magistri, qui in Evangelio dicit:* Omnis, qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* III). *Humiliavit semetipsum Deus, omnemque percurrit humilitatis semitam, ut sequamur vestigia ejus; unde Dominum ac Magistrum meum sequi non me fatigat; sed decorum est mihi et volupe, etiam indecoris et quibus nulla inest voluptas, operibus pro ejus amore implicari. Unde et tuo dic abbati, ut, quod ego facio et ipse faciat. » Ad hæc diabolus: « Da mihi, inquit, tuos calceos, et ego eos ungam. Tum eum fixe intuens famulus Christi, Spiritus sancti luce agnovit spiritum malum, et cum indignatione et ironia: « Non est æquum, ait, ut qui in summo decore et sanctitate creatus est, mihi ungat calceos, qui sum terra et cinis. Apage, Satana, et per Jesum Christum te adjuro, ne mea unquam impedias opera nec fratrum meorum. » Subito decrescens diabolus, contraxit se in parvam bestiolam, eaque forma se in eorum conspectu subduxit.*

74. Risu prosecutus sum miseri lavernionis fugam, rogavique comitem, ut pergeret in jucundissima materia. Nil cunctatus ille: Paulo, inquit, plus uno die abhinc urbecula est, famosa jucundissimo sancti Patris facto. *Contigit* enim *aliquando famulum Dei Bernardum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. Cum appropinquaret oppido, ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam copiosam, qui jubente comite latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo viso, clementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser astrictus, ait tortoribus: dimittite mihi sicarium istum, ego enim volo manibus meis suspendere eum. Audiens autem comes adventum hominis Dei, festinavit illico occurrere ei; miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit vehementer et dixit: « Heu, venerabilis Pater, quid est quod facere voluisti? ut quid enim furciferum istum millies condemnatum a porta inferi revocasti? Respondens autem Pater sanctus dixit: « Scio quidem, virorum optime, scio hunc latronem esse sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere, quin potius cogito ipsum tortoribus tradere, et dignam ex eo capere ultionem, quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. » Quo audito princeps Christianissimus consilii, nec ultra ausus est contradicere sermonibus sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta tunica sua, ea induit captivum suum, et attonsa coma capitis ejus sociavit illum ovili Dominico, de lupo faciens agnum, et de latronem conversum. Qui veniens cum ipso Claramvallem factus est deinceps obediens usque ad mortem, perque triginta annos supervivens pulchram etymologiam nominis sui (Constantini) perseverantia in bono proposito, et rigidissimis pœnitentiæ operibus exprimens, sancta morte migravit ad Dominum.*

75. Jucunditate narrationis accensus, cupidusque plura cognoscendi, quæro deinde; an longe distaret alius quidam locus, in quo cæcus sumpto de vestigiis S. Bernardi pulvere visum recepit? Hæsit ille aliquandiu, quasi memoriam excuteret, et inde: Plures, inquit, abest ab hoc monasterio dies; nam in partibus Tolosanis id prodigium contigisse refertur in descriptione Vitæ pene his verbis: *Laborabat aliquando vir sanctus in partibus Tolosanis contra Henrichianos hæreticos. Cumque tanquam ex apostolis unus circuiret per castella et civitates evangelizando et curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima aeliramenta, redarguendo, confutando, convincendo; accidit ut cæcus quidam, comperta fama virtutum atque signorum, quæ per manus hominis Dei multiplicabantur, in dies spe recuperandæ sanitatis animatus, eumdem Dei famulum adire decreverit, si forte beneficio cœlestis gratiæ, quæ per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque, cæcitatis caligine detersa lumen desideratum restitueretur. Accelerans itaque, et ubinam sanctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audivit eum in celebri quodam conventu in medio magnæ multitudinis consistere, verbumque vitæ disseminare. Quo cum pedibus offendens, et anhelus currens pervenisset, tristi rumore turbatur: quoniam vir Domini jam inde recesserat et ad loca alia transmigraverat. Quid tamen ageret? siquidem desiderium recipiendæ sanitatis eum ulterius currere compellebat: aerissimæ vero tenebræ, quæ oculos ipsius obsederant, pigrum et minus reddebant expeditum. Cumque in defectione mentis constitutus multa tristitia contabesceret, subito divina gratia inspiratus, et de meritis beatissimi viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait:* Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stetisse, vel sedisse certissime scitis. *Quod cum benevolentia eorum qui aderant, continuo esset consecutus, veniens ad locum toto corpore in terram prosternitur, mira devotione pulverem ipsum, in quo sacra viri Dei vestigia steterant, deosculando, Domini quoque misericordiam per merita servi sui enixius implorando: quod cum diutius faceret, et de ipso pulvere fide plenus oculos suos confricaret, repente miserante Domino, qui sanctitatem famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod miraculum non solum Catholicis*

Digitized by Google

orthodoxæ fidei firmamentum contulit, verum etiam superbis et elatis hæreticis confusionis et opprobrii notam adauxit.

76. Prosequebatur ulterius sermonem conglomeratis in breve compendium prodigiis, ac subjungebat piissimum Patrem innumera quidem per omnes Franciæ partes operatum esse miracula, sed eorum, quæ extra fines ejusdem Germania, Italiaque spectavit, æque omnem pene numerum superare. *Nam in sola peregrinatione Germanica 173 lumine oculorum orbati meritis sancti viri illuminati sunt. Gressus 158 claudis benedictione ipsius restitutus fuit. Contractos 15 virtute sibi cœlitus indita erexit. Muti 53 ejus intercessione obtinuerunt loquelam. Auditum 65 surdi, et 11 paralytici sanitatem: 55 quorum manus aridæ et quasi mortuæ pendebant, optatam valetudinem receperunt.* Qui omnium hoc brevi tempore factorum mirandorum numerus efficit 530. Cum tamen adhuc individuus S. Patris in itineribus comes fateatur : *Multa ex his narratis tam brevi fieri se vidisse, ut tam celeriter ea proloqui nequeat : et (cum dici soleat nihil esse facilius dicto) huic tamen Dei famulo, per gratiam, quam acceperat, signa facere magis facile visum fuisse, quam sibi facta narrare.*

77. Dum ita centuriatim profunderet miracula meus comes, credebam et illorum mentionem facturum, quæ de sanctissimo Patre, Vitæ libro III, cap. 6 referuntur; quæque non solum me hactenus in summa tenuerunt admiratione, sed etiam opinione; neminem ex omni divorum numero tanta in Deum fiducia præ Bernardo fuisse. Quare ne tam elegantis scientiæ rudis esse viderer : Magna sunt, subjunxi, quæ suavissime comes, attulisti; sed an non existimas anteire cæteris, quæ in supra nominatis Tolosæ partibus liquido eum constat patrasse? Scriptor autem Vitæ sic de iis loquitur : *Est locus, quod Sarlatum appellatur, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes (sicut ubique fiebat) Dei famulo offerebant; quos ille elevata manu, et signo crucis edito, in Dei nomine benedicens : In hoc, inquit, scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium, magnus ille Gaufredus (siquidem præsens erat, et proximus viro Dei) si bona, ait, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater sanctus, de Domini virtute nihil hæsitans : Non hoc ego dixerim, ait, sed vere, qui gustaverint, sanabuntur; ut proinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant: Tum ingens multitudo languentium, gustato eodem pane convaluit; ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur.* Et quæ hæc, addebam ego, in Deum fiducia? Non vane profecto de sanctissimo Patre nostro efflatus est illustrissimus cardinalis Bellarminus, lib. IV, Contr. cap. 4 : *Sanctus Bernardus abbas Clarævallis vir plane apostolicus, et non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris. Pluribus miraculis claruit, quam ullus sanctorum.*

78. Supra fidem, inquies, amice, felici e memoria vestram deprompsistis historiam. Iisdemne verbis hic epistola tua, quibus ibi sermo vester, nec aliis loquitur? Non iisdem omnino quidem, at parum diversis. Nam de ejusmodi colloquiis, quæ sparsim in hoc Itinere tibi offerentur, hoc te volo sentire : sensum me, non verba afferre; imo nec illum anxie totum; iis plerumque omissis, quæ sciri ab aliis nolui, adjunctis forte pauculis aliquando, quæ dici fierique potuisse nemo prudens dubitabit. Ad comitem meum redeo : cum quo ad mensam digressus, ne sic quidem materiæ continuationem omisi, quin sub prandio, atque inde ad portam usque cœnobii etiam valedicendi affectibus eamdem miscerem. Hinc itaque Sortilium usque excurrentes, altero mane post dictum in Patrum Capucinorum templo sacrum cum sole oriente nos in campos efA fudimus, Divionem festinantes; quo circa meridiem promoti, tantum moræ traximus, quantum invisendo domino Bourée, Cistercii secretario, tunc valetudinis gratia Divione apud amicos commoranti necesse fuit, ac prandio. Quibus pro voto expeditis, viam ad Cisterciense monasterium cum ipso solis cursu absolvimus. Admissi sine mora ad Ill^mum D. generalem salutandum, mox ad conclave nostrum sumus deducti. Sed Ill^mus jam cœna perfunctus nos interea domino Germano suo egregio societatis Jesu viro commendavit; qui domini generalis absentiam exquisita humanitate supplevit. Nam colloquiis eruditionem non vulgarem, et multam experientiam spirantibus, pretiosam cætera mensam cum magna nostra delectatione ornabat; neque ante abire sustinuit, donec intellexit, nihil a nobis, præter quietem desiderari.

B 79. Finitis sequenti die matutinis precibus liberiorem auram et crepusculi teporem captaturus (sudum namque erat) ad horti ambulacra descenderam, cum Ill^mus P. generalis primum a choro reversus (solet autem quotidie ibidem primus inveniri) me visum ad se vocavit. Ad quem cum per scalas et anteriorem aulam penetrassem; jussit ad mensam considere. Tum de itineris ad Claramvallem successu, et quid maxime per viam placuisset, quærere familiariter cœpit. Cui ego ad singula, quanta poteram modestia, respondere; laudare merito quidem Cistercium ab amplitudine et ædificiorum præ Claravalle nitore; situm deinde locorum utrobique non multum disparem; videri tamen piscinas Cistercienses Clarævallensibus anteferendas; cum ob hilaritatem aspectus, tum ob piscium abundantiam; templum etiam Cisterciense exterius, pulchrius esse Clarævallensi; quippe clarius, paulo majus, et recenti artificio ornatius : quoad chorum denique et summum altare præire Clarævalli Cistercium. Verum, si arcanos, inquiebam, seque violenter quasi insinuantes pietatis stimulos; ambitus et interioris templi ornamenta; imo vel unum sanctissimi Patris Bernardi sepulcrum sacrasque exuvias cogito, jam mihi nulla pars orbis ante Claramvallem erit.

C

80. Percunctanti porro quid de canendi ritu, de disciplina monastica Galliæ arbitrarer, intuli : In multis mutatam esse apud me sententiam, quam de horum cœnobiorum constitutione conceperam : in quibusdam plus, in aliis minus me olim credidisse. Atque in primis obsequii divini preces seu diu seu noctu magno sane labore in tantas protrahi moras, ut pene supra septem horas in choro detineantur. Videri mihi, nisi superi favore singulari vires suppeditarent, oportere ut brevi succumbant. Nos quidem Germanos exacte ad melliflui doctoris nostri præscriptum rotunda pronuntiatione verba distinguere: utque omnium simul voces in unum temporis punctum initio ac fine concurrant, studiose observare : cæterum morem patriæ obtinere, ut majorem nobis defatigationem imponat noster cantandi modus, quam is qui in Gallia passim auditur; fortiori enim impetu vocem nos elevare; ita ut non raro Davidici carminis veritatem assequamur, quo se *Ad Dominum clamare* affirmat. Qui labor cum vires admodum exhauriat, hactenus neminem ex nobis, ut nullæ aliæ rationes sint, vel ideo saltem probasse abstinentiam a carnium esu; utpote insalubri illa aquatili esca parum addente roboris ad id sustinendum, propter quod nobis sustentatio a fundatoribus liberaliter fuit donata. Siquidem nihil frequentius in illis donationum diplomatis, quam tradi illa bona divi Bernardi sequacibus : *Ut immortali Deo laudes in hoc cœnobio decantent.*

D

81. Præterea, addebam, lex illa, quæ carnium interdicit esum, eum maxime finem respicit; ut subtractis appetitui animali deliciis, suis scilicet armis, queis spiritum oppugnat, mens liberius ad superna feratur. At profecto quamvis ex orbe uni-

Digitized by Google

verso carnes eliminentur, nunquam tamen deerunt ingeniosæ in has inventiones gulæ mille saporum genera, quibus suam aviditatem irritet, saginetque per aromatum ignes, non pretiosius tantum, sed ad luxum libidinemque validius; piscibus cæteroquin plerisque vix cibi nomen meriturus, nisi his condimentis obruti sua pene natura exuantur. Eam ob causam licet æstimationi a vulgo comparandæ haud parum valeat nomen abstinentiæ, nos tamen summum perfectionis religiosæ apicem non in ea sola sitam esse judicantes: id ante cavemus, ut nimia satietas, sanitati et rationi gravis, undique excludatur; necessariis autem alimentis nemo destituatur, iisque moderatis, et quibus vita roburque sustentandis oneribus idonea conserventur. Abstinere autem a proprii pertinacia judicii; abdicare se sponte commoditatibus sub fallaci consolationum specie subrepentibus, easque non solum non sectari præter obedientiæ præceptum; verum e contrario molestias, dolores, afflictiones, apud se vel aliunde natas pacato ferre animo; demissionem animi sine affectato tristitiæ colore ita foras emittere; ut et aliorum honores absque invidentia, et sui contemptum instar deliciarum aspiciat: iracundiæ aliorumque vitiorum motus constanti rationis freno tanquam intra carceres compescere: totum se denique ad cynosuram gubernantis omnia Numinis inter omnium tempestatum varietatem ita componere, ut nostra nunquam ab illius voluntate dissentiat: id tandem abstinentiæ studium dignissimum æstimamus, in quo omnes conatus nostros curasque ponamus. Neque tamen hæc ipsa tam gloriose jactanterque memini, quasi soli nos in hac pietatis palæstra strenui pugiles versaremur; non ignoro, jam propria doctus experientia, maximo haberi in pretio hanc disciplinam in his partibus; sed ut virtutum exercitationes, et esum carnium simul haud dubie stare posse confirmarem.

82. Confirmet, subjunxit Ill^mus dominus generalis, ingenuam hanc et vere Germanam vestram mentem Deus; quæ quidem me neutiquam latet; veluti et sincerus constansque in sacri ordinis Instituta vester amor, ac in ejusdem superiores reverentia quam, si unquam aliqs, certe exulceratis hisce postremis temporibus (quanto ordinis totius bono!) didici. Hanc, dicebam, illustrissime domine, nulla vis, nullæ fraudes, nulla ætas in nobis labefactabit. Nam indubitatæ veritatis loco tenemus; simul et nomen corporis in ordine, si unitas corruat, periturum. Nempe quomodo corpus erimus, si unitis charitate et instituti similitudine membris unum caput adorare non licebit? Serena, ut advertebam, fronte exceperat hunc sermonem; non inscius, ex quo fonte hausissem. Quare eumdem latius auditurus, Rev^am dominum vicarium generalem per me ad suum conclave vocari voluit; qui, cum protinus advenisset, perque sat longum temporis intervallum ibidem fuisset detentus, ad dicendum sacrum nos una paravimus: quo peracto a sacrarum rerum custode ad thesaurum, ut appellant, spectandum sumus invitati.

83. Suo ille pretio non minus insignis est (si pauca excipias) quam is, quem spectasse me in Claravalle supra recensui; si reliquiarum sacrarum numerum inire velis, servatur hic caput divi Ananiæ, illius qui in Actis apostolorum cap. IX, doctorem gentium Christi servatoris jussu convenit, eique oculorum et animæ lumen attulit. Atque hoc quidem caput argento opertum aspectui in occipite patet, ubi integra adhuc obsita capillis cutis apparet. Sunt hic præterea capita divarum Fidei, Spei, Charitatis, ac earumdem parentis, sophiæ; auro, argento, gemmisque supra fidem grandibus splendentia. Brachium porro divi præcursoris Domini, Joannis Baptistæ, aurea theca, aperta tamen, inclusum. De Servatoris sacratissima cruce partes plane magnæ, aliaque innumera tabulis argenteis alioque ornatu opulentia non contemnenda per varias formas exculta. Monstrabantur etiam præclara Burgundiæ ducum monumenta, et multiplex antiquitatum, ut dicere solemus, copia, quarum rerum, quia numerus meam pene obruit memoriam, hæc, quæ enarravi, paucula tantum retinui.

84. Unum superest, curioso spectatore dignum; quod quia non negligenter observavi, breviter exponam. Duos libellos nobis offerebant, in quibus precum statutarum canones propria manu exararunt divi Patres Stephanus et Albericus, primi, quod circa epistolæ initium dixeram, Cistercii abbates. Venerabar pulcherrima pignora simplicissimæ antiquitatis, et clare elucentes sanctimoniæ characteres exosculabar. Libelli trium digitorum latitudinem non excedunt, plus tamen longitudinis habent. Dum clausos aspicis, parvi apparent, at aperti triplo majores evadunt; foliis, quæ ex membrana rudi constant, ter complicatis, deorsum, et ambobus lateribus. Neque in utraque parte litteris implentur paginæ, sed interius tantum: ita ut licet folium a folio sejungas, nisi plicæ explicentur, nullæ litteræ prostent; quæ quidem minutissimæ paucis syllabis totas periodos brevissimo compendio absolvunt. Nulla compage seu tegumento vinciuntur, sed uno in latere filum colligat folia, ne diffluant; ac deinde sacculus ex corio libellos recipit, egressuris forte de monasterio Patribus tunc serviens; quo etiam hodie a pulveribus custodiuntur.

85. Post hæc cistæ aperiebantur, quibus sacræ vestes et alia supellex ecclesiastica reconduntur; quarum ditissima multitudo celeberrimis, quos alibi spectavi thesauris, merito videtur anteferenda. Aurum per subtilia filamenta in texturas aptatum plures hujusmodi amictus pro septem ad altare simul ministris, conficit; hic rubeum, alibi purpureum, inde candidum, cæruleumque colorem evibrante bombyce. Multa ab ætate non pauca sæcula ferente; alia a donantis persona (pleraque enim regia sunt) omnia a materia æstimationem sibi conciliant. Acus porro Phrygias artes ita inter aurum densatis cumulis conglobatum, gemmulasque candidas, quibus Perilli nomen inditum est, per vestium oras distribuit, ut intuentium oculos admiratione voluptateque afficiat, relinquat autem dubios, artine an pretio dignitatis sit ascribenda victoria. Faldistorium Italica, ut arbitror, voce, dicitur solium, quod publice cæremoniarum apparatu sacrum celebrantes inflati præsules inter sedendum occupant; huic cœlum, ceu umbraculum imminens, tapetum alas in throni regalis formam suspendit. Atque hoc solium per gyrum conclavis, in quo thesaurus asservatur, pendens diu nostram curiositatem tenebat in sese defixam, cum in ejus tapetibus elegantissimæ icones, quasi in scena veteres historias aptissimo colore (sed qui fere auro gemmisque sepeliebatur) repræsentarent. Rarissimi decoris hoc opus non infra tria aureorum millia (nescio infra suprave dignitatem) æstimavi. De pluribus ornamentis huc pertinentibus supra num. 36 mentionem me fecisse memini.

86. Tota hæc dies, nil præter laudis et gratitudinis subministrabat ubique materiam. Etenim hinc ad illustrissimi D. generalis cubiculum vocatis prandium omnibus numeris absolutum, nullo non condimentorum ferculorumque pretio insigne fuit appositum. Inde currum una nobiscum Ill^mus conscendit, comite etiam ejusdem domino Germano. Liberum detersis nubibus cœlum, in aperta rura delatis, etsi aliquam immodico æstu molestiam fecit; jucunda tamen camporum, tunc in futuras segetes prima pubertate virescentium, amœnitas; umbra arborum, ac lenis auræ susurrus itineris spatium ita contrahebant, ut non duas horas, sed unius quartam solummodo partem in curru fuisse mihi visus fuerim cum ad arcem, Chylyacum dictam nos currus exposuit. Hanc altissima fossa per circulum

Digitized by Google

in veri munimenti formam ambit; securamque reddit, non contra justi belli impetus, sed per subitos et inexspectatos tumultus ad aliquam saltem moram sese tueri volentem. E fossa fastigium sublime attollunt muri ita densi, ut minoris tormenti ictui non sint impares. Interior ædium structura magno aularum et tricliniorum numero impletur; quæ cum altis illustria fenestris, tum aulæis nitida, meo quidem judicio non indigna aut inidonea sunt, pro hospite etiam rege. Qua solem orientem respicit castellum, e fossa exsurgens quadrato ex lapide murus latum præbet ambulandi spatium, et in subjectum nobilissimum hortum pascendæ curiositatis ac hilaritatis materiam.

87. Inspecto sic cursim castello non ulterius per dimidiæ horæ spatium dimisit Ill^mus ad aliud prædium, quod suo idiomate *Bourveaux* vocant. Huc celeriter per agrorum plana translatos, loci procurator ad ædium (quarum mira elegantia tum quoad architecturam, tum quoad excisorum lapidum artificium) suprema deduxit: illinc prospicientibus vinetum sese nostris objiciebat oculis, continuo muri ambitu septum, et quantum reor quaquaversum ultra horæ quadrantem porrectum. Id quam in fertilem quotannis efflorescat vindemiam, cellæ vinariæ ostendebant, in quas admissi nostram liquido paupertatem ex illa abundantia metiebamur. Supra ducenta dolia paris omnia formæ per tres cellas circumjacebant; ad quorum unum consistens vietor, modica terebra parvum foramen impegit, nullo post extractam denuo terebram vino subsequente; donec genu fundum illo premente, instar venæ sanguinem ejaculantis, rubicundus liquor in vitrum prosiluit. Mirantibus sociis, non obstructo foramine sisti fontem, ego quoque rei non ignarus accessi, ac pollice in fundi medium injecto, paululumque urgens torpentem scaturiginem eodem impulsu ad saltum excitavi. Exposita deinde rei causa modice libavimus, quippe igneum, vini velut adusti, odorem spirabat, ac rursus conscenso curru Chylyacum, indeque Cistercium redivimus.

88. Dum properante curru revertebamur; sermo incidit de laudabili more Gallorum, quem in conviviis tenent. Ansam hac de re dissertandi præbuit illius diei prandium a nobis eamdem ob causam commendatum. In eo enim ternis vicibus fercula mensam coronabant, data interim libertate per quadrantem horæ, sumendi pro libitu, quod cujuslibet palato arridebat. Ablatis denique omnibus finem mensæ designabat colloquium itidem in quadrantem protelatum; nec exinde scyphus aut patina apparebat. Quibus in curru præconio exaggeratis, congruenter subnectebat Ill^mus non probare se Germanæ nationis consuetudinem convivia duabus sæpe horis aut ultra celebrantis. Nec enim sitim famemque tam diu sub frequenti scilicet ingestione durare; cætera ergo quæ affunduntur, oneri haud dubie non nutrimento fore. Quid? excepit alius, duas horas? imo in quinque et plures horas sedentaria hæc poculorum pugna prolongatur. Amicum certe invitare ad mensam, eumque elapsa una hora dimittere, arctioris amicitiæ lex non permittit. Nec sola mensa circumscribitur humanitas offerendi pocula; statariæ velitationes quasi in arena pugilum, mensam excipiunt; quin denique et eundo sæpe ad postrema ædium limina obtrudunt sibi, ab invicem discessuri, celebria ingentibus titulis sanitatum pocula, donec vertigo dirimat pugnam. Insania hæc est, aiebat alius, non humanitas. Cui enim bono hæc ingurgitatio? quæ deinde amicitiæ mirabilis professio, porcorum induere personam, ut placeas? Jucunda hæc disceptatio usque ad cœnæ finem provecta multam ridendi attulit occasionem; sed ne in eamdem hanc philosophiam peccaremus, mature soluta mensa, reliquum diei ambulando trivimus.

89. Sequentem diem a sacris exorsi, iisque procuratis, sarcinis concinnandis operam dedimus. Ita rebus omnibus expeditis circa horam octavam horario prandio refecti Cistercio valediximus; maxime Ill^mo Patri generali, cui conquisitis ad nostræ gratitudinis exponendum affectum verbis effusissime gratias pro summa in nos dignatione, beneficentia ac favoribus agentes, nos, ac nostrates debita illi demissione commendavimus. Inde oppidum Divi Joannis ad Sonam, non grande, sed situ et opere munitissimum percurrentes, in ignobili pago, Bariere, equis pabulum, nobis duarum horarum quietem concessimus; et circa vesperam Dolam subivimus. Mutato priore hospitio signum Satyri elegimus; ad quod vix receptis dominus provisor seminarii una cum duobus comitibus supervenit, ac tam in cœna quam altero mane humanitatem summam officiosissime deprompsit. Quin ex iis tertius se nobis viæ ducem per duas horas Vesontionem versus familiarissime adjunxit. Quo relicto in pago S. Viti subsistentes ad prandii moram mature satis Vesontionem appulimus. Aurea nos hic Aquila sub tecti alas admisit. Nondum quintam vespertinam horologii campana signaverat, et cœna ante septimam non ponebatur; quare detractis ocrearum impedimentis per civitatis plateas sumus digressi.

90. Ingentis longitudinis plateas ædificia per æqualem lineam excurrentia cingunt, infinita mercatorum opificumque multitudine distincta. Quorum se tamen cumulus maxime circa pontem præaltum, et ob domos illi impositas foro quam ponti similiorem, colligit; nullo non angulo in officinæ speciem adornato. Urbi mons multum editus adhæret, in cujus cacumine templum per omnem late Europam celebre, nostram ad se curiositatem, quanquam ex itinere fatigatos traxit. Præcipitem per horæ pene dimidiæ spatium emensi viam, templum subivimus, quod per amplissimum fornicem distentum, multa ex marmore mausolæa, atque alia ex alabastrite sculpta non vili artificio pegmata continet. Dextro parieti sacellum jungitur, in cujus interiori parte, retro altare, sub canonicorum ac magistratus custodia reponitur sacra sindon, qua Servatoris nostri de cruce liberatum corpus, laudatus ille in sacra historia Josephus involverat. Hæc bina per annum vice in conspectum datur, e tali loco, quem peculiari Numinis providentia ad hoc spectaculum designatum multi non vane autumant. Etenim extra templum instar theatri per quatuor angulos deductus murus versus superiorem montis partem extenditur; ibi præstituto die a primoribus tam canonicorum quam magistratus gestatur; tanta accurrentium ex omni finitima plaga spectatorum commoditate, ut quamvis supra viginti mille homines conveniant, nemo unquam queri sit auditus, quod non pro voto pretiosum thesaurum oculis usurpaverit; seu prope seu remotiori loco constiterit.

91. Paucis a templo hoc passibus recedit aliud sacellum, duobus inquilinis nominatum; sacri tribunalis judicibus; quibus ex privilegio pene par est in decidentis conscientiæ litibus cum summa in terris potestate facultas. Hic aliquandiu in subjacentem urbem intenti, non mediocriter delectabamur, cum per illam sine labore oculis vagaremur, totam quippe ceu pictoris opera in tabellæ compendium collectam simul uno intuitu capiebamus. Obversum urbi montis latus in parietis speciem abruptum pro muro simul et vallo est, cum altius multo sit altissima quaque turri. In descensu mirabamur reverendissimi nostri vicarii generalis indefessam, et in hoc senio pene juvenilem alacritatem, qua sine suspirio ascensum tam præcipitem expedivit. Atque ille, quid mussitaremus, observans, fronte exporrecta subridens: Vos, inquit, stupetis emeritum militem tanta facilitate superasse hunc montem. Macte animis, curate ut post quadraginta annos eadem virium constantia huic labori sufficiatis, qua ego ante totidem annos non secus ac hodierna die labore Numinis parem me fuisse memini.

Digitized by Google

Pietatis ac temperantiæ studium nascensque ex his conscientiæ securitas, sunt certum ad hæc obtinenda præsidium. Sic dilapsis per aliam urbis plateam inter cætera ad ecclesiam cultissimam Dominicanæ familiæ dux fuit, quem pro monstranda via habuimus comitem. Cœna deinde somno præmissa sequentis diei iter hora sexta ingredi statuimus.

92. Sed famuli mei astu ad meridiem usque sumus retardati. Querebatur is de equi mei nimia lassitudine, eo utique die aut perdendum, aut saltem reliquos non assecuturum, nisi parte oneris subtracta juvaretur; id autem commode eventurum, si alio conducto meus sessore vacuus sequeretur. Verum an sibi suæque lassitudini, an equo consultum voluerit, non obscure patebat, dum alio mihi adducto ipse in meum sese conjecit, eques futurus Basileam usque, nisi alia importunitas impedivisset. Nam conductitius iste Bucephalus quinquaginta circiter passus extra Vesontionem commode currebat, inde autem paulatim lente, postmodum pigre, denique ne sic quidem gradiebatur. Ingerebam verbera, fodiebam haud segniter calcaribus; at canebam surdo fabulam; citius, credo, Trojanum illum movissent hi tales ictus, quam cui ego insidebam stupidissimum animal. Premebat vestigia pertinaci immobilitate, excipiebatque calcarium aculeos, ut arbitror, non, pro currendi, sed standi signo. Jamque comites uno alterove lapide præcesserant, cum ad fontem aliquandiu hærentes non sine tædio assecutus equum soluto pretio cum duce ad urbem remisi. Et meus quidem hoc quasi honori ducens me impigre deinceps Maristellam usque deportavit, famuli quoque pedibus pari ratione lassitudinem non sentientibus.

93. Strenue igitur viam prosecuti per oppidum Boummee ad urbeculam Claramvallem pervenimus. Ibi nocte commode transacta summo nos diluculo in iter accinximus, ante prandium, quod in pago Ottinkurt accepimus, immodico æstu; a meridie pluviis vexati, tandem in Alsatiæ finitima villa Curte levante hospitium invenimus ac pauperem cœnam, sed lectos multo magis miseros; corruptum enim putredine stramen ingrato odore etiam posteram diem afflabat, vestibus eum nidorem recipientibus, donec pluviis detergeretur. Ex hoc pago nos cum sole levantes plurimum molestiæ ad prandium usque devoravimus: quippe impedita frequenti silice via jubebat sessorem in humum esse intentum, ne equus male duceretur; sibique a timendo semper lapsu moderatione freni cavere; cum interea oculorum usum auferrent gravati imbribus rami arborum, qui admodum infesti, nunc pileis implicabantur, nunc duplicatas immittebant pluvias, nunc subitum in frontem impetum facientes tam sessorem quam equum fatigabant. Denique in pago Wolkenspurg prandio refecti, ac quatuor post horas urbem Basileam prætervecti, ad monasterium montis Olivarum divertimus.

94. Sacra Pentecostes festivitas in diem 29 Maii inciderat; quæ ut debita pietate a nobis perageretur, subsistere, et in noto ordinis patriæque monasterio respirare decrevimus. Nec occasio deerat; nam antistitis ornatu (mitram intellige, et cætera ejusmodi insignia) decorus Rev^mus D. vicarius generalis, inter solemnes ministrorum cæremonias sacrum celebravit; et sacratæ Deo illæ virgines lautis deinde nos epulis excepere. Sequens dies etsi continuis pluviis maderet, me tamen non detinuit, quin Basileam remearem: ubi cum me dominus Jacobus Wolleb morari cognovit, misso celeriter familiari, simulque invitatis honoris gratia rectore universitatis magnifico juris doctore, aliisque viris eruditione clarissimis, eleganter instructo convivio dignanter adhibuit. Quibuscum toto pene die inter familiaria moratus colloquia paulo ante noctem ad montem Oliveti redivi.

95. Tertio tandem die cœlo rursum in serenitatem composito dictis bene mane sacris Sanctum Urbanum petiturus cum suo comitatu Rev^mus D. vicarius generalis, ego vero Maristellam (utrique decem horarum iter restabat) rationes expensarum duximus. Quibus persolutis Rev^mo domino vicario generali infinitas dixi gratias pro sua mecum habita patientia, pro singulari, et qua me utique non dignum judicaverim, familiaritate ac demissione; pro summa denique charitate ac sollicitudine, quam mihi per totum iter impendit. Promisique, me quandiu Numen immortale mihi vitam indulgeat, nulla unquam oblivione tanta beneficia deleturum; quin imo eorumdem memoriam, si, quod summis in votis haberem, liceat, etiam ultra vitæ terminos propagaturum: precibus interea meis suppleturum defectum virium longe imparium ad tam liberalem benevolentiam aliquatenus compensandam; saltem interea effecturum, ut intelligat, quam promptum gratitudinis, et in ipsum devotionis affectum geram. Cæteris deinde viæ sociis debitas quoque grates referens ad pagum Frik perrexi, ibique sumpto prandio per aspera et plana viarum superato inter non nulla sane per montem Bozberg dictum, pericula Maristellam denuo aspexi, a qua diebus 37 abfueram.

96. Sera licet vespera Maristellæ nostræ limina attingentem, copiosa tamen salutantium corona mox undique ambiebat. Hi de comitiorum generalium frequentia et successu; hi de consultorum statutorumque novitate percunctari; alii feliciterne iter peregerim, et quid novi ex peregrinis illis gentibus et longinquis oris afferrem, indagare. Neque me jucunda disserendi defecit materia, quam tam curiose collegeram; sed sensim narrandi tædium subrepsit, dum eamdem toties cramben recoquere cogebar. Turmatim enim jam ternis, jam quaternis mistim his Dolam aut Divionem, aliis Cistercium et Claramvallem depingebam; hos in hospitio laute, hos misere habebam; qui deinde cum sua quisque nova ad alterum perfunctoria, ut sit, narratione perferret, accendebatur ubique cupido singula distincte cognoscendi. Temporis itaque facturus lucrum, epistolam ad te, tam ex promisso quam amicitiæ jure debitam, tanto prolixius exarare constitui; ut quæ soli memoriæ impressa attuleram non omnino evanescerent, et pari omnes fide dicta acciperent. Brevi temporis intervallo finem epistola invenit; quam cum e doctioribus unus alterve evolvissent, frequentibus me stimulis urgebant, ut publici juris præli beneficio facerem. Cumque nihil admodum occurreret, quo minus horum voluntati obsecundarem, quin iidem quoque mihi non obscure demonstrarent, in maximum Maristellæ nostræ, imo totius sacri ordinis honorem cessurum, si ad alios pulcherrimarum rerum descriptio perveniret; post obtentam a Rev^mo domino abbate nostro facultatem bonæ fortunæ eamdem credidi; observaturus a longe plausumne, an sannas colligat; illum ad Rev^mi domini patroni beneficia, cujus utique honori dabitur, relaturus has non admiraturus inter hujus sæculi licentiam, ubique carpentis laudanda, et deprimenda extollentis.

97. Et hæc quidem itineris mei meta etiam scribendi foret, nisi octiduo post perpetuus viæ comes me per Liebenfelsanum castrum ad cœnobium Salemitanum duxisset. Operæ igitur fore pretium existimavi pauca, quasi per appendicem, de illo subjungere. Regium illud et inter ordinis præclarissima monasteria numerandum, non solum cum primariis illis, hic a me descriptis comparari, sed præferri etiam in quibusdam potest. Si ecclesiam nimirum majorem, politissima concameratione excelsam; elegantissimum deinde ambitus (quem picturæ artificiosissimæ mire exornant) Bibliothecæ instructissimæ, subjectique huic sacelli fornicem cum aliorum locorum ædificiis conferas, illa plane longe infra Salemium pones. Reliquas vero structuras, præser-

Digitized by Google

tim dormitorium, musæum, refectorium, et officialium habitationes cum perspicua circumquaque amplitudo, tum commoditas singulariter commendat. Cellæ vinariæ itidem concameratæ grandibus doliis implentur. Modicus denique amnis per occultos canales tum ad delicias, tum officinarum usus monasterium omne percurrit.

98. Sed ante omnia templum majus auro obducta altaria, penicilloque nobilia sine numero multa ostentat; nullus certe angulus a peculiari aliquo decore vacat. Altare summum nescio an alibi splendeat majestate majore. Intra lateralium altarium pegmata insertæ sunt antiquissimæ picturæ, quæ fateri me cogunt, nec vidisse me nec visurum artificia propiore similitudine accedentia ad veritatem naturæ; adeo diligenter, et exquisita sedulitate parvulæ icones, sua quæque ora, vestes et artus fingunt, ut absque fabula vel joco affirmem, ne Apellem addere aliquid potuisse. Extra fornicem, qui sacram supellectilem complectitur, statua Virginis Matris columnæ cuidam adhæret, prodigiis clara; quam postremo bello Suecico veris manasse lacrymis, fide dignissimi testes comprobarunt. Triduum nuper in hoc cœnobio transegi, tam benigne liberaliterque habitus, ut et Rev^mi domini abbatis, et DD. officialium humanitatem non extollere satis pro merito queam.

99. Discessurus, jam pene in limine constitutus R. P. Magnum Herbet, monasterii superiorem Bursarium ac secretarium percontor, quonam anno fundatum et a quibus nobilibus dotatum sit Salemium; tum ille me ad majorem Ecclesiæ januam perductum legere jussit, quæ in grandi tabula ibidem suspensa describuntur. Et ea iisdem hic verbis proponere volui; sic autem habent: *Monasterium Salemitanum Deo Deiparæque fundat, et dedicat Guntramus Liber baro de Adelsreiten anno* 1137. *sub Innocentio II. P. M. imperatore Lothario II. Constantiensi episcopo Udalrico II. Fundatum, imperialis tutelæ et exemptionis gratia confirmat Conradus III. imperator, Francorum et Suecorum dux. Denique anno* 1202. *Eberhardus episcopus Salisburgensis ex nobili familia Truchsen exstincta stirpe baronum de Adelsreitin Guntrami vicem et munus exprimens Salemium magnis beneficiis cumulat, vere alter fundator.*

100. Atque ita abunde, ut opinor, meam liberavi fidem. Tu pro more tuo, et in me amore æqui bonique meos conatus consule. Si te forte in acerbitatem aliquam aut tenebras styli incidere putabis; festinationi tribue, et absoluto citius quam intra mensem labori. Grates interea maximo Numini; magnæ Matri Virgini; mellifluo ejusdem filio Bernardo, virgineoque sponso Josepho mecum persolve, quorum patrocinio veluti itineris mei cursum studiose commendaveram; ita salvus et incolumis peculiari profecto felicitate expedivi; ac precare; ut longum illud ad æternitatem iter suo quoque præsidio nobis communire, et ad illam, cui nati sumus, patriam conducere secure dignentur. Vale.

DESCRIPTION DES TOMBEAUX

ET SÉPULTURES

QUI EXISTAIENT AUTREFOIS DANS L'ABBAYE DE CITEAUX.

(*Voyage littér. de deux Bénéd.* Paris, 1717, in-4,, pag. 198. — *Mém. de l'Acad. des Inscript. et Belles-Lettres*, t. IX, Paris, 1736, p. 193, — Ms. 357 de la biblioth. publ. de Dijon.)

Dom Martène et Dom Durand ont donné dans leur *Voyage Littéraire* une description des tombeaux de l'Abbaye de Cîteaux. Les *Mémoires de l'Académie des Inscriptions* en renferment une autre, rédigée par Moreau de Mautour, d'après ses propres observations (98-99), et les mémoires que lui avaient fournis Dom Gaudelet, Prieur de Valette, sur la Dordogne, religieux de Cîteaux, et Dom Cotheret, Docteur en Sorbonne, savant bibliothécaire de l'Abbaye (100).

Le premier tombeau que l'on voyait à l'entrée de l'église de l'Abbaye de Cîteaux, dans une chapelle fermée, sous le portail à main droite, et que l'on appellait la *Chapelle des Ducs*, était pratiqué dans l'épaisseur du mur; il était élevé à la hauteur de quatre pieds sous une arcade de pierre, et l'épitaphe gravée sur la frise de la tombe ne contenait presque que les noms des trois premiers ducs de Bourgogne qui y étaient inhumés. Elle se lisait ainsi :

HIC JACENT *tres illustrissimi* BURGUNDIÆ DUCES.
ODO *fundator hujus monasterii, qui obiit anno* 1102. HUGO *filius ejus, qui obiit anno* 1142.
ODO *filius dicti Hugonis, qui obiit anno* 1162.

ANIMÆ EORUM REQUIESCANT IN PACE. AMEN.

Il y a apparence que cette inscription n'avait été mise que longtemps après la mort de ces trois princes. Le lieu de ce tombeau, où il y avait une chapelle et un autel, avait été renfermé dans le parvis de l'église par Nicolas Boucherat, premier du nom, Abbé de Cîteaux, qui avait fait élever le mur de séparation en 1584.

Sous le même portail de l'église, on voyait à main gauche, en entrant, un tombeau élevé de terre d'environ cinq pieds, avec cette épitaphe gravée sur la frise de la tombe :

(98-99) M. de Mautour passait les vacances, pendant sa jeunesse, dans un ancien domaine de famille, à Brazey en Plaine (Côte-d'Or). Il visitait souvent l'Abbaye de Cîteaux, qui n'était éloignée de Brazey que de deux lieues. Depuis lors il y était retourné trois fois : son dernier voyage eut lieu en 1721.

(100) Le ms. 357 de la bibliothèque publique de Dijon renferme les remarques de Dom Cotheret, et la première rédaction de M. de Mautour.

Digitized by Google

HIC JACET SERENISSIMUS DUX BURGUNDIAE HUGO III. *filius* ODONIS II. *qui gloriosa morte occubuit in expeditione Orientali contra infideles anno* 1192. *Fundaverat sacram Divionensem Capellam anno* 1172.

VIVAT IN COELIS PERENNITER. AMEN.

Sans sortir du parvis de l'église, on voyait un autre tombeau encore à main gauche, élevé de terre d'environ cinq pieds, sous une arcade de pierre pratiquée dans l'épaisseur du mur. C'était la sépulture de quatre seigneurs de Vergy, dont l'écusson était peint contre le mur sous l'arcade, et d'une dame de Vergy, que l'on croyait être Elisabeth, dame de Vergy, mariée à Hugues de Mont-Saint-Jean. Dans ce même tombeau étaient deux seigneurs de Mont-Saint-Jean, dont l'épitaphe faisait mention.

HIC JACENT *quatuor illustres Domini et una Domina de Vergiaco. Atque duo Dynastæ de Monte Sancti Joannis. In pace quiescant. Amen.*

Ego Bernardus DI gra clarevallensis abbas vocatus | omibus sce ecclē filiis ppetuā in Dno ihu XPO | salutē. Notum esse volumꝰ tā futuris q̄ psentibus, dissensionē intʼ | abbatē ninivensem et iettensem pro | ecclā de lidekerke tali mᵒ in psentia nra corā | religiosis personis detmīnatā. Consēssit abbas iettensis | suscipe in partē suā altare et ecclām de leuues cū omibus apptinentiis suis. videlicet in trīs. in | decimis. censu edificiis. mancipiis utriusq; sexus vlʼ | si qua sī alia. et sicut tenera dividit parrochiā | de lewe et eā de lidekerke. pter decimā unā I | parrochia de erēbaldengē ptinentē ad ecclām | de leuues. quā abbas iettensis possidebit cū cetīs rebꝰ ejusdē ecclē. abbē ninivense reliq̄ omia ad ecclām | de lidekerke ptinentia optinente et ut hec cōpositio | hortatu nrō et csilio facta. in ppetuū pmaneat rata. cartā hanc fieri iussimꝰ sigilliq; | nrī impssione signavimꝰ. subnotatis idoneis testibꝰ qⁱ | intʼfuerunt csentientibꝰ etiam frībʼ; et invicē | exfestucantibꝰ utⁱusq; ecclē. scilicet iettensis et | ninivensis S D Petⁱ abbīs affligensis ecclē. S. Rotberti | abbatis de Dunis. S. Balduini abbīs de Castellione. | S. Gozuini abbīs de Truncinis. S. Euerardi mᵒ. Gerardi | mᵒ. Geraldi mᵒ Gualfridi mᵒ.

Desumptum ex originali Ninivensi, nunc Gandavensi, die 28 *octob.* 1848. *Pendet adhuc sigillum integrum.*

CYROGRAPHVM TESTIMONIVM



† IN NOMINE ⁝ SCE ⁝ E ⁝ INDIVIDVE ⁝ TRINITATIS ⁝

Ergo Bernardus, Dei gratia, Clarevallensis abbas vocatus, omnibus sanctæ ecclesiæ filiis perpetuam in Domino Jhesu Christo salutem. Notum esse volumus tam futuris quam præsentibus dissensionem inter abbatem Iettensem et Ninivensem pro ecclesia de Lidekerke tali modo in præsentia nostra coram religiosis personis determinatam. Consensit abbas Iettensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de Lewe cum omnibus appertinentiis suis. videlicet in terris, in decimis, censu, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, vel si qua sunt alia. et sicut Tenera dividit parrochiam de Lewe et eam de Lidekerke præter decimam unam in parrochia de Erenbaldengem pertinentem ad ecclesiam de Leuues : quam abbas Iettensis possidebit cum cæteris rebus ejusdem ecclesiæ ; abbate Ninivense reliqua omnia ad ecclesiam de Liderkerke pertinentia optinente. Et ut hæc compositio, consilio et hortatu nostro facta, in perpetuum permaneat rata, cartam hanc fieri jussimus, sigillique nostri impressione signavimus, subnotatis idoneis testibus qui interfuerunt ; consentientibus etiam fratribus et invicem exfestucantibus utriusque ecclesiæ, scilicet Jettensis et Ninivensis. Signum Domini Petri abbatis Affligensis ecclesiæ. Signum Roberti abbatis de Dunis. Signum Balduini abbatis de Castellione. Signum Gosuini abbatis de Truncinis. Signum Everardi monachi. Geraldi monachi. Gualfridi monachi.

Desumptum ex originali Jettensi seu Diligemensi, die 30 *octobris* 1772; *ubi totum sigillumerat abrasum, restante tantum pergameni integra forma cui circumfusa fuerat cera. Ita Beda in* Haffligh. Illust. *t. I, pag.* 389.

(1) Huc usque abbas iste ubivis nominatur *Leontius* vel *Leontinus* : unde suspicor hic loci lapsum notarium, ni forsan *lemnothus* sit nomen Flandricum, in *Leontium*, more doctorum, parce, latinitatis gratia, detortum.

(2) *Regiatr. rubr.* S. Martini f. cii, biblioth. Yprens.

Digitized by Google

XII.

Quum igitur, anno 1146, S. Bernardus Affligemense cœnobium inviseret, cunctaque mirabundus inspiceret, ac divina monasticaque cum Dei famulis seu angelis officia frequentaret, occurrit ille, in ambitu, ad ostium dormitorii et prope portam ecclesiæ, statuam B. M. Virginis, quæ solebat a quolibet monacho mane dormitorium intrante ter angelice salutari... Quum S. Bernardus venerandam Deiparæ Virginis statuam salutasset, dicendo: *Ave, Maria:* ipsa respondit imago: *Ave, Bernarde;* sub Godescalco hujus loci abbate (1); deinde ad nostros duos habuit sermones vir sanctus, quibus desiderabat ut Affligemenses nigrorum monachorum habitus ad sui normam instituti vlverent, pristino S. Benedicti nigri scapulari retento: ad quod inducere Gothescalcum aut monachos non potuit. In affectus porro sui ad eosdem religiosos arrham, baculi pastoralis ibidem reliquit. Hinc vero Gemblacum discedens, ejus loci monachis casulas legavit, præclarum quocumque veniret de utroque cœnobio dans testimonium.—*Chronico Afflighem. ms. auctore Phalesio.*

XIII.

In Belgio, commemoratio Beatæ Virginis Mariæ quando per os imaginis Affligemensis, præsente monachorum cœtu et copiosa multitudine, sanctum Patrem Bernardum salutavit, clara voce dicens: *Salve, Bernarde!* Quæ imago in tanti miraculi testimonium magno servatur honore.

Ex martyrologio Villariensi XV *kalendas novembris.*

[Ex codice chartaceo in novo Bollandianorum musæo nunc asservato, recenti quidem manu et auctore, sed ex vetustis traditionibus descripto. Cf. *Menolog. Cisterciense*, ad hunc diem p. 354.]

XIV.

Quum aliquando S. Bernardus causa prædicationis Brabantiam intrasset, ut fructum aliquem in ea acquireret, sicut et in cæteris gentibus, cœnobium Haffligemense adiit, suos sermones ibidem faciens: in cujus memoriam baculum, in quo consueverat sustentare imbecilles artus, Haffligemenses conservare feruntur. Sed cum eos ordini Cisterciensi adunare voluisset, nec valuisset, cœnobium Gemblacense intravit, et caritative in eo susceptus, casulam suam, quæ adhuc ibi est, in eo dimisit.

Ex chronico Villariensi. Marten. *Thesaur. anecd.* t. III, col. 1269.

XV. — 1146.

Bernardus: «Maria, ait, *mea, Ave!*» tu, Virgo beata; «Et tibi: *Ave, Bernarde!* ego imago redico volenter.» Sub Godescalco abbate loci dictum ita refertur:

Inde duos habuit sermones hic bona nardus
Bernardus, quibus voluitque habitusque nivere
Nostratum. Haud voluit Godescalcus, vel monachorum
Quis. Gemblacum adiit, baculi huic ex parte relicta
Testis; Gemblaci casula est Bernardi relicta.
Afflighem (poterit Gemblaci) aut quis monachorum
Nigrorum sineret habitum compellere numquam?
Dixisti, Bernarde Pater, quocumque venires:
« Angelus Afflingus monachus est, terreus alter
Cœnobicus. » certa laus est hinc magna Brabantis.

Amerius in *Præmissis Chronico.*

XVI. — 1153.

De B. V. Waveriensi.

... Abbas etiam Afflighemensis et fratres ejus pedites usque ad ipsum oppidum (Bruxellas) convenerunt, ubi albis vestiti et cappis induti processionem multitudine monachorum composite et honeste ordinaverunt. Et sic cantando, Deum et ejus Matrem collaudando, cum magna gloria et applausu totius populi, qui ea die dicuntur fere ad triginta millia convenisse in ecclesiam S. Nicolai. Attestati sunt fideles numquam se aliquo conventu qui factus sit aliquando, sive imperatoris, sive jussu Romani Pontificis, tam honestam et tam bene ordinatam processionem vidisse. Quoddam insuper beneficium quod non est silentio prætereundum, immo super cætera commendandum, ipsa gloriosa Domina contulit, toto illo tempore, fidelibus suis, per quod bella multa, quæ jam, instigante maligno, concitata fuerant, et seditiones consopitæ quieverunt. Dum enim ex diversis partibus multi convenissent, de quibus auditum est quod inimici essent ad invicem, statim sine ulla exactione pecuniæ vel qualibet satisfactione quæ inter sæculares in hujusmodi negotiis solet fieri, solo Dei timore et amore piissimæ matris correpti interventu fidelium in pace reconciliati sunt.

Ex auctario Sigeberti Affligemiano, inter Henam. Germ. hist., t. VI Scriptor. p. 401.

XVII. — 1160.

Ad B. V. Mariam flosculi decerpti e Commendatorio Nicolai Mys conversi Afflighemiani.

Ut rosa, flos florum: sic est domus illa domorum;
Cujus odor morum thyma spargit ubique bonorum.
Hic monachi, quorum devotio sancta Polorum
Mulcet laude chorum, Deus est adjutor eorum
Quilibet hic sobrie, fugiens consortia Liæ,
Ut sibi sit proprie socius cupit esse Mariæ...
O gens egregia, summa repleta Sophia,
Per mundi maria quam protegit alma Maria,
Mundo stella maris, Hafflingus jure vocaris,
Expers sola paris, gaudens, quanto cruciaris!

XVIII. — Sæc. XIII et XIV.

Obtinuit mos monachorum Haffligheniensium longus usque ad adventum Edmondensium reformatorum, mane numquam intrare a dormitorio in ecclesiam, nisi ter eamdem (B. Mariæ V.) imaginem angelice salutarent: qui negligentior erat in hoc. Prioris correptionem acrem satis in capitulo subibat.

Amerius in *Chron. ms.*

XIX. — Sæc. XV.

Circa a. 1460, Goswinus, XXIII abbas,... ut opus quod incœperant duo prædecessores in ædificandis novis ambitibus claustri promoveret,... adjecit ipse tertiam partem, quæ constituit ambitum Divæ Virginis, ubi etiam construxit lapidea sedilia pro *mandato pauperum*.

Beda, *Haffig. illustr. ms.*

XX. — *Ann.* 1525-1559.

Johannes, cognomento *Solebrecq*,... pietate et observantia cæteris præluxit, sed vel maxime devotione in B. V. Mariam, qui et tota vita sua vere *Marianus* fuit: ut autem morem antiquorum, qui solebant statuam ejusdem Virginis in ambitu expositam, ante ingressum chori ad matutinum tribus salutationibus honorare et invocare, imitari posset, quod suo tempore difficilius fiebat, eo quod Egmondenses viam ad ecclesiam abbreviassent, ita ut per prædictum statuæ ambitum amplius transire non oporteret, ipse præveniebat tempus officii et implebat desiderium suum.

Beda, *ibid.* t. VI, p. 1010.

XXI. — *Ann.* 1578.

Dum irruptio fiebat in monasterium, frater Henricus De Corte, custos, cucurrit primum ad ecclesiam, et quædam pretiosiora abscondit, et fugiens abstulit secum *pedum S. Bernardi* et conservavit illum.

Ib., p. 1152.

(1) Imo sub Petro abbate: errasse quippe Phalesium, et post eum plures, ex allata modo charta liquet

Digitized by Google

XXII. — A. 1580.

Degente conventu nostro Alosti a præcedente martio, quando Teneramunda expulsi sumus, abbate vero quaquaversum majora operante, facta est in hieme nova desolatio, quæ pressit animos omnium nostrum : impie enim de loco suo deturbata et confracta fuit veneranda statua gloriosissimæ Virginis deiparæ MARIÆ, quæ D. Bernardum se salutantem miraculose resalutavit : scelus hoc perpetrante quodam famulo hic relicto, hæresis, ut verisimile est, lue infecto. Quæ retulit nobis R. D. Godefridus Pontanus, congregationis nostræ senior ac quondam prior in Wavria.

Phalesius, *apud Bedam ad hunc annum.*

XXIII. — A. 1605.

Vix novellus grex gustaverat pascua matris, quin zelosissimus prior Cobbartius, admovens manum operi, cœpit æstuari ad reparationem totius Domi, comeditque eum ante omnia zelus Domus Dei, zelatusque est honorem B. V. MARIÆ... Dictæ partes adhuc jacebant penes locum : quas R. P. Judocus Cobbart Mechliniam misit... ex quibus duæ principales statuæ æqualis formæ, ejusdem magnitudinis exsculptæ, quarum unam per R. D. Wiringum obtinuerunt religiosi Soc. Jesu et in collegio suo Bruxellensi exposuerunt. Altera autem, quæ nobis remansit, habens puerum Jesum in brachio sinistro, dextra autem racemum ostentans, imago, primo ubi loquuta est loco, constituitur, ibidem aliquorum annorum decursu permanens, donec

XXIV. — A. 1621.

R. D. Benedictus *Haeften*, primus post monasterii restaurationem (namque ipsius præcessores aliunde translati) de congregationis nostræ gremio præpositus, illam ob prægnantes rationes, in alam templi, ad septentrionem (quæ tum temporis nobis deserviebat pro choro), transtulit, quo et externis et maxime devoto femineo sexui (qui claustri ambitu arcebatur) piæ venerationis jam daretur accessus ; unde domesticorum et præcipue vicinorum devotio ad D. Virginem non parum aucta esse dignoscitur. Ad quam proinde fovendam et in dies magis promovendam, supradictus præpositus construi jussit tabernaculum artificiose elaboratum et deauratum : atque in tabella fronti ipsius imminente, litteris argenteis, insculpi miraculum brevi carmine a se dictato comprehensum in hunc modum:

Virginis Matris statua hæc MARIÆ
Voce Bernardo retulit salutem :
Hanc quoque æternæ cupidus salutis,
Sæpe saluta.

In primo loco, ubi ejusdem statuæ basis ipsa modo visitur, eminens ex pariete antiquioris ecclesiæ, constituta est alia divæ Virginis imago, cum hac subscriptione a centum abhinc annis :

Virginis hancce piæ statuam venerare MARIÆ,
Præteriensque cave ne taceatur ave.

Phalesius, *passim apud Bedam.*

XXV. — A. 1627.

Initum est concordatum inter trium monasteriorum per Belgium reformatorum Prælatos, pro facienda aliqua unione capitulari, sub titulo *congregationis Beatæ* MARIÆ *Virginis in templo præsentatæ.* Beda, *Haffligh. illust, ad h. ann.*

XXVI. — 1647.

Indulgences accordées par Jacques de Boonen, archevêque de Malines.

Nous *Jacques*, par la grâce de Dieu et du Saint-Siége de Rome, archevêque de Malines, à tous ceux qui verront les présentes, salut.

Pour exciter dans les cœurs des fidèles la dévotion envers la très-sainte Mère et Vierge MARIE ; pour augmenter autant qu'il est en nous l'hommage et la vénération que l'on témoigne chaque jour à son image miraculeuse par laquelle elle a daigné répondre au salut que lui fit son serviteur et ami particulier saint Bernard dans l'abbaye d'Afflighem, où jusqu'à ce jour on la conserve avec grand respect, nous accordons les indulgences suivantes, aux jours ci-après mentionnés, à tous les fidèles qui salueront cinq fois dévotement, par la Salutation angélique, la susdite image de la très-sainte Vierge MARIE, afin que par son aide la sainte Eglise notre Mère soit exaltée, et les hérésies extirpées, que par sa médiation les princes catholiques soient unis, et que nous obtenions par son intercession une paix universelle.

1° A chaque fête de la très-sainte Vierge que l'on célèbre dans l'Eglise et durant les octaves, en récitant les prières susdites, 40 jours d'indulgence ;

2° A chaque samedi de l'année, 30 jours ;

3° A chaque jour de la semaine, 20 jours

En témoignage de foi, les présentes ont été signées de notre main et munies de notre sceau. A Bruxelles, le 20 mai 1647. *Manu propria :* JACOB, aertsbischop van Mechelen. (Pour traduction fidèle de l'original flamand. A. R. *moine d'Afflighem.*)

XXVII. — 1657.

Ad B. V. MARIAM *Epicinium, jubilante Domno Odone Cambier.*

O Decus cœli, radiata virgo,
Aurei flammis redimita solis,
Pulchrior stellis, velut inter ignes
Luna minores!

Millies salve! totiesque salve!
Quot tibi dotes, bona liberali
Quot fluunt cœlo, pelagus quot altum
Volvit arenas.

Nulla virtutum regio tuarum
Nesciens vivit : mare gratiarum,
Thaumatum summum, populis MARIA
Thauma vocaris :

Sive *Laureti* modo visis ædem
Quam Palæstinis chorus angelorum,
Neu prophanares, Saracene, Sanctum
Transtulit oris ;

Sive *Serrati* juga sacra montis,
Sive Gallorum placeat *Lyessa ;*
Sive Belgarum petit *Apricollem ;* aut
Incolis *Hallas ;*

Multa fumantes tibi plebs ad aras
Diva procumbit tibi ; vota, honores
Solvit, et certam recipit petitque
Turba salutem.

Qualis auroram, redeunte vere,
Alitum stipat populus, favosque
Rolris alambens, roseam salutat
Sæpe parentem ;

Qualis astrorum fuit orbe nato
Plausus Auctori, ut micuere primum,
Et Deo laudem dedit angelorum
Exercitus omnis ;

Nec locis tantum celebraris illis,
Sed quibus mundi dominatur oris
Filius, matri statuere gentes
Templa vel aras.

Quis Brabantorum regione sola,
Virgo, sacratas tibi dicat ædes?
Quis canat ceras, titulos, trophæa,
Signa, coronas?

Nec tuum Belgas latet *Afflighemum,*
Hic ubi plures celebris per annos
Constituit virgo tibi dedicatam
Cultus ad aram :

Digitized by Google

Angeli verbis ubi te salutans
Valle de Clara venerandus abbas
Ex tuo gratam retulit salutem
Ore, MARIA!

Hic tibi votis genibusque supplex
Sternitur vulgus, monachi beatam
Ambiunt Matrem, variasque promunt
Carmine laudes.

Eia! formosi genitrix amoris!
O spei Mater! Decus o Sionis
O Dei præsens domus! o reposti
Fœderis arca!

Redde placatum populis puellum,
Qui tuis pendet benedictus ulnis;
Quem manu gestas, manibus remulce
Diva tonantem.

Hic, Ave, dicent quoties, MARIA!
Supplices audi, meliore mentes
Erudi voto, refer et perennis
Dona salutis.

XXVIII. — *A.* 1745.

Benedicti PP. XIV breve gratiosum.

BENEDICTUS PP. XIV AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi ejusque sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adjutæ ex purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur ecclesiam Abbatiæ sub invocatione SS. Petri et Pauli apostolorum de Afflighem, Mechliniensis seu alterius civitatis vel Diœcesis, ordinis S. Benedicti, in qua aliud altare privilegiatum perpetuum vel ad tempus non reperitur concessum, et quatenus reperiatur, per præsentes auctoritate apostolica revocamus; et in ea situm altare B. MARIÆ Virginis, *quæ, ut traditur, Sancto Bernardo loquuta est*, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; supplicationibus filii nostri Philippi Thomæ S. R. E. presbyteri cardinalis de Alsatia, metropolitanæ ecclesiæ Mechliniensis ex concessione et dispensatione apostolica Præsulis nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: ut quandocunque sacerdos aliquis secularis vel cujusvis ordinis regularis sacrosanctum Missæ sacrificium pro anima cujusque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad hujusmodi altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem Domini nostri J. C. ac Beatæ M. Virginis, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii pœnis liberetur, concedimus et indulgemus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; præsentibus, perpetuis futuris temporibus, valituris. — Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die XI jul. 1745, pontific. nostri a° v°.

Infra habebatur: Pro Domino Passioneo, Johannes Hovius substitutus. — *Et a latere:* Publicetur.

Datum Mechliniæ die 22 sept. 1745. *Subscriptum erat.* Tho. card. archiepiscopus Mechliniensis. *Ad calcem.* De mandato Eminentiæ suæ M. Holvoet. Secret.

Ex originali authentico Afflighemensi.

XXIX. — *A.* 1802.

R. D. Beda Regans, ultimus præpositus, titulo ultimo Mariana monumenta renovat atque confirmat.

Quantum ad imagines Divæ Virginis MARIÆ Haflighemenses (*sic*), sciendum est, quod ex traditione teneamus, quod, cum S. Bernardus apud nos esset anno 1147 ante quadragesimam (1) sub abbate nostro, non Godescalco, ut quædam historiæ habent, sed abbate Petro, et diremisset litem inter Ninovienses et Dilegemenses, cujus litteris subscripsit dictus Petrus, ipse, cum conventu nostro, dicens: AVE MARIA, audiverit resalutantem statuam: SALVE BERNARDE. Hæc imago erat in ambitu super suam basim, et anno 1580 in hyeme a basi sua dejecta fuit ab iconoclastis in duas partes, præter duo capita, quæ nunquam potuerunt inveniri.

Anno 1606, dictæ partes missæ sunt Mechliniam, et inde factæ sunt duæ novæ imagines; sedulamque curam nostri injunxerunt, ut non tantum fragmenta notabilia, quæ inter sculpendum deciderent, sed etiam minimæ arenæ dictarum partium conservarentur.

Contingit ergo, quod cum nostri religiosi fundunt parvas imagines, singulis earum immisceant et infundant ex dictis pulveribus; de quibus imaginibus constant quædam miracula. Et tales sunt quæ adhuc hodiedum deferuntur, ac piis fidelibus distribuuntur.

Quod attestor: BEDA præpositus Haflighem 1802.

Provria testis manu transumptum.

XXX.

Epimetrum ad honorem B. M. Virginis et B. Bernardi sui devoti capellani, qui infra octavam Assumptionis B. M. assumptus fuit ex hoc mundo, positus est hymnus iste:

Jam regina discubuit,
Sedens post unigenitum.
Nardus odorem protulit,
Bernardus trahens spiritum.

Dulcis reginæ gustui
Fructus sui suavitas
Dulcis ejus olfactui
Nardi Bernardi sanctitas.

Cum esset in accubitu,
Fructus saporis intulit.
Cum esset in occubitu,
Nardus odorem obtulit.

Ille dulcis accubitus,
Propter saporem gloriæ,
Iste dulcis occubitus,
Propter odorem gratiæ.

Venit sponsa de Libano,
Coronanda divinitus;
Ut Bernardus de clibano
Veniret Sancti Spiritus.

Quæ est ista progrediens
Sicut aurora rutilans?
Quis est iste transiliens
Colles, sanctis conjubilans?

Hæc gloria terribilis,
Ut castrorum acies.
Hæc gloria mirabilis,
Ut Assueri facies.

Ora pro nobis Dominum,
Prædulcis fumi virgula,
Inclina patrem luminum,
Pastor, ardens ut facula.

(*Ex cod. Bibl. publ. Leod.* 112.)

D.

(1) Duplici ex parte in utraque temporis nota falsum fuisse doctissimum Præpositum eo magis mirandum, quod in monumentorum huc usque ex ipso allatorum recensione et explicatione nemo propius rem acu tetigit, adeo ut ab ipso, perinde ac supra satis ostendimus, vera temporum ratio instituatur.

Digitized by Google

ÉTUDES
SUR L'HISTOIRE DU XIII^e SIÈCLE.

RECHERCHES

SUR LA PART QUE L'ORDRE DE CITEAUX ET LE COMTE DE FLANDRE PRIRENT A LA LUTTE DE BONIFACE VIII ET DE PHILIPPE LE BEL;

PAR

M. KERVYN DE LETTENHOVE.

(*Présenté à l'Académie royale de Bruxelles le 4 avril* 1833. — *Extrait du tom.* XXVII *des Mémoires.*)

Poichè la carità del natio loco
Mi scrinse, raunai le fronde sparte.
(DANTE.)

Si le règne de Philippe le Bel occupe une place A part dans l'histoire de la France au moyen âge, c'est qu'à ce règne appartient la tentative à la fois la plus astucieuse et la plus hardie, pour s'affranchir de toutes les lois et de toutes les règles, soit qu'elles reposassent sur des liens sacrés, soit qu'elles dussent leur origine au droit traditionnel de la nation. En d'autres temps, la royauté avait noblement groupé autour d'elle tous les éléments de la vie politique, s'élevant et se fortifiant elle-même, en même temps qu'elle présidait à leur développement régulier et pacifique. Par une conduite toute différente, à la fin du XIII^e siècle, il semble qu'elle ne puisse être grande et forte qu'en s'isolant et en s'entourant de ruines. C'est ainsi que nous la verrons lutter contre la papauté pour ne reconnaître rien au-dessus d'elle, fût-ce un avertissement donné au nom de Dieu, puis combattre les grands vassaux, afin de ne plus trouver d'égaux à ses côtés, fût-elle restée seule pour défendre la France; et si elle protége le tiers état, c'est qu'elle ne craint point d'y chercher l'instrument de ses passions et de ses haines (1).

Gui de Dampierre, comte de Flandre, fut le représentant le plus éminent et le plus illustre de la résistance des grands vassaux. Celle de l'autorité religieuse fut revendiquée en France par l'ordre de Cîteaux; mais les phases diverses qu'elle traversa sont restées enveloppées de ténèbres profondes. Avant de citer comme objet principal de ces études, les nombreux documents inédits qui serviront à préciser les détails de cette double lutte, il faut s'arrêter un moment pour rappeler les relations qui, depuis longtemps unissaient la maison des comtes de Flandre, et la Flandre elle-même à l'ordre de Cîteaux.

Ces relations étaient placées dans tous les souvenirs sous le patronage du grand nom de saint Bernard. C'était saint Bernard qui était venu en Flandre choisir Robert de Bruges, comme le seul qui B fût digne de le remplacer lorsqu'il aurait terminé sa féconde carrière (2) : c'était saint Bernard qui avait proclamé qu'entre tous les grands vassaux le comte de Flandre était le soutien du royaume de France (3). Les Flamands avaient répondu à son appel, ceux-ci en se retirant dans le cloître qu'il avait fondé (4), ceux-là en mourant dans la croisade qu'il avait prêchée (5). Les princes eux-mêmes étaient entrés, sur les pas de l'abbé de Clairvaux, dans l'une ou l'autre de ces voies. Tandis que

(1) Sans aller chercher dans l'histoire de l'Angleterre des exemples trop connus de l'alliance des barons et des communes, il est permis d'affirmer que celle qui se forma contre les usurpations de Philippe le Bel reposait sur une pensée toute nationale, liée aux pieux souvenirs du règne de saint Louis, qui avait protégé « vaselaiges et bons usaiges (*Dit dou pape et dou roy*). » C'est ainsi qu'elle se retrouve pleine de force et de vie dans la chronique métrique de Godefroi de Paris, aussi bien que dans les Mémoires du sire de Joinville, qui disait, en racontant sous Philippe le Bel les vertus de son aïeul : « Grant déshonneur sera à ceux de son lignaige qui ne le vouldront ensuir. »

(2) Henriquez, *Fascic. SS. ord. Cisterc.*, p. 155.

(3) *Opera S. Bernardi*, I, p. 205.

(4) Gaufred. mon., *Vita S. Bernardi*, ap. Boll. *Acta SS. Aug.*, IV, p. 309.

(5) *Gesta Ludov.*, ap. Duchesne, p. 404.

Digitized by Google

Thierri d'Alsace prenait la croix, un de ses neveux, nommé Albéron, devenait religieux dans l'ordre de Cîteaux (1). Ce fut à l'abbaye de Clairvaux que furent ensevelis le comte Philippe, mort au siége de Ptolémaïde, et sa femme, l'altière Mathilde de Portugal, qui ne lui survécut que pour voir les malheurs de la Flandre (2). Dans des temps plus glorieux, Baudouin offrit à l'ordre de Cîteaux le gonfanon impérial conquis sous les murs de Constantinople. Sa fille, la comtesse Jeanne, éleva un monastère du même ordre pour obtenir du ciel la fin de son veuvage (3), et ce fut sous l'humble habit des vierges de Cîteaux qu'elle rendit le dernier soupir (4). Ses aumônes avaient été si abondantes que, pendant sa vie, on commençait les travaux de la moisson à l'abbaye de Clairvaux, par de solennelles prières pour elle (5) : son exemple fut imité par sa sœur Marguerite et par Gui de Dampierre, qui, prêt à partir pour Tunis, croyait ne pouvoir mieux appeler sur lui la protection du ciel (6).

Les grandes abbayes cisterciennes avaient rendu à la Flandre les bienfaits qu'elles tenaient de la générosité de ses princes. La laine de leurs troupeaux enrichissait le tisserand flamand (7), et en même temps elles imprimaient un rapide essor aux travaux de l'agriculture (8). C'était dans les dunes arides, dans les marais insalubres, comme l'indiquait le nom même de la plupart des monastères, qu'elles avaient fertilisé le sol et créé des sillons couverts de moissons. La science elle-même allait, sous la protection de l'ordre de Cîteaux, puiser aux sources fécondes de l'université de Paris (9), dans ce collége de Saint-Bernard, fondé par Etienne, abbé de Clairvaux, avec le concours de Marguerite de Constantinople (10), où la Flandre compta de célèbres docteurs qu'entouraient des disciples aussi zélés que nombreux. Avant tout, les moines de Cîteaux étaient frères du peuple par leur charité et leur dévouement (11). C'était à la porte de leurs monastères (12) que se pressaient les pèlerins, les orphelins et les pauvres, et lorsque la sentence d'interdit descendait d'Arras ou de Tournay sur les villes et les campagnes désolées, c'était aussi au pied de leurs autels que les populations, gardiennes fidèles de la liberté politique, venaient chercher les consolations de la liberté religieuse et se préparer au combat par la prière (13).

Au mois d'octobre 1285, date de l'avénement de Philippe le Bel, nous sommes encore loin du moment où le roi de France confisquera violemment le comté de Flandre, et conduira au bûcher de la porte Saint-Antoine les chevaliers du Temple, agrégés à l'ordre de Cîteaux ; mais déjà nous voyons poindre sur le trône cette insatiable avarice qui, selon le vers du poëte florentin, éteint dans le cœur de l'homme l'amour de tout bien (14).

Parmi les nombreux priviléges des monastères de l'ordre de Cîteaux, il en était plusieurs qui leur assuraient l'immunité des charges extraordinaires. Le Pape Innocent II les avait dispensés, à la prière de saint Etienne, troisième abbé de Cîteaux, du payement des dîmes ecclésiastiques (15), et ils avaient également obtenu la même exemption pour la dîme saladine. Leurs prières nous suffisent, disait Philippe-Auguste, prêt à s'embarquer pour la troisième croisade, puisqu'ils nous sont plus utiles par leurs

(1) *Chr. mon. de Dunis*, p. 7.

(2) Henriquez, *Fascic. SS. ord. Cist.*, p. 417; *Stat. ord. Cist. anno* 1192 ; Martene, *Thes. anecd.*, IV, col. 1273.

(3) Manrique, *Ann. ord. Cist. ad annum* 1225 ; *Stat. ord. Cist. anno* 1225.

(4) Henriquez, *Menol. ord. Cisterc.*, p. 407.

(5) Déclaration de Guillaume, abbé de Clairvaux (février 1238, v. s., archives de Lille).

(6) Charte du mois de mai 1270 (archives de Lille). Une sœur de Gui de Dampierre était abesse dans l'ordre de Cîteaux.

(7) Matthieu Paris, 1254.

(8) L'histoire des développements de l'agriculture à une époque reculée, si elle se fait jamais, devra être puisée dans les archives des monastères. Rien de plus important, à cet égard, pour la Flandre, que les cartulaires de l'abbaye des Dunes.

(9) *Parisius, de fonte sapientiæ salutaris. Liber continens varias litteras*, etc., MS. des Dunes, document n° 636.

(10) Lettres de l'abbé de Clairvaux, 1277 (archives de Lille). — L'ordre de Cîteaux avait d'autres colléges (*studia*), à Toulouse, à Montpellier, à Cologne et à Oxford.

(11) *O bone Jhesu-Christe,*
Quam bonus ordo est iste !
(Gilles li Muisis, p. 313.)

(12) Voyez, dans le MS. des Dunes, de nombreux documents *de porta seu eleemosyna, de pauperibus qui perpetuo confluunt ad portam*, etc. C'était un religieux de l'ordre de Cîteaux qui remplissait les fonctions d'aumônier dans l'hôtel des comtes de Flandre. A l'entrée de l'abbaye des Dunes, on lisait en lettres d'or : Accedite omnes ad eleemosynam pro honore Dei.

(13) J'ai sous les yeux une consultation d'un théologien de Tournay sur le privilége des abbayes cisterciennes de Flandre, de ne pas être comprises dans les sentences d'interdit. Après avoir dit : *Quod fratres non debent pulsare sic alte, nec cantare quod populus videatur vocari ad audiendum officium divinum, sed submissa voce cantare, et aliquam campanam plane pulsare, quod magis ad congregandum fratres quam ad aliud videantur facere*, elle ajoute : *Si aliquis celebret divinum officium in præsentia excommunicati non propterea efficitur irregularis, multo minus ergo efficiuntur irregulares qui in præsentia interdictorum dicunt divina officia, nec aliquam pœnam sustinere debent.* Le privilége pontifical portait toutefois : *interdictis exclusis ;* mais cette règle même n'était pas sans exception : *prædicatio verbi Dei est excepiuata et permissa tempore generalis interdicti.* MS. des Dunes, n° 222.

(14) *Come avarizia spense a ciascun bene*
Lo nostro amore onde operar perdèsi.
(Dante, *Purgatorio*, xix.)

(15) Lenain, *Histoire de l'ordre de Cîteaux*, I, p. 254. Un manuscrit de la bibliothèque de l'Université de Gand renferme une bulle de Grégoire X qui confirme et étend le privilége ; mais l'authenticité en est douteuse.

Digitized by Google

prières que d'autres par leur or ou par leurs armes (1); néanmoins ce ne fut là qu'une exception. L'ordre de Cîteaux contribua généreusement, en d'autres occasions, au payement des taxes établies par le siége pontifical pour la délivrance de la terre sainte. Fidèle aux souvenirs de saint Bernard, il s'efforçait de réveiller le pieux enthousiasme de l'Europe, tandis qu'il envoyait des religieux encourager les derniers croisés en Syrie (2).

A peine Philippe le Bel était-il monté sur le trône qu'il reçut du Pape Honorius IV une dîme de quatre ans pour la guerre d'Aragon (3). La même dîme avait déjà été accordée à Philippe le Hardi, et il ne paraît pas qu'elle ait donné lieu à quelque plainte. Sous Philippe le Bel, il n'en est plus de même, et un sentiment de crainte et de méfiance qui semble s'inspirer de l'avenir, domine dans la lettre que l'abbé de Clairvaux adresse, vers le mois de janvier 1285 (v. st.), aux principaux monastères de l'ordre. Il y raconte que l'abbé de Cîteaux et l'abbé de Pontigny se sont rendus près du roi, et qu'ils ont composé (*composuerunt*) relativement au chiffre de la dîme. Cette composition a été faite *ad vitandum futura pericula, animarum dispendia, conscientiarum naufragia;* mais, bien que fort onéreuse, elle n'a été obtenue qu'avec beaucoup de peine, *non sine magnis laboribus et difficultate non modica;* et l'abbé de Clairvaux en l'annonçant craint lui-même *ne forte hujus impositionis aliquatenus vos terreat tanta summa.* La part d'un seul monastère (celui des Dunes), dans cette dîme, atteignait huit cents livres tournois (4), c'est-à-dire une somme quatre-vingts fois plus considérable que celle qui avait été demandée aux plus riches monastères de Flandre pour la croisade de Tunis.

La dernière année de cette dîme se leva en 1289. De 1289 à 1291, la confiscation des biens des marchands lombards, et d'autres mesures conçues dans le même but, occupèrent Philippe le Bel. En 1292, il se souvint qu'une bulle de Grégoire X avait accordé, dix-sept ans auparavant, une dîme à son père, et il en prit prétexte pour adresser à l'ordre de Cîteaux des réclamations aussi vives que menaçantes.

A Les abbés de Cîteaux et de Clairvaux se rendirent à Paris, et y firent lire au collége de Saint-Bernard, en présence de deux docteurs flamands, Jean de Werden et Siger de Gulleghem, une protestation qui se terminait par un appel au Pape : *Supponentes ipsos et ordinem suum et subjectos suos et bona sua beatorum Petri et Pauli et sanctæ romanæ Ecclesiæ protectioni* (5). Cet appel contre les usurpations de Philippe le Bel mérite quelque attention, parce qu'il fut interjeté dans la capitale du royaume : nous ne tarderons pas à en trouver un plus mémorable exemple.

En 1294, la guerre éclata entre le roi de France et le roi d'Angleterre, et une flotte ennemie vint semer la terreur depuis La Rochelle jusqu'à B Bayonne. Cette fois, Philippe le Bel s'adressa humblement à l'ordre de Cîteaux (*humiliter fecit supplicari*), pour obtenir de sa libéralité une dîme de deux années, destinée à préserver ses monastères et ses biens des horreurs de la guerre. L'ordre de Cîteaux l'accorda, et il existe une charte de Philippe le Bel ainsi conçue :

Philippus, Dei gratia, Francorum rex, notum facimus universis quod, cum Cisterciensis, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo monasteriorum abbates, pro se ac personis aliis monasteriorum et locorum aliorum Cisterciensis ordinis regni nostri, decimam suorum ecclesiasticorum proventuum nobis ad biennium integrum, in subsidium pro defensione et felici statu regni nostri (6), sub certis modis et conditionibus duxerint C liberaliter concedendam, prout in eorum litteris inde confectis continetur, quarum tenor talis est : Excellentissimo principi domino suo Philippo, Dei gratia, Francorum regi illustrissimo, devoti ejus fratres Robertus de Cistercio, Ruffinus de Firmitate, Symon de Pontiniaco, Johannes de Claravalle et Dominicus de Morimundo monasteriorum abbates Cisterciensis ordinis, Cabilonensis, Autissiodorensis, et Lingonensis dyocesum eorumque monasteriorum, etc., cum incrementis pacis et concordiæ, successus prosperos ac felices. Ad publicam mundi notitiam a priscis temporibus jam pervenit, quod benedictum regnum Francorum præ cæteris mundi regnis hactenus extitit orthodoxæ fidei munimentum et invincibile præsidium catholicæ puritatis, in quo quidem regno vestro semper pax viguit, fides crevit catholica, et religio christiana, auctore Do-

(1) *Contentus eorumdem orationibus per quas amplius illi valerent quam alii per aurum et arma.* CISTERCIUM BIS TERTIUM, p. 663. La chronique de Reims cite un mémorable exemple de la confiance que Philippe-Auguste avait dans les prières de l'ordre de Cîteaux. Assailli par une tempête à son retour de Ptolémaïde, il demanda l'heure aux matelots. On lui répondit qu'il était minuit : *Adont, dist le rois, soions asseur, nous n'averons garde, car mi ami de l'ordène de Cystiaus sont relevé pour proyer pour nous.*

(2) *De ordine Cisterciensium in locis idoneis monasteria constructa sunt,* MARINO SANUDO, III, 7, 3; *Stat. ord. Cist.*, anno 1316 : *Concediur regi Hungariæ cum iter arripuerit ad terram Hierosolymitanam secum habere duo monachos.* STAT. ORD. CIST., anno 1212 ; Martène, *Th. anecd.*, IV, col. 1312.

(3) Raynaldi, 1285, 28. En 1290, le pape Nicolas IV fit exhorter Philippe le Bel à consacrer cette D dîme à la défense de la terre sainte. Il est à remarquer que l'un des cardinaux qu'il lui envoya dans ce but, était le cardinal Benoît Gaetani, depuis pape sous le nom de Boniface VIII. Raynaldi, 1290, 17.

(4) Ms. de l'abbaye des Dunes, document n° 279. Clairvaux ne paya que la moitié.

(5) Ms. des Dunes, n° 359. Le chapitre général de 1290 mentionne les dépenses faites par des abbés *pro privilegiis et libertatibus ordinis defendendis.* Celui de 1292 s'exprime en ces termes, qui indiquent des craintes plus graves : *Ut charitas ordinis uniformis adversariis nostris appareat terribilis ut castrorum acies ordinata quotiescunque necesse fuerit inter abbates alicujus provinciæ convocationem seu contributionem fieri ad defendendas ordinis libertates,* etc.

(6) *Pro tuitione regni Franciæ contra Anglicos et alios inimicos.* Lettre adressée à l'archevêque de Reims, ms. des Dunes, n° 364.

Digitized by Google

mino, felicia suscepit incrementa, et, exulata extra vestri regni terminos discordia, quæ palmites suos tetendit usque ad maris terminos, suscipiet in futurum : ad cujus extirpationem sive exilium, necessarium fore credimus subsidium omnium, quibus dicti regni vestri tranquillitas maxime pacem reddat statum parum tranquillum ac securum. Hinc est quod nos abbates prædicti, regni vestri pacem et tranquillitatem affectantes, apud Divionem propter hoc specialiter congregati, diligenti deliberatione præhabita, providimus a nobis et ab omnibus monachorum monasteriis nobis subjectis, duntaxat in dicto regno vestro existentibus, fore subveniendum vobis ad dictæ discordiæ exulationem, prout necessitas evidens id exposcit, partem decimam omnium reddituum et proventuum omnium monasteriorum monachorum nostri ordinis in regno vestro existentium, propter dictam necessitatem, reddituum et proventuum duntaxat quæ dicta monasteria in vestro regno percipiunt et consueverunt percipere et habere, et quæ ab ipsis monasteriis percipi contigerit et haberi, sub certa tamen forma quam sedes apostolica hactenus observavit, vobis hac vice, per biennium et nomine nostri ordinis Cisterciensis, de speciali gratia concedentes, quæ quidem pars decima per unumquemque hostrum, sive successores nostros, in generatione cujuslibet in regno vestro existente, infrascriptis terminis, in conscientiis nostris ac subditorum nostrorum, absque dolo vel fraude fideliter colligetur, cui fidei nostræ stabitur absque alia retractatione, penitus et expresse, ita quod medietatem ipsius in instanti Resurrectione Domini, et aliam medietatem in festo Omnium Sanctorum proximo subsequente quilibet abbas solvere teneatur... Nec vos, domine rex, per vos vel per alium de hoc aliquem compelletis..... Et si, Domino inspirante, cui non est difficile disjuncta conjungere, pax regno vestro benedicto reddita fuerit, ex toto cessabitur a solutione partis decimæ supradictæ; si vero dicto tempore treugam super dicta discordia iniri contigerit, pro illo tempore quo treuga duraverit, antedicta solutio totaliter suspendetur : ita tamen quod propter solutionem hujusmodi vos dicere non possitis, nec debeatis, vobis jus acquisitum esse in futurum super subventionibus et subsidiis similibus aut aliis, faciendis vobis aut concedendis a nobis aut nostris, quod per præsentes non intendimus concedere ullo modo (1).

On reconnaît aisément la rédaction des conseillers de Philippe le Bel dans le préambule de cette pièce : il manque entièrement dans le texte qui fut adressé aux abbés de l'ordre de Cîteaux, et les lignes qui le remplacent font mieux comprendre que cette concession fut volontaire, et que l'ordre de Cîteaux en dicta les conditions :

Venerabilibus et in Christo karissimis coabbatibus suis salutem, et cum sincera in Domino caritate, patientiam in adversis. Cum nuper ex parte excellentissimi principis Philippi, Dei gratia, Francorum regis, lamentose fuerit expositum, benedictum regnum Franciæ inimicorum graves sustinere molestias et incursus, propter quos omnium nostrorum et subditorum nostrorum tranquillitas impugnatur, nobisque et nostris monasteriis minatur periculum ac ruinam, nisi dictis molestiis et incursibus occurratur, ad quæ dicti regni vires parum sufficiunt, propter quod nobis fecit humiliter supplicari quod nos auxilium et consilium eidem adhibere curaremus ad extirpandas dictas molestias et incursus, quatenus, exulatis dictis molestiis et periculis, nos et subditi nostri pacis testamento, sicuti hactenus freti fuimus, frueremur : nos vero, attendentes dicta pericula imminere nobis et generaliter omnibus dicti regni, attendentes insuper per jacturam mercium dicti regis, quas quidem merces necesse habet exponere propter pericula supradicta, nostras salvas existere et personas, propter quæ, secundum naturalis æquitatis rationem et sanctiones legitimas, debemus de bonis nobis a Deo collatis ad supportandum tantæ molis pondus subvenire; quocirca apud Divionem specialiter congregati, de bonorum consilio, duximus ordinandum quod, etc. (2).

Lorsque les Anglais eurent été repoussés, lorsque Gui de Dampierre, conduit prisonnier au Louvre, y eut laissé, comme ôtage, sa fille déjà fiancée au fils d'Edouard Ier, Philippe le Bel changea de langage. Ce n'était point assez qu'il eût promulgué comme loi somptuaire une ordonnance qui portait que quiconque possédait moins de six mille livrées de terre, serait tenu de remettre le tiers de sa vaisselle d'or et d'argent au roi, qui en déterminerait le prix (3). Ce n'était point assez qu'il eût proclamé lui-même l'alteration des monnaies, en chargeant ses successeurs d'indemniser ceux qui auraient à en souffrir (4). Tel était le besoin d'argent qui le pressait, comme il le dit lui-même (5), qu'il prescrivit la levée du centième, puis du cinquantième de tous les biens meubles et immeubles, sans aucune distinction entre les biens des clercs et ceux des laïcs. Toute la France s'en emut, et le nom de maltôte, donné à cet impôt universel, est resté comme une énergique protestation de ceux qui le subirent (6).

Tandis que les évêques hésitaient, les uns parce qu'ils devaient tout à la faveur du roi, les autres parce qu'ils craignaient sa colère, ou parce qu'ils se voyaient réduits à des réclamations isolées, l'ordre de Cîteaux prit le premier la défense des immunités ecclésiastiques. Dans toutes les provinces, les abbés répondirent par un refus formel aux ordres des officiers royaux, et lorsque quelques évêques, requis par le roi, les menacèrent de les contraindre en vertu de leur autorité ecclésiastique, ils répondirent par une déclaration dont le texte nous a été conservé dans le diocèse de Tournay :

Coram vobis, reverende pater domine, Dei gratia, Tornacensis episcope, propono et dico quod licet toti Cisterciensi ordini a sede apostolica sit indultum quod ipse ordo vel aliqui de ordine non teneantur ad onus alicujus repentinæ ac extraordinariæ decimæ seu alterius exactionis, inhibitumque

(1) Ms. des Dunes, n° 363.

(2) Ms. des Dunes, n° 367. Cf. la lettre de l'archevêque de Bourges, du 31 juillet 1294, les statuts du concile d'Aurillac, et la lettre de Philippe le Bel du 10 février 1294 (v. s.); Martène, *Thes. anecd.*, IV, col. 213, 215 et 217.

(3) Ord., I, p. 324; charte du 17 juillet 1295, aux archives de Lille

(4) Lettres du mois de mai 1295, archives de Paris.

(5) *Cum magnis pecuniarum quantitatibus indigeamus.* Lettre du 13 avril 1296, archives de Rupelmonde.

(6) Guill. de Nangis, 1296

Digitized by Google

existat, per easdem indulgentias, monasteriis, personis et bonis ipsius ordinis de cætero hujusmodi decimam et exactionem, quocumque censeantur nomine, imponi seu exigi, sub quavis forma vel expressione verborum, ab eisdem, aut ipsum ordinem vel aliquos de ordine super illis aliquatenus molestari, ac per eandem sedem decretum, omnes suspensionis, interdicti seu excommunicationis sententias in dictum ordinem, monasteria, personas vel bona eorum propter hoc quacumque auctoritate latas, irritas et inanes ac viribus omnino carere, etiam si exactiones, collectæ vel subsidia quæcumque a sede apostolica vel legatis ejusdem essent impositæ, nisi per litteras sedis ipsius seu legatorum ejus, facientes plenam et expressam de indulgentia hujusmodi mentionem, quæque personæ ipsius ordinis aut ordo ipse vobis non subsint per sedis prædictæ privilegia, etiam ratione delicti, nisi pro fide dumtaxat, absque mandato sedis apostolicæ speciali : nichilominus tamen vos personas Cisterciensis ordinis prædicti, abbates videlicet, abbatissas et quascumque alias personas per vestram dyocesim monuistis seu moneri fecistis de facto, cum de jure non possitis, super solvenda centesima, contra supradictas indulgentias indebite veniendo, in quam centesimam, vel quotam quamcumque aliam, dicti Cistercienses, sicut ad ejusdem impositionem auctoritate vestra vocari non poterant nec erant vocati, ita nec consenserant nec consentire poterant : quare ego, cum prædictos Cistercienses dominos meos in præmissis omnibus et singulis sentiam esse indebite pergravatos, timens etiam, ex probabilibus causis et verisimilibus conjecturis, ne contra Cistercienses dominos meos, eorum ecclesias atque loca, et adhærentes eisdem et quoslibet adhærere volentes, aliquo modo procedatur indebite et de facto, ob præmissa gravamina omnia et singula, et ne contra ipsos indebite et de facto procedatur in aliquo, ut est dictum, contra vos, domine reverende pater, Dei gratia, Tornacensis episcope, et omnes et singulos quos tangit vel tangere potest præsens negotium, nomine procuratorio et nomine prædictorum Cisterciensium dominorum meorum, ecclesiarum suarum seu locorum, et adhærentium seu adhærere volentium eisdem, ad sedem apostolicam, prout possum et debeo, in hiis scriptis provoco et appello, et appellationes, prout debeo, cum instantia qua convenit michi dari et concedi peto, supponens ipsos Cistercienses dominos meos, eorum ecclesias, loca atque bona, adhærentes seu adhærere volentes eisdem, et ipsorum omnem statum et bona, protectioni sedis apostolicæ (1).

Que l'ordre de Cîteaux ait compris la gravité de la situation en s'opposant ouvertement aux volontés de Philippe le Bel; qu'appelé à choisir entre le devoir qui parlait à sa conscience et le péril qui menaçait ses personnes et ses biens, il ait courageusement préféré le péril, on ne peut en douter : il trouvait dans sa propre histoire de mémorables exemples auxquels il ne pouvait qu'être fidèle.

Lorsqu'en 1128 le roi Louis VI persécuta injustement l'archevêque de Sens, l'abbé de Cîteaux convoqua une de ces saintes assemblées de l'ordre d'où s'élevait, disait-on, une colonne de lumière jusqu'à Dieu (2), et tous les abbés, apposant leurs sceaux à une lettre qui avait été rédigée par saint Bernard, supplièrent le Pape Honorius III de faire entendre sa voix pour la liberté de l'Eglise (3).

En 1296, la même marche fut suivie. Un chapitre général fut convoqué. Saint Bernard eût pu y répéter : *Alter Herodes Christum jam non in cunabulis, sed in ecclesiis invidet exaltatum.* On répondit d'abord à la monition qui avait été adressée par un prélat ami du roi, que nous croyons avoir été Pierre Barbet, archevêque de Reims (4) : dans ce mémoire, qui mérite d'être reproduit, l'ordre de Cîteaux, après avoir déclaré qu'il est prêt à se soumettre à toutes les taxes qui seraient établies à raison de ses biens ou pour la défense de la patrie, repousse énergiquement les impôts extraordinaires que le siége pontifical n'a pas approuvés :

Jura, dicunt, maxima dona Dei hominibus a superna clementia sunt collata : sacerdotium videlicet et imperium. Istud præest divinis, imperium autem humanis præsidiis. Alibi vocantur duo luminaria magna, sicut sol et luna (5), et sicut aurum est pretiosius plumbo, et sol luna nobilior, ac divina terrenis nobiliora seu digniora, sic sacerdotalis dignitas excedit regalem, et minor non habet judicare majorem nolentem et invitum. Rex ergo sacerdotes invitos et renuentes, cum suo imperio non subsint, ad subventionem compellere non habet, cum res ecclesiasticæ sint mortificatæ et a temporali jurisdictione exemptæ et dicta subventio naviter sapiat decimæ, de quibus rex se non habet intromittere. Pro hiis inducuntur jura in *Authent.* collat. 1ª circa pr. extra. *De major. et obed.*; extra. *de dec. tua*, ff. *De jurisdictione omnium judicum*; lege *Est receptum.* Præterea filius magis tenetur patri quam subditus principi, sicut lex dicit quod filius non tenetur patrem alimentare, si pater in bonis habeat unde possit alimentari, cum tamen alimentatorum causa sit valde favorabilis. Ergo minus tenetur subditus principi, nisi prius facultatibus principis excussis : propter hoc inducatur lex ff. *De lib. agricolarum*, lege *Si quis alimentatorum.* Præterea viri ecclesiastici ad impositionem non sunt obligandi, quia id possumus quod commode possumus; sed, si tantum onus impositum a domino rege subire tenerentur, nec incurrerent transgressionem juramenti, quia multis creditoribus tenentur religionis juramento quibus satisfacere non possent et lex dicit : *Si dominus in perjurium incidit, quia dare non valeat quod juraverat, si vassallus eum sua pecunia liberare possit et non faciat, feodum amittere debet :* et sicut vassallus tenetur domino, ita dominus vassallo. Rex ergo suos feodales saltem a vinculo juramenti, quo sunt constricti, sua pecunia liberare debet cum possit, aliter jura subjectionis amittere debet. Ad hoc inducuntur jura ff. *de consilio et ob. si nepos* 22, q. 5, *De for. competent*, extra. *Nisi.* Præterea, si ad dictam subventionem

(1) Ms. des Dunes, n° 723.

(2) Manrique, *Ann. Cisterc.*, III, p. 512.

(3) Henriquez, *Fasciculus SS. ord. Cisterc.*, p. 31.

(4) Ce prélat ne peut avoir été ni l'archevêque de Lyon, fort attaché au pape, ni l'évêque de Châlon-sur-Saône, dont Philippe le Bel avait saisi tous les revenus au mois de décembre 1294. Tout permet de reconnaître ici l'archevêque de Reims, Pierre Barbet ou Barbette (frère ou parent d'Etienne Barbette, trésorier de Philippe le Bel?), que Baillet compare assez naïvement à Hincmar, à cause du zèle qu'il portait aux intérêts du roi.

(5) *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti. Sunt duæ jurisdictiones, spiritualis et temporalis.* Discours du cardinal d'Aquasparta. Dupuy, *Pr.*, p. 76.

Digitized by Google

tenerentur sacerdotes et clerici, conferrentur cæteris hominibus deterioris conditionis, et sequeretur expugnabile vitium quod sub rege christianissimo sacerdotes durius tractarentur quam sub rege Pharaone, sub quo, omnibus servituti subjectis, soli sacerdotes et eorum bona erant libertate donati, extra. *de immunitate*... Præterea, si talis exactio nova debeatur et posset fieri aliquo modo, nullatenus posset fieri summo pontifice inconsulto. Probatur lege quæ dicit : *Si adeo tenuis sit patria quod auxilio extraordinario indigeat, præses provinciæ, diligenter audiens utilitatem communem, referet principi auctoritate cujus auxilium extraordinarium debet ordinari*, sic in rebus ecclesiasticis nova exactio statuenda non est inconsulto summo pontifice, c. *Nova vectigalia instituì non posse* lege prima, extra. *de immunitate ecclesiæ;* cod. *adversus*, etc. Si ad talem subventionem per angariam ecclesiæ teneantur, pauperes erunt desolati. Præterea cum munera quædam sunt sordida, quædam honesta, ab omni sordido immunis est ecclesia. Honestorum quædam sunt ordinaria, quædam extraordinaria. Ad ordinaria munera ratione rerum vel patrimoniorum tenetur ecclesia. Ab istis nemo se excusat, c. *A quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare*, lege secunda libro decimo. Alia autem personalia vocantur angaria vel parangaria, ad quæ personæ ecclesiasticæ non tenentur nisi ad murorum vigilias, c. *De episcopis et clericis*, lege *Omnis qui*... Ad extraordinaria, quæcumque sint illa, sive pertineant ad publicam utilitatem, sive pietatem vel voluntatem, non tenetur ecclesia, nisi auctoritate summi pontificis sint indicta, quia ista sunt suprædicta, quæ semper sunt prohibita nisi accedente principis voluntate, c. *De superindictis* lege prima libro decimo, extra. *De immunitate ecclesiarum*, l. *Adversus*. Quædam tamen munera necessitatis et pietatis excipiunt legistæ ad instructionem bonorum, redemptionem captivorum, et dicunt quod ad hoc tenetur ecclesia. Hæc tamen videntur immutata per capitulum 16, q. 1. Ab hiis omnibus subventio ecclesiis auctoritate regia imposita multum est aliena. Quibus rationibus et aliis, quas supplicat vestra paternitas reverenda, petimus et supplicamus nos abbates, nostro et ecclesiæ nostræ nomine, quatenus supplicetis magistratibus regis, cui semper fuit magnum studium unitatem apostolicæ sedis et sanctarum Dei ecclesiarum custodire, ut a tanto onere superinducto ecclesiis nostris desistat penitus et quiescat, nec nos ad id compellatis, sed totaliter desistatis, quia sine auctoritate et mandato summi pontificis, cujus sunt penitus bona nostra, monitioni et petitioni vestræ parere non possumus, nec debemus, nec etiam consentimus, imo, in quantum de jure possumus, contradicimus, ne de negligentia, perjurio et inobedientia valeamus dampnabiliter reprehendi (1).

Le chapitre de Cîteaux osait dire à l'archevêque de Reims que Philippe le Bel se montrait plus dur que Pharaon : il le répéta dans la mémorable protestation qu'il adressa à Rome.

Le pape Alexandre IV avait autrefois rendu un pompeux témoignage du zèle religieux des abbés de l'ordre de Cîteaux et de leur dévouement au siége pontifical : *Inter innumeras mundani turbinis tempestates, quas contra ecclesiam Dei et nos ipsos ferventis prosecutionis procella commovit*, disait-il dans une bulle qu'il leur adressa, *magnum nobis est præstitum, Deo providente, remedium, cum universitatis vestræ ferventissima charitas nec pericula timuit, nec adminicula denegavit. Meminimus plane et cum omnium gratiarum actione recolimus quam inviolabili firmitate fluctuantem Petri naviculam fidei vestræ anchora servavit in turbine* (2).

Les premières lignes du manifeste de l'ordre de Cîteaux, en reproduisant la fin de cette bulle, rappelaient les services qu'il avait rendus à Alexandre IV, et la reconnaissance que le Saint-Siége en avait exprimée.

Sanctissimo patri ac domino Bonifacio, Dei gratia, summo pontifici, abbates, abbatissæ, conventus, canonici, presbyteri ac totus clerus regni Franciæ (3) pedum oscula beatorum et feliciter sancti Petri naviculam in maris fluctibus gubernare.

Cum secundum apostolum omnes stabimus ante tribunal superni judicis, qui latentia producet in lucem et illuminabit abscondita tenebrarum, vitæ æternæ aut dampnationis perpetuæ præmium recepturi, in cujus præsentia non solum homines, sed etiam angeli trepidabunt, quod memoriæ cujuslibet debet occurrere christiani, multi tamen principes, hujus mundi dilectores, prædicti judicii memores non existunt, rebus mundanis nimium inhærentes; quod patenter apparet, cum ipsi non solum personis secularibus quibus præsunt, sed etiam ecclesiis et ecclesiasticis personis, quas defendere totis viribus et non regere interest laycorum, cum eis super hiis nulla sit attributa facultas nec auctoritas imperandi, tot gravamina et onera imponunt, quod deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur quam sub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat : ille quidem, omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes et possessiones eorum in pristina libertate dimisit ac eis de publico alimoniam ministravit; moderni vero principes onera sua fere imponunt ecclesiis universa, et ut angariis clericos affligunt ut eis quod Jheremias deplorat competere videatur : *Princeps provinciarum facta est sub tributo;* sive quidem decimas seu alia quælibet sibi attrahentes de bonis ecclesiarum, clericorum et pauperum, Christi usibus deputatis, jurisdictionem etiam et auctoritatem eorum taliter evacuantes ut eis videatur nihil potestatis super ecclesiis vel personis ecclesiasticis remansisse, quod de jure facere non deberent, ubi laycorum etiam non suppetunt facultates, cum ipsi humiliter et devote recipere debeant cum gratiarum actione, quæ eis pro communi utilitate de bonis ecclesiæ conferuntur, prius tamen interveniente romani pontificis consilio, cujus interest communibus utilitatibus providere, quod minime faciunt, sed quod eis per potestatem concessum est, in cleri injuriam ac in pauperum penuriam faciunt redundare. Et cum multi consules principum, tam clerici quam alii, propriæ prudentiæ innitentes et humanam amittere gratiam formidantes, eis recta loqui libere pertimescunt, qui quoque similitudinem quamdam potius quam veritatem discernunt, magis utilia reticentes, cum similitudinarium sit expressivum veritatis, et quasi sicera inebriati et uvam acerbam comedentes, minus cauta discretione exponunt illud quod dantur omnia servitio principis et ei omnes obediant subditi et silence expliquent pourquoi les chanoines, les prêtres et tout le clergé (*canonici, presbyteri ac totus clerus*) présentèrent leurs réclamations sous la protection de l'ordre de Cîteaux.

(1) Ms. des Dunes, n° 278.

(2) Henriquez, *Fasciculus SS. ord. Cisterc.*, p. 12.

(3) Il faut remarquer l'omission complète de toute mention des évêques. Leur absence et leur

Digitized by Google

clerici, et qui principi non obedierit morte moriatur, sensum alienum extrinsecus et extraneum requirentes, non considerando quod tanta inter reges et pontifices quanta inter solem et lunam distantia cognoscatur, et constitutiones principum constitutionibus ecclesiasticis non præeminent, et imperiali judicio non possunt jura ecclesiastica dissolvi, cum ipsi non solum personas ecclesiasticas seculares, sed etiam Domino Deo dedicatas, in vinea Domini Sabaoth laborantes, decimis ac aliis diversis exactionibus nunc affligunt, bona Crucifixi pauperibus et Domino servientibus deputata suis usibus applicantes, ita ut bona ecclesiæ victui Domino servientium non valeant providere, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes, postpositis etiam eleemosynis pauperibus erogandis, cum non debeant officere qui hujus iniquitatis participes non existunt, et quia prædicti consules pseudoprophetæ dici possunt, cum scripturarum verba aliter accipiunt et exponunt, quam sacra Scriptura sonat, qui conjectura mentis suæ cuncta futurorum quasi vera pronuntiant absque divinorum verborum auctoritate, illa consideratione non servata ut in hiis quæ dubia fuerint aut obscura, id noverint exequendum quod nec evangelicis præceptis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenietur adversum, et cum tales qui præeunt propter favorem principum excæcati fuerint et aliis ducatum præstare cœperint, ambo in foveam dilabuntur (1), unde Psalmus : *Obscurentur oculi eorum ne videant*, etc., *dorsum eorum semper incurva*, etc., et quia, pater sanctissime, nullus pro justitia hodie martirizari desideratur, sed potius labore postposito triumphari, cum tutius sit in tempore occurrere quam post carnem vulneratam remedium quærere. Hinc est quod sanctitati vestræ, de qua id quod sumus et erimus cognoscere volumus, supplicamus, cum omni affectione qua possumus et desiderio puri cordis, quatenus huic morbo pestifero vestræ gratiæ ac potestatis subsidia porrigatis, sine quibus status diu stare non poterit clericalis, qui nunc per mundum titubando graditur universum, cum nullus audeat pro defensione ecclesiæ voce libera hujus mundi potestatibus contraire, licet pastoribus rectà timuisse dicere nihil aliud est quam terga tacite præbuisse ac pugnam pro domo Israel in prælio Domini evitasse, quos Dominus increpat per Isaiam : *Canes muti non valentes latrare.* Vivat ac valeat vestra sanctitas reverenda, nobis et Christi pauperibus in prædictis aliquod remedium salubre conferendo cum libent Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa, ut sub ala vestræ protectionis possimus, ut cupimus, respirare, ac umbram sentiamus gratitudinis et quietis, ut in pace viventes pacis auctorem laudemus, una voce dicentes : *Gloria in excelsis*, etc., qui per suam gratiam manum porrigit lapsis, indigentes fovet et afflictos mœstitia consolatur (2).

Un ancien religieux de l'ordre de Cîteaux, le cardinal Simon de Beaulieu, évêque de Palestrine, remplissait alors en France les fonctions de légat du Pape. Il requit, en vertu des pouvoirs dont il était investi, les archevêques de Reims, de Sens et de Rouen, de convoquer un concile à Paris, le 22 juin 1296.

Les archevêques de Reims, de Sens et de Rouen, n'osèrent pas, quel que fût leur zèle pour la cause du roi, désobéir à un ordre aussi solennel que s'il fût émané du Pape lui-même, et ils reproduisirent dans les lettres de convocation du concile les paroles non moins tristes qu'amères que Simon de Beaulieu avait insérées dans ses propres lettres (3). Cependant, l'influence des trois primats de la France septentrionale s'exerça sur les évêques dont la plupart étaient leurs suffragants. Les députés qui furent choisis dans l'assemblée qu'ils présidaient, pour porter à Rome les plaintes du clergé, étaient les évêques de Nevers et de Béziers, qui soutenaient avec le même zèle les intérêts du roi, et une lettre écrite dans le diocèse de Bourges, qui avait alors pour archevêque le célèbre Giles Colonna, l'auteur du traité *De regimine principis* (4), nous apprend que le 28 août les deux prélats n'avaient pas quitté la France (5).

Avant que les évêques de Nevers et de Béziers fussent arrivés à Rome, Boniface VIII, qui occupait depuis un an le siége pontifical (6), fit droit aux

(1) Peut-être y a-t-il ici quelque allusion à Pierre Flotte, qui était borgne : *semividens corpore, menteque totaliter excæcatus*, dit Boniface VIII dans la bulle : *Verba delirantis filiæ.*

(2) Ms. des Dunes, n° 448. Je lis dans les statuts de Cîteaux de 1296, publiés par Don Martène et Dom Durand : *De subventione facienda domino et reverendo patri Roberto cardinali nostro* (Robert, ancien abbé de Cîteaux), *et de expensis faciendis pro libertatibus ordinis defendendis et quibusdam negotiis ordinis faciendis*, et de mittendo ad curiam romanam, *domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus committit capitulum generale in plenaria ordinis potestate;* et plus loin : *quoniam propter revelationem secretorum ordinis temporibus retractis multa noscuntur incommoda personis ordinis evenisse, et quia in linguæ manibus mors et vita, definitionem olim editam de non revelandis secretis ordinis renovat capitulum generale, hoc addendo quod quæcumque personæ ordinis ipsius ordinis secreta quibuscumque ordini non subjectis, cujuscumque dignitatis existant, revelaverint, ipso facto ab officio depositas excommunicat capitulum generale.* (*Thes. anecd.*, IV, col. 1491 et 1492.)

(3) Martène, *Thes. anecd.*, IV, col. 221.

(4) La lettre de Simon de Beaulieu que j'ai mentionnée plus haut est adressée à l'archevêque de Bourges, et ceci explique pourquoi Philippe le Bel devint hostile à Gilles Colonna, qui avait, dit-on, écrit pour lui son livre *De regimine principis*. Voyez Dupuy, *Pr.*, p. 64.

(5) C'est, sans doute, par la présence du cardinal Simon de Beaulieu au concile de Paris, ou par la crainte que les archevêques de Reims, de Sens et de Rouen éprouvaient d'offenser le Pape, qu'il faut expliquer les protestations contenues dans la lettre du 28 août : *Pungitivæ compassionis oculo vigilantius intuentes dolores et onera, planctus, fremitum scandalorum, quos, proh dolor ! his diebus miserabiliter pati dinoscitur ecclesia gallicana, inaudita varietate gravaminum et persecutionis acerbitate multiplicis vulnerosius anxiata*, etc. Il est important de remarquer que cette lettre mentionne l'acte spécial d'appel adressé à Boniface VIII par l'ordre de Cîteaux : *Cisterciensibus ad hæc pro se nuntios destinantibus speciales.* Martène, *Thes. anecd.*, IV, col. 223.

(6) Le 25 mars 1295 (v. st.) Boniface VIII avait écrit à l'empereur pour le prier d'admettre l'hommage de Gui de Dampierre par procureur, vu qu'il se trouvait retenu dans ses Etats : *Propter gravia guerrarum discrimina et inimicitiarum pericula, ac etiam ob alias rationabiles causas.* (Archives de Belgique.)

Digitized by Google

plaintes de l'ordre de Cîteaux, en frappant d'interdit l'archevêque de Reims (1), et en publiant, le 18 août 1296, la célèbre bulle : *Clericis laicos*, que nous trouvons reproduite dans le livre des priviléges de l'ordre de Cîteaux (2). On sait que Boniface VIII y prononçait l'excommunication des clercs qui payeraient les dîmes sans l'assentiment préalable du Pape, et la bulle *Clericis laicos* fut confirmée par la bulle : *Ineffabilis amoris*, où Boniface VIII reprochait au roi de France d'avoir perdu un bien précieux, c'est-à-dire l'amour de ses sujets (3), et annonçait qu'il était prêt à souffrir les persécutions, l'exil et même la mort pour la liberté de l'Eglise (4).

La réponse de Philippe le Bel commençait par ces mots : *Antequam essent clerici, rex Franciæ habebat custodiam regni sui* (5), et ce qui suivait était digne de la violence de cet exorde : *Dare histrionibus et neglectis pauperibus expensas facere superfluas in robis, equitativis, comitativis, commessationibus et aliis pompis secularibus permittitur eisdem, imo conceditur ad perniciosæ imitationis exemplum. Quis judicaret licitum sub anathemate cohibere ne clerici, ex devotione principum incrassati, impinguati et dilatati, eisdem principibus assistant?* L'ordre de Cîteaux, à qui semble se rapporter cette véhémente attaque, aurait pu rappeler que lorsque des famines cruelles désolèrent la France, les pauvres, loin d'être abandonnés, avaient dû la vie aux généreuses aumônes des abbayes cisterciennes (6).

Du reste, Philippe le Bel ne se reposait pas uniquement sur ces diatribes. Ses intrigues étaient allées réveiller les discordes assoupies de l'Italie, et à quelques jours de distance, l'on vit Frédéric d'Aragon expulser les légats du pape de la Sicile, et les Colonna avouer hautement le projet de chasser le Pape lui-même de Rome.

Si Boniface VIII avait jadis appelé de ses vœux ambitieux le jour où la tiare passa du front de Célestin V sur le sien (7), il expia sévèrement des fautes antérieures à son pontificat par toutes les épreuves qu'il dut subir pour le conserver. L'inquiétude et la crainte s'étaient emparées de cette âme naguère si fière : un langage faible et incertain, dicté par la politique, avait succédé à des protestations qu'une foi intrépide rendait si éloquentes. Il faut le dire tristement : Boniface VIII était réduit, pour ne pas voir son autorité renversée en Italie, à l'abaisser et à l'humilier en France (8), et dans cette réconciliation avec Philippe le Bel, conclue comme une nécessité, les médiateurs qu'il acceptait étaient précisément ces évêques que l'acte d'appel de l'ordre de Cîteaux appelait : *Clerici, consules principum, humanam amittere gratiam formidantes*, et qu'il avait flétris à son tour en les nommant dans la bulle *Clericis, laicos : nonnulli prælati plus timentes majestatem temporalem offendere quam æternam.*

Vingt-trois prélats dévoués à Philippe le Bel (le premier était l'archevêque de Reims, qui venait de reprendre possession de son siége; les autres étaient les archevêques de Sens, de Narbonne, de Rouen, les évêques de Beauvais, de Laon, de Châlons-sur-Marne, de Langres, d'Amiens, de Tournay, de Térouane, de Senlis, d'Auxerre, de Troyes, de Chartres, de Nevers, d'Avranches, d'Evreux, de Lisieux, de Coutances, de Dol et du Mans) avaient écrit au Pape pour lui faire connaître qu'ils étaient tenus la plupart par l'hommage, et presque tous par serment, de défendre l'honneur du roi (9). Ils avaient choisi entre eux des députés chargés de lui exposer qu'ils voyaient le roi obligé par le soin de son honneur et la conservation de son royaume à de grandes dépenses, et qu'ils désiraient lui venir en aide en lui accordant une subvention. Boniface VIII s'empressa d'y consentir par la bulle : *Coram illo fatemur*, où il se plaignait vivement de la défection du comte de Flandre (10), et où il offrait pour la défense des droits du roi de France les biens de

(1) *Gallia Christiana*, IX, col. 120.

(2) Henriquez, *Priv. ord. Cisterc.*, p. 84; Dupuy, *Preuves de l'hist. du différend de Boniface VIII et de Philippe le Bel*, p. 14.

(3) *Nec parum amisisse censetur qui corda perdidit subditorum.*

(4) *Non solum persecutiones et exilia sed et corporalem mortem pro libertate ecclesiastica.* Dupuy, *Pr.*, p. 19.

(5) Dupuy, *Pr.* p. 21. Comparez ce qui est dit, dans la *Supplication du pueuble de France au Roy :* Ainsi départirent les fils d'Adam la terre et en furent seigneurs trois mille ans et plus, avant le temps Melchisédec, qui fut le premier prestre, etc. Dupuy, *Pr.*, p. 215.

(6) *Bonis suis quæ cum pauperibus habebant communia, multorum millium inopiam sublevantes.* Manrique, *Ann. ord. cist. ad ann.* 1176. Il n'est pas douteux que quelques abbés de l'ordre de Cîteaux ne se soient laissé séduire par le faste et l'orgueil. Un mot de Richard Cœur-de-Lion est resté célèbre : peut-être s'appliquait-il à l'abbé dont parlent les statuts du chapitre général de 1215 : *Abbas Belliloci in Anglia coram tribus comitibus et quadraginta militibus inordinate se habuit in mensa, hilariter bibendo ad Gargocil* (?), *et habet canem cum catena argentea ad custodiendum lectum suum, et adducit secum servientes seculares in equis, qui ei flexis genibus ministrant*, etc. Mais ces abus étaient sévèrement réprimés, et le chapitre général de 1289 avait renouvelé les anciennes prohibitions, *quia pauperes et humiles servos Dei non decet apparatu superfluo colorari.*

(7) Raynaldi. *Ann. eccl.*, passim

(8) Voyez l'*Histoire de la papauté pendant le XIV^e^ siècle*, par M. l'abbé Christophe, I, p. 97.

(9) *Quidam per homagium, fere omnes juramento fidelitatis.* Dupuy, *Pr.*, p. 26.

(10) *Illo jam imminente illic incitamento dissidii, comite Flandrensi videlicet, qui exterioribus perturbationibus sperabatur repagulum, et ipsi regno, velut de principalioribus membris unus, magnum auxilii fulcimentum, nostra ex hoc amaricantur intrinseca*, etc

Digitized by Google

l'Eglise et sa propre personne (1). Une autre bulle, la bulle : *Romana mater*, adressée à Philippe le Bel, lui annonçait que rien ne s'opposait à ce que le clergé lui accordât librement un subside (2). Le subside étant permis, on comprend aisément qu'il fut offert et accepté, et, de son côté, Philippe ne défendit plus d'envoyer à Rome l'argent recueilli en France pour l'entretien de la chambre apostolique, argent dont Boniface VIII avait grand besoin (3).

Dès ce moment, la réconciliation du pape et du roi de France est complète.

Le 15 mai 1297, Boniface VIII permet aux évêques dont nous avons déjà cité les noms de lever, au profit du roi, aux fêtes de la Pentecôte et à la Saint-Remy, une double dîme de tous les revenus ecclésiastiques, *auctoritate ecclesiæ, non invocata potentia bracchii secularis*, et voici quel est le préambule de cette bulle que nous croyons inédite :

Pridem ad nostram notitiam pervenit, vestris referentibus litteris, quas nobis communiter destinastis, quod, nephanda hostis antiqui procurante nequitia, qui quærit ut noceat, semper circuit ut offendat, christianissimi regis Francorum status turbationis multiplicis jactabatur fluctibus et intestini criminis gravi turbine quassabatur, tanto nos arctius doloris proinde aculeus pupugit, majorque turbatio nostri pectoris archana commovit, quanto regnum ipsum specialius gerimus in visceribus caritatis, et potiori desiderio ducimur ut illud prosperis successibus affluat et votivis eventibus fulciatur (4).

Le pape permettait l'emploi des censures ecclésiastiques pour contraindre au payement de cette dîme, et elle fut, en effet, exigée dans le diocèse de Tournay *sub pœna suspensionis et excommunicationis* (5).

Boniface VIII va plus loin encore, le 31 juillet 1297, dans la bulle : *Etsi de statu regni*, où il déclare que rien ne s'oppose à ce que le roi de France réclame des subsides ecclésiastiques sans l'assentiment préable du pape, s'il s'agit de la défense du royaume : *quin rex possit a prælatis et personis ecclesiasticis petere subsidium vel contributionem, inconsulto romano pontifice, non obstantibus constitutione prædicta seu quolibet previlegio* (6) ; et une bulle spéciale désigne l'archevêque de Rouen, l'évêque d'Auxerre et l'abbé de Saint-Denis comme exécuteurs de la dîme, en permettant cette fois l'intervention de l'autorité séculière contre les prélats et les personnes ecclésiastiques qui ne se soumettraient point : *quatenus prælatos et ecclesiasticas personas ad hujusmodi subsidium exhibendum auctoritate nostra, spiritualiter et temporaliter, prout utilius expedire videritis, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii secularis* (7)

Enfin, le 9 août 1297, une bulle qui commençait par ces mots : *Meruit sincera devotio quam karissimus filius noster Philippus rex Francorum illustris erga romanam ecclesiam gerit*, accorda au roi de France une année du revenu de tous le bénéfices vacants (8).

Philippe le Bel reconnut ces importantes concessions de Boniface VIII, non-seulement en abandonnant à ses propres forces la faction des Colonna, mais aussi en permettant qu'on ajoutât aux dîmes prélevées pour lui, une dîme réservée au pape, afin de l'aider dans sa guerre contre Frédéric d'Aragon.

Un document important de cette époque a été conservé dans le manuscrit des Dunes : c'est un appel adressé par le doyen et le chapitre de Tournay, afin que la générosité des fidèles soutienne les efforts du pape pour pacifier l'Italie. Un Colonna, Matthieu, prévôt de Saint-Omer, était l'un des chefs de cette croisade dirigée contre sa famille (9) :

G. decanus et capitulum ecclesiæ Tornacensis universis et singulis abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, præpositis, decanis, etc., salutem in Domino sempiternam.

Piscatoris navicula, suo exordio semper pacifica, Christi sanguine rubricata, mare navigans, procellis variis ventorum agitata, nunc fluctuat, sicut hactenus dampnatæ memoriæ Frederici quondam imperatoris temporibus fluctuavit, quæ nusquam defecit, testante Veritate quæ ait : Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua... Fidelium quemque latere non credimus qualiter Fredericus, natus regis Arragonum, furtivæ dominationis invidia, ex qua mundi tota duobus fratribus non sufficit latitudo, dampnatæ Ceciliæ gentis, in qua vetustæ cæcitatis remansit infamia, inflatus astutia, seu ultro excessum quærens et visum in luce perdens, insulam Ceciliæ, quæ est sanctæ romanæ ecclesiæ specialis, vigintl jam annis elapsis, armata manu, proditionis nota non carens, invasit hostiliter, et invasam, sæviente malitia, praviora quærens consilia, in apostolicæ sedis et illustris regis Ceciliæ præjudicium, adhuc detinet occupatam, qui, licet ab eo qui salutem omnium incessanter zelatur, ipsius errata corrigere nonnunquam blandis, quoque duris, quoque monitis, paterno sæpedictum Fredericum fuerit interpellatus affectu, ipse tamen, velut aspis surda obturans aures suas, non exaudit monita, non movetur blandis, non terretur acerbis, ut verificetur in eo illud propheticum : *Peccator cum venerit in profundum malorum, contempnit.* Audiat

(1) *Quinimo ecclesiæ Romanæ res, posse ac bona ac personam nostram exponeremus pro suorum conservatione jurium* (28 février 1296, v. s.). Baillet, *Hist. des démêlés de Boniface VIII et de Philippe le Bel*, Pr., p. 326 ; ms. des Dunes, n° 913. Raynaldi ajoute : *Aliis litteris egregium præsulum in juvando rege studium commendavit*, 1297. 45.

(2) *Quod si..., te ipsa constitutio non astringat* (7 février 1296, v. s.). Baillet, *Pr.*, p. 323.

(3) *Ad habendam pecuniam nostram pro causa prædicta.* Raynaldi, 1297, 42 ; Baillet, p. 56. La lettre adressée, à ce sujet, par le Pape à Philippe le Bel, porte la même date que la bulle : *Romana mater.* Raynaldi, 1297, 46.

(4) Ms. des Dunes, n. 911.

(5) Idem.

(6) Dupuy, *Preuves*, p. 40 ; ms. des Dunes, n. 60.

(7) Ms. des Dunes, n. 61.

(8) Ms. des Dunes, n. 514 et 910. Voyez ma notice sur ce manuscrit, p. 94 t. XXV des *Mém. de l'Académie.*

(9) Raynaldi, 1297, 41.

Digitized by Google

quoque gens electa, gens Deo dedicata, quanta et innumerabilis christianorum strages cum corona martirii, refricatis guerris, diem propter ea clausit extremum, ad quorum et futurorum regimen et cautelam sanctissimus pater noster Bonifacius thesaurum substantiamque romanæ ecclesiæ in tribulationibus et diversis guerris, nunc per montes et maria, plerumque per littora invia et devia, sic exhausit, ut de sumptuoso exercitu quem erga scismaticos et exules Columpnenses, perditionis filios, seditionis rectores, romanæ sedis alumpnos venenosos, serpentes genimina viperarum, ingratissimos viros indixit, subtaceamus, ad præsens pro celeri et pleno subsidio ad perfectionem indiget inceptorum, qui, licet ex plenitudine potestatis decimas ubique ecclesiarum imponere quantas et quotas valeat, quia tamen, cum gratiose aguntur, gratiosius acceptantur, monemus vos, etc. (1).

Nous savons qu'aux fêtes de l'Assomption 1298, l'ordre de Cîteaux paya une nouvelle dîme (2), et une lettre écrite à Compiègne, le 25 février 1299 (v. st.), par Jean de Sancy, abbé de Clairvaux, annonce la levée de deux autres dîmes, en joignant au récit des menaces du roi les plaintes les plus vives sur la triste situation de l'ordre de Cîteaux :

Venerabilibus et in Christo karissimis coabbatibus suis J. abbas Clarævallis, salutem et cum consolatione Sancti Spiritus septiferi, fructum obedientiæ salutarem.

Crebre profunda traximus et adhuc trahimus suspiria cum anxio gemitu cordis, videntes diebus nostris ordinem nostrum propter guerras, subventiones, contributiones et decimas intolerabiles, nisi subveniat divina potentia, subjici servituti. Vos siquidem latere non credimus qualiter et sub qua forma verborum vocati fuerint et citati per litteras regis Franciæ apud Parisius, in octavis nuper præteritæ Purificationis B. Mariæ, prælati, abbates, exempti et non exempti, capitula et collegia dicti regni, ad præstandum propter guerram Flandriæ subsidium dicto regi. Verum reverendo patri in Christo, karissimo domino Cysterciensi, et quatuor primis abbatibus et quibusdam aliis abbatibus, ibidem dicta die existentibus, coram domino rege expositum fuit periculum et eminens necessitas dicti regni, ac etiam a dicto rege fuimus cum magna instantia requisiti, *quamquam posset, si vellet, virtute regia et privilegialiter fecisse quod forte nobis fuisset intolerabile et dampnosum.* Unde nos, consideratis his omnibus et tractatu diligenter habito, factum sequentes prælatorum non sine cordis angustia, domino Philippo regi concessimus duas decimas duobus annis continuis persolvendas, pro nobis et pro universo nostro ordine Cisterciensi in regno Franciæ constituto. De reverendi in Christo patris domini Cisterciensis et primorum ac plurimorum aliorum abbatum consilio et assensu, auctoritate paterna, in generali capitulo prædicto patri et nobis primis commissa, in talibus arduis negotiis, in quibus non possit dictum capitulum expectari, sub pœna exponendi bona vestra manibus regalium compellentium ad solvendum, et contrahendi vestris sumptibus ad sarcinam usurarum et sub pœna trangressionis et inobedientiæ, præcipiendo mandamus, etc. (3).

Tel était le degré d'affliction dans lequel se trouvait cet ordre naguère si puissant et si illustre, mais déjà réduit à ne plus espérer d'autre protection que celle de Dieu.

Le comte de Flandre voit également la main de Philippe le Bel s'appesantir sur lui. En vain s'est-il prêté complaisamment aux exactions royales : la saisie du comté de Flandre est prononcée à deux reprises, et Gui lui-même, invoquant le texte formel des établissements de saint Louis (4), se déclare délié du serment d'hommage, parce que le roi lui refuse le jugement de ses pairs, en l'accablant « d'injures, de duretez et d'oppressions (5). »

Au moment où les abbés de Floreffe et de Gembloux portaient à Paris le défi de Gui de Dampierre, le sire de Blanmont et le sire de Cuyck se rendaient à Londres pour hâter la conclusion d'une alliance étroite entre le roi d'Angleterre et le comte de Flandre.

Voici quelle était la teneur des instructions qui leur avaient été données :

(1) MS. des Dunes, n. 246.

(2) MS. des Dunes, n. 568. Les statuts du chapitre général de 1298 mentionnent de nouveau les dépenses qui ont été faites *pro libertatibus ordinis defendendis.*

(3) MS. des Dunes, n. 926. Une lettre adressée peu de jours après à Boniface VIII, par l'abbé de Saint-Germain des Prés, offre les mêmes plaintes : *Sanctissimo in Christo patri ac domino suo B. divina providentia sacrosanctæ romanæ ecclesiæ universali et summo pontifici : J. ejus creatura devota, monasterii sancti Germani de Pratis Parisiensis abbas, et totus ejusdem loci conventus, cum sui recommendatione, se ipsos ad pedum oscula beatorum. Infirmi et graviter languidi semper sitiunt sanitatem... Quamobrem ad scabellum pedum sanctitatis vestræ currentes, infirmitates et dolores nostros exponimus, quibus jam gravati et fessi immense, quasi sincopizati, timemus ne amplius resurgere valeamus : videlicet quod nostrum monasterium debitis est graviter obligatum, propter expensas quas me abbatem in romana curia facere decuit et eas quas domino regi Francorum pro regni subsidio ministrare oportuit, nec non et usurarum voraginem quæ nos rodunt, sicut et mala et dolorosa mutatio monetarum ; et creditores nostri nos fastidiunt et infestant, et de die in diem versecuuntur*, etc.

(1er mars 1299, v. st. Archives de Bourgogne à Dijon, document communiqué par M. Guigniard). Quelle ne devait pas être la position des autres monastères, si l'abbaye royale de Saint-Germain, fondée par Childebert, était réduite à tenir ce langage ? Godefroi de Paris dit dans sa chronique :

Je ne voi au jor d'hui yglise
Qui ne soit à ceste fin mise,
Qui primier n'ait paié diziesme,
Duble diziesme et cinquantiesme :
. . . . . .
Celz qui le prennent, n'en font
Vers sainte yglise leur devoir.

(4) Etablissements, 49 et II, 27. On sait que Ducange, en publiant les établissements de saint Louis, remplaça le mot : *roy*, par celui de *chief seigneur*, dans le chapitre qui permet au vassal, en cas de défaut de droit, *de semondre son home pour aller guerroier le roy.* Il faut ajouter que saint Louis avait juré, en montant sur le trône, qu'à l'avenir le roi ne prononcerait plus la confiscation des grands fiefs sans le jugement des pairs.

(5) Lettre du comte de Flandre à Philippe le Bel, 9 janvier 1296 (v. st.), archives de Paris. J'ai publié cet important document dans mon *Histoire de Flandre*, 1re édit., t. II, p. 559.

Digitized by Google

Che sunt les paroles ke on doit dire au roy d'Engleterre, u à ses gens, de par le conte de Flandres.

Au commenchement, on doit dire ensi : Sire, on désire ke vous sachiés ke messires de Flandre et medame de Flandres et tout li enfant de Flandres, et tout chil ki les aiment, ki le cuer k'il ont à vous ont conneu et connoiscent, vos ont moulte bon cuer portei toute cheste wière, et l'ont monstrei par oevre, si avant ke par loialtei l'ont peu faire. Sire, voire est ke li rois de Franche a moulte pressei et moulte de injures fait à monsigneur de Flandres, et moulte plus, puis ke les convenenches de monsigneur Edoard, vostre fil, et de medemiselle Philippe furent faites, ke devant, et pour ce ausi ke mesire de Flandres ne vot mie faire en vous grevans ce ke li rois de France li faisoit mettre avant, et k'il li faisoit requerre, et li cuens s'est adès moult débonairement et moulte humlement portés enviers le roy, en requérant adès k'il fust maintenus en raison et en droit. Bien est voirs ke li dus de Braibant, ki niés est à monsigneur de Flandres, et li cuens de Bar, ki cousins germains est à medame de Flandres, et ki sunt, sire, loyet à vous, et pluiseur autre gent ki vos aiment et ki aiment ausi monsigneur de Flandres, ont mis avant à monsigneur de Flandres de piechà k'il rewardast à son afaire, et k'il s'aidast et confortast, et se mesist encontre le roy de Franche avoeques vous. Et pour che ke bien savoient et bien sèvent ke messires de Flandres pooir n'a de lui et se terre mettre encontre le roy de Franche, pour les mises ke mettre convient, bien disent adès et affermèrent moulte aciertes ke, se faire le voloit, k'il aroit de vous che k'il vorroit. Aucun reportoient nombre d'argent, et aucun parolle moulte grande, sans mettre nombre d'argent, sire, et aucun de ki à vous sunt, lisoient à aucunes gens ki sunt à monsigneur de Flandres ke, se li cuens le voloit faire, k'il aroit de vous che k'il vorroit d'argent, et mariages ausi pour ses enfans. Sire, toute si faites paroles et moulte d'autres furent reportées à monsigneur de Flandres. Sire, il ki teus est, comme vous bien le connoisciés loials et prudom, convient k'il vos amast de bon cuer, pour warder se loialté en tous poins, ne volt onques rendre response certaine, ainskes adont k'il eust le roy de Franche trouvei en défaute parfaitement envers lui et summei de tout, et del roy sommer se travella-il; car les injures ke li rois de Franche li soloit faire, il les contrestoit plus asprement k'il ne soloit, en requérant ke drois et raisons li fuscent fait, sans faire parler par moyen, ne par moyène, en espéranche ke, s'on li eust fait droit et raison, k'il le presist, et s'on ne li feist, k'il se peust aherdre à chou ki dit li estoit, sire, de par vous, laquèle choze il cuidoit trover moulte preste, quant la chose à ce se donroit, sepnc che ke on li avoit dit. Sire, ore est ensi avenu e li cuens de Flandres a tout summei le roy de ranche et mis parfaitement en défaute : par quoy erc de droit et de divinitei ont dit et dient ke li oys de Franche a tant meffait envers le conte, ke cuens est desloyés de homage, de serviche, de auté et de toute redevanche k'il li devoit u pooit evoir. Et quant li cuens eut chou ataint de savoir, vos gens il envoia por eaus certefyer de se resonse sour che dont autre fie il avoit estet de par ous aparleis, et k'aucun de ses gens lui avoient asi raportei de vos gens. Sire, demandes fist li uens de Flandres telles, en oquoyson des alliances ar lesquelles il peust soustenir mius l'emprinse ncontre le roy, lesquèles demandes ne furent mie nsi oys, comme on se fioit par les paroles ke on voit oyes devant. Nequedent vos gens parlèrent moult courtoisement, et disent k'il n'avoient autre pooir, et ke vous, s'on voloit tant atendre, feriés plus courtoisement k'il n'avoient pooir de faire, ne ke faire n'oseroient. Et li cuens de Flandres, sire, ki devant che ke vos gens veniscent à Cambray un peu de tans, avoit le signeur dé Blanmont et le signeur de Kuc esli et ordeneis à venir à vous de par lui, et mis à voie s'estoient, mais parvenir n'i peurent mie, par l'empècchement dou tans, et ki ausi rewardoit k'il avoit tant fait et tant contrescivé contre le roy de Franche, puis ke dit li fu ke desloyés en estoit, ke plus atendre ne voloit, s'assenti en chou ke vos gens faire li voloient, sauve che k'il se mist adès dou sourplus, en le franchize de vostre conniscance en lequèle il se fie sour toutes riens. Et pour parfaire, sire, toutes les besognes et metre en certainitei de chou ke fait est par vos gens, et ke vous ferés par vo grasse, dont on se fie bien tant et plus ke de che ke fait est, li cuens de Flandres a envoyet à vous le signeur de Blanmont et le signeur de Cuk et son recheveur de Flandres, soufisantment warnis de par lui, liquel vos requièrent pour Diu k'il soient hastéement et tost délivrei, car il est grans besoins k'il soient tost dèlivrei, car, sire, savoir deveis ke li cuens de Flandres, quant il envoia chi à vous, envoia d'autre part au roi de Franche dire et nuncher de par lui par deus abbeis, ch'est à savoir l'abbei de Floreffe et l'abbei de Jemblos, ke li cuens de Flandres estoit desloyés à lui par ses mesmes défautes, et chel nunchement fait, ki orendroit est fait, li cuens de Flandres ostera de tout sen pays, et par terre et par mer, tous cheaus ki de par le roy i sunt, et ensi sera guerre commenchié, et ne cuidens mie si tost venir en Flandres ke le viert commenchie (1).

Un traité fut, en effet, signé peu de jours après dans la chapelle de Notre-Dame de Walsingham, Édouard I^er^ y annonçait qu'il soutiendrait Gui de ses trésors et de ses armées, et s'engageait à ne jamais traiter sans lui : promesse solennelle qu'Édouard refusa toutefois de confirmer par son serment, attendu, disait-il, « ke de usage avons « k'en propre personne ne jurons mie (2). »

Enfin, le 25 janvier 1296 (v. st.), le comte de Flandre fit lire, dans l'église de Saint-Donat de Bruges, un acte solennel d'appel au pape, où se trouvaient reproduits tous ses griefs contre le roi de France.

Cum vir nobilis, Guido comes Flandriæ, more progenitorum et antecessorum suorum Flandriæ comitum, ratione comitatus Flandriæ, pro parte de regno Franciæ existentis, unus de paribus regni existeret, et eumdem comitatum a rege Franciæ, in feodum teneret, idem comes pro eodem feodo regi Franciæ Philippo qui nunc est, fidelitatem fecit et homagium, prout alias claræ memoriæ Ludovico et Philippo, progenitoribus ipsius regis, fecerat, et ipse rex ad fidelitatem et homagium eumdum comitem in sua fide recepit. Deinde idem rex pro suæ voluntatis arbitrio, et excluso prorsus rationis judicio, licet eumdem comitem sibi, prout debuit, jure fidelitatis et homagii tanquam domino et regi obedientem adversus quoscumque, in jure suo, et maxime in hiis quæ pertinebant ad feodum, defendere deberet et regere, impugnavit eum, et jura ipsius comitis ad ipsum ratione ipsius feodi et aliorum pertinentia occupavit, et contra statum et honorem ipsius comitis machinatus est, et in jure eidem faciendo defecit, et expresse sibi jus facere recusavit, et dampna plurima ei dedit, et corrori

(1) Archives du royaume de Belgique.
(2) Déclaration du 2 février 1296 (v. st.), Archives de Ruyelmonde

Digitized by Google

suo violentiam intulit, et cum inimicis comitis in A læsionem ipsius confœderationem fecit, et cum aliquibus subditis comitis de terra sua de confœderatione adversus comitem tractavit, et ipsos visus est seducere, et eos adversus comitem dominum suum commonivit, et sollicitavit eos super hiis per se et suos. Conventiones etiam de modo tractandi ipsum comitem per jus et pares suos, de hiis quæ rex ei debet facere, et comes versa vice regi, ab olim inter reges et comites, eorum prædecessores habitas, et de regibus in reges et comitibus in comites successivis temporibus, et per ipsum regem qui nunc est et eumdem comitem renovatas et jurejurando firmatas, violavit et fregit, et fide per eumdem rupta, ipse rex in præmissis, non solum semel sed etiam pluries, quasi infinitis vicibus, et in aliis quasi innumerabilibus, eumdem comitem prosecutus est, multiplicatis contra Deum et justitiam gravaminibus, incessanter, cumque ipse comes frequentissime supplicaret regi quod jus ei faceret, B et ab hujusmodi injuriis abstineret, nunquam ab eo exaudiri potuit, et cum per pares suos peteret jus sibi fieri, quod de jure et de consuetudine et per conventiones prædictas facere debebat eidem, ipse rex, se per hoc offensum reputans, indignationis aculeos committit in ipsum, et quanto humilius ipse comes, propter Deum et justitiam et honorem suum conservandum, et pacem quam semper desiderabat cum rege habendam, et ejus acquirendam benevolentiam et gratiam, obedivit eidem, tanto asperius tractavit eum, et per injurias molestavit per hæc et alia, de quibus non solum terribile est loqui, sed horrendum etiam cogitare, et execrabile hominum in auditu; et ad ultimum comes, cui hæc amplius pati non est possibile, sentiens culpa ipsius regis vinculum fidelitatis et homagii, conventionum et pactionum, juramentorum et fidei, subjectionis et obedientiæ et alterius cujuscumque confœderationis et obligationis, quod inter regem C et ipsum extiterat, penitus dissolutum, et se ab hiis prorsus absolutum et liberum, quia rex ipse superiorem non recognoscit in terris, ad protectionem et auxilium omnipotentis Dei confugit. Verum quia comes ipse, qui amodo ipsi regi obedire non debet nec intendit, cum ad id non teneatur de jure, probabiliter et verisimiliter, maxime etiam cum præsumendum sit de præteritis ad futura, timet sibi et timere debet, ne rex ipse vel alius, occasione præmissorum, per injuriam ecclesiasticorum judicum seu executorum aliquorum, seu alias, vel alius aliquis ipsum comitem gravet et molestet indebite contra jus et justitiam, et ipse comes paratus est et offert stare juri super præmissis et aliis coram domino papa seu quocumque alio judice competenti, si rex ipse aut alius contra eumdem comitem in aliquo voluerit experiri : ego Johannes dictus Brantin, prænominatus, procurator ejusdem comitis, nomine ipsius et pro ipso, sub testimonio præsen- D tium virorum a me ad hoc rogatorum, ipsum comitem, statum, sibi adhærentes et suos, terram suam et sibi subditos et sua, protectioni curiæ romanæ supponens, ad eamdem curiam romanam appello seu provoco in hiis scriptis contra prædictum regem, et contra quoscumque qui sua crediderint interesse, et contra judices seu executores et alios injuriatores quoscumque, et si quis in præmissis aut aliis ipsum comitem, sibi adhærentes et suos, et sibi subditos in personis aut terris aut possessionibus aut rebus suis vel aliis gravet, turbet, inquietet, molestet, aut vexet, seu quodcumque faciat injuste vel indebite, in figura judicii vel extra, in præjudicium ipsius comitis, sibi adhærentium aut subditorum suorum, et instanter apostolos peto et protestor de appellatione seu provocatione hujusmodi facienda et innovanda loco et tempore, et prout fieri debebit de jure. Et quia dominus comes prædictus, seu ego aut alius procurator, seu ex parte ipsius aut pro ipso, propter metum ipsius regis et suorum qui in constantem virum cadere debet, in præsentia ipsius regis aut suorum super præmissis appellare seu provocare non possumus nec audemus, protestor nomine quo supra de appellando seu provocando, et de renovando seu innovando appellationem seu provocationem prædictas super hiis, et de notificando hæc ipsi regi, dum cessaverit hoc impedimentum, et dum commode facere poterimus, et prout de jure fuerit faciendum (1).

Cet acte d'appel, renouvelé à plusieurs reprises, au mois de mars et au mois de mai, reçut l'adhésion des abbés de Saint-Pierre, de Saint-Bavon, de Marchiennes, d'Eenhaem, de Saint-André, d'Oudenbourg, de Grammont, des Dunes, d'Eeckhout, de Saint-Nicolas des Prés, de Saint-Nicolas de Furnes, de Tronchiennes et de Ninove; des doyens de Bruges, de Furnes, de Cassel, de Seclin, de Douay, de Courtray et d'Harlebeke; des prévôts de Gand, de Thourout, de Watten, de Loo et d'Eversam (2). Une lettre du 22 juin 1297, annonça au Pape que le comte de Flandre avait choisi Michel As Clokettes, Jean Beck et Jean de Tronchiennes, pour soutenir cet appel (3).

Gui de Dampierre se confiait dans l'alliance de l'empereur Adolphe de Nassau et du roi d'Angleterre, Édouard Ier.

Adolphe de Nassau lui écrivait le 31 août 1297.

Lorsque peu après Philippe de Thiette revint à Bruges, une décision plus importante fut prise : on résolut de supplier Boniface VIII de créer en Flandre des évêques qui, au lieu d'être les constants instruments de la politique étrangère, entretiendraient chez les populations probes, laborieuses et simples la foi religieuse qu'elles avaient conservée intacte, malgré tant d'excommunications et tant d'interdits, au milieu des guerres les plus sanglantes.

Supplicant sanctitati vestræ clerus et populus Flandrensis, Tornacensis, Morinensis et Attrebatensis dyocesium, etc., cùm plurimi eorum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis a canonibus aut statutis synodalibus vel provincialibus, vel etiam ab ordinariis aut delegatis judicibus se dubitent irretitos, plurimæ etiam ecclesiæ comitatus et diocesium prædictorum sint per effusionem sanguinis aut sævius violatæ, et in nonnullis ecclesiis ac cymeteriis comitatus et dyocesium eorumdem propter eorum immunitatem infractam aut interfectionem, mutilationem, vulnerationem, verberationem vel captionem personarum ecclesiasticarum aut laycarum, per statuta provincialia aut synodalia a divinis et sepulturis cessetur, non sine infinitis animarum periculis, diminutione cultus divini, injuria fidelium defunctorum ac plurimo decremento salutis vivorum, nec possint super hiis a propriis episcopis seu eorum vicariis aut prædictis judicibus opportuna remedia obtinere, tum propter asperrimam persecutionem domini regis Francorum illustris assidue sævientem in ipsos, tum reverendi dicti domini episcopi, dicto domino

(1) Cette lettre, datée de la huitième année du pontificat de Boniface VIII, paraît appartenir (c'est aussi l'opinion de Dupuy) à l'année 1302 (v. st.), et on devrait en conclure que la neuvième année ne commença qu'après le 8 janvier. Les lettres encycliques par lesquelles Boniface VIII annonce son avénement au siége pontifical, sont datées du 24 janvier 1294 (v. st.). Rainaldi, 1295; 7. Cependant, si la huitième année de Boniface VIII avait commencé le 2 janvier 1301 (v. st.), il faudrait, en changeant la date de ces lettres de protection, les expliquer par quelques lignes de la bulle : *Ausculta fili.*

(2) *Ad compescendos conatus nefarios adversariorum, qui personas et loca ecclesiastica, super bonis et juribus suis, offendere et multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis nos decet opportunum remedium adhibere, quanto per amplius turbationes hujusmodi et molestiæ in divinæ majestatis offensam, ecclesiasticæ dispendium libertatis et apostolicæ sedis contemptum redundare noscuntur. Cum itaque (sicut ad nostrum pervenit auditum) dilecti filii, abbas Cistercii ejusque coabbates et fratres a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, in personis et bonis suis multipliciter molestantur, nos,* etc. *Priv. ord. Cist.*, pp. 86 et 87. Dupuy, *Pr.*, p. 85. Un privilége accordé vers la même époque à l'ordre de Cîteaux commence ainsi : *Nos propter magnæ devotionis effectum, quem ad nos et apostolicam sedem habetis, ordinem ipsum ac vos intima caritate prosequimur.* Dupuy, *Pr.*, p. 85; *Stat, ord. Cist.*, 1303. Je ne sais où dom Bouillart, *Histoire de l'abbaye de Saint-Germain-des-Prés*, p. 145, a trouvé que Boniface VIII avait appartenu à l'ordre de Cîteaux.

(3) Lenain. *Histoire de l'ordre de Cîteaux*, II, pp. 292 et 303. *O quanda obscuratum est aurum! quare sancti Ludovici, a quo rex trahit originem, luminosa offuscantur exempla?* Lettre du cardinal Matthieu Orsini. Dupuy, *Pr.*, p. 80.

(4) Les sentences d'excommunication fulminées par l'évêque de Tournay contre Gui de Dampierre paraissent avoir été nombreuses. Sur celle de 1297, voyez Warnkœnig, I, *Urk.*, p. 67.

(5) Ms. des Dunes, n° 576.

Digitized by Google

regi plus debito faventes, eos de die in diem graviter opprimunt et injuriis afficiunt manifestis; quanquam ipsi parati sint et semper fuerint, prædictos dominos episcopos tanquam patres in Christo reverendos humiliter revereri, et eorum mandatis salutaribus obedire, nec ad horam a patriæ suæ defensione abesse : dignemini, pater sanctissime, ipsis in hac parte misericorditer subvenire, committendo aliquibus qui auctoritate apostolica eis de absolutionis, reconciliationis, dispensationis, si opus fuerit, et relaxationis beneficiis ; per se vel per alios, provideant opportune.

Item supplicant sanctitati vestræ clerus et populus, ut supra, ut, cum personæ electæ ad ecclesiasticas dignitates aut ad ecclesias parochiales vacantes vel alia quæcunque ecclesiastica beneficia, et quælibet regulares et seculares, comitatus et dyocesium prædictorum præsentari non valeant, venerabilibus patribus, propriis episcopis, seu eorum vicariis, ut institutionem canonicam et ordines consequantur, et causæ eorum matrimoniales aut aliæ quælibet spirituales expediri non possint, non patent eis ad præfatos dominos episcopos seu eorum vicarios aut judices competentes accessus, propter guerram asperrimam illustris domini regis Francorum ipsis assidue ingruentem ; ex quibus contingit dictas ecclesias propriis defraudari rectoribus, Christique fideles propriorum sacerdotum cura destitui, cultum divinum diminui, ac plurima provenire pericula animarum : dignemini, pater sanctissime, ipsis contra hæc misericorditer providere, mandando alicui vel aliquibus, qui cuilibet ipsorum auctoritate apostolica vices dictorum dominorum episcoporum et judicum, per se vel per alium aut alios, suppleant opportune.

Item, supplicant sanctitati vestræ Philippus, natus comitis Flandrensis, Theatæ et Laureti comes, ac clerus et populus comitatus Flandrensis, sibi de vestræ sanctitatis benignitate concedi, quod, cum ad sumptus defensionis terræ Flandrensis contra potentiam domini Philippi regis Francorum illustris, propriæ prædictorum Philippi ac populi laycorum non suppetant facultates, possint licite ab ecclesiis, ecclesiasticis personis dicti comitatus opportunum ad hoc subsidium exigere et percipere, ac prædictæ ecclesiæ et personæ ipsius valeant licite exhibere constitutione vestra super hiis, pro immunitate ecclesiarum tuenda et personarum hujusmodi, edita non obstante, ac de relaxatione sententiarum et irregularitatis, si quas faciendo contra constitutionem eamdem, necessitate urgente, et postea miscendo se divinis, incurrerunt, sibi misericorditer indulgere.

Petitio creationis unius novi episcopi vel duorum in comitatu Flandrensi : inductiva tamen ad id videntur hæc posse proponi.

Quod licet comitatus Flandrensis in pluribus dyocesibus se extendat, sedes tamen episcopales, ad quas propter necessarium episcopale officium et ecclesiastica sacramenta ac plura alia oportet haberi recursum, sitæ sunt in terris inimicorum suorum.

Item, posito quod, dante Domino, pacificetur guerra, metus tamen erit ne habitatores hinc inde remaneant ad mutuas contumelias priores, ex quibus posset periculosa turbatio suscitari.

Item, quod maxima pars comitatus habet in usu ydioma theutonicum, quapropter non valent ydonee salutaribus monitis per suos episcopos informari, qui sui ydiomatis sunt ignari.

Item, quod dyoceses ad quas.... pertinent ita diffusæ sunt, et episcopatus ita pingues, quod sine gravi incommodo potest fieri eorum divisio opportuna.

Item, quod in comitatu Flandrensi sunt plures dignitates et ecclesiæ seu monasteria ita dotatæ, quod sine gravi præjudicio ipsorum possit uni episcopo aut duobus de parte aliqua proventuum suorum congrue subveniri.

Supplicant sanctitati vestræ clerus et populus comitatus Flandrensis ut, cum in comitatu eodem sint plures ecclesiæ ac cymeteria Tornacensis, Morinensis et Attrebatensis dyocesium per effusionem sanguinis et sævius violata, et in nonnullis ecclesiis et cymeteriis comitatus ejusdem propter eorum immunitatem infractam, aut propter interfectionem, vulnerationem, verberationem vel captionem personarum ecclesiasticarum, per provinciales aut synodales constitutiones a divinis et sepulturis cessetur, propter quæ cultus divinus minuitur, tepescit devotio, pululat insolentia minimi rectorum..... multiplicantur animarum pericula, et fideles defuncti carent opportunis suffragiis et ecclesiasticis sepulturis, nec non a venerabilibus patribus, propriis episcopis, aut eorum vicariis, possint istis temporibus super hiis remedia obtineri : dignemini, pater sanctissime, alio aut aliis committere, qui auctoritate apostolica vices præfatorum dominorum episcoporum suppleant in præmissis.

Supplicant sanctitati vestræ clerus et populus comitatus Flandrensis, Ternacensis, Morinensis dyocesium, ut, cum personæ electæ ad ecclesiasticas dignitates aut ad ecclesias parochiales vacantes, vel ad alia quæcumque beneficia ecclesiastica, et quilibet clerici, regulares vel seculares, comitatus et dyocesium prædictorum, propter guerram asperrimam domini regis Francorum illustris contra Flandrenses, præsentari non valeant venerabilibus patribus, propriis episcopis, seu eorum vicariis, ut institutionem canonicam et ordines consequantur ; ex quibus contingit dictas ecclesias de bitis defraudari rectoribus et ministris, Christique fideles propriorum sacerdotum cura destitui, cultum divinum minui, ac plurima opera salutis....., et tam ipsis ecclesiis et patronis earum, clericis vel laycis, quam electis et clericis prædictis multiplex præjudicium suboriri : dignemini, pater sanctissime, misericorditer providere quatinus hiis et similibus dictorum dominorum episcoporum vices congruo suppleantur in comitatu prædicto.

Item, quod, cum personæ ecclesiasticæ ad ecclesiasticas dignitates aut ad ecclesias parochiales vacantes, vel ad alia quæcumque beneficia ecclesiastica, et quilibet clerici, regulares vel seculares, comitatus et dyocesium prædictorum presentari non valeant venerabilibus patribus, propriis episcopis, seu eorum vicariis, ut institutionem canonicam et ordines consequantur, et causæ eorum matrimoniales et aliæ quæcumque spirituales (1).....

Cependant les événements, qui se précipitent vers un dénoûment trop prévu, ne laissent point à Boniface VIII le loisir de donner à la Flandre, libre et indépendante, ces évêchés qu'elle recevra, deux cent soixante ans plus tard, de la domination espagnole. Philippe le Bel, qui a longtemps dissimulé, Philippe le Bel, que Guillaume de Nogaret dépeignait comme une personne humble et bénigne, miséricordieuse et douce, pleine de religion, animée du zèle de la foi, tout entière aux prières, à la pa-

(1) Archives de Flandre à Lille. Ce document porte ce titre : *Ce sont les supplications que on dut faire à Rome ou tans que messire Philippe de Flandre tint l'administration de la terre de Flandre.*

Digitized by Google

tience et à la modestie, ne se vante plus de ne pas savoir se venger (1).

Le 14 juin 1303, dans une assemblée convoquée dans l'église de Notre-Dame (2), il reçoit, non plus comme roi, mais comme champion de la foi et comme défenseur de l'Eglise (Henri VIII invoqua aussi ce titre au XVI^e siècle), l'acte d'accusation où Guillaume de Plasian reprochait au pape d'avoir voulu réunir la puissance temporelle et la puissance spirituelle. Les députés des trois ordres de l'Etat entendirent l'énumération de tous les chefs d'accusation, la plupart si infâmes qu'on ne peut les reproduire : puis le petit-fils de Louis IX, dont ce même pape Boniface VIII avait proclamé la béatification (3), déclara que, bien qu'il eût voulu, fils respectueux, cacher au peuple la nudité de Noé, il se trouvait obligé, par sa conscience, de déférer au vœu formé par Guillaume de Plasian (4), pour la convocation d'un concile qui jugerait le pape. Les évêques présents adhérèrent après un peu d'hésitation (5). Une seule voix (6) s'était élevée avec courage pour défendre l'honneur de la papauté et pour protester contre l'usurpation sacrilége des droits et des libertés de l'Eglise : ce fut celle de l'abbé de Cîteaux. Philippe le Bel, qui était décidé à ne s'arrêter devant aucun obstacle, ne respecta ni sa pieuse conviction, ni sa courageuse persévérance. Tandis que le roi faisait publier une sentence de mort contre tous les ecclésiastiques qui sortiraient de France, parce qu'il avait besoin de leurs services dans sa guerre de Flandre, tandis que la même peine était commuée contre les officiers royaux qui ne s'y opposeraient point (7), le chef illustre de l'ordre le plus puissant de l'Europe était traîné aux tours du Châtelet, que gardaient quatre-vingts sergents à cheval et quatre-vingts sergents à pied (8), c'était, sans doute, ce que le roi appelait, de même que lorsqu'il avait fait arrêter l'évêque de Pamiers : offrir à Dieu le meilleur de tous les sacrifices par la voie de justice (9).

Boniface VIII voulut honorer le dévouement de Jean de Pontoise, en lui accordant deux priviléges qui passèrent à ses successeurs : le premier était de sceller en cire blanche (10), le second était de placer sur son sceau l'image du pape, assis dans la chaire de saint Pierre, et revêtu des ornements pontificaux, et Boniface VIII expliquait ce privilége par ces paroles mémorables adressées à Jean de Pontoise : *Mecum sedisti, mecum sedebis* (11) ! Enfin, lorsque Sciarra Colonna, caché quelque temps chez l'usurier florentin Musciato Francesi, autre complice de l'avidité et de la violence de Philippe le Bel (12), pénétra dans Agnani en criant : Mort au pape ! on y trouva la bulle *Super Petri solio*, où la captivité de l'abbé de Cîteaux était mentionnée parmi les attentats qui appelaient sur le roi de France les foudres de l'Eglise (13).

Boniface VIII ne survécut que quelques jours à l'attentat d'Anagni. Ses contemporains l'avaient accusé d'ambition et d'avarice : il s'était réhabilité

(1) *Persona humilis et benigna, misericors et mansueta, timorata apud Deum et apud homines, semper timens peccare in agendis, magnæ religionis et fidei ardore succensa, vacans diebus singulis orationi et divinis officiis, summæ patientiæ atque modestiæ, nec unquam ad vindictam inimicorum suorum guerras movit vel fovit.* Dupuy, *Pr.*, p. 438.

(2) *Concilio Parisiis in ecclesia B. Mariæ congregato.* Chr. MS. citée par Raynaldi, 1303, 35.

(3)
Ce fut celui qui saint Looiz
Canonisa et releva ;
Mès le sien lignage trouva
Après moult cruel anemy ;
Quant je le dî, ce poise mi.
(Godefroi de Paris, *Ch. mêt.*, 2210.)

(4) Faut-il écrire : Plassian, Plasian, Plessiac ou Plessis, Nogaret ou Longaret ? Toutes ces manières d'orthographier les noms sont du temps, et rien ne prouve mieux combien ces noms étaient obscurs. Plasian et Nogaret prenaient le titre de chevaliers ès lois. Un manuscrit me fournit le texte d'une de ces concessions de chevalerie juridique : *Notum... quod nos dilecto nostro Johanni Marci, legum doctori, de Montepessulano, suis meritis exigentibus, de gratia concedimus speciali ut ipse, non obstante quod nobilis non existat, militari cingulo, quotiens sibi placuerit, valeat insigniri, et ad omnes actus nobiles admittatur. Registre des concessions royales sous Philippe le Bel*, fol. 123. (Archives de Belgique.) Le même manuscrit renferme plusieurs pièces intéressantes pour la biographie d'Enguerrand de Marigny, de Guillaume de Nogaret et de Guillaume de Plasian. Voyez notamment le contrat de mariage d'une fille de Guillaume de Plasian avec Raymond Pelet, seigneur d'Alais.

(5) *Hujusmodi negotium non solum arduum imo arduissimum reputantes.* Dupuy, *Pr.*, p. 102.

(6) *L'abbé de Cistiaux seul, à eux non assentant, avec indignation et desdaing tant du roy comme des prélas, Chr. de St-Denis*, V, p. 150. *Abbate Cistercii duntaxat excepto.* Cont. Guill. de Nangis, 1303, Giov. Villani, VIII, 62. La chronique en vers des abbés de Cîteaux dit de lui : *Fulgur tonans sceleratis.* Peut-être faut-il ajouter au nom de l'abbé de Cîteaux ceux des abbés de Prémontré et de Cluny, *Ann. dominican. Colmar.*, 1303.

(7) Dupuy, *Pr.*, pp. 132 et 133. Philippe le Bel profita de cette défense pour faire arrêter tous les prêtres italiens qui se trouvaient en France. Voyez la bulle : *Super Petri solio.* Raynaldi, 1303, 36.

(8) Ordonn. du 15 novembre 1302. Félibien, *Pr.*, p. 615.

(9) *Deo facere per viam justitiæ sacrificium optimum.* Dupuy, *Pr.*, p. 630. Je ne trouve aucune mention de la captivité de Jean de Pontoise dans les statuts de l'ordre de Cîteaux de 1303. J'y lis seulement : *Cum ordo sit in magnis debitis, et diversis creditoribus obligatus.*

(10) Ceci était, paraît-il, une distinction très-importante. Les empereurs n'employaient point d'autre cire, et l'on rapporte que lorsque Frédéric IV créa un duc de Modène, il lui accorda le privilége de sceller en cire blanche. *Eléments de paléographie*, par M. de Wailly, II, p. 52.

(11) Sartorius, *Cist. bis-tertium*, p. 626. *Cistercienses*, dit saint Antonin de Florence, *fuerunt magna columna Ecclesiæ.*

(12) D'après Villani, ce fut Musciato Francesi qui donna à Philippe le Bel le conseil de falsifier les monnaies.

(13) Raynaldi, 1303, 36.

Digitized by Google

aux yeux de la postérité, en offrant au martyre un front chargé de quatre-vingt-six années (1). A peine la tombe est-elle ouverte pour lui, que le comte de Flandre et l'abbé de Cîteaux l'y suivirent. Il semble que le dernier représentant de la puissance temporelle de la papauté ait entraîné avec lui les derniers représentants de la puissance des grands vassaux et des ordres religieux.

Gui de Dampierre acheva ses jours dans la tour de Compiègne, et ce fut dans une abbaye de l'ordre de Cîteaux qu'il reçut la sépulture.

Jean de Pontoise avait déjà cessé de vivre. Plus heureux que Gui de Dampierre, il avait vu s'ouvrir les portes de sa prison, et le continuateur de Guillaume de Nangis raconte qu'il avait abdiqué la dignité abbatiale pour préserver son ordre des funestes conséquences du ressentiment du roi (2). Cependant le souvenir de sa sainteté et celui de son courage se conservèrent entourés de respect, et il fut inscrit dans le martyrologe des bienheureux de Cîteaux, où l'on a résumé, en quelques mots, l'histoire de sa vie : *Per multos labores et varia rerum discrimina, ad pietatis monasticæ fastigium, indefesso studio, ascensus* (3).

C'est à peu près ce que la chronique des Dunes dit aussi de l'abbé Jacques de Biervliet, mort vers le même temps que Jean de Pontoise, et réduit, comme lui à se démettre de son autorité : *Senio et*

(1) Godefroi de Paris est peu favorable à Boniface VIII, mais le pontificat des papes d'Avignon a suffi pour le faire regretter, et le poëte chroniqueur ajoute :

Ose dire qu'en franchise
Fu tenue à son temps l'yglise,
Et si croy, à vérité dire,
Que l'en li fist tout le martire
Por l'église qu'il avoit chière.

(2) Cont. Guill. de Nangis, 1304; chron. de Saint-Denis, V, p. 162. L'abdication de Jean de Pontoise ne termina pas les persécutions de Philippe le Bel contre l'ordre de Cîteaux. Je citerai, à ce sujet, deux documents.

Le premier est relatif à la dîme biennale accordée par le pape Benoît XI (Bulle du 14 mai 1304, à Pérouse : *Ex multiplici negotiorum varietate*, MS. des Dunes, n° 338, et Leblanc, *Traité des monnaies*, p. 188), afin que le roi de France améliorât sa monnaie (*ut moneta, considerato communi fidelium commodo, ad valorem et pondus reducatur in quo fuit tempore beati Ludovici.*

Venerabilibus et in Christo karissimis coabbatibus suis salutem, et post labentis vitæ tribulationes et oppressiones varias, felicitatis æternæ solatium præstolari.

Universitatem vestram credimus non latere, quomodo biennalis decima domino regi Francorum per summum pontificem sit concessa, et qualiter ipse dominus rex per collectores suos et baillivos ad solutionem subitam et insolitam voluit compellere nos et nostros, et abbatias singulas et loca nostri ordinis singulariter decimari, in ipsius ordinis posteram confusionem et inopinabile ac irreparabile detrimentum : propter quod, reverendus pater, dominus Cisterciensis, præsentibus et futuris periculis obviare cupiens, et honorem ordinis incontaminatum pro viribus observare, regiam adiit majestatem, et tandem, votiva favente gratia, non sine cordis angustia et afflictione spiritus, cum domino rege prædicto composuit, prout alias factum extitit, sicut in litteris regiis inde confectis, quarum tenorem vobis mittimus, plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, vobis nichilominus, in virtute sanctæ obedientiæ, dantes firmiter in mandatis, quatenus vos et vestrum quilibet summas vobis in ultima nuper petita decimatione impositas in moneta debili, in bona et forti moneta parvorum et antiquorum Turonensium, pro duabus decimis, duobus terminis infrascriptis, prædicto patri domino Cisterciensi vel ejus mandato, apud Parisius, in octava beati Remigii proxima, pro prima decima, et pro secunda in octava Beati Johannis Baptistæ continue subsequentis, sub expositione bonorum vestrorum manui regiæ, et obligatione usurarum, si quid absit et propter hoc mutuum contrahere contigerit, locis et terminis assignatis, sine diminutione aliqua, persolvatis. Licebit insuper, pro expensis et laboribus evitandis, primam solutionem facere dicto patri vel ejus mandato, in Divione, tempore capituli generalis. Si vero regii collectores aliquid jam a vobis extorserint vel levaverint, nomina ipsorum collectorum et summas persolutas per litteras mittatis, vel etiam deferatis, et nos illud faciemus de vobis et ordine defalcari, etc. (Ms. des Dunes, n° 609.)

Le second se rapporte à la levée d'un cinquième, faite en 1305 (*Pr. des libertés de l'Eglise gallicane*, II. p. 234).

Acuti doloris aculeis in intimis confossi, causam, imo casum nostri ordinis Cisterciensis et totius ecclesiæ gallicanæ deplorantes multipliciter aggravari, intimamus quod nuper Parisius, reverendus in Christo pater, dominus abbas Cisterciensis, una cum cæteris prælatis regni et personis ecclesiasticis convocatus ad tractandum de subventione domino nostro regi præstanda, prætextu quorumdam privilegiorum sibi a domino papa concessorum de novo, annuens ne virtute dictorum privilegiorum majora possemus incurrere gravamina, coactus concessit, una cum cæteris prælatis regni et aliis personis ecclesiasticis pro se, nobisque, monasteriis et locis nostri ordinis in dicto regno constitutis, quintam unam omnium reddituum et proventuum nostri ordinis in duobus terminis persolvendam, etc. (Ms. des Dunes, n° 515.)

Voyez aussi Martène. *Thes. anecd.*, I, col. 1343. Il faut descendre jusqu'aux dernières années de Philippe le Bel pour trouver les traces d'une réparation dictée, soit par le remords, soit par la crainte d'une insurrection générale. Un document conservé aux archives de Lille nous apprend que le roi exempta, au mois de septembre 1312, l'ordre de Cîteaux de toutes les dîmes qui pourraient être levées à l'avenir, et j'ai sous les yeux une lettre du 20 mars 1313 (v. st.) où il annonce qu'il veut venir en aide à l'abbaye de Clairvaux, jadis si célèbre par la pompe et l'éclat des cérémonies religieuses, mais déjà menacée d'une ruine complète.

Monasterium inter cætera monasteria præclarum et nobile, tot et tantorum onere debitorum opprimitur, quod, nisi de celeri remedio provideatur eidem, ipsius monasterii servientes per loca varia dispergere miserabiliter oportebit, et per consequens in eo divinum officium, quod ibidem hactenus tam devote, tamque solempniter celebratum extitit, omnino destrui, ipsumque monasterium ad irreparabilis desolationis miseriam devenire. (Ms. des Dunes, n° 868.)

Et c'est Philippe le Bel lui-même qui, avant de mourir, traçait ainsi la triste histoire de son règne!

(3) Henriquez, *Menol. ord. Cisterc.*, p. 92; *Gallia christiana*, IV, col. 998.

Digitized by Google

longa ægritudine fractus (1), et cette plainte suprême, aussi vraie pour l'abbé de Cîteaux que pour l'abbé des Dunes, pour le pape que pour le comte de Flandre, n'est que l'histoire de la fin du XIII^e^ siècle, ce siècle remarquable entre tous ceux du moyen âge par sa science et sa gloire, ses vertus et son génie.

(1) *Chr. mon. de Dunis*, p. 14.

DIPLOMATA DUO

HUCUSQUE INEDITA (1).

I

Hatto Trecensis episcopus, ad preces Hugonis Antissiodorensis episcopi et Bernardi Clarævallensis, monasterio Aremarensi ecclesiam de Clareio et ecclesiam de Follis concedit.

(Intra an. 1132-1136.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Hugo, Dei gratia Antissiodorensis episcopus, et ego Bernardus, Clarævallensis abbas, omnibus Christi fidelibus.

Omnis qui est ex veritate libenter audit veritatem et perhibet testimonium veritati ; eapropter universitati fidelium notificamus quod Hatto, venerabilis Trecensis episcopus, ad preces nostras et per manum nostram dedit Aremarensi monasterio ecclesiam de Clareio et ecclesiam de Follis (2), laudantibus Manasse de Villamauro, et Falcone, archidiaconis suis ; et ut donum istud firmum illibatumque permaneat, prædictus episcopus et nos apostolico bonæ memoriæ domini Innocentii papæ secundi munimine . . . . . Ne vero tam manifesta veritas aliqua succedentium temporum vetustate vel muta. . . . . nostræ confirmare curavimus.

(*Original en parchemin, sans date. Au dos est écrit: « De ecclesiis Clareii et de Follis donatio nobis facta. » Le sceau qui pendait, par double queue, en parchemin, manque. — Archives de l'Aube, fonds de Moutier Ancey*).

II.

Hatto Trecensis episcopus ad preces « bonæ memoriæ » Bernardi abbatis Clarævallensis ecclesiam Lusiniaci canonicis B. Lupi Trecensis concedit.

(Anno 1143.)

Ego Hatto, Dei gratia Trecensis episcopus, notum fieri volo omnibus tam futuris quam præsentibus quod bonæ memoriæ domnus Bernardus, abbas Clarævallensis a nobis petiit quatenus ecclesiam Lusiniaci canonicis Beati Lupi Trecensis concederemus. Quem scilicet abbatem cum pro sua sanctitate in magna veneratione haberemus nihilque ei quod a nobis juste peteret omnino negare vellemus ; prædictam ecclesiam supradictis canonicis, domno scilicet Everardo abbati cæterisque fratribus sub ejus regimine Deo famulantibus eorumque successoribus, salvo nostro episcopali jure, in perpetuum concessimus. Sed quia quidam miles nomine Galterus Piscator tertiam partem in minuta decima et in oblationibus quatuor majorum solemnitatum et in censu atrii antiquitus habuerat et usque ad nostrum tempus tenuerat, totum hoc vigore ecclesiasticæ justitiæ de manu ejusdem militis excussimus, et donum quod de cæteris in eadem ecclesia prædictis canonicis feceramus de hoc etiam supplere curavimus. Hoc autem tali modo factum est, quod prædicto abbati suisque successoribus capellanum qui eidem ecclesiæ deserviat sive regularem seu sæcularem eligere licebit. Qui cum idoneam personam elegerit, eam episcopo præsentabit, eidemque curam supradictæ ecclesiæ absque ulla contradictione episcopus præbebit. Isdem vero capellanus de his quæ ad jus episcopale pertinent, scilicet de circadiis et synodis respondebit. Debet autem eadem ecclesia per singulos annos XVI denarios, octo videlicet in paschali synodo, octo vero in illa synodo quæ in Septembri agitur ; in tertio autem anno quinque solidos. His itaque a presbytero, qui in eadem ecclesia erit, sicut consuetudinis est, in generali synodo persolutis ; de cætero isdem presbyter liber et ab omni exactionis genere absolutus permanebit. Hujus rei cooperator exstitit dilectus filius et archidiaconus noster Manasses de Villamauro, ad cujus curam eadem ecclesia spectabat. Quia ergo hoc donum quanto saniori intentione factum fuit, tanto majori sollicitudine ne aliqua in futuro calumnia quassaretur confirmari debuit. Idcirco nos præsens scriptum inde fieri voluimus quod non solum nostri sigilli impressione, sed etiam legitimarum personarum quarum nomina subsequuntur attestatione munitum reliquimus. Hæc sunt ergo nomina testium, qui interfuerunt : Domnus Guido, abbas monasterii Aremarensis ; domnus Theobaldus, abbas monasterii Dervensis ; domnus Odo, præpositus Beati Petri ; Manasses, archidiaconus de Rumillei ; Gibuinus, cantor et archidiaconus ; Stephanus de Venisiaco ; Garnerus de Sancto Remigio, presbyteri canonici Beati Petri ; Stephanus Lupus canonicus Beati Petri et sacerdos ; Eustachius, Hilduinus de Paulibus ; Angelmerus de Sezannia ; Stephanus filius Girulfi ; Milo de . . . . canonicus Beati Petri ; Guido comes Jarrensis ; domnus Helenus abbas de Arripathorio, Gaufridus de Peronia ; Gaufridus Altisiodorensis ; Gancherus de Firmitate, monachi de Claravalle.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCXLIII, epacta XIII, concurrente IV, regnante Ludovico Francorum rege, Teobaldo in Tricassino comitatum administrante.

(*Original en parchemin. Au dos est écrit : « Scriptura Hattonis episcopi de Ecclesia et minori decima de Lusiniaco, » et en caractères du XV^e^ siècle : « Lettre de la donation de l'église de Lusigny et des mesmes dismes. » Le sceau qui pendait, par double queue, manque. — Archives de l'Aube, fonds de Saint-Loup.*)

(1) Dedit D. de Jubainville.

(2) Les églises dont il s'agit sont celles de Clerey et Faux-Fresnay.

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM VOLUMINIS SECUNDI.

Revocatur lector ad numeros crassiores textui insertos. Littera n. *notas designat.*

A

Abbates spiritali et temporali consolatione lactare debent subditos, 102.

Ablutio exterior in baptismo interiorem designat, 315.

Abnegatio sui quid, 812, 825. Abnegatio sui ipsius ad placendum Christo necessaria, 283, 638.

Absalon pax patris dicitur, 42. Eorum est figura qui superioribus derogant, 42. Absaloni Judas comparatus, 509. Abscondi in abscondito faciei Domini, 3.

Abstinentia cur croco comparata, 486. Major in moderato cibo quam in omnimoda abstinentia, 483. Abstinentia duplex, 483. Abstinentiæ virtute Christus fuit præditus, 483. An in ea Joannem excelluerit, 483. Abstinentiæ effectus, 846 *et seq.* Abstinentia vitiorum potior quam ciborum, 834. Charitas abstinentiæ debet semper esse immista, 486. Abstinentia vitiosa, 483. Vitia vitanda in abstinentia, 484 *et seq.* *Vide* Jejunium.

Abusus convertit creaturas homini in perniciem, 344.

Accusatio voluntaria in capitulo apud Cistercienses, 74.

Acediæ vitium quid, et quibus infestum, 453 *et seq.*, 456. Acediæ remedium, 454. Acedia duplex, 387.

Actio via ad contemplationem, 136, 150, 684. In actionibus propriis mala intentio, in alienis prava interpretatio cavenda, 71. Actio prava religiosis et sacerdotibus maxime vitanda, 572. Christus non solum contemplationi, sed etiam actioni vacantibus se manifestat, 1003. Actionis et contemplationis vicissitudo, 402. Modum in actione et contemplatione tenendum oratio docet, 402. Vigilantia in oratione et actione commendatur, 1003.

Activa vita deficiet, non contemplativa, 871. Activæ et contemplativæ vitæ discrimen, 31, 869 *et seq.* Utriusque officia, 31, 869. Activæ et contemplativæ vitæ figura Lia et Sara, 511. Sponsæ proprietates et officia in vita activa, 791. Boni actus, qui et moderatione discreti sunt, et unctionis devotione repleti, 150.

Adam qualis conditus, qualis lapsus, 117, 725. Cur fructus in paradiso ei interdictus, 542. Ejus peccatum cur tam grave, 542. Multa complectitur, 542. Quomodo cooperatur in bonum, 705. Adæ maledictio in Dominica annuntiatione mutata in benedictionem, 983. Adamus an salvatus, 840.

Adhærere Deo quid, 646. Adhærens Deo quomodo unus cum eo spiritus sit, 181. Adhærentis Deo quanta felicitas, 411, 412. Visio sponsi bona, sed adhæsio arctior; melior tamen utraque, 2.

Adolescentes decent verecundia, taciturnitas, obedientia, 373. Adolescentia bellis obnoxia, 376. Adolescentum institutio permagni est momenti, 374. Adolescentum custodia, custos castitatis, 376. Impudentiæ vitium in adolescentibus detestabile, 379.

Adulationi aures claudendæ, 874. Adulationis et miserationis oleum, 111.

Adulterium spirituale, 879.

Adventus Christi spiritualis in animam cur, 912. Ejus utilitas et fructus, 913. Adventus Christi triplex, gratiæ, gloriæ, et utriusque simul, 913. Adventum secundum Christi nunc exspectat Ecclesia, 909. Christo advenienti quomodo occurrendum, 911.

Adversa præcogitanda, 873. Cor ad ea præparandum, 333. Adversis cur justi exerceantur, 395, 1016. Adversa et prospera ut eis cedant, 259. Adversa et prospera urgent nos ad cursum amoris, 393. Christus suo exemplo nos docuit modestiam in prosperis, patientiam in adversis, 994. In adversis et prosperis Deo inhærendum, 277. Amor fortis in prosperis, et in adversis, 392.

Adversitas et prosperitas duo sponsæ ubera, inter quæ dilectus requiescit, 434. Aquilone et austro significatæ, 134. Adversitatis et prosperitatis vicissitudo in apostolis et in Ecclesia, 129 *et seq.*, 134. Adversitatis utilitas, 861 *et seq.* Tria ei opponenda, 778. Adversitati amor non cedit, nec naturæ infirmitati. 6. *Vide* Afflictio.

Ædificatio spiritualis necessaria, 976. Scandalizas si non ædificas, 976.

Ædificia sumptuosa improbantur, 217 *et seq.* Virile propositum enervant, 217.

Ædificia simplicia concupiscentiam frenant, et paupertatis amorem conservant, 217. Monachorum habitacula a sæcularibus viris ædificari non decet, 217. Simplicitas et paupertas monachorum decorant ædificia, 217.

Ægyptii monachi homines cœlestes, angeli terrestres, 218. De labore suo pascebant pauperes, urbium alebant carceres, 218. Eorum cellæ quales, 218.

Ægyptus mundi figura, 386, 571.

Aelredi abbatis obitus et elogium, 140 *et seq.* 141. Ejus patientia, 140. Sermo, studium et doctrina, 141.

Æterna ut videantur, transilienda temporalia, 166. Æternorum amor terrena vilescere facit, 632. Æternæ vitæ felicitas et jucunditas, 325. Quis ejus capax, 325.

Æternitas suum tempus habet, 9. Triplex radius diei æternitatis, 168. Æternitatis dies quomodo plures, 168 *et seq.*

Affectatio in verbis gloriolam redolet, 116.

Affectionis et affectus discrimen, 249. Sermo cordis, affectio, 294. Affectiones dulces et sanctæ sunt sponsæ aromata, 128.

Affectionis utilitas, 861 *et seq.* Afflictione carnis melior est amoris affectio, 104. Cur Deus alios affligat hoc in sæculo; aliis vero pareat, 421. *Vide* Adversa, Flagella, Tribulatio.

Affectus est quasi quædam anima boni propositi, 95. Affectus pius animo illapsus, lac videtur, 89. Affectus interni et spirituales sine experientia nequeunt intelligi, 315. Affectum meditatio informat, si discreta est; refovet, si crebra est, 95. Absque affectu intelligentia sterilis, 78. Affectus in amore loquitur, 1. Affectus divini tempore desolationis ad memoriam revocandi, 666. Quatuor a nobis Deus exigit affectus, 254. Quæri non potest dilectus nisi affectu expedito, 157. Inordinatus in amicos affectus quomodo ordinandus, 457 *et seq.* Non rei usus, sed pravus ejus affectus in vitio est, 551.

Alacres spiritu per capreas et cervos designati, 59

Albericus Ostiensis episcopus, 1033.

Alexandri Magni præclarum responsum, 455.

Alexander papa tertius arguitur, 100, 101 *et seq.*

Altaria tria quibus vota superponere debemus, 781.

Amabilem esse peculiare Dei donum est, 976.

Amabilis Dei ultro se nobis offerunt, 235.

Amandus Deus sine modo, 58. Cum Deus amat, non aliud vult quam amari, 401. Solus propter se amandus, 549, 619. Supra Deum nihil amandum, 238. Nequidem ejus dona, 415. Si vis amari a Deo, reforma in te imaginem ejus, 364. Solus amor est, quem a nobis exigit Deus, aut cum beneficiis obruit, aut flagellis corripit, vel consiliis instruit, vel mandatis astringit, 395. Injustus est qui tantum amare Deum non desiderat quantum a creatura rationali amari potest, 256. Prohibemur plus sapere quam oportet, sed amare etiam plus quam possumus præcipimur, 396. Gravis opprobrii res est in naturam, si plus in deterius proficere possunt ejus corruptores, quam in bonum veri amatores, 245. Amari Deus non potest, nisi mundo contempto, 392. Deus quomodo amandus secundum tres animæ vires, 364. Nosse et amare Creatorem totum hominis bonum, 324. Homo Deum amando vere est, 241. Non potest esse ad quod factus est, nisi amando Deum, 239. Animæ seipsam in Deo amantis felix status, 409. Felix cordis Deum amantis status, 340 *et seq.* Amare tam tenere est, etiam assimilari et uniri est, 27. Amanti Deus cibus est et esuries, 394. Beati qui Deum perfecte amant, 240. Amare Deum edere est, 394. Timentibus, non amantibus abscondita gratiæ dulcedo, 82. Amare et amari fraternam unitatem facit, non congregationem, 279. Aliud est amari, et aliud studere amari, 976. Studere amari propter Christum charitati servire est,

Digitized by Google

400. Amanti nihil difficile, 1050. Amanti quærere et non invenire grave, 8. Amantium varii affectus, 1. Amantis animæ suspiria, 427. Amantis animæ liquefactio, 598.

Amaritudo præsens velociter transit, 138. Amaritudo cordis virtutes exercet, non evertit, 130.

Ambitio non eget incentivo, 181. Ubique pullulat, 182, 184. In desertis, in paradiso, in cœlo, 182. Religiosis etiam infesta, 957. Ambitiosi perstringuntur, 146.

Ambrosii opus in Cantica, 200.

Amen quam vim significandi habeat, 616.

Amicitia vera quæ, 832. Amicitia vera non est, nisi firmum habeat in Deo fundamentum, 402. Amicitiam Dei mereri, præcipuus vitæ fructus, 975. Amicitiæ necessitudo ad tempus attenuenda potius, quam silentio supprimenda quæ ad salutem spectant amici, 194. Amicitiam faciunt mutua conscientia et eadem voluntas, 278.

Amico cuivis non credendum, 189. Amicorum delectus, 189. Amici et charissimi qui dicendi sint, et quid differant, 141, 142. Amicorum cura monacho exuenda, 805. Amicus mundi quis, 293, 294.

Amor et charitas differunt ut genus et species, 611. Amor homini connaturalis, 243. Languor est animæ, 424. Nihil aliud est quam vehemens et bene ordinata voluntas, 239, 245. Ars artium, ars amoris, 243. Est vis animæ naturali quodam pondere ferens eam in finem suum, 245. Musto comparatus, 58. Amor est oculus, et amare videre est, 396. Amori adversatur timor, timori obstinatio, 593. Amor et timor duo discipuli, 593. Amor reverentiam nescit, 400. Magis sibi respondent amor et humilitas, quam amor et majestas, 9. Amoris et rationis mutuum juvamen, 252. Amoris languor quid, 593. Amoris vigor et languor unde, 401. Amor vehemens languorem mentis et carnis producit, 159. Amor nec infirmitati naturæ, nec adversitati cedit, 6. Mens exoccupata languet amore, 155. Non potest amor esse, et dulcis non esse, 104. Ubi amor, non labor, sed sapor est, 401. Amor mutus non est, usum habet vocis, 94. Amoris perfecti vis, 60, 154, 710. Amoris violentia, 401. Amoris violentia impossibilitate non frenatur, 593, 594. Ratione non compescitur, 591. Impatientia ejus laudabilis, 394. Amor in patientes dulcem agit tyrannidem, 58. Amoris impetus, 127. Amoris affectio melior est, quam carnis afflictio, 104. Perfecti amoris natura, 400 *et seq.* Amoris effectus, 730. Amori omnes obediunt, 643. Amor quomodo fortis ut mors, et tamen causa languoris, 497. Amor fortis in prosperis et adversis, 392. Solus amor difficultatis nomen ignorat, 396. Difficiles non habet aditus, 127. Amori nihil satis est, 58. Amoris fames insatiabilis, 394. Amor ipse sibi meritum et præmium, 401. Amoris fructus, usus ejus, 401. Frustra quis agere potest, frustra amare non potest, 391. Amor seipso satiari non potest, et tamen nisi seipso pasci non potest, 58. Propriis contentus est meritis, 4. Amoris exercitium quam dulce, 59. Amore seu lætitia amor dulcescit, 121. Amor ita dilatat cor, ut extra se non exeat, 398. Amoris vinculo nihil tenacius, 95. Amor unit, amor inebriat, amor abalienat, 142. Nec abesse sustinet dilectum, nec ei sufficit, 154. Ubique dilectum sequitur, 10. Frequenter recenset dilectum, 4. Rationem non consulit, modum ignorat, 393. In quiete et otio nunquam quiescit, 7. De quiete ipsa inquietior redditur, 7. Ad usum amoris quid accommodatius libertate et otio? 2. Amor corda emollit, dilatat et purgat, 398 *et seq.* Amoris excessus non diuturnus, 393. Amor distractionum impatiens, 32 *et seq.* Amor etiam dum non quærit, parit amorem, 976. Veritas simplex et nudata gignit fervorem amoris, 156. Amor amantes reddit sibi similes, 326. Deliciari cupit, non sanati, 1. Debet esse prudens et constans, 420 *et seq.* Ubi viget languor, ibi viget; languet, si absit quod amatur, 159. Ubi amor, ibi cor et cogitatio, 353. Amor inimicos nescit, 391. Omnia commendat, 46. Amor et timor peccatorem sibi subjiciunt, 593. Amor indulgentia non eget, totum enim gratiosum est, ubi solus est, 94. Amoris comes est fiducia, 973. Amoris indicia vix reprimi possunt, 158. Hic proprius amoris usus est, hoc ejus officium, ut totus sit in amando, 31. De amore loqui non potest, nisi qui amat, 589. Amor triplex : bonus, malus, mediocris, 611. Item amor pius, fervens et languens, 281. Amor mundi et amor Dei sibi invicem contrarii, 621. Amor rationalis quid? 238. Amor spiritalis tunc magis viget et vigilat, cum animalis sopitur, 142. Sensus spirituales quinque amores, 230. Amor naturalis odoratui comparatus, 251. Amor socialis gustui comparatus, 250. Amor parentum tactui comparatus, 250. In Scripturis parum commendatur, 250. Amor inimicorum auditui comparatus, 251. Amor privatus verum de seipso aufert judicium, 363. Amor sui non requirit causam, 401. Amor carnalis quomodo sensim in spiritualem transformetur, 247. Amor desiderii et fruitionis, 236. Amor cordis totus est in affectu, 420. Amori puro ipsi obices cooperantur in bonum, 127. Amor fœnus fœditatis suæ habuit magistros, 243. Amor falsus absentis obliviscitur, præsenti blanditur; verus contra, 155. Amor oculus est quo Deus videtur, 250, 251. Amor divinus visui comparatus, 251. Amor Dei sedes, 233. Deo debemus timorem et amorem, 256. Amoris nomen et affectus soli competit Deo, 258. Amore certius attingitur Deus, quam cognitione, 252 *et seq.* Deum solus comprehendit amor, 240. Deus amor est quem qui amat, amorem amat, 394. Amare amorem circulum facit, ut nullus sit finis amoris, 394. Amor noster in Deum debitus est, non gratuitus, 98. Hunc tamen non quasi debitum, sed ut gratuitum accipit, 98. Amoris Dei desiderium, 236. Amor amoris Dei, 235, 236. Amoris Dei elogium, 623. Amore Dei dulcescunt amara, 210. Beatitudo in amore, 830. Amoris pretium Deus, 622 *et seq.* Amoris divini effectus in anima, 412. Amor humanum animum Deo conciliat et ei unit, 52. Præparat habitaculum Deo, 623. Consolationes humanas non admittit, 59, 366. Violata integrare, non integra violare consuevit, 417. Cæteros amores absorbet, 409. Exstinguit affectum sæculi, et ad difficilia roborat, 252. Sæcularium facit oblivisci, 143. Ignis amoris divini noxium absumit amorem, 945. Qui Deum diligit ei se consubstantiat, 412. Amoris mandatum quomodo semper novum, 58, 611. Commendatio mandati amoris, 611. Amorem constare observantia præceptorum, 241. Amoris perfectio an hic detur, 236. Præceptum amoris Dei hic perfecte impleri non potest, sed ab omnibus optari debet, 394. Amoris Dei dimensiones, 424 *et seq.* 425. Amor noster divino justior, 395. Amor Dei in via quanto minor amore patriæ, 424. Beati quomodo in amore impares, 237 *et seq.* Amoris Dei indicia, 366 *et seq.* Amoris origo, 244. Amor in oratione magis exæstuat, 159. Cur duce opus sit homini in via amoris, 243. Parænesis ad amorem Dei, 417. Exhortatio ad amorem Dei et proximi, 612. Igne amoris hic præstat purgari, quam postea igne purgatorii, 966 *et seq.* Amoris Dei necessitas, 401. Amor a Deo, in Deo, ad Deum charitas est, 248. Amoris Dei triplex status, 263. Utriusque officia et discrimina, 263 *et seq.*, 264 *et seq.* Inter se invicem communicant, 264. Tres in homine potentiæ ad cognitionem et amorem Dei conducentes, 319. Amoris stimulus creationis beneficium, 414. Amori Dei, ut verus sit, quinque necessaria, 278. Amor Dei erga nos qualis et quantus, 339, 416 *et seq.*, 432. Deus ad amorem sui amore suo nos excitat, 238, 239. Amoris divini erga homines contemplatio, quam suavis, 411. Amor Dei pluribus communicatus ex communione non decrescit, 416. Amoris Dei signa sunt flagella, 293. Amor ex desiderio promissorum Dei procedens proprius est animæ, 421. Amoris erga Deum professio, 242. Amorem solum requirit Deus pro collatis beneficiis, 528. Omnia invitant ad amorem Creatoris, 396. Amplexus et osculum in divinis quid, 266. Amorem Dei lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat, 219. Amoris irritamentum Christus, 66. Amorem in Christo omnia spirant et exigunt, 60. Amoris stimulus Verbi incarnatio, 401. Christus infans amorem petit, non timorem, 922. Amoris Christi in passione excessus, 660. Cor Christi amore vulneratum diligendum, 452. Amore Christi sancti mortem non metuunt, 391. Amor Christi non est gravis, 641 *et seq.* Vis amoris Christi erga discipulos, 1006. Christus amandus ex toto, 61. Virginibus quantopere amandus, 474. Amatorum Christi felicitas, 622. Amor Petri et discipulorum imprudens, 420. Cur Petrus de amore ter interrogatus, 420. Amor dolorem parturit de sponsi absentia, 1. Per amorem Dei quærendus amor proximi, 976. Causa amoris proximi Deus, 612. Amor proprium monachorum officium, 58. Amatorum mundi exitus, 323.

Andream (S.) quid fecerit amplecti crucem, 511. Ejus passionis fides, 715.

Angelus Deo similior quam homo, 414. Angeli orantibus assistunt, 327, 1046. De nostra salute solliciti, 327. Nostrum ad se adventum desiderant, 327. Angeli custodes tigna cedrina, 278. In cellis piorum monachorum perinde ac in cœlis delectantur angeli, 204. Angelorum linguæ, suggestiones eorum, 276. Eorum præsentia nos continere debet, 813. Eorum nomina recensentur et exponuntur, 532. Angelorum admiratio de mysterio Incarnationis, 67.

Anima quid, 225. Duos habet oculos, 396. Non distinguitur a suis facultatibus, 364. Trinitatis in ea vestigia, 320. Animæ dignitas, 322, 323, 364, 365. Anima ex pretio redemptionis æstimanda, 323. Quomodo Deo similis, 364. De origine animæ disputatio ante sæculum XII, indefinita, 1056. Tempus præsens non corporibus, sed animabus assignatum, 299. Animarum cura onerosa, 156. Pro animarum salute otia dulcia seponenda, 145. Animæ nomen cur tam frequens in cantico amoris, 4. Anima fidelis cur sponsa

Digitized by Google

Christi, et non uxor dicatur, 432. Anima sursum, corpus deorsum naturaliter tendit, 243. Anima in quodam medio constituta inter Deum et mundum, 1027. Animam carni ancillari indignum, 523. Creaturis occupari potest, repleri non potest, 297. Quies ejus in solo Deo, 14 *et seq.* Anima Deum desiderans mole corporis sui se gravari queritur, 235. Per arctam exterius disciplinam interius dilatatur, 16. Animæ de absentia Dei gementis felicitas, 620. Quomodo Deus excolat animam, 974. Anima Deo propinquior fit virtute, 564. Anima Deum habens in se, templum Dei est, 537. Animam seipsam in Deo amantis descriptio, 409. Christi effectus in anima, 426. Anima in Christi pace fundata, felix, 356. Anima tota pulchra orationis tempore, 94. Qualis cum a contemplatione redit ad seipsam, 367. Animam duo pulchram, duo faciunt nigram, 273. Animæ speculum conscientia, 342. Animæ lectus triplex, 781. Animæ lavandæ fons triplex, 782. Animæ tres munitiones, 780. Primus animæ ornatus timor, 988. Animæ lingua fervor devotionis, 401. Verus animæ amor est quo veritas amatur, 401. Animæ fomenta, 456. Animæ panis justitia, 297. Animæ languor est amor. 424. Languor iste quomodo confortandus, 424. Non curatur nisi fruitione dilecti, 424. Animæ amantis liquefactio, 398. Animam quatuor captivant, 784. Animæ vulnera spirituali medico detegenda, 212. Animæ securitas, tranquillitas et jubilatio unde, 409. Animarum post mortem tria receptacula, 720. Animæ in cœlis beatitudo, 300.

Animales qui, 205. Animalis status descriptio, 206. Animalium hominum initium boni, profectus et perfectio quæ, 206. Animalia quatuor apud Ezechielem pastores Ecclesiæ significant, 748.

Animus et anima quomodo differant, 225. Animus est paterfamilias, 216. Unde bonus, 223. Quibus rebus occupari debeat, 223. Animus hominis speculum ad videndum Deum, 339. Ejus speculi cura quadruplex, 339. Animus induratus desperandus, 225. Animus liber efficiendus, 338. Animi dotes naturales indifferentes, 208. Animi vacatio ad contemplationem requisita, 367. Animi tranquillitas quomodo acquirenda, 357. Corporis motus vox quædam est animi, 376.

Annæ viduæ commendatio, 949. Simeon senex et Anna vidua par turturum, 949.

Annuntiatio S. Joannis in aliquo præcellit annuntiationi Christi, 676. Annuntiationis Dominicæ festum quam congrue celebretur in Quadragesima, 980. Annuntiationis Dominicæ lætitia et effectus, 980. Ad quod pertineant, 980.

Anxietas malæ conscientiæ, 372. Anxietas Mariæ Magdalenæ Christum quærentis eximiæ dilectionis spirat odorem, 108.

Apertio sponsi et sponsæ quid, 147.

Apes, spirituales contemplationi dediti, 489.

Apollinaris junioris hæresis, 25.

Apollinis Delphici responsum : *Scito teipsum*, 275.

Apostatarum miseria, 841.

Injuriæ condonandæ, 357. Silentio et contemptu superandæ, 860. Anima in injuriis quieta divinæ tranquillitatis imaginem refert, 406. Ad omnem injuriam discipuli boni sunt insensibiles, 73.

Innocentia triplex, 761. Innocentiæ jungitur virtus obedientiæ, 382. Innocentiæ currus describitur, 275. Hominis in statu innocentiæ dignitas, 668.

Innocentius II papa, 1055.

Inobedientia idololatriæ et magicis artibus comparata, 381. Sequitur superbiam matrem suam, 382. Inobedientiæ quanta mala, 541 *et seq.*, 542 *et seq.* Inobedientiæ punitæ exempla, 839.

Inquietudo dilectionis approbanda, 22.

Insania sana in apostolis, 245, 246.

Insanus est qui Deum mediocriter amat, 414.

Instabilitas cordis, 329. Notatur, 211 *et seq.*

Instruit nos Deus quomodo, 773.

Intellectus in animo dicitur et naturalis potentia ad intelligendum, et usus potentiæ, 132. Intellectus sibi relictus, et intellectus a Deo illuminatus, 227. Intellectus tuus sacro non debet præjudicare sermoni, sed ab ipso pendere et prodire, 99.

Intelligentia per dentem significata, 77. Intelligentia et sapientia quomodo differant, 554. Intelligentia sine affectu sterilis, 78. Intelligentiæ fidei et rationis connexio, 11.

Intentio pia sit animata, 95. Intentio simplex, 874. Intentio recta in operibus sollicite curanda, 70 *et seq.* Est primum sponsæ ornamentum, 70. In progressu boni operis conservanda, 455. Christi virginibus commendatur, 456. Intentionis unitate cogitationes religandæ, 99. Puritas intentionis nobis necessaria coram Deo, utilitas operis coram proximo, 661.

Intentus sibi alios non judicat, 871.

Internos affectus facies loquitur, 80.

Interrogat nos Deus tribus modis, 778.

Intus si fames sit, exterius muniri nihil prodest, 85.

Invenitur Deus violentia, 665.

Invidia non est nisi pusillorum, 956. Suum torquet auctorem, 360. Aliena bona facit nostra mala, 347. Invidiæ duplices flammæ, 388. Effectus, 354, 855. Indicia, 388. Detestatio, 59 *et seq.*, 956. Invidiæ species pessima, quæ sub specie sanctitatis exercet injurias, 360. Invidentes gentibus Judæi gratia exciderunt, 88.

Ira duplex, ex vitio et ex zelo, 957. Ira triplex, 387. Iræ detestatio, 956. Discrimen inter odium et iram, 856. Illi Deus irascitur quem non flagellat, 328. Irascentium diversa genera, 836.

Iracundia virginem dedecet, 856.

Irradiationes divinæ furtivæ sunt, 56.

Irrigua tria Ecclesiæ, 775. Irriguum inferius et superius tropologice explicatum, 973.

Isaac *gaudium* seu *risus* interpretatur, 306

Ismaelita interpretatur *sibi obediens*, 546.

J

Jacob cum Deo luctatus quasi ei benedictionem extorsit, 1015. Ejus luctæ quatuor 780. Quid sepultura ejus ad mores, 511.

Jactantia cavenda, 539, 814. Virtutes perdit, 857. Jactantiæ quatuor species, 467 *et seq.*

Jejunia moderata commendantur, 846. Bonum jejunium cum oratione, 115. Jejunii fructus, castitas, 845. *Vide* Abstinentia.

Jerusalem cœlestis portæ quatuor, 761.

Jesu nomen obedientiæ remuneratio, 284. Virtus et excellentia nominis Jesu, 564. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, 564. Olei virtutes nomini Jesu adaptantur, 487 *et seq.* Jesus vitis, 494. Jesus tympano comparatus, 144. Cor Jesu nostrum est, et nobis patet, 431. Cordis vita Jesus, 401. Jesus apud quos, 18. Quomodo quærendus, 2. Loco et tempore opportuno quærendus, 2. Jesum quærere dulce, dulcius tenere, 1. Jesum quærere, nec invenire quam grave, 8. Per Jesum multi aliud præter eum quæsierunt, 18. Jesum tangere quam fructuosum, 1. In turba, in publico vix tangitur Jesus, 1. Cubile Jesu triplex, 783. Jesum corde concipere, plus est quam oculis videre, 999. Jesu præsente in animo orandi æstus accenditur, 92. Jesus sponsus in secreta quiete mentis potest investigari libarius, inveniri citius, tutius teneri, et forte diutius, 2. Aspiratio ad Jesum, 628, 634, 639, 923. *V.* Christus.

Joannis Bapt. in utero exsultatio expenditur, 677. Ejus nativitas cur tam læta, 1014. 1015. Sola Christi et Joannis nativitas in Ecclesia celebratur, 678. Annuntiatio nativitatis S. Joannis Baptistæ quam gloriosa et singularis, 675 *et seq.* Sanctificatio in utero, 676. Joannis sanctitas in ipsa pueritia, 1014. Conversatio in vita qualis, 678 *et seq.* Joannes Baptista quid Ecclesiæ contulerit, 1014. Eidem Baptistæ prima de Trinitate revelatio facta, 680 *et seq.* Christi de eo testimonium quam gloriosum, 681. Ejus magnitudo ab humilitate, 1018. Joannis Bapt. prærogativæ, 675 *et seq.*, 682. Ejus humilitas præcipue imitanda, 1018. Est primus præco regni cœlorum, 679. Docebat pro auditorum captu, 1014. Fuit major apostolis, 681. Ejus parentes per ipsum facti prophetæ, 1013. Eosdem præconiis Evangeliorum initia dedicata, 1017. Idem præ omnibus sanctis laudatus, 1017. Ejusdem varia elogia, 1018, 1019 *et seq.* Joannes et Elias a carnibus abstinuerunt, 485.

Joannes evangelista Mariæ quam acceptus, 1052. In olei dolio, contemplationis typus, 121. Adolescens nulli seniorum virtute secundus, 378. Ejus privilegium, 686. Is a nuptiis ad apostolatum vocatus, 450. Maria cur ei commendata, 1036. Joanni Matrem, Petro Ecclesiam Christus commendavit, 1036.

Job frater draconum per charitatem factus est, 411. Interpretatur *dolens*, 444.

Joci non solum profusi, sed omnes vitandi, 379. Ecclesiasticis vitandi, 379, Jocosa verba cavenda, 814.

Jonæ signum Judæis datum quale, 986.

Jonathas Christi figura, 59. Est columbæ donum, 59. Jordanis interpretatur *descensus eorum*, 945.

Joseph, typus Christi, 698. Josephi exaltatio Christo resurgenti applicata, 998.

Judas Absaloni comparatus, 509. Ejus exemplum quomodo fugiendum, 604. Ejus peccatum expenditur, 509 *et seq.* Formidandum exemplum, 599. Judam quinam imitentur, 599. Judæ consimilis perversus monachus, 607. Discipuli omnes in Cœna præter Judam turbati, 605. Communionem accepit, 607.

Judæus idem ac glorians, 491. Judæi in fine mundi quasi post triduum convertentur, 582. Quo ritu ad templum Jerosolymitanum diebus festis ascenderent, 578. Judæorum cæcitas et reprobatio, 36, 924. Perversitas et malitia in Christum, 948, 986 *et seq.* Perfidia item et invidia, 996. Judæi non agnoscunt Christi divinitatem ob carnis ejus infirmitatem, 926. Eorum querimonia de tam longo suo repudio et gentium prærogativa, 583. Hi gentibus invidentes a gratia exciderunt, 88. Validum contra Judæos argumentum, 582 *et seq.* Judæorum traditiones Christi fides evacuavit, 15. Judæi per vicos civitatis designati, 15.

Judicium Dei aliud desiderabile, aliud terribile, 421. Qualiter exspectandum, 778. Omnibus timendum, 369. Est impenetrabile, 369. Duplex est, 888.

Judicium extremum quam terribile, 889 *et seq.* Est concilium generale, 747. Vox ad judicium homines evocans qualis, 712. Judex supremus quam stricte cuncta sit discussurus, 747. Opera misericordiæ in extremo judicio solum laudanda, 475. Pro meritorum diversitate diversa erit facies judicis, 888. Judicii dies qualis, 712 *et seq.* Vix etiam laudabili vitæ hominis, si remota pietate judicetur, 322. In judicio omnia manifesta erunt, 321. Angustiæ peccatorum in die judicii, 353. Quibus præsertim timendum, 747. Judicii extremi memoria, 352. Deum non timere judicem summa impietas, 294.

Judicium de nobis et de proximo quale facere debeamus, 772. Felix conscientia, quæ nec proprium, nec alienum timet judicium, 369. Homo suipsius judex et vindex, 343. De aliis qualiter judicandum, 333. Judicium non debet esse sine misericordia, nec vicissim, 1048 *et seq.*

Jugum Christi suave, 249, 1007. Hoc jugum est crux, 307. Quomodo capessendum, 84. Non premit, sed erigit.

Digitized by Google

405. Jugo sæculi præferendum, 285. Jugum nominis est, 285. Homo sine jugo esse non potest, 285. Jugum Adæ quale, 85. Jugum mundi grave, Christi suave, 406. Jugum grave super genus humanum, 83. Stoliditas hominum juga sibi aggravantium, 85.

Junioribus taciturnitas commendatur, 379.

Juramento qui alium decipit, dupliciter fit reus, 357. Juramento non eget veritas, 855.

Justificatio in præsenti quodammodo certa significatio est futuræ prædestinationis, 369. Non est sine confessione, 336.

Justitia panis animæ, 297. Justitia per diem sextum significata, 408. Triplex est, 762. Justitiæ officia, 384. Ejus zelus sacerdotes et præsules exaltat, 744. Sobrietas nobis, justitia proximo, pietas Deo exhibenda, 302.

Justus quomodo disponit affectus, 262. Semper ad perfectiora contendit, 919. Est omnino liber a tenebris, 939. Justi per lilia designati, 1025. Justi conscientia paradisus, 729. Anima justi hortus, 1045. Justi in tribulationibus tranquilli, 6. Justis diabolus nocere non potest, 921.

Juvenum institutio magni momenti, 374. Juvenes cur sæpe impatientes religiosæ disciplinæ, 375. Juvenes spiritu ferventes laudantur, 390. Juvenum societas virgini fugienda, 877. Juvenibus utilis seniorum conversatio, 578. Quomodo erga seniores se gerere debeant, 580. Juvenum conversio non desperanda, 575.

L

Laban *dealbatio* dicitur, 188, 189.

Labia sponsæ cum favo comparatur, 113.

Laboris hic tempus, non requiei, 275. Labor amore seu lætitia dulcescit, 121. Labor fictus in præcepto quis, 506. Nullus hic sine labore fructus, sine fructu labor frequens, 166. Laboris jactura pietate compensanda, 219. Labore corpus atteritur, et tenuiter pascitur, 74. Ægyptii monachi de labore suo pascunt pauperes, urbium alunt carceres, 218. Labore manuum vivunt Cistercienses, tributuntque egenis, 74. Labor messis apud Cistercienses, 1033. Laboris discretio, 210. Labores graviores aliquando sensus distrahunt et spiritum exhauriunt, aliquando vehementioris devotionis exprimunt affectum, 210. An liceat vivere de labore alieno, 218 *et seq.* Pii semper in labore quiescunt, impii in quiete laborant, 1033. Labor non est sequendo Christum, 171. Vita præsens plena laborsis, futura gaudii, 500. Beatorum gaudium de perpessis in vita laboribus, 668.

Lac sponsæ quid, 89. Lac et mel sub lingua sponsæ quid, 115. Lac videtur quidquid facile et dulciter sugitur, 89. Lac quinam bibant in religione, 370. Non omne lac est parvulorum, 89. Omnis doctrina et affectus pius animo illapsus lac videtur, 89.

Lacrymæ vulnerati cordis signa, 98. Gratiæ præsentis indicia, 315. Lacrymæ et gaudium quomodo misceantur in hac peregrinatione, 172. Lacrymarum virtus, 478. Item effectus, 827. Mens pia lacrymis pascitur, 729. Lacrymarum donum quam utile et opportunum, 1012 *et seq.* Efficax parænesis ad lacrymas, 478 *et seq.*

Lætitia bona quæ, 829. Lætitia est quædam mentis divina alacritas, quæ de Dei præsentia concipi solet, 18. Lætitia spiritalis in hac vita rori matutino comparatur, 173. Est quasi stilla vel scintilla, 173. Lætitia mera hic nulla sine lacrymis, 172. Lætitiæ redundantis locus est munditia, 127.

Læva sponsi charitas ejus, 497.

Lampades mentis septem, 781.

Lancea perforatur cor Christi, ut in eo vulnus amoris appareat, 431.

Languor animæ est amor, 424. Languorem mentis et carnis producit amor vehemens, 159. Languor est desiderii continuus affectus, 175. Quomodo confortandus, 424. Non curatur nisi fruitione dilecti, 424. Languores varii, 160. Languor amoris quid, 159, 160, 393. Languor carnis est motus ejus, vel nullus, vel exiguus; languor mentis est motus ejus nimius, 159. Languor spiritualis quis, 831. Languor Mariæ Virginis triplex, timoris, doloris et amoris, 1031.

Lapides sanctuarii, religiosi, 883.

Lapsus et virtutes sanctorum cur describantur, 854.

Laquei diaboli, 332.

Lateranensis ecclesia prælata Vaticanæ, 682.

Latro Christi confessor, 441. Oravit in fide, spe et charitate, 441. Ejus fides pulchre expenditur, 441. Ejusdem elogium, 505.

Latrones qui nobis optima quæque furantur, quatuor, 783

Laurentius laudatur, 137. Quid eum fecerit ridere carnificem, 311.

Laus vera et sincera quæ a Deo, 1016, 1017. Laudis humanæ vanitas, 753. Ejus appetitus fugiendus, 857. Bonos cruciat, malos lætificat, 389. Quamvis non quæratur, tamen oblata delectat, 539. Ingenui est homines ad laudes erubescere, quas suas non novit, 178. Nemo laudandus ante mortem, 1016. Laus Christi ex ore infantium perfecta, 995. Ad laudatores et detractores qualiter se habendum, 202. Laudatur diversimode Deus in creaturis, 15.

Lautitia ciborum notatur, 484 *et seq.*

Lazarus prior Durbonensis, 1056.

Lectio quid, 312. Sine meditatione est arida, 317. Sine meditatione nihil, aut parum prodest, nec meditatio sine lectione, 316, 317. Lectionis et orationis necessitas et utilitas, 866. Plus orandum quam legendum, 22. Lectionis comes sit operatio, 866. Lectio ut facienda, 799, 802. Debet esse fixa, 214. Varia et fortuita est inutilis, 214. Lectio et meditatio commendatur, 795. Lectio sacræ Scripturæ prodest vel nocet pro intentione legentis, 214. Lectio SS. Patrum commendatur, 154, 155. Lectionis præposterum studium arguitur, 328. Lectiones monachorum quales esse debeant, 812. Lectionis officium, 313. De lectione quotidie aliquid retinendum et animo volvendum, 214. Qualis novitiorum lectio, 220. Lectioni internæ vacandum, 336.

Lectuli in Scriptura varii, 50. Lectulus Christus, 7. Item crux, 7, 440. Lectulus sponsæ triplex, 6. Item animæ triplex, 781. Lectulus mens secura et libera, 5. Lectuli Salomonis elogium, 51. Lectuli et pacis convenientia, 2. Lectuli brevitas quid significet, 5.

Lenitas sine zelo odiosa, 978.

Lex Evangelio minus perfecto, 112. Præcipit sine gratia, punit sine venia, 104. Ejus austeritas, 1047. Legis severitate potior et efficacior Evangelii suavitas, 103, 104. Legis et evangelii mira symphonia, 998. Cur justis in veteri lege potius quam in nova terrena bona concessa, 287. Lex ab hominibus tradita, bonus clypeus, 85. Lex membrorum grave onus, 557.

Lia activæ vitæ figura, Rachel contemplativæ, 511, 869.

Libanus candorem sonat, 53, 93. Libani ligna imputribilia, 122. Libani ligna nulli corruptioni obnoxia suavissimum spirant odorem, 53. Libano Christus comparatus, 127. Item virginitas, 53, 54, 55. Uti et fides, 127.

Liber signatus sigillis septem, sapientia, 119. Libri sacri, acervus tritici, 1025. Horti sunt piorum, 1044.

Libertas non ablata est in statu naturæ lapsæ, 132 *et seq.*, 133, 223. Nihil tamen valet boni sine gratia, 232. Libertas alia velle bonum libere, alia affectuose, 133. Libertas in voluntate, et libertas in volendi facultate, 132. Libertas conditionis, dispositionis, et affectionis, 132. Libertas filiorum qualis, 41. Libertas imaginaria quæ de radice charitatis non oritur, 37. Libertate et otio quid accommodatius ad usum amoris, 2. Libertas et simplicitas homini necessariæ, 593. Pudore et timore impediuntur, 594. Libertatis generosæ et humilitatis exempla, 594 *et seq.* Libertatis et servitutis spirituum discrimen, 131. Mentis quies et libertas hoc in corpore quam brevis, 5.

Libido omnes impugnat, nulli parcit, 345, 751. Otiosis maxime infesta, 867. Hic omnino exstingui non potest, 102. Ejus remedium, 845. Libidinosi asinis et jumentis similes, 753.

Ligari regem non decet, 433.

Lignum scientiæ boni et mali tropologice explicatur, 542.

Lilia perfecta sex constant foliis, 469. Tria in foliis consideranda, 459. Tria item in trunco, 455. Lilium convallium Christus, 88. Lilia imitatores Christi, 88. Item justi, 1025. Exempla castitatis, 452 *et seq.* Lilii splendor animi hilaritatem designat, 453. Lenitas mansuetudinem, 454. Albedo munditiem cogitationis, 453. Pasci in liliis quid, 1025. Trinitas in lilio adumbrata, 477.

Lingua a lingendo, 357. Ejus abusus, 457. Linguæ non refrenatæ quantum malum, 836. Lingua prava vitia accendit, 79. Ejus stimulos magis horret Christus, quam spinarum aculeos, 65. Simulata linguæ dulcedo, 114. Linguam et ventrem qui non potest custodire, monachus non est, 357. *V.* Locutio. Lingua justorum intra se, 260. Linguæ sunt argenteæ, si de sacra Christum pagina sonant, 55. Linguæ apostolorum igneæ, 1010. Lingua verbi, favor dignationis; lingua animæ, fervor devotionis, 401. Linguæ angelorum quæ, 276.

Liquefactio amantis animæ, 398. Liquefactio animæ ad humilitatem et obedientiam pertinet, 153. Quomodo fit, 153. Liquefactio et ardor animæ in contemplatione, 152.

Liquidum omni formæ congruit, 398. Liquidum et calidum sibi cognata, 152.

Lites sapientia fugit, 18. Lites et rixæ pro temporalibus, 177.

Litteras clam non accipiant religiosæ feminæ, 878.

Litterati exemplo non præeuntes præstringuntur, 662.

Digitized by Google

Loculi propriæ voluntatis, 309, 599.
Locutio perversa multiplex, 571. Est secundus rivus fluminis Ægypti seu corruptæ naturæ humanæ, 571. Loquendi regula, 380, 813, 814. *V.* Lingua.
Loquacitas imperfectæ animæ indicium, 464.
Loqui de Christo quam utile, 473. Christus ingerit se loquentibus de se, 659. Silere tutius quam loqui, 380. Initium erroris hominis est sermo hominis, 380.
Lot Sodomis fugiens, religiosorum figura, 711.
Lotio per Christum nobis necessaria, 602.
Lucas alter discipulorum euntium in Emmaunta, 660. Lucas idem ac consurgens vel elevans, meditationem significat, 660.
Lucerna triplex, 777. Lucernæ tres, quæ vitæ, hujus noctem illustrant, 782. Quadruplex accendenda, 946.
Luciæ (S.) Acta an authentica, 466.
Luciferi superbia exagitatur, 102. Christi et Luciferi de cœlo venientis antithesis, 538. Luciferi superbia et Mariæ humilitas per antithesim collata, 461.
Luctus pius commendatur, 1012.
Lumen nos perducens ad veram Jerusalem, 937.
Lunæ comparantur virgines, 474.
Lupi tyranni, 741.
Luxuria vermis pestilens, 934. Quadruplex, 587. Religiosis abominabilis, 958. Ejus detestatio, 769. Luxuriæ currus describitur, 275. Multi in senectute per superbiam in luxuriam lapsi sunt, 383.
Luxus prælatorum acriter notatur, 737 *et seq.*

M

Maceratio carnis licentiose, occulte, discrete facienda, 717. *V.* Carnis mortificatio.
Magister nomen est pietatis, *Dominus majestatis*, 563.
Magorum exemplo ostenditur fidei nostræ profectus, 737. Magorum fides quantum remuneretur in cœlis, 937.
Majestatis nomen papæ attributum, 1053.
Maledictio Adæ mutata in benedictionem in Dominica annuntiatione, 983. Maledictionibus tribus subjacuit serpens, duabus Eva, uni Adam, 469.
Malitia sapor est mali, 259, 701. Malitiæ currus describitur, 275.
Malis punicis martyres designati, 119. Item religiosi conventus, 120.
Mali non desperandi, 97. Prosunt bonis, 415. Eorum consortium vitandum, 877. Eorumdem quia frequens experientia, facilis est notitia, 20. Ecclesia bonos et malos complectitur, 988. Tria omni malo nigriora, 848. Maxima pestis Ecclesiæ, impudentia in malo, 747.
Mamilla congratulationis, 1047. Mamilla compassionis, 1048. Mammarum sponsæ pulchritudo et virtus commendatur, 103.
Mandata Dei non tam in memoria, quam in moribus habenda, 621. Qualia sint, 422. Eorum observatio difficilis, 640. Mandatum dilectionis cur dicatur novum, 611. Ejus commendatio, 611. Aliud mandatum facere ad litteram, aliud ad meritum, 422. Deus diligendus in mandatis suis, 422. Christum vere diligit qui ejus mandata custodit, 618, 622.
Manere in Christo, cum Christo, juxta Christum, et longe a Christo, quid differant, 631 *et seq.* Manere in Christo, et verba ejus in aliquo manere quid, 636. Quanti sit manere in Christo, 632.
Mansuetudo virgines maxime decet, 454. Hanc designat lenitas lilii, 454.
Manus Ecclesiæ, homines sancti, 834.
Margaritæ religio comparatur, 770 *et seq.*
Maria virgo ex stirpe regia, 981. Cur dicatur misericordiæ regina, 722. Varia ejus elogia, 692, 724, 727. Duo præcipua in Maria, 730. Tria in ea mirabilia, 778. Mariæ excellentia præ omnibus creaturis, 722. Maria thronus Dei, 1030. Ejus decor et ornatus, 1030. Hoc nomen sublimius ipsi quam angelis competit, 1030. Maria tota miraculum, 987. Puteus aquæ purissimæ, 123. Rubo ardenti comparata. 692. Item arcæ Noe, 692. Thronus regius, 981. Hortus deliciarum Dei, 983. Maria rosa, Eva spina, 693. Maria ager plenus, 731. Maria castellum, 730. Petra recte dicta, 983. Duodecim propositionis panes, duodecim prærogativas gratiæ, quibus Maria repleta est, significant, 730. Maria Deipara beatorum beatissima, 1028. Hortus deliciarum, aurora consurgens, etc., 609 *et seq.* Reis veniam, justis gratiam, angelis lætitiam confert, 785. Maria a peccato immunis, 1032. Virgo et martyr, 981. In utero sublimius sanctificata quam alii, 676. Ejus conceptio immaculata, 640. Ab originali et actuali peccato immunis, 731. Ejus corpus ebori comparatum, 981. B. Mariæ virtutum enumeratio, 450 *et seq.* Maria prima virginitatis votum vovit, 450, 453. Ejus virginitas Libano comparata, 53. Castitatis in Christo, Maria, et aliis differentia, 136. Mariæ verecundia commendatur, 576. Mariæ humilitas et Luciferi superbia per antithesim collata, 461. Mariæ humilitas et elogium, 540 *et seq.* Maria quater tantum locuta legitur, 730. Mariæ et Marthæ officia implevit, 1056. Mariæ gratia copiosa, 1013. Mariæ quid contulerit unaquæque Trinitatis persona, 694. Maria ex quo a Spiritu sancto obumbrata fuit, nullum filii sui ignoravit consilium, 580, 689 *et seq.* Maria purificata est spiritu gratiæ, aliæ feminæ non ita, 954. Ejus uterus paradisus, 568. Bonum desertum, 45. Erga cognatam Elizabeth in puerperio officiosa, 677. Ejus partus exemplum non habet in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum, 1038. Christum concepit et peperit salva integritate, 983, 1037 *et seq.* Duplici titulo Christi mater, 1036. Cur purificationem implevit, 945. Purificatio ejus humilitatem docet, 953, 959. Maria humilitatis gratia purificationis legem adimplet, 959. Christus matrem non est aspernatus, sed ordinem charitatis nos suo docuit exemplo, 1036. Maria exemplo Filii infirmitati obnoxia, 1031. Maria virgo præ cæteris Christi odore attracta, 486. Tempore passionis Christi in ea sola salvata est Ecclesia, 429. Mariæ dolor in passione Filii, 610. Martyr fuit, 1031. Cur Joanni commendata, 1036. Christus cur matrem potius in cruce quam alias agnovisse videatur, 1035. Mariæ quam acceptus Joannes evangelista, 1032. Cur ad ungendum Christi corpus cum aliis non venerit, 429. Mariæ fecunditas tria nobis confert, 778. Mariæ triplex languor, timoris, doloris et amoris, 1031. Mariæ quies post labores, 1033. Maria in valle Josaphat commorata et sepulta, 1031. Mariæ erga peccatores clementia, 687. Sine Verbo factum est nihil, sine Maria nihil refectum, 566. Maria omnium fidelium mater non solum ratione mysterii, sed cura et affectu, 1029 *et seq.* Fideles quotidie parit desiderio et cura pietatis, 1040. Non major felicitas habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ, 1030. Theophilus per Mariam Deo reconciliatus, 687. Maria quos devotos suos adjuvet, 731 *et seq.* Mariæ virgini Sabbati dies sacer, et quare, 429. Ad Mariam virginem precatio et laus elegantissima, 687 *et seq.* Aspiratio ad Mariam, 1037.
Maria Magdalena peccatrix, 108, 109, 268, 424, 761. Dubium an eadem, 1048. Christi pietas in ejus conversione, 1047. Maria Magdalena, soror Marthæ, 869. Triplex ejus unguentum, 1048. Magdalenæ devotio in quærendo Christo, 108, 109, 518. Vis amoris in Magdalena, 1050.
Maria et Martha, contemplatio et actio, 684. Marthæ querimonia adversus Mariam, 685.
C. Marii præclarum dictum, 453.
Martini (S.) In morte fiducia, 914. Defunctus pueri gratiam habebat, 944.
Martyres mirrha significati, 138. Item malis Punicis, 119. Cur invicti in tormentis, 431. Eorum patientia nostram arguit ignaviam, 75. Charitas in tormentis, 157. Suavem eis reddidit mortis amaritudinem, 403. Martyrum sanguis clamat vindictam, Christi veniam, 419.
Martyrium assiduum quotidianus cum vitiis conflictus, 1007. Martyrium sine sanguine triplex, 783. De martyrio subeundo non præsumendum, 468.
Matres Christi spirituales esse possumus, 927.
Matthæus episcopus Albanensis, 695, 1053.
Medela et compassio, duo prælato et doctori necessaria, 87.
Mediocritas laudabilis, nimietas vitiosa, 880.
Meditatio quid, 312. Est conscientiæ ægrotantis medicamentum, 660. Est quasi ignis materia, amor flamma, 176. Meditatio mysteriorum Christi, quam dulcis et utilis, 180 *et seq.* Maxime passionis, 213, 412. Præsertim clerico, 502, 503. Utilitas hujus meditationis, 496. Meditatio cœlestis gloriæ, 76. Meditatio affectum informat, si discreta est; refovet, si crebra est, 95. Meditatio verbi sacri, bonus clypeus, 86. Sine oratione nihil aut parum prodest, 317. Meditatio et oratio duo discipuli Emmauntis, 657. Meditatio et lectio commendantur, 795. Meditatio sine lectione erronea, 317. Lectio sine meditatione parum prodest, et contra, 316, 317. Meditatio consolationi jungenda, 17. Meditatione Scripturæ religandæ cogitationes, 99. Meditationis pia suspiria coram Deo quam efficacia, 664. In meditatione et oratione divina nobis est locata refectio, et portio gloriæ, 72. Meditationes spirituales succensi amoris dulcem violentiam citius suscipiunt, 176. In meditatione major est gratia, ubi in materia major est gloria, 147. Meditationis officium, 313 *et seq.* Meditationis mutate materiam, servate instantiam, 13. Meditantibus et orantibus sæpe panditur sensus Scripturarum, 664.
Mel et lac sub lingua sponsæ, quid significent, 113. Mellis triplex proprietas memoriæ passionis Christi aptata, 491.

Digitized by Google

Membrorum abusus, 347. Non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo, 454.
Memoria tota ad Deum colligenda, 233. Memoria proximi ad altare, 326.
Mendacium fugiendum, 354. Etiam officiosum, 834.
Mens dicitur quod eminet in anima, 255. Mentem ipsam solus Deus supereminet, 223. Mentis septem lampades, 781. Mentis quies et libertas hoc in corpore quam brevis, 5. Mensæ Christi pigmenta, 648.
Mercenarius in prosperis a bono non discernitur, sed in adversis, 741. Mercenarii descriptio, 740 *et seq.*
Meritis suis non fidendum, 818.
Miracula majora per apostolos, quam per Christum patrata, 617. Miraculum Christi maximum, conversio mundi, et vitæ religiosæ institutio per homines simplices, 201.
Miseratio crudelis, 294. Miserationis et adulationis oleum, 111.
Miseria hominis quanta, 348 *et seq.*, 627. Miseriæ modesta suggestio, efficax est precatio, 159.
Miseri non despiciendi, 797.
Misericordia Dei in peccatores, 331. Duo pedes Domini, misericordia et judicium, 265. Misericordiæ portæ tres, 763 *et seq.* Misericordia Christi pastoribus imitanda, 110. Misericordiæ et gratiæ odor quam suavis, 110. Misericordia quæ Deo accepta, 833. Misericordiæ opera in extremo judicio solum laudanda, 473 Quomodo ab egenis exercenda, 476. In his charitas proximi consistit, 475. Misericordia et fides delent peccata, 954. Misericordia triplex exercetur, 760. Misericordiæ effectus, 336. Misericordiæ Dei spes erigit desperabundos, 110. Misericordiæ divinæ vis, 967. Misericordia per sagenam in mare missam significata, 709. Misericordia incarnationis causa, 333. Misericordia non debet esse sine judicio, nec vicissim, 1048 *et seq.* Deus quam pronus ad misericordiam, 967. Item Christus, 923. Prudenter apud Deum causam agit, qui justitiæ suæ immemor, totum misericordiæ committit, 929.
Missa post sumptum cibum, 484. Missæ privatæ ad ortum diei, 570. Memoria proximi ad altare, 326. Missæ sacrificio assistentium quales dispositiones esse debeant, 961. In missæ servitio triplex fructus, 811. Aquæ mistio et hostiæ fractio in missa quid significent, 673. Illusionem nocturnam passus missæ non ministrabat, 801.
Mobilitas cordi innata, 343.
Modestia sectanda, 813. Qualis, 800. Commendatur, 18, 793. Modestiæ et verecundiæ cognatio, 379.
Molendino cor hominis comparatur, 329.
Mollities et sodomia, horrenda crimina, 377.
Monachi religionis speciosissima portio, 201. Monachi veri insignia, 389. Ei considerandus finis vocationis suæ, 637. Monachorum professio, quærere Deum non communi hominum more. 203. Monachum quid faciat, 630. Monachorum gloria in sola cruce, 57. Monachi virtus præcipua, humilitas; summum vitium, superbia, 386. Monachorum occupationes et exercitia, 720. Eorum exercitia in communi exercentur, 253. Monachorum psalmodia, 254. Eorum est non colloquium, sed silentium, 22. Monachis omnis locus est orationis, 254. Monachus vivere se non credat, qui non id agit, propter quod in cella vivitur, 210. Monachis satis in claustris amare Jesum, 18. Monachi parentum obliviscantur, 800. Exuant amicorum curam, 805. Sint a curis exterioribus liberi, 130. Non ambiant sæculi prosperitatem, 195. Non affectent prædicationis munus, 812. Antiquorum et recentiorum monachorum collatio, 186. Veterum monachorum frugalitas, 186, 359, 360. Monachus a patre monasterii, non aliunde necessaria petere debet, 193. Avarus est qui ea cupit in claustro, quæ non potuisset habere in sæculo, 387. Damnare non debet quos imitari non vult, 203. Sic habeat corpus suum sicut ægrotum commendatum, 209. Monachorum cibi sint comestibiles, non delectabiles, 215. Monachus correptus statim genua flectat, 810. Monachorum proprium munus amor, 58. Monachus qualis esse debeat ad altare, 799, 801. In psalmodia, 799, 801. In lectione, 799, 802. In labore, 799, 801. Ad mensam, 795, 799, 801, 811. Ad colloquium, 799, 805. In capitulo, 800, 801, 810. In lecto, 796. Inter monachos quinam mortui, et quomodo curandi, 51. Monachis noxium curiæ commercium, 194 *et seq.* Monachi infirmitas melior est, quam sæcularis benefaciens, 124. Monachi negligentes præstringuntur, 75, 127. Item a primo fervore deflectentes, 181. Quantum peccent, 350. Dissoluti depinguntur, 644. Perversi Judæ similes, 607. Catalogus vitiorum perversi monachi, 645. Vanitas sæcularis in monachis damnatur, 188 *et seq.* Vanitas et acedia in monachis notata, 96. Monachos aliquando infestant tædium et tristitia, 130. Monachorum prava exempla sæculares in errorem inducunt, 38.
Monasterium paradisus deliciarum, 350. Engaddi comparatum, 650. Item Christi sepulcro, 397. Est salutis refugium, 711. Monasteria an horridis aut amœnis in locis construenda, 186. Eorum amœnitas non parum confert ad quietem, 186. Monasterii Rogerii abbatis situs amœnus commendatur, 186. Monasterii frugalitas omnibus sæcularium ferculis gratior, 883. In monasteriis desideratur quandoque charitas, 397. Monasterium pro ecclesia, 329. *Vide* Claustrum.
Monastica congregatio Libano significata, 96. Monastica vita, charitatis schola, 254. Item paradisus, 254. Monasticæ vitæ disciplina non res nova, 201. Quos habuit auctores, 202. Monasticæ vitæ idea, 253, 254 *et seq.* Monasticæ vitæ status quo fine eligendus, 389. Triplex ejus status, 205. Sublimitas, 202. Ejus propositum requirit pietatis formam et veritatem, 204. Monasticæ et sæcularis perfectionis discrimen, 124. Monasticæ et sæcularis vitæ antitheta, 841. Monasticæ professionis obligatio quanta, 202.
Montis-Dei Carthusia, 203. Ab Odone abbate S. Remigii fundata, 196.
Montium quatuor genera, 784.
Morbus triplex hominis, et ejus remedium, 776.
Mores, Ecclesiæ persecutio præsens, 38.
Morientis agones, 505. Morientis hominis descriptio, 321 *et seq.*, 530, 699.
Mors justis pascha est, 262. Dulcis miseris, 888. Nulli parcit, 891. Senibus in januis, juvenibus in insidiis, 913. Mors carnem deducere non potest in nihilum, 106. Mortis memoria, 355. Mortis desiderium, 366. Nulla crux ea durior, 505. Ejus timor omnibus communis, 559. Unde hic timor, 914. Ejusdem horror, 321. Sancti tamen amore Christi eam non timent, 591. Mortis memoria commendatur, 352, 355, 796. Mortis hora cur nobis incerta, 872, 887. Mortis quædam est species a contemplationis dulcedine avelli ad negotia, 464. Mortis meditatio, 800. Mortem pretiosam quænam faciant, 780. Morte fortior est charitas, 591. Christi mors corporis et animæ mortem nostram devicit, 1000. Via triplex ad mortem, 775. Animarum post mortem tria receptacula, 720.
Mortificatio carnis instar martyrii, 649. Necessaria, 512, 1020. Novitio maxime, 208. Quam sit utilis animæ, 934. Est nota militis Christi, 991. Mortificatio carnis, 846. Mortificatio sui non tollit gaudium, sed parit, 306. Mortificationem carnis docendus est novitius, 208. Mortificatione configuramur passioni Christi, 706. Ea Christus delectatur, 92. Sine ea periclitatur castitas, 91, 620. Compunctio per eam quærenda, 727. Mortificatione vices rependendæ passioni Christi, 323. In mortificationibus adhibenda discretio, 214, 512.
Mortui an lugendi, 888. Mortuorum lotio in petra, 800. Mortui inter religiosos quinam, 51. Quomodo curandi, 51.
Motiva virtus, et ipsa motio a Deo pendet, 12. Deus movet cum admonet, 344.
Mulieres sæculares virgini fugiendæ, 875. Mulieris sæcularis et Sirenæ similitudo, 875. Mulierum colloquium, virus, 892. Mulierum sub potestate viri supplicium, 470. Partus quanto cum dolore, 469. Mulierum fletibus donat Christus quos resuscitat, 51. Mulierum studium in orando pectore et uberibus ut imitandum, 103.
Multiloquium cavendum, 854.
Multitudo non imitanda, 804. Ex magna eorum multitudine, qui sæculum deserunt, pauci perfectioni student, 586.
Mundandum cor ad videndum Deum, 252, 284.
Munditia cordis, 313. Munditia locus est redundantis lætitiæ, 127. Munditiæ studium adolescentes decet, 376. Munditiem cogitationis designat albedo lilii, 453.
Mundi acceptio multiplex, 621. Mundus regio dissimilitudinis, 719. Desertum sterile et aridum, 43. Per Babylonem designatus, 556. Non videbit Deum, 621. Nos impugnat per quinque corporis sensus, 332. Mundi amicus quis, 293, 294. Mundi gloria quam brevis et caduca, 746. Ejus figura Ægyptus, 386. 571. Mundi pompa simulacris comparata, 188. Ejus contemptus, 891. Mundi amor et Dei, sibi invicem contrarii, 621. Mundi amatorum exitus, 323. Nulla hoc in mundo lætitia sine lacrymis, 172. Lucrosum commercium, contemnere mundum ut lucrifacias Christum, 1001. Cum divinis appropinquamus, mundana superamus, 1028. Hoc in mundo pax rara, securitas nulla, jugis labor, 172. Plus est odisse carnem quam mundum, 301. Vanitas hominum mundo servientium, 334.
Munitiones tres animæ, 780.
Munuscula non danda, nec recipienda a religiosis feminis, 879.
Murmuratio vitanda, 122, 836. Est diaboli venenum, 864. Murmuratio quam periculosa, 864. Qui murmurando

Digitized by Google

etc., superiores perturbant præstringuntur, 42 *et seq.*
Mutabilia hic omnia, 30. Mutatio loci et remediorum nociva, 211 *et seq.* Mutationum tria genera in Christo, 779.
Myrrha et thus, orationis perfectæ symbola, 93. Myrrha est oblatio incipientium, thus proficientium, aurum perfectorum, 955. Myrrha passionis amaritudinem designat, 434. Myrrhæ mons quis dici possit, 92. Myrrhæ significationes mysticæ in Christo, 136. Myrrhæ comparata regularis observantiæ opera, 149. Myrrhæ, thuris et pulveris pigmentarii tropologia, 45 *et seq.* Myrrhæ comparatæ persecutiones Ecclesiæ, 149. Item tirocinium vitæ religiosæ, 924. Myrrha symbolum pœnitentiæ, 934.
Mysteria Christi novitio meditanda, 220. Quomodo moraliter in nobis repræsentanda, 271 *et seq* Mysteria fidei ad memoriam prompta, ad meditandum profusa, ad subsistendum perpetua, ad sufficiendum plena, 13. Mysteria homini impervia quam reverenter tractanda, 72. Mysteriorum nunc obscura, demum clara et manifesta cognitio, 126. Purgatio præmittenda sacris mysteriis, 963 *et seq.*

N

Nardus quietem mentis significat, 122. Est humilitatis charitate ferventis figura, 277.
Natales sanctorum cur dicti eorum dies obitus, 678.
Nativitas Christi quid a nobis exigat, 581. Mira et rara in Christi Nativitate, 562. Sola Christi et Joannis nativitas in Ecclesia celebratur, 678. Item Mariæ Deiparæ, 731. Nativitas S. Joannis cur tam læta, 1015. Quam merito celebretur, 1014. Nativitas hominis, triplex, 298.
Naturæ duæ in Christo eleganter expenduntur, 162 *et seq.* Naturæ reformatio per conversionem ad Deum, 210. Fluvius Ægypti naturæ humanæ corruptio, 571.
Nazaræus, id est *florens*, 487.
Nazareth, flos, 450, 984.
Necessaria qua animi dispositione a Deo postulanda, 220, 221. Monachis a patre monasterii petenda, 193. Qua animi dispositione, 802.
Necessitas dura corporis, 332. Quam dura et vitiis obnoxia, 557. Necessitatis insinuatio efficax ad amicum oratio, 159. Necessitati studentes sæpe voluptati servimus, 546.
Negligentes et tepidi notantur, 40, 756. Monachi in primis, 75. Negligens mortuo similis, 1002.
Negligentia nostra unde, 979. Ejus accusatio, 962.
Negotium negotiorum vacare Deo, 209. Negotium hic summum quod erit in cœlo, 77. Negotium monachorum quale esse debeat, 211. Illud ostium dilecto aperitur maxime, quod omnibus aliis negotiis clauditur, 151. A contemplationis dulcedine avelli ad negotia quam molestum, 464. Negotiorum multiplicitas doctrinæ semina obruit, 667. Negotiis temporalibus plus æquo dediti prælati notantur, 157 *et seq. V.* Cura.
Nicasii (S.) apud Remos monasterium laudatur, 197.
Nicolai (S.) elogium, 717. Quam celebris miraculis, 717. Quam celebris omnium erga ipsum devotio, 718. Peregrinationes etiam paganorum ad ejus sepulcrum, 719.
Nicolai Claræ-Vallensis cum S. Bernardo necessitudo, 570. Et cum Petro Venerabili, 570.
Nigredo sponsæ unde, 273. Animam duo faciunt pulchram, et duo nigram, 275
Nimietas vitiosa, 880.
Nimis pro *valde* in Scripturis frequens, 981. Nimis velle est plus velle quam posse, 394.
Nobilitas sæcularis, 57. Qui de ea extollitur, fit vilior, 57.
Nosse et amare Creatorem totum creaturæ bonum, 324. Nosse seipsum nulla melior scientia, 562.
Novatianus et Pelagius gratiæ inimici, 104.
Novissimorum recordatio remedium adversus tentationes, 886. Eorum timor suadetur, 561.
Novitatis temerarii accusatores, 201.
Novitii quomodo formandi, 208. Quomodo tractandi, 822. Carnis mortificationem in primis docendi, 208. In exterioribus non debent occupari, 823. Novitii discretio, stultum se facere propter Christum, 246. Novitiorum qualis lectio, 220. Qualis oratio, 220. Novitiis cur aliquando gustus in oratione detur, 221. Eorum virtus obedientia cæca, 206, 207. Novitii perfectio, 211. Novitii tentationibus obnoxii, 822. Contra eas præmuniendi, 209.
Nox operatur ad inventionem dilecti, 3. Bona nox, quæ mundi et temporalium nobis abscondit aspectum, 3. Noctis tempus amori aptum, 2. Nocte et umbra secretum ad contemplationem accommodatum significatur, 3.
Nuptiarum dies cur sponsis differatur, 710. Nuptiarum tres species, 778.

O

Obscenitas omnis cavenda, in visu, auditu et sermone 377.
Obediens verus dat suum velle et suum nolle, 325. Quomodo loquitur victorias, 581, 545.
Obedientia liquefactioni comparata, 153. Ejus definitio, 543. Dignitas, 545. Meritum, 545. Obedientia vera quæ, 422. Commendatur, 381. Obedientiæ elogia, 545, 545. Obedientia et charitas inseparabiles, 422. Ex amore procedere debet, 582. Obedientia ex charitate procedens sola implet legem, 423. Contemplatione potior, 402. Medicinalis, 211. Et saluti amica, 284. Custos voluntatis, 226. Sola fidei meritum possidet, 381. Orationibus efficaciam præstat et fiduciam in omnibus, 545. Cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit, 581, 839. Victores facit, 545. Obedientiæ filiis Christus in morte solatium affert, 668. Ordo in obedientia, 543. Prælatis maxime exhibenda, 389. Obediendum superiori, quandiu nihil manifeste contra Deum præcipit, 246. Obedientia inferioribus exhibita charitatis est, superiori necessitatis, 226. Obediendum prælato erranti, 546. Obedientia nunquam obligat ad malum faciendum, sed aliquando ad bonum omittendum, 382, 840. Obedientiæ comites, 544. Obedientiæ virginitas, 545. Obedientia innocentiæ connexa, 582. Ejus conditiones et gradus, 544. Adolescentes maxime decet, 573. Monacho quam utilis, 209. Obedientiæ divisio multiplex, 543. Obedientia perfecta ad mortem usque protenditur, 544. Obedientia cæca commendatur, 586. Maxime in novitiis, 206, 207. Subditorum est obedire, non discernere, 207, 254. Obedientia adversa vitiis, 544. Obedientia ficta et falsa, 559. Obedientiæ vitiosæ variæ species, 546 *et seq.* Obedientiæ exempla et præmia, 581, 544. Obedientia Christi humilitatem habuit in corde, patientiam in ore, perseverantiam in opere, 646. Obedientium triplex benedictio, 544. Obedire Deo quid, 32. Obediendum usque ad mortem, 582. Facilius est obedire sponte, quam imperare discrete, 268. Ipse se decipit, qui satagit ut hoc ei pater spiritualis injungat, quod ipse desiderat, 551. Quo animo in acceptis et contrariis obediendum, 582. Aliud obedire ad litteram, aliud ad meritum, 422. Nomen Jesu obedientiæ remuneratio, 284.
Obligatio vitæ monasticæ quanta, 202.
Oblivio temporalium, 3.
Obsecratio quid, 220.
Observantiæ regularis opera myrrhæ comparata, 149. Ejus observantiæ duritia et petra disciplinæ rivos olei frequenter effundit, 85.
Obumbratio Virginis quid significet, 529.
Occasiones lapsus et corruptionis virginibus vitandæ, 466.
Occupationes pii otii et silentii, 580. Quibus occupari debeat animus, 225.
Occulta sponsæ, 82.
Oculus interior et exterior in quo differunt, 685. Oculo quinque necessaria ad clare videndum, 278. Oculorum custodia plurimum conducit ad custodiam castitatis, 575 Eorum licentia multis causa ruinæ, 845 *et seq.* Oculi fornicationis nuntii, 844. Oculos duos habet anima, unum quo intelligit, alterum quo inquirit, 396. Oculi populi fides comparata, 501. Oculi Ecclesiæ doctores, 73, 99. Et prælati, 73. Oculi duo sponsæ, 278. Oculus sponsum vulnerans, quis, 98. Amor est oculus, 596. Universum corpus operationis simplex illustrat oculus intentionis, 70.
Odii detestatio, 856. Odium perfectum perfectio dilectio, 1011. Plus est odisse carnem quam mundum, 301. Discrimen inter odium et iram, 856.
Odor Christi quam potenter mundum attraxerit, 487 *et seq.* Triplex est, hostiæ, doctrinæ et gratiæ, 1038. Odor crucifixi unde tam potens, 488. Odoris et unctionis discrimen, 111. Odore et unctione quid designatur, 112.
Officiales seduli et fideles magnum prælatis subsidium et solatium, 186.
Officium matutinum, vespertinum et mediæ noctis maxime observandum, 213. Attentio in officio divino, 810, 867. Qualis olim apud Cistercienses, 74. Officia humilia sectanda, 811.
Olei virtutes nomini Jesu adaptantur, 487 *et seq.* Item charitati attributæ, 271, 405. Oleo cur nomen Christi comparetur, 564. Olei per Elizæum multiplicati tropologia, 405. Virginum prudentium quale oleum, 711. Electorum triplex, 776. Oleum adulationis et miserationis, 111.
Oliva charitatem significat, 495. Ostiola templi, per quæ in Sancta sanctorum pateret aditus, quare ex lignis olivarum facta, 150.
Onera undecim per Isaiam descripta, 556.
Onus Christi portat se portantem, 249.
Opera bona vestimentis assimilata, 115. Vicem habent

Digitized by Google

ationis, 116. Alii potentes in opere, alii in sermone, il in utroque, 660 *et seq.* Opera misericordiæ sola in dicio laudanda, 475. Charitas proximi consistit in operis misericordiæ, 475. Opera regularis observantiæ myrræ comparata, 149.

Operatio sit lectionis et orationis comes, 866. Operatio istis sterilitati vicina, 118.

Orandum ut flagella etiam quæ ad nostram utilitatem ertinent Deus avertat, 445. Orandi regula, 213. Orandus bique Deus, 327. Attentio inter orandum procuranda, 26. Orandi æstus in animo accenditur præsente Jesu, 92. randum semper, quomodo, 459. Plus orandum quam gendum, 22. Orantes cur statim non semper exaudiatur, 617. Orantes cur sæpius non exaudiamur, 413. Orantibus assistunt angeli, 327. Orantibus sæpe panditur sensus Scripturarum, 664. Cum legis, erudiris de Christo; um oras, familiare cum ipso seris colloquium, 22.

Oratio lucerna, 946. Orationis perfectæ symbola, thus et myrrha, 93. Oratio in thure tropologice expressa, 45 *et eq.* Oratio quid sit, 220, 312, 356. Cordis est, non labiorum, 356. Omnia quæ agit charitas quamdam habent indeessæ orationis vicem et efficaciam, 30. Orationis vim habet desiderium cœlestium, 112. Amor in oratione magis exæstuat, 159. Oratio vehemens et devota multam dulcedinem habet, 115. Remedium est adversus tentationes, 885. Ejus effectus, dulcedo contemplationis, 317. Per orationem innovatur homo, 43. Orationis usus animum reddit mundum et candidum, 93. Orationis tempore anima tota pulchra est, 94. In oratione et meditatione divina nobis est locata refectio et portio gloriæ, 72. Oratio ubi fit, ibi templum est, 327, 328. Oratio modum in actione et contemplatione tenendum docet, 402. Oratio et psalmodia horti sunt. 1045. Oratio frequens commendatur, 866. Oratio sine intermissione, 356. Oratione Christus non modo invitandus, sed pia etiam violentia attrahendus, 915. Orationis tempus quam pretiosum et utile, 787 *et seq.* Orationis necessitas et conditiones, 246. Oratio quomodo recte instituenda, 356 Conditio ad orationis effectum necessaria, 636. Sit humilis, 112 *et seq.* Vigilantiæ in oratione et actione commendatur, 1003. Orationis et lectionis necessitas et utilitas, 866. Lectioni oratio jungenda, 214. Fervor et constantia in oratione necessaria, 18, 19. Orationis perseverantia, 970. Oratio pertinax pertingit ad finem, 19. Orationis comes sit operatio. 866. Orationis vicem habent opera bona, 116. Orationi præfertur dilectio fraterna, 107. Oratio verecunda Dei gratiam conciliat, 376. Quomodo singulis orationis speciebus utendum, 221 *et seq.* Facilior ad Deum aditus pie pulsanti, quam fideliter perscrutanti, 394. Necessitatis insinuatio efficax ad amicum oratio, 159. Orationes ad Patrem offerimus per Filium, 240. Orationes Ecclesiæ quare concludantur *Per Christum*, 255. Eas cur Deus aliquando audire dissimulat, 916. Sæpe Deus multos non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem, 357. Orationis et meditationis pia suspiria coram Deo quam efficacia, 664. Electi in oratione solum Deum desiderant, 637. Orationum diversa genera, 220. Oratio triplex, 45 Orationis fervidæ et frigidæ discrimina, 45. Oratio et meditatio duo discipuli Emmaus, 657. Oratio mentalis in intervallo post nocturnos, 74. Oratio novitiorum qualis, 220. Gustus in oratione cur aliquando novitiis detur, 221. Monachis omnis locus est orationis, 254. Orationis effectus duobus modis impeditur, 357. Duobus modis frustratur, 865. Ab oratione et contemplatione quæ nos avertant, 318. Oratio verbalis perfecte oranti impedimento esse solet, 74. Orationem irritam facit tristitia, 830. Orationes incassæ sunt iis, qui ultro prorunt ad casum, 194. Cogitationum tumultus in oratione, 356. Oratio Pharisæi fetebat coram Deo ob tumorem et teporem, 112. Orationis Dominicæ explicatio, 551 *et seq.*

Ordo charitatis, 281. Ordinata charitas quæ, 142. Ordo conversationis bonus clypeus, 85. Ordinis rigor devotionis dulcedinem subministrat, 85. Ordinem non habent, quæ in charitate non fiunt, 403. Ordinem sermonis amantes negligunt, 1. Qualis esse debeat finis aspirantium ad ordines ecclesiasticos, 290. Perversus quorumdam finis, 290 *et seq.*

Originale peccatum, ex concupiscentiæ vitio contractum, 428. Circumcisione delectum, 428.

Osculum et amplexus in divinis quid, 266. Osculum reconciliatorium, remuneratorium, et contemplatorium, 785. Osculum amantis triplex, 285. Osculo triplici sponso conjungitur sponsa, 267. Non est indignum Christo osculum dedisse discipulis, 627.

Ostiarius cordis Christus est instituendus, 326.

Ostium cordis nostri soli Deo aperiendum, 150. Ostium triplex ad Deum, 151.

Otiosum verbum quid, 460. Otiosa verba maxime virginibus vitanda, 459. Otiosæ cogitationes quæ, 372. Otiosum non est vacare Deo, 209. Otiosum est, quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem, 210. Verus amans nunquam est otiosus, 867. Otiosi ut habendi, 218. Otiosis infesta libido, 867.

Otium non debet dici monachorum silentium, 192. Otio dulcia seponenda pro animarum salute, 145. Quid agendum in otio, 34. Otium et oblivio contemplationi opportunitatem ministrant, 3 Otium in quiete vitandum, 35, 806. Quam exitiale, 209. Oratione, lectione, aut labore fugiendum, 389.

P

Pacificator noster Christus, 47.

Pacis et lectuli convenientia, 2. Pædagogus aliquis semper ante oculos habendus, 212.

Palatiis melius ecclesiæ, quam ecclesiis palatia leges darent, 1052.

Pallium Synagogæ ablatum quale, 156. Pallium quadruplex ad velandam nostram nuditatem, 784.

Palmarum dies, 993 *et seq.*

